UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct. Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

urn:nbn:de:hbz:466:1-83011

Visual Library

Fl. 886a.

A VI
7.

R. P.

ADAMI CONTZEN, E SOCIETATE IESV DOCTORIS THEOLOGI

COMMENTARIORVM IN QVATVOR EVANGELISTAS.

TOMVS II.

IN LVCAM ET IOANNEM.

Cum Superiorum permissu & Priuilegio Cæsareo.



MOGVNTIÆ

Sumptibus Ioannis Kinckij Bibliop. Colon.

Excudebat Hermannus Meresius.

ANNO M. DC. XXVI.



SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

CAPVT I.

QVONIAM quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum: 2. sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: 3. visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, 4. vt cognoscas eorum verborum, de quibus erudijus es, veritatem. 5. Fuit in diebus Herodis, Regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth. 6. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela, 7. & non erat illis filius, eò quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. 8. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, 9. secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt vt incensum poneret, ingressus in templum Domini: 10. & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. 11. Apparuit autem illi angelus Domini, stans à dextris altaris incensi. 12. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. 13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: 14. & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. 15. erit enim magnus coram Domino. & vinum, & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: 16. & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum: 17. & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. 18. Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. 19. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. 20. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsq; in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. 21. Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipse in templo. 22. Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt, quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus: 23. Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam: 24. post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinq; dicens: 25. Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. 26. In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, 27. ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. 28. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus. 29. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. 30. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. 31. ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. 32. hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, 33. & regni eius non erit finis. 34. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 35. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. 36. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit Filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis. 37. quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. 38. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. 39. Exurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda. 40. Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. 41. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu S. Elisabeth: 42. & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. 43. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ

1. Paral. 24. a. 20.

Leu. 16. d. 17. Exo 30. a. 7.

Mal. 4. b. 6. Matth. 11. b. 14.

Isai 7. c. 14. Inf 2. c. 21.

Dan 7. d. 14. g. 17.

Mich. 4. c. 7.

in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. 45. *& beata, quæ credidisti, quoniam perficientur eo, quæ dicta sunt tibi à Domino.* 46. *Et ait Maria:*

Magnificat anima mea Dominum: 47. *& exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*

48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

49. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.*

50. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.*

51. *Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.*

52. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*

53. *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.*

54. *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ.*

55. *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini eius in secula.*

56. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.* 57. *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* 58. *Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.* 59. *Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.* 60. *Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* 61. *Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* 62. *Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum.* 63. *Et postulans pugillarem, scripsit, dicens. Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi.* 64. *Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.* 65. *Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc:* 66. *& posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* 67. *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto: & prophetauit, dicens:*

68. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebi suæ:*

69. *Et erexit cornu salutis nobis: in domo Dauid pueri sui.*

70. *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum eius:*

71. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos:*

72. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.*

73. *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis:*

74. *Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.*

75. *In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*

76. *Et tu puer, Propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius:*

77. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum:*

78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos, oriens ex alto:*

79. *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

80. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel.*

QVÆSTIO I.

Quæ Lucæ Euangelistæ patria?

Lucas Antiochenus fuit.

§. 1. ANtiochiam auctores plerique tradunt. Hieronym. l. de scriptorib. cap. 17. Euseb. l. 3. cap. 4. Quos sequuntur Doroth. in Synopsi, Isidor. Beda. Hieronymus in prologo Syrum vocat. sic Theophyl. hoc loco. Niceph. l. 2. c. 43. Ex recentioribus Maldonatus, Vincentius, Iansen. Stella, Salmeron, nec memini alicuius auctoritatis vllum, qui repugnet.

Ex hæreticis Aretius, Tossanus, Caluin. Beza, Piscator, alijq; quorum auctoritate non nitor, sed vt ostendam, firmum id esse illis visum, quod conuellere aggressi non sunt.

Plures Antiochiæ.

§. 2. Porro cùm multæ sint Antiochiæ, multi etiam fuerint Antiochi, Lucæ patria fuit, Antiochia Syriæ omnium nobilissima, de quâ Strabo l. 16. quæ vna è quatuor Patriarchialibus sedibus fuit, quæ ab absolutè, & sine addito, vocari consueuit Antiochia. Epiphaniam, etiam & Retlatam appellant, idque auctore Hieronymo. Sed an eadem sit, alij addubitant. Eam Iustinianus, postquam terræmotu consedit, restauratam, Theopolin dici iussit: vt Steph. ait. sed potentior edicto fuit consuetudo. Vetus enim nomen retinuit. Atque hic primum dicti sunt Christiani, in quorum gratiam Lucas Euangelium scripsit. Ab eâ etiam Syriæ pars nomen habet, Plin. 5. 12. Ex quo etiam recenset Pomponius. Visitatum portò est ab vrbibus prouincias nominari.

Primaria quæ Syriæ fuit.

Itaque aliæ Antiochiæ, huc non pertinent, vt quæ sunt in Mygdonâ, Plin. l. 6. c. 13. quam Stephan. in Mesopotamiâ locat, & Mygdoniam appellat, & celeberrimam Nisibin esse existimat. Sed falsâ Mygdones è Thracia præfecti Mysiæ partem insidentes Mygdoniam vocarunt, si eidem Stephano, & Herodoto credimus.

Est & Antiochia in Ciliciâ, Pisidiâ, Lyciâ, in Cariâ, Comagene, ad Taurum, in Margiana, ad Callirrhoen, aliæq; quæ ad hanc rem non pertinent.

§. 3. Baronius sese ann. T. 1. anno 61, excusat, quod in Martyrologio dixerit Antiochiam in Cœlesyriâ positam, & demonstrat id non sine veterum auctoritate factum.

Opti-

Optimè sanè, nam reuera Antiochia hæc in eâ Syriæ parte, quæ Coele vocari solet, posita est.

QVÆSTIO II.

An Lucas Pauli comes?

§.1. TRibus locis eius mentionem facit Paulus. Coloss. 4.14. vbi vocat medicum. *Salutat vos Lucas medicus carissimus & Demas.* 2. Timoth. 4.10. *Demas me reliquit, diligens hoc seculum, & abijt Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus.* & Philem. 24. Demas & Lucas adiutores mei. An hic Lucas Pauli comes carissimus, & medicus sit Euangelista, controuersia est. Hieronym. in Prologo. Chrysost. hom. 12. ad Colosicam Epistolam. & Theophyl. in cap. 4. 14. Ambros. in Lucam. Nicephorus l. 2. c. 43. l. 6. c. 16. l. 15. c. 14. qui etiam pictorem fuisse ait.

Hieronym. de script. Eccles. ait esse eum, de quo Paulus 2. Cor. 8. *Cuius laus est in Euangelio*, quod quamuis colligi inde non possit, vsus est tamen Hieron. non inani coniecturâ. Nam de Lucâ intellexit Ignatius ad Ephes. scribens. Nam citans Lucam hoc illi Epitheton addit: cuius laus est in Euangelio.

§.2. Caluinus eundem esse negat. Rationem fuam reddit. [Notior fuit Euangelista, quam vt tali opus fuerit indicatione & splendidiore elogio fuisset insignitus. Certè coadiutorem suum, aut fidelem saltem comitem, & certaminum participem vocasset.]

Respondet Maldonatus, Lucam, si non fuisset Euangelista, certiore notâ discribendum fuisse, ne tota eraret antiquitas. Deinde insigni titulo vocari *Charissimum*. Constat vero à Paulo etiam intimos eius aliquando sine titulo nominari. Huic vero medici titulum dare potuit, quia eo nomine notus erat.

Tantum vero abest, vt suis opinionem illam Caluinus persuaserit, vt illi potius inde confirmare alia dogmata velint; Aretius enim inde probat, nullam professionem à Christianismo arcere, consentit Illyricus in hunc locum. Et Tossanus, qui loca Pauli de Lucâ interpretatur. Origenes in Rom. putat esse eum, quem Rom. c. 16. 21. vocat Lucam. Quod tamen admodum dubium esse, nemo non videt. Nihil enim præter nominis quandam affinitatem illis commune, quod si diceret: Lucas & Iason, nihilominus tamen dubium esset; an Lucas hic & ille idem essent.

Pictorem negat Tossanus: quia Medicus fuerit. Quasi vero non & medicus pigendi artem nouisse, aut pictor medicinam potuerit. Cum nostro tempore multos etiam magnates esse constet, pingendi arte insignes. Causa negandi, ne videatur pinxisse imaginem B. Virginis, vt habet antiquissima traditio. Nicephl. l. 2. 23. ex Epiphanio describit B. Mariæ effigiem, eamque effigiei idem l. 14. c. 2. & l. 15. c. 14. Et Metaph. ab Ecl. in Lucâ.

QVÆSTIO III.

An fuerit ex discipulis septuaginta?

§.1. ORigenes ita existimat dialogo de rectâ in Deum fide. Ita citatur, sed dubium est, ita quoq; iure videtur Theophyl. & Epiphan. hæres. 51. Et Gregor. in Tob. præf. cap. 1. & in vitâ eius Metaphrastes. alij Cleopham esse volunt. Argumenta eorum non adduco, quod coniecturæ sint admodum incertæ, nec illi nisi timidè asserunt.

Verior tamen est sententia plurium, non esse ex illis. Tertull. l. 4. contra Marcionem. Iren. l. 1. c. 20 & l. 3. c. 12. Euseb. l. 3. hist. c. 4. & 18. Hieron. de script. Eccles. c. 17. Beda, Damianus. Isid. de vitâ & obitu sanct. c. 84. Recentiores in eadem sententiâ sunt. Et rectè. l. 2. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Si enim discipulus Christi fuisset, non ad Apostolos, sed ad Christum doctrinæ initia retulisset: nuncautem Apostolos se præceptores habuisse testatur. *Lucas Apostolos habuit præceptores.*

Fateor tamen fieri potuisse, vt etsi esset discipulus ex numero illo, non viderit omnia, vel quod sero in illum numerum adscitus fuerit, vel quod rarius cum Christo fuerit, ideo plura auditu perceperit.

QVÆSTIO IV.

An martyr fuerit?

§.1. HIeronymus fuisse annorum 84. cum obijt testatur, de martyrio mentionem nullam habet. Martyrologium Rom. *Natalis beati Lucæ* (15. Cal. Nouemb.) *Euangelista, qui multa passus pro Christi nomine spiritu plenus obijt in Bithyniâ: cuius ossa Constantinopolin translata sunt: & inde Patauiam delata.* De ætate eadem sunt in Menolog. Græcorum, apud Isidorum, & Mataphrasten. Doctissimus Baron. in notis ad Martyr. dubitat. Verum cum antiquiores negent, Martyrologium, & Menologia nō asserant, videtur potius Martyrio nō coronatus, licet gratia passus eo modo martyr, quo solent confessores interdum, appellari possit. *Martyrij eius non est mentio.*

Gregorius Nazianz. pro eius martyrio citatur. *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? non magnos pugiles exitimuisti? Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Teclam, &c.* Hæc pro Lucæ martyrio citantur tum ab alijs, tum Baronio. Quæ verba non nisi incertum argumentum præbent. Victimas etenim vocat, & pugiles. Quod rectè intelligere possumus, alios victimas fuisse, aliquos tantum pugiles. Et constat ex Ioanne, qui multa passus, suo fato functus est, non fuso sanguine. *Nazianzeni testimonium de Lucæ martyrio.*

Quod autem S. Paulinus Nolanus habet ad Seuerum Epist. 12. his versibus.

Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas
Martyr, & illustris sanguine Nazarius.

Nec hoc quicquam efficit; mutata enim distinctione, posito post dictionem *Lucas* commate, vox *Martyr* ad Nazarium referri potest, *Martyr & illustris sanguine Nazarius.* S. Gaudentius in serm. in dedicatione Eccles. Horum quatuor habemus in præsentiarum reliquias, qui regnum Dei & iustitiam prædicantes ab incredulis & iniquis occisi, Deo semper viuere operationum suarum virtutibus demonstrantur: Ioannes in Sebaste prouinciæ Palæstinæ, Thomas apud Indos, Andreas & Lucas apud Patras Achaiæ ciuitatem consummati referuntur. Qui quoniam ait, *referri*, aliorum potius sententiâ, quam suam recitat: & si suam nobis proponeret, non tamen antiquioribus præiudicare posset. Solus enim pene Nicephl. l. 2. c. 43. ait ex oleæ arbore suspensum. Quamuis & de loco mortis non satis conuenit. Dorotheus in Bithyniâ, Hieronym. Ephesi mortuum existimat. Quod vero in præf. Hieronymi est, anno ætatis 74. obijsse, id ex libro descriptoribus Eccles. corrigendum est. *Paulini testimonium. Gaudentius Lucã martyrem putauit. Vbi obierit Lucas incertum.*

§.2. Pluribus igitur locis docuit. Quin in Syro Euangelio scriptum est. *In nomine Domini, Dei, & nostri Iesu Christi, sigillamus Euangelium sanctum nuncium Lucæ Euangelistæ, quod locutus est, & annunciauit Ionicè in Alexandria.* Ita enim habet textus, de quo ob hæreticorum calumnias nonnulla dicenda existimo. Titulū hunc decurtatum Beza, & ex eo Daniel Tossanus referunt. Integrum adducere malui. Nam & professionem diuinitatis Christi continet, quam ex Lucæ Euangelio maximè hæreses oppugnabant. Deinde sigillamus aiunt: Syriace חתם חתמינן *chatmnan*, vt testatur Ecclesia Apostolica sua sententia hoc Euangelium probari ab Apostolis sibi ita signatum redditum. Quem titulum inde natum arbitror; quod cum Lucas ex Apo- *Lucas Alexandriæ docuit.*

stolicis vnus, Euangelium scripserit, aliquot Apostoli approbarint, & proposuerint Ecclesijs suo sigillo obsignatum; aliæ vero Ecclesiæ alijs exemplaria obsignata miserint, & hæc verba præposuerint. Quibus etiam testantur in linguam suam legitime conuersum, & rectè conuersum, quantum quidem in ipsis erat.

Quod vero addit Ionicè prædicatum יונאית *Iaunaith*, non ita accipiendum est, quasi Ionicâ dialecto scriptum sit, communi enim linguâ Græcorum fere loquitur mistis Atticismis. Sed Græcos omnes Iudæi vocant יונים *Ienanim*, seu Ionam, vnde & Græcum ἰῶνες Iones. Quia tamen Ionica in Asiâ vsitata erat, non dubito Alexandrinos ad eam inclinasse, non tamen purè Ionicè locutos, cum videam eorum scriptores non Ionicè, sed communi linguâ scribere.

§. 2. Beza hinc veterem Marci historiam conuellere nititur de Marco; *Quod eos velit expendere, qui Marco has partes tribuunt.* Quasi verò non eâdem in vrbe & Lucas & Marcus vel diuerso vel eodem tempore prædicare potuerint. Nec primus ibi Lucas prædicauit, sed Marcus; vt habent in Menologio, Latini & Græci scriptores, de quo vide annalium T. 1. Baronij, & notas in martyrologium.

Marcus & Lucas Antiochiæ docuerunt.

Lucas quidem Pauli socius indiuiduus fuit, sed ita tamen, vt quemadmodum alij, quandoq; in diuersas orbis partes mitteretur. Quod ad Syriacam versionem, quæ est in manibus, attinet. Est illa auctoritatis minoris quàm Græca vel Latina. Hic ponitur Lectio matutinorum annunciationis Zachariæ, idq; in cæteris festis martyrum, diebus ieiuniorum. De illis Bellarm. l. 2. c. 4. de verbo Dei. Quæ fuit res istius Ecclesiæ antiquissimæ. Esse autem antiquiss quia non alio modo loquuti. Nec illa nisi apud doctos est vsitata dialectus. Sed vide Widmanstadium, Albertum Pappum, & Vergium. Titulum vero illum Guido Boderianus in sua versione habuit, & retinet. Tremellius, & Iunius resecuerunt, de his Boderianus in sua præfatione. Ita testatur & Calendarium Syriacum, apud Geneb. initio Psalt. & compertum Surianum, id est, Syrianum 7. de emendat. temporum in quo etiam festum S Crucis. Illa autem notata in Syris, vt certo tempore nossent. Vide Iosephum Scaligerum.

Syra versio pro defunctis.

Hoc insuper notandum, hodie Syram illam in Ecclesijs Syriæ legi, nec tamen fuisse ab annis mille vernaculam, nec nunc esse, nisi inter doctos. Paulò aliter loquuti tempore Christi Domini.

Esdres legit Hebraice non vertit, sed exposuit, aiunt eos vtramq; ob affinitatem intellexisse. Negant hoc ipsi Iudæi, & Rapsaces 4. Reg. 16. Esd. 2. 13. 23.

QVÆSTIO IV.

Quid, & quomodo scripserit S. Lucas.

§. 1. EVangelium, & acta Apostolorum; non omnia sed Pauli aliqua, vsque ad captiuitatem eius cum Romam venit. Cur aliorum Apostolorum paucissima, & Pauli plurima scribi Deus voluerit, causam inquirere fas non est.

Euangeliũ & acta Apostolorum scripsit.

§. 1. Euangelium nonnulli aiunt, non modo hortante, sed etiam dictante Paulo scripsisse. Ideo cùm Paulus suum Euangelium appellat, & Rom. 2. 16. & 16. 25. 2. Thess. 2. 14. Lucæ Euangelium intelligere putant.

Mihi certum videtur Paulum non dictasse Lucæ Euangelium. Non enim ipsius opus censeretur, si manum illi ad scribendum duntaxat accommodasset, non etiam ipse reuelatione diuinâ instinctus scripsisset, nec Lucæ, sed Pauli Euangelium dicendum

Paulus non dictauit Lucæ Euangelium.

foret, quemadmodum Epistola ad Romanos Pauli est, non Tertij, qui eam scripsit Rom. 16. 22. Non enim amanuensium, sed dictantium scripta censentur. Deinde non opus erat præfatione, nec de suâ diligentiâ protestatione, si ex ore Pauli dictantis scriberet. Satis superque ad faciendam fidem erat, si diceret Paulum dictasse.

Certum etiam est, multa ex Paulo didicisse, non omnia. Nam scripsisse se ait, *sicut tradiderunt, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* itaq; ex beatâ virgine, alijsq; multa didicit, quæ tamen eadem à Paulo audijt frequenter, adeoque tandem scripto comprehendit.

Certum etiam est, primariam causam Euangelij scribendi, non fuisse hortationem Pauli: Sed cœlestem reuelationem, ac impetium. Etenim Euangelium velut publicum instrumentum ac diploma summi regis authenticè toti mundo conscripsit, totaque Ecclesia tanquam ratum, atq; à Deo approbatum recepit. Itaque non modo diuini spiritus instinctu singula moderante scripsit, sed etiam diuina autoritate ac iussu ad scribendum sese accinxit. Dorotheus in Synopsi, non Pauli sed Petri hortatu vult eum scripsisse, quod de causa secundaria dicendum est. Nam forte & illis reuelatum est, Lucam à Deo selectum qui æternæ memoriæ Euangelium mandaret.

§. 3. Ratio scribendi accuratior in Lucâ notatur, & dictio comptior, quod Græco eloquio præstiterit. Græcè enim Græcis scripsit, Hieronymus agnoscit floridiorem in eo stylum & humanam eloquentiam, Itemq; Ambrosius in præfat. Qui & sic monet. *Historico stylo librum digestum*; nam in historiâ narrandâ est prolixior, in cõcionibus breuior. Non est autem oratio fluens, & cum verborũ pompâ; sed ἐυσχήμων, modestè & decorè incedens, veritatis, & claritatis non ornatæ sectatrix. Quibus Philosophum, & medicũ decuit, vt docet fuisse Theophylactus, omnia ista comprehendit Cosmas Indicopleustus, siue vt alij, Indicopolites. Οὗτος ὁ λεκαῖος ὁ τείτος τῶν Εὐαγγελιστῶν θεωρήσας πολλὰς, ὅτι κεχειρικότας αἱ αἱρεσιῶται ἀγγέλια, καὶ ὀκ ἀκριβῶς πολλὰ παραλείποντας, αὐτὸς τάξιν πρὸς τὸ ἴδιον μαθητὴν Θεόφιλον συγγράφει, λέγων ἀσφαλίζεσθαι, μὴ παραλογίαν τις ἐκείνων παλάσσειεν, μηδὲ παραταραπίαν ὧν πρότερον μεμάθηκεν ἵνα γνῶς, φησὶν ἀκριβῶς, περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν. διηγεῖται τοίνυν αὐτὸ δεξάμενος παρὰ τῆς γλώσσης Ἰωάννου τοῦ διδάσκοντος, ὅτι καὶ ὁ πρόδρομος ἡ γλῶσσα παραδόξως. εἶτα τὸν αὐτὸν ὁ δεσπότης χριστὸς κτίσμα, καὶ αὐτὸν παραδόξως διηγησάμενος γεγενῆσθαι, κτίσαντα ὁ πολυβούλου ματθαῖος σκοπὸν, εἰρηκὼς κτίσμα τοὺς αὐτοῦ προγόνους, ὡς ὁκ ὁ Δαβὶδ, καὶ ὁ Ἀβραὰμ, εἶτα παραλείπεται ὡς ὁκ ὁ Ἀδὰμ ἀπάρχει, μὴ εἰρηκὼς ἀπερόντινα ὅτι Θεὸν ἀνέδραμε λέγων, ὁ Θεὸς, τοῦτ' ἐστι, ὁ ἀρξάμενος τῆς κλίσεως, κτίσαντα τὸν ἱεροφάντην Μωϋσέα, καὶ ποιήσαντα τὸν πρωτόπλαστον Ἀδὰμ, εἶτα πάλιν καὶ αὐτὸς ὁμοία τοῖς ἄλλοις εἰρηκὼς περὶ ὁ βαπτίσματος, καὶ τῶν πειρασμῶν, ἓν τε καὶ ὁ θανάτου καὶ τῆς ἀναστάσεως. Μετὰ τοῦτα καὶ ὁ ἐν αὐτῷ τῷ εὐαγγελίῳ, καὶ ἐν ταῖς πράξεσιν τὸν ἀνόδου αὐτὸς τὸν εἰς τὸν οὐρανὸν εὐαγγελιστ. Id est: Hic Euangelistarum tertius Lucas, cum videret multos, conatos scribere Euangelia, & ex suo animo multa fingere, ipse certissime proprio suo discipulo Theophylo conscripsit librum, certum eum reddens, se eorum commentis abstractum non esse, nec ab illis quæ prius didicit euersum. Vt cognoscas eorum, de quibus instructus es veritatem. Recenset autem illi à natiui-

tate

tate Ioannis historiam incipiens, docens etiam hoc; Præcursoris Genesin admirabilem fuisse. Deinde Domini secundum carnem & ipsam admirabiliter referens factam. Eo quod ante Matthæus instituit, scopo. Tum ordine retrogrado recenset eius progenitores, vsque ad Dauidem, & Abraham, denique ad Adamum & Deum ipsum, cum vlteriorem nullum reperiret: vtpote ad creatorem omnium, qui teste Mose doctore omnia creauit, etiam ipsum protoplastum. Postea de baptismo aliisque communia cum cæteris narrat, ac de morte ac resurrectione. Postremo Christi in cœlos reditum tam in Euangelio quam actis recenset.

QVÆSTIO V.

Qua auctoritas?

§.1. DIuina: vt & aliorum Euangelistarũ: Quamuis enim gesta Christi non viderit, optimâ tamen fide omnia retulit. Nam superstitibus Apostolis scripsit, vt testatur Sanctus Augustinus, & Theophilactus. Ideo & eorum testimonio probata est eius historia. Alioqui Hierosolymis eum Hebræis disciplinis eruditum fuisse, idem testatur, sed non nititur humana scientia Euangelii certitudo. Apostoli piscatores erant. Hic considerandum Apostolos deuiuisse, hoc esse Lucæ, & nusquam errans Euangelium. Alioqui quomodo certi esse poterant? itaque Euangelium quoad nos, non nisi Ecclesiæ testimonio infallibilem auctoritatem haber. Adeo vt ipse Caluinus Ecclesiæ alioqui inimicus, & scripturæ proinde proditor diuino consilio tribuat, quod aliæ scriptiones publico consensu repudiatæ sint, hæ fidem obtinuerint.

QVÆSTIO VI.

An vxorem habuerit?

§.1. NEgat Hieronymus in vitâ illius; consentiunt cæteri, & quod mirum, quidam Caluiniani, Aretius in hunc locum, qui etiam putat cœlibem ad religionem accessisse. *Acerat*, inquit, *hoc vitæ genus aptissimum homini peregrinanti, & expositio multis periculis.* In Gallia enim, Achaia, Bœotia, Macedonia, Dalmatia docuit, & Pauli comes fuit. Cum vero omnes Apostoli in perpetuâ peregrinatione egerint, non est mirum, si & illi cœlibem vitam egerint. Cur enim Petrum, Paulum, cæteros cum vxoribus orbem circumiisse clamitant, si Lucæ cœlibatum propter peregrinationes tribuunt. Si hoc genus vitæ erat aptissimum Lucæ Apostolorum discipulo, cur non & ipsis Apostolis? Non enim dubium est, eos, qui tanto feruore spiritus Euangelium toto mundo circumtulerunt, omnia itinerum impedimenta remouisse.

QVÆSTIO VII.

Quo tempore scripserit?

§.1. THeophylactus anno 15. post resurrectionem scripta asserit, & Euthym. Baronius anno Christi 55. eos refutat. Sed incerta res est. Occasio, quod multi ordinare aggressi sermonem aberrarint. vt Euseb. lib. 3. cap. 24. Epipha. lib. 2. contra hæres. Nicephor. loco citato. Verior, quod eum Deus testem suum elegerit, & occasiones multas obtulerit.

De miraculis ad monumentum eius edi solitis, Niceph. l. 2. c. 43. de translatione Glicas l. 3. ann. de oleo è corpore scaturiente, Cedren. Compendio historię.

§.2. Hoc deniq; obseruandum est, non minus ad omnes Euangelium pertinere, quam cæteras scripturas, quamuis vni inscriptum sit. Communes enim sunt Epistolæ Sancti Pauli, vel vni Ecclesiæ, vel homini inscriptæ. Vsitatum vero erat, libros qui publicæ vtilitati sacrabantur, vni alicui inscribere, facilius enim multi legunt, quod ad vnum dirigitur. Certiora enim putant, quæ quasi inter priuatos sunt colloquia.

QVÆSTIO VIII.

Cur præfatione vtitur?

§.1. QVia solus id facit, ideo quæritur, cum eadem forte esset quærendi ratio, cur vsi non sint alij vllo procœmio, sed præter morem Scriptorum ab ipsâ re inceperint. Pauci sane vsi procœmio in scripturâ. loco enim præfationum tituli fere locati sunt.

§.2. Causa non est quod priuato scribat. Tam n. omnibus, quem vni ratio reddi, aut non reddi debet, si alioqui causa est reddendi. Tam omnium quam vnius lectoris beneuolentia quærenda est.

§.3. Vera igitur causa est: quia de illis, quæ non viderat, quibus non interfuit, scribit. Et quidem de reconditissimis, vt de colloquio Angeli cum Beata virgine, Elisabetha, alijs, de quibus protestatur se omnia diligenter cognouisse. Deinde quia iam multi aliter, & falso scripserant, aliter monendi erant auditores, ne eis crederent.

Aliis Apostolis ea non fuit necessitas, quod visa scriberent, & ex persona plus haberent auctoritatis. Marcus quidem an fuerit Christi discipulus ignoratur, variantibus sententijs, potuit tamen illa videre, de quibus scribit. Nam incipit à prædicatione Domini. Sane causam præfandi non habuit, commendato per Petrum eius Euangelio. Et forte ex discipulis 70. fuit, certè tempore Christi vixit.

Quod si molestus quispiam esse pergat, satis fuerit respondere, Liberum Scriptori esse, vti, vel non vti præfatione. Lucam ea vsum, causamq; habuisse, de qua coniecturam facere possumus, certi vero nihil statuere.

QVÆSTIO IX.

Qui conati sint ordinare sermonem?

§.1. QVidam hæreticos putant: Orig. homil. 1. in Luc. Amb. & Beda Basilidem. Beda etiam Apellem adiungit. Epiph. hæresi 5. Cerinthum & Merinthum: sed hi posteriores fuisse videntur. Eus. l. 4. hist. c. 7. & l. 5. c. 13. Cerinthum tamen hær. 28. ait disceptasse contra Petrum, in cœnobio Hierosolymitano.

Theophylactus Euangelium secundum Thomã, Ægyptios, duodecim Apostolorum, aliorumque. vt Nicodemi Ægyptiorum. Causam fere adferunt, quod verbis ἐπεχείρησαν, conati sunt, pro ausu temerario interpretantur. Sic Augustinus etiam libro 4. c. 8. de consensu Euang. Beza ait quosdam illa Euangelia reponere nostro tempore, quæ quidem non vidi, sed tamen omnium errores passim reuocantur.

§.2. Matthęum & Marc. designatos aiũt alij. Nam verbum ἐπεχείρησαν, tam de honesto, quam malo conatu potest accipi. Vt habet Isoc. ad Dęmonicum καλὸν μὲν ἔργον ἐπιχειρεῖσθαι, Præclarum quidem rem aggrediuntur: sic & Syrus עבד *Zubau*, *voluerint* quod in vtramq; partem accipi potest; bonam & malam.

Sic intelligi ex eo probo, quod versu 3. ait. Visum est & mihi asserenti omnia; vbi alieno se exemplo scribere indicat. Minus autem modus loquendi conuenit, si inductum se hæreticorum exemplo diceret; nam in bonis illam phrasin vsurpamus, quod magis probatur ex Syro ܐܦ *Aph*, etiam. Bonorum enim imitationem profiteri, non hæreticorum, Euangelista debuit. Addo & illud.

Non refutat, non inuehitur in eos, qui aliter texerunt. Si enim per fidè fecerunt, reprehendere oportuit. Nunc ita loquitur, vt dubium sit, an probet, an improbet. Caluinus putat, parcere quidem, non tamen penitus eorum laborem probare:

quod inconsiderato potius zelo, quam malitiâ peccarint. Excusare zelus & ignorantia possunt aliquando. Scribentem publicè de historiâ Christi, viuentib. Apostolis non possunt. Cur enim vel illos non interrogabant, vel scripta sua illorum submittebant iudicio? Caluinus hac excusatione fundamenta ponit blasphemiæ, quâ dixit, Scriptores sacros aliquando volentes prudentes præter veritatem historiæ aliqua narrasse.

QVÆSTIO X.

Quæres completæ dicantur?

§. 1. DE vnico verbo, *Completæ*, multæ hodie lites sunt: Nouatores enim ferè vertunt, *certissime in nobis vel plenissimè creditæ*, aut simili modo: quin & Syrus textus habet מתפרנן בהון *mephaphinā behun*, contenti quiescimus in illis, hoc est, plenè credimus: פרס, est contentum reddere, quietum facere. Vsurpaturq; cum creditori satisfactū est, vt eius compellatio & actio conquiescat. Itaq; duplex hinc sensus oritur, primus vt dicat, se de rebus scripturum, quæ transactæ sunt: alter vt de illis quæ indubitate creditæ sunt: Calu. ait nostrum interpretem in Græca dictione πληροφορῆσαι non semel deceptum pulcherrimos locos corrupisse, in secūdo enim significatu hoc verbum tantum vsurpari putat, ita Beza, Caluinus, Tossanus & alij, imo eorum omnia dictionaria posteriorem duntaxat significationem admittunt: veruntamē Græcum verbum, vt & πληροφορεία vtramq; significationem habent: ita 2. ad Thess. c. 4. v. 5. 2. Tim. 4. 5. vbi est, *minsterium tuum imple*, πληροφόρησον: est enim perinde ac si diceret, plenum fera: Quo loco notanda est insignis fraus eorum, qui Chrysostomum ediderunt ex bibliotheca, vt profitentur Palatina & Augustana: hæc enim verba τὴν διακονίαν σὺ πληροφόρησον, *ministerium tuum imple*, cum interpretatione D. Chrysostomi his verbis posita: ἔστ' ἐστι πλήρωσον, in Latina versione penitus omiserunt. Chrysostomum secuti sunt Augustinus alij q; latini & nonnulli Græci, licet & alteram significationem agnoscant: sequuntur & eandem interpretationem etiam Lutherus & pleriq; Lutherani, quorum hæc est versio so vnter vns ergangen seyn: nihilominus tamen nonnulli etiam interpretantur verbum quo vsus est Latinus interpres etiam de fide plena, quæ de his rebus habetur vt in nobis completas esse, sic & factas & creditas esse: atq; sic etiam Illyricus nostrum interpretem defendit. Interim solidum argumentum contra fiduciam Caluinianam hinc deducimus: nam contendunt illi πληροφορίαν significare certam fiduciam prædestinationis & salutis. Ita Pareus in cap. 8. epistolæ ad Roma. aliisq; locis innumeris. Verum Catholici ex hoc loco euidenter demonstrant, si πληροφορία accipiatur de fide, obiectum eius esse non propriam cuiusq; prædestinationem, sed earum rerum, quas Deus reuelauit, quas Christus gessit: & Lucas se initio Actuum Apostolorum explicat.

Fraus hæreticorum.

Chrysostomi interpretatio.

VERSVS 3. & 4.

Visum est mihi assecuto omnia à principio, diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile: vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

QVÆSTIO I.

An Lucas assecutus sit omnia?

§. 1. IN primis cum ait visum sibi, non negat visum etiam Deo, vt monet hoc loco Ambros. Itaq; significat sibi visum præeunte Spiritu sancto quemadmodū loquuntur expresse Apostoli Act. 15. 28. Visum autem est postquam assecutus est omnia. Non scripsit omnia quæ Christus gessit, vt constat ex Ioan. 21. 25. sed neq; illa omnia memoria assecutus est: si enim totus mandus non caperet libros qui scribendi essent, non etiam caperet vnius Lucæ memoria quæ tot libris continerentur: summam igitur diligentiam tantum indicat, vt testantur Origenes, Eusebius, Ambrosius, Beda, alij q;. Similem diligentiam explicare solent cum certos se esse profitentur, vt Demost. de legatione perperam obita, Cicero sæpius in Cantilinariis: Græcum verbum quodammodo anceps est, significat enim persequi omnia, seu inuestigare, deinde peruestigando accipere: hinc quidam vertunt παρηκολουθηκότι πᾶσιν, cum assectatus sim omnes, Apostolos scilicet, nam græcus datiuus πᾶσιν omnis generis est. Sed repugnat textus Latinus, Syrus, & etiam Græci interpretes. Addo etiam ipsam veritatem, Lucas enim comes Pauli fuit, paucos itaq; Christi discipulos, nullo modo omnes assectatus est. Syrus ad verbū habet מטלרקריב *metel dekarib* quoniam proximus fui omnibus accurate, non præsentia gestorum, vt quidam male interpretantur, sed diligentia scrutandi: omnia igitur accurate assecutus est, quæ illum Spiritus sanctus scribere de Christo voluit, ex innumeris paucissima. Hocinsuper etiam notandum, hanc Euangelistæ diligentiā, quam adhibitam esse diuina fide iam credimus, non sufficere, vt hoc Euangelium diuinam authoritatem habeat, sed instinctum Spiritus sancti non modo rem ipsam, sed singula etiam verba dictantis. Monet etiam D. Chrysostomus hom. 4. ad Thessal. Damascenus libro 4. de fide, traditionem docentium antiquiorem esse Euangelio Lucæ scripto, ideo non minoris *authoritatis traditio est*, inquit Chrysostomus, *nihil amplius quæras.*

QVÆSTIO II.

An ex ordine scripserit, & quis Theophilus?

§. 1. OB vnicum hoc verbum καθεξῆς, nonnulli existimarunt solum Lucam tenuisse ordinem temporis in scribendo, alios Euangelistas minimè. Veruntamen constat, aliquas ab eo historias & exhortationes non suo tempore recenseri. Neq; hoc mirum videri debet, cum nullus Euangelista ad temporis seriem se astrinxerit: sed interdum similia exempla & sententias diuersarum concionum coniungunt, videmusq; etiam id historicos externos facere. Itaq; quod noster vertit ordine, & Syrus בטכסה *techse* in ordine suo: græcè est καθεξῆς, quod est ordine, ordinate, deinceps: seruat enim toto corpore historiæ aliquem temporis ordinem, ab annunciatione incipiens, in resurrectione desinens, cui tamen ordini non obstat aliquarum rerum coniunctio, diuerso tempore gestarum.

§. 2. Theophilum esse ciuem Antiochenum omnes veteres consentiunt, ex Clemente Alex. lib. 10. recognit. cap. vltimo. Magnum fuisse probat Baron. anno 58. ex Act. 24. 26. *Sed & illud de eodem Theophilo non prætermittimus dicere illustrem fuisse virum, ad quē non tantum Euangelium, sed & Acta Apostolorum idem Lucas inscripserit: nam illum honestissimo exornat titulo, dicens in præfatione Euangelii: Optime Theophile, ea quippe titulo Paulum Apostolum nominasse constat etiam Felicem, tum Festum Iudææ Præsides, vt cum ait: Optime Felix, Optime Feste, dum coram ipsis constitutus causam diceret. Sic & Tribunus militum Claudius suas litteras ad eundem Felicem Præsidem datas, quæ apud Acta habentur, eiusmodi titulo consignauit, dicens: (Claudius Lysias optimo Præsidi Felici) vt plane liquido appareat, solitum eiusmodi titulum impartiri nobilissimis viris*

vit, fuisseque amplissimæ dignitatis indicem, & non personæ laudem, vt absque aliquo mendacii scrupulo quibuscumq; magistratibus illis fungentibus consueuerit impartiri: alioqui non putandum Paulum ea adulatione atque mendacio demulcere voluisse scelestissimum omnium Felicem, vel Festum, optimos appellando. Quamobrem accidisse existimamus, vt sicut illis temporibus ille vigebat, loquendi vsus, vt quique candidati hoc titulo salutarentur, Boni viri: ita magistratum iam adepti, iidem Optimi dicerentur, vnde & Optimates. De candidatis est illud Senecæ apud Lucilium, dum ait: Sic illum amicum vocabis, quo modo omnes candidatos, Bonos viros dicimus: quo modo obuios, si nomen non succurrit, Dominos salutamus: quanta enim excellentia titulus esset, vt quis Optimus salutaretur, Traianus Imperator planè declarauit exemplo: nam (vt de eo scribit Dio) cum amplissimis gloriæ appellaretur titulis: nihil tamen eum, inquit, magis quam cognomen Optimi iuuit. Vti veteres Sophoc. εἰκὼ κεφᾶσον τὼν ὁπως ἂν δύναιλέπης. Quamuis autem sit fortis, strenuus. Tamen constat hic intelligi optimum. ita Romani loquebãtur. Alius Theophilus est lib. 7. c. 48. constit. Apost. quem Clemens ait esse suffectum Zachæo in Ecclesia Cæsariensium Palæstina, Illum domum suam in Ecclesiam aiunt mutasse. Aliqui quos Didacus Stella sequitur, eum in patria fuisse septimum Episcopum dicunt. Quod vero Lucas ait, idcirco se illi scribere, vt cognoscat rerum de quibus eruditus est veritatem, non significat minus certam fuisse catechesin, quam suam scriptionem, cum à Paulo & Barnaba edoctus esset Theophilus: sed existimat eum magis in fide confirmandum, si videat Lucam cum illis consentire. Græcum rectè verti posset, vt recognoscas: pro veritate, in Græco est ἐσφάλεια quod firmitatem seu securitatem significat. Syrus rectè vertit *veritatem*, & ita vertendum esse Beza alijq; contendunt, contra suos Symmistas.

VERSVS 5.

Fuit in diebus Herodis, regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor illius, de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth.

QVÆSTIO I.

Quo tempore hæc facta?

5.1. GEnus Ioannis Baptistæ recensetur, & tempus. Regum nominibus signare tempora, non modo sacris Scriptoribus, vt Isaiæ, Ieremiæ, Ezechieli, Danieli, Oseæ, aliisq; initio librorum suorum, visum fuit: sed etiam Matthæo, & Lucæ. Hinc olim etiam acta Ecclesiastica Consulum nominibus consignabant. Historiam itaq; Lucas orditur à temporis signaturâ. *In diebus*, inquit, *Herodis*, magni scilicet, qui iam tyrannide diuturnâ, annos triginta Israelem presserat, iamq; Concilium Sanedrin, quod supremum libertatis erat refugium, aggrediebatur: cum omnibus ad interitum vergentibus, restaurator regni Dauidici concipitur. Quocirca in contemptum momentaneæ potestatis, *dies* eius dicuntur, quos breues, caducos, ærumnosos Christi regnum excipit, æternum, gloriosum, pacatum.

Etenim cum res de annis Herodis incerta sit, nec illas ferè historicus cum aliis consentiat, ipsius etiam Iosephi errorem in computando regni Herodiani tempore Baronius in apparatu annal. demonstret ac refutet. Nobis ista tantummodo certa sunt.

Primo viuo Herode natum esse Christum. Deinde ante Christi aduentum in carnem, non esse ablatum sceptrum à Tribu Iudâ, vt oraculo Iacobi Patriarchæ constat. Id quomodo factum sit, hac ratione facilè cognoscitur. Anno regni trigesimo primo Herodes sceptrum abstulit, à tribu Iudâ, non antè. Vbi duo notanda sunt. *Certa de tempore.* *Quousque sceptrum duraverit.*

Primum est, triginta annorum tyrannide sceptrum à Iudâ ablatum non esse. Alterum, posteà ablatum esse. Antè non esse ablatum sceptrum vt intelligamus: sciendum, non quasuis inclinationes, calamitatesque, imo nec aliquas breues interruptiones, seu interregna efficere, vt sublata respublica videatur. itaq; & Romani in Capitolio obsessi Camillum Dictatorem faciunt: nec ante biennium sceptrum Bohemiæ à Ferdinando fuit, quamuis pauca oppida eius imperio gubernarentur: quin & in Babilone Iudæis iudicandi potestas seruata est. Quamuis igitur tyrannide premerentur, tenebant tamen Rempublicam, & quâ poterant, Dauidicæ domus dignitatem. Deinde vt penes Iudam maneat sceptrum, non opus est, principem aut regem ex stirpe Iudæ esse, sed vel penes optimates, vel populum, vel duces & reges, ius Reipublicæ esse sat est. Neque enim Imperium Romanum interiit, cum lege Regiâ vniuersa potestas est ad Cæsarem delata. Nos quidem ex linguæ latinæ vsu, cum sceptrum audimus, & σκῆπτρον, & σκηπτοῦχος, mox βασιλέας & reges imaginamur, non ita Hebræi, quibus שבט Schebet, non modo est *virga*, *sceptrum*: sed etiam φύλη, *tribus*. ita ibidem Iacob loquitur Gen. 49. 16. imo Septuaginta facilè centies ita vertunt. Tribum autem eam significat, quæ Respublica aut pars eius est, in qua ius gubernationis consilii, magistratus, vel absolutam, vel participatam sit. Quin Septuaginta δῆμον num. 18. 2. πόλιν Deuteronom. 12. 14. & Deuteronom. 1. 15 κεφὴν iudicem appellant. itaque sceptrum non auferri, est manere Rempublicam, in qua iudicandi, eligendi principis, consultandique sit potestas, eam vero post Pompeij victoriam, & Herodis tyrannidem permansisse eorundem Iudæorum confessione, & probâ historiâ constat. Natus est enim Christus Olympiad. 194. anno secundo plurimorum consensu, Herodis anno trigesimo primo, vel trigesimo secundo, itaque conceptus anno primo eiusdem Olympiad. quarum initium ætate erat, & Herodis, vel trigesimo, vel trigesimo primo. At ille trigesimo primo anno sustulit omnino sceptrum, aut sane non ante. Erat illud Concilium magnum, nempe Sanedrin septuaginta duorũ virorum, in deserto constitutorum Num. 11. de eius potestate Ioseph. l. 14. c. 17. antiq. vbi Herodem nondum regem citant. Mansit ea libertas vsq; in hunc annum, quo sacramentum Herodi dicere coacti sunt, nec fecêre tamen omnes, sex enim Pharisæorum millia id detrectarunt, vt Iosephus habet libro 17. antiq. cap. 3. Nec eos tamen idcirco homo, ex ambitione sæuissimus, in filios quoq; cruentus, occidere ausus est, sed pecuniâ multauit: nec defuit tamẽ eis præsidium: multam enim pro illis soluit vxor Pheroræ, qui frater Herodis erat, non verita iram tyranni, cuius tamen liberis cum regnum promitterent gratius sunt puniti, necatis vaticinij auctoribus, sparsa autem fama erat ex Dauidis stirpe regem natum. Tum vero & Sanedrin quod ex optimatibus constabat deleuit: licet ante quoque in eosdem iudices crudelis fuisset, & maximas cædes fecit, concilium vero illud ex proselytis suffecit: vt habet liber Philoni tributus. Eusebius anno trigesimo primo id factum refert. Cum enim anno vigesimo sexto in cognatos sæuus fuisset, anno 31. Chronici refert Euseb. ἡρώδης πρὸς ταῖς πολλαῖς τῶν συγγενῶν φιλοτονίαις ἀναιρεῖ Σαλώμης τῆς ἰδίας ἀδελφῆς. *Ante natũ Christum non est ablatum sceptrum.* *Supremũ ius in Concilio Sanedrin.* *Nondũ rex erat Herodes, sed Hircanus.* *Herodis cõstricta metu potẽtia.* *Sæuit in deos & pios Herodes.*

ἀδελφῆς τὴν ἄνδρα. Τὴμαντῶ ἦ ἀλῶ ἑτέρᾳ, καὶ τὰτην προσιᾶθησι. πρὸς ᾗ, καὶ τὰς ὑφηγητὰς τῶν ἱερῶν νόμων, καὶ τὰς τῶν πατρίων ζηλωτὰς ἀπέκτεινε. *Herodes ad ea, quæ supra crudeliter gesserat, etiam hoc addidit: Virum sororis suæ Salomæ interfecit: & quum eam alii tradidissent vxorem, etiam hunc necat. Scribas quoque & qui sacrarum legum & patriorum institutorum zelum habent, occidit.*

Hæc Iosephus omisit, Eusebius recensuit. vt facile appareat Herodem hactenus ita imperasse, vt Iudæi tamen vtcunq; dignitatem tuerentur, nec legitimum eum Dominum agnoscerent: nam vsq; ad annum 26. adhuc ex veteri familiâ supererant.

QVÆSTIO II.

Quod genus & officium Zachariæ?

Diuisio sacerdotum in partes.

§. 1. TAm ipse, quam vxor eius erat ex genere Aaronis. Ex familiâ Abiæ. 1. Par. 24. 3. Dauid, Sadoc sacerdos ex stirpe Eleazari, & Achimelech ex familiâ Ithamar in 24. tribus seu vices, diuidunt sacerdotes, ne æmulationes, & confusio nasceretur. Eleazari posteri sedecim, Ithamaris octo, in partes distributi sunt. Statio Abianæ familiæ octaua erat, ibidem v. 10.

Sortium imminutio.

Nehemiæ 12. 17. etiam sors Abiæ refertur loco decimo. Verum alia ibi nomina sunt, & sortes tantum viginti recensentur, vel quod familiæ defecerint, vel quod redire neglexerint, aut sane in eam paucitatem redactæ fuerint, vt plures in vnam sortem contribuendæ essent. Postea tamen crescente numero iterum 24. sortes fuerunt.

Sortis ministerium octo dierum fuit. Iosephus rationem sortiendi notauit.

§. 2. Vices noster vocat ἐφημερείαν diuinam vicem, seu sortem; Hebræi vocant פְּקוּדָה Pekudà *statutum ordinatum*, & מִחְלֹקֶת *mechaluk*, quasi diuisionem: Syrus habet תשמישתא רבית אבוהי *de ministerio, seu statione domus Abia.* Aliquot autem dies continebat illa ἐφημερεία, ex 4. reg. 11. v. 6. 7. 9. constat octo dies fuisse, & 2. Paral. 23 8. Consentiunt etiam Iosephus, Ambros. Euthym. Theophylact. sed Iosephi, vt qui omnia illa vidit, satis esse testimonium potest, vt qui non modo viderit, sed quotidie viderit, vt qui Ierosolymis natus & educatus, ea narret, quæ omnibus Iudæis nota erant. Is lib. 7. antiq. cap. 11. ita describit.

„ [Hos (Leuitas) diuisit in cognationes, & separatis à
„ reliqua tribu sacerdotibus, viginti quatuor eorum
„ cognationes inuenit: ex Eleazari familiâ sexdecim,
„ ex Ithamari octo. Instituitq; vt vna cognatio minis-
„ traret Deo per dies octo, à Sabbatho vsq; Sabba-
„ thum: atq; ita sortitio facta est omnium cognatio-
„ num in præsentiâ Dauidis & Sadoci ac Abiathari Pō-
„ tificum, & omnium Principum. & cuius prima sors
„ exiit, descripta est cognatio prima. & post hanc secun-
„ da, deincepsq; vsq; vigesimam quartam: quæ qui-
dem diuisio durat vsq; in hodiernum diem.] Ex

Quando Iosephus scripsit.

quo loco apparet, eum antiquitates vel scripsisse matutius, quàm cum Romæ habitaret: vel cum ait, *vsq; ad hodiernum diem*, proximum tempus intelligere. Tum enim euersum erat templum, cum Romæ Iosephus ageret.

Ioannes ex familiâ splendida, ne vt vilis ad testimonium non admitteretur.

§. 3. Cur tam accurate Zachariæ nobilitatem recenseat, causa est, quia qui de re grauissimâ, mundi salute, & de rege totius vniuersi testimonium, dicturus erat, nec tamen miraculum facturus, vllum illi non modo ex conceptus, & natiuitatis miraculo, sed etiam ex genere auctoritas concilianda fuit. Nobilem habere præcursorem Christus debuit, & præcursorem sacerdotem. nouus sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Si enim vel ex ignota, vel paupere domo desertum tanta austeritate incoluisset, forte contemptui habuissent ieiunia, & miseræ necessitatis, non laudandæ voluntaris esse iudicassent. At postquam animaduertunt, puerum summæ indolis, summo genere, vnicum filium, senectutis parentum, eaq; re carissimum. spretis deliciis, & sacerdotij honoribus melle syluestri, & locustis vitam tolerare. magni aliquid agi credere debuerunt. Nec igitur accusandæ nunc illæ sunt Ecclesiæ, quæ non nisi de nobilitate Clerum legunt, modò in ipsa nobilitate virtutis, non imaginum duntaxat rationem deant: Etsi enim

Ecclesia non temere in ordinandis.

Fortes creantur fortibus:

sunt tamen non rarò

Heroum filii noxæ.

& interdum nobilium magis monopolia, quam vocationes.

VERSVS 6.

Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querelâ.

Ἦσαν ᾗ δίκαιοι ἀμφότεροι ἐνώπιον Θεῦ, πορεύομενοι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς, καὶ δικαιώμασι κύριε ἀμέμπτοι.

QVÆSTIO I.

Verènе iusti fuerint?

§. 1. DVo contrarij ex hoc loco errores nati sunt. Pelagius enim & Cœlestius apud Augustin. lib. de perfect. Institut. cap. 17. & lib. de gratia Christi cap 48. Epistol. 59. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 13. contendebant sine vllo peccato esse homines. Hunc enim eos locum vrsisse constat ex Epistolâ quinq; Episcoporum Aurelij, Alypij, Augustini, Euodij, Possidij. & Innocentium Pontificem. *Illud vero, quod dicunt, posse hominem esse sine peccato, & mandata Dei facilè custodire, si velit, quamuis quum hoc per adiutorium gratiæ, quæ tamen per incarnationem vnigeniti eius reuelata, atque donata est, dicitur, tolerabilius dici videatur, tamen quoniam non immeritò mouere potest, vbi & quando per eandem gratiam id efficiatur in nobis, vt sine vllo prorsus peccato simus, (vtrum in hac vita: quando caro concupiscit aduersus spiritum, an vero in illâ, quum fiet sermo qui scriptus est, vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus? aculeus enim mortis, peccatum est) diligentius pertractandum propter alios quosdam, qui senserunt, atque in suis litteris memoriæ mandauerunt, etiam in hac vita esse posse hominem sine peccato, non ab initio natiuitatis suæ, sed conuersione à peccatis ad iustitiam, & à vitâ reprobâ ad bonam vitam. Sic enim intellexerunt, quod de Zacharia & Elizabeth scriptum est, ambulasse eos in omnibus iustificationibus Domini sine querela. Hoc, quod dictum est, sine querela, sine peccato dictum acceperunt, non quidem negantes, imo etiam (quod aliis locis in litteris eorum inuenitur) piè confitentes, adiutorium gratiæ Domini nostri, non per naturalem spiritum hominis, sed per principalem spiritum Dei. Qui parum videntur considerasse, ipsum Zachariam fuisse vtique sacerdotem. Omnes autem tunc sacerdotes, necesse habebant ex lege Dei primitus pro peccatis suis offerre sacrificium, deinde pro populi.*

Ita illi tempore Concilij Mileuitani 2. Pelagianos quidem Augustinus & Concilia illa satis refutarunt, Iustos fuisse, fuisse sine querelâ, non sine peccato, de gratiâ Christi cap. 48. *Dictum enim est, quantum mihi videtur, secundum quandam inter homines conuersationē probabilem atq; laudabilem, quam nullus hominum iustè possit accusare in accusationis & criminationis querelam vocare. Quam ob propterea in Dei conspectu Zacharias & eius vxor habiti referuntur, quia in ea homines nulla dissimulatione fuisse bant: sed vt apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei,*

Non

Non autem dictum est hoc secundum illam perfectionem iustitiæ, in quâ verè atq; omnimodo immaculati perfectiq; viuerent. Itaq; verè iusti erant, sed verè tamen peccatores, quod de perfectione iustitiæ multa deessent.

Et de perfectione iustitiæ c. 17. *Quomodo autem intelligendum sit quod dicitur, sine querelâ, iam suprà satis, quantum opinor, ostendimus. Et beatus*, inquit, *Apostolus ait, vt simus sancti, & immaculati in conspectu eius. Hoc agitur, vt hoc simus: si immaculati intelligendi sunt, qui omnino sine peccato sunt. Si autem immaculati sunt, qui sunt sine crimine, etiam in hac vita fuisse, atque esse negare non possumus: quia non ideo sine vllo peccato est aliquis, quoniam non habet maculam criminis.*

§. 2. Ambrosium, Augustinum, Bellarminum accusat Pareus li. 1. c. 6. de amissione gratiæ & statu peccati. Primo Pelagianos errorem suum ex Ambrosio firmasse. Deinde Ambrosio fidem abrogat. *Est hic natus non leuis tanti Episcopi: cuiusmodi in omnium Patrum commentarijs plurimi reperiuntur, quos notamus, non vt patrum verenda detegamus, naues exagitemus, sed vt sophistas refundamus, qui Patrum commentarios pro normâ fidei obtrudere conantur:* ita ipse, sed in ventos fumum effundit. Nemo scripta Patrum pro fidei normâ habet.

Bellarminum vero reprehendit, quod Ambrosium malè interpretetur, quasi dicat fieri posse, vt inter homines sine querelâ versetur, non coram Deo.

§. 3. Vt res perspicuè intelligatur, sciendum est, primariam fuisse quæstionem, an homo potuerit sine peccato viuere suis viribus, sine gratiæ adiutorio: hoc enim monent in Epistolâ quoq; Episcopi.

Ambrosius contra eos agit, *qui peccatis suis solacia nefarientes, dicunt: sine frequentibus peccatis hominem esse non posse.* deinde ait, *se illis consentire non posse, qui neganeum, qui se correxerit, abstinere non posse.* Hoc tamen negatiuâ ait fieri non posse.

Augustinus Ambrosium defendit. Primo. Hoc negandum non esse, si hoc velit Deus, apud quem omnia sunt possibilia. Deinde respondet, vt paulò ante citauit.

Denique opponit Ambrosij in Isaiam illa verba: *Perfectos*, inquit, *secum multos ait Apostolus in illo adhuc mundo fitos; qui si ad perfectionem veram respicias, perfecti esse non poterant. Quia ipse dixit: videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. ita & immaculati sunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei, cum vtique, si minutius excutias, immaculatus esse nemo possit, quia nemo sine peccato.* Ex quo apparet, quæ mens sit Ambrosij, sine peccatis iustitiam tolerabilem esse iustos posse: at sine peccatis omnino, si minutius excutias, neminem esse.

Deinde excusat Ambrosium: *Illud ergo Sancti Ambrosij testimonium, quo prosuâ sententiâ Pelagius vtitur, aut secundum quendam modum dictum est, probabilem quidem, sed non minutius excussum: aut certè si ille vir sanctus atque humilis Zachariam & Elizabeth summæ atque animo perfectæ iustitiæ, cui nihil addi iam posset, fuisse existimauit, profectò sententiam suam minutius excutiendo correxit.*

Quo vero tempore hæc vel illa scripserit, non est dubium Augustino notum fuisse.

Non autem video cur Ambrosius male dixerit, immaculatos esse, & sine peccato. Cum eadem phrasi scriptura vtatur, cum alio loco sese explicet. Multo minus est verum, nos Patrum scripta normam fidei constituere: quâ de re aliàs dictum est.

§. 4. Atq; hic primus error est. Alter nostrorum sectatorum. Non esse vllum reuera iustum, sed imputatione tantum, & inchoatione. ita Pareus lib. 1. cap. 6. de amissione gratiæ, & statu peccati. [Tutius igitur dicendum fuisse, iusti & inculpati coram Deo & hominibus, non absolutè (hoc enim lapsus & error vtriusque eodem capite redarguit) sed imputatione iustitiæ per fidem Messiæ, quia credebant, Messiam redempturum esse populum suum ab omnibus peccatis suis: & inchoatione:] Suos enim quamuis omni turpitudinum genere contaminatissimos, iustos esse iactant, non imputatione scelerum, sed etiam inchoatione sanctitatis.

Negant vllum esse iustum.

Contradicit illa interpretatio veteribus omnibus. Orig. hom. Ambr. hoc loco. Gregor. l. 35. Augustino locis citatis. Contraria est textui: non enim ideo iustos Lucas dicit, quod scelera peccantibus non imputarentur: sed incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus. Deniq; repugnat Caluino. Qui simpliciter, inquit, exponunt Zachariam & Elizabeth fide iustos fuisse, quia gratis Deo propter Mediatorem placuerint: in alienum sensum torquent Lucæ verba.

Zacharias nõ ideo iustus, quod scelera haberet impunia.

Et Aretius. [Iusti sunt, quia Deo tribuunt, quod Dei est, & proximo ordinariam dilectionem: neminem offendunt. Id enim est iustitiæ proprium. *Et paulo post.* Et quomodo iusti fuerunt coram Domino apertiùs explicat, cum dicit, πορευόμενοι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς, καὶ δικαιώμασι κυρίου. *Ambulantes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini.* Significat externam vitam maculâ & culpâ vacasse, nec in ore habuere iustitiam, vt nostri hodie, μέχρι τῶν λόγων δίκαιοι: sed in opera, in actionibus ipsis, reluxit iustitia, quod est, πορεύεσθαι, significat viuam actionem & operationem secundum iustitiæ regulam.]

Aliter non solâ imputatione iustos putat.

Verbalis iustitia calūnia.

Non ergo est tantum imputatiua, sed vera iustitia, viua, vegeta, actuosa, legum obseruatrix, non sine metu præuaricatrix.

§ 5. Quod vero Pareus addit *inchoationem iustitiæ*, Aretius, *conatum probandi se Deo.* Et Caluinus vero ait vitam eorum testari, eos addictos esse Deo. Impiam, planeque Epicuream licentiam continet. Omnibus enim flagitijs iusti illi succumbunt iuxta eorum placita, & solum inualido conatu resistunt voluntati efficaci, quâ scelus admittunt: eâque optatione se iustos inchoatione arbitrantur. Impiè Deum ludibrio habentes: dum scortantur, adulterant, blasphemant, furantur, occidunt, quia tamen Deo addictos se putant, peccata negant imputari. Sic iustos esse Zachariam & Elisabetham homines reformatores dicunt. Atque hoc est illis, *in omnibus mandatis & iustificationibus incedere.* Non sic intelligere Augustinum constat ex cap. 9. libro 1. de perfect. iustitiæ. *Ingredi*, inquit, *autem sine maculâ, non absurdè etiam ille dicitur, non qui tam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.* Nec venialia facit ex non imputatione, quia mundatur eleemosynis. Deinde ipsa damnabilia etiam ad non imputationem pertinent, & fiunt venialia. Nec contra est, quod ait Augustinus. *Ingressum quippe, hoc est, iter nostrum, quo tendimus ad perfectionem munda mandat oratio. Munda est autem oratio, Vbi veraciter dicitur, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus: vt dum non reprehenditur, quod non imputatur, sine reprehensione, hoc est, sine maculâ noster ad perfectionem cursus habeatur, in quâ perfectione cum ad eam peruenerimus, iam non sit omnino, quod ignoscendo mundetur.* Nam Augustinus, non intelligit non imputationem eam, qua manentis peccati fœditas obducetur, sed qua ignoscendo mundetur, vt ex verbis eius constat.

Verba dubia impiã sententiam continent.

Iustus sine damnabilibus peccatis.

At est aliud esse immaculatum, aliud desiderare esse immaculatum. Lege verba Bellarmini, & Augustini, euanescet

Desiderium esse iustos facit.

scet improba canillatio. Non quodlibet desiderium efficit immaculatas, sed desiderium irreprehensibiliter currentium sine damnabilibus, venialia mundantium. Hoc constat sanctitate secundum quid, seu partibus non gradibus spectâ, quæ est initium obedientiæ, quæ opponitur hypocrisi. Hoc tamen discrimine. Quod Augustiniani immaculati nullum damnabile habent peccatum, hoc est, cuius grauitate dãnari meritò possint, aut id si habeant, sancti esse desinant. Immaculati Caluiniani in horrendis lapsibus, adulteriis, homicidiis sint non modo immaculati, sed ẽt *integrè beatificati*, nam sunt immaculati imputatione, at imputatio (vt aduersarius in Ro. 4. dub. 5.) *iustitiæ testante Apostol. ex Dauide: non est partialis, sed integra beatificatio: ac remisio peccatorũ est iustitiæ imputatio, vt patet ex æquipollẽtibus Pauli.* Sed porro accusatorem Bellarm. audiamus: *Inchoatione perfectos*, ait aduersarius: *Quia student cauere oẽm maculam, & in spiunt immaculatè viuere coram Deo: Qui habet hanc spem in eo, purificat se, sicut ipse purus est.* Hęc verba Parei: at verba Bellar. *Quia cupiunt, ac studeant nullas contrahere maculas, & si quas contrahunt, continuò eas per orationem tergunt.* Nonne ergo accusando defendit Cardinalem.

Immaculati Caluiniani.

Venialis maculacaritatem nõ excludit.

Nec difficulter ex D. Aug. defenditur D. Th. Peccato est sua macula, etiam veniali, verum non illa quę animam Deo faciat abominabilem, inducat deformitatem damnabilem, exstinguat gratiam. Nævus est, sed quo cum supercælestis pulchritudinis fulgor perseuerat. Disertis enim verbis D. Tho. eam maculam negat, *quæ diminuat vel expellat habitum virtutum. Illam quæ nitorem ex actibus virtutum impediat, concedit.* Beza in adulterio dicit manere habitus virtutum, sicut ratio manet in ebrio, φ absurdum est. Sic aduersario nostro in omni facinorum atrocitate manet habitus fidei & charitatis. Sed D. Thomę solum in venialibus manet charitas, infidelitate excutitur fidei habitus.

Sine querela.

§. 6. De querela Dei vel hominum intelligi potest, quamuis hic vtroq; modo sunt ἀμεμπτοι, non vt nulla, sed vt non grauia, & mortalia peccata habeant. Hoc ipso autem, quod dicit Euangelista ἐνώπιον Θεῦ *in conspectu Dei*, seu vt Hebr. loquitur בעיני יהוה *beghene Iehoua*, satis datur intelligi, ne cui hominum iustam offensiæ ab illis datam occasionem. De hoc loco videtur August. ep 95. & l. 2. de peccatorum merit. & remiss. c. 13.

Coram Deo.

Mandata & iustificationes.

§. 7. Mandata ἐντολὰς appellãt ferè moralia: δικαιώματα cærimonias, & iudicia: itaq; non verbo omnia mãdata intelliguntur. Solẽt seorsum etiam poni tam κείμενα, quæ ideo Beza omitti censet, quod iudicia penes Romanos essent: verum Herodes M. viuebat, & priuatim in vrbibus iudicia plurima ab ipsis exercebantur Iudæis. Interim Beza δικαιώματα vocat *constitutiones, ne iustitiam ex fide posset quispiam calumniari.* Cur vero, si illi incedunt in iustificationibus, calumniam fides patietur? an timent, nẽ qui iam credebant, per opera fidei iustificentur amplius? At certè illi iusti erant ex fide, & ambulando in iustificationibus, & vt ipse Beza fatetur. *Qui est*

Romani hoc tempore nondum omnia iudicabant.

Integer vitæ, scelerisq; purus.

Fide operãte per caritatem iusti sunt.

quo sequitur mandata seruari posse: nec onus importabile nobis imponi, cum vitam ad Dei legem conformare iubemur.

Vni Deo & Zacharias, & Ioannes seruiuit.

§. 8. Egregiæ Irenæus ex iustitia Zachariæ probat vnum noui & veteris Testamenti Deum esse. *Lucas 4. sectator, & discipulus Apostolorum, de Zacharia, & Elizabeth, ex quibus secundum repromissionem Dei Ioannes natus est, referens ait. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustitiis Domini sine querelâ. Et iterum de Zachariâ dicens. Factum est autem cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiuit, vt incensum poneret, & veniens vt sacrificaret, intrans in templum Domini. Qui præest in conspectu Domini, simpliciter, & absolutè, & summè Deum Dominum constituens, ex sua persona eum qui elegerit ipse lens, & legislationem, sacerdotii fecerit, cuius est & Angelus Gabriel. Etenim alterum super hunc nesciebat sanctum perfectioris alicuius Dei & Dominator esset, non vtique hunc quem sciebat labus esse fructum, absolutè, & in totum Dominum & Deum confiteretur, sicut antè ostendimus.*

VERSVS 8. 9.

Factum est autem: cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit vt incensum poneret, ingressus in templum Domini.

QVÆSTIO I.

Quale incensum obtulerit Zacharias?

§. 1. NOnnulli, vt Beda, de sortitione quâ Daniel ordines constituit, ita intelligunt: verum familiarum erat sortitio, cum in eâdem familia vero esset turba copiosa sacerdotum, interdum supra Septuaginta, necesse erat sortitò eum legi, qui poneret incensum, quod vnius solius erat munus. Nunc igitur Deus suo nutu sortes dirigit, vt in Zachariam incidant. Ridiculus Erasmus, qui vertit *sortiri bonum nit*, quod sortiri putaret id non significare, cum vbiq; tissimè dicatur: *sortitus amicum, animam bonam, legio sortita periculum.* & eodem modo λαγχάνειν apud Græcos: *μοίρης ἔλαχον, sortiti fatum.* Magis ridiculus Beza, qui vertit sortitus est, munus sustitus faciendi, vel θυμιάσαι melius exprimatur per particulam vt Syrus, *accidit vt componeret incensum.* Quamuis enim Deo nihil accidere possit, casu tamen fieri videbatur illis, qui sortem considerabant.

§. 2. Quale incensum illud fuerit, controuertunt. Qui Zachariam die festo expiationis in sancta Sanctorum putant ingressum, summum illum Pontificem faciunt, ac solenne illud sacrificium arbitrantur. Nec ignobiles id senserunt auctores: summum qui tamen magis affectu quodam erga Ioannem, quam firmâ ratione nituntur. Multitudinem populi allegant, quæ non nisi in annuo illo sacrificio fuisse videtur: deinde quia solus erat Zacharias, nullus cum eo Sacerdos.

Multitudinem populi indicat fateor, sed non eam, quæ non quotidie esse posset. Vbs erat populosissima, veniebant eo ex omni orbe Iudæi religiosi, & de gentibus Deum colentibus non pauci. Cum igitur vnum esset templum, cum tot millia Pharisæorum, qui in angulis platearum orabant, non orarent in templo, tantâ hypocriseos mercede, & gloriæ theatro? Quod si dies quâ incensum ille posuit, neomeniæ, vel sabbati fuit, non est dubium ingentem multitudinem affluxisse. Forte & vini fama nonnullos adduxit, cum constaret vices ei sortito datas.

§. 3. Solitudo etiam eum fuisse summum Sacerdotem non conuincit. Solus enim erat, ministerium gredi nullus poterat, Sacerdotibus solus aditus patebat, Sacerdotem alium comitatum, si quis illeat causam nullam dare poterat; vnus enim incensum ponebat; non dubito tempore quod antecessit, quod q; sequebatur fuisse in templo interiore Sacerdotes, non tamen incensi tempore. Signat enim illa solitudo vnum mediatorem Iesum Christum, qui pro nobis ingressurus erat sancta, non manu fa-

cta, cuius merito Deus quotidie exorabitur, cuius typus erat sacerdos vnus, solus thymiama accendens.

§. 4. Qui Pontificem summum fuisse negant, varias habent causas, non omnes firmas.

Primo negant, summi Pontificis fuisse munus, incensum offerre: sed intrare in sancta sanctorum. Exod. 30. 10. Leuitic. 16. 2. Hebr. 9. 7. Infirma tamen est ratio. Poterat enim etiam alia sacrificia Pontifex offerre. Intrare sancta sanctorum soli licebat, offerre incensum non vetabatur; credibile est pios Pontifices crebro Deo sacrificia obtulisse.

Secundo, Angelum stetisse ad dextram Altaris incensi, in eo ergo thymiama oblatum. Nec hoc ad rem: egresso enim ex sanctis sanctorum apparere potuit, vel etiam ingressuro.

Tertio. Melior ratio, quod Lucas de eo, vt priuato, vel vno de multis loquatur: ἱερέυς τις, *quidam Sacerdos*, non ἀρχιερεὺς, aut μέγας ἱερεὺς. Et Syrus *Sacerdos vnus*. Mihi certissima ratio videtur, quod summus Pontifex Ierosolymis resideret, Zacharias in montanis Iudæ habitaret. Etenim exemplum nullum occurrit, quo ostendatur alio in loco Pontificem habitasse. Certè Heli cum tabernaculo habitat, pariterq; Abiathar, ac cæteri. Itaq; Ierosolymis domum habebant, ordines venientium dirigebant, iudicabāt, regibus aderant. Qui ex tempore festi expiationis argumentantur, probabile argumentum habent, sed eius expositio ad Exodum pertinet.

§. 5. Notandum est etiam illud, ordinem in Ecclesia cæremoniarum aliter, atq; aliter institui, formarique posse. Dauid cum Sacerdotibus, vices, quæ ante nullæ erant, constituit. Vni Sacerdoti in singulos annos hebdomades dantur duæ. Id planè nouum erat: non ex præscripto legis, non contra legem tamen. Frustra igitur est Caluinus cùm ait, *nihil nisi ex præscripto legis egisse*. Nulla lex ordinem nulla vacationem annuam dedit, duarum hebdomadarum labore contenta.

VERSVS 11.

Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris Altaris incensi.

QVÆSTIO I.

Quomodo apparuit Angelus?

§. 1. Falsum est, quod refert Epiphanius hæresi 25. quosdam ex apocrypho Zachariæ libro dixisse: *Et monstrum quoddam apparuisse asinino capite.* Quam fabulam à gentilibus acceptam non dubito, qui Iudæos asini caput adorare fabulati sunt. Forma igitur viri apparuit, quemadmodum Danieli, quem ille idcirco etiam virum appellat. Dan. 3. 49. & Genes. 19. 1.

Dæmonum proprium est monstrorum specie apparere. Non quod non alia malint, quâ facilius se insinuare queant, sed quod Deus nolit. Origenes quidem etiam ante adfuisse asserit, nunc autem cum videri voluit, accepisse formam humanam, quia non dicitur ἰδόντα, sed ὀφθὲν visus est, sic etiam est Syriacè ואתחזי *Vethchezi, & visus est*, vbi pro relatiuo *Illi* more Hebræo repetit nomen, & dicit, *ipsi Zachariæ*. Sed constat hæc confundi, Angelus Gabriel ait, *semissum à Deo*, quo satis constare videtur ante non fuisse in templo: quamuis missio non necessario absentiam designat: satis est namq; effectum edere, & negocium mittentis voluntate de nouo perficere. Sic Spiritus cum mitti dicitur, non tamen locum mutat, sed id operatur, quod in loco, in quo ante erat, nouum est.

§. 2. Mittendi causa fuit, vt omnibus constaret, non humana virtute, non ordinario cursu naturæ, sed nouo miraculo prolem esse nasciturum. Duæ erant ἀπορίαι orbitatisque causæ. Sterilitas Elisabethæ, quæ iam vbique nota erat, ita vt vocaretur *Sterilis*. Deinde vtriusque senecta, quæ etiam, fœcundorum in constanti ætate, sterile scere assolet. Consule August. serm. 20. de Sanctis. Maximum homil. 3. de Baptistâ.

VERSVS 12.

Et Zacharias turbatus est, videns: & timor irruit super eum.

QVÆSTIO I.

Cur turbatus est?

§. 1. VEhementem perturbationē textus indicat, ἐταράχθη, turbatus est, & timor irruit super eum. Adeo vt toto corpore paueret, ac tremeret. Causam timoris naturalem fuisse non est quod dubitemus. *Perturbamur enim, & à nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicuius superioris potestatis occursu.* Quemadmodum autem Genes. 1. 28. Deus homini dedit imperium, in animantia. Ideoque etiam post peccatum Genes. 9. 2. manet terror noster, ac tremor super cuncta animantia terræ: quia homo maiore dignitate animal est, propter quem alia sunt creata: pari ratione ex Dei apparitione oritur reuerentia ac timor, quia summum dominium in subditos terrorem efficit.

Causa turbationis ex præsentiâ Angeli.

Reuerentia Dei ex præsentiâ.

Eoque maior, quod ille absolutus sit omnibus in rebus Dominus, nostrum in animalia ius imperfectum, potestas imbecillis. Est etiam inter animalia hoc discrimen. Quæ enim firmioris naturæ sunt, aliorumq; domina, ab eis in quæ possunt, vehementer timentur. Sic omnia leonem, & suum quæq; aduersarium formidant. Ita se res inter hominum, & spirituum naturas habent. Spiritus enim cum fortis sit, velox, acer, nulla corporum impedimenta moretur, omnia nostra videat, nos è contrario imbecilles, tardi, nihil nisi corporeum sensibus percipientes, naturalis est in illis vis, ac robur, quo nobis pro arbitrio vti, seruare ac perdere valent. Si igitur Angeli in puris naturalibus, aut in viâ, fidem habentes, inter nos versarentur, naturâ magnum metum incuterent, vt quorum in potestate omnia nostra tenerentur. Hanc naturæ eminentiam, quæq; inde consequitur reuerentiam & metum naturæ inferioris, nec gloria in bonis Angelis minuit, nec in malis damnatio abstulit. Naturalia enim pœna non destruxit. Hinc manet idem terror etiam Sanctis, Deiq; amicis. vt in Daniele cap. 10. Cui sententiæ consentiunt Hiero. Orig. Chrys. D. Thom.

Imbecillior metuit fortiorem.

Sancti etiam Angelostiment.

§. 2. Metus Angelorum, ac generatim omnium Spirituum, tria ingentia habet, eaq; perpetua commoda. Primum est, vt debitam Deo reuerentiam conciliet, ne eo modo, quo gentes cum deo stris suis consueuerunt, agamus. Ideo enim in monte Sinai tam magno terrore concussit populum suum, *vt terror illius esset in eis, & non peccarent.*

Vtilitas ex reuerentiâ Dei.

Alterum est, vt cum incredulos, impiosq; terrent spectra, dæmonesq; affligunt, credant esse Deum, esse aliquid manes, non omnia finire rogum: tollaturq;

Terror dæmonum contra Atheismum.

antiquissima, & vulgatissima incredulitatis species, Atheismus, Saduceismus, Epicurismus. itaq; Exod. 10.21. tanquam pœnâ grauissimâ, tenebris & spectris Ægyptios Deus afflixit. Tenebræ enim plenæ spectris erant, quorum *formidine deficiebant*, vt Sap.c.17. copiosè describitur.

Superbia aduersùm spectra & infirma.

Tertium est, vt dura impiorum arrogantia, contumaciaq; frangatur, cum enim ad terriculamenta ventum est, videas ingentes Heroas, qui diui haberi voluerunt, concidere.

Pauentes horrendè, & cum admiratione nimiâ perturbati. Sapient. 17.3. *Sonitus descendens, personæ tristes pauorem præstant.* v. 4. *monstrorum exagitantur timore.* v.14. Legimus autem crudelissimos, & superbissimos tyrannos spectra semper infirmissimè exhorruisse.

Spectra apud gentes plurima.

Ridicula porro superbia est, & magnanimitatis iactatio, quam laruæ, & voces ita consternatam reddunt, vt nec mente satis, nec corpore consistat. Hinc crebri fuere etiam inter gentes spectrorum terrores. Plin. lib. 7. Epistola 27. Athenis fuisse ædes, in quibus vmbra ingens, & macilenta, stridore catenarum ædes replebat. de spectris montis Cuzenæ vide Cedrenum, Curopalaten, Plutarch. de Pausaniâ, Dione. Suetonium, de Caligulâ, Nerone, Othone. Alexandrum ab Alexandr. lib. 5. genial. dierum cap. 23. Hęc ergo spirituum dominia à naturę pręstantiâ sunt, quâ tamen non nisi Dei nutu possunt vti. Atque hinc omnis ille terror etiam in sanctis, fortibusq; oritur.

§. 3. Angelorum autem bonorum est, timentes confirmare, ac consolari, vt Gabriel apud Danielem, & hoc loco. Hoc discrimen boni & mali Angeli sancti Patres tradunt. Athanasius in vita sancti Antonij. *Ne timeas*, inquit. Spiritus autem damnatos instare, ac geminare pauorem. Cuius rei causa est, quod non modo molestiam creare quocunq; modo, & nocere desiderent, sed etiam timeri gaudeant: est enim hoc, vt videtur, superioris, atq; adeo dominantis. Hoc vt commune est, ita non dubito, quin crebro se dæmon mutet in Angelum lucis, & verba lenia, consolatoria, atq; adeo angelica, tamen mente diabolicâ promat.

Dæmõ territus magis terret.

VERSVS 13.

Ait autem ad illum Angelus, Ne timeas Zacharia, quoniã exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.

QVÆSTIO I.

Quæ Oratio Zachariæ est exaudita?

Quid Zacharias oraris.

§. 1. QVam Zachariæ exauditam Angelus orationem denunciet, non est adeò facilè consideranti constituere, quam primâ fronte videtur. Etenim cum mox subiungat: *Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filium.* Sine interpretatione pleniq; intelligunt Zachariæ orationem fuisse, qua filium peteret. Coniunctionem enim vim causæ habere existimant. ita multi recentiores. Maior tamen pars veterum, August. l. 2. qq. Euang. c. 1. Chrys. de incompreh. Dei natura. Euthym. Beda, Vincentius noster aliiq;. Zachariam pro populo, non pro filio orasse existimant.

Summi sacerdotis nota oratio.

§. 2. Si Zacharias erat Summus Pontifex, & ingrediebatur in Sancta Sanctorum, die expiationis, non est dubia eius oratio. Leuit. 16.17. præscribitur quod orandum illi sic. Iubet enim Deus: *vt roget pro se, & pro domo suâ, & pro vniuerso cœtu Israel.* Paulus ad Heb. 9.25. ostendit. vt & in reliqua Epistola præsertim cap. 7.17. non pro se modo, sed pro suis etiam *peccatis orasse.* Sed cum Pontificem Summum esse negarim, de quotidiano sacrificio seu incenso accipiendum est, quod non modo quilibet è cœtu sacerdotum, sed etiam liquando ipse summus Sacerdos ponebat. vt constat ex Dei instituto Exod. 30.6. *Et adolebit incensum super eo Aaron fragrans mane. Quando componet lucernas, vicissim adolebit illud. & quando collocauit eas ad vesperum, pret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.* vbi etiam lucernarum compositio Aaroni tribuitur, non quod illi soli id liceret, sed quod commune esset cum aliis.

§. 3. Precandi certam formam ad matutinum & vespertinum thymiama proscriptam, non inuenio: quia tamen pro toto cœtu offerebatur, populusq; *in forum* foris orabat, non est dubitandum sacerdotem thymiama adolentem pro se & populo, idq; ex officio & publicè, etiam orasse. Itaq; non sunt audiendi, qui indignum censent, publicis orationibus priuatas preces iungere. *Pro se enim & domo suâ in annuâ* comprecatione Pontifex Summus orabat. Pro se igitur & domo sua Zacharias orabat: nec tamen filium petiisse crediderim: de quo iam desperarat. Angelo enim ita respondet: vt videatur de hærede nihil cogitasse: si enim rogarat filium à Deo, non obstante sterilitate & senectutis impedimento, cur incredulus ea Angeli promissionibus obicit?

§. 4. Nec obstat, quod Angelus orationem eius exauditam denunciat, & mox sobolem promittit. Indicat enim orationem eius, quam pro suis, & populi peccatis effuderat, exauditam. Hoc confirmat duplici miraculo, quod Deus editurus erat. Primum, futurum vt sterilibus & senibus filius nascetur: hoc quia non credidit, ne spacio nouem mensium dubio teneretur, mox aliud repræsentat, & mutum effecit. Itaq; non modo ventutum Messiam, & à peccatis eos liberaturum: sed eius quoq; aliquas in mundi salute procuranda partes fore, patrem præcursoris fore denunciat. ex quo intelligeret, non longè abesse Messiam. exspectabat enimille redemptionem Israel. Quod si putet ideo certum esse, postulatum ab eo filium, quia ille promittitur, etiam consequeretur, talem filium, Domini præcursorem petisse. Quia & hoc promittitur. Si autem inter tot mala, quæ Ecclesiam premebant, liberationem rogauit, cohærenter illa de filio promissio additur, qua Messiæ aduentus predicebatur. De Messia rogasse non dubito, vt qui vir sanctus esset, petereteq; vt videret diem eius, ob ætatem vero in dies singulos migrationem suam expectaret, nec aliam sortem incensi offerendi speraret. Quare nec magnopere desiderasse filium credo, quem breui pupillum destitueret, perditissimorum temporum periculis, & corruptelis obiiciendum. Sed Dei bonitas qui plura speratis donare consueuit, & quæ petitur, & quæ non petit largiter tribuit. Vt vero id gratiæ suæ esse ostenderet: beneuolentiæ symbolum in nomine esse voluit: est enim יהוחנן *Iehauchanan* à Deo gratis donatus, aut etiam Deo gratus. Syri contrahunt, & vocant יוחנן *Iauchanan*. Nomen idem significatu, quod חגבעל Channibachal, vel vt Pœni Channibal, & latini Hannibal. Nisi quod Dei sunt diuersa nomina. Hic *Baghal, Dominus*, sibi Iehoua, quod proprium est Dei nomen.

VER-

VERSVS 14.

Et erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.

QVÆSTIO I.

Quale gaudium est exultatio?

§. 1. BEZA vertit: *& erit tibi gaudio, & exultationi.* Putat enim *nomen Ioannis ἀπὸ κοινοῦ repetendum, vt sit locus appositioni, & Hebræis, & Græcis familiari, quam Latini exprimunt tertio casu.* Mihi omnino aliter videtur: non enim hoc dicere vult; nomen Ioannis fore *gaudio, & exultationi*, sed omnia illa quæ promittit, causam gaudenti copiosam datura: horum vero tessera duntaxat, & arrhabo erat nomen Ioannis. Quin ipse textus appositionem illam dissoluit. Nam causam gaudij v. 15. adfert, *Erit enim magnus coram Domino.* Hac igitur ex causâ, non ex nomine originem exultatio ducet. Gaudium enim & exultatio non modo ex filio nato, sed tali filio erat: quod non modo in familiâ continebatur, sed ad exteros quoq; extendebatur. Non modo quia salutis doctorem nascituri erant, sed quia præcursorem, quem è vestigio Saluator sequeretur. Hoc fuisse gaudium Zachariæ ipse solutâ linguâ testatur, cum enim multa de misericordiâ Domini locutus esset, ad Ioannem conuersus: & tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius: vt ostendat se non in filio, sed Deo exultare, cuius in filio misericordiam agnoscit.

§. 2. Quâ ex oratione confirmatur id, quod ante de precibus Zachariæ dixi. Hoc enim orauit, quod impetrasse eum Angelus dicit: Hoc autem impetrauit, propter quod impetratum, Deum laudat. Quæ enim fuerint vri sanctissimi cogitationes, verba declarant, à Spiritu S. enim sunt.

§. 3. Gaudia orthodoxorum in Ioannis natiuitate ægre ad modum animo ferunt Sectarij, & vt maliciam tegant, calumnias struunt, vt zelo iustitiæ, vitia, non gaudia culpare videantur.

Calu. in hunc modum scribit. [Abusi sunt hoc loco Papistæ, vt prophanum morem inducerent in celebrando Ioannis natali. Hoc omitto, quod tripudijs & saltationibus, ac omne genus lasciuiis cornessandi licentia nimis præpostere diem colunt, quem fingunt sibi sacrum esse: imò quod magicis artibus & diabolicis præstigijs in eo sibi ludere permittunt, non secus atq; in Cereris mysteriis. In præsentia mihi breuiter ostendere sufficit, Angeli verba insulse ab illis torqueri ad annuam diei natalis lætitiam, quum simpliciter gaudium commendet Angelus quod rediturum ad omnes pios erat ex fructu doctrinæ. Gaudij enim sunt natum sibi esse Prophetam, cuius ministerio adducti sunt in spem salutis.]

Merito lasciuiam, & comessationes culpat, multoq; magis præstigias magicas. Sunt enim illa hominum, non religionis vitia, & hominum paucorum. Ecclesia flagitijs festa coli vetat, piis operationibus, & sanctorum imitatione iubet. Nec ignorat ista calumniatoi, sed fallere suos voluit. Catholici Magiam ferro & igne puniunt, Caluiniani vel non credunt esse Magos, vel artem arbitrantur. Impudens igitur mendacium est: *Papistas magicis artibus, & diabolicis præstigijs in eo sibi ludere permittere.* Nullus id permittit, omnes execrantur, magistratus punit. Non inficior in cœtu Catholicorum latere Magos: sed magis ne quiorem asseuero eum, qui cum tot rogos magis constitutos norit, communiter magiæ Papistas accusat. Non enim fides Catholica Magiam vel tolerat, vel producit, hæresi con illa fœtus est. De Simone Mago omnis historia post Scripturam testatur. Marcus, Menander, Nicolaus, Marcion. Vide Iren libro 1. cap. 21. & 24. Euseb. libro 2. histor. cap. 20. de Berengario quem Caluiniani suum agnoscunt, refert Kangiac. in Chronico. Baronius anno 1028. Serar. de magistro Caluini. Genebrard. in Chronico anno 1041. Polydor. Virg. de Zuinglio. nemo vel Lutheranus, vel Catholicus dubitare potest, cum de se ipse fateatur. Vnde magia ortum ducat, ac crescat, eruditissimus Delrio noster in Proloquio Inquisitionum exponit. [Legimus post Sarracenicam per Hispanias illuuionem, tantum inualuisse Magicam: vt cum « litterarum bonarum omnium summa ibi esset impia « & ignoratio: solæ ferme dæmoniacæ artes palam « Toleti, Hispali, & Salmanticæ docerentur. In hac « quidem ciuitate, bonarum nunc artium matre, cum « illic degerem, ostensa mihi fuit crypta profundissima « gymnasij nefandi vestigium: quam virilis animi mu- « lier Isabella Regina, Ferdinandi Catholici vxor, vix « ante annos centum cæmentis saxisq; iusserat obtura- « ri. Inuaserunt prius Bohemiam Hussitæ, postea Ger « maniam Lutherani: illos quâta maleficorum vis fue- « rit subsecuta, Sprengerius & Niderius hæreticæ pra- « uitatis quæsitores docuerunt: hi vero, quos Saga « rum torrentes in Aquilonarem tractum infuderint, « norunt, qui hoc frigore Arctoo quasi gelati, metu « torpuerũt. Vix enim illis in locis quidquam innocuũ « vel immune ab his sub humanâ specie feris, dicam « nescio, an dæmonibus. Pleriq; qui ætate prouecti- « res non in eculeo modo, sed post quæstiones quoq;, « Treuirensi in ditione, confitentur iudicibus, se hac ia- « be primum imbutos, quo tempore rerum illud & « Tartareum Lutheranismi fulcrum, ipse quoq; Magi- « cæ nomine famosus Albertus Brandeburgicus, pro- « uinciam illam flammâ ferroq; prædabũdus vastabat. « Quotquot inalpinas regiones vicinas Heluetiis in- « colunt, raras illic fœminas maleficii expertes, pleraſq; « crimine vno nobiles norunt, nec alia verior aut pro- « ptior occurrit causa, quam quod in hanc vsq; horam « Waldensium reliquiæ nefariæ, illic vt in spelæis, oc- « cultatæ hæserunt. Nihil per Angliam, Scotiam, Fran- « ciam, Belgium, hanc pestem celerius & vberius pro- « pagauit, quam dira Caluinismi lues. Antea paucis in « locis, de non multis & vilib. tantum incertus rumor « spargebatur: nunc cum ipsa hæresi, vt cum febri fu- « ror, plurimos passim & palam nobilitate, eruditione, « diuitiis & dignitate claros inuasit. Sic Behemoth in- « saturabilis, e toto iam pelago, sperat, quod Iordanis « influet in os eius, erectoq; pastus cibo ipsam Domini « sortem deuastabit.] *Sic Delrio.*

Hæresis magiæ conciliatrix.

Zuinglii magia.

Saraceni magi.

Hussum & Lutheranos secuti magi.

Treuirenses magi vnde.

Inalpinæ gentes magicæ.

Hæc cum Caluinus videret, ipse etiam Zuinglio, Bucero, aliis magis communicaret, adeo tamen vecors fuit, vt suorum scelerata cum Satanico cœtu commercia nobis impingeret. Parum erat impuro nebulom magis operam dare, nisi etiam innocentes suo crimine infamaret, quod vltimum, ac summum diaboli artificiũ. Omissis igitur de magiâ calumniis, quas præteritione in nos Magorum discipulus torquet, rationem eius examinemus, cur non sit in Ioannis annuâ natiuitatis celebritate lætandum, audiam⁹. Quia simpliciter gaudium commẽdat Angelus, quia natus sit propheta, & doctor. Aliud planè argumentum, ac diuersum conficit. Si enim gaudium simpliciter commendat, & sine restrictione, quouis ergo tẽpore gaudere cum opportunum est, licet: cur non igitur in annuâ natiuitatis memoria. De Christi natiuitate, resurrectione, ascensione gaudere me Caluinus non vetabit, nisi ex lege magistri sui, qui Zuinglium docuit, non credere verbis Christi: si mihi tam

Caluinus suorum scelera nobis impingit.

Gaudium Angelus prædicit.

Gaudium de præcursore nemo accusat, nisi qui Dominum venisse negat.

iusta lætitia conceditur: an non concedetur festis natiuitatis, paschatis, ascensionis? *Multi in eius natiuitate gaudebunt*, quis, (malum) me inter illos multos esse proh bet? Gaudeo natum prophetam, imo plusquam prophetam, in spiritu Eliæ pręiuisse, conuertisse multos ad dominum, quoties recordor gaudeo, & quia festo Baptistæ magis recordor, magis gaudeo. At me non docet. Imo indies docet. Beneficium mihi in Ioanne diuinitus collatum agnosco. Conciones & vita doctrina est. Ob hæc gaudeo, & magis, quia signum erat sequentis, quia mihi agnum Dei tollentem peccata mundi demonstrauit. Gaudium hoc simpliciter commendatum gaudeo, etiam in annuâ eius memoriâ. Nosco hic Manichæi spiritum. Indignabantur illi festa celebrari etiam Paschatis & Pentecostes, vt est apud August. l. 32. contra Faustum Manichæum c. 11. & 12. & Caluinus Dominicum ordinis causâ tantum putat obseruandum. l. 2. c. 8 §. 28. & §. 33. Quin Laingæus in eius vitâ habet, cap. 6. *voluisse ipsum nunc quidem diem Dominicum cum die veneris commutare*, & c. 10. *nunc diem Mercurii solenni festo exornare*: & *nonnulli die Mercurii officinas claudunt*. Consigno disputationem aureâ Ambrosij sententiâ. *Solennis autem lætitia est*, inquit, *in ortu & generatione Sanctorum. Sanctus enim non solum parent in gratia, sed etiam salus est plurimorum. Vnde admonemur hoc loco Sanctorum generatione lætari. Admonemur etiam parentes gratias agere non minus pro ortu, quam pro meritis filiorum. Non enim mediocre munus est Dei, dare liberos propagatores generis, successionis hæredes.*

Manichæi festa Domini culpabãt Caluinus dominicũ mutat.

De filiorũ virtute gaudium est patris.

VERSVS 15.

Erit enim magnus coram Domino: & vinum & siceram non bibet: & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.

QVÆSTIO I.

Qua re magnus est?

Magnus sanctitate.

§. 1. MAgnus coram Domino, non hominum fallace famâ, sed veritatis æternæ testimonio. vt Orig. homil. 4. Amb. Beda. Theophyl. interpretantur. Vel certè, *coram Domino*, hoc est insignitè, & supereminenter magnum, vt Gen. 10. 9. Nemrodus dicitur *robustus venator coram Domino*. Magnitudinem Ioannis non solius officij, sed etiam virtutis intelligo: non solam muneris excellentiam, vt putat Caluinus, qui negat *laudari virtutes, quibus excellit*. Refutat enim ipsum Angelus, qui plenam virtutum, & officij magnitudinem exponit. *Vinum*, inquit, *& siceram non bibet*. Quod heroicæ temperantiæ est; Deinde spiritu *replendum adhuc ex vtero matris*, quod reuera virtutum est præconium, non modo officij.

Heroica Ioannis temperantia.

QVÆSTIO II.

Cur Siceram & vinum non bibet?

Sicera quid inebriare potest.

§. 1. SIcera σίκερα Hebræis שכר potus est factitius, quicunq; vim inebriandi habet. πᾶν, inquit Basilius contra Ebriet. τὸ δυναμένον μέθην ἐμποιῆσαι, *Omne quod potest inebriare*. Temetum male vertunt, id est enim propriè vinum. Plin. lib. 14. c. 16. & 22. c. 15. Complura sunt eius genera apud cultas & barbaras gentes, inopiâ vini, quare & Satan in hac etiam re ebrietatem inuenit, vitæ pariter, & virtutis venenum. Vsq; adeo vt nunc quibusdam in more sit fumo inebriari, quâ de re serio queritur Rex Britanniæ in suo de Tobaccia fusu. Vino igitur, atq; omni potui, qui inebriare potest abstinuit: quod ad prophetæ officiũ necessarium non erat. Vino enim & communi cibo illi vsi sunt.

Ebrietas etiam ex fumo.

§ 2. De abstinentiâ Ioannis in Matthæo tractaui. Nunc addo eum Deo, quemadmodum olim Samsonem. Iud. 13. 14. & Rechabitas Ier. 35. 6. consecratum fuisse. Quod vero Caluinus ait, *se vnum illius Dei cultum non fuisse*: nosque accusat aliter sentientes, vanæ imperitiæ est.

Nazaræatum Baptistæ ipse agnoscit, ieiunasse ad Dei gloriâ fatetur. Quid ergo? non est cultus Dei ieiunium in desertis, Dei spiritu totâ vitâ coleratum. An mactare pecudum carnes, fundere libamina, adolere odores, cultus Dei est: & cultus Dei non est propriam castigare carnem ne insolescat? temperantiam & sobrietatem colere? Colitur omnino bonis operibus Deus: nec tantum Ioannes tam seuerè vixit, vt orationi facilius vacaret. *Si* enim aliquid de vigore victus remisisset, & temperatissimè panem gustasset, aut virium recreandarum causâ dilutum vinum modicè, sobrieq; gustasset, non video quomodo adreri diuinarum meditationem, orationemq; tardior, languidiorq; redisset: cum rectè vsurpatum vinum, mêtem acuat, spiritus animales, vigoremq; animi augeat. Errant igitur, qui ieiunii etiam vtilitatem non agnoscunt, nisi vt ad orationem animus collectior sit, & corpus saginâ, & lasciuiâ non obsistat. Quamuis enim ista sit, nec parua, vtilitas, non tamen ieiunij summa austeritas hunc in finem à Ioanne adhibita est: cum enim plenus esset Spiritu sancto, orare legitimè sine eâ potuit. Imo ostendi eam ad orationem non profuisse, etsi enim oratio solidetur & pinguescat ieiunio, in Ioanne tamen tam inusitato ieiunio non egebat, & in nobis etiam orandi feruorem nimiâ corporis fatigatione obtüderet. Cum igitur illa causa non fuerit, optimum tamen abstinentiæ sibi finem habuerit præfixum, dicendum est, ad Deum nouâ, admirabilique; sobrietate ac temperantia colendum ieiunasse. Omnis autem virtutis actus Dei cultus est, cum eo dirigitur, vt Dei maiestatem, & quod in nos habet, dominium, religioso obsequio confiteamur ac testemur. Interim Daniel Tossanus interpretatione abstinentiam Ioannis vehementer eleuat, cum ait: *fugisse omnes delicias, nec vsum Iudæorum vitiorum ordinario*. Est quidem hoc verum, non tamen ad Ioannis temperantiam satis, de qua Christus dicit: *venisse nec comedentem, nec bibentem*: quem ideo Iudæi calumniabantur, & dicebant: *dæmonium habet*. Fuga deliciarum, & ordinarij victus Iudaici mutatio sine opera dæmonis esse possunt, & sine miraculo, vt tenuia seruorum dementia ostendebant.

QVÆSTIO II.

Quando repletus Spiritu sancto?

§. 1. REs sua sponte clara videtur, aliunde tamen argumenta in contrarium obiciuntur. Græcè legitur ἔτι ἐκ κοιλίας, *adhuc ex vtero*. Quod Erasmus vertit: *iam inde ab vtero*, eumq; secutus Caluinus. Beza vertit ἔτι *Etiam*. Idem negat conuenire aduerbium *adhuc*, nisi legas, ἐν κοιλίᾳ. Hoc autem mihi certum est, Repletum esse cum adhuc esset in vtero, non demum cum natus esset. Cyprian. Epistol. 73. Ambr. interpretantur, *in vtero*. Ambros. *Non dubium*, inquit, *verum hoc Angelis esse promissum. Siquidem sanctus Ioannes antequam nasceretur, matris adhuc in vtero opositus, spiritus accepti gratiam designauit. Nam cum & pater eius, & mater nulla ante mirabilia fecissent, in vtero patris exiliens, Domini euangelizauit aduentum.* Deinde ita Syrus habet, בבטנא *in vtero*. Id vero conuincit particula ἔτι *adhuc*: quam versionem Beza conuenire frustra negat. Sensus est enim, *Adhuc ex vtero replebitur Spiritu sancto*, ita vt Ex terminum, *à quo*, vt vocant, includat. Hoc est ab ipso conceptu. Qui vertunt iam inde ab vtero, eundem tenere sensum possunt.

In vtero ipso.

Deo dilecti.

Deo cultus.

Ieiunium.

Tempus ieiunij.

Ieiunij vtilitas.

Ieiunij finis.

Ieiunium ad orationem non profuit.

Ieiunium non egebat.

Cultus Dei.

Ieiunium.

Repletus Spiritu sancto.

In vtero ipso.

Verum

Verum non probat illud Beza, quia ἔτι pro ἤδη poni non solet.

§. 2. Caluinus autem pulcherrimum locum corrupit, cum dicit, Repletum ab infantiâ, [Fateor, inquit, equidem spiritus virtutem in Ioanne, quum » adhuc incluſus eſſet vtero matris, operatam eſſe: ſed » hic, meo iudicio aliud voluit Angelus, quod Ioannes » adhuc infans quaſi in theatrum præferendus eſſet » cum rarâ gratiæ Dei commendatione.]

Refutant tamen verba Lucæ errorem. Non enim de primâ infantiâ, ſed eo qui vtero incluſus eſt loquitur: nec ratio, cur non repletus ſit Chriſti aduentu, ſed poſtquam natus eſt, dari poteſt. Deinde ita Orig. hom. 47. Cypr. Ep. 73.

Cyrill. Ieroſolym. Catech. 3. cæteriq; ſic interpretantur. Cyrilli verba notanda ſunt. ὅς γε ὑπὸ πνεύματος ἁγίου ἔτι κατὰ μήτρας κυοφορούμενος ἡγιάσθη. *Qui cum adhuc in vtero matris geſtaretur, ſanctificatus eſt.*

§. 3. Verum iſtud vtcunq; tolerabile eſt. alia eſt improba, de plenitudine Spiritus Sancti interpretatio, *Eximiam donorum ſpiritus, & minimè vulgarem abundantiam deſignari*, Caluinus dicit. Sed hanc abundantiam ante prauè expoſuit. [His verbis nihil aliud, ait, notari arbitror, quam indolem appariturâ in Ioanne, quæ ſpem oſtendat futuræ magnitudinis. Porro » indolem dico non qualis extat etiam in prophanis » hominibus, ſed quæ officij præſtantiæ reſpondea.]

Fallo, non enim tantum ſpem oſtendit, ſed iam puer talis erat, nec dona illa tantum futurorum teſſeræ erant: qualis ſolet eſſe indoles puerorum, ne ſpes modo, ſed res, ipſe enim & vino abſtinens, & locutus veſcens, ſenili virtute ætatem vicerat. ita Chryſoſtomus homil. 37. in Matth. *Veniat tibi in mentem, menſa illius, educatioque, & mentis altitudo, ita enim in terris, quaſi in talis verſabatur.* Et Chryſoſt. homil. 10. in Matth. *ab ipſis*, inquit, *incunabulis in eremo ſemper inhabitauit, & angelicam quandam vitam mortali in carne præ ſe tulit.*

Hieronymus aduerſus Luciferianos, *Quid*, ait, *mihi neceſſe eſt in talis viri laudibus immorari, cum à Deo patre tam Angelus nuncupetur? Planè Angelum, qui poſt materni ventris hoſpitium, eremi deſerta ſectatus, paruulus deſpentibus luſit, qui oculis ſpectantibus Chriſtum, nihil aliud eſt dignatus aſpicere, quia eloquiis Domini, quamelle, & fauo dulciora ſunt, dignam Deo vocem eruditus, & ne quæſtionem moreretur, ſic decebat creſcere præcurſorem Domini.*

Orig. homil. 11. in Lucam. *Digne*, inquit, *qui ſic conceptus fuerat, & natus, non expectauit vt à patre nutriretur, ſed receſſit, & abiit in deſerta, vbi purior aër erat, & cœlum apertius, & familiarior Deus, vt vacaret orationibus, & cum Angelis conuerſaretur, appellaretque Dominum, illumq; audiret reſpondentem, & docentem: Ecce adſum. Sicut enim Moyſes loquebatur, & Deus reſpondebat ei, ſic puto quod Ioannes loquutus fuerit in deſerto, & Dominus reſponderit.*

Sic Euſeb. lib. 9. de demonſtr. cap. 5. Epiph. hæreſi 63. Euthym. Theophyl. Niceph. l. 11. c. 14. Cedrenus in compendio. Symeon Metaphraſtes ait, vix Faſcijs ſolutum ſolitudinem incoluiſſe, & vitam egiſſe angelicam. Non igitur nuda erat indoles, neq; futurorum teſſera duntaxat, ſed iam puer ſenes anteibat, & merito Eccleſia canit:

Antra deſerti ab annis
Ciuium turmas fugiens petiſti.
Ne leui ſaltem maculare vitam
Crimine poſſes.

Non quod omne delictum à Ioanne remouendum ſenſeam, ſed omne crimen, omne delictum mortale.

Quâ de re vide noſtrum Soarezium in 3. p. q. 38. diſput. 24. ſect. 4.

§. 4. Notandum etiam, quod Maldonatus prudenter animaduertit. Eos Spiritu ſancto dici repleri, qui ita abundè gratiâ donantur, vt in alios etiam deriuare poſſint. *Repleti Spiritu S. alij communicant.*

VERSVS 16.

Et multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum.

QVÆSTIO I.

Ad quem conuertet?

§. 1. AD Deum ipſorum, hoc eſt Chriſtum Dominum: Hoc enim ex loco Chriſti diuinitatem colligunt patres. Nam v. 17. dicitur: *Et ipſe præcedet ante illum.* Ad eum enim conuertet, quem præcedit. Nam pronomen ἐνώπιον αὐτοῦ, non poteſt ad alium referri, quam Deum ipſorum. Fuiſſe autem prophetæ ſenſum: Ioannem ante faciem Chriſti miſſum docui Matth. 11. 10. ita Cyrillus ad Reginas, Euthym. Beda. alij. Conuerſio autem perfecta eſt, ducendo ad pœnitentiam peccatores. Caſtellio vertit Reconciliabit, quod Beza reprehendit, quia conuertere ſit propriũ, & latinum. Quod verum eſt. Deinde ait impropriè eum loqui. *Vnius enim Chriſti eſſe reconciliationem, quam-uis in ore miniſtrorum poſuerit ſermonem reconciliationis.* Quod ſi verum eſt, non rectè vtiq; dicetur Ioannes quemquam conuertere. Tam enim Dei eſt corda conuertere, quam reconciliare. Quemadmodum autem miniſterium in reconciliatione, ita in conuerſione Ioannis eſt, principalis actio Dei eſt. *Chriſtus Deus. Conuerſio eſt reconciliatio. Cõuerſio ſalius Chriſti & principalis.*

§. 2. Porro mirâ prauitate hæc Caluinus ad ſuos errores detorquet. [His verbis, *inquit*, oſtenditur « fœda, quæ tunc erat in Eccleſia, diſſipatio. Nam apo- « ſtatas fuiſſe oportet, in quibus conuerſio ad Deum « locum haberet. Et certè tanta erat corruptio doctri- « næ, tanta morum prauitas, tam confuſum regimen, vt « miraculi loco habendum ſit paucules in pieta eſſe- « tiſſe. quod ſi tam horribilis fuit veteris Eccleſiæ diſſi- « patio, non eſt quod friuolo prætextu ſuas ſuperſtitio- „ *Scanda-* nes defendant Papiſtæ, quia impoſſibile fuerit errare „ *la quæ* Eccleſiam, ſiquidem non germanos & electos Dei fi- „ *ſunt in* lios, ſed impiorum turbam hoc titulo intelligunt.] „ *Eccleſia*

Corruptionem fuiſſe magnam non eſt dubium: Non tamen idcirco Eccleſia perierat: Erãt enim multi qui exſpectabant redemptionem Iſrael. Multi qui eius natiuitate gaudebant. Certè gaudium illud ex fide erat, iuxta Caluinum. Non errat Eccleſia, etſi multi in eâ ſint mali, nec omnes qui conuertuntur ſunt apoſtatæ à fide, ſed plerique credentes vitiorum aliquando dulcedine à Deo auocantur. Imperiti igitur eſt hominis, improborum multitudinem Eccleſiæ obiectare, quaſi illa cum errantibus erret: nec ſanè ſolemus Rempublicam iniuſtam dicere, quamuis in eâ maior pars ſit hominum improborum: cur aliter ergo de Eccleſiâ iudicemus, quæ nullas ſuperſtitiones probauit vnquam, multas ſuſtulit, atque indies reprimit, aliquas tolerare cogitur. Cur autem ob multos conuerſos, putat totam erraſſe Eccleſiam, & non potius ob multos in eius natiuitate gaudentes concludit, integram eam fuiſſe? Quod vero ait nos non germanos, & electos Dei filios, ſed impiorum turbam hoc titulo intelligere, calumnia eſt, quam alio loco demonſtrabo. Nunc probationem, quæ affirmanti incumbit, poſco. *Non omnes peccatores à fide ſunt apoſtatæ. non faciũt, vt erret ipſa.*

VERSVS 17.

Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum: parare Domino plebem perfectam.

QVÆSTIO I.

Quid præstabit Ioannes?

§. 1. QVia hac de re apud Matthæum 11. disputaui, breuiter quæ huius libri propria sunt, explicabo. *Conuertet corda patrum ad filios.* Hebraismus est, quo significatur concordiam reduci, vt patres, & filii qui religione opinionibus, odiis, vitiisq; dissidebant, in vnam religionem, caritatemq; conueniant. Est enim locutio prouerbialis. Quemadmodum in contrarium illa sunt.

Corda Patrum ad filios conuertere.

Filius ante diem patrios inquirit in annos,
Immanet exitio vir omnigis, illa mariti.

Concordia religionis restituitur.

Ioannis prædicatio pacem inter agnatos, ciues, peregrinos componet, efficietque vt Patres in suum sanguinem sint propensi, filii parentum obseruantes. hoc indicat verbum ἐπιστρέψαι, apud Septuaginta est ἀποκαταστῆσαι in pristinum statum restituet, seu patres filius reddet. In pristinum ergo vetereis concordiæ statum restituet est enim ἀποκατάστασις solis, siderumq; ad eadem, vnde egressa sunt, signa, reditus. Apud Prophetam alterum etiam membrum est, cor filiorum ad Patres, aliæ itaq; interpretationes vt Patres sint Patriarchæ: filij Iudæi: aut Patres Iudæi, filij Christus, & Apostoli: vt non sunt improbandæ moraliter acceptæ, ita à sensu literarum recesserunt.

Prudentiâ iustorum fides.

§. 2. Alterum est, quod *incredulos, conuertet ad prudentiam iustorum.* Erasmus vertit: *Inobedientes.* quod Beza negat esse apud idoneos auctores, vti & *immorigeros.* Ipse vertit, *rebelles*, de contumacia enim non de diffidentiâ filiorum agi contendit. Ad Græcum verbum quod attinet, fateor ἀπειθεῖς esse eos qui non credunt, seu non persuadentur. & qui contumaces sunt. Quod si tamen de Grammaticâ suscitare lites placet. *Rebelles* non vocabo proprie, qui priuatim contumaces sunt. Πείθειν proprie est persuadere: qui non persuadentur, dicuntur ἀπειθεῖς, est quia resistunt, nec parent, dicuntur etiam iidem *inobedientes.* Hic tamen quia opponit ἀπειθείαν seu incredulitatem non τῇ ὑπακοῇ, *obedientiæ*, sed τῇ φρονήσει, prudentiæ iustorum, argumento est, de vitijs intelligentiæ, non voluntatis angelum loqui, quamuis voluntatis contumacia, ex incredulitate oriri soleat, ac consequi. Eadem ratio est apud Syros clariores, vocat enim ἀπειθεῖς לָא מְהֵימְנִין dela Mehtheph. sin, non acquiescentes. & dicit conuertendos ad *scientiam* iustorum לִידְעְתָא Lidagha ha.

Scientia opponitur incredulitati.

Scientiæ vero opponitur incredulitas: nam scientiæ iustorum, vt & prudentiæ, fides est. Sensus igitur est, fore vt Iudæi increduli, ad fidem redeant, dissipati autem sectis erant, varias enim pereundi vias Satanas exitio miserorum strauit.

Prudentia non est ioãnis sed eorũ qui conuertũtur.

§. 3. Porro cum dicit ad *prudentiam* iustorum Græcè est ἐν φρονήσει δικαίων in prudentiâ iustorum. Quod quidam apud Bezam interpretantur, de prudentiâ Ioannis, quâ eos oratione prudenti & sobriâ, non vi, vt inconsiderati solent, conuertet. Ille tamen opinionem ita sententiam repudiat, quod nihil in propheta tale sit. Explicatio autem videtur eius, quod in propheta est: *& cor filiorum ad patres.* Reuerti enim filij solent ad Patres cum eos prudentius sibi consulere intelligunt, quam sibi ipsi queant. Patribus enim prudentia tribui solet, filijs obedientia, quorum est prima prudentia parere parentibus: ἐν igitur pro εἰς intelligendum, vel vt ἐν χερσὶ πεσεῖν in manus cadere. Sic noster vertit; & Syrus לִידְעְתָא Lidagatha, *ad scientiam.* Longus à vero abiit Castellio dum vertit *ad fragilitatem*, non enim scriptum est, σωφροσύνην sobrietatem, frugalitatem, sed φρόνησιν, prudentiam.

§. 4. Parare Domino *plebem perfectam*, noster vertit, alij *præparatam*, alij vt Beza *instructam.* neque prætat conuenire vt Ioannis opera dicatur, plebs perfecta esse, cum eius ministerium respectu prædicationis Christi fuerit rudis informatio, quæ viam Domino pararit.

Noster legisse putant nonnulli κατηρτισμένον, *aptum perfectum.* Alij verbum Græcum κατεσκευασμένον significare etiam *perfectum*, noster enim & Syrus sic conuertit. Nam גְּמִירָא *Gemira* significat perfectum, quod enim nonnulli aiunt significare ineptum, impeditum, id sanè huic loco non potest accommodari, & error est: nam illa significatio est verbi גְּמַךְ *Gmad* per quartam literam, non גְּמַר *Gmar.* Hoc est, *absoluere, perficere.* ita vtrumque & eius derivata. Luc. 13. Actorum 21. hinc גְּמִיר dicitur holocaustum, quasi sacrificiorum perfectissimum. Deuteronom. 33. & גְּמִיר resomino absoluta. & גְּמִירָא conclusio definita. Vsus est ceber huius verbi, cum versum aliquem compendio citant, omissis aliquot verbis. Ad hoc namque indicandum subiungunt וְגָמֵיר *Vegomar*, id est: *& absoluens.* Versus scilicet ipse absoluens sua verba, proto quod in Breuiario dicimus: *& reliqua* & communi in scriptione. *Et cætera.* Interpretes igitur populum perfectum intellexerunt.

§. 5. Perfectum autem intelligit pœnitentem, iustificatum, ideoque instructum ad recipiendum Christum. Hoc est enim κατασκευάζειν omnibus rebus instruere. Et κατασκευὴ orationis structura dicitur compositio, quæ est perfecta, & à communiloquendi consuetudine remota. Laert. in Zenone. Et ἐκκατέσκευασμένος λόγος Basilio est, non constitutus, non probatus sermo. Populus autem sic instructus iam perfectus. Nec refert Ioannis prædicationem fuisse rudiorem: nam etsi mysteria explicare Christi fuit, Ioannes tamen perfectionem docuit eandem, quam lex, quam Christus, vtriusque vox est, pœnitentiam agite, qui *duas habet tunicas, det non habenti, neminem concusseritis, &c.* Ioannis enim institutum erat, homines à vitæ prauitate ad virtutem, & gratiæ largitorem conuertere. Sic & ex aduersariis nostram versionem Calvin. retinuit: & Daniel Tossanus populum fide & pietate instructum vocat, quem nos perfectum dicimus.

VERSVS 18.

Et dixit Zacharias ad Angelum, vnde hoc sciam? ego enim sum senex: & vxor mea processit in diebus suis.

QVÆSTIO I.

Quâ in re peccaris Zacharia?

§. 1. QVærit Zacharias vnde hoc sciam? κατὰ τί γνώσομαι

γνώσομαι τοῦτο, quod est ἐν τίνῳ, *ex quo sciam*, Syrus, בַּמָּה, Quomodo? causam addit, quia ipse senex, & vxor prouectæ est ætatis, seu processit in diebus suis. Quia itaq; aliud signum quærit, certum est, non credidisse Angelo: quod ille quoque v. 20. obijcit: *quia non credidisti verbis meis.* Quia ergo punitur, peccasse constat, & peccasse non credendo. Quanquam autem alij quoque signum quæsiuerint, sine peccato tamen dubitarunt.

§. 2. Cum duplex potuerit esse dubitatio. Quâ vel Deo potentiam & veracitatem derogaret, vel Angelo nuncianti fidem: duplex quoq; illi tribuitur infidelitas. Prior grauis planè ac impia, altera aut sine grandi aut etiam vllo peccato esse potuit in alijs, in Zachariâ sine peccato non fuit. Caluinus de potentiâ & veracitate dubitasse existimat. [Porro causa diffidentiæ in Zachariâ fuit quod in ordine naturæ subsistens, Dei potentiæ minus tribuit, quam decebat. Et: Non dubitauit, *ait*, Zacharias, esset vox Dei, necne, sed quum nimis defixus esset in mundo, obrepsit in eius mentem obliqua dubitatio futurumne esset quod audierat. Accedit in re non leuem Deo fecit iniuriam, quia perinde erat ac si secum disputaret verane habendus esset Deus, quem constabat loquutum esse. Quanquam sciendum est non ita incredulum fuisse Zachariam vt prorsus à fide descisceret. Est enim generalis fidei quæ promissionem æternæ salutis amplectitur, & gratuitæ adoptionis testimonium. Quemadmodum autem postquam nos semel recepit Deus in gratiam specialiter multa promittit, quod nos pascet, eripiet ex periculis, erit vindex innocentiæ nostræ vitam tuebitur: ita specialis quædam est fides quæ singulis huiusmodi promissionibus respondet. Fiet igitur interdum vt quispiam de peccatorum remissione & salute suâ Deo fidens, in parte aliquâ vacillet, nam vel minimum trepidabit in mortis periculo, vel de victu quotidiano nimium erit anxius, vel nimium perplexus erit in suis consilijs. Talis fuit Zachariæ incredulitas, quia scilicet fidei radicem ac fundamentum tenens, tantum vna in parte hæsitauit, an Deus filium illi daturus esset.

Hæc neque vera sunt, neque cohærent. Non sunt vera. De potentiâ Dei qui dubitare potuit vir in lege eruditus, habens exempla Abrahami, Isaaci, aliorum, quorum infœcunditatem Deus prole donauit? Deinde credebat è nihilo factum mundum, de cœlo manna, de petrâ fontem datum, mortuos in vitam reuocatos; non crederet ille Deum reficere vires effœtas corporum atidorum, vigoremq; & fœcunditatem iuuentæ restaurare. Si priora non credidit, infidelis, impius, Epicureus, non iustus fuit. Si illa vera credidit, de potentiâ, quâ fœcunditatem daret, dubitare non potuit.

Nec minus criminosus fuit, & in Deum blasphemus, si potentem quidem est opinatus, sed fallacem putauit. Si non dubitauit, esset vox Dei, nec ne, sed an futurum esset quod audierat. Hoc est, an Deus vera an falsa loqueretur. Quæ dubitatio priore est multo deterior. Turpius enim Deum mendacem esse, quam impotentem. Hoc enim naturæ, illud malitiæ est. Si non enim in hoc promisso ad aram suam fallere potuit, nulla causa est, cur Mosi, & Prophetis vera dixisse credamus. Nunquam tuto, & securè illi creditur, quem semel constat esse mentitum. Hoc igitur si existimauit pater præcursoris, nec Mosi, nec Prophetis credidit, sed Herodis instar, & Augusti tum regnantis, infidelis fuit. Fundamentum enim fidei est reuelatio Dei, illa nititur Dei veritate, quâ credimus, quod seipse negare non possit.

§. 3. De Angelo igitur dubitauit; an scilicet esset vox Dei, necne, an vere Angelus lucis? an dæmon fictâ in luce refulgens? Sensus igitur est, *Vnde hoc sciam?* signum requiro veritatis, quale non potest esse falsitatis. Senex ego sum, & vxor, sine miraculo proles dari non potest, id ratum est, vnde hoc sciam Deum velle? teq; esse verum Dei internuncium? non falsis præstigijs mihi illudere? verba enim tua formare, faciemq; fingere etiam Satan potest. Vnde ergo sciam? Deum scio fallere non posse, tuæ legationis fidei testimonium quæro. Hæc Zachariam cogitasse respondsum Gabrielis manifestum facit, *Ego sum Gabriel qui asto ante Deum.* De me dubitas, scio, at iam cognoscis, non modo Angelum me esse, sed vnum è primarijs, qui olim Danieli apparui. Non probat Deum potentem esse, non probat veracem esse; sed verè se ab illo legatum, se Gabrielem esse, ac proinde nec se mentiri posse. Peccauit tamen, quia cum multa indicia essent, eaq; sufficientia, quibus Angelum sanctum esse crederet, nihilominus dubitauit. Cur alij, qui & dubitarunt & signa petiuerunt, non eodem peccarint modo, diuino iudicio relinquendum est, qui corda non modo verba intelligit. Ita Augustin. hom. 44. *Si verba attendamus, inquit, haud ambo crediderunt Zacharias, & Maria: sed nos verba valemus audire, Deus potest & corda interrogare. Intelligimus, charissimi, quoniam Zacharias quando ait per quid cognoscam hoc? ego enim sum senex, & vxor mea progressior in diebus suis, desperando dixit, non inquirendo: Maria vero, quando è contra ait, quomodo fiet istud, quia virum non cognosco inquirendo dixit, non desperando.*

Peccauit quod clarioris indicijs non credidit.

VERSVS 19.

Et respondens Angelus dixit ei. Ego sum Gabriel qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.

QVÆSTIO I.

Quis Gabriel?

§. 1. VIrum Dei, aut fortitudinem Dei significat. Ista etymologia præses erat, & patronus. Syrus vocat גבריאל *Gabriel*, vnde & Græcum γαβριὴλ magis ad iota, quam epsilon accedens, Daniel. 8. 16. & 9. 21. etiam Gabriel nominatur, qui Archangelus, an Angelus sit, an idem apud Danielem & Lucam disputant Theologi 3. p. q. 30. & ibi Soarez, cæteriq; reliqua omnia incerta sunt: Eundem tamen esse Gabrielem qui est, apud Danielem, & hoc loco certissimum puto non modo quia idem nomen est, sed quia ipse de se, vt qui in scripturâ notus sit, loquitur, cum enim ait: *Ego sum Gabriel*, non de aliquo, de quo nunquam in scriptura Zacharias audierat, sed de celebri illo apud Danielem Gabriele loquitur. Si enim dixisset se esse Raphaelem, aut Michaelem non nisi de notis intelligeremus, pari ergo modo de Gabriele cogitandum est.

Gabriel vir Dei.

Idem in Daniele & hic Gabriel.

§. 3. Officium suum ait ὑπηρετικὸν quod apparitor adsteret ad Dei obsequium. Non præteritum tempus, sed morem, & officium indicat verbum Græcum. Etiam cum in terram missus nunciat, Dei conspectu fruitur.

VERSVS 20.

Et ecce, eris tacens, & non poteris loqui, vsq; in diem quo hæc fiant: pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

QVÆSTIO I.

Cur eâ pœnâ afficitur?

Surdus & mutus Zacharias.

§. 1. ANgeli voci non credidit, ideo surditate punitur, contra promissionem oblocutus fuit, idcirco lingua colligatur, ne solui in verba possit. Surdum autem fuisse constat, quia de nomine filij nutibus quærunt. Qui ex pœnæ grauitate enim mortaliter peccasse arbitrantur, non considerant, plus in eâ fuisse mysterij, quam supplicij. Tantamq; fuisse ex fide promissionis lætitiam, vt pœnam vix senserit. Pluris enim erat aliquo damno certum reddi, quam integris sensibus animi pendere.

VERSVS 21.

Erat autem populus expectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipse in templo.

QVÆSTIO I.

Cur populus exspectat?

Annuo expiationis sacrificio pontifex exspectabatur.

§. 1. FAcile rationem dare possunt, qui Zachariam summum pontificem putant: nam sollenne festum erat, & Pontificis reditum magnâ curâ exspectabant. Non erat enim absolutum sacrificium, nisi postquam egressus Pontifex aliud sacrificium instituisset. Leuit. 16. 20. *Postquam emundauerit sanctuarium & tabernaculum & altare, tunc offerat hircum viuentem: & positum vtrasq; manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atq; peccata eorum: quæ imprecans, capiti eius, emittet illum per hominem paratum, in desertum.*

Finem ergo sacrificij solennissimi tum exspectabat: nec mirum videri debet, cum in anno semel solennis esset oblatio, ingresso in sancta sanctorum Pontifice. In hoc vero diuino sacrificio moræ causa non immeritò quæritur, & admirationis cur tardaret. Adeo enim pauca inter se verba Angelus & Zacharias commutarunt, vt notari mora non potuerit. Quin potius mirari oportuit, si vir sanctus senili grauitate & tarditate, tam cito incensum obtulisset, quam iuniores solebant, Varias quisque causas adducit. Maldonatus putat longiorem cum Angelo sermonem habuisse. Id quod probabile, instructum enim vel tum, vel postea arbitror, de præcursoris educatione. Mora nihilominus longior videtur, quam vt eam Angelus sermocinando insumpserit; nam horam vnam alteramq; fuisse probabile est; alioqui exspectatio populi, & admiratio, ἐν τῷ χρονίζειν *quod tardaret in templo*, locum non habuisset. Mediocris enim mora admirationis causam non habuisset. Causam veram non dubito Zachariæ turbationem Angelo discedente. Nam dolore incredulitatis suæ, timore, mistâ lætitiâ, sensu surditatis, & mutitatis diuersimodè afficiebatur, atq; orationi sese dedit, & cor suum coram Deo effudit. Itaque in Deum abrepto tempus effluxit, in Anna matre Samuelis similis mora, quamuis aliâ causa, & in Daniele cap. 10.

Tardus Zacharias.

Nisi longa esset mora non mirarentur.

Moræ causa deuotio Zachariæ.

QVÆSTIO II.

Vnde cognouerunt visionem eum vidisse?

Signa visionis diuinæ.

§. 1. ARgumenta cur ita iudicarint, solent adferri. Mora in templo, signa in vultu, lacrymarum indicia, totius corporis habitus piè attonitis: quæ tamen omnia etiam in vnum collata, non nisi infirmam coniecturam efficiunt. Nam mutus & surdus defluxu aliquo in musculos & neruos descendente sine grauiore morbo reddi potuit, nec in sene id mirum, aut nouum fuit.

Cum igitur indicia omnia nihil certi habeantur, dicendum eos cognouisse, quia erat innuens illis. Et, si enim vim causalem habet, vt sensus sit. Et cognouerunt eum visionem vidisse. *Nam erat innuens illis, visionem vidisse testatus.*

Zacharias fatetur.

§. 2. Mysterium fuisse S. Ambrosius docet. *Non vnius, inquit, mysterium, nec vnius silentium est. Tacet Sacerdos, tacet Propheta. Nisi fallor, in vno vox totius plebis obmutuit, quia in vno totus ad Dominum populus loquebatur: Cessatio sacrorum & silentium Prophetarum; taciturnitas Prophetæ, & taciturnitas Sacerdotis est. Auferam, inquit, validam virtutem, Prophetam & consiliarium. Et vere abstulit Prophetas, à quibus abstulit verbum quod loqui in Prophetis solebat. Et verè his abstulit virtutem, à quibus Dei virtus recessit. Abstulit his consiliarium, quos magni consilij angelus declinauit. Abstulit vocem, quia vox verbi, non vocis est verbum. Nam nisi verbum illud operetur in nobis, nullus est sonus vocis. Vox Ioannes est: Vox enim clamantis in deserto, Christus est verbum, hoc verbum operatur. Et ideo vbi defuit operari, muta repente, carens Spiritu veluti quadam anima, lingua conticuit.*

VERSVS 23.

Et factum est: vt impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam.

QVÆSTIO I.

An potuerit ministerium absoluere?

§. 1. NOtata est ab omnibus interpretibus Zachariæ in cultu Dei zelus & diligentia: quietsi mutus & surdus, dies tamen officij explere voluit. Vtinam Christianos sacerdotes imitatores habeat, quam si illi reuerentiam altaribus, de quibus viuunt, præstare vellent, populum etiam frequentem, deuotum & rei diuinæ exitum præstolari experirentur. Offerre autem incensum surdus & mutus poterat; nullâ enim lege vetebatur. Etsi enim orationem efferre non poterat, animo tamen concipere. & clamare facile fuit. Aliud in nouo testamento. Can. 77. Apost. est. Κωφὸς δὲ ὢν καὶ τυφλὸς, μὴ χειροτονείσθω ἐπίσκοπος, ἐπεὶ ὡς βεβλαμμένου (*alias* μεμιαμμένου) ἀλλὰ ἵνα μὴ τὰ ἐκκλησιαστικὰ παρεμποδίζοντα, *mutus & cæcus ne fiat Episcopus, non quasi sit immundus, sed ne Ecclesiastica impediantur.*

QVÆSTIO II.

An hinc sumi possit argumentum pro cœlibatu Sacerdotum?

§. 1. ABijt Zacharias in domum suam, quæ erat in montanis, alios etiam Sacerdotes, qui Ierosolymis habitabant, tempore ministerij sui non domi, sed in templi tabulatis habitasse Calumnus fatetur, & ideo hoc factum, & vxoribus abstinerent, concedit, & probat. [Vtile enim, *ait*, omnem indulgeriæ materiem præcidi, quo liberius officio suo vacarent. Hinc tamen argumentari Papistas conqueritur. Quum abstinere, inquit, olim iussi sint Sacerdotes ab vxoribus quo tempore sacris operam dabant: merito nunc à Sacerdotibus requiri perpetuam continentiam, qui non per temporum vices, sed quotidie sacrificant: præsertim cum longè excellentior sit Sacrorum dignitas quam sub lege. Verum scire velim cur non à vino quoq; & ficera abstineant. Neq; enim præcepta quæ coniunxit Deus, separare fas est, vt dimidia tantum pars, alterâ neglectâ, seruetur. Concubitus vxorum interdicitur non tam diserte quam vini potus. Si legis prætextu cœlibatum iniunxit suis sacrificis Papa, cur vinum illis permittit?]

Non solum vnius.

Zacharias mutuit, quia in vno totus populus loquebatur.

Auferam validam virtutem.

Et vere abstulit Prophetas.

Abstulit his consiliarium.

Abstulit vocem.

Vox loannes est.

Et ideo vbi defuit operari, muta repente.

Monitum Zachariæ.

Cessatio sacrorum.

Taciturnitas Sacerdotis.

Non vxoribus.

Vtile enim, ait, omnem indulgeriæ materiem præcidi.

Quum abstinere, inquit, olim iussi sint Sacerdotes ab vxoribus quo tempore sacris operam dabant: merito nunc à Sacerdotibus requiri perpetuam continentiam, qui non per temporum vices, sed quotidie sacrificant: præsertim cum longè excellentior sit Sacrorum dignitas quam sub lege.

Verum scire velim cur non à vino quoq; & ficera abstineant.

Neq; enim præcepta quæ coniunxit Deus, separare fas est, vt dimidia tantum pars, alterâ neglectâ, seruetur.

Concubitus vxorum interdicitur non tam diserte quam vini potus.

Si legis prætextu cœlibatum iniunxit suis sacrificis Papa, cur vinum illis permittit?

§. 2. Hic

§. 2. Hic primo obseruandum est, eos quos per contumeliam Papistas appellat, esse Syricium Papam Episcopum ad Himerium, Innocentium I. Epistol. ad Victricium. Hieronym. in cap. 1. ad Titum. Gregor. Hom. 22. in Euangelia, Ambros. l. 1. de officijs cap. vlt. Illi enim exemplo castitatis Mosaicæ probant Sacerdotum Christianorum cœlibatum. Mihi satis erit Innocentij verba retulisse. Ep 2. c. 9. *Si priscis, ait, temporibus, de templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus vtiq; propter sobolis successionem vxorius vsus fuerat relaxatus, quia ex aliâ tribu, & præterquam ex semine Aaron, ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi Sacerdotes vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à sacrificijs diuinis, vel à Baptismatis officio vacent?*

Tantorum virorum, quorum auctoritas etiam sine argumento validior est, Caluinistarum, futili arrogantiæ, argumentum est. Causas vero & graues rationes Ecclesia habuit. Et hanc Hieronym. l. cit. proposuit, quod Christi corpus manducent. *Tantum, ait, interest inter propositionis panes & Corpus Christi, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur.*

Canon autem Apostolicus in edition. Biniana 25. ita habet τῶν εἰς κλῆρον προσελθόντων ἀγάμων, κελεύομεν διακόνους γαμεῖν, ἀναγνώστας καὶ ψάλτας μόνους. *Ex ijs qui cœlibes facti sunt clerici, iubemus vt solis lectoribus, & cantoribus liceat, si voluerint vxores ducere.*

§. 3. Pergit irasci Caluinus, & objicere. Cur non à vino quoq; ac sicerâ abstineant? *non enim separanda esse Domini præcepta, vt dimidia pars seruetur?* Quam facile respondeam, ipse æstimare potest, qui sacrificanti, aut cœnam, vt ipse loqui solet, sumenti vini vsum præceptum esse norit. Etenim sacerdotibus Dominus vsum vini præcepit, si eorum, qui in Eucharistiâ solum vinum, agnoscunt, aut specierum vini; si veritatis sententiam audiamus. Errat aliâ parte Caluinus. Non docet Ecclesia Sacerdotibus Christianorum lege Mosaicâ nuptijs interdictum, illam enim quo ad cærimonias sublatam fatemur. Sed ex illâ legationem Ecclesiasticæ legis vt eam suadeant, approbentq; sumunt patres, quos Caluinus Papistas appellat. Conuenientia, decentia, dignitasque legis comparatione veteris legis demonstratur, non transfertur obligatio veteris in nouam. Non ergo legem dimidiamus, quia illam legem non habemus: sed legem continentiæ ab Ecclesia latam obseruamus: id vero honestum esse ex Mosaicorum sacerdotum continentia docemus. Abstinentiam à vino non impetamus, quia eam perpetuam esse, in validis, senibus, infirmis, nimis durum est; etiam multis ad vitam necessariam esse scimus, cum Paulus vino modico vti Episcopum debilem iubeat. Quod si Ecclesia vinum quoque prohiberet, & siceram; iuberetq; aquæ potores esse, quas turbas non darent illi, qui pro nuptijs tam furiose depugnant?

VERSVS 24.

Post hos autem dies concepit Elisabeth vxor eius: & occultabat se mensibus quinque, dicens.

QVÆSTIO I.

Cur se absconderit?

§. 1. QVamuis ipsa Elisabeth causam dixerit; nondum tamen singulatim constat. Causa est: ὅτι οὕτω μοι ἐποίησεν ὁ κύριος, *quia sic mihi fecit Dominus*, & Syrus דחלין *Quia nempe.* Causa ergo latendi est conceptus in vtero filius. Cur vero tantum non modo in se & maritum, sed etiam in vniuersam gentem, atq; adeo cunctos homines collatum beneficium latebris compensare voluerit, inter auctores controuertitur. Origenes hom. 6. in Lucam, & Ambrosius, verecundia factum putant, quod partus sui erubesceret ætatem. Puduisse enim si non sui temporis partum vtero ferret, & intempestiue voluptatis indicia proderet. Quamquam in ea aliquam verecundiam fuisse non dubitem, adduci tamen non possum, vt eam latebrarum causam esse existimem. Rationes meas puto facile cuiq; probandas esse. Abscondit se mensibus quinq; mox vt concepisse se cognouit. At certè tribus prioribus mensibus vterus facile tegitur, satis erat à quarto, aut quinto mense latebras quærere, si eo verecundia impellebat: sexto autem mense latere desijt, postquam B. Virginem domo recepit.

Elisabeth ab scondit se.

Pudore an se abscondesit.

Initio se abscondit.

Deinde quid tam studiosè celaret, quinq; mensibus, quibus vix partus apparet, quod maiore admiratione hominum proditura erat sexto mense? Inconsideratus esset, nec graui & prudenti matronæ conueniens pudor, inusitato se modo abdere, & mox grauidam cunctorum oculis exhibere, maiore enim verecundia, in re subita, quam ea quæ sensim agnoscitur, animus pulsatur. Quid ergo celaret, quæ celari non possunt? Addo non tolere nec anus, nec iuuenculas præsertim apud Indæos de vtero erubescere, ne cum viro fuisse videantur, matrimonij enim præmia liberi sunt. Aliud ostendunt historiæ Rachelis, & Liæ. Agar concepisse se videns non erubescit, sed contemnit Dominam. Deniq; ipsa Elisabeth ostendit causam illam non esse. *Quia sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.* Significanter dixit, *in diebus*; nempe in hac senectâ, non modo se misericorditer à Domino aspectam, sed etiam, illis ipsis diebus opprobrium suum ablatum. Gaudebat enim causam pudoris, quâ ex sterilitatis exprobratione habebat oblatam: Et ideo se abscondit: non ergo ideo se abscondit, ne procax hominũ genus indecorã senectuti voluptatem exprobraret; ea enim & Abrahæ, & Saræ, & Zachariæ obijci poterat. At vero & illis, & huic gratulantur; v. 58. *Audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & gratulabantur ei, hanc gratulationem, & causam gratulationis ipsa perpendens se abscondit non pudore puellari:* nõ sunt coniugum illa, sed furtiuæ Veneris tegumenta.

Non videtur vterum celasse.

Conceptu opprobrium sublatum.

Quin etiam nequaquam decuisse arbitror grauem, & piam matrem familias, ea solum causa curam familiæ, maritique senis reliquisse, quod timeret ne vterus mox à conceptu appareret; etsi enim ob grauem causam illa sollicitudo domestica alteri commẽdari potuit, illa tamen quæ videtur verecundia satis causæ non habuit, & si quæ ita faceret, muliebriter potius, quam prudenter facere iudicaretur; magna est enim matrisfamilias in regendis domesticis obligatio: Videmus autem opulentissimas fœminas eas occupationes, & labores non refugisse: Gen. 18. 6.

Domesticæ consuetudo non permidari potuit.

§. 2. Nec vera est causa, quam nonnulli adferunt, eam de euentu dubitasse. Namcum vsque ad sextum mensem se occuluerit, constat de conceptu non dubitasse, cum præsentem cerneret in marito pœnam incredulitatis. Nec duæ causæ, quas Caluinus adducit, veræ sunt. Primo ait eam se abscondisse, ne variè loquerentur homines. Deinde vt cum subito grauidam cernerent homines magis excitarentur ad laudandũ Deum. Primum enim eodem redit, quod de pudore dixi. Tam variè n. de opere Dei disputare poterant, si subito grauida apparuisset, quam si sensim cognouissent. Imo maior inter improbos cauillandi occasio

Non abscõdit se quod dubitaret.

fuis-

fuisset, si subito tanquam ἐκ μηχανῆς prægnans processisset, alia igitur vera, & sanctæ matronæ conueniens causa sterilitatis inuestiganda est.

Abscondit se vt soli Deo vacaret.

§. 3. Causa vera est, Zachariæ & Elisabethæ ardens in Deum pietas, ac gratitudo, studiumq; beneficium Dei reuerenter accipiendi. Promisit Deus senibus & infœcundis filium, magnum, sanctum, replendum Spiritu sancto in vtero matris, cum qui Dominum præcederet in virtute Eliæ. Non ignorabat sanctissima matrona, solâ, ac merâ numinis gratiâ se tanto Prophetæ matrem designatam, suæ infirmitatis, ac defectuum seuera erat æstimatrix. Statuit itaq; de consilio sancti coniugis, à curis domesticis, & hominum conuersatione tantisper sese subducere, donec Spiritu sancto & proles, & ipsa repleretur.

Ioannes in vtero matris solitario formatur.

Certum tempus non erat constitutum, quo Ioannes Spiritu sancto in vtero repleretur, in omnem igitur se diem, horamq; parabat, & cultorem eremi in lucem productura, ipsa solitudinem domi quærit, ingressa in cubiculum soli Deo seruit. Erant sic in templo mulieres Deo sacratæ, erat Anna filia Phanuel c. 2. v. 36. Sola igitur manst, obsectans Deum dies ac noctes sic Act. 1. 14. se parabant ad accipiendum Spiritum sanctum. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Iesu, & fratribus eius.* Nec in eo differentia, quod ibi multi simul, hic vna Elisabeth, omnes enim in actis, exspectabant promissum Spiritum sanctum, hic sola cum filio Elisabeth; itaq; non ignara officij sui, eum continuâ oratione exspectat sollicita, ne sollicita & turbata circum plurima, in offensam, aliquam creatoris, aut pœnam incurreret, cuius in marito exemplum vidit. Nec animam tam piè sollicitam, Deiq; reuerentem euentus fefellit, v. 41. *Repleta est Spiritu sancto & prophetauit.* illi enim inter homines natos primum reuelatus est Christus. Hanc expositionem & pietati ipsius, & dignitati prolis, atq; Spiritus maiestati consentaneam planè arbitror. Atq; in parte multis matribus ad imitationem propositam, quarum est hoc munus vt fœtus salutem Deo multis precibus commendent. Quamuis enim solitudinem non sequantur, possunt tamen & debent animum frequentius à curis secularibus auocare, & pro infante suo apud patrem cœlestem intercedere.

Spiritum sanctum exspectat.

QVÆSTIO II.

Quod fuerit opprobrium Elisabethæ?

Sterilitas probro erat.

§. 1. Respexit auferre ἐπεῖδεν ἀφελεῖν *Intuitus est me, vt auferret.* Sterilitas si apud vllas gentes, certe apud Hebræos probro fuit. Matrimonij enim fructu priuantur, propter prolem suscipiendam nuptæ. Commune hoc gentibus est, & Iudæis; nam & in execrationibus deuouentium erat vsitatum orbitatem imprecari

Maxime apud Hebræos.

ἄγαμόν τ' ἄγονόν τ' ἀποθνήσκειν

Sine matrimonio liberisq; emori. Illud singulare in populo electo, quod cum ex eo nasciturus Messias esset, ad eam rem nihil steriles conferre possent, certoq; constaret se nullam cum eo affinitatem aut cognationem habituros. Insuper expertes erant diuinæ benedictionis Exod. 23. 26. Deut. 7. 14. & obnoxiæ videbantur contrariæ maledictioni. Hæ fermè causæ adferuntur, quibus in singulis nonnihil desidero. Quamuis enim in speciem sint probabiles, penitius tamen inspectæ parum firmæ apparent. Coniugij enim sunt etiam alia bona, non proles duntaxat, ideoque & aliæ causæ nubendi. Deinde vti probrosum non est, si filij moriantur, si mors nuptias anteuertat, ita non potest esse dedecus, si nulli nascantur liberi. De Messia minus longè petita ratio est; Ille ex tribu Iuda, deinde ex domo Dauidis erat nasciturus, quotus quisque regiæ domus affinitatem sperare poterat? Reliquæ tribus exortes erant tanti boni, nisi ex familia Dauid vxores haberent, aut in illam familiam nuberent. Probro autem alicui non est, quod plerisque commune est. Paucarum autem ea erat & incerta felicitas, genealogiâ Christi attingere. Nec ob benedictionem, quæ in lege est, probro dabatur infœcunditas, non enim singulæ benedictiones ad singulos pertinebant. Et ante legem Gen. 30. 2. & 33. eodem probro dabatur, imo apud Ethnicos, Spartiatas præsertim.

Messias ex vna nasciturus non

§. 2. Multo minus in contemptu steriles fuisse credendum, quod grauis alicuius criminis affines essent. Quamuis enim sterilitas aliquando pœna sit, non nunquam tamen sine vllo peccato contingit. Multi vt cœcitas, surditas, membrorum ariditas, aut mutatio aliquando crimi num pœnæ sunt, aliquando exercitamenta virtutum, ita etiam infœcunditas, adeo vt aliquando fœcunditas calamitatum sit origo, nec frustra Niobe queratur,

In pœnas fœcunda fui.

Quin nobilissimas fœminas steriles fuisse scriptum tradit, & ex sterilibus natus est miraculo Iudæorum populus.

§. 3. Hæc quidem omnia occasionem opprobrij dederunt, sed vera causa erat hominum improbitas alieno malo gaudentium, miseriæq; insultantium, & rat sterilitas naturæ defectus, vel calore nimium, vel frigore excedentis, vt alias causas non attingam. Malum hoc grande fœminis videbatur, tum quod solatio filiorum carerent, tum vero quod virorum alienationem viderent, vnde crebro alias illi vxores superinducebant, aut diuortia instituebant. Has ob causas cum solari miseras oportuisset, homines tamen plerique suæ sortis obliti, eas traducebant, aduersis earum lætabantur, miseriam obiectabant. Id hodie nimium etiam agitatur: Cœcos, claudos, surdos, mancos, irrident; nam defectus illos qui plus deformitatis, quâ calamitatis haibere putant, se iure suo exprobrare posse credunt. Miris itaq; aculeatilq; facetijs, blæsos, balbos, strabos, lippos, nasones, labeones, & quâcunq; parte deformes insectantur. Pars magna Romanorum nominum ex probro est. Hinc enim Nasones, Labeones, Frontones, Pæti, Planci, Scauri, aliaq; nomina, quæ primum rusticano conuitio in pastorum iuuentute imposita fuere, postea nobilitatis signa habita sunt. Ad eum etiam modum apud Iudæos inuisa sterilitas, non singulari aliqua causa, sed communi inhumanitatis vitio, & ὀμογαλαξίᾳ, quâ mala hominū hominibus voluptati sunt. Quo circa id notanter Elisabeth dixit: *opprobrium meum inter homines.* Procaces enim & improbi probro dabant, non boni, aut moderati. Sic Phenenna Annam diuexabat, & sterilitatem exprobrabat: Elicana vir eius nequaquâ, sed mœstitiam eius humanitate, & prudentia subleuabat.

VERSVS 2.

In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.

QVÆSTIO I.

Quis mensis sextus?

Sextus est mensis sextus illi, qua vocatur sterilis.

§. 1. Perspicuum est mensem sextum numerari à conceptu Ioannis, cum Angelus dicat, *Et hic sextus est mensis sextus illi, qua vocatur sterilis.* Itaque dies quo Zacharias incensum obtulit, non potuit esse expiationis. Consentiunt enim Augustinus l. 4. de Trinit. c. 5.

Chryl.

Chrys. Rupert. Lucidus l. de die passionis, Christum die 25. Martij conceptum esse, quo die etiamnum memoria annunciationis colitur, ostendit.

§. 2. Ex quo perspicuum est, inquam, non fuisse festum expiationis, cum Zacharias incensum obtulit. Ioannes enim conceptus dicitur 24 Septembris, vt habet Chrysostomus. Festum expiationis celebrabatur 10. mensis Tisri, qui partim Septembri, partim Octobri nostro respondet. Ita tamen vt decimus dies proximus sit Octobri. Ideoque conceptus Ioannis in Octobrem inciderit.

VERSVS 28.

Ingressus Angelus ad eam dixit, Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

QVÆSTIO I.

Vbi & quomodo eam salutet Angelus?

§. 1. IVdaicis fabulis simile est, quod in Proteuangelio Iacobi legitur, ad aquam hauriendam egressam esse, ex Rebeccæ historiâ sumpta est hæc fingendi occasio. In conclaui fuisse dubium non est, cum Angelus dicatur ingressus, ita Ambros. Euseb. Emissen. de Beata Virgine. Admiranda Dei prouidentia, qui mundum saluaturus, non humanâ potentiâ vsus est, sed vni virgini, deinde Elisabethæ, & Ioanni nondum nato mysterium tantum reuelauit.

§. 2. Formâ viri apparuit, aut per ostium ingressus, aut subito formato in ipso conclaui corpore se conspectibus obtulit, talis erat cum Danieli c. 9. & 10. visiones exponit. An alatus venerit dubium est Daniel. 9. c. 1. Gabriel *cito volans tetigit.* Daniele. Vtcunq; autem res habuerit, Angelum statim esse cognouit.

QVÆSTIO II.

Rectene noster vertit: Aue gratiâ plena?

§. 1. NOuatoribus postquam visum est, à nostrâ versione recedere, nullam in quâ acquiescerent, inuenire potuerunt. Primo quidem quod noster Aue dixit, Græce est χαῖρε, gaude. Auere est etiam gaudere. Angelum Syriacè locutum non est dubium. Non est itaq; alia in Hebræo salutatio quam quæ ordinaria fuit. Pax tibi שלום לך Syra habent לבי pax, & לבי tibi, sensum autem pro diuersa linguæ dialecto reddere satis est.

§. 2. Quod dicimus, *Gratia plena.* Alij *gratiosam, gratam, acceptam, gratis dilectam, gratiam consecutam, in gratiam acceptam gratis iustificatam.* Beza nostram versionem negat, *respondere Græcis, & occasionem præbuisse, parum apposite in hunc locum scribendi.* At si cæteras expendamus versiones, vel Græcæ dictiones vim non exprimunt, vel certè, illi non respondent, dum addunt, *consecutam dilectam*, iustificatam, quæ non sunt in verbo Græco.

Deinde Græci & Latini patres sic exponunt. Epiph. hæres. 78. Athanas. Sermone de deipara. Orig. hom. 6. Et Latini Aug. Enchir. c. 36. & alibi in Sermonibus. Plura Canisius l. 3. c. 3. Marialis citat. & Vincentius noster. Cum igitur de prisco vsu Ecclesiæ consensu constet: explicandum est, cur verbum, κεχαριτωμένη Latini verterint gratiâ plenam, & Græci ita exposuerint. Antiquissima est enim illa interpretatio: Erasmus, inquit, Tossanus & Lutherus vertunt gratiosa vel amabilis. *Melius Ambrosius quem noster sequitur gratiam consecuta, nam vt v. 30. dicitur: Inuenisti gratiam, apud Deum, Pontificij legunt, gratia plena, & ex tali lectione inciderunt in aliquot errores, ac si virgo talem plenitudinem gratiæ haberet, quam aliis impertiretur; ex qua esset hauriendum: quod est blasphemum: quandoquidem Christus is est solus, de cuius plenitudine omnes accipiunt, & vocabulum κεχαριτωμένη, nullo modo talem plenitudinem significat. Nam & omnes filij Dei κεχαριτωμένοι dicuntur Ephes. 1. & ad Coloss. 3.* Erasmus sic de Bernardo queritur, eum philosophari:

De Ambrosio impudens est mendacium, verba eius sunt. *Soli Mariæ*, ait, *hæc salutatio seruabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam quam nulla alia meruerat consecuta est, vt gratia repleretur auctore. Erubescebat ergo Maria, erubescebat etiam Elisabeth. Et ideo cognoscamus quid interfit inter mulieris & virginis verecundiam. Illa de causa erubescebat, hæc pro verecundia. In muliere modus pudoris adhibetur, in virgine pudoris augetur gratia.*

§. 3. Nostra versione igitur, quæ Ecclesiæ communis fuit, vsus est Ambrosius. Atq; ea vis est Græci verbi κεχαριτωμένη. Etenim verba à nominibus deriuata, & in όω desinentia, significant quandam rerum in id quod de illis dicitur mutationem, aut sanè actionis, & qualitatis intentionem, qua res penitus eo, quod de ipsa dicitur imbuta, & plena significetur. Exemplum est. χαὴς gratia est, χαείτω & χαειτωμαι χαείτω. rem facio quæ alicui grata sit, indulgeo &c. & χαειτόω actiuum est aliquem inutatione seu actione facere gratum seu gratia præditum, ita vt omnino sit gratia plenus. Sic πῦρ, ignis, πυρόω inflammo, in ignem verto, πυρόμαι ignior, seu ignis fio, igneſco. Id mille exemplis demonstrare promptum esset. Quemadmodum igitur πεπυρωμένος recte dicitur, igneus, ignitus, igne plenus, vt cuius natura in ignem versa videatur, ita κεχαριτωμένος gratificatus, totus in gratiam versus, seu plenus gratia: quam vim nulla versio nouatorum expressit. Patres autem ita explicuerunt. Nec alius sensus est Ephes. 1. 6. vbi dicitur nos gratificasse in Christo ἐχαείτωσε. Ibi enim loquitur de gratia filijs Dei in communi data, quæ magna est, ita vt omne donorum genus complectatur, ita vt desit quicquam in vlla gratia, non quod singulis omnia, sed quod Ecclesiæ vniuersa collata sint, singulis plura, vel pauciora, prout illi placuit, à quo sunt omnia: Pessime itaque vertunt illum locum, *gratis dilectos, acceptos fecit, &c.* Ipse Beza fatetur Paulum cum dixit, ἐχαείτωσε, *ficto verbo vsum, quod sit in Hiphil, hoc est, respondeat coniugationi Hebrææ Hiphil*: Illa vero verba absoluta in Kal, facit transitiua, quæ vero sunt in Kal transitiua, in Hiphil duas actiones significant, aut vnam admodum intensam & efficacem, itaque χαειτόω si accipitur simpliciter, est gratificare, ea significatione qua πυρόω, *significare*, si pro Hiphil intenditur significatio, & consequenter in Haphal κεχαριτωμένη, πεπυρωμένη, gratificata, ignificata, gratia plena, igne plena, quasi in ignem, vel in gratiam versa.

Gracum verbum significat gratia plenam.

Christus Ecclesiam gratia plenam fecit.

Beza χαειτόω recte exponit.

§. 4. Quod vero Coloss. 3. omnes filios Dei dicit κεχαριτωμένους, nimis secura sui fraus est. Versu 13. habetur in hunc modum ἀνεχόμενοι ἀλλήλων, quæ χαειτόμενοι ἑαυτοις, ἐαν τίς πρός τινα ἔχει μομφήν. καθὼς καὶ ὁ χριστὸς ἐχαείσατο, ὄρα, ὅτο καὶ ὑμεῖς. Vbi est ἐχαείτησε, *donauit, indulsit, condonauit*, non est χαειτόω, non est ἐχαείτωσε. Duo itaq; crimina falsi, tum Beatam Virginem oppugnat, Tossanus committit. Primo Ambrosium falso citando, deinde scripturam.

§. 5. Catholicos tamen in aliquot errores incidisse ex ea lectione putat. Primo *ac si virgo talem plenitudinem haberet, quam aliis impertiretur, atq; ex ea hauriendum sit.* Hæc manifesta est calumnia, verum enim sensum fugit, falsum nobis affingit.

Vera

Maria plena vt riuulus Christus vt mare.

Vera sententia est. Mariam virginem magnâ gratiâ donatam esse, plenam esse, sed vt riuulus plenus, aut vasculum dicitur, Christum plenum, vt mare plenum dicitur; de Christi plenitudine, & nos omnes, & B. Virginem accepisse. B. Virginem nihil nobis nisi pro nobis, & nobiscum orando impertiri. Si quis vero existimat illam, de suâ gratiâ nobis posse largiri, aut aliam in nobis efficere, eo modo quo Christus dicitur dare vel efficere, anathema sit. Non facimus ex Mariâ deam, nec Christi officia illi tribuimus, nec dubitamus tamen Angelum peculiari titulo matrem Dei futuram fuisse allocutum. Verbum igitur κεχαριτόμενη sic accipiendum est, vt similia, iam allata vt κεχαλαζωμένη dicatur, vti solent dicere κεκρυσταλμένη glacie glaciata constricta, κεκλεξωμένη, obliquata, aliaq; quæ ita actionem & mutationem significant, vt merito plenitudinis vocabulo explicentur; nec alia Syrorum habet expositio מלית טיבותא plena gratia. Sic Lutherus Diabolificatos vocat Caluinistas, διαβολωμένους. Quæ omnia plenitudine illa non exaggerantur sed amplius aliquid significant.

Maria non est efficax gratiæ nisi Christum pariendo, aut intercedendo.

QVÆSTIO III.

Liceatne vti nobis dictâ salutatione?

Accusatio recitantium salutationem Angeli ā.

„ §. 1. GRauiter eam Caluinus incusat: [Quod si
„ Mariæ, *ait*, fœlicitas, iustitia & vita ex gratuito
„ Dei amore fluant, eius virtutes, totaq; excellentia,
„ mera est Dei liberalitas: plusquam præposterè faci-
„ unt qui ab ea perendum docent, quod aliunde nobi-
„ scum habet. Nimis verò crassa inscitia Papistæ salu-
„ tationem hanc, quasi Magico exorcismo, in preculam
„ verterunt: atq; eò prorupit vesania, vt concionato-
„ ribus fas non sit, Spiritus gratiam pro suggestu petere,
„ nisi per suum Aue Maria. Atqui præterquam quod
„ sola gratulatio hic habetur, temerè sibi alienum offi-
„ cium vsurpant, quod Deus non nisi Angelo iniunxit,
„ bis autem stulta æmulatio, quod absentem salutant.]

Eadem paucis verbis immutatis Tossanus habet, & nonnulla de suo veneno adijcit. Equidem omnia illa ex mera Dei misericordia habet, & hoc quoque, vt oratione sua miseris succurrere possit. Nam amicitia Dei ad salutem aliorum vti posse gratuiti muneris est. Cur autem ad dona Dei impetranda non vtamur idcirco eius intercessione, quia & ipsa de gratia Dei habet, quicquid habet, nulla causa est. Nam à diuite eleemosynam egenus petit, quam tamen dives non nisi aliunde habet. Quin & Paulus aliorum orationem pro se petit, quos tamen orandi gratiam non nisi aliunde habere ipse optimè norat: vt qui docuerat, ne nomen quidem Iesu nos posse sine Dei spiritu dicere. Srultum est igitur, nolle ab eo accipere, nisi qui aliunde non habet, nolle alienam orationem admittere.

Maria omnia ex Dei gratia habet.

Ex donatis donare honestum est.

Salutationi preces subdimus.

Nec salutationem in preculam vertimus; sed preces addimus, non quibus deam, sed Dei matrem agnoscimus; *mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ.*

Laudare Dei matrem hæreticis est magia.

§. 2. Nimium vero indigna calumnia est, cum ait nos velut magico exorcismo in preculam vertisse. Verba sanè Angeli magicum nihil continent. Ipsa verba Dei sunt, & pars scripturæ sacræ, nos illa vsurpamus vt matrem Dei laudemus, illi gratulemur, non hoc magis magicum est, quam aliæ sanctorum laudes. Quamuis igitur fremat stigmatias. *Laudemus* (Eccl. 44. 1.) *viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à seculo Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua prædicti nunciantes in Prophetis, dignitatem Prophetarum, & imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populo sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum. Homines diuites in virtute pulchritudinis studium habentes; pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.*

Si viros glorioſos, cur non & Domini matrem? Cur Angelus eius salutator non est magus? Et nos qui eum sequimur, esse dicimur.

§. 3. *At nobis Deus illud non demandauit, sed Angelo.* Nec mandatum legimus Elisabethæ vt diceret, *Benedicta tu inter mulieres*, quod Angelus ante dixit; Elisabeth *benedictus fructus ventris tui*, quod de suo addidit. Quis igitur liceat nobis quod Elisabethæ? Cur titulum matri demus Dei matri, quem Deus per Angelum dedit? quem in parte Elisabetha repetiuit? Non alia mente id agimus, quam, vt Dei erga illam dona, & per eam in nos deriuata recordemur, per eam inquam, per quam datus est saluator mundi: Ridiculum porro nullam salutationem nisi Deo mandante licitam esse. Hoc vero obseruamus, vt cum Angelo mandata duo sint: Salutatio, & incarnationis denunciatio. Nos hanc non amplius annunciamus, postquam mysterium peractum est redemptionis. Salutationem vero iteramus, quia nomine, & titulo, quo illam Angeli dignantur, appellamus.

§. 4. Denique *absentem* queritur *salutari*. Absentem salutamus, quia intelligentem, ideoque salutationi nostræ satis præsentem, vt quempiam alloquamur, non opus est, nec sufficit præsentia corporum: Abunde est, si audiamur, si intelligamur. Itaque surdum frustra salutes præsentem, amico per literas, aut alienum ministerium absenti loquens. Si nos mentis nostræ & voluntatis signa absenti mittere possumus, non poterit Deus matri suæ fidelium vota absentium repræsentare? Quod cum modis multis fieri possit, quibus Deo vti placitum sit, hoc loco disputandum non est. Si Angelus Virgini Elisabethæ conceptum, & in sextum iam mensem, indicauit; si Elisabethæ, & Ioanni Christum in vtero demonstrauit, miro, sed occulto modo; non poterit iam gloriosæ in cœlo nostras preces indicare?

§. 4. Porro Daniel Tossanus, vt impertè mendax est, alia miscet. Primo, *salutationem angelicam in Papatu maioris efficaciæ, & religiosioris obseruantiæ habari, quam orationem Dominicam.* Hoc mendacium non impar est alteri Caluiniano, cum dicit Caluinus; *Concionatoribus non licere gratiam Spiritus sancti petere, nisi per Mariam.* Quæ lex tota in Ecclesia nulla est. Impertior tamen est Daniel Tossanus. Dei cultum virtutem religionis esse docemus, Beatæ Virginis, non modo non religiosioris, sed ne religionis quidem esse religionis dicimus. Ita de religione D. Thom. 2. 2. q. 81. a. 1. & eo loco Theologi. Ex dicto Aug. l. de vera relig. Religet nos religio vni omnipotenti Deo.

Precatio, inquit, *cum salutatione confundi non debet.* Non video, quid homo perditæ insciteæ sibi velit. Si enim id vult, non licere eâdem in oratione salutare, & orare. Dauidi, & Spiritui sancto in Psalmis pene omnibus controuersiam facit. Pleni sunt laudationibus, titulis, salutationibus, benedictionibus, & precibus. Vsitatum est oraturis salutationem præmittere. Si vero verba salutatoria, negat esse precantis, consentientes nos habet, quamuis opportuna salutatio nonnunquam precandi vices subeat.

§. 6. Pergit tamen sibi latuas fingere. *Stultum est, absentem virginem non solum absentem alloqui, sed alloqui de singulari futuræ conceptione, quæ dudum præterijt, & semel tantum facta debuit.*

Rectè omnino facit, non mentiendo, sed tam manifestum mendacium repetito solœcismo pro sententia bona Syntaxi digna fuit. Nos

de futura conceptione Mariam non alloquimur, multo minus à nobis illa alloquitur. In salutatione angelica verba illa, *concipies in vtero*, nunquam vsurpamus. Si aliquando eam de conceptione alloquamur, de præterita alloquimur. Hinc illa: *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris filium.*

Et: *Enixa puerpera regem*
Qui cœlum terramq; regit.

Nondum cessat audax imperitia. *Si gratulandum est Virgini, certe gratulandum esset, quod Saluatorem non in vtero, sed corde gessisset.*

Imo gratulandum de vtroque; & gratulamur quod in corde gestarit, dum *gratiâ plenam, Dominum cum ea, Benedictus* dicimus *inter mulieres.* Si quis negat illi gratulandum quod in vtero conceperit, in Dei gratiã ingratus est. Angelus nos ea de re gratulari docuit, cũ ait: *Et ecce concipies.* Elisabeth ipsa de conceptu illi gratulatur. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Gratulatur illi, quia benedicta, & quia fructus ventris eius benedictus. Gratulatur sibi, quia mater Domini venit ad se, & non gratulatetur matri Domini, quia mater Domini est? An non magna dignitas est, esse matrem Domini, cum tanti esset visitari à matre Domini?

§. 7. Denique negat nos eam salutationem vsurpare eo modo & fine, quo à Deo instituta fuit. Duos enim fines habuisse ait, Peculiarem respectu Mariæ, quia fuit exordium colloquii. Generalem respectu nostri, vt nos admoneremur de veritate conceptionis.

Nos easdem etiam causas habemus, Nam Mariam rogaturi hoc exordio vtimur, & de ingenti gratia Dei, qui conceptus, & natus homo est, admonemur nos q; adagendas gratias excitamus.

Nobis enim ad fidem, spem, caritatem illa subsidio sunt, cum aliena bona nostra ducimus. Nos enim patrem & ß. Virgo per filium redempti sumus.

VERSVS 29.

Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.

QVÆSTIO I.

Cur nam turbata est?

§. 1. GRæcè habetur in hodiernis ἰδοῦσα, *cum vidisset.* Ita Syrus quoque בחזתא *chazath.* Ita quoque Ambrosius, Theophylactus, Euthymius; duplex est igitur lectionis modus, noster legit ἀκούσασα, *cum audisset*, ita esse in quibusdam veteribus constat, quod etiam Beza testatur. E contratio, quædam Latina habent, *vidisset* Brugens. in not. ad Lucam.

Duo manuscripta, inquit, *ab Hentenio annotata, vnum nostris, Brugense, & quædam alia Zegeri, pro audisset, scribunt vidisset, continentibus Græcis libris at Syriis, & Dino Ambrosio adstipulante, qui habet: Ipsa autem vt vidit eum mota est.*

Constat melius cohærere verbum, *audisset*, nec enim tantum visu, quantum sermone turbata est; quamuis enim sine dubitatione Angelus cum maiestate apparuit, non tamen sine causa Euangelista monuit, turbationem ex sermone ortam. Nam quod Beza, Tossanus, alique negant, eam Angelorum apparitionibus assuetam, cum hoc virginis puritas, suadeat, & Patres asserant, Ambrosius hunc in locum & alii, contemnendum est. Turbata autem vehementer est, διετάραχθη, quod timorem grandẽ, & concussorium significat, diciturque propriè de liquoribus dum agitantur, miscenturque, Od. ε.

Ἐτάραξεν δὲ πόντον.

Turbauit mare. nec mediocrem turbationem indicat, sed eam quâ

Imis furit æstus arenis.

Itaq; Maria turbata contremuit, & meditabatur, qualis esset illa salutatio.

Turbata formâ & maiestate viri, vt Ambrosius ait, turbata auditu, vt Origen. Chrys. Hieronym. itaq; vtroque modo. *Visu & sermone turbata.*

Maximè quod de fine & scopo salutationis, vt ait Syrus מיתחשבא *Methchascheba, accuratè meditabatur*, qualis esset illa salutatio, tam magna, à Deo, per tantum legatum.

VERSVS 30.

Et ait Angelus ei, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.

QVÆSTIO I.

Quomodo inuenit gratiam?

§. 1. INuenire gratiam est Deum habere fauentem, Deo placere. Genes. 6. 9. & 18. 3. Idoneum esse, cui gratia detur. Caluinus, *non dici inuenire gratiam, qui eam quæsiuit, sed cui vltrò oblata est*; Beza, vt magistri sententiam firmaret, maluit Spiritum corrigere, quam vera dicere: vertit enim *es in gratia.* [Neque hic, *inquit*, quicquam valet quod de meritis quidam nugantur. Nam ne Græcis quidem προσθῆναι, semper dicitur de eo, quod labore tuo vel collatis beneficiis fueris adeptus (quemadmodum explicatur ab Vlpiano Grammatico, & vsurpatur Rom. 4. 1.) sed interdum etiam de eo quod tibi nihil tale quærenti vel speranti obtigerit, nedum vt studueris promereri. Sic Greg. de Saule loquens, Israelis Rege designato præter omnem spem & exspectationem ὃς (φησὶ) τὰς ὄνους ἐπαπεζὸς ἐπεζητῶν, βασιλείαν εὑρέσθαι.] *Inueniunt quærentes, & non quærentes.*

§. 2. Inueniunt crebro qui non quærunt, sæpius tamen illi qui quærunt. Nos B. Virginem in ipso conceptu sanctificatam, non possumus dicere gratiam quæsisse, quam cum ipsa creatione nacta est, non magis, quam ipsam creationem. Non tamen inueniendi verbum ab Angelo positum nostrâ censurâ inducimus. *Beza correxit Lucã. Inuenire dicuntur etiam qui quærunt.*

Primo, quia discere linguam veritatis à Spiritu sancto, quam docere eum, iustius est. Deinde quia verbum Hebræum מצא *matza*, vtrumque significat, vel studio & diligentia, vel opportunitate, & alia agentem inuenire. Quærentem inuenire significat Genes. 2. vers. 20. & 8. 9. & 26. 28. & vers. 12. 19. 31. & 27. 20. & 31. 32. & 33. 35. & v. 37. adeoque sæpius, in eâdem Genes. nedum in aliis libris, non ergo ad vnam significationem restringi debuit.

Tertio, Beata virgo quamuis primam gratiam non quærens inuenit, maiorem tamen indies quæsiuit, & quæsitam inuenit. Nam & tum valebat Prouerbium. *Querite & inuenietis.* Sapientiam quærere consuerat, & inuenit. Nec verum est, inuenire gratiam eos tantum, qui non quærunt, etiam de illis qui quæsiuerunt, dicitur. Genes. 6. 8. Noe inuenit gratiam, quam tamen inquisiuit, vir erat enim iustus in generationibus suis. Et Abraham Genes. 18. vers. 3. 30. 13. Gratiam inuenit, sed quærens. & Genes. 39. vers. 4. Ioseph inuenit in conspectu Domini sui gratiam, sed fidelitate & *Beata Vir go etiam gratiam inuenit. Quæsiuit.*

prudentiæ quæsitam. Prima quidem gratia omnibus non quærentibus datur, sed qui prima vtuntur, incrementum inueniunt. Hac de Theolog. in 3. senten. distinctio. 3. & in 3. pagin. quæstio. 37. disputare solent. Non esse nugas vt Beza putat, Mariæ merita agnoscere, iam olim docuit Augustinus de bono coniugali, cap. 25. *Excepta igitur, ait, quibusdam illis coniugatis, patribus & matribus sanctis, quibus ideo isti meliores non sunt, quamuis coniugati non sint, quia si coniugati essent, pares non essent; cæteros omnino huius temporis coniugatos, vel post expertum concubitum continentes à se superari non dubitent, non quantum ab Anna, Susanna, sed quantum ambæ à Maria superantur. Quod ad ipsam pertinet sanctam carnis integritatem, loquor. Nam quæ alia sint Mariæ merita quis ignoret?*

Magna igitur Mariæ merita, quibus per gratiam efficacem aliam inuenit, & omnium hominum perfectionem superauit.

VERSVS 31.

Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.

QVÆSTIO I.

Qualis filius Mariæ?

Christus magnus respectu omnium filiorum Dei, qui omniũ caput.

§. 1. MAgnus alia magnitudine quam Baptista, *vt cuius magnitudinis non sit finis.*

Quisque in suo ordine magnus, & beatorum nemo non magnus, quia maior omnibus Regibus Regum. Absolute igitur magnus, vt de quo dictum sit: Magnus Dominus & laudabilis nimis.

Non probo quod Euthymius perpendit verba. *Erit magnus*, & de opinione apud homines intelligit. Nam ea ipsa dicebat eum iam esse magnum. Deum scilicet. De persona enim composita, seu Deo homine, filio Virginis, hoc est accipiendum, qui ante conceptionem non erat Deus homo.

Magnum autem eo modo quo solent Reges, vt ostendat non eo modo magnum quo cæteri filii à Deo adoptati magni sunt, sed omnium magnorum Dominum & Regem esse.

VERSVS 32.

Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum.

33. *Et regni eius non erit finis.*

QVÆSTIO I.

Cur dicitur accepturus regnum Dauidis?

Christus temporale regnum Dauidis

§. 1. DAVIDIS in Israele regnum CHRISTVS non obtinuit, nec enim temporarius Iudææ Rex fuit, cæteræ verò tribus in dispersione manserunt. Regnum igitur Dauidis obtinere dicitur, quia Dauidis regnum temporale, CHRISTI regni, quod in totum terrarum orbem protenditur, est figura. CHRISTI typus ipse Dauid, quare etiam Dauid ipse vocatur. Ipse enim *constitutus est Rex super montem sanctum eius.* non solum

Obiicit Arrianus. *Deus illi dabit; non ergo natura habuit, qui accepit, non ergo Deus est.*

Respondeo. Quosdam interpretati, dedisse; quia declarauit eum Regem esse, sed rectius dicimus, accepisse secundum humanam naturam non diuinam.

Qua de alio loco ex S. Athanasio, aliisque patribus disputaui.

QVÆSTIO II.

An idem Deus & homo?

§. 1. NEstorium Angeli verbis refutarunt antiqui Patres. Hic enim idem est qui dicitur altissimi filius, & qui de Virginis vtero nascitur. Non ergo alius Dei Filius, alius Virginis, sed vnus idemque, quod etiam clarius exponitur cum dicitur. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Aug. Cyrill. Ephes.

Filius ergo Dei, hoc est secunda persona in sanctissima, de Beata Virgine nascitur, Deum ergo illa genuit, nec duæ sunt, in CHRISTO personæ, nec DEI filius à Virginis filio distinctus est. Sed vnus idemque filius, & ipsa, non modo χριστοτοκος, sed etiam θεοτοκος.

QVÆSTIO III.

Quamdiu & vbi regnabit?

§. 1. NVLLAM metam, nulla tempora posuit. Imperium sine fine dedit. Regnum hoc Christi est æternum, de quo Danielis 3. Lapis enim ex monte absciſſus in hoc regnum creuit, de quo in libris Regum, & in Danielem actum.

§. 2. In domo Iacob, non vna alteraue tribu, vt posteri Dauidis. Nomine autem Iacob intelliguntur omnes tribus, ac consequenter orbis terrarum; sic Apocalyp. septimo, vers. quinto. & vndecimo, duodecimo.

Præcipua autem regni maiestas in Ecclesia militante & triumphante relucet. Hæc est enim domus Iacob, quem Deus dilexit.

QVÆSTIO IV.

An quia filius altissimi est, sit etiam Deus?

§. 1. EAdem verba ad CHRISTI astruendam diuinitatem orthodoxi, ad destruendam Ariani vsurpant.

Orthodoxi primo statuunt, vocari esse idem, quod esse. Isaiæ capit. primo, vers. vigesimo sexto, & cap. quarto, vers. tertio. nec hoc solent Ariani negare plerique.

Deinde altissimum esse vnum ex nominibus Dei, quod Hebraicè dicitur עליון *chelion*, & absolute pro Deo ponitur. Numer. vigesimo quarto, vers. decimo sexto. Deuteronom. cap. trigesimo secundo, vers. octauo. aliisq; plurimis. Et hic quidem cum Arianis Pelagianis vobis conuenit. Dicunt tamen esse filium altissimi eo modo quo Prophetæ, & viri sancti, gratia & adoptione.

Ac vero

At vero de Christo omnino aliter loquitur Angelus, ideo enim filium altissimi vocat, quia de Spiritu sancto concipietur.

Omnes cæteri, etsi filii Dei sint, dicuntur ita tamen filii altissimi, vt suos habeant in terra Patres.

Vim habet ille locus ex altera S. Pauli ex Psalm. 2. Hebr. 1. 5. Cui aliquando Angelorum dixit, *Filius meus es?* Ita Angelus Filium Dei appellat, vt Dauid, & Paulus: illi vero Filium Dei sic nominant, non vt sit minister, sed Dominus.

§. 2. Occurrunt tamen Ariani: item Seruetus. Vocabitur, non ergo tum erat, sed futurus erat. Non ergo Deus est, quia aliquando non erat.

Respondeo. Qui Deus erat tantum, cum homo factus est, tum vocatus est Filius Dei. Itaque Angelus de homine loquitur, qui Deus ante conceptionem non erat, nec homo. In carne manifestandus est Deus, qui æternus est.

VERSVS 34.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.

QVÆSTIO I.

An dubitarit B. Virgo?

§. 1. HÆsitationem in eâ Chrys. hom. 47. in Gen. Nyss. in orat. de B. Virg. arbitrantur, sed quam prudentiæ, non culpæ deputent.

§. 2. In Beata Virgine omnia illa fuerunt, Fides, admiratio, dubitatio. Fides quidem; Elisabeth enim vers. 45. eam collaudat, *Beata quæ credidisti.* Itaque & posse Deum, & velle credidit. Neq; enim dicendum est, eam adeò diuinæ omnipotentiæ fuisse insciam, vt non crederet Deum, qui ex limo protoplastes formauit, eundem posse ex Virginis sanguine formare hominem.

Admirata autem est, sibi tanta deferri, cum vilem se æstimaret. Mirata est modum, totamque regni rationem, cum audiret regnum CHRISTI filii sui describi.

Dubitauit vero non de potentia aut voluntate promittentis, sed de ratione & modo, quo promissa DEVS erat effecturus. Cum enim audit concepturam & parituram, sed dubitat, quomodo conceptura sit, cum virum non cognoscat. Non est igitur causa cur aliud dubitasse eam dicamus, quam quod quæsiuit. Quæstio proposita, dubitationis modum ostendit. Sic Nicodemus de regeneratione Christum audiens, non an futura sint, quærit, sed quomodo possint fieri? Sancta illa mater septem martyrum 2. Macc. 7. vers. 22. non dubitat, filiorum membra in vtero esse formata, & compacta, quomodo tamen id factum sit, nescire se profitetur.

Cum igitur Mariam Angelus non reprehendat, vt Zachariam incredulum, & eam Elisabeth, iam plena Spiritu, *Beatam* pronunciet, *quia credidit*: cum eius interrogatio de modo conceptus duntaxat instituatur, cum eum Angelus explicet, ostendatque integra atque illibata virginitate futurum, non oportet nos prauæ suspicione peccata illi imputare, quæ nulla fecit.

§. 3. Detestanda igitur *Caluini blasphemia. Videtur sancta Virgo non minus malignè restringere Dei potentiam, quam prius Zacharias. Quod enim præter communem naturæ ordinem est impossibile esse colligit.*

Si enim hoc fecit, iam non sancta, sed Dei omnipotentiæ infidiatrix perfida. Itaque Ambrosius, Cyrillus Cateches. 12. Augustinus homil. 44. de temp. Theophylactus, Beda, admirantis esse censent. Cum sciret religionem voti sibi seruandam mirata est, & dubitauit, vt illi putent, de tam ingenti promissione. Nec enim Virginis fœcundę exemplum norat.

§. 4. Cum verbum cognosco de præsenti & præterito tempore intelligi non possit, alio modo interpretari oportet. Nec enim dicit se vel ante, vel nunc non cognouisse vel cognoscere, hoc enim ad Angeli legationem nihil pertinebat. Respondere enim poterat, Tum cognosces, quando concipies. Ad hoc ergo Maria quæstionem proponit. Tu ais: Concipies. At ego virum nunquam cognoscam: quia voto virginitatis obstricta, religione ab vsu coniugii impedior. *Cognosco ad præsens, & præteritum referri nõ potest.*

Nisi enim votum castitatis obstitisset, non poterat videri vllum impedimentum conceptionis. Nubilis erat, nupta erat, fœcunda erat, aut sanè de infœcunditate nihil constabat. Nulla lege ne virum cognosceret, vetabatur. Cum igitur ait, *virum non cognosco*, significat id sibi ex voto licitum non esse, & Angelo quasi voti gnato loquitur. *Votum castitatis tantummodo erat impedimentum.*

An ante an post coniugium votum fecerit Theologi disputant. Nyssenus ait, Deo ab infantia cum voto castitatis consecratam. Maldonatus mauult ante coniugium, nunquam enim corpus periculo corruptionis exposuit. Verum in Matth. de hac quæstione disputatum est.

Constat enim ex S. Augustino, coniugium esse posse, non misto, vt ille loquitur, corporis sexu, sed mentis affectu.

QVÆSTIO II.

Quid superuenire Spiritum sanctum?

§. 1. INeo versatur Angelus, vt violandæ castitatis metum demat castissimæ virgini. Itaq; monet ne complexum viri suspicetur. *Superuenturum* (ἐπελεύσεσθαι) *Spiritum sanctum*, de cœlo desuper, eumque sanctissimè, puritate diuinâ, fœtum formaturum, viuificaturum; signatâ sanctificatâ, non læsâ virginitate: *superuenire*, dicitur aliunde, non enim ex naturæ operatione conceptus futurus erat.

QVÆSTIO III.

Quod sanctum nascetur?

§. 1. Tὸ γεννώμενον quod *gignitur*, seu *nascitur*. non natiuitas, sed conceptus significatur. Ita vocat Christum Deum hominem, qui natus dicitur secundum humanitatem. *Spiritus sancti operâ corpº Christi formatũ.*

Ex te, in Græcis ferè absunt illa verba. Irenæus lib. 5. cap. 1. Euthymius, Theophylactus omittunt. Apud Irenæum tamen lib. 3. cap. 23. paulo aliter. Verba sic iungenda sunt, *Sanctum* quod ex te *nascetur*, *vocabitur filius Dei.*

Sanctum Maldonatus aduerbialiter dici, ex Leone serm. 1. de natiuitate. Alii melius sanctum vocant ipsum CHRISTVM, qui, quia Deus est, ex se sanctus est.

§. 2. Hoc, hoc loco Nestoriana hæresis refutatur. Hoc enim sanctum, quod ex Virgine nascitur, est filius Dei, non alius, qui ex Virgine natus, nec duæ, sed vna est persona. *Idem filius Dei & Virginis.*

Nec responsio valet, cum aiunt, *erit filius Dei, quia non ex viro, sed de Spiritu sancto nascetur: quod verum esset etiam si Deus non esset, si enim Deus in vtero Virginis formaret hominem, qui nasceretur, singulari modo filius Dei esset, vt fuit Adam.*

Respondeo. Causam autem reddit angelus, cur sit vocatus filius Dei, quia *superueniet Spiritus sanctus*. At quia contra Nestorium agitur: firmum est argumentum. Ille enim Christum Dei filium Deum fatebatur. At ille idem sic nascitur, Filius Dei igitur nascitur. Eodem argumento Anabaptistæ aliique refutantur.

QVÆSTIO IV.

Quæ virtus altissimi & obumbratio?

Obumbratio virtus Christus.

§. 1. CHristus. nam virtutem altissimi obumbrationem sacri corporis factam esse rectè dici potest. nam Christus vt virtus Dei Patris, & Virginem ipse obumbrauit, texit, ac protexit. Chrysostom. hom. 49. Gregorius l. 18. Moral. c. 12. Quamuis enim totius sanctissimæ Trinitatis commune hoc opus; filius tamen hoc ipso quod de virgine natus est, eam obumbrauit.

Et Spiritus sanctus.

§. 2. Nec minus virtus illa dicitur Spiritus sanctus, vt sit emphatica repetitio prioris sententię vt Euthym. & Maldonatus; nam effectio incarnationis est totius Trinitatis, sed tamen peculiariter Spiritui sancto attribuitur.

Obumbratio protectio.

§. 3. Adumbratio seu ἐπισκίασις imprimis est defensio cum aliqua refocillatione. Psalm. 16. vers. 8. & 56. vers. 2. Isa. 30. vers. 2. Præstitit Virgini refrigerium menti corporique, vt Greg. cap. 33. moralium. Alio etiam modo Theophylactus interpretatur ἐπισκιᾶν esse σκιαγραφεῖν, quod lineamenta formauerit. quod huc non pertinet.

Quomodo obumbrato.

Obumbrauit ergo Virginem Spiritus sanctus singulariſſimè tuendo, recreando, fouendo. Nec hoc tantum, sed etiam honorando, & Deo consecrando.

Gloria igitur eam coronabat, qua in significatione vmbrandi verbum Latini vsurpant, Statius 6. Thebaid.

Nuper Olympiacis vmbratus tempora ramis.

Et Claudianus Paneg. in Olibrium.

Flaua cruentarum prætenditur vmbra iubarum.

Honoris ergo est etiam & à virtute altissimi obumbrari.

QVÆSTIO V.

An omnia possit?

Omnia Deus facere potest, quæ fieri possunt.

§. 1. AVgustinus cap. 5. de ciuitate cap. 10. & libro 26. cap. 5. contra Faustum omnia posse præter ea quæ posse non est potentiæ, sed impotentiæ; quæque si posset, non esset omn potens, ita Genes. 17. v. 33. Sapient. 15. Potentia enim Dei omnia comprehendit, quæ fieri non repugnant. Πάντα θεὸς δυνατὸν πλὴν ἀδυνάτων, *omnia Deus potest quæ non impossibilia.*

§. 2. Omnipotentia Dei duplici modo considerari potest, est enim natura sua infinita: etiam in qualibet re efficienda, eaque potentia vtitur. Nam vt causa prima sine vlla dependentia operetur. Totam igitur operandi perfectionem in se continet. In creatione manifestius est; nam ad rem minimam creandam opus est infinita potentia, vt acutissimus noster Soarez demonstrat disputat. 20. Metaphysic. Altera omnipotentiæ consideratio qua respicit obiectum. cum ex priore probatur esse infinita. Cum enim in se & essentia sua, infinita sit omnino, non potest aliquid fingi possibile, quod non per eam fieri queat. Quia enim hunc in modum efficax est, & operatrix, necessario igitur obiectum habet aliquid quod ab ea effici potest. Illud vero obiectum non potest vnum aliquod certi generis esse; sed omne id quod fieri potest. Si enim vnum aut certo numero magnitudinę ue comprehendi posset; non omnia, nam in Deo non omnis sed certa mensura haberetur perfectio.

§. 2. Potuit autem facere quæ non fecit, vt docet D. 1. p. quæstio. 25. a. 5. Thomas Wald. doctrinalium libr. 1. cap. 10. contra Wicleffum, & Abailardum, qui etiam Concil. Constantienſi damnati sunt. Errorem tamen retexit Caluinus, aliique. Quos contra vide Augustinum libr. 13. cap. 18. de Trinitat. de Spiritu & litera capit. 1. Gregorius libr. 22. Moralium capit. 25. Qui negant Deum aliud potuisse, quam fecerit. Quod falsum esse Christus docuit: cum dixit; multa potuisse fieri, quæ facta non sunt. De Tyriis, Sidoniis, Sodomitis.

QVÆSTIO VI.

Cur profecta & infans exultauit?

§. 1. AMbrosius causam reddit. *Vbi audiuit hoc Maria; non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo: sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit.* Constat autem à Galilæa satis distare montes Iudææ vt maior charitas appareat longius iter suscipientis. Venientem non modo Elisabeth, sed præcipuè Ioannes Baptista quasi prædicare gestiens excepit. Ciuitas non vocatur Orine, vt putat Euthymius. Hugo Card. Ekkius de visit. Chlictoueus fuisse Ierusalem. Abul. 2. Genes. quæstio. 22. octo Leucas abesse. Gagn. 4. m. ll. Beda c. g. de locis sanctis, 22. miliaribus, Brochardus 9. Leucas à Nazareth.

§. 2. Σκιρτᾶν est animalium, & homilium gaudio, vel lasciuia salientium; neque enim tantum est bestiarū, cum σκαίρειν & σκιρτᾶν de saltatione dici soleat, Suid. Iliad. 6. μολπῇ τ' ὀρχηθμῷ τε πολὺ σκαίροντες ἕποντο. Cantu, quid & iubilo pedibus saltantes sequebantur.

§. 3. Motus ille præter naturam fuit, vt August. aliique. Elisabeth enim Spiritu sancto pronunciat in gaudio exultasse infantem, qua re ipsa quoq; prophetauit, infantis cogitationes non ignorans.

§. 4. An cum fide & cogitatione, res conuersa est. Augustin. Ep. 57. ad Dard. Euch. quæstio. 3. in Lucam negant. Iacob enim & Esau sic collidebantur, nec ratione vtebantur. Deinde Ioanni, si data ratio est, postea non videtur ablata.

Contra tamen cæteri sentiunt: Ioannem ratione fuisse præditum, gaudio exultasse, mox audita salutatione. Ambros. Orig. hom. 10. in Luc. Iren. lib. 3. 18. Cyrill. Catech. 13. 3. Ambros. lib. 4. de fide cap. 4. Hier. aduers. Lucifer. Chrysost. homil. de Baptista. Theophylact. Euthym. Ratio eorum firma est. Si enim in vtero matris est Spiritu sancto repletus non est mirum eum donasua cognouisse. non enim tantum accepit, sed est repletus, deinde in gaudio exultauit, quod de gaudio matris non rectè intelligitur; gaudium vero est, boni cogniti, sicut & amor.

QVÆSTIO VII.

Cur matrem Domini sui vocat?

§. 1. VT ostendat filium eius esse Deum. Absolutè enim Dominum suum vocat; quod alio modo intelligi non potest. Vt matrem Domini contra Nestorium dicat. qui matrem hominis, non Dei negat dixit. Cum vero beatam vocat defendit eam contra hæreticos, qui eam non credidisse ausi sunt asserere. Græcus textus in tertia persona habet μακαριεῖ με πάσας, & αὐτῇ pro σεαυτῇ. Sensus idem efficitur quęcunque

eumque sit lectio. Facilius tamen error in Græcam incidere potuit. Quod pauciora mutanda fuerint, πεδύναμεν pro ὑπὸς δοὺς.

QVÆSTIO VIII.

Quæ humilitas?

§. 1. INter duas interpretationes quarum altera ταπεινοφροσύνλω, altera vero ταπείνωσιν appellat, illa eligenda est, quæ vilitatem, seu humilem conditionem interpretatur. Neque enim humilitatem caussam beneficiorum indicat, sed Deum respexisse ait suam vilitatem, eamque exaltasse.

§. 2. Ex hoc ἀπὸ τοῦ νῦν, non tantum Elisabeth, sed omne hominum genus; non modo credentium, sed olim etiam incredulorum. Ex humilitate eius suâ admirabiliorē ostendit Dei potentiam, cum enim humiles miseri habeantur, Deus eam gloriosam effecit. Hinc nos eam beatam, benedictam dicimus, sumus enim in ea gente, quæ eam beatam dicet. Ideo vero, quia fecit *illi Deus magna*, μεγαλεῖα magnalia, גדלות *gedoloth*. Inuictum argumentum pro nobis, qui salutationem illam dicimus, & contra eos qui nos dicere eam vetant. Beatam nos dicimus, & illa futurum prædixit vt beatam se diceremus, & prophetando institutum nostrum approbauit.

QVÆSTIO IX.

Quomodo dispersit superbos?

§. 1. Διεσκόρπισε ὑπερηφάνους διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν. Communis, & quæ prima fronte occurrit expositio est, Deum illos, qui intimi cordis cogitationibus superbiebant dispersisse, eorum consilia in nihilum redegisse vt spargi solet pulvis à facie venti. Alia est: Deum vsum διανοίᾳ cordis, hoc est, cogitationibus, & machinationibus improborum, per illas ipsas cogitationes eos perdidisse. Alia est. Deum sua propria διανοίᾳ improbos dispersisse, vbi lectum fuit pro αὐτῶν reciprocum ἀυτές. Primus retinendus est modus.

VERSVS 54.

Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ.

QVÆSTIO I.

Quem suscepit?

§. 1. DEus suscepit Israelem puerum suum, ita populum appellat Osee 11. 1. Recordatus misericordiæ, hoc est vt recordaretur μνησθῆναι, vt eam declararet. Locutus est autem omnibus mundi ætatibus. Adamo Genes. 2. cum promitteret Saluatorem. Abrahamo Genes. 12. 3. 15. 3. 17. & 19. Dauidi clarissimè, & multis modis sequentibus. Græcè commutantur casus, ad Patres, deinde τῷ ἀβραὰμ, quod Latinus imitatus est. Mansit autem Maria vsque ad partum Elisabethæ, qui tres menses aberat. Qui enim eam ante partum abscessisse volunt, quod vel non solerent Hebrææ Virgines adesse parientibus, vel non decuerit Dei matrem adesse cognatæ humana lege parienti, non intelligunt, eam charitatem solitam exhiberi cognatis, nec indecorè Virginem adfuisse Elisabethæ parienti, cum Christus venerit, pro natis moriturus.

* * *

VERSVS 64.

Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.

QVÆSTIO I.

Quo Canticum Zachariæ tendit?

§. 1. CVm venissent domum circumcidere puerum, & nomen imposuissent; *apertum est os eius.* vers. 46. Proprie autem prophetauit, dum canit, erectum *cornu salutis*; & *tu puer Propheta*, &c. Summa est, Deo laudem dicere, qui Israelem redemerit. *Zacharias proprie Propheta dicendus.*

§. 2. *Visitasse* dicit, quia beneficia contulit, Psal. 8. 5. Alioqui est etiam visitatio punientis. Exod. 20. 3. & 32. 34. Redemptionem factam ait more prophetarum, quia adeo certa erat, ac si facta esset: cum igitur de illa vt facta veteres Prophetæ locuti sint, quasi præterita, meliore iure Zacharias tempora commutat, cum iam inchoatum videret. *Redemptio certa quasi facta recensetur.*

§. 2. Cornu vt est potentiæ symbolum, ita in scripturis potentiam, roburq; significat. Psal. 43. 6. 148. 14. Itaque Deus eriget potentiam, inquit, suam, & exeret cœlestes vires ad salutem procurandam. *Cornu regnum.*

Significat etiam Regem, seu regnum in Daniele frequenter. & Psalm. 131. 17. Itaque iam erigit regnum Dauidicum: non quale olim fuit, sed quale futurum Deus illi prædixit.

Cornu autem salutis, est potentia, seu regnum saluans; quale solum est regnum Christi: De quo dixi Isaiæ 5. in hæc verba: in Cornu filio olei. *Regnum Christi salutare.*

§. 3. Cornu illud salutis interpretatur: v. 71. *Salutem ex inimicis nostris*; est enim figura appositionis. Erexit cornu, quod est salus nostra. Aut sanè, siue salutem cum cornu coniungas, siue separas, constat, ad verbum *erexit* referendum esse.

Liberationem intelligit de inimicis spiritalibus, qui iter ad salutē impediebant, siue dæmones, siue homines essent. Non enim, cum ex Spiritu sancto loqueretur, intelligi aliter debuit, ac potuit. Non enim Messiam mundana potentia clarum imaginabatur. Imo hinc certo statuēdum Isaiam, Ezechielem, aliosq; non more Iudaico intelligendos cap. 19. 20. & 36. 18. & 37. 32. Ier. 15. 20. Malach. 6. 4. sed de regno spirituali. Misericordia vero Patribus exhibita, quod Christum quem promisit olim, dedit, nec amplius distulit. *Ex spiritalibus inimicis liberans.*

QVÆSTIO II.

Quod Iusiurandum?

§. 1. GEnes. 22. 16. 17. 18. Deus iurauit Abraham. Sic est de verbo difficultas; ait enim ὅρκον accusandi casu. Hinc alii malūt legere ὅρκῳ, vt regatur à verbo μνησθῆναι. Alii aiunt idem verbum accusatiuū habere. Alii subaudiunt κατὰ, secundum. Quidam ad verbum δοῦναι referunt. Alii appositionem putant, vt ad misericordiam faciendam, quæ misericordia est iusiurandum. *Iusiurandū erexit.*

Cæteræ sententiæ probabiles sunt. quæ corrigit contra omnes editiones, & auctores, abiicienda est, & quæ ad δοῦναι refert, nimis dura est.

Malo referre ad superius verbū Erexit. L. ait erexisse cornu v. 69. Id explicat v. 71. Erexit salutem, & 73. Erexit iusiurandum; caussam enim non in alicuius merita, sed Dei promissionem refert. *Caussa salutis misericordia.*

VERSVS 73.

Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum daturum se nobis:

74. Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.

QVÆSTIO I.

Quid promiserit?

Scientia salutis fides.

§. 1. EXponit, quid sit parare viam, dare videlicet scientiam salutis, cognitionem Christi, iustitiæ; non vanitatis aut superstitionis, sed eam quâ peccata remittantur, ἐν ἀφέσει pro εἰς ἄφεσιν, non quod ista Ioannes præstiturus sit, sed quia ad Christum deducit, à quo illa exspectanda sunt.

Finis liberationis.

§. 2. Finem deinde proponit, non vt opes, honores que consectentur, aut imperii limites proferant, sed *vt liberati, sine timore inimicorum seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*

Pax Dei seruitio conueniens.

De pace vtrâque intelligo; non quod non circumeat, Leo ille rugiens, & Ecclesia vt plurimum sub gladio persecutorum vixerit, sed quia dæmon nisi volentibus nocere non potest. Et hostibus externis aut pugnando aut patiendo facile superiores euadimus, si Dei tutelæ nos fideiter committamus: si non ideo pacè quærimus, vt sine impedimento cupiditatibus frena laxemus, sed vt Deo sine timore hostium seruiamus.

VERSVS 78.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos, oriens ex alto.

QVÆSTIO I.

Quid oriens ex alto?

Oriens est Christus.

§. 1. PRincipio statuendum est, *Oriens* non esse participium, sed nomen, ἀνατολὴ ortus, eo modo quo solis ortum dicimus. Ita etiam Syrus habet, ריגנא *danha*, est enim רגנ *ortum esse*, seu *ex Oriente prodisse*, sic 4. Regum 10. מידגה שמשא *Madnach schimscha, ortus solis.* & Ierem. 26. מידגיהאה vocatur Orientalis. Idem est Hebræ זרח *zerach*, quod tamen non est hic in Euangelista, nec apud Zachariam prophetam: Etenim Zachar. 3. 8. & 6. 12. Christus etiam *Oriens* vocatur, sed ibi est צמח. Ex Latino & Græco textu & Syrico plerique interpretantur, Christum ortum esse instar solis: non est, vt aiunt, dubium Zachariam, ad Zachariæ cognominis Prophetæ locum citatum alludere. *Ecce*, inquit, *ego adducam seruum meum Orientem.* c. 3. 8. & 6. 12. *Vir Oriens nomen eius.* Vbi Hebraice צמח vt dixi. Zemach, apud 70. ἀνατολὴ *Oriens*, Chaldæus *Messiam* vertit seu *Christum*. Cyrillus in collect. Hesychius de B. virgine. Theodor. Theophylactus, Euthymius & plerique alii de Christo vt de Sole orto interpretantur.

Oriens est nomen.

Zacharias Prophetæ vocat Orientem.

Christus Sol ortus.

Ribera sententia.

Noster Ribera in Zachariam ignoratione linguæ Hebrææ id factum putat; nam צמח est *germen* quod è terra nascitur. Id verissimum est: צמח enim est proprie germinare, proprieq; de plantis dicitur, Isa. 44. 4. Exod. 10. 5. Gen. 41. 6. & 2. 5. & 19. 25. Ha. 61. 11. Ezec. 16. 7. Ita Christum quoq; hoc loco germen, de radice Iesse procedens & succrescens interpretatur ipse.

Nec obstat Græca vox ἀνατολὴ. Nam ex Apollonio, Suida, ἀνατολὴ germen, Psal. 131. Ierem. 23. de herbis, & surculis dicitur.

Hoc quoque rectè Ribera. Sunt etiam alia plura loca, quæ id ostendunt. vt Ezech. 16. vers. 7. Καὶ ἐγὼ ἀνατολὴν ἀγρῶ δέδωκά σε. & 17. 10. σὺ τῷ βολῷ ἀνατολῆς αὐτῆς ξηρανθῇ. *Et in area germinis sui arescet.* & apud Zachariam vertunt alii ἀναφυλὴ, βλάστημα. Cum igitur fuerint in manibus Græcorum etiam aliæ editiones mirum videri potest, hac in re omnes significatione Græcæ dictionis deceptos esse. ideo hæc res accuratius considerandа.

§. 2. Christus ἀνατολὴ vocari potest, vel quia è cœlo noua lux, nouus Sol exortus est, vel qui surculus de cœlo, non vt alii de terrâ ortus est. Non quod non vere homo ex stirpe Dauid, sed quod virtute Spiritus sancti formatus de cœlesti operatione humanitatis naturam non de terreno Patre habuit. Potrò huic Zachariæ locum vtroque modo intelligi posse non est dubium. Alludere enim ad solem, & ad surculum potuit: tam ad Isaiam dicentem: *posuit te in lucem gentium*, quam Zachariam, dicentem, *Ecce vir Oriens*, Gr. & Germen) *nomen eius.* Quod confirmatur, ex sequentibus, quia ait illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes, &c. quod ad solis, non surculi seu germinis ἀνατολὴ pertinet.

§. 3. Ad hanc rationem obiicit Ribera: *Quod autem*, inquit, *statim ait*: Illuminare iis qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, *obstat nihil: neque enim ideo dicitur, quod aliquid de Sole præcesserit, sed quia is de quo loquitur*, erat lux vera illuminans omnem hominem: *Solet enim Scriptura relinquere metaphoram, in qua erat, & subito dicere aliquid, alienum quidem ab illa metaphora, sed connexum tamen rei, quæ per metaphoram significabatur*, vt Isai. 11. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, &c.

Respondeo hoc quamuis doctissimè obseruari; huic tamen loco non posse accommodari. Nam sensus versus septuagesimi noni pendet ex vers. 78. Ita enim verba constituenda sunt, *Visitauit illuminare*, seu *ad illuminandum* ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους ἐπιφᾶναι τοῖς καθημένοις. *Visitauit nos Oriens illuminare sedentibus*, hoc est, vt illuminet, noto Græcismo. Illuminare *pro illucescere* parum visitare, sed antiquè tamen noster interpres dixit.

Cum igitur dicat anatolen Orientem nos visitasse vt illucesceret sedentibus in tenebris & vmbra mortis: cum etiam anatole pro ortu ponatur vsitatissimè, pro germine raro, mihi dubium non est, quin intelligat anatolem seu Orientem lucentem, non germinantem. Ita enim omnes fere interpretantur. Imo etiam hæreticos video hoc modo intelligere, & Bezæ nouitate offensos ipse fatetur. Denique addo videri mihi potius alludere Zachariam ad locum Malachiæ cap. 4. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.*

Cogit enim nos ita sentire, quod Zacharias pene verba Is. 9. 2. vsurpet, *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.*

De luce igitur Zacharias hic agit, non de germine.

§. 4. Atque hæc de Lucæ expositione. Quod ad locum Zachariæ attinet, Patres excusari posse autror. Nam Hebræum צמח quamuis de germinibus proprie dicatur, ad alia tamen etiam crebrò transfertur, quæ de nouo fiunt, aut producuntur, aut saltem apparent,

parent, de capillo dicitur Leu. 13. 37. de barba 2. Reg. 10. 5. Psal. 84. 11. de *veritate*. Psal. 61. 11. Dominus ἀνατολὴ ἀνατολῶν, *oriri faciet iustitiam*. Ezech. 29. 21. ἀνατελῶ κέρας, *pullulabit cornu*. Imo Isaiæ 42. 9. Est ἀναγγελῶ, annunciabo, & Oseæ 8. 7. apud 70. est ἐμφυὲς germinabo. Et quod huc maxime pertinet Isaiæ 4. 2. de Deo dicitur צמחיה והיתה *erit germen*, 70. ἐπιλάμψει ὁ θεὸς *illucescet Deus*; legerunt enim non צמח *Zemach*, sed צמוח *Zemoach*, *Deus germinans, exoriens*, hoc est, ἐπιλάμψει. Cum ergo Patres habeant auctoritatem septuaginta interpretum, non sunt facile de errore damnandi; præsertim cum Hebræorum verba multas significationes habere soleant, quarum tamen pauca sunt exempla. Verum enim vero ex Hebr. 1. 3. mihi videor omnes Patres absoluere posse. Constat sane eam esse Syris significationem verbi צמח *Zemach*, quæ est Hebræis צמוח *Zamach*, & quod Hebræi vocant צמוח *Zemach*, *germen*, id Syros dicere sua terminatione צמוחא *Zemcha*; at nomen Syrum non modo significare *germen*, sed etiam *lucem seu splendorem*. Nam loco allegato, vbi nos habemus, *Qui cum sit splendor gloriæ*, Græce ἀπαύγασμα, relucentia, ibi Syrus vertit דשובבה צמיחא Dehuiu zemcha deschubechech *Qui cum sit splendor gloriæ*. Qui amplius pro interpretum excusatione petit, morosus est. Ἀνατολὴν interpretati partes sunt de Christo, qua ille diuina in luce refulget, processitque, vt sol in decore suo. Illorum interpretationem fiumant 70. dum Hebræum verbum, de quo controuersia est, vertunt ἐπιλάμψει, *illucebit*. Et firmat Syrus dum Græcum verbum ἀπαύγασμα (*splendor*) vocat צמיחא. Syrum autem interpretem nescisse linguã Syriacam, nec Ribera, nec alius dicat.

§. 5. Caluinus ἀνατολὴν vocat regionem orientalem: nullo sensu tolerabili. Caluino ne quispiam credat, Beza vertit pro *oriente, qui prodit, quasi scriptum sit*, inquit, ὁ ἀνατέλλων, *partim ne quis per orientem illam cœli plagam intelligat. Partim etiam, quod hæc interpretatio vtramque interpretationem nullo cum præiudicio admittat.* Omnino itaque inepta est illa interpretatio, non enim de locis agitur, sed Christo Domino adueniente. Atq; hæc habui quæ de loco difficili, ad patrum defensionem produci posse putabam. Atque hinc patet, quam periculosum sit interpretationem omnibus receptam, ob verbi alicuius notionem minutare. *Caluini expositionem refutat Beza.*

CAPVT II.

Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. 2. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino: 3. Et ibant omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. 4. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo, & familia Dauid. 5. Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. 6. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. 7. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio. 8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. 9. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. 10. Et dixit illis angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: 11. Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. 12. Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. 13. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: 14. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 15. Et factum est, vt discesserunt ab eis angeli in cœlum: pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsq; Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est quod Dominus ostendit nobis. 16. Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioseph: & infantem positum in præsepio. 17. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. 18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: & de his, quæ dicta erant de pastoribus ad ipsos. 19. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. 20. Et reuersi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant sicut dictum est ad illos. 21. Et postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. 22. Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. 23. Sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. 24. Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum. 25. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus S. erat in eo. 26. Et responsum acceperat à Spiritu S. non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. 27. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: 28. Et ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit:

29. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.*
30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.*
31. *Quod parasti ante faciem omnium populorum.*
32. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.*

33. *Et erat pater eius & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. 34. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum, cui contradicetur: 35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. 36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. 37. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die.*

38. Et hæc, ipsa hora superueniens confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel. 39. Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. 40. Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientiâ: & gratia Dei erat in illo. 41. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die solemni Paschæ. 42. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi. 43. Consummatisq; diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. 44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. 45. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. 46. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. 47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia, & responsis eius. 48. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili quid feciſti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. 49. Et ait illis: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? 50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. 51. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. 52. Et Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

DOMINI nostri IESV CHRISTI natiuitatem, & quæ circa eum vsque ad annum trigesimum contigerunt enarrat. Præcipue tamen natales Domini recenset & quæ illis connexa fuerunt; in nostris itaque & Syrorum Ecclesiis, festo natiuitatis hæc cani solent, & in Syro titulus præfixus רסברא דעאדרא דילדא desappera deghada deialda *matutinis festi natiuitatis*. Censum toto imperio indixit Augustus, atque prophetæ obsequitur, & Domino in patriam aditum facit. Nascitur in ciuitate Dauid Christus, pastoribus reuelatur, ab angelis laudatur secundum legem ipse circumciditur, & secundum legem Maria mundatur; cum nec ille circumcisionis nec illa purgationis egeret. Testimonium Christo dant Simeon & Anna, sanctitate, ætate, prophetiâ conspicui, denique anno ætatis duodecimo seipse Christus manifestat, disputans cum doctoribus: & reliqua vita vsque ad annum tricesimum obedientiam nobis commendat.

VERSVS I.

Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.

QVÆSTIO I.

An vniuersus orbis descriptus?

Orbis Romanus descriptus.

§. 1. CONstat generalem particulam accommodatè ad rem præsentem accipiendam; intelligitur enim orbis Romanus, qui tum noti & habitabilis orbis præcipuam continebat partem.

Qui solam Syriam descriptam aiunt, à veritate historiæ longissime recedunt. Cur enim vna prouincia sola contumelia seruitutis premeretur? Syrus recte distinxit כלה עמא דארתרנח cullech ghamma dauterannech, omnis populus possessionis eius seu dominii & ditionis, quæ paraphrasis vera est: non enim exteros, & sceptro suo liberos populos censere potuit. Augustum Syrus אגוסטוס Agustaus vocat, & nomen קסר *Keser*, retinet, vt cætera fere officiorum solet. Qui hinc probare conati sunt vnum esse totius orbis imperatorem, nimium eius magnitudinem ignorarunt, & principum adulatione ridiculos sese præbent. Quasi noster Augustus sit orbis Dominus.

Beza: *Arroganter enim Romani sese vniuersi orbis terrarum dominos vocarunt, vt hodie illius bestiæ imago sese Oecumenicum patriarcham appellat.*

Pontifex in omnes iurisdictionẽ habet.

Non ille quidem eo titulo vtitur, est tamen omnium pastor etiam pastorum, vt eum agnoscunt viri sanctissimi. Concil. Sardicens. c. 4. ἐαν τις ἐπίσκοπος καθαιρεθῇ τῇ κρίσει τῶν ἐπισκόπων γειτνιώντων, καὶ φάσκῃ πάλιν αἰτεῖν ἀπολογίας πεῖγμα ἐπιδοῦναι μὴ πρότερον εἰς τὴν καθέδραν αὐτοῦ ἕτερον καταστῆναι, ἐαν μὴ ὁ τῶν ῥωμαίων ἐπίσκοπος ἐπιγνοὺς περὶ τούτου ὅρον ἐξ ἀνάγκης. *Si quis Episcopus iudicio finitimorum Episcoporum cathedrâ motus fuerit, & purgare se iterum voluerit, neque ante in eius locum alius sufficiatur, quam causâ cognitâ, Romanus pontifex ea dere statuerit.*

Vniuersum orbem pari modo interpretantur, cum Euangelium dicitur promulgandum *in vniuerso mundo*. Non quod in omnibus terræ partibus, sed vicinis & imperio Romano.

Non tamen eodem modo vtrumque locum intelligendum esse quiuis facile iudicabit. Hic enim orbis vniuersus aliter accipi non potest, quam de eo qui Cæsaris ditione continebatur, quod ratio ipsa docet, cum non enim exteros describere potuit. At illo loco agitur de signo consummationis seculi, quod non potest esse vllum in vnius imperii conuersione. Ita Augustin. Epist. 161. Quin si de parte intelligatur duntaxat, tum Apostolorum tempore impletum erat Christi vaticinium. Toto enim orbe cognito Apostoli Euangelium prædicarunt. Petrus Ierosolymis in Galatia, Bythinia, Asia superiore, Cappadocia, Romæ. Ioannes tota Asia. Paulus in Græcia, Andreas Schytia, Thomas Parthis & Indis; Alii Africam & Ægyptum; alii Gallias & Britannias conuertetunt. Vide Hier. in Isa. 1. Amos 5. Theophyl. Hebr. Vide Epiphan. lib. 1. hær. 27. De vniuerso igitur orbe illud intelligendum est, vt interpretantur Euseb. lib. 3. hist. c. 1. aliique de quibus suo loco agam.

QVÆSTIO II.

Qui descripti?

§. 1. EDicti promulgatio, & tyrannica omnino executio ostendebat, iã auferri sceptrũ, dum seruitutis

tutis tessera, censuum professio exigitur, non consilio populi, aut optimatum sed peregrini atque exteri domini iussu, δόγμα dicitur quod ita visum principi fuerit, alias etiam πρόσταγμα vocatur. Non tamen omnino ablata libertas erat, & sceptrum; nam Græcis, & Persis, atque adeo Ægyptiis olim tributi pendebant.

§. 2. *Distributi*, Augusti erat annus 42. annus 30. post Actiacam Victoriam, ætatis 62. illis igitur parentes Christi professione seruitutis descripti sunt, sed læti præsentia Saluatoris.

Quidam solos viros, alii solos patresfamilias, nonnulli fœminas, ac pueros descriptos aiunt. Maldonatus in postrema est sententia, quia Maria comitatur, & tributi causa citabantur. Christus etiam descriptus est, si parentes eius post circumcisionem, qua nomen accepit, censi sunt. Christus (inquam) tabulis censualibus inscriptus est, infantes enim censebantur, & ætatem probabant ex censu. Moris fuit Romanis omnes censeri. Edicto Seruii Tullii parentes, pro nascentibus Lucinæ; illi quicunque ex puerilia egressi prætextam ponebant iuuentæ; morientes Libitinæ certam pecuniam pendebant. Verum hæc ad census non pertinent. Ius Romanum omnes cuiuscunque essent ætatis ad censum, & professionem vocabat. Halicarnass. lib. 4. Quod si natus est, & circumcisus, durante descriptione postea ex responso Iurisconsultorum inscribebantur, id enim fieri solebat. Nemo tamen ante diem octauum inscribebatur; eo enim die fœminis nomen, nono maribus imponebatur: erat enim dies ille lustricus. Pomp. verbo *Lustrici*. Ciceronis tempore cura illa prætorum fuit, vt constat ex eius pro Archiâ poetâ oratione, M. Antonius Philosophus intra diem tricesimum natos ad præfectum ærarii deferri iussit, nomenque imponi, & per prouincias eum in finem tabularios instituit. Capitolin. in Marco Antonino. Simile aliquid Franciscus rex Francorum de baptizatis vt narrat *Rebuff. tract. 1. de regiis baptizat.* instituit. Postea Syris priuilegio cautum est ne censerentur impuberes. L. ge de ætate t. 15. §. 10. *Ætatem in censendo significare necesse est: quia quibusdam ætas tribuit, ne tributo onerentur, veluti in Syriis à quatuordecim annis masculi, à quatuordecim fœminæ vsque ad sexagesimumquintum annum tributo capitis obligantur, eâ autem spectatur censendi tempore.*

Quidsi igitur ante Christum natum professi sunt, & tamen adhuc census pendebant, neque dum erant tabulæ conscriptæ, & perfectæ, post dies octo profiteri oportuit. Eadem lege §. 9. *Quæ post censum edictum nata, aut postea quæsita sint, intra finem operis consummati, professionibus edi possunt.*

QVÆSTIO III.

Quis finis descriptionis?

§. 1. Ἀπογράφεσθαι est, nomen suum, & familiam profiteri, & in publicis tabulis describi. Syrus retinet verbum describendi רשמהב denethee-tsiab. Vincentius negat descriptionem esse censionem; hoc est, facultatum æstimationem, aut pensitationem. Sed Ambros. hoc loco, *vt censum*, inquit, *proferatur vniuersus orbis.* & Tertullian. lib. 4. cap. 7. contra Marcion. *Censum Iudæa fidelissimum testem Natiuitatis Christi, etiam sua ætate in archiuis Romanis asseruatum* testatur.

Gagnæus, vbi nati. Caiet. Vnde oriundi erant, hoc est, vbi familia fuit, professos volunt.

§. 2. De descriptione agit Suidas verbo ἀπογραφή. Sigon. de iure antiquo Italiæ lib. 3. cap. 21. Salin. T. 1. tract. 32. Professio ciuium erat, descriptio ministrorum opus. Ex omnibus vero constat, non modo numerum ciuium quæsitum esse, sed etiam opes.

§. 3. Erasmus censet melius dictum esse; *vt censeretur*, præfert autem professionem descriptioni. Vlpianus professionem cum censibus coniungit. *Vitia priorum censuum ait nouis professionibus euanescere*, ita pandecta docet lib. 50. nec dubium esse potest, Romanum morem considerantes. Constat sane de omnibus minutim professos. Eodem titulo: *Forma censuali cauetur vt agri sic in censum referantur: Nomen fundi cuiusque, & in qua ciuitate, & quo pago sit, & quos duos vicinos proximos habeat, & id aruum quod in decem annos proximos satum erit, quot iugerum sit vinea, quot vites habeat oliua, quot iugerum, & quot arbores habeat pratum, quod intra decem annos proximos sectum erit, quot iugerum: pascua, quot iugerum esse videantur, item sylua caduca, omnia ipse, qui defert, æstimet. Illam æquitatem debet admittere censitor, vt officio eius congruat, releuari eum qui in publicis tabulis delato modo frui, certis ex causis non possit. Quare, etsi agri portio chasmate perierit, debebit per censitorem releuari. Si vites mortuæ sint, vel arbores aruerint: iniquum eum numerum inseri censui. Quod si exciderit arbores vel vites, nihilominus eum numerum profiteri iubetur, qui fuit census tempore: nisi causam excidendi censitori probabit.* *Omnia census inuestigat oper.*

De loco eodem modo. *Is vero qui agrum in alia ciuitate habet, in ea ciuitate profiteri debet, in qua ager est, agri enim tributum in eam ciuitatem debet leuare, in cuius territorio possidetur.*

Nec modo libera capita, sed serui quoque deferebant eadem lege: §. 3. *In seruis deferendis obseruandum est, vt & nationes eorum, & ætates, & officia, & artificia specialiter deferantur.* *Serui censebantur.*

Serui censebantur quia pars erant possessionis. Itaque ἀπογράφεσθαι est describi. Verum nostet vsus est verbo quod proprium erat Romanorum qui describebantur; familiam enim & facultates indicare cogebantur.

§. 4. Nec obstat quod suum Iudæa regem haberet, Herodes enim vt Appianus ait regnabat ἐπὶ φόροις πραγμένοις, tributo constituto. Vide de hisce Iosephum lib. 18. ant. c. 1. Ambros. sæpe descriptionem factam esse docet, ideoque hanc non terratum, sed mentium esse professionem. Quod spiritualiter recte dicitur, si de fine quem terrena descriptio spectabat, loquamur. Alioqui hæc prima facta est sub Cyrino, cum aliæ postea sub eodem factæ sint. *Herodes rex tributarius.*

QVÆSTIO IV.

Quo tempore facta est descriptio?

§. 1. Iosephus l. 17. ant. c. 15. & lib. 18. c. 1. in aliud plane tempus descriptionem Cyrenianam confert; nempe eum mortuus Herodes, in exilium pulsus est Archelaus. Cum igitur Archelaus nouem regnarit annis, & Herodes aliquamdiu Christo in Ægypto profecto vixerit, apparet illum decem aut vndecim annos descriptionem natiuitate Christi posteriorem facere. *Iosephi error.*

Qui Iosephum excusare conantur, Euangelistas accusant, aiunt ante mandatam, sero perfectam; at Christi parentes iam censentur, & ob multitudinem deerat locus in diuersorio. Itaque Maldonatus Iosephum errasse profitetur, & in apparatu Baronius. Vixit ille tempore Vespasiani & Titi, sub Domitiano historiam scripsit. Matthæus & Lucas res sui temporis literis consignauit, quas omnes, qui quadraginta essent annorum aliquo modo, qui quinquaginta optime nosse poterant. *Euangelistæ res sui temporis scribunt.*

§. 2. Describitur per Cyrinum facta præside Syriæ quia Romanus census. Herodes autem quamuis rex, vectigalis tamen Romanis erat, adeo vt de filio inuitu Augusti cognoscere, & iudicare nō auderet. Ideo temporis ratio, ex præsidis officio nō regis annis accipitur. Syrus habet, *in præsidatu Cyrini in Syria*, vtitur autē græco verbo ריגמונא Hagmana, hoc Cyrinus alioqui opera vsus

ra vsus est, vt iam ostendam Tertullian. lib. 4. contra Marcionem cap. 19. fuisse Sentium Saturninum asserit. Non est in historia Romana, quod Liuii & Dionis opera perierint, Taciti non attingant ea tempora. Apud Iustinum mentio est ad Antoninum.

Tempus præfecturæ Cyreniana. §. 3. Difficile quibusdam apparet, quomodo Cyrinus hoc tempore fuerit Syriæ præses.

Beza Cyrinum non negat Syriæ *præsidem* fuisse, sed eo tandem deuenit vt neget Cyrinum fuisse præsidem Syriæ eo tempore. Eius discursum proponam vt lector videat, quam audacter explicando, Lucæ fidem in dubium vocet. [Nomine, *inquit*, ἡγεμὼν & vtuntur generalius hi scriptores, immo & Iosephus ipse, quamuis inter præsides prouinciarum & procuratores Cæsaris, qui proprie ἐπίτροποι vocabantur, plurimum interesset. Vulg. à præside Syriæ Cyrino, quod ex Euangelistæ verbis colligi non potest, vt qui potius quando, quam à quo sit ista facta descriptio dicere videatur, nisi malimus factum à Cyrenio dici, quod ipsius vt præsidis imperio sit factum. Nec enim temere scripsit Tertullian. lib. 4. aduersum Marcionem, hos census actos fuisse per Sentium Saturninum, quem etiam his ipsis temporibus Syriæ præsidem edit Iosephus libro Ant. 16. cap. 13. Titii successorem. (Nam mendose apud Iosephum libro 16. cap. 12. legitur πίτ& pro πίπ&) vt ex Strabone lib. 16. & fastis Capitolinis liquet, sicut rursum Saturnino Quintilius Varus successit. Fueruntque omnes isti consulares, nempe M. Titius Rufus A. V. c. c. 722. Messallæ suffectus. Sentius Saturninus autem A. V. c. c. 734. Quintilius Varus A. V. c. 740. Denique P. Sulpitius Quirinus A. V. c. 741. qui fuit annus imperii Augusti 35. vndecim circiter annis ante Christum natum. De quo Quirino multa Tacitus lib. Annalium 3. Quinam igitur Syriæ tunc Cyrenius præfuerit? Nam mortuo quoque Herode Varum Syriæ præsidem fuisse constat ex eodem Iosepho lib. 17. cap. 13. Hic certe nodus diu multumque me fatigauit, donec illum mihi Iustinus Apolog. 2. solueret, hunc ipsum Cyrenium vocans πεῶτον ἐν Ἰουδαίᾳ καίσαρ& ἐπίτροπον, id est, primum in Iudæa Cæsaris procuratorem, eo videlicet adhuc superstite Herode magno, ad hos tum in Iudæa, tum in Syria τῆς οἰκουμένης census peragendos missum. Neque his obstat vel quod præsidis Syriæ appellatio Quirino consulari tribuitur, qui tamen fuerit duntaxat Cæsaris procurator, vel quod per Saturninum dicit Tertullianus hos census esse peractos. Etsi enim magnum erat inter ipsos præsides, & Cæsaris procuratores, ex equitibus vel libertis Cæsaris delectos, discrimen, quorum alii in minores prouincias præsidibus maiorum obnoxias mittebantur, alii ipsis maiorum prouinciarum præsidibus adiuncti rationes duntaxat Cæsaris procurabant: tamen dubium non est, quin præsides gratiam Cæsaris ambientes istis procuratoribus plurimum tribuerent, atque adeò cum ipsis sæpe suam iurisdictionem quasi communicarent. Huius rei testis, est de his ipsis temporibus Herodis agens, Iosephus Saturnino consulari Syriæ præsidi volumnium adiungens, quem de bello Iudaico lib. 1. cap. 17. vocat Cæsaris procuratorem, vtrumque tamen lib. antiq. 16. cap. 13. vocat Συρίας ἐπίτροπον & eiusdem lib. cap. 17. communi nomine appellat ἡγεμόνα. Præterea dubium non est quin Quirinum extraordinariæ huic τῆς οἰκουμένης descriptionis causa in Syriam & ipsum Herodis regnū mittens Augustus, illum legati nomine, hominem videlicet consularem, & ipsi gratiosissimum, honestarit, atq; adeo velut alterum Syriæ præsidem cum imperio miserit: quod & postea secundo fecit, cùm Archelao relegato, Iudæa in prouinciam redacta Syriæ attribueretur, vt idem Iosephus scribit lib. Antiq. 18. cap. 1.]

Præsides Syriæ.

Cyrinus procurator.

Procuratorum Cæsaris potentia.

Verum hanc gentiles approbarunt descriptionem, temporisque rationem, & causam referunt: Iulianus apud Cyrill. Alexand. l. 6. contra Iulian. Lucæ historiam de Maria & Iosepho descriptis veram agnoscunt. De magistratibus vero agitur, non procuratoribus Cæsaris.

Iosephum errasse docet Baronius, in suo apparatu dum ait: *In quam præterea absurda & portentosa mendacia incidat necesse est, qui de anno Herodis Regis inconsulto Iosepho fidem adhibendam putarit: ex sepso quisque facile intelligere, dum obitum Herodis ipse refert biennio ante Christum natum: adeo vt ea ratione non tantum quæ S. Lucas de Herode scribit, sed & quæ Matthæus narrat, si Iosepho demus aures, fide careant* (quod nefas est dictu) *posse sit.*

Et: *Quanta est insuper in eodem autore inconstantia, dum anno decimosexto Herodis Regis, Varum fuisse præsidem Syriæ tradit; posteà vero ait eum successisse Sentio Saturnino, anno ante ipsius Herodis obitum; cum inter vtrumque tempora spatium anni intercurrant saltem viginti? necessi quod possit dici, eundem Varum iterum eo missum, cum nec ipse Iosephus, nec alij id testentur.* Vide Iosephum lib. 5. cap. 13. Ant. & lib. 17. cap. 7.

Ordo Præsidum Syriæ à Baronio irrefragabilitestimonio constituitur. Anno vrbis 742. consulatum gessit P. Sulpitius Quirinus cum Valerio Messala, ac deinde in Syrum est profectus, nam in Cilicia, quæ iuncta erat Syriæ castella Homanden sium expugnauit, & triumphi insignia accepit. *At dubium non est,* inquit Baronius, *illos consueuisse in prouincias bella gerere, qui illis præessent Proconsules, siue Præsides: nec vlla dubitatio est, sub prouincia Syriæ Ciliciam esse redactam: quibus rationibus fateri opus est, Quirinum in Syriam Præsidem missum esse post suum consulatum, anno ab vrbe condita septingentesimo quadragesimotertio post ipsum vero subrogatos pluresque quos scribit Iosephus, Sentium Saturninum, & Volumnium; quorum præfecturam diuturniorem fuisse idem auctor refertur. Anno vero ab vrbe condita septingentesimo quadragesimo octauo præficitur Syriæ totique orienti C. Cæsar, Augusti filius Adoptiuus: quo defuncto, nullus alius subrogatus reperitur, nisi qui ab Euangelista recensetur, idem qui supra Quirinus, idemque dictus Cyrinus; quem Præfectum tunc Syriæ, ea quæ de eodem Quirino citato loco scribit Tacitus, persuadent, dum ait, proficiscenti dicto C. Cæsari ad bellum Armenicum, quando diximus ex Dione, & Velleio paterculo, Syriæ simul & totius orientis illi creditam præfecturam: datum insuper fuisse eidem adhuc adolescentulo necdum vigesimum annum agenti rectorem eundem P. Sulpitium Quirinum. Ille vero (vt ex Dione diximus) in prouincia defuncto, cum nullus alius substitutus legatur; Quirinum remansisse Syriæ Præsidem, nulla debet esse dubitatio. Hic autem habuit successorem Quintilium Varum, quem eodem auctore constat manisse in eo magistratu vsque ad consulatum Sulpitij Camerini, & Poppæi Sabini, anno Christi redemptoris nostri vndecimo. Cui non Quirinus, vt Iosephus habet, sed M. Ambiuius, est subrogatus; nisi velimus dicere eundem Quirinum adhuc tertio in Syriam præsidem missum. Ambiuio autem est successus Annius Rufus, cuius tempore (vt idem Iosephus testatur) Octauianus Augustus mortuus est.*

§. 4. At cur Tertullian. lib. 4. aduersus Marcionem cap. 19. *Censum*, ait, *actum per Sentium Saturninum? Sed & census constat actos sub Augusto nunc in Iudæa per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere possent.* Baronius primo vt certum statuit annum Christi quintum incidisse in consulatum Sentii Saturnini, post ideo per eum actum dici censum, quia sub eius consulatu. Verum malim dicere, Sentium ipsum post Syriæ consulatum in Syria censum egisse, vt est apud Iosephum lib. 1. de bell. cap. 17. Præfuerunt autem rectores, quibus à Cæsare scriptum fuerat, Saturninus, & Pedanius, & cum his Volumnius procurator.

Non

Non erat ille census tempore nati Christi actus, sed ulius secutus, ad quem appellat Tertullian. agens contra Marcionem ex Romanis archiuis quod Marcion Lucam non admitteret. Cur vero ad Sentii non Quirini censum appellet; ratio est, quod an parentes Christi inscripti ante natum Christum vel ante diem octauum essent dubitasse videatur, ideo Christum in eas tabulas relatas certo affirmare ausus non fuerit de sequentibus tamen censibus non dubitauit. Nam etsi postea data est immunitas ne impuberes censerentur, Christi tempore tamen non erant immunes. Porro census actos & descriptiones ab Augusto constat plurimas & acerbissimas. Baronius ex Suida verbo Ἀπογραφή.

Hinc cum visum esset numerare omnes Romani Imperij incolas, vt sciret quanta esset multitudo; reperit myriades quadringentum decem mille, & tredecim viros. Sed corrigendus mendosus textus, vt dicat quater centum. Alia insuper redditur huius census ratio; quod cum Augustus vectigalia omnia prouinciarum sustulisset, tributa ordinaria instituit, alia in agris, alia in capitibus; itaque censum in toto imperij Romani orbe induxit, vt capitum fortunarumque summam, quæ in imperio esset, cognosceret. Verum præter lustralem censum ob exhaustum nimis ciuilibus bellis ærarium, aliàs sæpius idem Augustus tributum imperauit: ac primum (vt scribit Dio) Marcio & Sabino Coss. anno ab vrbe condita septingentesimo decimonono, nona vectigalia excogitauit, estque ille ipse annus quartus triumuiratus, quo & ab Aera, numeri nota, in Hispanicis capti sunt anni numerari. Rursus etiam ipso sextum consulatu cum Agrippa, census nomine pecuniam exegit. Sub consulatu insuper Poppæi Sabini & Sulpitij Camerini, inuitissimam illam de caducis hereditatibus legem, Poppæi nomine, frendam curauit. Quid dicam de collatione vigesimæ impetrata: Quid de censo senatu, quando tam ingens est exacta pecunia, vt multi sponte à Senatu abierint? Quid insuper de censu per Italiam exigi iusso? Meminit de his omnibus Dio. De censu etiam tribui Gallijs ab eodem imperato agit Florus.

Prima non est igitur, sed prima sub Cyrino. Nam Cicerone Consule eos Pompeius vicit tributumque imposuit vt Cicero pro Flacco. Ioseph. lib. 14. ant. c. 8. Augustin. de ciuit. lib. 18. cap. 43. Florus & quisquis illa tempora attigit.

Postea multi census secuti sunt per annos sexaginta ante Christum natum. *Pompeius enim ante tempore bella ciuilia à Regibus, Dynastis, & Tetrarchis Asiæ totius & Syriæ, sub qua continebatur & Palæstina, constat ingentes pecunias corrasisse: quinetiam autore Dione scimus, & Gabinium Syriæ præsidem tributum Iudæis imperasse: hoc ipsum & Cassium & ceteros facilitasse qui post successerunt præsides Syriæ, certum est; ac viginti nouem annis Iudæos Romanis tributa pependisse, antequam Antipater, Herodis pater, Iudææ procurator à Romanis instituerentur, nec postea vnquam cessasse, tradit Epiphanius.* Nec, licet ea prouincia à Romanis Herodi ac ceteris Regibus concessa esset, desiit tamen aliquando tributum soluere: *quod ex Euangelio etiam testatum habemus, cuius autoritate compertum est, eosdem Iudæos tempore Herodis Regis Rom. Imperatori censum persoluisse, perseueraseque vsque ad Vespasiani tempora, eiusdem pensitationem, omnes æque affirmant.*

Errat igitur Beza dum non fuisse eo tempore Syriæ Præsidem Cyrinum dicit, quo ait eum fuisse Lucas. Nec refert eum dici à Iustino πρότερον τῆς Ἰουδαίας porrectionem Syriæ erat Iudæa. Nec quæstor Præsidis erit Cyrinus, sed Præses.

§. 5. Pammelius optime in Tertullianum sub Cyrino per Saturninum censum factum esse ait. Multa ille erudite in hunc locum. *Similiter supra auctor dicto lib. de carne Christi cap. 2. Auser hinc (nempe ex Euangelio Lucæ cap. 2.) molestos semper Cæsaris census; & hoc ipso libro cap. 7. de censu denique Augusti quem testem fidelissimum Dominicæ natiuitatis Romana archiua custodiunt. Et rursum infra cap. 36. vt nemo facile ignorare de genere potuisset, vel de recentibus Augustianis censibus, tunc adhuc forte pendentibus. Hic addit in Iudæam & recte, quia sub Syriæ nomine, cuius meminit Euangelista comprehenditur etiam Iudæa. Verum hoc auctori peculiare per Sentium Saturninum, cum tamen Luc. 2. descriptio facta sit à Præside Syriæ Cyrino, quem adeo etiam Cyrinum seu Quirinum nuncupat Iosephus Antiquit. lib. 18. c. 3. Et post eum Euseb. lib. 1. histor. Eccles. cap. 2. & 3. seu 5. idque anno 42. Imperij Augusti Cæsaris, quippe quo anno natum Christum aut circiter supra ostendimus, Tom. 1. lib. aduers. Iud. cap. 8. num. 78. concordari poterunt mea quidem sententia hoc modo. Quod Præside Cyrino seu Quirino, census acti sunt, at per Sentium Saturninum. Pro quo facit quod Græce est Luc. 2. & apud Euseb.* ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, *id est, Præsidem agente seu Præside Syriæ Cyrenio, seu potius Cyrino; Et quod ex Syriaco transfertur: sub præfectura Kyreni in Syria; denique quod B. Iustinus Mart. Apolog. 2. ad Antoninum: sub Cyrenio; quo fit vt etiam ego emendatiores esse editionis vulgatæ eos existimem codices Latinos, qui omittentes: à legunt duntaxat: quæ descriptio primò facta est, Præside Syriæ Cyrinio. Certe, & initio Imperij Augusti Consulatum gessit cum L. Munatio Planco, P. Sulpitius P. F. N. Quirinus; (quem eundem esse ex stimo cum Cyrino, atque adeo sub eo in Syria Præside dictos census actos,) & C. Sentius C. F. C. N. Saturninus, (sicuti etiam supra adnotauimus Tom. 1. lib. de Pallio cap. 1. num. 13.) bis sub eodem Consulatum gessit, primo cum Q. Lucretio Vespilione ante Christum natum, deinde quinto post anno (iuxta Consulares festos Golzii) cum sexto Ælio Caro. Verisimile itaque est, cum neuter consulem egerit anno ipso nati Christi, fuisse Quirinum Syriæ Præsidem, & Sentium Saturninum id habuisse officij, vt censum seu descriptionem per Iudæam faceret; & ab Euangelista duntaxat nominatum Quirinum, seu Cyrinum, quod magis notus esset, quippe qui in Syria Præsidem egerit iuxta illud B. Ambrosii in Comment. Pulcre autem, quod & Præsidis nomen addidit, vt seriem temporis designaret: Præside, inquit, Cyrino. Cui consentit & Iulianus Pomer. lib. 1. aduersus Iudæos, dicens: sub Præside Syriæ Cyrino factam hanc descriptionem. Si interim etiam censorem patrimoniorum fuisse Cyrinum velis affirmare ex Iosepho, loco ab Eusebio citato; adhuc dici posit illi Collegam fuisse adiunctum Sentium Saturninum.*

QVÆSTIO V.

Verane nouo Chronologia nostro tempore obtrusa?

§. 1. FRedericus Braubomus PPæhoffensis nuper nouam penitus condidit Chronologiam, mireque prædicat, quem singulatim refutaui libro de incremento Hæreseon, quæ disputatio cum multa ad hanc quæstionem pertinentia contineat, ne quispiam phanaticum hominem aliqua veri similitudine, aut antiquitate niti putet, huc adiiciendam curaui.

§. 2. Ex numeris Danielapocalypticis nouam Chronologiam producit, quam adeo deamat, vt ne sese quidem dilaudando abstinere queat. *Gaudete mecum, & laudate Deum: quotquot estis Christiani, inueni annum natiuitatis Christi, qui perierat.* Mirę igitur eritis res, quicquid calcaueris, hoc rosa fiet. Quæritis ô Collegæ Antibellarminiani, *vnde habeat iam tanta superbia causam?* Ecce Chronologiam nouam do nouæ Prophetæ inuentum, & reuerenter examino.

Chro-

Chronologia noui Prophetæ.

A. mund.	Triumv. Aug.		Chr. N.	
3882	1			
3883	2			
4	3			
5	4			
6	5			
7	6			
8	7			
9	8			
3890	9			
1	10			
2	11			
3	12			
4	13	Sol. Aug.		
5	14	2		
6	15	3		
7	16	4		
8	17	5		
9	18	6		
3900	19	7		
1	20	8		
2	21	9		
3	22	10		
4	23	11		
5	24	12		
6	25	13		
7	26	14		
8	27	15		
9	28	16		
3910	29	17		
1	30	18		
2	31	19		
3	32	20	Chr. N.	
4	33	21	2	
5	34	22	3	
6	35	23	4	
7	36	24	5	
8	37	25	6	
9	38	26	7	
3920	39	27	8	
1	40	28	9	
2	41	29	10	
3	42	30	11	
4	43	31	12	Tib. cum Aug.
5	44	32	13	
6	45	33	14	
7	46	34	15	
8	47	35	16	
9	48	36	17	2
3930	49	37	18	3
1	50	38	19	4
2	51	39	20	5
3	52	40	21	6
4	53	41	22	7
5	54	42	23	8
6	55	43	24	9
7	56	44	25	10
8	Tib.	Sol.	26	11
9	2		27	12
3940	3		28	13
1	4		29	14
2	5		30	15 Ch. bapt. quasi incipiens.

Non est iam hac in parte necessarium inclinationem hæreseon ostendere, eo me labore sublcuauit Enthusiasmus Braubomianus. Vecordis enim impudentiæ esse sæculo tam erudito contra sacros exterosque scriptores, noua tempora condere, nemo dubitare potest, & Christi natiuitatem, passionemque decennio anticipare. Nam cum doceant omnes Christum natum anno Augusti 30. vel 31. pag. 29. hic anno 20. natum vult. Cum cæteri credant Lucæ dicenti c. 3. 1. baptizatum decimoquinto Tiberii, hic quinto vult factum. Rationes forte habet, dices: Habet plane, & habet quinque, sed quæ miseram Chronology am funditus euertunt.

§. 3. Ratio prima Prophetæ, pag. 49. *Quænam ratio, Augustum senili demum ætate censum indixisse orbi?* Reuocemus ad formam: Natus est Christus, cum censum indixit Augustus, at Augustus anno Monarchiæ plenæ 30. vel anno à nece Cæsaris 42. vel 41, non indixit censum, non illo ergo anno natus est Christus, Assumptio probatur, quia anno 30. senex erat, nec ratio, cur senex censeret orbem.

Responsio. Assumptio falsa est, & eius ratio, nam vt senex censum ageret Augustus magna ratio fuit. Legiones 23. auxilia sociorum, tres classes, Bellum Illyricum. Variana clades, largitiones ingentem vim pecuniæ hauriebant, & tu rationem quæris, cur senex regnandi gnarus censum egerit? Et quid mirum si anno 30. censum ageret, adhuc annos duodecim victurus? L. Munatio, & Caio Silio consulibus, triennio ante mortem, quid egerit, vide apud Dionem in Augusto.

Cumque vigesima omnes fere grauarii intellexissent, ratus eos ob eam causam esse aliquid noui molituros, litteris ad senatum missis petiit à Patribus vt alia genera tributorum quæreretur. Id faciebat non quo vellet vigesimam remittere, sed vt eam nullo præterea tributo inuento magis idoneo & accommodato, absque vlla eius calumnia comprobarent: atque vtne suspicarentur Germanicum & Drusum, cùm de ea re sententiam dicerent, id iussu suo facere, sed vt eam nihil præterea discutientes aut examinantes admitterent. Qua de re etsi postea vetuit ne sermo amplius haberetur, tamen à pleriisque dicta sunt multa, eique per literas significata sunt. Ex quibus vbi intellexit eos paratos esse omnia potius quàm hæc perpeti, tributum ex ædibus agrisque conferte iussit, neque tamen desiuit à quibus aut quemadmodum persolui vellet, sed aliquot homines misit in diuersas partes orbis à quibus prædia priuatorum hominum atque adeo ipsatum ciuitatum describerentur, vt metu damni incommodique maioris mallent vigesimam soluere: id quod euenit.

§. 4. Ecce iam senior vicesimam non remittit de nouo tributo senatum consulit, vt vicesima maneat, & tu rationem cur censum indicat, nullam putas? Imo præcipua ratio in ætate senili fuit colligendi, vt successorem neruo belli muniret, vt haberet quo militum animos conciliaret. Iusta igitur census colligendi ratio fuit, collegisse vero etiam extrema senectute, si probaro, iam se nouus Propheta turpiter dabit. Suetonius in Augusto cap. 27. Recepit & legum morumque regimen perpetuum, quo iure quanquam sine censuræ honore, censum tamen populi ter egit. Primum ac tertium cum Collega, medium sine Collega. ita quoque Indiculus Augusti, lapis Ancyranus. Primum itaque censum egit sextum consul cum M. Agrippa genero suo, anno tertio à Victoria Actiaca, anno 16. à triumviratu scilicet. Secundum C. Marcio Censorino, & Caio Asinio Gallo Cos. Est is annus à victoria Actiaca 23. & incidit in 34. à nece Cæsaris 36. 37. Tertium cum Collega Tiberio duobus sextis Apuleio, & Pompeio Coss. De cæteris censibus post dicam,

tām, nunc Prophetam refuto. Egit censum anno vitæ extremo, illis quibus mortuus est Consulibus, Propheta ait non egisse senili ætate. Imo cum lustrum conderet in campo Martio magna populi frequentia, omen mortis imminentis accepit. *Quo aduerso*, (inquit Suetonius) *vota quæ in proximum lustrum suscipi mos est, Collegam suum Tiberium nuncupare iussit, nam se quanquam conscripta, paratisque iam tabulis, negauit suscepturum, quæ non esset soluturus.* Hic vnus fuit ex censibus illis maximis, alias lustris singulis populus censebatur, fuisse vetus censum generalem ostendit sæpe laudatus à Propheta Tacitus lib. 1. ann. cap. 8. Interea Germanico per Gallias, vt diximus census accipienti excessisse Augustum occupat, & tu senili ætate egisse negas, censu per Gallias accipitur, dubio procul & per cæteras prouincias. Certè nunquam Augustus magis senili ætate fuit, quam cum moreretur, & mortuus est, nisi fallor vltimo suo anno, falsum ergo senili ætate censum non egisse. Lapsus illos, & errata historica hominum vano, facile condonari possent, nisi insigni crudelitate, & amentia exturpissima ἀνιερείᾳ morte damnarent omnes orthodoxos. Hæc enim eius est gradatio. Censum senili ætate non egit Augustus, non ergo senili Augusti ætate natus est: Saluator igitur natus est anno 20. Monarchiæ plenæ Augusti, igitur ex omnibus Chronologiis mea sola est vera. Igitur Pontifex Antichristus, & Imperator bestia prima Apocalyptica, occidendi igitur, arma viri, ferte arma citi. Hanc barbariē detestamur, hanc immanitatem nō nisi à Satana proficisci demonstramus, suprema malitiosæ calliniæ quam hæteſis accendit flammā agnoscimus.

§. 5. *anno vicesimo plenæ Monarchiæ Augusti Consul fuit Cyrinus, seu Quirinus, de quo Lucas agit, illo ergo anno censum egit Quirinus, Luc. 2. 2.* Vera est ergo noua Chronologia, ergo ex numeris Danielapocalypticis Pontifex Antichristus, carnes eius voremus. Hoc argumentum est secundum Pseudoprophetæ, in quo nihil præter historiæ imperitiam mireris. Non enim anno Consulatus sui P. Sulpitius Quirinus præses Syriæ fuit, sed Romæ consul, nec censum in Iudæa agebat, sed consularia officia Romæ administrabat. C. Sempronii Gracchi lege cautum iam olim, vt consules & prætores, annuo vrbano magistratu finito, in prouincias irent, ergo saltem anno Augusti 20. non est profectus Quirinus, sed nec 21. anno, sed multo post in prouinciam venit, & venit consularis non consul. Dio lib. 53. *Ceterus & seorsim quidem* consularibus Africam, atque Asiam concessit, & prætoriis reliquas prouincias adscripsit. Vtrisque autem ex æquo interdixit, ne ante quintum annum à gesto in vrbe magistratu prouincias sortirentur, ita fiebat, vt etsi eorū numerus, quam prouinciarum erat maior, tamen ad omnes tandem imperium perueniret, ante quintum igitur annū non ingressus prouinciam, sed neque cum eam accepit, mox statim censum agere potuit, bello Homonadensium impeditus, ex quo & insignia triumphalia meruit, itaque Sentius Saturninus censum illum continuauit, & perfecit. Hinc Tertull. lib. 4. contra Marcionem c. 7. Censum illum fidissimum custodem ait esse natiuitatis Dominicæ, & c. 19. Sentium Saturninum nominat, ab eoque census actos dicit per Iudæam.

§. 6. Contrarium igitur planissime conuincit illa rat. 6. Anno 20. Augusti nondum cæptus erat census sub Quirino præside, necdum ille, præses, sed Mar. Agrippa iterum, & deinde Titus, cui Quirinus successit, non eo igitur anno Christus natus, non igitur ex ea Chronologia ad rogū Catholici debemus postulari.

§. 7. Ratio 3. Omnem controuersiam decidit Tacitus lib. 1. Annal. cap. 3. *Qui ait Tiberium in Collegam Imperij assumptum, Caio & Lucio mortuis.* Id factum S. Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino Coss. itaque tum Tiberius cœpit esse Cæsar, itaque Dominus anno quintò Tiberii solius est baptizatus, anno vero quintodecimo Tiberii cum Augusto regnantis. Respondeo, vt illa quæ falsa sunt, nos tamen vera credamus an nobis vnici Taciti iudicio pereundum est? Sed hic etiam Spiritus Pæhoffensis est mendax.

Primo Tiberius mortuo Caio & Lucio adoptatus est, vt fatetur Propheta, & omnis historia docet. Caius vero mortuus est Ælio Cato, & Sentio Saturnino consulibus.

Potestas vero Tribunicia, quod summi fastigii vocabulum dicit Tacitus, restituta est Tiberio postea. Suet. c. 6. Triennio deinde bellum Illyricum, biennio bellum Germanicum gessit. Suet. c. 16. & 17. & 18. deinde cum triumphasset, paulo post mortuus est Augustus. A data igitur tribunicia potestate ad mortem Augusti sunt anni sum mum sex, sed ab Sex. Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino sunt anni decem; ad duos textos Consules quibus mortuus est Augustus. Augusto igitur XIII. & M. Plantio Coss. restituta est Tribunicia potestas, itaque ab ea si numeres annos Tiberii, quintus annus incidet in vltimum Augusti, non decimus vt habet calculus pseudoprophetæ. Neque tamen si illis Consulibus Tribunicia potestas restituta est Tiberio, ideo necesse est ab eo tempora numerari, neque enim ita illam Tiberio dederat, vt sibi eam detraheret Augustus, neque enim ita data est Tiberio, vt Augusto, sed illi in quinquennium, huic in perpetuum.

§. 8. Ratio 4. *Qui talis est, qualis à Tacito describitur Tiberius: is profecto magis vel Cæsar vel Imperator est, senex, orbo, nec sui iuris imperatore.* Non igitur decennio vltimo Cæsar erat Augustus, sed Tiberius, & quia Augusto decennium hoc abrogauit nouus Propheta, sequitur ex Chronologia Pontificem esse Antichristum, illum moriturum anno 1641.

Respondeo. Miserū hominem, qui nihil nisi quod ipse commentus est verum esse putet. Nos rationem retorqueamus. Augustus etiam vltimo decennio erat Augustus, non modo Octauianus; falsa ergo Chronologia, quæ ante tempus ei imperium abrogat, iniquia sæuitia, quę ex vana temporum dispositione diem mortis Christiano orbi decernit. Nec obstant verba Taciti: Nero solus è priuignis erat: illuc cuncta vergere; filius, Collega imperii, consors Tribuniciæ potestatis assumitur. Collega non pari potestate, non ideo Cæsar, Tribuniciæ potestatis vt sacrosanctus, non par esset Augusto. Seianus Collega Imperii Tiberiani teste Dione, & cæteris scribitur, non tamen par erat, sic Tiberius assumitur in successionis spem certam, non vt viuente patre regnaret.

§. 9. Nemo rem certius definiet ipso Augusto, *iam morituri vox à cubicularijs excepta est: Miserum populum Romanum qui sub tam lentis maxillis erit.* Erit, inquit, nō est, Suet. c. 21. Deinde post Varianam cladem Tiberium in Germaniam tendere iubet, & paret ille iubenti, vt est apud Dionem. Videamus & Tiberium, Suet. c. 20. *A Germania in vrbem post biennium regressus, triumphum quem distulerat egit, prosequentibus etiā legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrauerat, ac prius quam in capitolium flecteret descendit è curru, seq; præsidenti patri ad genua submisit. & cap. 11. Ac non multo post, lege per Coss. lata, vt prouincias cum Augusto communiter administraret simulq; censum ageret, condito lustro, in Illyricum profectus est.* Lex illa anno Augusti extremo lata est, non igitur communiter cum Augusto ante administrarat; quorsum enim in eam rem legem ferant Consules?

§. 10. Falsum & illud Augustum senem non fuisse suæ potestatis. Nam post Varianam cladem, non modo magnam, sed seueram etiam potestatem exercuit. Dionem audiamus.

Augustus cognito Vari casu reste subito discissa magno in mœrore fuit, partim quod ei Galli magnum timorem injicerent, quos verebatur non solum in Italiam, sed etiam Romam propere esse venturos. Neq; enim vllam vrbem munitam reliquerat, & socij omnes qui opem ei ferre potuissent, magnis erant incommodis affecti, tamen vt tum potuit, ex rebus præsentibus parauit omnia. Sed postquam nemo eorum qui per ætatem bellum gerere poterant, conscribi voluit, iussit eos sortiri, ac quintum quemq; ex iis qui nondum quinq; & triginta annos attigissent, ex iis autem qui essent natu grandiores decimumq; sorte priuauit facultatibus, & notauit ignominiæ, & postremo quod apud multos nondum erat in honore, nonnullos interfici iussit. Tunc coacto veteranorum, libertinorumq; quam maximo potuit numero, eos cum Tiberio contendere in Germaniam celeriter iubet.

Et paulo post. *Augustus rursum quinto decennio suscepit curam & administrationem reipublicæ, L. Munatio, & C. Silio Coss. Hic propter senectutem perraro veniebat in senatum, petijt viginti consiliarios annuos, nam antea quindecim tantum adhibebat in sex menses.* Nemo qui vel Romanam historiam à limine salutarit, Augusto seni vel maiestatem, vel auctoritatem decessisse existimabit. Quid ille animus verè Augustus, qui iam moriturus lustrum condit, censum etiam mortuus agit?

§. 11. Quinta. Lucas vocat ἡγεμονίαν Tiberii, non autem ἀρχὴν αὐτοκράτορος, ergo annus decimusquintus non est numerandus ab exitu Augusti, sed Tribunicia potestate.

Respondeo. Si à Tribunicia potestate, iam facile vicesimus annus diceretur, nam iam olim antequam secederet, Tribunicia potestate pollebat, vt ex ioculari eius facto constat, cum sophistam subito aduentu terreret.

Deinde restituta ei Tribunicia potestas est, antequam in Illyricum tenderet, sed restricte in quinquennium, non igitur ab ea potestate primum accepta imperator aut Cæsar dicendus est.

Quod ad dictionem ἡγεμονίας attinet, recte vertit eam Syrus מלכותה regnum, & noster Imperium. Imperitiæ tuæ oppono, non aliquem de vetustis, sed tuorum primipilum Bezam. *Apparet Lucam minime fuisse sollicitum de Tiberij imperio à Pilati procuratoris ipsius munere distinguendo.* Pro imperio ἡγεμονίαν, ἀρχὴν, αὐτοκράτορος ἀρχὴν, αὐτοκρατείαν vsurpant. Sic apud Herodotum ἡγέομαι πάντων ἑρπετῶν. In facultatibus quoque τὸ ἡγεμονικὸν dicitur quod omnibus imperat, & Appiano Roma ἡγεμονὶς ciuitas imperatrix: atque hæ sunt rationes, quibus rogo & lanienæ addicimur; Augustus senex non egit censum, Cyrinus anno quo consul Romæ fuit, Præses fuit Syriæ, Tiberius Augusto imperante, potius Cæsar fuit, quam Augustus, ἡγεμονία non significat imperium, noua ergo Chronologia cudenda, anno 1711. mundus interibit, & quia hæc ita habent.

Papa etiam est Antichristus.

VERSVS 3.

Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem.

QVÆSTIO I.

In quam ciuitatem ibant?

Propria ciuitas in qua familia.

§. 1. EVangelista vno verbo significat, *suam.* Ciuitas autem alicuius dici potest in qua natus est quispiam, vel educatus, vel multo tempore versatus, vel in qua est familia, vel in qua nati parentes, vel in qua domum aliquis, & possessiones habet. Hoc loco indicatur Iudæos fuisse in illam vrbem, in qua familia eorum, seu prosapia erat. Iosephus enim & Maria ibant Bethleem, quia erant de domo & familia Dauid. Eandem aliorum rationem fuisse exemplo horum cognoscimus, non eodem tamen modo. Multi enim inter Iudæos erant ex omnibus tribubus qui tempore Ezechiæ, & aliorum Regum desertis vrbibus tribui Iudæ se coniunxerunt, quos suis locis oportuit censeri. Aliam fuisse censionem aliarum gentium necesse est, inter quas tot incerto patre geniti, tot libertini, vt ad familiæ vrbem venire nullo modo potuerint. Nec vllo documento constat veterum censum eo modo actum.

§. 2. In descriptione singularum gentium consuetudines seruatas esse nihil ambigo. Iudæorum descriptiones per familias fieri consueuerunt, adeo vt nullam aliter institutam constet. Vide Ioseph. lib. 14. c. Reg. 10. 19. 20. 21. & 2. Reg. 24. 2. Augustus autem seruantissimus erat moris veteris, & quæ mutabat, paulatim & sine sensu mutabat. Assueto igitur modo facilime Iudæi describebantur, minorque erat indignatio, dum generis & nobilitatis publicum testimonium habere se viderent. Hoc de illis qui in Iudæa degebant intelligo, non de aliis, qui Alexandriæ, Romæ, aliisque locis inter gentes misti erant. Neque fieri sine ingenti incommodo potuit, vt tot millia ex vniuerso Imperio in Iudæam commigrarent.

VERSVS 4. & 5.

Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem: eo quod esset de domo & familia Dauid. Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.

QVÆSTIO I.

Quomodo peruenit Bethlehemum?

§. 1. VVlgo asino vectam tradunt, Maldonatus partu non molestatam existimat, & paupertati repugnare, asinum posse diisse; cum agnum emere non potuerint. Vix tamen persuadere mihi possum, tantam fuisse paupertatem, vt absolute agnum emere non potuerint, sed quod difficulter eam pecuniam conficerent: mentem autem legis fuisse reor, vt pauperes columbarum pullos aut turtures, diuites agnum offerrent. Nec modo viliorem victimam dedisse puto eos, qui tantum non haberent, vt agnum emere possent, sed qui pauperes essent. Neque enim asinum aut bouem, aut supellectilem, instrumentaue artis, Deus efferendi voluit, vt agnus emeretur, sed tenues noluit grauari.

§. 2. Ascendit quia altior Bethleem. Epiphanius Hæresi 51. tempore Machab. cum Iudæa bellis infestaretur migrasse maiores putat Nazarethum, verum in re incerta nihil velim certi statuere.

QVÆSTIO II.

An Maria itura fuisset Bethlemum, si edictum non fuisset?

§. 1. CAluinus ait, *nihil aliud habuisse propositum, quam edicto parere*, fuisse cœcorum instar Dei manu ductos, additque, *nisi vi compulsa fuisset Maria, domi parere statuerat*, nemque Illyricus. Temeratum ignorat plane iudicium: quis enim Caluino reuelauit? Mariam ignorasse scripturam, quæ locum natalibus Messiæ de-

fæ designauit? omnibus notum erat, Bethlemi nasciturum. Quanquam ergo tyrannico imperio non extraheretur, sponte tamen & angelorum monitu eo profecta fuisset. Nunc magnæ consolationi esse nobis debet, Deum impiorum tyrannide ad beneuolentiæ suæ effectus vti solere.

§. 2. Beza sine ratione putat fieri potuisse vt in ipsa professione eam grauidam deprehenderit, quod non modo sine scriptura affirmat, sed etiam sine verisimilitudine: fieri enim non poterat, vt partus vsque ad finem noni mensis celaretur. Vxorem vocat Syrus מבירתא *mechiretha*, quod etiam de sponsa dici potest. Et Græcus sic intelligendus est, desponsam enim vocat, non quod non vera vxor, sed quod desponsatione & vinculo, non vsu, quodque grauida sponsæ paritatem retineret.

Cum dicat autem eum professum cum Maria, apparet etiam censas esse fœminas in Syria obtinuit vt non nisi puberes censerentur, verũ id postea factum.

Duro imperio apparet eodem tempore aduocatos multos, maxime Dauidicæ stirpis, de quibus suspicio regni affectati esse possit.

VERSVS 6. & 7.

Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio.

QVÆSTIO I.

Quid factum puero nato?

Ἐσπαργάνωσεν pannis inuoluit, fasciauit, itaq; nec solito more puerperarum infirmata est, nec obstetricis obsequio vsa, vt Greg. Nazianzenus obseruauit, hinc concludere licet etiam salua virginitate peperisse, vt Cyprian. de natiuitate Christi. *Pannulis pro purpura, pro byssо in ornatu Regio lacinia congeruntur, genetrix est, & obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exhibet clientelam, &c.* Eadem Hier. contra Heluidium. Nyss. oratione 1. de resurrectione.

§. 2. Nec modo sine dolore matris, sed etiam sine cæteris naturæ contumeliis natus est Dominus. De dolore Greg. Nyssen. orat. de resurrectione. Nazianzenus in tragœdia. Augustin. serm. 14. de natiuit. serm. 1. de assumpt. Damasc. lib. 4. de fid. c. 15. Fulgent. de laudibus B. Virginis.

De secundinis & sanguine etiam sentiunt abfuisse, quod vel sine his conceptus fuerit, vel quod diuina virtute nato Domino in aliud conuersæ fuerint. Quid enim in his autor naturæ fabricarit, ignotum est. De secundinis Concilium in Trullo c. 79. *Absque vllis secundinis ex virgine partum esse confitentes, vt qui sine semine constitutus sit, idque toti gregi annunciantes eos qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet correctioni subiicimus.* Et infra subdit, *non licere ex communibus, & iis quæ in nobis fiunt, enarrabilem virginis partum, quæ supra mentem & sermonem, verbum peperit, definire, metiri, ac describere.* Item Concilium Florentinum. *De cæteris sordibus*, syn. 6. act. 32. Epiphan. lib. 3. contra hæreses circa finem, Cyprianus de natiuitate Christi, Aug. lib. 29. contra Faustum c. 4. & 5. & lib. de quinque hæresibus cap. 5. *Stulte vnde sordes in virgine matre vbi non est concubitus cum homine patre?* Hieronymus c. 4. contr. Heluidium: *Nulla vis obstetrix: nulla mulierculæ sedulitas intercessit: ipse pannis inuoluit infantem: ipsa & mater & obstetrix fuit: & collocauit eum, inquit, in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Quæ sententia & apocryphorum deliramenta conuincit, dum Maria ipsa pannis inuoluit infantem; & Heluidij expleri non patitur voluptatem, dum in diuersorio non fuit locus nuptiarum.*

Nec aliud hic occurrit, nisi vt moneam concionatores, vt ab his rebus tractandis ex Aristotele, & Galeno abstineant. Plus periculosæ curiositatis habet, quam vtilitatis.

§. 3. Tertullianus, aliique tota historica ad veritatem carnis Christi probandam vtuntur. Gestatio enim in vtero, natiuitas, itus, reditus, ostendunt falsam esse vbiquitatem, si enim vbique est Christi corpus & anima, non includitur vtero, non templo, non præsepio, sed extra omnia & in omnibus rebus præsens existit, ideo enim Deo, qua Deus est, ista natiuitas non est communis, quia ille vbique est. *Vbiquitas refellit natiuitas.*

§. 4. Athanasius *de assumptione hominis* contra Manichæos probat phantasma non fuisse. *Respondete mihi, Manichæi, filij tenebrarum, in quos tot genera serpentium lubricos habent anfractus, filium Dei, id est, Deum verum & hominem, verum de Maria virgine, pro nostra salute non contremini, vt scriptum est; Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filium, & vocabu nomen eius Emanuel, quod interpretatur Nobiscum Deus. Si phantasma tibi videtur angelum Gabrielem Mariæ sestificari dicentem: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam ante Deum. Ecce accipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: vel Euangelista ad hoc testante: Et peperit filium primogenitum, & pannis eum inuoluit, & posuit in præsepio. Nunquid phantasma fuit, quod adorauerunt Magi venientes ab Oriente? nunquid phantasma secundum legem octaua die manibus palpatur vel circumciditur? nunquid pro phantasia infantes occisi sunt? nunquid phantasia Ioannes manibus attrectans baptizauit? Nunquid phantasia erat super quem vidit Ioannes Spiritum S. in specie columbæ venientem, & manentem super eo? Nunquid phantasia pedes discipulorum manibus lauit? Nunquid phantasma vere manducauit & bibit? Nunquid phantasia lutum de sputo fecit & liniuit oculos cæci, & vidit? Nunquid phantasia Lazarum fœtentem quarto die suscitauit? Nunquid phantasia vnicum matris viuificauit? Nunquid phantasia in cruce pependit, cum tremefactis cardinibus mundi videns centurio confessionem dedit, dicens, vere filius Dei est hic? Nunquid phantasiam in sindone inuoluit Ioseph, & posuit in monumento? Nunquid phantasma à mortuis post tres dies resurrexit, & in cœlis ascendit, & sedit ad dexteram patris? Absit Manichæ in quo diabolus vniuersa phantasmata erroris est operatus: præsertim cum hæc cuncta superius memorata Deus verus in homine vero sit operatus. Ideoque cognosce in hoc loco, & tu Arriane, quem diabolus in agro inter bonum triticum ausus est ad eradicandum semen suum zizania serere. Memento quemadmodum acceperis, & quomodo audieris, serua & age pœnitentiam. Sin vero, veniam ad te vt fur, & nescis quæ hora veniam ad te. Audis hæretice, qui nomen tantum Christiani habes, & ore diaboli loqueris, qui ignoras causa dispensationis hominis dictum fuisse: qui me misit, maior me est. Haret. Dic orthodoxe, si pro dispensatione hominis, vt asseris positum est: Qui me misit maior me est: ergo quo tempore missus à patre est? Forte dicturus es, absens ab illo. Tunc non fuisse recognoscitur. Ath. O satis confusa conscientia cœcitas, quæ prorsus serpentis veneno est infecta. Vtique si absens à patre fuit, quomodo indiuisa natura est, & si diuisus est, quomodo vnus in vno est? Et si absens fuit, cum in homine fuit & est, cur à Piscatore Ioanne nobis in sinu patris agens vnus semper annunciatus est, dicens: Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit? Denique ad hæc ipsum audi loquentem: verba quæ locutus sum non sunt mea, sed eius qui me misit. Sed & hæc: opera quæ ego facio non sunt mea, sed eius qui me misit patris, ipse operatur sua. Et, si mihi non creditis, operibus credite, quia ego in patre & pater in me est.* *Veus homo est. Humanitas Christi probatur.*

Stabulum in spelunca.

§. 5. Reclinauit autem in præsepio. Causam Euangelista tradit, *quia non erat locus in diuersorio.* κατάλυμα nec in publico, nec in priuato, ita ad diuersorii stabulum diuertendum fuit, stabulum fuisse speluncam in rupe excisam plerique veteres aiunt Epiph. hæres. 51. Theod. l. 8. de Græcan. affect. tophaceam speculum vocat. Nyssenus de natiuitate etiam speluncam appellat. Expresse admodum Syrus, *non erat ei locus vbi habitarent* דשרין deschaten, quod est *manere, habitare.*

Panni decentes.

§. 6. Pannos non recte veteres & laceros putarunt, fieri id potuit, vt essent; sed ex textu non colligitur σπάργανα enim fasciæ sunt, & quamuis Suidas vocet ἐσθῆτα, sunt tamen & ἐσθῆτες quædam noua, vt quæ apud Matthæum ἄγναφα vocantur. Veritas ipsa, & virginis pietas aliud suadet, quam non dubito Dei filio linteola deproperasse, vt infinitam puritatem sindone munda exciperet, nec puto viuo minus præstitisse matrem, quam mortuo Iosephum ab Arimathia.

VERSVS 8.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.

QVÆSTIO I.

Quibus apparuit?

Pauci testes initio.

§. 1. IAm paucis testibus Deus manifestari voluit, non modo vt hic quoque esset exinanitio, sed etiam vt eius gloria ad tempus lateret. At certos esse testes voluit suæ natiuitatis, seque in Bethlehem natum, & inter animalia. Pastores enim pios, prudentes, & fide dignos viros fuisse non est dubium.

Non modo Pharisæis, & turbandæ Ierosolymæ nō est manifestatus, sed nec ciuibus, ne mox res ad Herodem deferretur, sed pastoribus, tum quia pastor ipse & agnus, tum quia mundi ignobilia elegit.

§. 2. Græco textu vocantur ἀγραυλοῦντες, *in agro cubantes*, etiam hyeme, cum ea in regione frigus magnum esse non soleat, & ipsi contra frigus sese munirent, Iacob patriarcha Gen. 31. 40. die noctuque æstu vrebatur & gelu, fugiebat somnō ab oculis eius ἀγραυλοῦντες Syrus vertit דשרין *deschaten, habitantes.* Apud veteres vocantur ποιμένες ἀγραυλοι quod in agro sint ἀυλιζόμενοι, habitent; nam qui ab ἀυλεῖν quod est tibia canere deriuant, fere negliguntur, vt improbabilia dicentes.

Templum in regione vbi angelus apparuit.

§. 3. In eadem regione erant, in qua postea templum conditum: Hier. ad Eustoch. *Haud procul*, inquit, *inde descendit ad turrim Ader, id est, gregis: iuxta quam Iacob pauit greges suos, & pastores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo, & super terram hominibus bonæ voluntatis. Dum, seruant oues, inueniunt Agnum Dei puro & mundissimo vellere, quod in ariditate totius terræ cœlesti rore complutum est; & cuius sanguis tulit peccata mundi, & exterminatorem Ægypti, litus in postibus fugauit.*

VERSVS 9.

Et ecce, angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.

QVÆSTIO I.

Quæ lux?

Lux gloriæ.

§. 1. GRæce est δόξα *gloria*, quali illa cū qua postea Moses & Elias apparuerunt, eo enim significabant, Dominum lucis natum esse, nec alio loco apparuerunt ea luce fulgentes. Syrus vocat תשבוחתא *theschbuchetech*, *Claritate*, quod gloriam, laudem, magnificentiam designat, qua Domini minister apparuit cum Dominus ipse in vili præsepio reclinatus iaceret.

§. 2. Ἔπεστη, in volatu enim, & sublimis apparuit, Gabrielem ait Cyprianus de Natiuitate Christi, Princeps legationis est, & quem alii quasi autorem secuti sunt. Cum igitur in legatione habeat principatum, videtur ex primariis angelis esse quispiam.

Stetit iuxta illos, ἐπέστη, non conuenit verbum *superuenit*, quod vsurpat Beza, est enim præter alia quædā aduenire, vt, *grata superueniet quæ non sperabitur hora.* Hunc Angelū ab Ogdoade venisse inter monstra hæreticorum veterum nugati sunt. Iren. l. 3. c. 11. *Apparuit*, inquit, *pastoribus Angelus Domini, annuncians gaudium eis, quoniam generatus est in domo Dauid Saluator, qui est Christus Dominus: deinde multitudo exercitus cœlestis laudantium Deum & dicentium, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hos Angelos falsarij Gnostici dicunt ab Ogdoade venisse, & descensionem superioris Christi manifestasse, sed corruunt, iterum dicentes, eum qui sursum sit, Christum & Saluatorem non natum esse, sed & post baptisma eius qui sit de dispositione Iesu. Spiritum sicut columbam in eum descendisse. Mentiuntur ergo Ogdoados Angeli secundum eos dicentes, Quoniam generatus est hodie nobis Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Neq; enim Christus, neq; Saluator, tunc natus est, secundum eos: sed ille qui est de dispositione Iesus, qui est mundi fabricator, is in quem vere post baptisma descendisse, hoc est, post triginta annos superni Saluatoris dicunt. Quid autem in ciuitate Dauid adposuerunt, nisi vt eam pollicitationem quæ à Deo facta est Dauid, quoniam ex fructu ventris eius æternus erit Rex, adimpletam euangelizarent? Etenim fabricator totius vniuersitatis fecerat promissionem Dauid, quemadmodum ipse (Dauid) ait. Adiutorium nostrum à Domino, qui fecit cœlum & terram.*

§. 3. Omni populo gaudium annunciatur, non Iudæorum solum, sed & gentium. Syrus eo respexit, cum vertit לכלה עלמא omni vel toti mundo. Haud vero insolidum nunciat; nam quicquid lætitiæ est extra Deum, totum est euanidum. Ambrosius, *vox tuum est quod bestias patitur, suum quod ab Angelis prædicatur.*

VERSVS 12.

Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum: & positum in præsepio.

QVÆSTIO I.

Quomodo signum infans in præsepio?

§. 1. SIgnum fidei conciliandæ angelus proponit, infantem scilicet in præsepio. Si humana sapientia res æstimetur, non erat id signum regis, & liberatoris, sed miseri, & qui sibi cunas curare non potuerit. Fuerunt olim maximorum virorum exordia tenuia, vt Mosis, aliorumque, sed non omnes tamen, qui in paupertate sunt nati, ad potentiam emerserunt. Nec ergo hoc loco natalium obscuritas futuræ claritatis est signum. Varie itaque respondent.

§. 2. Beda negat signum, quo crederent, sed quo dignoscerent, ne in purpura redemptorem, & in palatio, sed stabulo, & præsepi quærerent. Signum ergo, inquit, pueri nati est præsepe.

Maldonatus verum signum dari arbitratur, certum enim præsepe indicatum, fore vt ibi inuenient. Id autem prophetæ munus erat; dicere de absente, natum esse; & fore vt cum venissent, non alio loco, sed in præsepio reclinatum inuenirent: Poterat enim mater discedere, poterat in vlnas accipere. Quemadmodum Sauli 1. Reg. 10. 2. dicitur quis occursurus sit.

Signum

Signum vero abiectum & contemptibile est, quo etiam quotidie Deus vtitur, cum crucem nobis ob oculos ponit.

VERSVS 14.

Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

QVÆSTIO I.

Quæ Pax?

§.1. DVobus modis illa verba distinguunt. Primus est. Et in terra pax, hominibus bona voluntas. Sic legunt & exponunt Euth. Theophyl. Niceph. l. 1. c. 12.

Non potest ex hac distinctione clarus confici sensus. Si enim pax in terra non potest esse nisi in hominibus, non possunt ista disiungi, deinde vt gloria Deo, *ita pax hominibus tribuitur.* Sic igitur disponenda sunt verba. *Et in terra pax hominibus.* Sic Cyprian. de natiuit. Orig. hom. 13. in Luc. Hilar. l. 2. de Trin. Augustin. l. 2. de sermon.

§.2. Pax duplex est, hominum inter se, & hominum cum angelis, & cum Deo. Mihi de triplici pace intelligi videtur. Nam regnum Christi pacem induxit, conuertens cor patrum ad filios. Nunquam enim ab orbe condito tam longa, inter tam multos, tam diuersarum nationū homines tam firma pax fuit, quam inter Christianos. Bozius multis hoc ipsum demonstrat. Nec obstat quod c. 12. c. 1. & Matth. 10. 34. se venisse non pacem mittere, sed gladium. Etsi separati sint fideles ab infidelibus, semper persecutionem, passa Ecclesia, non tamen ideo non est pax inter membra Ecclesiæ, nec eluditur oratio Episcoporum rogantium Pax vobis.

§.3. Agit etiam de pace cum Deo & Angelis, quarum vna sine altera esse non potest. Dei enim amicos angeli amant, & nullum Dei inimicum non odio prosequuntur. Reconciliantes homines per Christum inducat, de ea pace frequens mentio est in scripturis. Rom. 6. 1. 2. Ephes. 2. 14. & seq.

QVÆSTIO II.

Qui homines bonæ voluntatis?

§.1. LEctio duplex est, & vnius lectionis duplex interpretatio. Prima est Græcorum hodiernorum, & plurimorum veterum, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία in hominibus bona voluntas. Altera quorundam græcorum, qui εὐδοκίας legunt, bonæ voluntatis. Interpretatio etiam duplex. Quidam enim intelligunt bonam hominū voluntatem, qua boni sunt, alii bonam Dei erga homines voluntatem, qua eos bonos efficit.

§.2. Lectio græca videtur ex latina corrigenda. Primo, quia qui legunt εὐδοκία nominandi casu recentiores sunt, Niceph. Theoph. Euth. Andreas Ierosolymitanus, & vnus antiquior Nazianz. orat. 2. de Pascha. At vetustiores, vt Orig. hom. 13. in Luc. habet εὐδοκίαι, deinde Cyrillus catechesi 12. Græcis igitur Græcos opponimus. Deinde latinos magno numero. Deinde sensus est fac lior, si dicamus hominibus bonæ voluntatis pacem esse datā. Et si tria membra essent, non esset decora oppositio. Nam cœlo terra, Deo homines opponuntur, gloria paci. Quia tamen non omnibus pax in finem proficit: ideo hominibus bonæ voluntatis רצון ratzon, hoc est, quos antecedente voluntate bona Deus elegit, attribuitur. itaque angeli vt homines laudant, sed in illis Dei misericordiam.

§.2. Homines bonæ voluntatis sunt, qui Deo placent, quos Deus benevolentia complectitur. Quamtis quidam ad pacem referant; vt sensus sit, Pacem bonæ voluntatis in hominibus fore. Nempe pacem eam quæ hominibus datur, esse pacem bonæ voluntatis, ac misericordiæ diuinæ.

Illi vero sunt prædestinati, qui illi soli pacem illam perpetuo conseruant, licet multi recipiant.

§.3. Sine causa igitur Caluinus miratur, *vnde* (vt ipse ait) *factum sit, vt genitiuus casus obrepserit nescio. Vulgatam* ait *adulterinam esse, & sensum corrumpere.* Sed ita habet Irenæus, aliique, vt supra dixi. *Caluinus nostram lectionem reiect.*

Bonæ voluntatis etiam habet Hier. in c. 2. Isa. Aug. ad Simplic. l. 1. q. 2. sed Caluino Bezam opponimus: [Cæterum, *inquit*, vetustissimus meus codex, itemque Origenes in Lucam 13. & Chrysostomus plurimis locis, vt Homilia in Matth. 36. in sermone de ascensione Domini, & Homilia de natiuitate Domini: vetus deniq; interpres, pro εὐδοκία legerunt εὐδοκίας. Hebræus autem nemo est, qui nesciat solere adiectiuorum loco vti genitiuis appellatiuorum. Sic filii promissionis & electionis, vasa iræ, vasa misericordiæ, vasa electionis, Hebraice dicuntur ij, quibus Deus destinauit promissiones, quos elegit, in quos iram vel misericordiā decreuit exercere, quorū opera in rebus magnis vti constituit. Ita igitur hoc loco (sicut recte Etasmus annotauit) vocati fuerunt ἄνθρωποι εὐδοκίας, Homines beneplaciti vel (vt vetus interpres conuertit) homines bonæ voluntatis, perinde ac si εὐδοκημένους scripsisset Euangelista sicut dicitur Maria κεχαριτωμένη quod Gallice dixeris bienvenus. Hebraice vero איש רצין (anſche ratſon) id est, quos Deus ex gratuito suo proposito diligit & complectitur in Filio. Sicut Daniel dicitur איש חמודות (isch chamudoth) id est, vir desideriorū, propter vim omnibus modis desiderato. Sed hunc Hebraismum veteres (quod cum eorum pace ac venia dictum esse velim) cùm non considerarent, varie corrupere. Nam alii, vt Origenes, (de quo quid sentirem, in præfatione dixi) εὐδοκίας cōiungunt cū εἰρήνη, traiectione prorsus violenta: Chrysostomus in sermone de Natiuitate Domini, manifeste ad bonam hominum voluntatem retulit, Veteres Latini etiam ita sunt interpretati, & eum errorem recentiores sophistæ auxerunt. Ad me vero quod attinet, quamuis (vt ante dixi) in omnibus exemplaribus excepto illo meo vetustissimo, legerim εὐδοκία, & ita sim in contextu interpretatus: tamen Origenis, Chrysostomi, veteris interpretis auctoritatem, ipsam deniq; rationem sequutus, nō recusem legere εὐδοκίας, & totam hanc orationem in duo tantum membra partiri, hoc modo, Δοξία ψίστοις Θεῷ. καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας: id est, Gloria in (cœlis) altissimis Deo, & in terra pax in hominibus dilectis, vel complacitis. Neq; enim hæc pax ad omnes pertinet, sed ad eos demum, quos Deus gratia sua dignatur. Certe hoc modo plana erit omnium membrorum antithesis, & nihil prorsus hiulcum aut detortum apparebit. Quod si tria membra constituamus (ne quis miretur copulam in secundo membro expressam, cùm potius vel totam orationem esse ἀσυνδετον, vel tertio demum membro copulam exprimi, ex omnium linguarum more oportuerit) erit tertium hoc membrum quasi ἐπιφώνημα, pronuntiatione adiuuandum, vt sic designetur omne illud suum beneficium ex illa immensa Dei φιλανθρωπία exoriri.] *Beza de-fendit.* *Beza veterē interpretem sequitur.*

Bezæ verba idcirco longiuscula posui, vt lector videat, quam facile ex eisdem castris veritas defendatur, ex quibus oppugnatur. Nouitas autem vt cito placet leuibus ingeniis, ita cito displicet.

QVÆSTIO III.

Quomodo canant Deo gloriam in excelsis?

§.1. GLoria in altissimis Deo, verba sunt vel optantium, vel affirmantium.

Laudare nō est optantis.

Qui arbitrantur Angelos non optare, sed affirmare; rationem habent ex ipsis verbis. Sunt enim voces laudantium; Laudate autem non est optare alteri bona, sed ea quæ habet, confiteri, & prædicare. Ita Psal. 105. & 106.

Confirmant sua laude angeli dicta, non igitur ex futuro laudem precantur, sed ob facta collaudant.

Probabilior eorum sententia videtur, qui optando & precando hæc efferunt, tum quia argumentum hoc nihil magnopere efficit, tum quia aliud in aliam partem melius est. Non est firmum argumentum ex definitione laudis. Nam laudamus etiam bene precando, & bona quæ habet laudatus, consensu & votis approbando. Vt cum dicimus, *Sit nomen Domini benedictum & vsq; in sæculum.* Quibus plena est scriptura. Deinde firmum argumentum aliunde est. Nam cum hominibus pacem precantur, non affirmantium, sed optantium sunt, nondum enim pax illa confecta erat, sed cæsa hostia fœderis plena constituenda fuit.

Laudamus bene precando.

Angeli gratiarum actione, & laudibus Deum prosequuntur, quia finis reconciliationis, adeoque nostræ salutis, est Dei gloria.

QVÆSTIO IV.

Quæ Militia?

Militia cœli.

§. 1. Militia cœli in scriptura 4. Reg. 21. 3. & 2. Par. 33. 3. c. pro sole stellisque accipitur, quæ homines adorabant, hic exercitus est angelorum, qui, vt Beda & Euthymius, cum vno angelo aderant, & annunciato Euangelio apparuerunt. Et de Christi natiuitate testantur, quem homines ignorabant.

Angeli omnes adorarunt.

Porro cum dicit πλῆθος στρατιᾶς *multitudo exercitus*, ordinate consistentes vidisse indicat. Syrus multos exercitus dicit: nec dubito quin aliquot angelorum legiones fuerint, qui natalem Domini sui solenniter celebrarent, nonnulli existimant omnes penitus angelos de cœlo descendisse, dominum adoraturos. Noster Vincentius ita interpretatur illud ad Hebr. 1. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

§. 2. Ἐγένετο, Beza *adfuit*, negat enim cōuenire, quod noster habet, *Facta est cū eo multitudo.* Noster interpres retinuit Græcismū: Syrus tantummodo habet: *Et subito apparuerunt* pro exercitu habet חיליתא *chailuatha*, quod est, virtutum, seu fortium exercituum.

Beza Lucā reprehēdit.

Quemadmodum autem græca locutio ἐγένετο σὺν ἀγγέλῳ, est peculiaris, ita & latina. Et quemadmodum Beza, στρατιᾶς singularem vertit pluralī στρατιᾶς, quia sequitur laudantium, ita quoque Græca, hoc est, ipsum Lucam emendare debuit.

§. 3. Excelsa מרומא *merauma*, non ὑψίστοις habet Syrus. Idem est sensus, & vtroque modo loquitur scriptura. Syrus ita habet, *Gloria Deo in excelsis, & super terram pax, & nuncium bonum, vel voluntas bona filiis hominū.* ורסברא *vesabbera*, est à סבר *sebar* quod inter multa significata est etiam euangelizari, & סברתא *sebartha*, euangeliū, traiectione literæ. dicitur enim סבר *sebar*, quasi בסר *besar*. Est etiā iudicare, arbitrari, intelligere.

In altissimis Maldonatus nō iungit cum Deo, vt sit sensus, Deum qui est in altissimis gloriam esse, sed nos qui sumus in altissimis Deum laudare. Aug. l. 2. de serm. Domini in monte. Vtroque modo recte intelligitur.

Εὐδοκία Rom. 10. 1. Phil. 1. 15. etiam de beneuolentia hominum inter se dicitur: vt ex Syro quoque patet. Hic tamen accipienda est vox, pro Dei in hominibus beneplacito.

§. 4. ἐν videtur omittendum, nam in latinis nō est, & deest plurimis græcis, teste Erasmo, aliisque. Imo à pleriſq; veteribus codicibus abesse pro certo Beza statuit. Syrus habet ל part culam dativi indicem. Itaque vetus & lectio, & sententia retinenda est.

VERSVS 15. 16. 17. 18. 19.

Et factum est, vt discesserunt ab eis angeli in cœlū, pastores loquebantur adinuicem: Transeamus vsq; Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariā & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

QVÆSTIO I.

Quid factum à discessu angelorum?

§. 1. Pastores, Græcus, καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες. Primo se mutuo cohortantur, gratia efficaciæ donati, verbum videre desiderant, quod Ambr. Bernh. Christum interpretantur, non quod ipsi sic appellent, sed quod verbum pro re narrata ponant, res autem quam visuri erant, *Verbum caro factum erat.* Ambr.

§. 2. Festinant, magna cura de tanta re edocti. Merito sane, beneficium hoc grate agnoscendum fuit. Ambr. *Nemo cum desidia Christum requirit.*

§. 3. Cognouerunt experientia, διεγνώρισαν non modo cognoscere, sed etiam promulgare, aliisque ostendere significat. Itaq; Theophyl. Iuuencus, aliiq; interpretantur, & Syrus actiue vertit, אודעו למלתא *audachu lemelletha*, *notum fecerunt sermonem.*

Non erat præceptum vt in vrbem irent, sed satis id constabat faciendum esse, ne verbum Dei in vanum audisse viderentur, si tantam salutem negligerent. Mirantur alii, non accedunt tamen, at hi se cohortantur, Eamus, græce additur δή quæ est particula abundans.

§. 4. Omnia verba non modo pastorum, sed omnia facta, Maria conseruabat, & cōferebat, ad fidei & mysterii confirmationem, ad excitandam deuotionem. Conferre, est singula componere, & quasi in vnum compendium redigere. συμβάλλουσα, Syra vox est à פחם *phecham*, quod est comparare, animo volucre, 2. Corinth. 3. hinc פוחמא *puchama* est collatio, & פחמא *phechama* æqualis.

Gagneus; contulisse cum illis, quæ in scripturis inueniebat, vt in Michea, *Et tu Bethlehem.*

Ambrosius recte monet, vt Mariæ exemplo discere potius, quam docere velimus, discamus.

VERSVS 22. 23. 24.

Et postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. (Sicut scriptum est in lege Domini,

Quia

Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

QVÆSTIO I.

Cur circumcidi puer, & Mater purgari voluit?

§.1. LEgem venerat adimplere, ideo circumcidi voluit, & Mater purgari. Beda ait in persona humani generis circumcisum, quod verum est, quia omnia peccata nostra in se susceptt.

Syrus titulum præfigit; *Matutinus introitus Domini nostri in templum.*

§.2. Leuit. 27. 26. Exod. 13. 1. Num. 8. 16. propter primogenitos interemptos, sibi sacrari Deus omne primogenitū voluit. Verba sunt Exo. 13. 1. *Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam, in filiis Israel, tam de hominibus, quam de iumentis: mea sunt enim omnia.*

§.3. Adaperiens vuluam dicitur, non quod fœtus nascendo aperiat, concipiendo enim aperta est. Sed ille aperire dicitur, qui prior egrediendo, viā aliis quodammodo parit. Et fœcunditatē reipsa exhibet. Nam qui prolem donat, aut negat Deus, aperire & claudere vuluam dicitur, Gen 29. 31. & 30. 22. 1. Reg. 1. 8. exprobrat Annæ æmula eius, *quod Dominus conclusisset vuluā eius.*

§.4. At Patres aiunt Christum aperuisse propriè, quia clausā inuenit. Orig. ho. 14. Tert. de carne Christi. Ambr. Nyss. in testim. ex vet. test. Epiph. hær. 78. Hier. lib. 1. contra Pelagian. Hinc Caluiniani virginitatem partu amissā iugantur. Sed olim hæretici apud Epiph. loco citato ea de causa damnati sunt. Christus autē aperuisse dicitur, qui est egressus: effectº enim, nō actio spectatur. Sic dicitur dirumpere cœlos & descendere, nō quod corpora ipsa dissipet, sed effectu compareat. Sic Amphiloch. *Quantum*, inquit, *pertinet ad virginalem naturam, virginis clausura nullo modo aperta sunt; quantum vero ad potentiam geniti Domini, nihil clausum, omnia aperta.*

Hieron. lib. 2. contra Pelag. *Solus*, ait, *Christus clausas portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ iugiter permanserunt.*

§.5. Aliorum non est hac in re obscura sententia. Aug. serm. 24. de tempore. *Qui virginitatem matris nascendo non minuit, sed sacrauit.* Ambr. Epist. 81. Gaudent. Tract. 2. in Euang. Nyss. de occursu Domini. Itaq; cum Christus dicitur nascendo vterum matris aperuisse, aliud non est, quam primogenitum fuisse.

Beda. *Itaq;*, inquit, *quod ait, adaperiens vuluam, consuetā nationis morē loquitur, non quod Dominus noster sacri vteri hospitium, quod ingressus sanctificaret, egressus deuirginasse credendus sit, iuxta hæreticos, qui dicunt Beatam Mariam virginem vsq; ad partum, non virginem esse post partum: sed iuxta fidem Catholicam clauso virginis vtero quasi sponsus de thalamo processisse.*

Aperuisse vterum negat etiam Hormisda Pontifex. Epi. c. 5. & Cyrillus de occursu Domini. *Samuel quidem*, ait, *& Isaac, & simul etiam Iacob, & Ioseph, & alij multi, qui præter spem nati sunt ex sterilibus, & aperuerunt infertiles vuluas matrum, Sancti Domino vocati sunt: Christus autem solus ex solo vnigenitus, cum virginales portas non aperuisset, non est sanctus Domino: sed Sanctus Sanctorum, & Dominus dominorum, & Deus deorum, & primogenitus primogenitorum, & Rex regnantium, & vocabitur, & credetur, & nunc in Templo à Simeone prædicabitur.*

Soarez etiam noster T. 2. in p. 3. c. disp. 16. negat hæc ad Christum omnia pertinere, vti nec ad matrem. Aperire vuluam, Rupertus lib. 2. de Trinit. & in Exod c. 24. Abulens. in cap. 13. Ianſ. c. 10. Concordiæ eodem modo exponunt. Negandum itaq; legem ad Christū pertinuisse, sicut enim legem de circumcisione, & mater purgationis dies seruauit, ita etiam hic legem de primogenitis aperientibus vuluam, seruauit, ipse non aperiens. *Legem quā non tenebatur obseruat.*

§. 6. Iren. l. 1. c. 1. τὸ δὲ, σωτῆρος τὸ ἐκπάντων ὄντα τὸ πᾶν εἶναι λόγε, ἓν πᾶν ἄρρεν διανοῖγον μήτραν ἅγιον κυρίῳ κληθήσεται, καὶ ἐξορισθέισης ἐκτὸς ἓν πληρώματος, ἵν᾽ ἡ δευτέρα ὀγδοὰς καλέσῃ, ὥσπερ μικρὸν ὕστερον ἐρεῖ. καὶ ἐστὸ ἓν παῦλε ἓν φανερῶς δῆλα τὸ εἰρῆσθαι λέγωσι, καὶ αὖ τὸς ἔστι τὰ πάντα, καὶ πάλιν, πάντα εἰς αὐτὸν, καὶ ἐξ αὐτὸ τὰ πάντα, καὶ πάλιν, ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, ἵνα τὸ ἀνακεφαλαιώσασθαι ἓν τὰ πάντα ἐν τῷ χρισῷ ἅγιον ἓν θεᾷ ἑρμηνεύεσθαι, καὶ εἰ τινα ἄλλα τοιαῦτα, id est: Quod autem Saluator, qui ex omnibus ortus est, omnia sit, per hæc Scripturæ verba ostendi asserunt: Omne masculinum adaperiens vuluam. Ipsum enim, cum omne sit, aperuisse vuluam Euthymesis Æonis illius affecti, atq; extra Pleroma iecti, quam etiam secundam Ogdoadem appellant: de qua paulo post verba faciemus. Atq; eam ob causam dictē quoq; à Paulo dictum esse aiunt; Et ipse est omnia. Et iterum, Omnia in eum, & ex ipso omnia. Acrursus, In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis. Itemque illud, instaurare omnia in Christo per Deum. Ad hunc modum hæc, & si quæ alia huiusmodi sunt, interpretantur.

§.7. Lectio Græcorum triplex est. Aliis in exemplaribus est καθαρισμὸς αὐτὸ *ipsius Christi*, aliis αὐτῶν, *ipsorum*. Sed vera est tertia, αὐτῆς, *ipsius matris*. Voluit autem ipsa in purgatione seruare legem, sicut Christus in circumcisione. Leuit. 13. 3. Sola parientis est purgatio, non prolis, quod eo loco exponitur. Falso igitur Orig. Theoph. Euth. ad matrem & ad filium referunt. Multo absurdius Euthymius, qui ad vtrum etiam referendum putat. *Oblatio pro matre fuit.*

§.8. Legis verba Leuit. 12 sunt: *Cumq; expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ siue turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti qui offeret illa coram Domino, & orabit pro eâ, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum aut fœminam. Quod si non inuenerit manus eius nec poterit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato: orabitq; pro ea sacerdos, & sic mundabitur.*

Columbas obtulit vti pauper, non thesaurus magorum alio expensus, & in pauperes. Valdè mirum cum Elisabetham diuitem haberet, sciretque illa esse matrem Domini, non ab eâ ditatam, aut adiutam. Sed alia Dei sunt, alia hominum iudicia.

§.9. Origenes immundam putauit, quod impium est dicere, cum sine immunditie conceperit, cum partu sanctificata fuerit.

VERSVS 25.

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, exspectans consolationem Israel: & Spiritus sanctus erat in eo.

QVÆSTIO I.

Quis Simeon?

§.1. EVangelista hoc agit, vt quàm maximum, verissimūq; testimoniū habeat de Christi diuinitate. Illud est Simeonis, qui pius erat, & iustº: *Spiritus sanctus* *Iusti testimonium accipit Christi Spiritus sius.*

sanctus erat in illo. Quia & Propheta, & iustus erat. Iustus & timoratus, Syrus habet בארין *Cyn*, rectus, & זדיק *Zadic, iustus.*

Spiritum sanctum vocat Syrus רוחא דקודשא *rucha decudescha, Spiritum sanctitatis.*

Sacerdotem fuisse Cyrill. de occursu Domini, & Epiph. de vita prophetarum putant; Celsus ad Virgiliũ fuisse cœcum, & visum recepisse ait. Constat sane hoc testimonium viri notissimi plurimi momenti fuisse apud Iudæos. Magnæ auctoritatis erat, qualis v.g. olim Eleazarus Senior, apud Christianos, Gregorius, Basilius, Augustinus, Franciscus, aut talium quispiam. Cui Deus vt Daniel. c. 6. intellexit tempus, ita Simeoni reuelauit.

Fideles sciebant iam prope tempus adesse.

§. 2. Peculiare hoc tempore præconium est iustorũ, exspectare redemptionem Israel, collatis enim Scripturis, rebusq; gestis, & statu Ecclesiæ, colligebant non procul abesse Messiam: nam & prophetis quibusdam id reuelabitur, vt Simeoni, & fama iam sparsa de Messia etiam ad aures Herodis peruenerat. Itaq; magna in exspectatione erant huius temporis fideles. Quæ de Simeone Niceph. l. 1. c. 12. Deauxames ex Hegesippo producit, fabulæ affinia sunt.

§. 3. Miræ sunt veterum hæreticorum de Simeone & Anna Fabulæ, quas lubens omitterem, nisi nostro tempore pernicioſæ magis fingerentur. refert Iren. l. 1. c. 1. Συμεῶνα τὸ εἰς τὰς ἀγκάλας λαβόντα τὸ Χριστὸν ἐξ ὑπαλλαγῆς τοῦ ἀληθοῦς ἀπὸ τοῦ Δημιουργοῦ λέγουσιν, ὡς ἐλθόντος ἐκ τοῦ σωτῆρος εἰς αὐτὸν μεταθέσιν αὐτοῦ, καὶ ἡνιχαεέναι τῷ βυθῷ, καὶ δι' ἃ ἄννης τὸ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ κηρυσσομένης προφήτιδος, ἐπὶ ἔτη μὴ ἀνδρὸς ἐξυκιάς, τὸ δὲ λοιπὸν ἄπαντα τὸν χρόνον κήρας μυθήσης ἄχρις οὗ τὸ σωτῆρα ἰδοῦσα ἐπέγνω αὐτὸν, καὶ ἐλάλει περὶ αὐτοῦ πᾶσι, φανερὰ γενόμενα τὰ ἀχαμώθ μιλιούεθ διοεάζοντ), ἥτις πρὸς ὀλίγον ἰδοῦσα τὸ σωτῆρα μὴ τὸ ἡλικιωτῶν αὐτῆ τῷ λοιπῷ χρόνῳ πάντα ἐν τῇ μεσότητι προσδέχεσθαι αὐτὸ πότε, πάλιν ἐλθοῦσα τὴν λόγον καὶ τὴν αὐτῆς συζυγίαν. καὶ τὸ ὄνομα δὲ αὐτῆς μεμιλιούεθ ὑπὸ δὲ σωτῆρος ἐν τῷ εἰρηκέναι, καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς. *Simeonem porrò, qui in vlnas suas Christum accepit, ac Deo gratias egit, & dixit, Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, Demiurgi figuram esse tradunt, qui veniente Saluatore, translationem sui didicit, & Bytho gratias egit. Consimilem etiam in modum per Annam illam, quæ in Euangelio prophetissa dicitur, septemque annis cum viro transactis, reliquum omne vitæ tempus in viduitate confecit, quousque Saluatorem vidit, eumque agnouit, atque apud omnes de eo verba faciebat perspicue Achamoth significari asserunt, quæ quidem cum exiguo tempore Saluatorem, vnà cum ipsius æqualibus conspexisset, per omne reliquum tempus in meditate sedem figens, operiebatur eum, ecquando rursus veniret, eamque suo coniugio restitueret. Quin ipsius quoque nomen proditum fuisse à Saluatore, cum diceret, Et iustificata est sapientia à filiis suis.*

Somnia hæreticorum.

§. 4. Cyprianus de mortalitate, hanc esse veram pacem, cum dimittimur. *Letus itaque,* inquit, *de morte iam proximâ, & de vicinâ accersitione securus, accepit in manus puerum, & benedicens Deum exclamauit & dixit: Nunc dimittis seruum Domine, secundum verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Probans, scilicet, atque contestans tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expunctâ hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma, & perpetua securitas.*

Vera pax.

De futuro multi exponunt, sed accipiendum de iam secuturo tempore. Syrus vtitur imperatiuo שרי dimitte.

VERSVS 30. 31. 32.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

QVÆSTIO I.

Quid salutare?

§. 1. HEbræis salus dicitur ישועה *Ieschua*, ita Zacharias c. 1. nominat. τὸ σωτήριον dicere solet Christus auctor salutis, aliquando dicitur & ipse salus. August. l. 2. contra aduers. leg. & Proph. cap. 11. Syrus גבב salutem tuam. Omnium populorum salutem esse nominatim exprimit. Simeon enim præuidit salutem gentium, de quo Apostoli.

VERSVS 33.

Et erat Pater eius & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.

QVÆSTIO I.

Cur mirati?

Sine mirantes, fabulis, figmentis.

§. 1. PAter eius, in Græcis est, Ioseph pro Patre. Maiora aut sane paria ab Angelo iam audierat: sed nunc à sancto viro illa audiens, & iam parato mori, deniq; de reuelatione gentium mirabatur, non enim fortè satis erant illi ista mysteria reuelata.

Non admirati sunt vti rem inusitatæ nouitatis, nec enim ea quæ Simeon dicebat, ipsi ignorare potuerunt, sed reuerenter amplexi sunt, admirantes Dei bonitatem, Simeoni aliisq; illa reuelantis.

VERSVS 34.

Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius, ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.

QVÆSTIO I.

Quomodo positus in ruinam?

Quo modo positus in ruinam.

§. 1. NOn est alia huius loci difficultas ab eâ, quæ est Isa. 8. 13. 14. 15. ideoque miror longas disputationes à nonnullis texi, & quæri, quomodo sit in *ruinam.* In resurrectionem est quia venit Saluator, redemptor, gratiæ dator. In ruinam, non quod Dei consilio is positus sit in ruinam, sed quia eius vita ac prædicatio occasionem ruinæ dederit. Dum enim vitia reprehendit, veritatis odium concitat. Dum morbos tractat, phreneticis in medicum insurgũt. Hoc Simeon benedicens, & suæ gentis peruicaciam præuidens prophetat. Christus enim missus est, vt saluos faciat, & deinde iudicet omnes, impios damnet, aliis sit in resurrectionem Isa. 8. 13. 1. Pet. 2. 4. Irenæus l. 5. c. 27. non de prædestinatione, aut consilio perdendi exponit, sed de iudiciaria Christi potestate. *Et agnos quidem,* inquit, *vocare (venit) in præparatum regnum, hædos autem in æternum ignem mittere, qui præparatus est à Patre eius Diabolo & angelis eius. Et quid enim? Verbum venit in ruinam & in resurrectionem multorum? In ruinam quidem non credentium ei, quibus*

In ruinam.

Ex parte.

quibus & maiorem damnationem, quam Sodomorum & Gomorrhæ in iudicio comminatus est. *In resurrectionem autem credentium & facientium voluntatem Patris eius qui est in cœlis. Si ergo aduentus Filij super omnes quidem similiter aduenit, iudicialis est autem, & discretor credentium, & non credentium, quoniam ex suâ sententiâ credentes faciunt eius voluntatem.*

§. 2. Pareus etiam l. 2. de amiss. gratiæ & statu peccati, fateri cogitur Christum non esse nisi per accidens positum in ruinam; cum per se positus sit in salutem. Theoph. interpretatio coacta est, ruinam significare casum peccati. Origenis coactior, ruinam esse mortem Christi.

Benedictio Simeonis, non erat tanquam publicæ personæ; illa enim maioris est: sed qualis solet à priuatis esse bona precatio.

QVÆSTIO II.

Quod signum cui contradicetur?

Καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον. Syrus לאתא דתהרגא *Iatha dechrenaia*, in signum contradictionis. Verum est quod Maldonatus ait, hunc locum faciliorem fuisse futurum, si eum nemo exposuisset. Multæ enim expositiones obscurarunt; Certùm est de morte & aduersitatibus Christi agi, nam sequitur tuam ipsius animam pertransibit gladius. Signum igitur Christus, seu scopus est vt vocat Tertullianus contradicibilis in eum omnia Iudaicarum linguarum & manuum iacula contorta sunt; toto enim tempore prædicationis illi obstiterunt, contradixerunt. Quia vero calumnias & obsequia præcipue notare voluit, ait, *contradicetur*. Cumalioqui peti signum, non illi contradici soleat.

Vincentius pro ἀντιλεγόμενον, inquit forte fuisse ἀντιλεξόμενον, Augustin. l. qq. q. 36. & l. 2. de cons. c. 5. Orig. hom. 5. in Lucam. Signum ergo contradictionis est, quia in eum impingunt, & corruunt, scopo omnes imminent & infesti sunt, sic Christo quasi conspiratione mali contradicunt & reclamant. Horrendum est creaturas insurgere in creatorem, sed hoc tamen agitur quotidie.

Tertullianus l. de carne Christi c. 23. legit: *signum cui contradicetur*, sic Augustin. in Psal. 88. & Orig. alii habent quò contradicetur, Impletam vero prophetiam ait Tertullianus. *Sed agnoscimus adimpleri Propheticam vocem Simeonis, super adhuc recentem infantem Dominum pronuntiantis: Ecce hic positus est in ruinam & suscitationem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Signum enim nativitatis Christi, secundum Isaiam, Propterea dabit Dominus vobis ipse signum, Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium. Agnoscimus ergo signum contradicibile, conceptū & partū Virginis Mariæ: de quo Academici isti, peperit, & non peperit: Virgo, & non virgo: quasi non, etsi ita dicendum esset, à nobis magis dici conueniret. Peperit enim, quæ ex sua carne, & non peperit, quæ non ex viri semine. Et Virgo quantum à viro, non Virgo quantum à partu. Non tamen vt ideo non peperit: & ideo Virgo, quæ non Virgo, quia non de visceribus suis mater. Sed apud nos nihil dubium, nec retortum in ancipitem defensionem. Lux, lux: & tenebræ, tenebræ: & est, est: & non, non. Quod amplius, hoc à malo est. Peperit, quæ peperit. Etsi Virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege: in quo nihil interfuit de vi masculi admissi, an emissi, id est, illud sexus resignauit.*

VERSVS 35.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

QVÆSTIO I.

Cur reuelentur cogitationes?

§. 1. DVplex interpunctio duplicem sensum efficit. Nonnulli iungunt hæc verba cum præcedentibus. *& in signum, cui contradicitur, vt reuelentur ex cordibus multorum cogitationes.* Quia enim crucem & labores suis sectatoribus promisit, non nisi sinceri eum secuti sunt, aut si hypocritæ ad tempus virtutem sunt amplexi, mox refugerunt. Alii cum Spiritu eo pissent, carne finierunt. atq; ita intermedia verba. Et tuam, &c. quasi per parenthesin legenda sunt. *Duplex sensus.*

§. 2. Alia connexio est difficilior. Non enim apparet, cur ex eo quod Mariæ animam pertransit gladius, aliorum reuelentur cogitationes. Itaq; Orig. aliiq; de dubitatione in fide interpretantur; At non loquitur de Mariæ cogitationibus, sed multorum. Nec enim illa dubitauit. Prior ergo expositio retinenda est.

§. 3. Variæ interpretationes sunt apud Maldonatum collectæ, Ipsius est, quæ vulgi, doloris gladio in passione Christi confossam, mortis acerbitatem & dolores ita fortiter Christum transfixisse, vt auersa parte mucro exiens proximè stantem matrem per Christi corpus vulnerarit. *Per Christi corpus Maria vulnerata est.*

VERSVS 36.

Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua.

QVÆSTIO I.

Quæ Anna?

§. 1. ETiam fœminæ testimonium adducit, sed prophetissæ, non enim à testimonio dicendo arceri debuit, quæ est regno idonea. Duo autem testimonia producit; sed fidelium & sanctorum. Totie nim multitudini improborum vel vnicus Dei amicus anteponitur. Et grauior apud Deum testis sancta anus, quam cum toto senatu Augustus. *Testimonium fœminæ notæ adducitur.*

De ætate res incerta est, vel enim à morte viri vixit annos octoginta quatuor, atque ita fuit maior centenaria; vel tota ætas fuit annorum 80. cuius nos incertos esse voluit Spiritus sanctus.

Magna in eo populo pudicitiæ laus, tam longa florentis ætatis viduitas, quocirca rectè Syris חנה *channa*, dicitur à gratia. Quod noster vertit, *vsq; ad octoginta quatuor*, legit ἑως, in Græcis est ὡς *quasi*.

Omni igitur genere testium Christus Messias esse probatur. Laudatur Anna non modo à sanctitate, sed etiam ex eo quod prophetissa fuerit, quæ idcirco nota Ierosolymis, multiq; adhuc in vita erant, qui eam audierant. Ideoque magnæ auctoritatis apud eos testimonium prophetissæ.

QVÆSTIO II.

Quomodo Deo seruijt?

§. 1. IEiunijs & orationibus, Deo igitur λατρεύειν seruire ieiunio possumus; non modo est illa exercitatio, sed cultus Dei, latria; cum ad Dei honorem refertur. *Ieiunium. De cultus.*

tur. Ieiunium enim ad cultum Dei refert Euangelista, nec ideo ieiunabat vt oraret; nam diebus festis non ieiunabat, sed orabat tamen. Nec videtur tam proiectæ ætati ieiunium fuisse adeo necessarium.

Mœstitia non est finis ieiunij.

§. 2. Caluinus ait, Annam *ieiunia sua retulisse ad lugendam, quæ tunc erat in Ecclesia calamitatem.* At omnino infirmat vim ieiunii, & violenter detorquet verba Euangelistæ, qui ait *Deo ieiuniis seruiisse.* Paruus fructus est continui ieiunii, mœror.

§. 3. Non recessit à templo, orationis tempore constituto. Forte & prope templum cum Deo sacratis virginibus habitabat. Exod. 38. 8. 1. Reg. 2. 22.

Annæ exemplo non damnantur secundæ nuptiæ.

§. 4. Ex Annæ viduitate Tertullianus occasionem arripuit vt secundas nuptias damnaret. *Reddimus & cætera, ad noua enim nunc documenta properamus. In limine Euangelij Anna Prophetis filia Phanuelis, quæ infantem Dominum & agnouit, & multa super eo prædicauit, exspectantibus redemptionem Israelis, post egregium titulum veteris & vniuiræ viduitatis ieiuniorum quoq; testimonio augetur, ostendens in quibus officiis asideri Ecclesia debeat, & à nullis magis intelligi Christum quàm semel nuptis, & sæpè ieiunis.* Verum iam imperiti, & prorsus à Montanistis decepti argumentum ex laude viduæ damnare maritatas. Non enim Annæ vita formam legemque imponebat. Nec iudicare debemus esse illicitum quod ipsa non fecit.

Anna meritum.

§. 5. Nec tacere debeo veteres etiam in Anna meritum agnouisse. Cyprianus de orat. Dominica. *Sic Anna vidua sine intermissione rogans semper & vigilans, perseuerabat in promerendo Deo, sicut in Euangelio scriptum est: Non recedebat, inquit, de templo, ieiuniis & orationibus seruiens nocte ac die.*

VERSVS 38. & 39.

Et hæc, ipsa hora superueniens confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel.

39. Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.

QVÆSTIO I.

Quid Anna & parentes Iesu faciunt?

Annæ studium.

ANna ἀνθωμολογεῖτο gratias agebat pro tanto in populum suum collato beneficio, quodque tam iucundo spectaculo senectam suam Deus exhilarasset.

Alii πλὴν λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ. *Redemptionem in Ierusalem.* Quidam codices habent τῷ Ἰσραήλ. Parentes eius reuersi sunt Nazarethum, nondum enim Herodes sentiens se elusum à Magis sæuire inceperat. Pro eo quod noster habet. *Et parentes eius,* quidam libri habent, *Ioseph & Maria.* Syrus textus ויאשיהון *veanschauhi, & homines eius.* De profectione eorum quotannis ad templum, videndus August. l. 2. de consensu Euang. c. 10. *An & hoc aliquis dicit: quomodo ergo sicut Lucas enarrat, ibant parentes eius per omnes annos pueritiæ Christi in Hierusalem, si Archelai timore illuc prohibebantur accedere? Hoc mihi dissoluere non esset difficile, nec si aliquis Euangelistarum expressisset, quamdiu ibi regnaret Archelaus. Fieri enim poterat, vt per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent, mox reuersuri, vbi tamen aliis diebus habitare metuerent: vt nec solennitate prætermissa essent irreligiosi, nec continua mansione conspicui. Cum verò etiam de regno Archelai quam fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iste quoq; intellectus patet: vt quod Lucas dicit per omnes annos eos ascendere solitos in Hierusalem, tunc accipiamus factitatum, cum iam non timeretur Archelaus. Quod si Archelai regnū aliquanto diuturnius vlla præter Euangelium historia prodit, cui fides habenda videatur: illud quod superius dixi sufficerit, quod ita timebant parentes pueri habitationem in Hierusalem, vt tamen propter Dei timorem festiuitatem solennem non prætermitterent, in qua latere facillimè possent: neq; enim incredibile est capturis temporibus opportunis vel dierum, vel horarum accedere homines ad ea loca in quibus esse formidant.*

Per singulos annos ibant pulso Archelao.

§. 2. Ibant Paschæ, Pentecostes, tabernaculorum die. Exodi 23. 16. & seq. & 34. 23. Deut. 16. 16.

Mater non legis implendæ causa, sed religionis ergo comitabatur. De Pascha meminit, quia hoc tempore historia contigit. Hugo & Lyranus cum longè positis dispensatum putant. Credo in Iudæa id non fuisse, sed illis qui extra longius aberant.

§. 3. Archelaum igitur non timebant, facile enim latere potuerunt in multitudine, aut sane non venire nisi eo pulso, vtramq; responsionem Aug. l. 2. de consensu. c. 10. habet. Prior est verior. Nam Euangelista per singulos annos venisse ait. At Archelaus annos nouem regnauit, Herodes annos duos post natum Christum vixit. Itaq; vel duodecimo Christi anno, vel paulo ante pulsus est, vnde consequitur regnante Archelao venisse.

VERSVS 40. 41. 42. 43.

Puer autem crescebat, & confortabatur: plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die solenni Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis in Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi: Consummatisq; diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem: & non cognouerunt parentes eius.

QVÆSTIO I.

Cur voluit manere?

§. 1. VT speciem daret, instituti sui, & missionis, dū puer duodecim annorum, qui nullas didicisset literas, sapientior doctoribus apparet. Necesse nerat credere eum maiorem quendam vulgo mortalium esse; mirus autem stupor, eos nec inquisiuisse, nec idagere conatos, vt in vrbe remaneret. Alii ideo factum, vt postea ne derepente comparens admirationem magis quam fidem sibi conciliaret.

Ambro. & Beda ideo duodecimo anno apparuisse, duodecim Apostolos missurus erat. Curante non fecerit causa videtur, ne Archelaum euidenti miraculo concitaret: cur post non fecerit, causa est humanitatis, quamuis non est dubiū multa sua sapientiæ signa dedisse, cum crescere sapientia & gratia apud Deum, & apud homines.

§. 2. Remansit in turba seiungendo se à parentibus non se inuisibile faciendo vt Orig. ho. 19. Sed in turba aliam in partem diuertendo, donec parentes abissent.

Leguntur hæc in Syriaca Ecclesia Dominica post natiuitatem vt est in titulo.

VER-

VERSVS 44.

Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos.

45. *Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum.*

46. *Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.*

47. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius.*

QVÆSTIO I.

Quid in templo agit?

§. 1. CVm oppidatim, aut sane turmatim irent, inter notos esse putabant: & sine dubio grauem huius rei causam habebant. At Christus interim inter doctores consedit, vel auditorum numero, & loco vel honoratiore: quod dubium est. Humilitas erat inferiorem capessere, munus docendi summum requirebat. Quamuis in Deo nostro summa dignatio est, inter homines vel supremo loco considere.

§. 2. *Audit*; Greg. 3. parte pastor. cap. 26. vt moneat ne infirmus docere quis audeat. Nihil enim in mundo grauius est, quam de fide disputare, & docere.

§. 3. *Interrogat*: Nam auditoris ingeniosi est, multa rogare. & ipsos doctores exacuit.

Respondet, stupebant enim super prudentia, & responsis eius. Admirati enim doctores eius in audiendo modestiam, in interrogando peritiam, vicissim explorare conati sunt, quid tanta ætatula reconditum haberet.

VERSVS 48.

Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum, Fili, quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

QVÆSTIO I.

An Deipara peccarit?

§. 1. NOn est peccatum in eius quæstione. Quærit enim cur sic clam subducendo se, eos contristauerit? Signum enim amantis est sic queri. Sic quid, cur faciem tuam abscondis? Non putabant filium Dei aberrasse à via, aut perditum. Sed summa quidentia agere, quicquid ageret, vel alio, vel in cœlum concessisse, se eius præsentia priuari dolebant. Non peccarunt amittendo; cur enim non sine eorum culpa Dei filius abdere se potuit, & accuratissimam diligentiam reddere inefficacem. Id si non potuit, Deus non est. Si potuit, cur culpa impingitur parentibus quasi non obseruarint?

§. 2. Non est ita locuta mater ostentandi imperii causa, sed seorsim locuta est. Nam & hæc Beatæ Virgini impingunt, vt eam peccatricem esse persuadeant. verba autem nihil imperiosæ, sed amantei actum indicant: Præsertim Syro, vbi est *beri*, fili mi בּרִי. *Non imperiose egit.*

Augustinus modestiam Virginis notat dicentis: Pater tuus & ego, in Syro est: *Ecce ego & Pater tuus.* Caluinus tamen graue peccatum Virginis esse fingit. [Vt- " cunque res habeat, nulla eam impulit ambitio: sed tri- " dui mœrore expressa ei fuit hæc querimonia. Interea *Caluinus* quod expostulat ac si iniustè læsa fuerit, hinc apparet *virginem* quam propensi natura simus ad ius nostrum tuen- *accusat.* dum, posthabito etiam Dei respectu. Mori quidem " centies maluisset sancta virgo, quam ex certo animi " proposito se Deo præferre, sed dum materno dolori " indulget, per incogitantiam eo delabitur.] "

At ne per incogitantiam quidem Deo repugnat, aut illi se præfert.

§. 3. Refutaui supra eorum hæreticorum temeritatem, qui Matrem Domini negligentiæ accusabant, quos etiam Feuardentius refellit. Nunc respondendum illis est, qui Mariæ hanc expostulationem esse aiunt, quasi factum reprehenderit. Equidem ex summa tristitia ita locutam arbitrantur, ideo enim dicit ὀδυνώμενοι, *valde dolentes te quærebamus.* Quod si filium Dei, dominumque suum quasi male egisset, mater reprehendit; summi nimirum sceleris eam pronunciabimus, vt quæ hominem peccatorem, post tot reuelationes, & oracula, putarit, aut Deum posse peccare existimauerit. *Non reprehendit filiũ mater.*

Inquieta res & suspicios a est hæresis. Culpam imaginatur vbi nulla est, expostulationem pronunciat, vbi est oratio. Verba virginis sunt: *Fili quid fecisti nobis sic?* Hæc si animo concitato, voce exprobratoria, ad reprehendendum Dominum dicta fingamus, sine ratione Virginem accusamus. Potuerunt enim eadem à credente, humili, amante, blandè, modestè, deuotè, inculpatè pronunciari. Causam quærit, cur eo patentes dolore affecerit, non reprehendit, quasi facere non oportuisset. Quod si querelam vocare libet; statuendum est, querelam esse quandam amoris, non de amici errato, sed suo quodam incommodo, quod ex amici etiam optimo facto ortum sit. Quâ quidem specie querelæ officiosissimæ, non ira, sed amor ostenditur. Ita B. Virgo non iniuriam sibi factam queritur, sed filii se præsentiâ priuatam esse. *Quomodò mater locuta filio.*

§. 4. Ex admiratione parentum Hieronym. contra Heluid. cap. 4. probat Iosephum omnium, quæ de Christo dicebantur, gnarum fuisse, quæ ille *de Græcis falsata fuisse mentiebatur.* Probat vero. Virginem post partum virginitatem seruasse, eo quod maritus tantorum mysteriorum conscius, eam non præsumpserit accedere. *Ioseph cõscius erat mysteriorũ.*

§. 5. Hæretici olim eo torquebant Mariæ verba, vt dicerent, Christum ex Iosepho natum; quod Maria eum Patrem appellaret. Cyrillus Cateches. 7. οὐτος πρόμονογενὴς υἱὸς θεῦ τῷ ξύλῳ κὴ τὸν θσαυρὸν χαιρὸν τοῦ σάρκα περιπλωμένου, ἰδὼν τὴν Μαριὰμ τὴν ἑαυτὸν ἐκ σάρκα μητέρα, καὶ τ Ἰωάννην τ τῶν μαθητῶν περισφιλέστατον, φησὶ πρὸς ἐκεῖνον μή, ἰδὲ ἡ μήτηρ σὲ· πρὸς ἣ τὴν Μαριὰμ, ἰδὲ ὁ υἱός σε, τὴν ὀφειλομένην φιλοστοργίαν ἐνδιδόσιον· καὶ τὸ ῥῆμα τῷ Λευκᾷ, εἰρημένον πλατέως ἁπλούστερον, τὸ, καὶλιε ὁ πατὴρ αὐτὸ, καὶ ἡ μήτηρ αὐτὸ θαυμάζοντες. ὅπερ ἀφαιρέζουσιν αἱρεσιωτῶν παῖδες, ἐξ ἀνδρὸς αὐτὴν καὶ γυναικὸς γεγενῆσθαι λέγοντες. ὅπερ τὸ τρόπον ἡ Μαριὰμ μήτηρ Ἰωάννε Δι τὴν φιλοστοργίαν ἀ Δι τ γεννήσιν. ἕτω καὶ Ἰωσὴφ πατὴρ ἐκαλεῖτο τ Χριστ, ἀ Δι τὸ γεννῆσαι. ἕως γὰρ ἔχω αὐτὴν κατὰ τὸ ἀναγκαῖον, ἕως ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτ τ πρωτότοκον, ἀλλὰ Δι τὴν θεὶ τὴν ἀναπεφλεγμένην θεμονίαν γεγυμνῶσθαι, *id est*: Ipse autem vnigenitus filius

Ioseph⁹ quomodo Pater.

filius Dei, passionis suæ tempore ligno affixus, videns Mariam, secundum carnem suam, & Ioannem dilectissimum discipulum, ad illum quidem dicit, Ecce mater tua: ad Mariam autem, Ecce filius tuus, studium debitum erga parentes docens. Et quod apud Lucam dictum est, obliquè dissoluens: Et erant Pater eius & mater admirantes. Quod torquent hæretici, quasi ex viro & muliere natus sit: cum tamen, sicut Maria mater Ioannis propter dilectionem, & non propter generationem: Ita Ioseph Pater Iesu, propter curam, vel dilectionem vocatus est, non propter generationem: non enim cognouerat ipsam, inquit Euangelium, donec peperit Filium suum primogenitum: sed propter curam, quam in alendo præstabat.

Verum Lucas, & ipsa Virgo sic loquuntur, quia communis erat opinio. Cum enim de Christi generatione nihil tum populo constaret, non potuit existimari alius Pater filii, quam maritus.

VERSVS 49.

Et ait ad illos, Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.

QVÆSTIO I.

An reprehendantur?

Caluinus putat reprehendi.

§. 1. CAluinus merito reprehendi autumat, ex quo consequitur peccasse. Alii reprehensionis specie eos docere, non enim scire poterant, quod nescisse eos ait, Eum oportuisse in templo cum doctoribus disserere, & legationis quædam fundamenta ponere.

Verba eadē sunt increpantis vel blandientis.

§. 2. Verba ipsa reprehensionem non habent, sed ex sono pronunciantis, & vultu de illis iudicandum est. Christum amicâ voce, & sereno vultu respondisse, non superbè, nō σκυθρωπῶς & torue certo tenendū est.

Si verba ipsa spectemus esse possunt increpantis, & consolantis, seu blandientis. Increpantis vel ad arguendum, vel incitandum, vt ad negocia Patris cœlestis considerandà crescret parentum feruor; increpamus enim etiam innocentes, acuendo industriam, non exprobrando culpam. Talis esse potuit Christi responsio hortantis, nullo modo reprehendentis.

Christi verba sunt consolatoria.

Christi ætas, obedientia, parentum dolor, innocentia, amor, ostendunt hæc verba consolatoria fuisse. Quid opus erat ô parentes, vt tanto me dolore quæreretis? Nesciebatis mihi maius onus impositum, oportere me esse in his quę sunt Patris? Omnino nesciebatis, nunquam enim vos hunc in modum deserui: Talia sunt Elcanæ verba 1. Reg. 1. 8. *Anna cur fles?*

Improbè itaque & peruersè in deteriorem sensum
„ verba Christi Caluinus detorquet. [Merito, *inquit*,
„ matrem reprehendit Christus: quanquam id parcè &
„ oblique facit. Summa est, officium quod Deo Patri
„ suo debet, omnibus humanis obsequiis longè præfe-
„ rendum esse. Perperam igitur facere terrenos paren-
„ tes, quibus dolet se neglectos fuisse præ Deo.]

Atque hinc colligenda est generalis doctrina. Cum enim verba consolantis, & instruentis esse possint, non est cur fingat esse increpantis. Sensus est enim, vos me magna charitate & dolore quærebatis, sed causa quærendi nulla fuit. Non enim oportuit me vobiscum redire, sed manere Ierosolymis, Hoc vos scilicet ignorabatis: Ideo me quæsistis, quod necesse non fuit. Cum autem ignorantia illa sine vlla non modo culpa fuerit, sed etiam specie culpæ, Christo sequitiam imputant, qui ignorantiam matris immeritò reprehendūt. Christum anno duodecimo clam parentibus in templo mansurum, disputaturum, in negociis Patris futurum, innocentid nec poterant, nec debebant scire. Quis enim illis se- parentib⁹ uelauit?

QVÆSTIO II.

Quæ negocia Patris?

§. 1. GRæcus textus habet ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου. Quod duplici modo exponi potest: Nam & indicare potest, negocia Patris sibi peragenda, & in Regia Patris loco qui Patris est, hoc est, in templo sibi manendū fuisse. Posteriorem sensum Syriacus interpres secutus est, *Domus Patris mei.* Eâdem in sententia est Euthymius. Sed melior est prior sensus; Iam enim specimen daturus œconomiæ suę, redemptionem hominum à Patre sibi commissam incepit. De doctrina igitur & officio suo intelligit, & Patris cœlestis negocia eorum presentiæ anteponenda respondet.

QVÆSTIO III.

An Christus non sit liber, quia oportuit eum esse in his quæ sunt Patris?

§. 1. DIctione ē *oporteat*, Pareus vrget, l. 5. de iustific. II. & omnino negat Christum fuisse indifferentem ad parendum præcepto, vel non parendum. Ergo *Impium & vertiginosum*, id appellat. Bellarminus docet meritum. Ex visione beata Deum necessario dilexisse, ex habit⁹ & ima- tu charitatis liberè. Meruisse vt viatorem, hac ex virtu- mate liberè elegisse mortem. Deinde necessitatem externam qua Deus dirigit per gratiam, non impedire libertatem. Denique voluntatem humanam absolute consideratam potuisse peccare, Christum hominem non potuisse, quia homo includit hypostasin.

§. 2. Pareus obiicit. [Si interna necessitas, non- a
terna tollit meritum: falsum ergo est quod l. 3. de gra- a
tia & l. arb. c. 5. docuit. Liberum arbitrium non modo a
impediri necessitate coactionis, sed etiam omni ne- a
cessitate.] Vera est illa Bellarmini doctrina, nec con- a
traria est, quod de iustif. l. 5. c. 11. dicit. *Necessitas interna est, cum ipsa potentia natura aliter determinata est vnum; vel cum obiectum eam ex necessitate determinat, & hac necessitas impedit libertatem, ac per hoc meriti rationem. Necessitas vero externa est, cum remanet in voluntate vera indifferentia, & vlla interminatio ad vtrumlibet, sed tamen fieri non potest, vt eligat non seruare præceptum, quoniam regitur & gubernatur à Deo, qui semper illi obijcit ea media ad non peccandum, quæ videt eam accepturam. Hæc necessitas non tollit libertatem, nec meriti rationem, & talis fuit non solum in Christo, sed etiam in iis, qui dicuntur confirmari in gratia.*

Hic non quamuis necessitatem vocat Bellarminus, sed potius infallibilitatem, qua à Deo homo dirigitur, & accipit gratiam oportuno loco, tempore.

§. 3. Quoniam vero impiæ hæreses, iam eo deuenerunt vt etiam Christo liberum arbitrium abdicant, paulo pluribus de hoc agendum est. Quia ex eo quod dicit, *oportet*, omnia Christi facta immutabili necessitati subiiciunt, meritumque tollunt. Atq; ea ratione ad Monothelitas accedunt, qui humanam voluntatem in Christo negabant. Sed Christi libertatem asserunt S. Patres. Bas. in Is. 7. Hier. in Is. 53. Cyrill. l. 1. in Is. orat. 4. Chrys. hom. 59. in Ioan. Ratio vero est, humana natura cum ratione vtatur & consilio, est libera, & ad agendum & non agendum adiaphora & indifferens. Christus autem humanam naturam, ideoq; rationem & voluntatem suscepit. Ideoq; & liber fuit, omniq; necessitate calcata mortem subiit, nosq; moriendo redemit.

§. 4. Liber fuit non modo à coactione, sed etiam à necessitate. *Vbi enim est necessitas, ibi nec corona, ideo liberi arbitrij nos condidit Deus.*

Hier. lib. 2. contra Iouinianum. Et Iren. lib. 4. c. 71. *Alius*

aliud autem quod ait, Quotiens volui congregare filios tuos, & noluisti: Veterem legem libertatis hominis manifestauit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad vtendum sententia Dei voluntariè & non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in Angelis. Etenim Angeli rationabiles, vti bis quidem qui obedissent, iuste bonum sint possidentes, datum quidem à Deo, seruatum vero ab ipsis. Qui autem non obedierunt, iuste non inueniuntur cum bonis, & meritam pœnam percipient. Quoniam Deus quidem dedit benigne bonum, ipsi vero non custodierunt diligenter illud, neque precioſum arbitrati sunt: sed supereminentiam bonitatis contempserunt. adijcientes igitur bonum & quasi respuentes, merito omnes iustum iudicium incident Dei, quemadmodum & Apostolus Paulus in eâ epistolâ quæ est ad Romanos, testificatus est, dicens ita. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam bonitas Dei in pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibimetipsi iram in diem iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Gloria autem & honor (inquit) omni operanti bonum. Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum & Apostolus testatur in eadem Epistola, & qui operantur quidem illud, gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud: hi autem qui illud nõ operantur, iudicium iustum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud.

Cum igitur Christus meruerit, & naturale suarum actionum dominium habuerit, liberum fuisse necesse est. Quadere D. Thomas part. 3. quæst. 18. art. 4. Magister distinct. 18. & in eos Auctores Theologi.

§. 5. Tota difficultas est in explicanda libertate, eamque cum præcepto Dei componendâ. Quamuis enim recte intelligamus in particulari fuisse voluntatem Christi liberam, vt certa quædam bona opera, vel faceret, vel amitteret, Cananæam exaudiret, vel negligeret: non tamen satis manifestum est, quomodo accepto à Deo mandato potuerit in eo perficiendo liber esse, cum violare illud non potuerit. Peccare enim non potuit, Deum enim visum amabat necessario, præcepta igitur necessario seruabat: amor enim Dei præceptorum custodiam complectitur.

§. 6. Varie respondent auctores, & ex omnibus res intelligi potest. Primo, Amorem beatificum sic præcise in sua formali ratione constitisse, vt actibus infusæ charitatis vim, necessitatemque non communicarit. Ex iususo igitur charitatis habitu libere præcepta seruasse. Secundo, Non imperata Christo omnia cum omnibus circumstantiis, ideo etiam in præcepto potuisse libertatem seruari. Tertio, Ipsam mortem ad quam obeundam legem patris habuit, potuisse à Christo suscipi ex variis causis, & motiuis. Mortuus est iussu Dei pro redimendis nobis. Ille vero etiam mori voluit, vt exaltaretur, & sic intraret gloriam, vt ederet Heroicæ fortitudinis exemplum, vt patrem singulari cultu prosequeretur. Quorum aliqua libera relinqui potuerunt. Quarto, Liber etiam fuit in eo, quod actiones suas, & volitiones, vt loqui solent Theologi, aliis voluntatis actibus, quos reflexos appellant, voluerit, approbarit. Ad eos enim actus nulla lege obstringebatur. Denique respondendum est, Christi voluntatem, quamuis accepto Dei mandato ex hypothesi, non potuerit imperata non facere, fuisse tamen liberam. Quia nec ab interna vnione cogebatur, nec vim à Deo patiebatur, vt ad vnam aliquam partem physice, & efficienter determinaretur. Sed gratiam tantummodo acciperet, quam Deus præuidit efficacem infallibili euentu futuram. Cum ergo quæritur. Potueritne Christus simpliciter implere & non implere præceptum? Respondendum est. Christum potuisse, & non potuisse, si internam voluntatis libertatem spectes, si Dei auxilia, & gratiam ex hypothesi, non potuisse, nisi obedire præcepto. Quia autem Christus significat totum compositum ex humana natura & diuina hypostasi, non potuit ille non implere. Sed tamen voluntas Christi in se spectata, potuit non facere, quod iubebatur; quia in se nihil habebat, quo physice necessario moueretur. *Libertas Christi.*

Obiicit tamen Pareus. [Vertiginosum, quia in voluntate Christi humana fuisse veram indifferentiam ad peccandum, Et, fuisse necessitatem non peccandi: nemo nisi amens non intelligit esse ἀνυφαρτικὰ. Fucus Sophisticus, necessitatem hanc fuisse voluntati extrinsecam: ipsi tamen Christo intrinsecam. etiam vt homo est, intrinsecam: iam est refutatus: Fuit enim intrinseca ipsi voluntati, ex perfectione naturæ assumptæ, licet simul à diuinitate regeretur. Imo nodum contradictionis astringit. Si enim ipsi Christo, etiam vt homo est, fuit intrinseca: quomodo non fuit etiam intrinseca voluntati humanæ, quæ Christo homini, vt homini summe est fuit & est intrinseca, quippe de Christi hominis, vt hominis, subsistentia cuius respectu dictum: non enim admetitur ei Deus Spititum. Sic necessitas non peccandi Christo homini, vt homini, fuit intrinseca & non intrinseca, vt dum argutus vult videri, culpam variam incurrat aduersatius.]

Vertiginosum videtur illi, qui opinione sua ebrius, duplices Thebas, & agitari vertigine tectum somniat, Cum cerebrum illius motibus his quatiatur. Non sunt ἀνυφαρτικὰ, *Esse in Christo indifferentiam ad peccandum: Et necessitatem non peccandi.* Non enim eodem modo hoc affirmatur, quo illud negatur. Est indifferentia ad peccandum; quia Christi voluntas, præcise in se spectata, naturâ suâ mutabilis, nihil habet, quo necessario non peccet. Est necessitas non peccandi ex hypothesi; ita enim à Deo regitur, vt perseuerante illa directione infallibiliter non peccet. & vt aiunt in sensu compositio, non possit peccare. Natura sua electos posse peccare, & à fide deficere, ex Dei ordinatione non posse ipsi docent. *Indifferentia voluntatis Christi.*

§. 7. *At si necessitas non peccandi Christo homini fuit intrinseca, ergo voluntati etiam fuit intrinseca. voluntas enim humana est intrinseca homini.* Puerilis est hæc argutia ex eo quod apparet verum, sed falsum est. Nititur enim falso axiomate. Id videlicet esse intrinsecum tertio quod intrinsecum est ei, quod tertio est intrinsecum. Quod in Philosophia proba nunquam probatum est. Videndi & intelligendi facultas homini interna sunt, actiones nequaquam. In hoc vero mysterio incarnationis, si idem axioma vsurpes, Eutychianissimum, Vbiquissimum, omniaque portenta in vnum miscebis. Est enim aliquid intrinsecum Christo homini, quod non est intrinsecum humanæ voluntati, Christus homo est Deus, & Deus est Deo. Non tamen humana natura est Deus. *Non est intrinsecum humanæ voluntati, quicquid est Christo homini intrinsecum.*

Claudam verbis nostri Soarezii Tom. 1. in 3. p. disp. 37. sect. 3. *Ex quo fit vt loquendo de Christi libertate simpliciter concedi possit, quidquid indicat proprium modum operandi ipsius Christi, & non inuoluit aliquid contrarium dictæ suppositioni: & ita simpliciter verum est Christum libere perfeciſſe actum quo implebat præceptum, quia ita illum faciebat, vt per facultatem propriam suæ voluntatis, quæ intrinsece impedita non erat, posset illum non facere. Simpliciter autem falsum est, dicere Christum potuisse peccare, aut non implere præceptum, quia iam includitur sensus compositus, & indicatur*

tur potuisse Christi voluntatem carere illa diuinâ custodiâ, cum quâ non potuit componi peccatum. Et similiter voluntas Christi secundum se potest dici in potentiâ peccandi, seu capax peccati, non tamen vt est voluntas Christi, quia iam componitur cum illa voluntate coniunctio cum diuina persona, à qua ita gubernatur, & regitur, vt cum illo prouidentia genere non possit simul esse peccatum. Sic igitur expositus sensus diuinus & compositus, sufficienter soluit difficultatem hanc. Et intelligentur melius & facilius omnia dicta, si fingamus Christum Deum hominem, & non habentem scientiam beatam, neque infusam, imò nec cognitionem suæ vnionis hypostaticæ, sed per fidem vel rationem operantem: tunc enim non minus esset impeccabilis ex vi vnionis, quam modo est, & nihilominus non magis necessitaretur ad operandum vel seruandum præceptum, quam nunc necessitetur homo per gratiam, vel motionem diuinam: quia nec ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis aliter moueretur: quia hoc necessarium non esset, vt infallibiliter nunquam peccaret, neque in sensu composito peccare posset.

VERSVS 50. & 51.

Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.

QVÆSTIO I.

Quæ facta post annos duodecim?

Miratio-mnes sunt, etiam ma-ter.

§. 1. NOn intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Post tot reuelationes, & prophetias, non ignorabant vel Christi personam, vel officium. Hanc ob causam non de Maria, & Ioseph, sed de doctoribus intelligunt, atque aliis auditoribus, qui super prudentia eius & responsis stupebant. Alii de Ioseph solo, alii de Maria & Ioseph non intelligentibus omnia particularia mysteria. Quod facile concesserim, & si enim multa intellexerint, non tamen singula. Conseruabat tamen mater omnia verba hæc in corde suo. Quo dicto Mariæ in perpendendis mysteriis diligentiam, sedulamque curam & fidem feruentiorem significat. Quæ non vt pueri, sed vt Dei verba & facta omnia accipiebat. Christus autem erat subditus illis: Deus hominibus.

Tot annorum spacio vitam suam sine scriptorum memoria latere voluit: magno documento, prædicandi officium robustos annos exigere. Nec facile eo prorumpendum, quod tam sero Saluator ipse susceperit.

§. 2. S. Athanasius Dialog. 2. contra Macedonianos ostendit, non ideo Christum minorem patre ratione Deitatis, quia ei subiectus est. Nam & parentibus subiicitur, nec tamen illis minor. Sic enim obiicit Macedonianus. *Quomodo igitur scriptum est; Factus est ei obediens vsque ad mortem: Et, Cum autem ei subiecta fuerint omnia, tunc ipse quoque filius subiicietur ei, qui ipse subiecerit omnia, vt sit Deus omnia in omnibus?*

Respondet Orthodoxus. *Nimirum quia serui forma sumpta, cum in Dei forma foret, necessario subiectionem quoque seruilis formæ assumens subiicitur pro nobis suo ipsius patri, non natura Deitatis, sed forma seruili, quam sumpsit, vnione. Et quid est, cur filij naturam imminui censeas ex eo quod subiicitur patri? Nunquid & hominum natura inferiorem illam statues, audiens Deum hominibus quoque subiectum fuisse.* Sed quærit Macedonianus; *Vbi scriptum sit, quod hominibus quoque subiectus fuerit?* Cui respondet Orthodoxus. *Maria & Ioseph homines erant, atque hi, vt in Euangelijs scriptum, subiectus fuit. Cum enim inuenissent illum in templo, ait Euangelista, sic eum fuisse allocuti: Nate, cur nobis ita fecisti? En pater tuus & ego dolentes te quærebamus.* At ille. *Quorsum me quærebatis? inquit eis. An nesciebatis, mihi per agenda esse mei patris negocia: & venit Nazaretham eratque ijs subiectus. Ille igitur vnigenus, ille Seruator mundi inferior scilicet erat Ioseph & Maria: Macedon. Nequaquam, absit.* Orthod. *Consimili modo est patri subiectus esse legatur, non tamen imminutur eius natura: sed vt filius, cui serui formam sumere placuit, subiectionem quoque seruilis formæ sumpsit, & cum in hac esset, Maria fuit subiectus.*

Exemplum virtutis & obedientiæ dare insigne voluit. Quid enim nos facere oportet, cum Deus immensus, non modo matri, sed etiam nutricio triginta annos obedierit?

VERSVS 52.

Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate & gratia apud Deum & homines.

QVÆSTIO I.

Quomodo creuerit?

Quomodo proficit.

§. 1. ARiani olim obiecerunt aduersus Christi diuinitatē. Deum non esse, qui sapientiâ proficeret. Respondebant Catholici, potuisse proficere, vt homo erat, non vt Deus. Athan. serm. 4. contra Arianos. Amb. de Sacramento Dominicæ incarnationis cap. 7. Cyrillus l. 10. thesauri cap. 7. Hanc responsionem contra Arianos adhibuerunt, fieri enim potuit, vt Christus ita esset homo, vt proficere posset.

Sed illi in hac responsione non perstiterunt, etsi enim Arianis refutandis erat idonea, non tamen perfecte Christi maiestatem explicabat. Hinc iidem alique auctores alias responsiones adinuenerunt. Experimentali eum profecisse tradunt, non diuinâ, nec infusa. Alii profecisse, quia apud Deum & homines agendo & loquendo ostendebat profectum.

Obiiciunt: sic profecit sapientia sicut ætate; ætatis verus fuit profectus, ergo sapientiæ. Respondeo. Verba eodem in contextu posita, non semper eodem modo accipienda, vt cum Ioseph & Maria dicuntur patentes Christi, non eodem sane modo. Maria vera mater, Ioseph putabatur pater, non erat. Sic illud, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

§. 2. Gratia Dei in Christo dicitur, non quia gratiosus tantum apud Deum, & apud homines, sed quia donis spiritalibus gratiæ ornatus erat. Itaque Pareus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 5. gratiam imperite interpretatur, & hunc locum deprauat. Verum ille communi & suo priuato errore labitur. *Effecta*, inquit, *seu dona gratiæ in nobis habitualia, scriptura non vocat χάριν gratiam, sed χαρίσματα, δωρήματα, δωρεὰν τῆς χάριτος.* Additque; [Hoc quia vetus versio improprie reddit gratiam, gratias: inde in scholis orta ὁμωνυμία gratiæ. Inde Sophistæ in iustificationis negocio pro gratiâ Dei fauente, mouente, dona habitus, actus, opera hominum supposuerunt. pag. 16.]

Quam portentosa imperitia, inquit (folio 89.) Scaliger. testimonium ibi datum, hic ratum facit aduersarius; iusto iudicio permisit Deus, hominem sic abuti inscitia suorum, vt nullu aliorum iudicia reuereretur. Nam tertia illius assertio cum perspicue falsa sit, reliquas concidere necesse est. Si enim habitualia dona in scriptura dicuntur gratia, certe nullus hic

lus hic fucus est, & gratia hominis recte dicetur, nec versio vetus iure reprehendetur. Quanquam & fauor Dei & eiusdem fauoris ἐνέργεια, seu auxilium, & Dei dicitur & hominis: Dei fauentis & auxiliantis: hominis cui fauor auxiliumque impenditur: Sunt dona donantis, & recipientis. Sic Zach. cap.12.vers.10. *Effundam super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum.* Certe gratiosus ille Spiritus erat domus Dauid & habitatorum Ierusalem, qui vtique homines erant.

§. 3. Dona autem habitualia, gratiam, χάριν חֵן non modo χαρίσματα dici probamus. Primo. Ex Hieronymo Zanchio, qui id ex patribus & Theologis acceptum approbat lib.4. De natura Dei, cap. 2.quæst.1.§.3. [Tertio, *inquit*, accipitur, gratia, pro dono, seu pro omni donorum genere, quæ ex gratia, & fauore donantur: Siue hæc dona ad vitam æternam pertineant, vti est fides, spes, charitas, & quæ cum illis coniunctæ sunt virtutes: siue non pertineant: vti sunt dona linguarum, miraculorum, & alia de quibus ad Corinthios, & alibi. Si Iacobus dixit ad Esauum fratrem de suis liberis: isti pueri sunt quos Deus חָנַן, hoc est, gratificatus, seu ex gratuito fauore largitus est seruo tuo. Sic in actis Apostolic. capite 11. vers. 23. dicitur de Barnaba: qui cum vidisset τὴν χάριν τοῦ θεοῦ, (hoc est, donum in credentes effusum) gauisus est. Et ad Corinth. 2. Corinth.6. Ne in vacuum, hoc est, in vanum gratiam Dei recipiatis: Hoc est dona Dei. Sic ad Ephes. Vnicuique vestrum donata est gratia: secundum mensuram Christi.]

Secundo. Rectè illa probat aduersarii magister; Verum alia loca etiam scripturæ idem confirmant, & quidem secundum sensum Caluinistarum intellectæ. Nam Hebræum חֵן fatentur & Mercerius, & Ceuallerius, cæteri esse generale, ad corpus, animam, res omnes pertinere, quemadmodum Chaldæum חִנָּא chana, & טוּבָא tuba. Sic Psalm. 44. v.3. *Diffusa est gratia in labijs, quod siue de Spiritu Prophetia cum Thargumistis accipias, siue de omni gratia,* certe hic dona, nomine gratiæ significantur. *Nimirum* (inquit) *Iunio Trem. vt omnes elegantiâ gratiâque superares, imo in omnibus esses auctor elegantiæ & gratiæ.* De elegantia spirituali sine dubio accipiendi sunt. Vide & Prouerb.1.9.3.4.3.22.4.9.

Tertio. Ipsa dictio χάρις sic accipi solet. Iohan. cap.1. vers.16. καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος, quod Beza: *Gratiam supra gratiam. pro quo (inquit) eleganter dixerit: gratiam gratiâ cumulatam, vt significentur Spiritus Sancti dona pleno cornu per Christum in suos effusa.*

Quarto. 2.Corinthior.cap.4.v.15. χάριν πλεονάσασαν interpretatur idem Beza, *Ingens illud Beneficium, quod in Paulum effusum fuit.*

Quinto. 2.Corinth.cap.8.v.1. vocat *diuinum beneficium.*

Sexto. Ephes.cap.3.v.8. vocat χάριν, idem quod 67.dixerat, δωρεὰν χάριτος. idem Rom.c.1.v.5.etiam χάριν dicit, & quidem interprete Beza, *ipsa dona gratia.*

Septimo. 2. Corinth. cap.1. v. 12. ἐν χάριτι θεοῦ, sic exponit Beza: *id est, fretus ea sapientia, quam mihi Deus cælitus est gratificatus: gratiam enim μετωνυμικῶς accipit pro ipso dono.*

Octauo. Sic 1.Petri cap.4.v.10. ὡς καλοὶ οἰκονόμοι ποικίλης χάριτος θεοῦ. & 1.Pet. cap.1. v.10.& 2. Pet. cap.3.v.18.

Nono. Augustin. serm. 2. de verb. Apostoli, gratiam vocat *pluuiam*, & sermone 13. *medicinam, alibi copiam lactis*, Omniaque de donis interpretatur.

Decimo, plerique Caluinistæ, vt Adolphus Venator, Vorstius, veritate conuicti, non modo hanc gratiæ significationem agnoscunt, vt omnes cæteri; verum etiam eo modo quo Catholici ferè de iustificatione philosophantur, vt in procemio ostensum est. Hæc ergo propositio: Effecta seu dona gratiæ in nobis habitualia Scriptura non vocat χάριν, repugnat Scripturæ Patribus Caluinistis veteribus & nobis.

Verum ne quispiam miretur obliuiosum senem tam illustri mendacio vestibulum libelli sui exornare voluisse, sciat eundem in comm. in cap. 8. Romanor. dub. 1. Responsion. ad 1. *Gratiam* agnoscere *regenerantem*, quam concedere solet, donum esse. *Gratia gratum faciens, & gratis data.*

Deinde Comment. in 1. Romanor. vers. 7. ait: *Nos gratiam gratis datam, diuidere in internam, quæ sit habitus charitatis gratis infusus, & externam, quæ sint opera seu merita, quæ vocemus gratiam gratis datam.*

Quod adeo perspicuæ falsitatis est, vt vel pueris notum sit, nos enim omnia hæc gratiam gratis datam profitemur. Verum dona illa, de quibus Apostolus Corinth. 13. vocamus gratiam gratis datam, non quod non omnis gratia gratis sit data: Sed quia illæ gratiæ hominem Deo gratum non faciunt, sed in Ecclesiæ, aut aliorum vtilitatem donantur. Interim omnia gratuita gratia, ipsa etiam merita, & quæ meritis redditur merces, gratuita gratia est. Verè & eleganter Augustin. de gratia & libero arbitrio. ca.8. *Itaque fratres carissimi, si vita bona nostra nihil aliud est quam Dei gratia, sine dubio, & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa cui datur tantummodo gratia est, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratiâ, tanquam merces pro iustitiâ.* *Vita est gratia.*

§. 4. Caluinus ait creuisse animi dotes, nec absurdum, si vt adolescere corpus, sic animum adolescere voluit. Deinde per omnia fuit nobis similis excepto peccato, ergo & ignorantia.

§. 5. Cyrillus l. 2. de fide ad Regin. Profectum in eo fuisse, quod maiora & sapientiora opera quotidie exhiberet: hoc est enim προέκοψε, perrexit, processit, prouectus est vltra. Nam προκόπτειν est non modo progredi in aliqua re quæ ipsa augeatur, sed etiam vsu alicuius maiora efficere. Et quidem si sapientiam augeri dicere voluisset, forte dixisset: ἐπὶ σοφίαν, vt loquitur Paulus 2. Timoth. 2. ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀδικίας. *ad maiorem iniquitatem profecerunt.* Vel ἐν σοφίᾳ, ita Lucian. ἐγὼ μὲν προύκοπτον ἐν τοῖς μαθήμασι. *Ego quidem in matheſi proficiebam.* Hic autem τῇ σοφίᾳ προκόπτει. *Sapientia proficit*, maiora per eam operando. Nam paruulus vagiebat, annorum quinque vel sex indolem, memoriam, pietatem ostendebat, eaque faciebat, quæ in illa ætate solent. Annorum duodecim doctores audit, & interrogat, quod magnæ in puero sapientiæ est. *Christus maiora faciebat.*

Deinde cum admiratione respondet, atque ita continuo vsque ad annum trigesimum sapientius egit. Operum enim fuit continua προκοπὴ seu processus. Eodem modo Syrus רבא הוא *Rabe haua, maior reddebatur, magnificabatur.* Sic latine loquitur, auctoritate, consilio, virtute profecit, quæ omnia Tulliana sunt: non autem horum tantum bonorum incrementa, sed operum fructus significat. Nam alioqui dicere solent, *ad mores, ad bonitatem, in arte proficere.* Fateor tamen Syrum habere בקומתא *bekumtha* in statura, & in sapientia.

§. 6. De Christo recentiores Caluiniani honorificen-

rificentiùs censent, quam Caluinus, crudâ adhuc hæ-
reseos blasphemiâ. Ioannes Scharpius in cursu
Scharpius omnia vidisse. Theologico, de Christo mediatore. Controuers. 1. *Scientiâ visionis, & habituali*, ait, *Christum omnia & facta & futura cognoscere.* Rationibus Catholicorum vtitur. 1. *Si omnia non videret, non esset beatus: ideo rectè Gregorius, Quomodo non omnia videt, qui videntem omnia videt, &c.* 2. *Omnia Christo subiecta sunt quâ homo est*, Ephes. 1. 22. *Ergo omnia videt & cognoscit.* 3. *Est Iudex omnium, Iohan. 5. 27. & hominum cogitationes nouit, Ioan 2. 15. Denique dicitur spiritum sapientiæ citra mensuram accepisse.* At scientia actuali quæ est ab infuso habitu, & experimentali negat eum omnia cognoscere: De
Experimẽtali nõ nouit omnia. experimentali non est dubium, non enim eâ cognoscit, nisi quæ expertus est. De actuali quæ est ex
An actuali quæ ex habitu omnia norit. habitu infuso, an semper actu omnia cognoscat per habitum, quæcunq; cognoscit actu per visionis scientiam, controuersum est: nec quicquam hac de re patres definierunt.

§. 7. Hinc concludit, Christum aliquid didicisse, quod ante ignorauerit. [1. Argum. Christus fuit
Scharpius contra Christi scientiam. „ nobis similis per omnia, excepto peccato, tum etiam
„ in eo quod aliquid didicerit, & quod qua homo
„ nonnulla ignorauerit, cum etiam alias infirmitates
„ humanas in se susceperit: At prius locis citatis. Ergo.
„ 2. Argument. Qui pro ætatis progressu, sapientiâ
„ implebatur, is aliquid didicit. At talis fuit Christus
„ loco citato, Ergo. Imo concedit Bellarminus Li-
„ bro quarto de Christo, cap. 5. Christum practice i-
„ gnorasse illa omnia, quæ non fuerat expertus, & fe-
„ cisse progressus in sapientia acquisita per experimen-
„ tum proprium.
„ 3. Argum. Qui proficiebat sapientia, is aliquid
„ didicit, quod antea nesciebat. At talis Christus, Er-
„ go. Quod autem ait Bellarminus, hoc tantum fuis-
„ se opinione hominum, sic refellitur. Eodem mo-
„ do dicitur profeciisse sapientia, quo staturâ. At non
„ profecit statura tantum opinione hominum, sed
„ reipsa. Deinde quod ibidem ait, illum dici profe-
„ ciisse sapientia, quia fecit alios proficere, sic refellitur.
„ Dicitur profeciisse apud Deum & homines. At non fe-
„ cit Deum proficere, Ergo.]

§. 8. Insciteque quidem hoc, & calumnioſe. Non enim dicitur didiciſſe, quod ignorabat; nam alia ſcientiâ nouerat. Experimento didicit, quod viſione & habitu nouerat.

Qui certiſſima viſione aliquid nouit, non diſcit quaſi ignorans, qui vno modo nouit, alio addiſcit. Calumnioſe, quia Bellarmino quaſi ſoli impingit ſententiam, quæ eſt ſanctorum patrum, vt contra eum agere videatur. Nec in Bellarmino merito reprehenditur, quod iam olim contra Arianos l. 4. Athanaſius reſpondit. *Cæterum*, inquit, *etiam hic de humano more, de profectu locutus eſt, eo quod hominum ſit proſi-*
Oſtendit profectum. *cere. Nam & Euangeliſta accurate cauteque verbis iſtis vſus, profectui magnitudinem ætate comparatam aſſociauit. Verbum autem Deus quantitate non menſuratur, ſed quantitates corporibus attributa ſunt: corporis igitur erat proficere, quo proficiente, profecit in eo exhibitio Deitatis, coram illis, qui ipſum videbant. Quanto autem magis diuinitas reuelabatur, tanto plenius gratia creſcebat, hominis apud homines. Infantulus enim geſtabatur, puer autem factus remanſit in templo, ſacerdoteſque interrogauit de lege: paulatim autem corpore adoleſcente, Verboque ſeipſum manifeſtante, factum eſt deinde vt agnoſceretur pro Filio Dei, primum quidem à Petro, poſtea deinde ab omnibus. Iudæi autem tum priſci, tum neoterici iſti, vltro oculos ſuos conuenienter claudunt, ne videant illud proficere in ſapientia, id non eſſe ipſam ſapientiam proficere, ſed humanitatem potius in ſapientia progreſſus facere: Ieſus enim proficiebat ſapientiâ & gratiâ. Quod ſi diſerte, ſed tamen cum fide loquendum eſt, in ſeipſo profecit, ſiquidem ſapientia ſibi ipſa domum ædificauit, & in ſe vt domus proficeret author fuit: quidnam autem iſte profectus eſt, niſi vt ſuperius dixi, Diuinitas & gratia, quæ à Sapientia hominibus datur, expuncto in hominibus peccato, deletaque corruptione ad ſimilitudinem cognationemque corporis Verbi. Ita enim augeſcente magnitudine corporis, vna craſſabat in eo diuinitatis manifeſtatio, innoteſcebat que apud omnes ipſum eſſe templum Dei, Deumque in eius corpore exiſtere.*

§. 9. Hæc ideo refero, non quod aliter reſpon- *Hæretici ſtrangu-*
deri non poſſit, ſed quod Arianizantibus mitius re- *lant.*
deri non debeat, ſi id ipſis noſtri doctores reſpondeant, quod Athanaſius reſpondit Arianis: Ita enim intelligunt, ſe pro Ario cauſam dicere, nos pro veritate Orthodoxa ſtare. Atque ita lectori illinc cum hæreticis cõſpirationem merito debere eſſe ſuſpectã, hinc noſtrã cum ſanctis concordiam cõmendabilem.

§. 10. Alii Patres etiam & Athanaſ. orat. 4. contra Arium, Hieronym. 7. Iſa. Nazianzen. orat. 5. Damaſc. l. 3. de fide. cap. 22. & eadem ſentiunt.

Mihi S. Thomæ expoſitio placet, qua proprie hic 3. Thom. locus exponitur. part. 3. quæſt. 12. art. 2. *Sed quia manifeſtum eſt, quod aliqua naturalis actio intelligibilis, tam noſtra quam angelica, Chriſto deeſſet, cum extrahere ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus, ſit quædam naturalis actio hominis ſecundum intellectum agentem, conueniens videtur hanc etiam actionem in Chriſto ponere. Et ex hoc ſequitur quod in anima Chriſti aliquis habitus ſcientiæ fuerit, qui per huiuſmodi abſtractiones ſpecierum potuerit augmentari: ex hoc ſcilicet, quod intellectus agens poſt primas ſpecies intelligibiles abſtractas à phantaſmatibus poterat etiam alias & alias abſtrahere.*

Et reſponſione ad Tertium: *Dicendum, quod verbum Damaſcen. intelligitur quantum ad illos, qui dicunt ſimpliciter fuiſſe factam additionem ſcientiæ Chriſti, ſcilicet ſecundum quamcunque eius ſcientiam: & præcipue ſecundum infuſam, quæ cauſatur in anima Chriſti ex vnione ad verbum. Non intelligitur de augmento ſcientiæ, quæ ex naturali agente cauſatur.*

Cum D. Thoma ſentiunt Caietan. & eius ſectatores, Capreolus in 3. diſtinct. 14. Maior. quæſt. 5. Marſil. quæſt. 10. Qui vero aliter ſentiunt, vti Scotus, Alenſis, Durandus, Gabriel, Paludanus, Richardus, de experimentali concedunt; vt etiam noſter Soarez Tom. 1. diſput. 31. in tert. partem. Nam à ſenſibus ſpecies naturaliter in imaginatione, ac conſequenter in memoria oriuntur: Species enim illæ res ita repræſentant, vt ſub ſenſum ceciderunt, aut vt ſenſibus ſunt perceptæ. Id fieri aliter non potuit. Itaque hinc cognitionis actus & habitus gignuntur. Hoc autem factum eſt, vt actiones illæ intercedentibus imaginibus, & imaginationis efficientia, pro ætate creſcerent.

Profectus ergo ille non modo operum eſt, ſed etiam naturæ: Organis enim ſenſuum & imaginationis ætate firmatis, melius vti potuit Chriſtus iam adultus, quam infans.

Et ex actibus oriebantur habitus ac diſpoſitiones.

Conſtituendum igitur eſt. 1. Omnia Chriſto nota fuiſſe, ſcientiâ infuſa, & ſi placet ſcientia viſionis. Profeciſſe autem alio modo cognoſcendo; quæ vtique ſciebat, & ſcientiam oſtendendo. 2. Aucta eſt ergo in illo ſcientia experimentalis, retentæque ſpecies, & nouus habitus acquiſitus, atque in eo verus profectus fuit, vt eſt in aliis hominibus imperfectione excepta. 3. Diſpoſita ſunt omnia organa ſenſuum, vt ſcientia acquiſita vteretur, imaginando, phantaſmata abſtrahendo, vt more hominum intelligeret viatorum, non modo beatorum. 4. Secundum hunc profectum etiam ſapientiam oſtendit, vt ante expoſitum eſt. Ideo creuit etiam apud homines.

CAPVT

CAPVT III.

ANNO autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, 2. Sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariæ filium, in deserto. 3. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, 4. Sicut scriptum est in Libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius. 5. Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa: & aspera in vias planas. 6. Et videbit omnis caro salutare Dei. 7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? 8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 9. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 10. Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? 11. Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. 12. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? 13. At ille dixit ad eos: nihil amplius quod constitutum est vobis, faciatis. 14. Interrogabant eum & milites: Quid faciemus & nos? Et ait illis. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris. 15. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus: 16. Respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: venit fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius: ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igni: 17. Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 18. Multa quidem, & alia exhortans euangelizabat populo. 19. Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes, 20. Adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcere. 21. Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est cælum. 32. Et descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cælo facta est: Tues filius meus dilectus, in te complacui mihi. 23. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, 24. Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, 25. Qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, 26. Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda. 27. Qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, 28. Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadam, qui fuit Her, 29. Qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui Mathat, qui fuit Levi, 30. Qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim, 31. Qui fuit Mela, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, 32. Qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, 33. Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, 34. Qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, 35. Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, 36. Qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, 37. Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

TEMPVS acceptæ legationis à Ioanne ipsaque legatio exponitur; eius de Christo testimonium, & laudes; simulque indicat, cur in vincula eum Herodes coniecerit. Christi baptismа describit, & catalogum Christi maiorum vsque ad Adamum. Vt constet verum hominem, ex hominibus natum, & tabulis acta probet.

Gentibus vero ista scripta esse satis indicat, quia ex eorum historiâ fidem dictis facere instituit. Quare factum puto, vt in Syriacâ Ecclesiâ hæc ipsâ die, festo Epiphaniæ, quod vocant ܪܒܬܐ Rannetha legerentur. Hoc enim festum fuit *revelationis gentium.* Titulus in Syro est *ad oblationem festi Epiphaniæ.*

VERSVS 1.

Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha.

QVÆSTIO I.

Quando Ioannes prædicare incepit?

Tempus prædicationis.

§. 1. DEscribit tempus initæ prædicationis Euangelii, per magistratus ciuiles & Ecclesiasticos; ac primo quidem, *imperante Tiberio.* Eodem verbo Cæsaris ἡγεμονίαν, & Pilati exponit: Latinis minus conuenit vera dictio, itaque diuerso modo vertunt.

Syrus Tiberii Imperium & Pilati præfecturam distinxit. Illud vocat regnum מלכותא *malchuta.* hoc vero ἡγεμονίαν הגמונותא *Higmanutha.* præsidatum ducatum.

Noster vertit, *procurante*, ita tamen procurator fuit, vt etiam gubernaret. Fuisse sub Syriæ præside, constat ex Iosepho lib. 18. cap. 1. Vbi accusatus apud Valerium præsidem Romam mittitur causam dicturus.

Tiberius Christum Deum iudicauit.

§. 2. De Tiberio etiam idcirco erat apud Christianos iucundius, quod in Deos Christum referre statuit: Tertull. Apol. cap. 6. *Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in saeculum introiuit, annunciatum sibi ex Syriâ Palaestinâ, quod illis veritatem illius diuinitatis reuelauerat, detulit ad senatum cum praerogatiuâ suffragij sui. Senatus quia non in se probauerat, respuit. Caesar in sententiâ mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Fuisse autem rem notam constat ex eiusdem libri cap. 21. *Sed quoniam adidimus antiquissimis Iudaeorum instrumentis sectam istam esse suffultam, quam aliquanto nouellam, vt Tiberiani temporis plerique sciunt, profitentibus vobis quoque fortasse: an hoc nomine de statu eius retractetur, quasi sub vmbraculo insignissimae religionis, certae licentiae aliquid, & propriae praesumptionis abscondat? Vel quia praeter aetatem, neque de victus exceptionibus, neque de solennitatibus dierum, neque de ipso signaculo corporis, neque de consortio nominis cum Iudaeis agimus, quod vtique oporteret, si eidem Deo manciparemur? Sed & vulgus iam scit Christum, vt aliquem hominum, qualem Iudaei iudicauerunt, quo facilius quis nos hominis cultores existimauerit. Verum neque de Christo erubescimus, quum sub nomine eius deputari & damnari iuuat, neque de Deo aliter praesumimus. Necesse est igitur pauca de Christo, vt de Deo totum.*

Christus Deus.

Vnus Christus non duo.

§. 3. Tertullianus l. 4. aduers. Marcionem, ostendit duos Christos non esse. *Constituit Marcion alium esse Christum, qui Tiberianis temporibus à Deo quodam ignoto reuelatus sit in salutem omnium gentium: alium qui à Deo creatore in restitutionem Iudaici status sit destinatus, quandoque venturus. Inter hos magnam & omnem differentiam scindit, quantam inter iustum & bonum, quantam inter legem & Euangelium, quantam inter Iudaismum & Christianismum. Hinc erit & nostra praescriptio, qua defigimus nihil Christo Dei alterius commune esse debere cum creatore. Caeterum creatoris pronunciandum si administrauerit dispositiones eius si impleuerit Prophetias eius, si aduuerit leges eius, si repraesentauerit promissiones eius, si restaurauerit virtutes eius, si sententias reformauerit, si mores, si proprietates expresserit. Huius pacti & huius praescripti, quaeso te Lector memineris vbiq;, & incipe recognoscere aut Marcionis Christum, aut creatoris. Anno quintodecimo principatus Tiberiani, proponit, Deum descendisse in ciuitatem Galilaeae Capharnaum, vtique de caelo creatoris, in quod de suo ante descenderat. Et quid ergo ordinis fuerat, vt Christus de prius de caelo suo in creatoris descendens describeretur? Cur & cetera creaturiae narrationis, deficientis in mendacio semper? Planè semel dicta sint, per quae iam alibi retractauimus: An descendens per creatorem, & quidem aduersus ipsum potuerit ab eo admitti, & inde tramitti in terram aeque ipsius. Nunc autem & reliquum ordinem descensionis expostulo, tenens illum descendisse. Viderit enim si cubi apparuisse positum est. Apparere subito, ex inopinato, sapit conspectum, qui semel impegerit oculos in id, quod sine mora apparuit. Descendisse autem, dum ait, videtur & subit oculos; de facto etiam ordinem facit. Atque ita coepit exire, quali habitu, quali suggestu, quonam impetu vel temperamento, etiam quo in tempore diei noctisue descenderit. Praeterea quis viderit descedentem, quis retulerit, quis asseuerauerit, rem vtique nec asseueranti facilè credendam. Indignum denique vt Romulus quidem ascensus sui in caelum habuerit Proculum affirmatorem; Christus verò descensus de caelo sui, non inuenerit annunciatorem; quasi non sic & ille ascenderit ijsdem mendacij scalis, sicut & iste descendit.*

§. 4. Natales Christi ex regno Herodis signauit, Augusti & Augusti imperio, plures nūc pro Herode nominat. Herodi autem Iudaea enim in formam prouinciae redacta praesidem habuit, & tres praeterea in parte Dominos. Qui putant ideo in natiuitate Augustum omissum, quod Iudaea proprium regem haberet, Herodem; non aduertunt, mox c. 2. initio mentionem edicti Augustalis fieri, quo indicatur, maiorem fuisse Augusti Caesaris in Iudaea, quam ipsius Herodis potestatem.

Summum igitur & subordinatos magistratus recessit. Regnauit Tiberius annis viginti duobus & dimidio. Imperium Tiberii summam vocat ἡγεμονίαν, scilicet αὐτοκρατορικὴν imperatoriam. Tiberius Neroprimus, gener & Successor Octauiani fuit.

QVÆSTIO II.

Quis Pilatus.

§. 1. PRaeses erat, seu ἡγεμὼν Iudaeorum, Praesidum hic ordo à Iosepho instituitur. Quirinus quis Archelai relegati facultates in fiscum redegit, quo praeside primum Iudaea Prouinciae Syriae accensa est. Ioseph. l. 17. antiq. c. vlt. & l. 18. c. 1. & 3. inde secuti Coponius, M. Ambiuius Annius Ruffus, Valerius Gratus, Pontius Pilatus. Quamuis aliqui ex his Syriaeque Praesides fuerint. Verum Pilatus sub Syriae praeside solam Iudaeam procurabat. Iosephus praefecturae Pilati decēnium tribuit, quod Tiberii morte finit. Decimus igitur annus Pilati in annum 22. Tiberii incidit, ac proinde primus in duodecimum. denique quartus in decimum quintum, aut decimum quartum. Mors autem Christi Tiberii decimo octauo, Pilati sexto vel septimo contigit, prout anni incipientes concurrunt. Iosephus l. 18. antiq. c. 3. Tiberium ait duodecimo anno reuocasse Valerium Gratum, & misisse Pilatum in Iudaeam cuius anno vt dixi quarto, Ioannes & Christus prædicationem inchoarunt.

De moribus Pilati dictum Matthæi 27.

QVÆSTIO III.

Cur harum regionum Tetrarchas numerat?

§. 1. ORigenes ideo fieri ait, quod ex illis regionibus multi ad fidem venerint. Vera causa duplex est, & literalis, vt Lucas Iudaicæ Reipublicæ formam, diuisionem, & seruiturem, in qua erat, cum Saluator aduenit, ostenderet. Prouinciæ enim quas nominat, sub

sub Herodis regno fuerant, & Iudææ attributæ. At iam Tiberius crudelitatis immensæ senex imperat. Pilatus præsidum rapacissimus, iniustissimus, Ierosolymam & tribum Iuda premit, Herodes filius Herodis Galilæam, Philippus Ituræam, & Trachonitidem, Lysanias Abilenem sub iugo tenent. Et omnes tamen mancipia erant, non modo Imperatorum, sed liberorum etiam illius, nedum præsidum & procuratorum.

§. 2. Tetrachæ erant precariæ & limitatæ potestatis, de qua potestate & dignitate à me actum est l. 7. Politicorum c. 21. §. 16.

§. 3. Græce est τετραρχοῦντος, Tetrarcham agente, Archelaus Ethnarcha à Cæsare vocatus est, sic paulatim & nomen & potestatem minuebat, vt Romani seruitij capaces redderet. Simili stratagemate vetustiores vsi sunt. Nam ijdem Romani Macedoniæ imperium quadripartitum fecerunt, vt debilitarent. Tetrarcha à Syro vocatur רישא דרבעיא caput seu *princeps quartæ partis.*

§. 4. Ituræa eodem pene loco erat; à Iether Ismaelis filio dicta est Gen. 25. & 1. par. 5. 19. Hanc olim rex Iudæorum Aristobulus Iudææ adiecit Ioseph. l. 3. de bello Iudaico c. 2. A fonte Iordanis incipit, vbi Paneas siue Cæsarea Philippi, & occidentem versus venditur ad fines vsque Sidonios, Tyriosque.

QVÆSTIO IV.

Quis Lysanias?

§. 1. BEda & Euthymius Herodis filijs accensent, & partione regni paterni donatum putant: cum filijsenim Herodis nominatur. Verum Iosephus tres duntaxat Herodis filios agnoscit, Herodem, Philippum, Archelaum qui hoc tempore superessent. Lysanias alius fuit, Ptolomæi Mennæi filius, quem Antonius occidit, eius filium arbitratur Maldonatus. Genebrardus eundem principatum Chalcidis & Abylenes putauit. Lysanias ex Dynastis Chalcidis. Ios. l. 15. c. 15. à Zenodoro eius ditionem cõductam esse tradit, erat vt dixi inter Libanum & Antilibanum. Caius Caligula Lysaniæ tetrarchiã & Philippi Agrippæ donauit. Ioseph. l. 18. ant. c. 8. Claudius quoque vt idem l. 9. c. 4. alteri donauit.

Theophylactus etiam Lysaniam à filijs Herodis non distinguit, dicit enim, filijs Herodis Tetrarchias tenentibus. Itaque vel ideo hoc dicit quod ille Herodis filius, vel quod Abylene ad Herodem pertinuerit.

QVÆSTIO V.

Quæ Abylina?

§. 1. AByla, Lysanium etiam vocata est. Ptolomæo est vrbs Syriæ cauæ seu Cælesyrię, ita est apud Ptolomæum tab. 4. Asiæ. longitudinis gradu 68. min. 45. Latitudinis 33. min. 20. Itaque occidentalior, & Borealior erat Damasco, trans Libanum posita consentit Plinius. Stephanus aliam Abylam ponit ad Iordanem, sed eam vocat Ptolomæus Abidam, nisi in hoc vel illo sit error aliquis. Sed & Iosepho vrbs est ad Iordanem. Plinius l. 5. cap. 18. Vnam ex sex Tetrarchijs ait, quæ Decapolin cingunt. *Iungitur ei latere Syriæ Decapolytana regio, à numero oppidorum, in quo non omnes eadem obseruant. Plurimi tamen Damascum & Opoton rigant amne Chrysorrhoa, fertilem Philadelphiam, Rhaphanam, omnia in Arabiam recedentia. Scythopolin, antea Nysam, a Libero patre, sepulta nutrice ibi, Scythis deductis. Gadara Hieromiace præfluente, & iam dictum Hippon Dion, Pellam aquis diuitem, Galasam, Chanathan. Intercursant cinguntque has vrbes tetrarchiæ, regionum instar singulæ, & in regna contribuuntur, Trachonitis, Panias, in qua Cæsarea cum supra dicto, Abila, Arca, Ampeloessa, Cabe.*

Cum igitur duæ sint Abilæ, & regio Abilene. Vtra sit de qua Euangelista loquitur, incertum est. Pro ea quæ ad Iordanem ponitur, ratio historiæ facit. Nam partem Iudææ esse oportet; Cur enim Euangelista externum Tetrarcham nominaret? Quid Abilenæ illi quæ supra Damascum est, cum regno Herodis & Iudæa. E contrario vt illa sit, mouet, quod est in tabulis Ptolomæi Abylam vt dubium non sit eam esse, in qua Lysanias regnauit. Imo, non vocat eam Ptolomæus Lysanium, sed Abylam cognomine Lysanij, Hanc esse scriptura cogit credere, cur eam nominet, incertum est.

Duæ Abilenæ.

QVAESTIO VI.

Quæ Trachonitis?

§. 1. ITa dicta ab asperitate montium, colliumque. Trans Iordanem erat, & à fontibus eius vsq; lacum Tiberiadis protenditur. Hanc cum Ituræa, Auranitide, Paneade, Batanæa, Cæsar Herodi donauit, postquam ille Cæsaream Palæstinæ in illius honorem extruxit. Iosephus l. 14. antiq. cap. 13. Has omnes Philippus tenuit regiones, & Cæseream Philippi præcipue excoluit.

Trachonitis.

Cum autem τραχωνῖτις ab asperitate Græcis dicatur, non est dubium aliud olim nomen fuisse gentem ab Aram filio Cis ait Hieron. Ab Antilibano ad lacũ Tiberiadis protenditur. Syrus vocat טרבנא *Tracanna* retento Græco nomine.

Non pertinet huc τραχεῖα quo est Isauriæ, vel pars Ciliciæ extra Taurum, de qua Strab. l. 14. Vnde & populi Tracheotes dicuntur. Trachina & Traciana Anxur dictum. est & Trachin in Phthiotide Plin. l. 4. c. 8.

Tarracina

VERSVS 2.

Sub principibus sacerdotũ Anna & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem filium Zachariæ in deserto.

QVAESTIO. I.

Quomodo Annas & Caiphas sacerdotum principes?

§. 1. NOn erant duo summi apud Iudæos pontifices: nullum enim exemplum dari potest. Vnus alteri substitui poterat.

Vnus pontifex.

§. 2. Hinc variæ expositiones. Prima, prædicationem Christi & Ioannis sub vno cæpisse, sub alio continuatam. Id refutat Ioseph. l. 18. Nam Caiphas à Valerio Grato factus sacerdos, toto Pilati tempore fere permansit. Euthymius ait Annæ senis Caipham fuisse adiutorem. Alij Caipham fuisse sacerdotem summũ, sed Annę vt locero, & qui fuerat sacerdos, nomen honoris causa tribui. Verum eodem modo alios nominare oportuisset, quos Gratus deposuit. Responderi posset, Eos iam defunctos, aut renunciasse: Annam minime.

Annas & Caiphas simul.

Maldonatus noster alternis annis administrasse putat, ex Ioan. 11. 49. 51. & 18. 13. Baronius id fieri potuisse negat, nam sic non potuisse sub vtroque incipere. Non incommode respondeti, vtrumque nominati, quod sub vno inceperit Pontificatum administrante, altero iam designato, & certo successore. Baronius vult, Annam fuisse præsidem concilij Zane-

drin. Id alijs minus probabile videtur. Non fuisse Annam præsidem tantum Synedrij videtur ex Act. 4. 6. probari. *Et Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali.* Vbi videtur negligi Caiphas & secundo loco poni, cum alijs cum tamen religionis causa ageretur, in qua primas summus sacerdos tenebat. Iosephus Pilati tempore mansisse Caipham refert, sed non opus fuit, vt toto omnino tempore, vt non & alteri vices daret. August. tract. 113. in Ioan. alternis gestisse annis.

§. 3. Iosephus l. 20. ant. c. 8. omnes Annæ filios fuisse pontifices ait: Annam Syrus vocat חנן Channan. In principatu sacerdotij, ברבה כוהנותא *berabut cohanutha*. Sic enim pontificatum describit, & dignitatem inter sacerdotes etiam aliam, quæ non est summa. Vocatus est Annas Iosepho Ananus, Caiphas etiam Iosephus dictus. Franciscus Brugensis, nomen honoris causa datum, & Iosephi l. 20. ant. & l. 4. de bello vbi vocat passim pontifices, qui ea functi dignitate fuerunt. Credo vix superfuisse, qui ante Annã gesserunt pontificatum, Annas à Quirino designatus diu Pontificatum gessit, nempe circa Domini natiuitatem factus Pontifex: Deinde factus est Pontifex Ismael Pali filius, tertio Eleazar Annæ filius, Ioseph. l. 18. ant. c. 3. Denique intercedẽte alio, gener eius Caiphas successit. Quorum nemo dicitur Pontifex, & vixisse tamen aliquem credibile fuit.

Caiphas verus Pontifex.

Si objicias Anna viuo neminem vere fuisse Pontificem, ideo non nominari, sequetur pari modo nec Caipham fuisse, qui tamen ideo prophetauit, quia erat Pontifex anni illius. Verus ergo Pontifex erat & Caiphas. Caluinus potentia tyrannica sacerdotium laceratum putat, vt dimidia pars apud Annam, altera dimidia apud Caipham resideret, Hæc Lucam dicere vt ostenderet verum tunc vnum non fuisse pontificẽ, sed Caipham fuisse constat ex passione Domini.

Caiphas officio, Annas potentia summus Pontifex.

§. 4. Mihi si fas est inter istos etiam sententiam profetre. Non videntur alternis gessisse magistratum, contrarium enim Iosephus asserit, qui in re nota & recente, cum testes viuerent, causam non habuit, cur fidem suam redderet suspectam. Deinde principes sacerdotum dicebantur, non modo summi pontifices sed principes familiarum. Principes etiam quia auctoritate valebant, & potentia, vt constat de Anano. Principem igitur Caipham appellat, quia Pontifex erat. Annam quia dignitate, fama, potentia princeps.

VERSVS 3.

Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitẽtiæ in remissionem peccatorum.

QVAESTIO I.

Qua regio circa Iordanem?

§. 1. LVcas vocat τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, regionem quæ erat circa Iordanem. Ioannes 1. 28. locũ nominatim describit. Hæc & cap. 3. 23. Erat autem & Ioannes baptizans in Ænon, iuxta Sallim, *quia aquæ multæ erant ibi.* περίχωρον ita nonnulli exponunt, vt velint significari, eam regionem quæ est circa brachium Iordanis, quod circuli modo extenditur Ierichuntem versus, eam Marcus 1. 4. desertum vocat, & Matth. desertum Iudææ. Non autem regionem fuisse in altera parte trans Iordanem in Peræa. Verum malo περίχωρον dicere, quæ vtrinque Iordanem cingit, & ripam præbet. Colligitur ex Ioannis 1. 28. Vbi dicitur

Regio vtrinq; circa Iordanem.

trans Iordanem in Bethania fuisse, quæ vel Bethabara, vel alia Bethania est ab ea, quæ quindecim stadijs abest Ierosolymis. Ioannem autem fuisse trans Iordanem constat ex Ioan. 11. 40. Hoc etiam ex Syro colligo; ille enim περίχωρον vertit regionem circumiacentem Iordanem, דמחזרי *dachtherai.*

VERSVS 5.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt praua in directa & aspera in vias planas.

QVAESTIO I.

Quomodo omnis vallis implebitur, & mons humiliabitur?

§. 1. SYrus plurali vtitur, omnes valles implebuntur, & colles deprimentur, alteram vero partem sic explicat. Et tumulus fiet humilis, & asperatẽgio plana.

Planum.

Cum præcedentibus cohæret, quia enim iussit viã sterni ac planari, vt Dominus exciperetur; ostendit id egregie per Ioannem factum: adeo vt omnis mons humiliatus sit, & vallis impleta, vt æquali planitie, quasi pauimento rex nouus incederet, nihil enim obstare decuit. Hæc literalis est expositio: morales plurimæ sunt, primaria est, Pusillanimes animis erigendos ad gratiam accipiendam, superbos animositatem ac fastum ponituros.

Præmium.

§. 2. Via parata est, non omnis tamen mons in planitiem tractus, nec vallis omnis impleta: sed quæ Domino aduenienti poterant obsistere, quique salutarem pœnitentiam egerunt, procliuem viam effecerunt Domino aduenienti.

Praua.

Praua σκολία, obliqua viarum, erunt in directa. εἰς εὐθεῖαν in viam rectam, subauditur enim ὁδὸν, noster legit εὐθεῖα plurali numero. Id adeo ex collium & vallium æquatione fieri necesse erat, ob hæc enim flexus viarum ducuntur. Mores igitur praui, & cupiditates extra orbitam solitæ in viam reducentur, non tortis philosophorum disputationibus, sed doctrina Euangelij.

Aspera Græcus effert genere fœminino, καὶ αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδοὺς λείας. Et asperæ in vias leues, faciles. Nõ de senticatis, sed illis, quæ petris aut alia ratione sunt inæquales, opponit enim τραχεῖς planis, & quasi pauitis, politis.

VERSVS 11.

Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

QVÆSTIO I.

Cur de eleemosynis solis mentionem induxit?

§. 1. ALia etiam mandata dedit, sed populum ad eleemosynã hortatur, quemadmodũ Nabuchodonosor

Ad Eleemosynam monetur.

donioſorem Daniel: Et Chriſtus Phariſæos. *Veruntamen date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Maxime id in eo populo Ioannes optabat, ideo ſpeciatim vrſit. In verbis hærendum non eſt. Ordinarie vni homini vna tunica tribuitur: altera ſuperflua cenſetur. Itaque hoc monet, vt ex ſuperfluis eleemoſynas in egentes conferant, imbecillitati ſuccurrant. De miſericordia enim in afflictos præcipue agetur in iudicio decretorio.

§. 2. Non immerito obſeruat noſter Maldonatus: Non dixiſſe eum. Credite tantum in Chriſtum, & ſalui eritis: ſed opera exigere, vt ſalui fiant. Ex quo apparet Eleemoſynas ad ſalutem neceſſarias eſſe.

Varie de Eleemoſynæ neceſſitate Theologi diſputant, ſuntque alij alijs ſeueriores. Ad huius loci intelligentiam conſtituendum eſt primo. Eum qui duas habet tunicas, hoc eſt vnam ſuperfluã, oportere dare eleemoſynam egentibus, etſi in extrema illi neceſſitate non ſint. ita D. Thomas 2.2.q 32.a. 5. Caiet. ibid. & de eleemoſyna. Palud. in 4. diſt. 15. 13. Adrianus in 4. de reſtitut. Abul. in Matth. c. 6. q. 34. Victoria, Soto, cæterique. Contra tamen ſentiunt Alenſis in 4. p. q. 13, membro 1. Gabriel eodem loco. Turrecremata ſuper decretum diſt. 47. in c. *Sunt.* Canoniſtæ poſteriores magis vt videtur affectu, quam iudicio ſequuntur: Mirorque in ea ſententia eſſe S. Antonium. Sed videntur tamen ſententiam illi aliquanto mitius intelligere. De Patrum ſententia non eſt dubium. Aug. ſerm. 119. de tempore. epiſt. 54. Baſilius hom. contra auaros. Chryſ. hom. 34. Hieron. epiſt. ad Hedib. 41. Vbioſtendit, cum præcedentia, & conſequentia futurint præcepta, etiam hoc de eleemoſyna præceptum eſſe. Nam qui id propter ſolam extremam neceſſitatem putant mandari: non aduertunt, plurimos ob negatam Eleemoſynam damnari, qui tamen nullum in extrema neceſſitate viderunt. Recta autem ratio & caritas legem præfinit inuiolabilem, ne tu per luxum perdas, quo alius reſici poſſet.

Necaliam cauſam arbitror, cur tot opulentæ familiæ intereant, cur tam difficulter diuites ſaluentur: quam quod ſuas cupiditates expleant, parcentes negligentes. Tot eſurientibus aliquos ebrios eſſe, non modo eſt contra temperantiam, ſed etiam contra miſericordiam. Vident fratres egere, ſunt diſpenſatores, conſeruos contemnunt, daturi pœnas Domino. Quomodo manet caritas, ſi tu luxu fatigatus, amicis fame pallentibus non ſuccurris? 1. Ioan. c. 3.

§. 3. Non deſunt auaritiæ argumenta, quibus ſeſe armet, ne dare cogatur. Duas tunicas habere negant, hoc eſt vnam neceſſariam, aliam ſuperfluam. Scipatæ ſunt arcæ ſyntheſibus, eructant penuaria, granariorum tigna curuantur pondere. Inſuper parietes inaurantur, ſyluarum delicias auiaria concludunt.

Nec eſt tamen quicquam ſuperfluum. Inter hæc audiuntur diuites de paupertate quærentes: Centum pallia viri, ducentas pallas habet vxor, & duas habere ſe negant. Futuri cura omnem miſericordiam animo eripit, inter funera pauperum plus colligunt. An non igitur tales damnabuntur? An excuſabant ſe Ioanni, centum habeo tunicas, ne vnam quidem dare pauperibus valeo? An non tũ reſpondere turbæ poterant. Vni tunicæ vitam non credam. Alia reponenda eſt. At non hoc dico, ſi duas habes, da non habenti alteram: nimium putabis, quod tamen Baptiſta parum exiſtimault. De centum vel vnam dare iubeo. Sed vt venter auribus, ita auaritia mente caret. Pertinet hoc ad omnes, ſed maxime ad Clerum, cui arctior eſt lex Eleemoſynæ poſita. Vt qui de Chriſti patrimonio viuant. Eleemoſyna neceſſario facienda eſt, ſi ſuperflua habeas, quæ ſunt vel naturæ, vel ſtatus; in graui proximorum neceſſitate, quæ naturæ ſunt ſuperflua, danda ſunt; in communibus, quæ ſunt ſtatus

Verum audiant Baſilium moral. Reg. 48. c. 2. ἐπὶ πᾶν ὅπερ ἂν ἔχει τις πλέον τῆ δεομένῳ τῶν πρὸς τὸ ζῆν ἀναγκαίων, ὀφειλέτης ἐστὶν ἐκείνου εὑρεθῆναι, κατ' ἐντολὴν, τοῦ κυρίου τοῦ καὶ δεδωκότος ἃ ἔχομεν. *Quod quicquid habet quis vltra naturalem ſuam ad victum neceſſitatem, id neceſſario in beneficium alterius debet conferre, ex mandato Domini, vnde ea etiam accepimus, quæ habemus.*

VERSVS 13.

At ille dixit ad eos: Nihil amplius quam quod conſtitutum eſt vobis faciatis.

QVÆSTIO I.

Quid publicanis mandat?

§. 1. COmmunia illis etiam præcepta dederat, hoc ſingulare fuit in quo frequenter errabant, vt plus portorij exigerent, aut tributi, quam oporteret: vt hiſtoria de Bruto & Caſſio indicat, vbi tantundem publicani & principes acceperunt. πράσσειν eſt *exigere* & *facere*, Græci primam ſignificationem ferè ſequuntur. Syrus habet לא תתבעון *la thethbechun*: ne exigite: deinde idem repetit, *Quam vobis conſtitutum ad exigendum, lamethbagh.* *Non plus ſtatuto exigendũ.*

Eraſmus [Miror, *ait*, non eſſe animaduerſum, nec à Laurentio, nec à quopiam alio, ne Beda quidem, πράσσειν, hic vertendum fuiſſe, non Facias, ſed Exigatis: cum loquatur de publicanis, hoc eſt, publicorũ vectigalium redemptoribus: quibus hic & hodie mos extorquere à plebecula, non quantum princeps inſerit, quod ipſum iniquum eſt, ſed quantum omnino poſſint: vtrunque enim ſignificat πράττω. Vnde πράκτορες, exactores. Et aliquanto poſt, ſemel atque iterũ πράκτορας, vertit, Exactores, & decimonono, ἔπραξα, vertit Exegiſſem. Atque ita ſane legiſſe videtur Ambroſius, huius loci ſententiam reddẽs his verbis; Singulis quoque generibus hominum, conueniens tribuit Sanctus Ioannes Baptiſta reſponſum, vnum omnibus, ita publicanis, ne vltra præſcriptum exigant, militibus ne calumniam faciant, ne prædam requirant. Cõſimiliter Auguſtinus ſermone de verbis Domini ex Matt. 19. legit & interpretatur: Nihil amplius exigatis, quam quod conſtitutũ eſt vobis. Theophylactus etiam exponit Græcam vocem alia Græca, εἰσπράσσειν τοῦτ' ἔστιν ἀπαιτεῖν, id eſt, exigere, hoc eſt poſcere, nã vtroq; modo dicitur, πράττειν & εἰσπράττειν.] *facere, & exigere.*

Non eſt cauſa admirandi. Nã πράττειν generale verbum eſt, quod ex rebus ad ſingulare accommodandũ eſt. Mihi conſtat hic exponi poſſe ἀπαιτεῖν, *exigere*. Sed melius generatim vertere. Publicani enim interdum dum miſeros vexant, non modo petendo, ſed nummũ aſperum exigendo, tranſuectiones difficiles imperando, nocebãt, vt eſt in Verrinis. Denique militibus non neceſſarijs, ſubditos grauabant.

VERSVS 14.

Interrogabant autem eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos: & ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quæ militibus mandat?

Militia permissa.

§. 1. MIlites vocat Syrus στρατια, vbi notat glossa Syriaca מן לטרן יון *à lingua Iauan*, vt & in voce ὀψώνιον, quam Syrus retinet.

Concors Patrum & Interpretum sententia est, militiam non vetari, non enim sacramento soluit Ioannes militem, sed leges militandi præscribit, de his Matth. 8. 10. ex August. l. 22. contra Faustum. c. 74.

§. 2. Primum mandatum est neminem concusseritis. Non agit de verberatione, quamuis id quoq; militibus frequens est peccatum, sed dicit μηδένα διασεῖσητε, *neminem concusseritis*. σείειν est concutere, terræmotibus proprium est. σεισμοὶ enim vocantur. Dicuntur & illi σείεσθαι, quorum spes & fortunæ concutiuntur. Est etiam idem quod calumniari, auctoritate, & potentia terreri, per magistratus vexare magistratus muneribus corrumpere. At quomodo id in milites conuenit, qui gladio, non iuris prætextu opprimunt, iam dicam, Concussio est terror iniectus extorquendæ pecuniæ, vel rei alterius causa. Cuiacius, alijque.

§. 3. Manifestus itaque error Bezæ est. [Vulgata, » Calumniam facite: quod certe potius togatæ, quam » armatæ militiæ conuenit. Ego vero existimo διασεῖειν » ad vim manifestam, συκοφαντεῖν ad rapinas cæteraſq; » fraudulentas potius quam manifeste violentas iniu- » rias referri, sicut apud Hebræos distinguuntur גזל *Gazal* & עשק *haschak*.

» Nihil est armatâ & in pacato quiescente militiâ calumniosius. Apertæ rapinæ vix in vsu erant, nouæ igitur artes exquirendæ. Nec militia grauis Germanis erat, tempore Varianæ cladis, sed calumniæ; itaque in causidicos præcipue sæuiebãt, & lingua insultabant; Vipera etiam nunc sibila. Erant autem illa in militibus pleraque.

§. 4. Porro quid sit concussio, Leges nos docebunt, haud paulo sinceriores antiquitatis custodes, quam Beza. Est vero titulus 13. p. libr. 47. de concussionibus. *Si simulato præsidis iussu concussio interuenit, ablatum eiusmodi terrore restitui præses prouinciæ iubet, & delictum coercet, ita Vlpianus l. 5. opinionum.*

Et *Concussionis iudicium publicum non est. Sed si ideo pecuniam quis accepit, quod crimen minatus sit, potest iudicium publicum esse ex senatusconsultis, quibus pœna legis Corneliæ teneri iubentur, qui in accusationem innocentium coierint, quiue ob accusandum, vel non accusandum, denunciandum, vel non denunciandum testimonium, pecuniam acceperit.* Vt habet Macer. l. 1. iudiciorum publicorum.

Leges militares.

§. 5. Contentos stipendijs ὀψωνίοις esse iubet, non modo rapinas vetat, sed etiam iniquas præmiorum flagitationes, quæ per bella ciuilia inualuerant, adeo vt orbis possessiones magna parte mutarentur. Talis erat lex Aureliani ad Vopiscum Tribunum *Si vis tribunus esse, imo si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat: ouem nemo contingat: vuam nullus auferat: segetem nemo deterat: oleum, sal, lignum nemo exigat: annona sua quisque contentus sit: de præda hostis, non de lacrymis prouincialium habeat: arma tersa sint ferramenta Samiata, calceamenta fortia, vestis noua vestē veterem excludat, stipendium in balteo, non in popina habeat, torquem brachialem & annulum opponat, equum saginarium suum defricet: mulum centuriatum comiter curet: alter alteri quasi seruus obsequatur: à medicis gratis curentur: aruspicibus nihil dent: in hospitijs caste se agant: qui litem fecerit, vapulet.* Hæc disciplina vim apertam coercet, qua prohibiti milites ad calumnias & concussiones se conuertebant.

QVÆSTIO II.

An militare liceat?

§. 1. PLerique militiam licitam esse ex hoc loco pro- Bellarm. bant, non enim soluit eos Ioannes sacramento, sed modestiam præscribit vt dixi. Si enim militia ipsa damnabilis esset arma ponere iussisset. Errant igitur Anabaptistæ, cæterique, de quorum errore egi. 10. Polit. c. 3. §. Patres omnes excepto Tertulliano, cuius inter cætera etiam hoc paradoxon est, qui bello iusto militare permittunt. August. serm. 19. de verbis Domini. & l. 22. c. 74. & c. 75. Quibus & ius Canonicum vtitur 23. q. 1. c. Militare &c. qui culpatur. Amb. de officijs. l. 1. cap. 27. & 29. & 40. & 41. Ius est enim principi sua repetendi August. l. 19. de ciuit. ca. 19. Arist. l. 7. polit. c. 14. & 15. Vide D. Thom. 2. 2. q. 188. & Bernard. serm. ad milites templi, serm. 3. & mea Politica l. 10. c. 3.

Satis superq; de bello veteres disputarunt, sed omnia Erasmus reuocat in dubium, cuius est error hoc loco conspicuus. [Mihi non admodum probatur, quod quidam ex hoc loco probare nituntur bellum: « quasi vero Ioannes hæc dixerit Christianis, ac nõ po- « tius ethnicis, aut certe profanissimis Iudæis, siqui te- « mẽ Iudæi meruerunt vnquam sub ethnicis: aut hoc e- « gerit, vt præscriberet cuiusmodi deberent esse milites, « & non illud potius, vt qui pessimi erant, inciperent e- « se minus mali. Notat id eleganter Theophylactus, « Turbas, inquit, hortatur vt aliquid boni faciant, hoc « est, sua impartiant, Publicanos autem ac milites vt de- « sistant à malis. Neq; enim capaces illi erant, neq; bo- « num quippiam facere poterant, sed sufficiebat eis, nõ « facere malũ. Ita Theophylactus. Miles enim qui spo- « liat iniustè ne miles quidem bonus est, tantum abest « vt sit vir bonus. Sic enim vndiq; præparabat viam Do- « mini. Alio qui qui potuisset Ioannes ab illis extorque- « re militiam, cum Christus à Iudæis non extorserit ce- « remonias & superstitionem Mosaicæ legis, & homi- « num constitutiũculas? Quis negat Iudæis permissum « fuisse bellum? sed ijsdem, quibus permissum fuit odiũ « inimici. Bellasse Iudæos legimus, stipendijs meruisse « sub alienis ducibus non legimus. Bellabant Iudæi, sed « iussu Numinis. An ob id volumus Christianos contra « Christi iussum belligerari? imo ferrum & lanienam « habere venalem. Gregorius negociationem inter eas « artes ponit, ad quas à baptismo non sit fas redire, & « nos homines facinorosos, qui quauis mercede pelle- « cti, aduolãt ad bellum & cædem Christianorum, imò « si desit conductor, vltro erumpunt, inter Christianos « habemus, & hos Euangelico patrocinio tuemur? Ne- « que vero me fugit, quid hic disputet Augustinus, cum « alias, tum aduersus Faustum: Sed fas esse puto, Christi « & Apostolorum doctrinam anteponere Augustini « sententiæ. Nec tamẽ ille probat hoc bellorum genus, « quibus sine fine collidimur. Pro publica Christiano- « rum pace tuenda, Cæsari, Cæsariſq; præfectis conce- « dit arma. Verum hæc non est purissima pars corporis « Christi. Religiosus erat id temporis Imperator, quis- « quis non opprimeret ecclesiã, & alicubi faueret. Nũc « belligerantur episcopi, nec aliud fere quam belligerã- « rantur. Ambrosius libro de viduis, palam declarat, « quibus armis velit esse instructos sacerdotes & pure « Christianos. Arma, inquit, Ecclesiæ fides est: arma Ec- « clesiæ oratio est, quæ aduersarium vincit. Atq; inibi « Ecclesia autem non armis secularibus vincit aduersa- « rias potestates, sed armis spiritualibus, quæ sunt for- « tia Deo. Sit igitur bellum, si videtur inter necessaria « mala, si modo legitimum sit. Nec est necesse, vt hoc « ius ex euangelij præscriptis reperamus. Sed hisce de « rebus alius dabitur dicendi locus.

Respondeo. Christianis nõ dixit, sed Iudæis & Ethnicis.

nicis. Quia tamen illis licitum est, non prohibetur nobis. Si enim illis permissum est bellum, natura sua non est malum: cum vero nulla lege singulari, bello Christianis interdicatur, non sumus alia lege astringendi. Leges enim iudiciales & cæremoniales nō habemus quæ bellum vetent, naturales permittunt, & aliquando imperant.

§. 2. At Ioannes tantum hoc agit, vt milites sint innocentes, nec vt bonum agant, sed ne faciant malū. Imo vero Ioannes magnum imperat bonum: contēti esse stipendijs. Non hortatur ad Eleemosynas, quia vulgus militum non abundare consueuerat, & si quid superesse videretur, ad incertissimos belli casus reseruari poterat.

Porro Ioannes veram iustitiæ viam etiam milites docuit, sicut & publicanos. Nō modo vt minus essent mali, sed vt populus perfectus Domino. Nec docuit modo: sed etiam obtinuit. Publicani enim & meretrices præcesserunt Pharisæos in regnum cœlorum. Perperam igitur de Ioanne sentiunt, qui eum milites officij non admonuisse dicunt. An ille, qui in regem tam liberi fuit, non moneret milites? Et milites ad pœnitentiam paratos, viam æternæ vitæ inquirentes? Non parua sane crimine se obstrinxisset, si sincere rogantibus, non indicasset eos damnabili in statu versari.

Ars aris est esse minus malos. Non ignoro multum illum boni agere, qui nihil facit mali. Et recte dixisse Horatium.

——————*sapientia prima est*
Stultitiâ caruisse.

Non tamen hoc in milites conuenit. Si enim militia est damnata, si omne prælium est homicidium, non oportuit de fraude, & præda eos monere, sed de cædibus. Furari præstat, quam occidere. Quod grauius est, primo cauendum est. Latronem à crudelitate abducas, deinde rapinas dissuade.

§. 3. *Iudæis permissum erat bellum*, inquit, *quia odium inimici*. Odium inimici permissum non erat, sed imperatus amor, qua de re Matth. c. 5. egi. Bellum contra hostes est permissum, non concessum odium. Odium inquam hominum; nam odisse causam possumus, & hostium scelera abominari. Hostis sine odio cædendus est. Vbi etiam in iusto bello occidisse laudis est, odisse criminis est.

Parum res Christianas nouit, qui nescit, iudicem sine odio torquere sontes, & regem legitimo caritatis ordine persequi, & perdere publicos hostes. Non enim est odium sed iustitia, occidere nocentem, ne ille occidat innocentem.

§. 4. Queritur *nunc belligerare Episcopos*: Respondeo. Iussu credo, & sententia, non manu: & si forte manu: si id vel subditorum salus, quæ alia manu defendi non potest, vel propria necessitas exigat, peccat ille, qui ad hæc sacerdotem cogit, non qui naturæ iure se inculpate defendit.

VERSVS 15.

Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus.

QVÆSTIO I.

Quæ populi sententia?

EXistimabat, & cogitabat, ne forte esset Christus. Vitæ sanctitas suadebat, sed anticipata & secularis Christi pompa opinio dubios reddebat: facile tamen soluere quæstionem potuerunt: non erat enim ex tribu Iuda, sed stirpe Aaron. Ioannes ideo se negat esse Christum, quod in aqua ipse ar Christus in Spiritu sancto baptizaturus sit, ἁγίῳ, *Sancto*, non est apud August. l. 2. de consensu Euang. Accedebat ad hanc opinionem quod baptizaret, sic enim facturum Messiam ex Ezech. 36. 25. didicerant.

§. 2. Existimandi verbum omnino hoc loco absurdum Beza iudicat, ipse vertit: [Exspectante, προσδοκῶντες. Id est, quum populus in expectatione esset, animis videlicet magnæ spei plenis in Ioannem respiciens. Sic enim posset sententia vt hanc vocem explicemus, quum præsens Ioannes adesset: ac si nostro idiomate dicas Ils attendoit à Iehan, vt optime vertit Syrus interpres per verbum סְבַר sebar, quod significat etiam sperare, idque expresso Ioannis ipsius nomine. Vulgata, Existimante, quæ significatio etsi verbo etiam illi Syriaco, vt diximus supra 2. 14. 5. vt & Græco προσδοκᾶν interdum conuenit, tamen hoc loco prorsus est absurda: etiam si Existimare, pro Apud se aliquid perpendere, accipias.] *Existimare.*

Nihil aliud hic requiro, quam probationem. Existimare enim est considerare, ne forte sit ille Christus. Minus conuenit quod ille habet. Expectare ne forte sit Christus. Ambrosius legit æstimante, imo explicat, sine vllo absurdo. *Quid autem ineptius quam quod in alio æstimatur, in seipso esse non creditur? Quem per mulierem venturum putabant per virginem venisse non credunt.* *Interpres vetus de-sensus.*

Syrus מִסְבַּר *masbar* exspectaret, existimaret, nam est intelligere, cogitare, 1. Reg. 3. 2. Reg. 12. Frequentissime putare. Hinc סְבָרָא *sebara* opinio, qua voce vtūtur, quemadmodum Latini, cum infirmam assensionem significare volunt.

Hæc in Syra Ecclesia leguntur ad vesperam Dominicæ secundæ post Epiphaniam.

VERSVS 21.

Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est cælum.

QVÆSTIO I.

Quo die baptizatus est?

§. 1. TRactauit qnæstionem Baronius in apparatu annalium, Pererius in Daniele, Tolet. in Ioannem, Soar. 72. in 3. part. disp. 26. Alij permulti ex quorum omnium disputationibus hoc certissimum est omnia incerta esse. *Incertus dies baptismi.*

Breuiarium Romanum aduentum Magorum, baptismum in eundem diem confert, antiphona ad Magnificat: quod facile defendi potest, & magnos habet auctores. *Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus: hodie stella Magos duxit ad præsepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias. Hodie in Iordane à Ioanne Christus baptizari voluit, vt saluaret nos.*

§. 2. De nuptijs admodum dubito. Nam cum id fuerit primum miraculum, oporteret à baptismo integro anno Christum nullum miraculum fecisse. Quod vix credibile est. Ratio est nisi fallor certa ex eorum sententia, qui in eundē diem miracula referūt Ioannis baptismus non nisi annum & paulo amplius durauit, vt docet Soarez de ætate Ioannis. Si igitur die sexto Ianuarij Christus baptizatus est, ab illo die sexto vsq; ad annum sequentem Ioannes baptizauit, cum Christus nec primus fuerit, nec vltimus, qui baptizatus est, sequitur Ioannem aliquanto diutius, quam per annum baptizasse. Imo vero multo diutius: Quia adhuc multo tempore post nuptias baptizauit. Nam postquā collegit discipulos Ioannis 1. 50. *Christus integro anno sine miraculo non docuit*

die

die tertia facte sunt nuptiæ, in quibus initium *signorum fecit, & manifestauit gloriam suam.* Eo signo facto, descendit Capharnaum Ioan. 2. 12. *Et non manserunt ibi multis diebus.* Inde scilicet mox ascendit Ierosolymam more consueto ad Pascha Ioan. 2. 13. Habemus ergo annum, & tres menses; ibi disputat cum Iudæis, & multi crediderunt in eum, tum & Nicodemum conuertit, & tandem Ioan. 3. 22. Venit in terram Iudæam, & illic demorabatur cum eis, erat vero ibidem Ioannes. Id discipuli Ioannis ad eum referunt, v. 26. Si igitur Ierosolymis duas hebdomadas mansit & totidem in Iudæa, dum baptizat, & plures discipulos facit, iam facile quatuor menses conficiemus, præter id tempus, quod Christi baptisma præcessit, quod tam breue esse non potuit, nam Christus venit, cum iam omnis populus baptizaretur. Itaque magna iam multitudo collecta erat, facile ergo annum & medium hinc conficiemus, quo durauit baptismus Ioannis. Deinde non intercessit annus inter baptismum & nuptias. Luc. 3. 13. & 14. 12. 21. *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est cœlum.* & c. 4. v. 14. *Et egressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuersam regionem de illo.* Hic quasi continuo tempore factum sit scribitur, licet prius miracula fecerit in Capharnaum, v. 23. *Quanta audiuimus* &c. Quomodo Lucas egressum diceret, si integer annus & aliquot menses intercesserint? sed res scripturam consideranti clara est. Nuptiæ dicuntur factæ tertia die Ioan. 21. illa dies tertia est, ex qua voluit ire in Galilæam Ioan. 1. 43. *In crastinum voluit exire in Galilæam.* &c. Quo die Philippum in Apostolum elegit, pridie autem Simonem & Andream vocarat; At vero Apostolos non collegit vno anno post baptismum, sed mox à principio prædicationis suæ, vt consentiunt omnes. Nam mox discipuli à testimonio Ioannis electi sunt Ioan. 1. Mox enim à tentatione venit, & Ioannes de eo testatus est coram legatis Pharisæorum, cum iam amplius quadraginta dies à baptismo transissent. Si vero ista contigerunt anno post Christi baptisma, quomodo Christus anno docés adhuc ignotus erat discipulis Ioannis? Quomodo Ioannes ait in medio vestrum stetit, quem vos nescitis. Quomodo vero probabile est, Christum ex deserto exeuntem, & docentem anno integro non potuisse turbas colligere? Itaque non possunt eodem die facta esse, quæ sunt in antiphona, & sane corrigenda potius esset, quam relinquenda sententia quæ visa est probabilis, sed non vera.

Nuptiæ nõ diu post baptismũ fuerunt.

Quamuis enim alterutrum contingere hoc die potuerit, non tamen vtrumque potuit, baptismus, & nuptiæ. Quod Baronius recte docet & August. serm. 27. de tempore. Maximus serm. de Epiph. Paulinus natali nono de S. Felice.

Eucharius Lugdunensis. Isid. de Eccles. off. c. 26. Aug. serm. 154. die dominico vtrumque factum, ideo non anno sequenti.

QVÆSTIO II.

Qua ætate Christus baptizatus sit?

Annus Christi baptizati incertus.

§. 1. EPiph. contra Anoetos, & Ebionæos, sic legit: Ἦν δὲ Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ὢν υἱός. *Erat autem incipiens esse quasi triginta annorum existens, filius* &c. Qua de lectione postea pluribus agendum erit. Liber apud Bezam habet hoc modo, ὑ Ἰωσὴφ, τοῦ Ἰακωβ, τοῦ Ματθὰν, τοῦ Ελεαζὰρ, τοῦ ἐλιούδ, τοῦ Ἰαχεὶμ, τοῦ Σαδὼκ, τοῦ Ελιακεὶμ, τοῦ Ἀβιουδ, τοῦ Ζοροβαβὲλ, τοῦ Σαλαθιὴλ, τοῦ Ἰεχονίε, τοῦ Ἰωακεὶμ, τοῦ ἐλιακεὶμ, τοῦ Ἰωσία, τοῦ Ἀμως, τοῦ Μανασσῆ, τοῦ ἐζεκία, τοῦ Ἄχας, τοῦ Ἰωαθὰμ, τοῦ Ὀζία, τοῦ Ἀμασίου, τοῦ Ἰωὰς, τοῦ Ὀχοζίου, τοῦ Ἰωσαφὰτ, τοῦ Ἀσὰ, τοῦ Ἀβία, τοῦ Ροβοὰμ, τοῦ Σαλομὼν.

Beza fieri potuisse putat, vt Genealogia sit à Iudæis corrupta, cui omnes contradicunt.

Syrus omittit vocem ἀρχόμενος, sic vero habet: *Ipse vero Iesus erat quasi filius annorum triginta.* Ex Euangelio certi nihil colligi potest. Verba enim ista, *Erat Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*, possunt habere sensus diuersos. Primus, *Iesus erat quasi triginta annorum incipiens prædicationem.* Hoc modo potuit vel esse viginti nouem, vt vox *quasi* detrahat numero, vel ingressus tricesimum, vt dicatur *quasi triginta*, quia inchoauit, non absoluit: vel ingressus tricesimum primum, vt vox quasi addat & augeat. Si enim quispiam quempiam esse quasi triginta annorum: vel fere attigisse, vel plane attigisse, vel etiam supergressum esse significat. Hic igitur sensus tribus modis proprie exponi potest.

Alter sensus est, vt dicatur fuisse *quasi incipientem triginta annorum*, hoc est incipientem triginta annos. Nam ἀρχόμενος apud Græcos genitiuum habet, ἀρχεῖν τῆς μαχης, *inchoare prælium.* Incipere autem quasi triginta annos potuit, si viginti nouem erat, vel ingressus tricesimum. Hisce ex interpretationibus res sententiæ patrum sunt ortæ. Epiph. hæresiũ 51. ait, ũ fuisse viginti nouem annorum, & decem mensium, ita & Iansenius hoc loco. Tertullian. l. contra Iud. Africanus apud Hier. in Danielem c. 9. Lact. l. 4. c. 10. Perer. l. 11. q. 6. in Daniel. alij Christum baptizatum initio anni tricesimi. Sic Abulensis, Hieron. noster, Dorotheus, Arez. dicere malunt.

Chrysost. hom. 10. in Matth. Euthymius, Beda de ratione temporis c. 45. Bern. sermone 1. de Epiph. Baptizatum anno tricesimo primo inchoato. Eũ sequitur Baronius in apparatu numero 108. Eius fundamentum est ex S. Ignatij ad Trallianos epistola, vbi hæc verba leguntur. καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσαμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου. Quod ol maliter versum fuit, quam recenter in Biblioth. PP. Baronius. *Mirati sumus vehementer locum illum Ignatij epistolæ ad Trallianos ab omnibus, qui eam quæstionem fusius disputarunt, minus translatione esse citatum, atque in eum sensum allegatum, vt ipse affirmarit, Domino trigesimo suæ ætatis anno (vt habet vetus ac perperam facta ex Græco in Latinum versio) esse baptizatum: sed recens versio eademque germana ac sincera sic habet. Et expletis tribus annorum decadibus vere baptizatus est à Ioanne. Græce autem sic: καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου.* Aduersus igitur tam potens apertumque de ætate Christi Ignatij testimonium, nemo vel mutire, nedum refragari iure debet; cum præsertim S. Ecclesia istud ipsum professa videatur in antiquo Rituali, quod *Ordinem Romanum* appellant, *vbi cum agitur de Epiphania, hæc verba describta habentur: Solemnitas hæc Græcis Θεοφάνια, siue ἐπιφάνια nuncupatur, Latinè autem apparitio, siue ostensio, vel manifestatio interpretatur. Expleto namque Christus quasi triginta annorum curriculis venit in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.*

Mihi tamen non omnino illa versio germana videtur. Nam primo particula *Vere* non est in Græco, nec sensui necessaria, quis enim neget vere baptizatũ esse. Deinde πολιτεύεσθαι est officio, magistratu, fungi, rempublicam administrare, conuersari, agere ciuile, legibus, & more Reipublicæ viuere, ita apud Thucydidẽ l. 3. κατὰ τὰ τῶν πέντων βοιωτῶν πάτρια πολιτεύειν. *Secundum Bœotorum patria instituta viuere.* Sic Aristot. Pogadit. 3. Verti igitur ad verbum debuit. Cum tres decadas annorum vixisset. Quod recte intelligere factum possumus, etsi nondum penitus tertiam decadem expleuit. Non enim est in Ignatio verbum

Explendi

explendi, quo vnico Baronius nititur. Et si esset, posset tamen aliter exponi, vt illa verba Luc. 2. Postquam consummati sunt dies octo, vt circumciderentur, hoc est, dum consummantur, vltimo die: nam octauo die, non nono circumcisus est. Sed tueor Ignatij, non interpretis verba. Pueri olim ex doctiss. Iacobi Gretseri Grammaticâ didicerunt, Aoristos non præteritam modo sed futuram & præsentem significationem habere. Vt vero ex scriptura exemplum detur Genes. 23. ἦλθε Ἀβραὰμ κοψάσθαι Σαρραν καὶ πενθῆσαι. Iuit Abraham vt lugeret Saram, verti igitur potest, καὶ τρεῖς δεκάδες πολιτευόμενος, cum tres decades annorum ageret, si πολιτευσάμενος pro præsenti, quod præterito cónectatur, accipiatur.

Vrunturs ane Genes. 5. Aoristo ἔζησε interpretes septuaginta, nec tamen dubito, quin aliqui eorum nondum plene absoluerint eos annos. Plurima sunt exempla, quibus Aoristi participiorum iuncti verbo, significant connecti omnia, non præcessisse, ita Gen. 23. ἀπεκρίθη δὲ Ἐφρὼν ὁ Χετταῖος πρὸς Ἀβραὰμ εἶπεν. Respondens autem Ephron Chetæus ad Abraham dixit: Vbi non recte vertes, *postquam respondisset, dixit, aut explerâ responsione dixit.* Sed potius, *respondendo dixit.* Ita & hic πολιτευσάμενος ἐβασίλευσεν, *dum tres decades ageret, baptizatus est.* Ignatij igitur testimonium sententiam illam non fulcit: nec causa sufficiens est vt à communi recedatur.

Nec firmi aliquid nobis sæcularis historia præbet. Caius vel hoc certissimum est indicium, quod Onuphrius, Baronius, Deckerius, alij; non modo dissentiunt, sed etiam facile aliorum opiniones destruunt, suas non nisi coniecturis probare possunt.

§. 2. Quamuis enim de integris annis iudicium fieri queat facilius, de mensibus tamen, & partibus annis statuere difficile est. Nam de Augusti annis non omnino certum est, & à quo tempore Tiberij sint numerati controuersum est, statim ille quidem imperium arripuit, sed diu recusauit, vt simulatione ciuilitatis & modestiæ animos exploraret. Deinde quo mense Tiberij sit baptizatus, etiam controuersum est,

§. 3. Græcus textus communem sententiam mihi satis confirmare videtur. Sic habet: καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὢν. Si dixisset, tantum ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα quasi annorum triginta, omissis verbis, ἀρχόμενος ὢν, incipiens, existens. Non esset dubia significatio, eum vel fere esse triginta annorum, vel agere tricesimum annum. Si enim absolusset annũ tricesimum, absolutè dixisset fuisse triginta annorum: nec enim dubitabat de Christi ætate: nunc numerum rotundum posuit, siue fere ad annum illum peruenerit, siue inchoauerit.

Verum cum addiderit ἀρχόμενος ὢν, incipiens, existens, vtrumq; referendum est ad superiora, videlicet annos, vel prædicationem, non autem post ἀρχόμενος ferendum comma, vt ὢν referatur ad sequentia, vt sensus sit: ὢν ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ, non enim erat Filius Ioseph: Deinde noster ἀρχόμενος retraxit ad superiora, ὢν omisit; dicit enim, Incipiens quasi annorum triginta. Coactum autem videtur vt Incipiens referatur ad initium prædicationis, cum Genealogiam scribat, & c. 4. ordiatur de Euangelij prædicatione narrationem. Incipere autem quasi trigesimum annum non dicitur qui finiuit: dixisset enim Euangelista ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα τελεσάμενος. Nam quod sic interpretantur, erat incipiens quasi triginta annorum. Id est, incipiebat esse annorum triginta & vnius, ita vt iam inciperet esse annorũ triginta absolutorum, contortum est: etsi enim sic loqui possimus, & intelligi, non tamen ita loquuntur homines, sed dicunt absoluisse triginta annos, aut ingressos tricesimum primũ. Sic ergo Græca interpretor, ἀρχόμενος ἐτῶν τριάκοντα, quasi si latine diceremus, *incipiens* annos triginta. Quod autem ait ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα, non est dubium Græco more & dialecto ὤν poni pro εἶναι, ἀρχόμενος εἶναι. Incipiens esse annorum triginta. Quod si quis sic eludat, incipiens esse triginta absolutorum, & ingredi trigesimum primum, non poterit quidem verbis illis refelli, sed cum nec vulgus, nec auctores ita loquuntur, nouâ loquendi formâ ab Euangelistâ se deceptum fateri debet, dum aliter loquitur, quam solet intelligi. Syrus omisit ἀρχόμενος ὢν, fuisse ait אירׄ בר שבין תלתין *aich bar scheuin thelathin*, quasi filium annorum triginta. Vbi non addidisset quasi, si iam absoluisset.

Sensus vsitatus tenendus est.

§. 4. Contra Marcionitas hoc ex loco humana Christi natura probatur. Ex Adam enim natum esse Lucas docet. Porro friuolum est, quod illi obijciebant. Debuisse ex Adamo & Eua ante omnes alios nasci, vt esset primogenitus. Sed constat primogenitum esse non ætate, sed dignitate, & in omnes fratres dominio. Ijdem obijciunt. Fore Christum ex generatione impurum, si ex damnatâ massâ nascatur. Verum excipit eum Apostolus 1 Cor. 15. 47. Quia secundus Adam est de cœlo, cœlestis.

Christus primogenitus dignitate.

Caluinus l. 2. instit. c. 13. §. 4. Ambigue respondet. *Neq; enim immunem ab omni labe facimus Christum, quia tantum ex matre sit genitus absq; viri concubitu, sed quia sanctificatus est à Spiritu, vt pura esset generatio & integra, qualis futura erat ante Adæ lapsum.* Alio enim modo respondendum est. Ideo immunem fuisse, quia sine concubitu generatus est; ideo quia B. Virgo iam sanctificata fuit: non tantum, quia Christus in generatione sanctificatus est. Sanguis enim immaculatæ Virginis ex quo corpus Christi Spiritus sanctus formauit, nunquam sub peccato fuit.

Christus ab omni immunditie immunis.

QVÆSTIO III.

An sit annus tricesimus ad baptismum expectandus?

§. 1. Anabaptistæ pueriliter argutantur, Christum non nisi adultum esse baptizatum, non igitur infantibus posse baptismum conferri. Seruetus ætatem illam multis modis vrget. Nec tamen contra Lutheranos, & Caluinianos nullam vim habet, Catholici facile respondent. Idcirco autem illos argumentum premit, quoniam falso docent, Ioannem instituisse baptisma noui testamenti, idemque esse cum baptismo Christi. Deinde quoniam in Eucharistia similes ritus, vt vtramq; speciem, fractionem, concionem adurgent, nec circumstantiam aliquam deesse sinunt. Ieiurgunt igitur Seruetiani, & ætatis circumstantiã pertinacissime exposcunt. Quibus facile occurrimus. Etenim si verba minutim exigimus, anno trigesimo baptismus collatus, duntaxat validus erit. Quis autem credit in tanta multitudine concurrentium, baptizatos solos esse qui annum tricesimum agerent. Deinde non erat ille baptismus Christi, sed Ioannis, & baptizabantur in pœnitentiam, quod paruulis non conuenit. Christus à baptismo prædicationem inchoare voluit, & Ioannis baptisma approbare. Cum enim Ioannes Christo testimonũ daret, oportuit eum quoq; à Christo firmari. Cum ergo Ioannes opinione sanctitatis & verâ virtute Christo testimonium daret, Christus vt diuina maiestate, & miraculis Ioannis testimonium ratum faceret, annus ille electus est, non ad certam temporis legem, sed Euangelij constitutam prædicationem.

Anabaptistarum error.

CAPVT IV.

IESVS autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane, & agebatur à spiritu in deserto 2. diebus quadraginta, & tentabatur à Diabolo. Et nihil manducauit in diebus illis: & consummatis illis esurijt. 3. Dixit autem illi Diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic, vt panis fiat. 4. Et respondit ad illum Iesus: Scriptum est: Quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. 5 Et duxit illum Diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis. 6. & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt: & cui volo do illa. 7. Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia. 8. Et respondens Iesus, dixit illi: Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. 9. Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum. 10. Scriptum est enim, quod Angelis suis mandauit de te, vt conseruent te. 11. & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 12 Et respondens Iesus, ait illi; Dictum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. 13. Et consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo, vsq; ad tempus 14. Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exijt per vniuersam regionem de illo. 15. Et ipse docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. 16. Et venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere. 17. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi scriptum erat: 18. Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, 19 prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. 20. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. 21. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. 22. Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph? 23. Et ait illis: Vtiq; dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura te ipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum fac & hic in patria tua. 24. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua, 25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex: cum facta esset fames magna in omni terra: 26. & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidonia, ad mulierem viduam. 27. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. 28. Et repleti sunt omnes in Synagoga irâ, hæc audientes. 29. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsq; ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata vt præcipitarent eum. 30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. 31. Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis. 32. Et stupebant in doctrina eius. quia in potestate erat sermo ipsius. 33. Et in Synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna. 34. dicens: Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te, quis sis, Sanctus Dei. 35. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce te, & exi ab eo. Et cum proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilq; illum nocuit. 36. Et factus est pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt? 37. Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. 38. Surgens autem Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. 39. Et stans super illam, imperauit febri: & dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis. 40. Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. 41. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant, ipsum esse Christum. 42. Facta autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vsq; ad ipsum: & detinebant illum, ne discederet ab eis. 43. Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. 44. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ,

IN CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM.

INtentionem in deserto, & Christi victoriam Matthæi 4. explicatam, reditum in Galilæam, & prædicationem, adeoq; disputationem Nazarethæ institutam, de quâ Matth. 13. cum vero in errore pertinaces mortem illi intentarent educto in supercilium montis, ipse per medium eorum ibat, & descendit Capharnaum, dæmonia eiicit, increpat eos, qui eum Christum esse clamabant. Socrum Simonis sanat, multosq; alios. Pleraq; in Matthæo exposita sunt. Pauca hic singularia supersunt, quæ illustranda sunt.

A n. 14. ad 31. in Syro ponitur Titulus: Circumcisio Domini nostri. Inde ad finem capitis, ad vesperas feria sexta Hebdomadis sextæ ieiunii.

VERSVS 1.

Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur à spiritu in desertum.

QVÆSTIO I.

Quo modo ductus à Spiritu sancto?

§. 1. AThanasius in Dial. 3. Ex hoc loco filium à Spiritu sancto excitatum docet quemadmodum repletus, & actus dicitur. *Macedonianus.* An vero tu mihi ostenderis Christum excitatum

fuisse

fuisse à Spiritu sancto? *Ortho.* Non dico ipsum Christum à Spiritu tanquam potentiore fuisse excitatum, sed quod templum corporis excitauerit pater, filius & Spiritus sanctus. *Mac.* Id autem quomodo mihi persuaseris? an auxilio egebat filius, à quo templum ipsius excitaretur? *Ortho.* Enim vero num quod auxilio egeret, impletus est ipso Spiritu? *Mac.* Vbi scriptum est impletum fuisse Spiritu? *Orth.* Lege Euangelium secundum Lucam vt audias, Iesus igitur plenus Spiritu sancto, reuersus est in desertum.

Imo quod mirum est & inexspectatum, scriptum est non modo impletum, sed etiam abductum fuisse à Spiritu. Ceterum sicut impletus, & abductus, ita etiam resurrexit. Et vt notis nihil obstare quominus Patre ipsum excitante, Spiritus etiam eum excitarit, audi, Patre etiam in ipso manente (sicut in Euangelijs dicit ipse filius, Pater in me manens is est qui edit hæc opera) manere etiam in eo Spiritum. Descendit enim Spiritus corporeâ specie quasi columba, & mansit supereum. Sicut ergo nihil vetat quin manente Patre, maneat etiam Spiritus: ita nihil prohibet quominus Patre ipsum excitante, Spiritus quoq; excitarit.

QVÆSTIO II.

Quæ notanda in hisce verbis?

§. 1. HIstoria in Matthæo exposita est: Quædam tamen peculiaria hic occurrunt, quæ obseruari operæ pretium fuerit.

Primo cum ait: *Agebatur in Spiritu*, de eodem Spiritu intelligendum est. Nam vsitatum est Hebræis pronominis loco ponere nomen. Cauendum ne intelligatur, quasi per spiritum, aut visionem in deserto fuisse dicatur.

Secundo Quadraginta dies referendi sunt ad verbum *agebatur*, non ad tentationem. ita Euseb. l. 3. de demonst. Euang. cap. 2. & in Matthæo ostendi. Beza tentante eum Diabolo, mutata loquutione sine necessitate.

Tertio. Minutum est, quod Beza reprehendit, *Respondere ad aliquem*; Nam vt ipse fatetur, Plinius ita locutus est, *forte fenuel*, inquit. Excusat interpretem Lucas, cum dicit καὶ ἀπεκείθη ἰησοῦς πρὸς αὐτὸν, *& respondens Iesus ad ipsum.* Græcam vero constructionem in vsu Lucæ reperiri fatetur, & hic & cap. 6. 3. & 4. 5. & Act. 25. 16. Cum ergo Lucas Hebraismum expresserit, nullo Græci auctoris exemplo locutus, cur non in latinâ faceret interpres noster Plinij auctoritate nixus? Quamuis quid vetat multa talia esse & dicta, & scripta, quæ nostras obseruationes fugiunt? Equidem nec consectari talia magnopere, nec contemnere soleo, memini sanè Genes. 25. me legere: ἀπεκείθησαν αὐτοὶ καὶ πρὸς ἀβραὰμ λέγοντες, *Respondebant filij Chet ad Abraham dicentes*, vti hoc loco, ἀπεκείθη δὲ ἰησοῦς πρὸς αὐτὸν λέγων, quod ideo moneo ne confidenter negemus recte dictum, quod nouum videtur: Ego septuaginta interpretes Græcæ apprimè fuisse gnaros non dubito. Et res ipsa declarat.

Quarto. Satanas, τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν, potestatem hanc vniuersam se daturum promittit, accipit autem pro ipso imperio, seu Monarchiâ, noster pro ταύτην legit αὐτὰ, ipsa.

Quinto. Adorauerit me, Græcè ἐνώπιόν μου, *coram me.* Pro πάντα alij legunt πάσου, idem sensus est, in Græca facilis mutatio fieri potuit, ex πάντα in πᾶσαν.

Sexto. Recede à me Satana: in vetustis codicibus non legitur, & de Matthæo translata sunt, sed male, Ambros. non habet.

Septimo. Spiritus dæmonis impuri, πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου Spiritum dæmonij immundi. Psal. 40. 3. אַרְמֹת עִבֶּר terra pulueris, pro eo quod dici poterat Spiritus qui est dæmon impurus.

VERSVS 16.

Et venit Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in Synagogam & cœpit legere.

QVÆSTIO I.

Quæ consuetudo Sabbati docendi in Synagogis?

§. 1. MOsem legi solitum per omne Sabbatum constat, & Paulum per Sabbata in Synagogis disputasse. Erat enim institutum à Deo Sabbatum, non modo ad corporum quietem, ne perpetuo labore, & Domini, & seruitia atterererentur, verum primario ad animorum cultum, vt occasio esset legis diuinæ meditandæ. Hoc enim præcipuè dici illius sanctitas requirit. Diuinis enim studijs tempus quod sibi Deus destinauit, est transigendum. Delicatum sabbatum Isaias cap. 58. postulat, vt laborum molestiæ, & curarum strepitus conquiescant, atque ita in altum animi euehantur, Originem suam reperant, & quo vocantur à Deo ad cœlestem quietem aspirare discant. Et sanè ipsa quies, ab operibus, non modo quia lucri contemptum habet: sed etiam mentem ad diuina præparat, Dei cultus est. Anima vero Sabbati est, audire Deum, loqui Deo. Sancta hæc Iudæorum consuetudo erat, Marci 1. 21. 23. 24. 39. *Sabbato Dei legem meditabantur, audiebant.*

§. 2. Poterat forte etiam rectè intelligi de consuetudine Christi, qui puer, adolescens, vir, Synagogam adibat, auditurus, oraturus, postea vero etiam docturus. Verum vtramque consuetudinem intelligere nihil impedit, imo necesse est: Nam pia erat illa Iudæorum consuetudo, quam suo exemplo ille firmabat, & audiendo velut priuatus, & docendo tanquam magister. Quod ait *die Sabbatorum*, in Græco est, non tamen ita Latinus habet; sed Græcè Enallage numerorum est, pro *die Sabbati*, vt habet noster, & est Matth. 12. 1. & Mar. 6. 2. Ideo nostrum interpretem Beza contra Erasmum tuetur. *Christus Sabbato adire Synagogam solitus.*

§. 3. Quod amore patriæ eum omnium primum Nazarethæ docuisse putat Theophylactus, ex v. 23. refellitur: iam enim alibi miracula fecerat. & Matthæi 4. 12.

§. 4. Interim quod in terra Sabbatum agitur, eius quo tendimus patriæ pacatissimæ Symbolum est. Cyrillus in Ioan. l. 4. c. 51. *Dicimus non solum terrore ac minis ad colendum verum Deum Hebræos impelli, verum etiam premijs inflammari. Quæ quidem præmia in figura illis tradidit: vmbram enim futurorum bonorum lex continet, vt scribitur, exercitationes autem quædam veritatis quamuis tenuiter propter vmbras in eâ inueniuntur: cessare namq; ab omni opere, septimo, id est, vltimo die iubet: futuram sanctorum requiem hoc significans, quanto laboribus huius vitæ liberati, sudore corporum deterso, beatam cum Christo (vt à quodam Propheta dicitur) & iucundissimam vitam agent.* *Sabbatum vitæ cœlestis Symbolum.*

§. 5. Philo huius diei etiam rationem præsenti historiæ conuenientem reddit, de decem præceptis. Ἔπειτ' αὖ περὶ ἑβδόμης ἐγκωμιαστικὸς λόγος, ἐν ᾧ ἑξαήμερον αὐταρκέστατον, ἐν ᾧ τὸν κόσμον εἰδημιούργηται. θεωρήματα καὶ δεῖν φιλοσοφεῖν, ἡ ἑβδόμη καθ' ἣν ἀπραξίαν λέγεται, ἐπὶ ἐργάσασθαι, ὅπως καὶ αὐτὸς *Laborū & quietis diuisio.*

αὐτὸς ὅλη θεωρῆς τὸ φύσεως καὶ τὰ ἴδια, ἕως συνδείνει προσδοδαιμονίαν. τύπον ἂν ἐρχέτυπον τῶν ἀρίστων βίων, παράδειγμα τε καὶ θεωρητικὸν, μὴ παρέλθωμεν. *Id est*, Sequere Deum semper, paradeigma legis sit operum tibi vnum sufficientissimum sex dierum spacium, in quo mundum Deus est architectatus. Exemplum est oportere Philosophari hebdomas in qua inspicere dicitur, quæ operatus est, vt & ipse inspicias naturalia, & propria quæ tendunt ad felicitatem. Tale igitur archetypon optimæ vitæ, practicæ, & contemplatiuæ ne prætereamus.

Et Iustinus ad orthodoxos: πρὸς τὸν ὁμώμιν τῆς φύσεως, τῶν ἔργων τῆς φύσεως ἡ ἀκαταπαύστως γίνεται, καὶ ὁ πρὸς τὸν χρονικὸν ἀποδεσμὸν ἑβδομάδι μέσων, ἢ ἐνιαυτῶν ἀφιερωμένων αἰδεσιμώτερον ἢ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ ὁ ἑπτὰ ἀριθμὸς πρὸ ἄλλων λοιπῶν ἀριθμῶν, ὅτι ἐν αὐτῷ ὁ πᾶς χρόνος τῆς τε τοῦ κόσμου ποιήσεως, καὶ τῆς τοῦ πεπαυκότος αὐτὸν καταπαύσεως. Ἕξας μὲν τῆς ποιήσεως, μόνας δὲ τῆς καταπαύσεως. ἵνα ἐν φυλαχθῇ ἡμῖν ἡ μνήμη τῆς τοῦ κόσμου ποιήσεως ἐν τοῖς ἀνθρώποις, διὰ τοῦτο τιμιώτερον τῶν ἄλλων ἀριθμὸν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ. *Id est*, Pro viribus naturæ, operum naturæ perfectio est. Non autem pro definita mensium, aut annorum temporalem constitutionem in hebdomade. Venerabilior vero est in diuina scriptura septenarius numerus præ cæteris numeris quia in eo omne tempus creationis mundi, & creatoris quies continetur, vt igitur memoria conditi mundi in hominibus conseruetur, ideo honoratiorem alijs numeris inueniri in diuina scriptura ordinauit.

Septenarius numerus omnia continet.

§. 6. Iudæorum quidem festum erat Sabbatum, à Christianis tamen olim etiam seruatum, atque in eo conuentus habiti. Auctor Clemens constit. Apost. l. 7. c. 24. *Sabbatum & Dominicum diem festum agimus: quoniam illud naturæ condita est monumentum, hic resurrectionis. Vnum autem Sabbatum seruandum est, nobis toto anno, in quo ieiunare oportet, non festum agere.* Similia Gregor. Nyssen. contra eos, qui ægre ferunt reprehensiones Anastas. Nicenus l. quæstionum, q. 77. Socrates 6. cap. 8. Ita in Asiâ factum: sed Sabbatum non coluit Romana Ecclesia, imo ieiunium eo die saruare solita est. Vtrunque diuersas ob causas factum est. Est enim obseruatio Sabbati cærimonialis. Ideo retineri vel omitti potest. Et hoc vel illud ex circumstantijs faciendum suadeat recta ratio.

Christiani olim Sabbatum colebant.

Sabbatum non coluerunt Christiani initio, in libertatem restituti, abdicatis cærimonijs, neque nunc sine scelere obseruari potest, qui Iudaismi professionem reducit.

At cum Simoniani, Menander, Saturninus, alijque Ecclesiam grauius affligerent, Deumque mundi & legis auctorem malum esse blasphemarent, atque in eius contemptum die Sabbato ieiunarent, obstitit illis Ecclesia illis in partibus vbi venena sparserant. Hinc Ignatius Epist. 8. *Si quis Dominicam diem, aut Sabbatum vno excepto ieiunarit, hic Christi interfector est.* Hæc itaque blasphemia cum grauior esset cærimoniâ Iudæorum, contrario se modo orthodoxi ad resistendum composuêre. Causam illam ieiunij eos habuisse auctor est Epiphan hæres. 4 1. & 24. *Sabbatum vero ieiunant ob hanc causam: Quoniam Dei, inquiunt, Iudæorum est requies, qui mundum fecit, & in die septima quieuit*; nos ieiunamus hanc, vt ne officium Dei Iudæorum faciamus.

Hæretici cur Sabbato ieiunarent.

QVÆSTIO II.

Quæ legendi consuetudo?

§. 1. Reuoluit librum ἀναπτύξας, manuit Erasmus, explicito libro, quia mox vertit, *cum plicuisset*. Verum si quis vetera volumina consideret, magis fortasse reuoluendi verbum probabit. Liberantem tradebatur; nam legere enim, pars magna eruditionis erat, cum lingua Hebræa vetus vernacula esse desijsset, & sine punctis scriberentur omnia; vt legisse, fuerit eruditionem probasse.

Legendi ritus apud Ebræos.

§. 2. In Synagogâ viris graubus liberum erat de rebus spiritualibus dicere, Actor. 13. 15. 1. Corinth. 14. 30. Paulus eo iure vsus Christum per Synagogas prædicat, Actor. 9. 20. & 14. 1. & 17. 2. 17. & 18. 4. & 19. 8. Non tamen id cuique permissum, nec de quacunque re existimo, plurima enim exiderint incommoda potuerunt, & hæresibus, odijque ostium aperiri. Notis vero & grauibus viris id permittebatur; Christo igitur in Synagogam ingresso de more conueniunt, surgit ille paratus ad legendum, & silentium postulans. Scripturam stans legit, quia ita moris erat, vt Dei verbum honoraretur, & vt melius ab omnibus exaudiretur.

Ecclesiæ status.

§. 3. Erant vero libri legis in singula volumina distincti. Isaiæ liberdatus est, diuina prouidentia; ille enim præcipuè & clarissimè de Messiâ propheravit. Adeo vt Euangelista vocari soleat. Cur autem ei minister dederit, an quia difficili scripturæ eius doctrinam explorare volebant; an quia se Christum dicebat, de quo Isaias vaticinatur, incertum. Christus autem reuoluit librum vsque ad capit. 61. Quod mirum videri debuit eis, qui eum non didicisse literas nouerant. Non enim legebat tantum, sed quo vnumquodque loco inueniretur, cognouit. Tanquam eruditus itaque ad lectionem admissus est.

Isaiæ liber quando scriptus.

Reuoluit igitur librum, consuetudo tumeræ, vt circa cylindrum vel cortices arborum, vel membranæ, & denique Papyrus conuoluere, vtrinque vero duæ columellæ erant, circa quas conuoluebantur chartæ, sæpe & ebore, & cedro. Eum ritum Iudæos seruare in Synagogis ait noster, Prados cap. 1. vers. 9. Ezechielis. Sic & Iunenalis sui temporis morem describit. Satyr. 1.

Aut summi plena iam margine libri,
Scriptus & à tergo nec dum finitus Orestes.

Marginem vocat extremum libri, à tergo scriptum dicit, vt ostendat magnam fuisse tragœdiam: Græci ὀπισθόγραφα appellant. Si non interiore modò parte, sed etiam exteriore scriberentur. Vsus autem erat eorum, qui vnâ parte scripta essent volumina, si abijcerentur, vt in aduersa pagina pueri se scribendo exercerent. Ita Martialis indicat

Ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit.
Inuersa pueris arunde charta.

Vide Lips. l. 1. de bibl. cap. 1.

QVÆSTIO III.

An melior tum fuerit in Ecclesiâ legenda scriptura ratio, quam modo?

§. 1. Caluinus affectu eductus eorum consuetudinem, statumque Christianæ Ecclesiæ anstitutis præfert. [Simul etiam videmus, *inquit*, quam degenerassent Iudæi, in rebus tamen confusis, & miserè corrupto Ecclesiæ statu hoc fuisse boni residuum, quod scripturam legebant coram populo, vt inde sumerent docendi & exhortandi materiam. Vnde etiam apparet, quæ fuerit genuina & legitima

» colendi Sabbathi ratio: neque enim ideò populum » suum ferias agere iussit Deus quasi simpliciter eius o- » tio delectaretur: sed potius vt in operum suorum me- » ditatione illum exerceret. Porrò quoniam in consi- » derandis Dei operibus cæcutiunt hominum mentes, » scripturæ regulâ dirigi necesse est. Quanquam autem » inter legis vmbras Sabbathum numerat Paulus: hac » tamen in parte communis nobis est feriandi ratio » cum Iudæis, vt populus ad audiendum verbum, ad » publicas preces, & reliqua pietatis exercitia conueni- » at. In quem vsum Iudaico Sabbatho successit dies » Dominicus. Iam si temporum fiat comparatio, faci- » lè vel expræsenti loco constabit, fœdiores hodie & » magis deformes esse Papalis hierarchiæ corruptelas, » quâ apud Iudæos sub Anna & Caipha fuerint. Nam » scripturæ lectio, quæ tunc vigebat, non modo sub Pa- » pa obsoleuit, sed ferro & igni à templis arcetur: nisi » quod lingua incognita, quod visum est, in ludibrium » cantillant.]

Respondere non modo facile est, sed etiam conuincere Ecclesiasticæ Hierarchiæ integritatem. Primo enim non modo die solis sed crebrius in Hebdomade scripturam legimus, & docendi inde, hortandique materiam sumimus. Deinde in Ecclesijs collegiatis, singulis diebus scriptura legitur caniturque. Tertio non modo scriptura, sed interpretationes etiam sanctorum patrum selectæ prælegunturs. Quarto Concilium Tridentinum putidam calumniam iam olim elisit, Sess. 6. cap. 1. Vbi scripturam ab Archiepiscopis, Episcopis, vel idoneis substituris exponi iubet. In alijs etiam Ecclesijs id fieri imperat, idem viget in Monasterijs, & conuentibus religiosorum. De Gymnasijs vero statuit hunc in modum. *In Gymnasijs etiam publicis, vbi tam honorifica & ceterorum omnium maximè necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum Principum ac rerumpublicarum pietate & charitate ad Catholicæ fidei defensionem & incrementum, simul & doctrinæ conseruationem & propagationem, institua-* tur: & vbi instituta foret, & negligeretur, restituatur.

Ne sub specie pietatis impietas diffundatur, statuit eadem sancta Synodus, neminem ad huiusmodi lectionis officium tam publicè, quam priuatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo laudè vitâ, moribus, & scientiâ examinatus & approbatus non fuerit: quod tamen de lectoribus in claustris monachorum intelligatur.

Docentes vero ipsam sacram scripturam, dum publicè in scholis docuerint, & scolares qui ipsis scholis student, priuilegijs omnibus & perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum suorum in absentia, à iure communi concessa, plenè gaudeant & fruantur.

§. 2. Eadem fuit veteris Ecclesiæ consuetudo. Ex his facile apparet, Ecclesiam, non agere vt scripturæ lectio è medio tollatur, sed vt in Ecclesiâ, monasterijs, Gymnasijs quam maximè floreat. Quod eam impetrasse experientia, & tot doctorum professorumq; labores, & monumenta testantur.

§. 3. At queritur scripturas aliena linguâ in Ecclesiâ cantari. Verum est, sed tamen leguntur etiam vernaculâ, & exponuntur: legendæ dantur, qui cum fructu legere possunt: nec tam lectio, quam lectionis iudicium à rudi, & temerario populo prohibetur. Quod si tamen Christi exemplo potius acquiescere, quam litigare libeat, rem confectam habebimus. Christus in Synagogâ publicè legit Isaiam. Non linguâ vulgari, sed veteri Hebræâ, quæ tum vulgaris non erat; Præpostere igitur faciunt, qui ex Christi facto contrarium euincere contendunt. Isaias veteri Hebræâ scripsit, eamque scripturam Christus legit, vt omnes consentiunt. Ex quo concludo apud Iudæos quorum plerique linguæ Hebrææ ignari erant, fuisse textum Hebraicè lectum, qui tamen non intellige-

retur: Hanc consuetudinem à Christo approbatam. Ideoque vitio verti Catholicis non oportere. Res perspicua est, nec quicquam obijci potest, nisi vel à proteruo, vel imperito. Proteruia in Caluino fuit: qui ideo nobis latinæ linguæ interdicit, quia vernacula non sit, eo quod Iudæi, & Christus vsi sint vernaculâ. *Isaias vulgo non intellectus.*

Imperitiam Hunnius ostentat, cum ait Hebræam veterem non planè fuisse ignotam. Fuit enim ignota à captiuitate redeuntibus, deinde in Syriacam facta mutatione, non vt Hebræa nulla verba intelligerent, sed vt sensum non nisi paucis locis perciperent. *Syri Hebræam integre non intelligebant.*

Nihil autem periculosius est, quam eos scripturam legere, qui eam partim intelligunt, partim vero minimè, ex affinitate enim verborum facile in falsam interpretationem impingunt. Hoc quotidie videmus in illis qui ex latinâ linguâ, de sensu Italicarum, Gallicarum, Hispanicarum, Germanicarum conscriptionum iudicant. Quædam vtcunque, alia male percipiunt, de quibusdam ne suspicari quidem possunt. Præcipuè erratur in omnium linguarum particulis, aduerbijs, præpositionibus, coniunctionibus *Hebræa gnarus non plane Chaldæam ignorat*, inquit, Hunnius contra Bellarm. l. 2. c. 16. *Facile errat, qui de vna lingua ex alia conijciat.*

Verba quædam non ignorare credo, intelligere, vt ex eâ fidem suam firmare, & cognoscere mysteria possit, nego. Et mecum Hieronym. in Daniel. præfat. *Verum adhortante me quodam*, ait, *Hebræo, & illud mihi crebrius sua in lingua ingerente, Labor im robus omnia vincit: &c. qui mihi videbar sciolus, inter Hebræos, cepi rursus esse discipulus Chaldaicus. Et, vt verum fatear, vsq; ad præsentem diem magis possum se. monem Chaldaicum legere, & intelligere quam sonare.* *Hebræus Chaldæam non satis intelligit.*

§. 4. Verum de Chaldæâ nunc minime laboro, de Syriacâ enim quæstio, hanc Iudæam qui Hebræam sciebant, non intelligebant, 4. Reg. 18. Rogabant Rapsacen legari regis Iudæ, ne Iudaicè loqueretur, sed Syriacè. *Precamur vt loquaris nobis seruis tuis Syriacè: siquidem intelligimus hanc linguam: & non loquaris nobis Iudaicè audiente populo, qui est super murum.*

Hic ostendit populum non intellexisse Syriacè, Eliacim autem, & Sobnam intellexisse, non igitur qui vnam intelligit, etiam alteram intelligit. Nam Syriaca, quâ Iudæi post Babylonicam captiuitatem vsi sunt, à Chaldæis, Persis, Latinis, Græcis multa mutuata est. *Quadere*, inquit Guido Fabricius Epistol. ad Ariam Montanum, *factum est, vt Aramæa, qua vsi fuerant Daniel & Ezras, illæq; duo Paraphrastæ, purior quidem & sanctæ Hebræorum linguæ proprior ac vicinior remanserit, Ierosolymitana verò longè ditior & copiosior euaserit.* *Syria posterior magis ab Hebræa recessit.*

Longius igitur Syrochaldæa à vetere Hebræâ recessit, ideo hanc solam vsurpantes, non possunt Hebræam intelligere. Quod ego ex his versibus Isaiæ facile ostendo.

Hebræus hoc loco & Syrus collati ostendunt diuersitatem, quæ tamen alijs locis est multo maior. *Exemplum diuersitatis linguarum.*

Hebræus רוח *ruach* Spititus,
Syrus רוחה *ruchech.*

Heb. אדני יהוה *adonai iehoua* Domini Dei,
Syr. דמריא *demaria* Domini.

Heb. יען *iachan eo quod*
Syr. מטל חנא *metul chana eo quod.*

Heb. משחאתי *maschachoti, vnxit me*
Syr. משחני *maschani vnxit me.*

Heb. לבשר *lebaser euangelizare,*
Syr. למסברו *lamsabaru euangelizare.*

Heb. עניים *chanaum pauperibus*,
Syr. למסכנא *lemeſcine pauperibus.*

Heb. לחבש *l'chabaſch, mederi*,
Syr. למאסיו *lamaſau, mederi*

Heb. לגשברי לב *leniſchbere leb, contritos corde*,
Syr. לתבירי לבא *latthebirai leba.*

Heb. לשבויים *leſchbuim, captiuis*,
Syr. לשבויא *laſchbaie, captiuis.*

Heb. דרור *deror, libertatem.*
Syr. שובקנא *ſchubecana, libertatem.*

Hæc eſt harum linguarum diuerſitas, & quidem hoc in verſu minor, quam in alijs, nam Syrus ſine dubio etiam Hebræum Iſaiæ textum aſpexit. Sunt quædam verba ſingula ſuis linguis, vt יען Hebræis, *Metul*, Syris. Deinde vbi eſt eadem radix, admodum diuerſa eſt formatio, verſu 9, Hebræus habet שבר *ſchabar*, Syrus, *Thabar*, inde Hebræus format, *Niſchbere leb*. Syrus *Thabirai leba*, his adde ſonos, & ſibilos linguarum diuerſos, & denique difficultatem diſcendi alteram, cui vna eſt cognita.

Ex quo omnibus vel non imperitiſſimis vel non peruicaciſſimis notiſſimum eſſe debet, Chriſtum ſcripturam legiſſe linguâ, quam non niſi pauci docti intelligebant, & vernaculâ interpretatum: ac proinde Domini ſui exemplo Eccleſiam ſine culpâ vti poſſe. Hoc ipſum fatetur Wittakerus contra Bellarmin. l. 2. cap. 16. de verbo Dei, Chriſtum feciſſe, ſed „ vult populum intellexiſſe. [In Synagogis, *inquit*, le„ gebant Iudæi ſcripturas Hebraïce, hoc eſt, veteri illa „ Moyſis & Prophetarum linguâ, non illa nouitia, & „ demum poſt captiuitatem Babylonicam nata; ergo „ populus in Synagogis congregatus intelligabat il„ lam linguam, alioqui fruſtra libri ſacri lecti fu„ iſſent.]

Populus non intelligebat linguam veterem.

Hoc in argumento vehementer erraſſe iam oſtendi. Populus intelligebat, ſed interprete exponente, tam verſione in linguam vernaculam, quam explanatione ſententiæ, qualis fieri ſolet à concionatore, aut profeſſore.

§. 5. Opus eſſe interprete ex ipſo Caluino oſten„ do. [Vnde colligimus, *ait*, quicunque ad prædi„ candum Euangelium à Deo mittuntur, neceſſarijs „ dotibus prius inſtrui, vt tanto muneri ſufficiant.

Scriptura non eſt clara nobis.

„ Quare planè ridiculi ſunt, qui Diuinæ vocationis „ prætextu, paſtorum locum vſurpant, quum ad mu„ nus exequendum pluſquam ſint inepti: Sicut in Pa„ patu cornuti Epiſcopi quum rudiores ſint quibus„ libet aſinis, ſe tamen Chriſti vicarios & ſolos Ec„ cleſiæ legitimos præſules ſupercilioſe eſſe clami„ tant.]

Hinc enim conſtat, Scripturam non eſſe ſeipſa ſine doctore ſufficientem, quorſum enim opus eſt dotibus inſtrui, ſi idiotæ cuilibet clara eſt rerum credendarum ſeries ex ſcripturâ? Cur rudes Epiſcopi non ſunt Epiſcopi, ſi Caluinus nolit? Quid opus eorum doctrinâ, ſi eius in ſcripturæ expoſitione nullus eſt vſus? Quod ſi aſinorum mentes Epiſcopis doctiores ſunt, cur non illius expoſitionem credunt? Verùm ſunt iſta Hyberbolica. Inæqualis eſt Epiſcoporum eruditio, non omnes Baſylij, Chryſoſtomi, Auguſtini, Gregorij eſſe poſſunt, officio fungi poteſt etiam mediocris. Nouimus & in Hollandiâ quos vocant auritas pecudes, Arminiani ſtolidos vocant prædicantes. Interim ſi quis Epiſcopum ob imperitiam ordinat indignum, tam ordinator quam ordinatus Eccleſiaſticis pœnis, diuino iudicio obnoxius manet. Fatendum eſt tamen multorum Epiſcoporum rectè credentium modeſtam ſimplicitatem, ſi eam doctiorum conſilio, operâque dirigant, crebro Eccleſiæ vtilem fuiſſe, ſuperbam eruditionem aliquando obfuiſſe. Porro hæreticorum quam iactant, doctrina, canina eſt, ad inſectationem antiquæ religionis, & ſanctorum patrum comparata veri inanis.

Episcopi inæquales.

Auritæ pecudes Hollandorum.

§. 10. Hiſtoria, eadem nobis oſtendit, Errorem illorum temporum non ex eo conatos, quod ſcripturas ſacras vel non haberent, vel non legerent, ſed quod lectas non intelligerent, ideo & Dominus illis obijcit: *Erratis non intelligentes ſcripturas.* Iam ſi temporum comparatio inſtituatur, facile vel ex præſenti loco conſtabit, fœdiores eſſe apud ſectarios noſtrorum temporum corruptelas, quam apud Iudæos ſub Annâ & Caiphâ fuerint. Illi enim ſcripturas legebant, & obſcuras eſſe fatebantur, interpretationem quærebant, at noſtri hæretici quamuis longiſſimis commentarijs eam explicare conentur, obſcuramque agnoſcant, non tamen fatentur. Omnibus eam cognitu facilem imaginantur, atque adeo ex rudiſſimo quoque ſcripturæ interpretes conſtituunt. Interpretatione autem egere Chriſtus interpretando docuit.

Scripturam igitur è medio tollunt, qui omnia quæ in eâ ſunt clariſſima eſſe contendunt. Sic Lutherus de ſeruo arbitrio ait: *Eſſe in ſcripturâ quædam abſtruſa, & non omnia expoſita: inuulgatum eſt per impios ſophiſtas; ſed nunquam vnum articulum produxerunt, nec producere poſſunt, quo ſuam hanc inſaniam probarent.*

Plurima vero eiuſmodi eſſe docet experientia. Et illi paſſim fatentur, vt doctiſſimè & copioſiſſime oſtendit Greſerus noſter l. 3. c. 1. defenſ. Bellarmini. Quo lectorem remitto.

Non omittendum tamen, quod Beza notauit. *Intellige non ſimplicem lectionem, ſed cum interpretatione coniunctam, vt ex conſequentibus apparet.*

Chriſtus ergo interpretem egit, vt oſtenderet ſcripturam ſine interprete non intelligi, & quæ Hebraïcâ vetere legit, Syriacè expoſuit. Nec enim lectio illegitima, ſed interpretatio deſiderabatur.

VERSVS 18.19.

Spiritus Domini ſuper me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus, miſit me ſanare contritos corde: prædicare captiuis remiſſionem & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis.

QVÆSTIO I.

Quomodo citatus Iſaias?

Iſaias in Chriſto impletus.

§. 1. PLenior explicatio ad Iſaiam pertinet, Chriſtus oſtendit, de ſe Prophetam locutum eſſe, cum enim ciues illius ſapientiam mirarentur, cauſam ipſe aperit, quia *Spiritus Domini ſuper ſe veniſſet.* Impleta eſt Prophetia cum in eum Spiritus deſcendit, vt iam ad prædicandum accingeretur, ſic Actor. 10. 38. ſic Hier. Athanaſ. Auguſtin. alijque quamuis iam à principio plenus Spiritu fuit, nunc vero vim eius exerit.

§. 2. Ita-

§. 2. Isaiæ c. 61. 1. *Spiritus Domini super me.* Hebraicè dicitur רוּחַ אֲדֹנָי יְהוִה adonai Iehoua. Domini Dei. Septuaginta tantum habent πνεῦμα κυρίου. quos imitatus Lucas dixit, πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμέ, non κύριον θεόν. Chaldæus pluribus verbis vtitur, textumq; peruertit. Dixit Propheta: Spiritus à facie Domini Dei super me. Habet enim רוּחַ אֲלֹהִים Iehoua elohim. Peruertit autem dum de suo addit, *Prophetam de se locutum.* Non enim Prophetæ conuenit, *ponere lugentibus fortitudinem, & dare coronam pro cinere, & oleum gaudii pro luctu.* Nam & reliqua talia sunt, vt non nisi Messiæ, qui & Deus sit conuenire possint.

§. 3. Propter quod vnxit me Euangelizare pauperibus. In Hebræo est: *Eo quod vnxerit Dominus me.* Septuaginta οὗ ἕνεκεν, cuius causa vnxit me. Duplex interpretatio. Prima, Ideo vnxisse, vt veniret super eum: altera, ideo venisse vt vngeret. Melius venisse vt vngeret.

§. 4. Pauperes in veteri testamento vertit noster, mansuetos, Septuaginta πτωχούς sic in Græcis apud Lucam est. Sunt autem pauperes mansueti, quia precib. vitam tolerant, à Græco πτάσσειν, quod est tremere. Hebraicum עֲנָוִים *Chanauim*, vtramq; significationem admittit. Pauperes vocant Tert. contra Marc. l. 14. Amb. Theoph. Beda.

§. 5. Sanare contritos corde, eodem modo apud Lucam, & Septuaginta legitur, nisi quod apud Septuaginta est τῇ καρδίᾳ, apud Lucam τὴν καρδίαν. Sanare apud Hebræos est חבש *Chanasch*, quod est proprie alligare, quod conuenit maximè contritis, sed generatim pro mederi accipitur. Tertullianus vocat obtritos, qui oppressi, & animo afflicti erant. Contriti corde Hil. Psalm. 52. Euthym. grauati onere peccatorum. at Tertullianus libro 4. contra Marcion. Basil. in comm. Ps. 33. qui doleret de peccatis.

§. 6. Captiui vocantur שְׁבוּרִים *Schebuim*, proprie qui bello capti sunt, ideo Septuaginta, & Lucas habent, αἰχμάλωτοι, acie capti, seu hastâ capti. His itaq; non solis, sed quod maximè afflicti sint libertatem prædicat. hoc est enim דְּרוֹר. & Chaldaicè חֵירוּ quod namq; illi qui αἰχμάλωτοι sunt ante liberi fuerint, post expertam libertatis dulcedinem multo durior est illis seruitus, oppressis itaq; & tristibus liberatio futura promittitur.

§. 7. Et clausis apertionem. Hebræus habet לַאֲסוּרִים פְּקַח-קוֹחַ, at Septuaginta vertetunt, τυφλοῖς ἀνάβλεψιν *Cæcis visum.* Sic etiam Lucas conuertit. Chaldæus, & vinctis אִתְגְּלָר לְנְהוֹר *apparere ad lucem.* Hic primum controuertitur: Quid sit quod hic ponitur: קוֹחַ *Coach.* Sunt qui carcerem dicant: alii vnam putant dictionem geminatione factam, vt legendum sit פְּקַחְקוֹחַ *Pekachkoach*, alij esse infinitum à לָקַח accipere. Hoc postremum dici non potest, quia non est לְקוֹחַ sed קוֹחַ: deinde quamuis Maior omittat ל vt verba Pe nun. non tamen dicitur Koach, sed קָחַת Kachat. nec construitur cum tertio casu, vt dicamus לָקַח לַאֲסוּרִים *accipere vinctis pro vinctos.* Itaq; dicendum est tantum apertionem significari. Cum autem vincti sint duplices, alii robore, muris, compedibus, numellis, alii *vinculis tenebrarum colligati.* Sapient. 17. 2. & v. 17. quæstio est, quos clausos seu vinctos intelligat. Post Lucam non est dubia interpretatio. Nam Christus interpretatur de cœcis, quibus visus restituitur, nullum vinctum è nexu soluisse legimus. Sicut nec bello captos libertati restituisse, hoc igitur de captiuis peccati & dæmonis accipiendum est: & eodem modo de spiritali illuminatione intelligi posset, nisi constaret Christum de vetâ cœcorum illuminatione loqui, Matth. 11. 5. & Luc. 7. 21. atq; ad hanc prophetiam alludere.

Maldonat. noster in carcere adeo tenebroso fuisse, vt nó magis videre possent, quam si cœci essent: ex eo carcere liberatos à Christo vera illa sunt, si spiritualiter intelligantur, verum Christus in eo prophetiam impletam ait, quod *cæcis visum restituerit.* Posset quispiã cogitare Septuaginta legisse עֲוִרִים pro אֲסוּרִים Churim, pro Asurim. Sed incerta est cõiectura. Symmach. habet δεδεμένοις λύσιν, *vinctis solutionem*, Sed illi non admodum propriè reddere sunt conati. nam pro *mederi* habent ἰάσασθαι τὰ τραύματα τῆς ἁμαρτωλοῦ *ligare vulnera peccatorum.* Kimchi cœcos aliquando vinctos vocari tradit.

§. 8. Prædicare annum Domini acceptum, Lucas κηρύξαι ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτόν. Septuaginta καλέσαι *vocare*: quia in Hebræo, est לִקְרֹא *Lucra.* vocatur autẽ annꝰ שְׁנַת רָצוֹן Schenath razõ *annus beneplaciti*, sic 2. Cor. 6. 2. *tempus acceptabile*, totum tempus quo Christus prædicauit, est tempus benevolentiæ, & fauoris.

§. 9. Hinc constat labi eos, qui de Cyro intelligunt: ille enim vt alia illi quocunq; modo accommodentur, cœcis visum non restituit, de cœcis autem intelligendum esse iam ostendi.

§. 10. Et diem retributionis, ἡμέραν ἀνταποδόσεως יוֹם נָקָם diem vltionis non est in Græco apud Lucã. Nam reuera vltio comitatur beneficentiã, dum ingrati relinquũtur, nec ad tantam lucem oculos aperiunt.

§. 11. Quod Lucas addit, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, non est in Propheta, sed expolitionis causâ adiungitur. Exponit vero quos dixerit Prophera συντετριμμένους contritos, nempe peccatis. ideo enim dimitti eos in remissionem asserit. Syrus בְּשׁוּבְקָנָא & *defensa.* dimissionem, indulgentiamq; significat. Beza tamen ex margine irrepsisse existimat. Et asi abundare putat. Bezę verba. [Certè, *inquit*, Ambr. hoc posterius nõ legit, quantum ex eius interpretatione colligi potest. Eusebius quoq; quum in libris ἀποδείξεως hoc testimonium citet quinquies aut sexies, nusquam tamen hæc addidit, nisi vno tantum loco. Ego vero non dubito quin hic factum sit, quod alibi sæpè, vt quod ad marginem editionis Septuaginta (quam vocant) vel annotata esset diuersa aliqua eiusdem loci interpretatio, Aquilæ puta, aut Symmachi, aut Theodotionis, vel non dissimilis sententiæ testimonium adscriptũ, librarii deinde hæc omnia promiscue in ipso cõtextu descripserint. Sic igitur habent Hebræa velasrim pecachcoah רלאסורים פקח קוח quib. Septuaginta interpretes verterunt, τυφλοῖς ἀναβλεψιν. Acceperunt enim פקח קוח Pecachcoach. pro vno vocabulo, sicut etiam interpretatur Kimhi: & quia de oculorũ apertione propriè dicitur, ideo pro אסוריים Asurim putarunt translatitiè significare עוריים churim, id est, cœcos, vt cõstaret antithesis: quia nimirũ qui vincti tenentur in carceris tenebris, non multo maiorem habẽt vsum lucis, quam qui oculis sunt orbati, vt declaratur Esaiæ 42. Hanc igitur interpretationẽ quum quispiam vel non intelligeret, vel puraret Hebręis nõ respondere, annotauit alium locũ, quo putauit istum posse illustrari, petitum ex eiusdem Propheræ c. 58. 6. vbi in Hebręo legitur, Vesc hallach retzuzin choph-schim רשלח רצוצים חפשים in græcis a. ἀποστελλε τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει: quæ deinde in contextum irrepserunt, mutato tantum verbo ἀπόστελλε in ἀποστεῖλαι, quod alioquin non cohæreret constructio. Sed quisquis hunc locum primus annotauit ad marginem, res sane difficillimas inter se cõparauit: vt nulla possit subesse suspicio, duo eiusdẽ Propheræ testimonia cõiungi. Poterat a. quisq; ille fuit, alium locum prorsus similem conferre ex c. 42. 7. vbi, propeq; in Hebręis legitur לפקח עוים עורות לחוציא ממסגר אסיר *Hoc est*, Aperire oculos cœcorum, educere vinctos ex vinculis. *græci habent* ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς τυφλῶν, ἐξαγαγεῖν

" ἀχλεῖν ἐκ δεσμῶν δεδεμένους: id est, Vt aperias oculos cœ-
" corum, & educas ex vinculis vinctos, qui locus hunc
" optimè explicat, quum in vtroq; agatur de Christi of-
" ficio. Hæc igitur mea sententia est. Sed mihi tamen
" religio fuit vel minimum apicem detrahere.]

Septuaginta defen.

Respondendum est primò. Magnopere hac lectione auctoritatem Septuaginta confirmari. Si enim nō ipse Dominus apud Iudæos sic fuisset interpretatus, calumniam pati potuissent. Nunc vero cum eorum sententiam æternæ veritatis ore probatā habeamus. Certa est eorum non minus quam Lucæ lectio. Rectissimè certè noster, & Septuaginta verterunt, nam פקח *Pakach* est aperuit, sed propriè de oculis, & interdum de auribus dicitur: de aliis non solet: generale enim verbum est פתח *Pathach*, ita Iob. 27. 19. & Psal. 146. 8. *Dominus illuminat cæcos.* Hebraicè עורי פקחם *Picca h chiurim*, ad verbum: *aperuit cæcos.* Quia inquit R. Dauid, *Cæcus est quasi ligatus, non enim recedit de loco suo.* Exod 4. 11. פקח est *videns.* & 23. 8. פקחים *Videntes, apertioculos.* Cum ergo verbum Hebræum semper ad oculos referatur, ad aures semel, non ad alia aperienda, necessario consequitur, eos qui sic aperiuntur cæcos esse. Quocirca eorum apertio est ἀνάβλεψις visus. Præsertim cum ex miraculis, quæ aperta erant, vocationem suam Christus probaret, carcere autem nullum liberasse legamus.

Lucas defensus.

Apud Ambrosium inuenitur.

Respondendum deinde est. Apud Ambrosium in textu legi: nec mirum est, in ipsâ expositione omitti. Est enim breuis, & crebro aliqua membra omittit: ita vt si hoc Bezæ argumento niti libeat, etiam delenda sint illa verba, *mederer contritis corde.* Non enim exponit illa Ambrosius, vti nec v. 20. & 21. Verba Ambrosij proponam, tum vt lector videat, quam tenui coniecturâ Beza vratur; tum quia Sanctus Episcopus notauit, hoc ex loco Sanctissimam Trinitatem probare. *Vides*, inquit, *Trinitatem coæternam atq; perfectam. Ipsum loquitur scriptura Iesum Deum hominemq; in vtroque perfectum, loquitur & Patrem, & Spiritum sanctum. Spiritus enim Sanctus cooperator ostenditur, quando corporali specie sicut columba descendit in Christum, cum Dei filius baptizaretur in fluuio, pater loqueretur è cœlo. Quod igitur maius quærimus testimonium, quam quod se fuisse qui loquitus est in prophetis propriâ voce significauit? Vngitur oleo spirituali, & virtute cœlesti, vt paupertatem conditionis humanæ thesauro resurrectionis rigaret æterno, captiuitatem mentis auerteret, cœcitatem illuminaret, annum Domini perpetuis diffusum temporibus prædicaret, quiredire in orbem laboris nescias, continuationem fructus hominibus & quietis indulgeat. Atq; ipse ita ad omnia se curuauit obsequia, vt ne lectoris quidem aspernaretur officium. Nos vero impii, qui diuinitatis fidem miraculis operum colligendam contemplatione corporis negabamus.*

Ambr. Trinitatem quomodo probet.

Ambrosij itaq; testimonio abutitur, vt quo contrarium probatur. Nec Eusebius illi fauet: etsi enim aliquando omittat, non tamen signum est non lectū ab eo, quod vero addit *semel*, certum indicium est, eum habuisse. Aliud est enim omittere, aliud referre.

Eusebius legit.

Cætera merâ coniecturâ & hariolatione nituntur. Si enim ex Septuaginta fuisset in Lucam translatus error, oportuisset in aliquibus exemplaribus inueniri, non est autem in veteri vel Hebræo, vel Græco, vel latino. E contrario in nouo testamento est in omnibus Latinis, Græcis, Syris. Nec in textum ex margine irrepsisse credo, nam immediatè cum eo, quod est *contritis corde*, positum.

§. 2. Mirandum est magis quosdam, non legere priora verba: *Sanare contritos corde.* Ita enim Brugens. not. lat. *Hæc verba*: ait, *vt à Sixto & plerisq; aliis libris, ita & à græcis & Syriacis nostris, Euthymio exponente, leguntur. Verum manuscripta quædam Latina, nominatim D. Donatiani vnum, S. Bernardi ad Clarummariscum vnum, & D. Audomari tria, omittunt ea, quemadmodum omittuntur ab Origene, homilia 32. in Lucam, hunc locum enarrante, & ab Euseb. lib. 9. demonstr. Euang. c. 10. atque Augustin. lib. 2. de cons. Euang. c. 42. locum citantibus. V. Beda, vt primum adducit huius libri textum, non legit ea: tamen an non explicuit postea sit dubium. Explicat enim, sed ita vt pro eisdem habere videatur, cum iis verbis quæ sequuntur: Dimittere confractos in remissionem. Fortasis existimauit, duplicem esse versionem rei eiusdem, ad quam sententiam accedit Forerius scribens in Isaiam. Editio Septuaginta Interpretum, quomodo recitatur à D. Hieronymo ad Prophetam, vtrum q; habet, quemadmodū legitur hoc Euangelii loco: eadem vt eorsum græcè exstat impressa, Eusebio iam laudato adstipulante. Habes solum illud sanare contritos corde, omisso altero dimittere fractos in libertatem: quod quidem Hebræo fonti similius est. Theophylactus in hoc Euangelium scribens, prius enarrat, posteriorisnon meminit: Ambrosius neutrum attingit, etsi reliqua non præterit.*

QVÆSTIO II.

Quomodo vnctus?

§. 1. DVplicem interpretationem esse dixi. Nunc hoc moneo. Eundem esse sensum in Hebræo, Septuaginta & Luca. Nam in Hebræo est יען *Iachan* propter, eo quod, propterea, quòd ὀνεκεν, nec enim græcus alium ab Hebræo sensum habet. Vnctum esse Christum, & Spiritum sanctum super eum esse, non est παυτολογία, sed duobus modis exponi potest. Nempe Spiritus sanctus est super me, & quia ille est super me, ideo me Deus vnxit. Nempe Spiritus sanctus in conceptione ex vnione hypostaticâ super me, ideo me vnxit omnibus gratiædonis. Vnio omnium donorum fundamentum & causa fuit. vide Cyprian. l. 2. contra Iudæos. Athan. orat. 2. contra Arian. Alter explicandi modus est Spiritum sanctum esse super eum ob vnionem hypostaticam, omnia dona & virtutes infusas, ideo vnctum esse vt prædicaret, hoc est ad munus illud destinatum. Hic verus sensus est, Quia enim filius dilectus, & deitatis plenitudo in illo habitat corporaliter, ideo mittitur, & nobis præcipitur: *ipsum audite.*

Vulgata vertit propterea, & Beza.

§. 2. Valentiniani ad suos Æonas, & Cleromata detorquent prophetiam, vt est apud Irenæum lib. 2. contra hæreses cap 38. Annos triginta natum ad baptismum venisse fabulabantur, vt triginta Æonas ostenderet, & duodecimo mense passum. Et ex Propheta, inquit, *tenant hoc ipsum confirmare: scriptum est enim, Vocare annum Domini acceptum, & diem retributionis: verè cœcutientes, qui profundaBythi adinuenisse se dicant, & non intelligentes ab Esaiâ dictum annum Domino acceptabilem, & diem retributionis. Neq; enim de die, quaduodecim horarum habet spatium dictum est in Propheta: nec de anno duodecim mensium habente mensuram. Quia enim Propheta in parabolis, & allegoriis, & non secundum sensum ipsarum dictionum plurima, dixerunt, & ipsi confitentur. Dies ergo retributionis dictus est, in qua retribuet Dominus vnicuique secundum opera suâ, hoc est iudicium.*

Valentiniani non intelligunt vocii.

§. 3. Irenæus vero etiam lib. 3. cap. 10. Vnctum ad hoc officium declarat, & quidem quâ homo erat. Et *iterum*, ait, *ipse Esaias vnctionem eius, & propter quid vnctus est, præsignificans ait: Spiritus Dei super me, quapropter vnxit me, euangelizare humilibus misit me, curare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visionem, vocare annum Domini acceptabilem, & diem retributionis, consolari omnes lugentes. Nam secundum id quod verbum Dei homo erat, exvirgine esse, & filius Abrahæ, secundum hoc requiescebat Spiritus Dei super eum, & vngebatur ad euangelizandum humiles.*

Irena. vt Illiricus expon.

Et eodem modo cap. 20. *Quemadmodum & ipsum nomen, ait, significat. In Christi enim nomine subauditur qui*

vnxit,

vnxit, & ipse qui vnctus est, & ipsa vnctio in qua vnctus est. Et vnxit quidem pater, vnctus est vero filius, in Spiritu, qui est vnctio: quemadmodum per Esaiam ait sermo: Spiritus Dei super me, propter quod vnxit me, significans & vngentem patrem, & vnctum filium, & vnctionem qui est Spiritus.

Et lib. 4. cap. 40. *Propter hoc autem, & ipse Dominus in Capharnaum Esaiæ prophetias legebat: Spiritus Domini super me, quapropter vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, curare contribulatos corde, præconare captiuis remissionem, & cæcis visionem. Semetipsum quoq; ostendens prænuntiatum per prophetas, dicebat eis. Hodie impleta est Scriptura hæc in auribus vestris.*

VERSVS 22.

Et omnes testimonium illi dabant & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebāt de ore ipsius, & dicebant: nonne hic est filius Ioseph?

QVÆSTIO I.

Qui sermones gratiæ?

§. 1. SErmones gratiæ non rectè gratiosos appellāt, quasi gratos, & suaues, etsi enim verbum piis & humilib. super mel dulce est, hic tamen etiam illi, qui alieno erant animo, sermones gratiæ mirabantur. Syrus vocat מלא רטיבותא *Melle delibuta, sermones gratiæ, benignitatis, bonitatis.* Sermones itaq; gratiæ appello, fortes, neruosos, qui etiam impiorum conscientias conuincerent, & percellerent, vt & verissimè, & accommodatissimè omnia dici faterentur. Etenim etsi vitiis suis obstare eos videbant, ideoq; animis irritati præcipitem dare cogitabant. Sacram tamen, sapientissimamq; sapientiam stupebant. Nonenim humano studio, sed cœlesti gratiâ perorabat. Quocirca diuina quædam in eo relucebat auctoritas, cui humanæ cogitationes frustra obnitebantur, quæ suâ grauitate etiam ab inuitis, inuidis, maleuolis admirationem, laudationemq; extorquebat. Sic Euangelista se ipse interpretatur vers. 32. *Et stupebant in doctrinâ eius*: quia in potestate erat sermo eius, ἐν ἐξουσίᾳ. Syrus ברשׁלטנא dominationis, imperii, auctoritatis erat sermo, quasi cum imperio loquebatur. Scitum est apud Græcos prouerbium, Ἄλλος ὁ λογος ὑ τὸ αὐτὸ δύναται. *Eadem ratio non idē valet.* Miraculum igitur in eo consistit, quod Iesus qui literas non didicerat, quem vt fabri filium spernebant, velut distortissimus, & velut Dynasta quispiam à superbis, & opulentis audiretur. Quemadmodum enim vers. 36. admirabantur, cum potestate ἐν ἐξουσίᾳ, בשׁלטנא (eadem enim verba sunt) eiicit dæmonia, ita hic etiam animis dominatur, estq; sermo efficax, præcipuè quod vt est v. 20. *omnium oculi erant in eum intenti*, quomodo literas sciret quas non didicisset. Sic Ioannis 7. 45. Qui ad eum capiendum missi erant, manus abstinent. *Nunquam*, inquiunt, *sic locutus est homo, sicut hic homo.* Diffusa erat gratia in labiis eius Psal. 44. 3.

§. 2. Inepte omnino Beza sermonibus plenis gratâ, λόγοις τῆς χάριτος. [Vulgata, *inquit*, obscurè: In verbis gratiæ, neq; enim gratia hoc loco, (vt Hebræi loquuntur חן) declarat gratuitam reconciliationem, sed vim illam planè diuinam quæ in Christi verbis toto q; habitu inerat, vt qui illum audiebant, nisi qui planè erant ἀπρόσωποι, non possent non illum amare, suspicere, complecti: quod etiam apparuit in illis, quorum fit mentio Iohan. 7. 46. vt prædictum erat Psal. 45. 3. Erasmus, super gratia sermonum, ita vt sit hypallage, integro tamen sensu.] «

Homo immemor sui κεχαριτωμένον non ausus est, vocare gratia plenam, hic nostrum reprehendit, qui ad verbum vertit. Deinde si noster reprehenditur, quia Hebraismum retinuit, dixitq; λόγος τῆς χάριτος, verba gratiæ, non debet esse melior conditio Græci Scriptoris, qui Hebræo idiotismo vsus est: debuit .n. ille dicere ἐπὶ τοῖς λόγοις πεπληρωμένοις τῆς χάριτος. Deniq; gratiam hîc vocat vim illam diuinam quæ est in verbis Christi, at Pareus initio de gratiâ primi hominis negat gratiam aliter, quam pro fauore accipi. *Plenos sermones gratiæ Beza vertit.*

VERSVS 23.

Et ait illis: vtiq, dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.

QVÆSTIO I.

Quorsum vsurpat prouerbium, Medice cura teipsum.

§. 1. GRæcus parabolā appellat: sumpta est à Medicis, qui in aliorum morbis curādis felices sunt, sibi mederi nequeunt. De omnib. vero aliis dicitur, qui aliis prosunt, sibi & domui suæ prodesse non possunt. *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluū facere*, dicunt apud crucem stantes irrisores. Hoc sensu, in quiunt, fac & hic miracula, patriq; ciuium tuorum, agnatorum tanta est coniūctio, vt quasi patriæ pars homo censeatur, & eius membra sint propinqui & ciues. Si igitur alienas vrbes veris beneficiis affecisti, non impostura delusisti, in tuâ patriâ eadem exhibe, *Medice cura teipsum.* *Sua cuiq; primum curanda.*

Hanc primo tutare domum.

§. 2. Hac quidem in re dupliciter peccabant. Primo enim sibi suisq; deberi illa beneficia, quasi iure naturæ arbitrabantur, nec humili prece, sed quasi pro imperio postulabant. Deinde vera cæteris in vrbibus facta miracula non credebant, & si hic faceret, vt nonnulla fecit, malitiosè interpretari, ac culpare ausi sunt. Probroso itaq; prouerbio vanitatem ac impotentiam illi obiectant, quasi in Christum conueniat.

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρυίεν.
Aliorum medicus vlceribus ipse scatet.

Hinc etiam Christi reficiendi occasionē captāt, cum .n. à suis curandis, & illustrandis incipere oportuisse iudicēt, ille vero cum alienas vrbes patriæ prætulerit, merito se etiam contemptum eum habere, & reiicere summo iure posse diuinunt. Nec audire eum sustinent, à quo se contemptos arbitrantur. Foris eum sapere putant, domi suis non posse consulere. Foras igitur eiiciendum.

§. 2. Non esse diuina beneficia, prælaturas, & sacros ordines, & sanguinis, & domesticorum necessitatibus, & amore dispēsanda, & suo exemplo, & duobus exemplis docuit. Nam Elias tempore famis non est missus ad vllam viduam in Israel, sed Sareptam Sidoniorum, gratior apud gentiles futurus. nec Elisæus vllū leprosum in Israel, sed exterū Syrū, Naamā sanauit. Qui magno honore Prophetam prosecutus est, ab Israelitis contemptū, & persecutione vexatum. Non ergo se à veterum consuetudine discedere, cum alienis sese impendit, ingratæ patriæ crudelem inuidiam detestatus, Indicio sunt ista, Iudeos deserendos, gēres *Prophetæ exemplo Christus alienis sese impendit.*

assiq;

assumendas. Gratiam autem Dei ex arcano eius consilio donari, nullo carnalis propinquitatis respectu, suo nos Christus exemplo docuit, cum è contrario suis faueant, exteros oderint, nullâ curâ, quod illi Deo exosi, hi grati sint.

§. 4. Nazarethani homines carnales & improbi, qui ideo Christum iudibrio habuerunt: quia fabri filius erat, videtur illi ptouerbio vsitato exprobrasse paupertatem, matris & cognatorum inopiam fortè, & morbos aliquorum: sciebant eum matrem cognatosq; diligere, nullas vnquam offensiones notarant. Itaq; hoc monent Si potes aliquid: Tuos in primis adiuua, duriter vitam tolerant, domo & re carent. Alioqui fore vt genus, & virtus sine re sit vilior algâ. At Christus longo alio spiritu se non ad familiam opibus onerandam, sed animas cœlo inferendas venisse testatur. Nunc eo mores degenerarunt, vt si quispiam conspicuo aliquo, & opulento sacerdotio potiatur, iniuriam sibi agnati fieri existiment, nisi eum quasi auream pecudem continuo vellere & deglubere liceat. Quin & vltro fauetur cognatis ad eorum interitum.

VERSVS 25.

In veritate dico vobis: Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel: quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra.

QVÆSTIO I.

Quæ calamitates clausi cœli?

§. 1. TRes annos & sex menses clausum est cœlum, ne plueret. 3. Reg. 17. 9. At libro regum habetur etiam anno tertio missum esse ad Achab. Verum id factum est non ab initio siccitatis, sed à quo tempore fuerat in Sarepta. Alij Eliam hæc dixisse cum iam siccitas aliquamdiu durasset, non in principio illius, Achabum enim eo argumento vsum, quod Moses prædixisset peccantibus pluuiam, roremq; negandum, at iam omnia affluere. Itaq; Elias prædicit fore vt perduret sterilitas, nec mutandam nisi ad verbum oris sui, & ne eum cogere & tormentis vexare inciperent, abscondere se iussus est.

Lucas cum vetere scriptura conciliatus.

Clausum cœlū cum pluuia negatur.

§. 2. Clausum cœlum dicitur, cum pluuiæ opportunæ negantur, & rores, quibus præcipuè Iudææ fertilitas constabat. Contrarium est aperire cœlum, cum vero de ingenti fertilitate sermo est dicitur Deus aperire catarrhactas. sic Malachiæ 3. *Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis catarractas cœli, & effudero vobis benedictionem vsq; ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dixit Dominus exercituum.*

Catarractæ cœli.

Similitudo sumpta est à catarractis, quibus amnes continentur, & vnda aceruatur, quibus ruptis dilecto obiice aqua copiosè inundat. Qui fenestras vertunt, minus propriè loquuntur. Neq; rectè philosophantur, qui supra sidera aquam collocant, quam opportunè Deus apertis orbibus dimittat: Quamuis enim in eâ forte parte aqua sit, non in hos tamen vsus seruatur. Catarrhactæ igitur nubium sunt, quæ vel steriles feruntur, vel in aquam densatæ fœcundis imbribus terram irrigant.

QVÆSTIO II.

Quæ ex hoc capite concludit Tertullianus?

§. 1. VAtijs argumentis contra Marcionem lib. 4. cap. 7. & 8. petitis disputat. Elaborauit in hoc Marcion, vt Christum à creatore separaret, & alterius filiū Dei constitueret, non Dei Iudæorū. Ideo enim illa verba: *Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel*, deleuit, vt & illud: *Non veni soluere legem sed implere.* Cui ille opponit. *Sed frustra*, inquit, *negabat Christum dixisse, quod statim fecit ex parte. Prophetiam enim egrum de loco adimpleuit, de cœlo statim ad Synagogam. Vt ille solet: Ad quod venimus, hoc age. Marcion aufert etiam illud de Euangelio: Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel. Et non est auferre panem filiis, & dare eum canibus, ne fecisse Christus Israelis videretur. Sufficiunt mihi facta, & proditio. De rabe voces Christi mei, res loquentur. Ecce venit in Synagogam: certè ad oues perditas domus Israelis. Ecce doctrinæ suæ panem prioribus offert Israelitis: certè vt filios præfert. Ecce alios eum nondum impertit: certè vt canes præterit. Quibus autem magis impertisset quam extraneis creatoris scipse imprimunum fuisset creatoris.*

Christus Creatoris aduersus Legis.

§. 2. Christus contra legem, & prophetas non disputabat, *alioqui non stuperent, sed horrerent: nec mirarentur, sed statim auersarentur destructorem Legis & Prophetarum, & vtiq; in primis alterius Dei prædicatorem: quam potuisset aduersus Legem & Prophetas docere, & hoc nomine aduersus Creatorem, non præmissa diuersæ atq; aliena diuinitatis professione.*

Vbi nota. Omnes, adiectum esse nam in hodiernis non legitur: nec in Græco, nec Syro, vt neq; in Latino. Videtur autem à Marcione adiectum, ideoq; à Tertulliano relictum.

§. 3. Ex dœmonum etiam quærela Christum creatoris fuisse filium ostendit Tertullianus. Dæmon, n. cum vocat *Sanctum* Dei, non potuit id de Deo muto, & hactenus ignoto intelligere, cum vero ait: *perdere nos*, de iudicis, & iusti Dei filio loquitur. Nam Deus bonus Marcionis perdere & punire nesciebat.

§. 4. Occurrit Marcion. Iesus illum increpuit: negauit igitur se venisse vt perderet, ideo nec filium esse creatoris.

Cur increpauit dæmonium.

Respondit Tertullianus: *Plane vt inuidiosum, & in ipsâ confessione petulantem, & male adulantem: quasi hic esset summa gloria Christi, si ad perditionem dæmonium venisset, & non potius ad hominum salutem, qui nec discipulorum subactione spirituum, sed de candida salutis gloriari volebat. Aut cur eum increpuit? Si quasi mentitum in totum, ergo non fuit Iesus, nec Dei sanctus omnino. Si quasi ex parte, emittum quod eum Iesum quidem & sanctum Dei, sed creatoris existimasset, iniustissimè increpuit hoc sentientem, quod sciebat sentiendum, & hoc non existimantem, quod dignorabat existimandum, alium Iesum & alterius Dei sanctum. Quod si verisimilior in statum non habet increpatio, nisi quem nos interpretamur, iam ergo & dæmon nihil mentitus est, non ob mendacium increpitus: ipse enim erat Iesus præter quem alium dæmon agnouisse non poterat: & Iesus eum confirmauit quem agnouerat dæmon, dum non ob mendacium increpat dæmonem.*

§. 5. In Nazareth nihil eum noui prædicasse, sed prophetam legisse, ideo non esse aduersatum Deo prophetarum.

Christus contra prædicat.

Deinde manus illi iniectas, ideo vero corpore præditum fuisse. *Hic primum manus ei iniectæ animaduertendæ necesse habeo iam de substantiâ eius corporali præfiniri, quod non possit phantasma credi, qui contractum, & quidem violentiâ plenum, detentus, & captus, & ad præsidium vsq; protractus, admiserit. Nam etsi per medios euasit, sed ante iam vim expertus, & postea dimissus. scil. soluto vti assolet tumul-*

lis, vel etiam irrupto, non tamen per caliginem eluso, quæ nulli omnino telluri succidisset, si fuisset.

Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

§. 6. Si Deus creator, non erat Christi pater, sed venit eum oppugnaturus, non recusasset prœconium dæmonum, qui erant creatoris, gestisset ab illis timeri. Nunc eos repudiat, qui promiserat, per quos volebat annunciari, non enim dœmonum prædicatione vti dignabatur, cui abundabant Sancti.

VERSVS 29.

Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.

QVÆSTIO I.

Quomodo euasit?

Euasit sine preparatione aut alia indecora fuga.

§. 1. PEr medium eorum securus ibat. Quod fuerit miraculi genus, an se inaspectabilem fecerit, an voluntates immutarit, an manus continuerit, an celeritate sese subduxerit, incertum est. Mihi probabilius est eum sine apperatione, cunctis videntib. per medium eorum discessisse; omnib. quidem mortem eius cupientibus, sed nullo manum iniiciente, dum quisq; alterius hoc scelus esse mauult, quam suum. Voluntatem igitur singulis, quâ obsequerentur iracundiæ suæ negauit, & fremitum omnium in ventum effudit. Totam enim malitiam intra cogitationes & minas coercuit, manusq; occultâ potentiâ alligauit. Sic eorum qui à Pharisæis missi sunt *nemo misit in eum manus: quia nondum venerat hora eius.* Ambrosius & Beda mutasse voluntates, Maldonat. inuisibilem se fecisse existimat.

CAPVT V.

FACTVM est autem cum turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. 2. *Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia.* 3. *Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas.*

4 *Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* 5. *Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.* 6. *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.* 7. *Et annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.*

8. *Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* 9. *Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant.* 10. *Similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli te timere: ex hoc iam homines eris capiens.* 11. *Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.*

12. *Et factum est, cum esset in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum & procidens in faciem, rogauit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.* 13. *Et extendens manum, tetigit eum dicens: Volo: Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.* 14. *Et ipse præcepit illi, vt neminì diceret: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis.*

15. *Perambulabat autem magis sermo de illo: & conueniebant turbæ multæ, vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis.* 16. *Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.*

17. *Et factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos.*

18, *Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.* 19: *Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum.* 20. *Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.* 21. *Et cœperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

22. *Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris.* 23. *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere. Surge & ambula?* 24. *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & va-*

& vade in domum tuam. 25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat & abiit in domum suam, magnificans Deum. 26. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. 27. Et post hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui, sedentem ad Telonium, & ait illi. Sequere me. 28. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. 29. Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes. 30. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ eorum dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis? 31. Et respondens Iesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. 32. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. 33. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt, & bibunt? 34. Quibus ipse ait: Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? 35. Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. 36. Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à nouo vestimento immittit in vestimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo. 37. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipsum effundetur, & vtres peribunt. 38. Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est: & vtraq; conseruantur. 39. Et nemo bibens vetus, statim vult nouum, dicit enim. Vetus melius est.

IN CAPVT QVINTVM

ARGVMENTVM.

OCcasionem quâ Petrus, Andreas, filii Zebedæi vocati sunt, enarrat, vt Matth. 4. Marci 1. Deinde Leprosi mundati historiam, quæ est Matth. 8. Marc. 1. & Paralytici Matth 9 Marci 2. Deinde vocationem Matthæi quæ est Matth. 9. Marci 2. disputationem denique de ieiunio, cum Pharisæis instituta. Prior pars vsque ad vers. 12. in Ecclesia Syrorum legitur, Dominica secunda post Pascha, à versu 12. *Matutinis Dominicæ quintæ ieiunii.* de tempore, quo hæc facta sunt, actum est in Matthæo. Pauca quæ D. Lucas particularia habet, explicanda supersunt.

VERSVS 1. & 2. & 3.

Factum est autem cum turba irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauem, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum: Et sedens docebat de naucula turbas.

QVÆSTIO I.

Recténe verterit noster?

Cur in nauim ingressus est.

§. 1. IRruerent ἐν τῷ ἐπικεῖσθαι cum incumberent, scil. posterioribus priores premẽtibus, vt necessario nauim ingrederetur. Syrus ܒܒܫ ܨܠܪܗܝ ܒܢܫܐ *collectus est ad eum cœtus*, vel *congregata super eum congregatio.*

Λίμνη stagnum.

§. 2. λίμνην noster stagnũ dixit, Beza impropriè dictum putat. at si stagnum & lacum distinguere placet, λίμνη est quasi λίαν χὴ διὰλυ μένυσα, *aqua quæ valdè & omninò est immota*, id quod ꝓpriè stagnum est, seu palus. Syrus: *iuxta littus maris.* nam maria vocãt aquarum collectiones. *Stagnum* etiam Calui, retinendum censuit. Tossanus & alij: & merito; nam nullo verbo magis propriè exprimitur λίμνη. Stagna vero etiam vocantur, quæ aquas emittunt.

Imis stagna refusa vadis.

§. 3. Beza ἐπαναγαγεῖν, negat esse *reducere*, ipse vertit *proueheret*, & ait esse ἀ'ναπλεῖν. ἀ'να enim esse ἄ'νω sursũ. Verum id est ἀ'ναγαγεῖν, & ἐπαναγαγεῖν. hic stabant nauigia, quæ paulo ante exirrita piscatione redierant, Christus in mare iterum vt reduceret rogat. Proptiũ est a. in hoc genere verbum reducendi. Itaq; cæteri Nouatores cõtra Bezam sentiunt. Syrus ita vertit, *erat autem erat Simonis Cephæ, cumq; descendisset Iesus in eâ, & dixit vt reduceret eam paululum ab aridâ in aquas, sedebatq;, ac docebat turbas è naui.* Alii legunt: *Rogauit eum vt a terrâ reduceret pusillum*, quam præferunt, vt & Latiniorem lectionem.

QVÆSTIO II.

Cur iubet duci in altum?

§. 1. MAgnũ ea in re mysterium esse declarant Patres & interpretes, nam piscatores & rudes orbi conuertendo præficit. Non vt Prælati indoctos ad Ecclesiastica beneficia euehãt, sed vt sine personarũ respectum idoneos, vel ad ipsa officia, vel ad studia, vt functionib. illis prępar̃etur. Ducere in altum iubet, vt obsequium mutuat̃ę nauis magno fructu cõpensaret. Sic Elias Sarephanæ viduę mercedẽ repẽdit. Magno documento non perire tempus, q; Deo impenditur. 3. Reg. 17. v. 15. *Quæ abiit & fecit iuxta verbũ Eliæ: & comedit ipse, & illa, & domus eius, & ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminuta, iuxta verbũ Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.* In altum ducere est à littore recedere, vbi vadosum est mare, in eum locũ vbi ꝓfundum est. *In altum* ergo est εἰς βάθος לעמקא. Chaldæa in profundum. Daniel Toss, Bezanam Grãmaticen reprehendit, cum ad verbum ait esse, *reducere in profundum*, & retinet verbum Laxandi. Esta. hic ἐπαναγαγεῖν, quod non est, (vt ille) ἀ'ναγαγεῖν, sursum agere, cum dicat εἰς βάθος in profundum. Quin *ducere in altum* Ambr. interpretatur *profundum disputationũ: Quid enim tam altum, quam altitudinem diuitiarum videre, scire Dei filium, & prophetiæ dum generationis eius assumi? Quam licet mens non queat humana plenè rationis inuestigatione cõprehendere, fide tamen plenissimè cognoscitur.* Nam etsi non licet mihi scire quem admodũ natus sit: non licet tamen nescire quod natus sit. Seriem generationis ignoro, sed aut rem generationis agnosco. *Non interfuimus cum ex patre Deo filius natus est.*

fieretur; sed interfuimus cum à patre Dei filium diceretur. Si Deo non credimus, cui credemus? Idem Ambrosius retia Apostolorum describit. *Quæ sunt autem Apostolorum, quæ laxari iubentur retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui quos receperint, non amittant? Et bene Apostoli, instrumenta piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt, sed seruant, & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de inferni ad superna perducunt. Est & aliud Apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari Dominus iubet dicens, Mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle.* Insigne documentum sine Deo omnes conatus esse irritos, Dei virtute & iussu nihil non effici posse. Docebat se eum esse quem Prophetę multos piscatores missurum dixerunt, vt Tertullian. li. 4. contra Marcionem c. 9. *De tot generibus operum quid vtiq; ad piscaturam respexit, vt ab illa in Apostolos sumeret Simonem, & filios Zebedæi? Non enim simplex factum videri potest, de quo argumentum processurum erat, dicens Petro trepidanti de copiosa indagine piscium. Ne time, ab hinc enim homines eris capiens. Hoc enim dicto intellectum illis suggerebat adimpletæ prophetiæ, se eum esse, qui per Hieremiam pronuntiarat: Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur illos, hominis scilicet. Deniq; relictis nauiculis sequuti sunt eum, ipsum intelligentes, qui coperat facere, quod edixerat. Aliud sit efficiaut de nauibus piscatorum collegio adligere, habiturus Apostolum quandoq; nauclerum Marcionem. Præstruximus quidem aduersus antitheseis nihil proficere proposito Marcionis, quam putat diuersitatem Legis Euangelii, vt & hanc à diuersore dispositam, deniq; prædicatam in repromissione nouæ legis & noui sermonis, & noui Testamenti.* Χαλάσατε Beza *dimitte* vertit, *laxate* nullo modo ait, *respondere Græcabulo.* Id sane non credo, cum etiam lexica Caluiniana χαλάω exponant laxo. Est enim χαλᾶν permittere, vt defluant, stent, dicuntur funes χαλᾶν & aquæ. Laxare est expansa proiicere, verriculum enim erat, vt infra patet.

VERSVS 5. 6.

Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

QVÆSTIO I.

Quis piscationis effectus?

§. 1. POstquam iactum fecit iubente Domino Petrus, contra non modo expectationem, sed naturam etiam conclusa est ingens copia piscium. Quia iactus erat fidei, non humanæ industriæ. *Laborantes*, inquit κοπιάσαντες. Beza, *cum nos fatigauerimus.* Sed κόπος primo labor est & deinde ex labore defatigatio. Non igitur corrigendus noster interpres, cum significatione prima, ppriaq; vsus sit. Nox piscationi est amicior, quam dies, calidis præsertim regionibus, itaq; quamuis noctis labor irritus fuit, fiduciam tamen in Christum profitetur, & retia iactat.

§. 2. Quædam exemplaria habent ὀπίσαλε alia διδάσκαλε prior vera. Etsi autem legamus ὀπίσαλα, non tamen principem aliquem, sed quem Hebræi vocant רבי magistrum & doctorem intelligere oportet. Sic etiam Syrus loquitur. Quædam δίκτυον alia plurali numero δίκτυα, Est vero rete, vt pleriq; quod verriculum appellant, quod late expanditur, nam alio non potuisset tanta multitudo colligi, vt pene mergerentur. Sunt igitur hæc admiranda. Post noctis labores, alieno tempore, tantam copiam piscium capi, rumpi rete. *Rumpuntur retia*, inquit Ambros. *piscis non labitur.*

VERSVS 7. 8. 9. 10.

Et annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. Quod cum videret Simō Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, qui homo pec. &c.

QVÆSTIO I.

Quæ fœlicem iactum consecuta?

§. 1. STupor eos θάμβος circumdedit, admiratio cum horrore, περιέσχε circumdedit, sine causa Beza vertit occuparat. Stupor ille effecit, vt minus cōsiderarent, quanto suo emolumēto eum retinere apud se possent. Dei n. præsentiam infirmiter horrebant. Peccator quidem medico egebat; exire a Christum iubet, quod se eius præsentiā putaret indignum. Eâdē mente quā centurio Matt. 8. 9. se iudicabat indignum, sub cuius tectum intraret. Non igitur verba sunt Dominum auersantis, aut fastidientis, & eorum qui dicebant Iob 21. *recede à nobis, sed sua peccata agnoscentis, & diuinam maiestatem admirantis.* Syrus paraphrasticè vertit. *Recede à te vt discedas.* *Dei præsentia terrorē incutit.*

§. 2. Sociis annuunt, longius enim aberant, quam vt verba vocantium audirent: qua quidem in re non modo historiæ veritas, sed etiam mysterium est spectandum; Nam & illi mox ad Apostolatum vocati sunt: nec hoc prætereundū in hac vniuersitate Ecclesiæ Petro tribui principatum, cæteros esse adiutores.

§. 3. Hac tamen in felicitate iactus est periculum, Ideo, vt ait S. Ambrosius: *suspecta sit. Multitudo enim Ecclesiæ in hæreses variis in partibus degenerauit*, vt notauit idem Ambr. Vnde tanta pericula, vt propè interitum esse videatur. Itaq; nauiculæ mergebantur, aut penè mergebantur. Variant enim Latina & Græca exemplaria, quædam habent ὡσεὶ penè, alia non habent. Syrus constanter habet איב דקריבן חרי *aich decariban hai, vt propè essent.* *Multitudo grauatur Ecclesiæ.*

§. 4. Non modo esse bono animo iubet, sed etiam fore vt homines capiat, prædicit, qua figura officium illius sociorumq; ostendit. Syrus *eris piscaturus homines* בני אנשא *filios hominum*, & addit לחיא *ad vitas*, seu, *ad viuificandum.* Piscibus enim captura exitio, homini saluti futura erat. *Eris capiens* ἔσῃ ζωγρῶν *eris capiens*, quod Erasmus torquet contra eos, qui Turcas occidūt, quos mortuos, quam vinos malunt. Imo pecunias illorum quærunt. Auaritiam & crudelitatem nostrorum in Turcas non probamus, quamuis enim crudelissimus hostis sit, non tamen crudelitas crudelitate pensanda est. Erasmus tamen hæreseos damnatus est, quod bellum licitum neget.

VERSVS 12. & sequentes.

Et factum est cum esset in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum, & procidēs in faciem, rogauit eum, dicēs: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manū tetigit eū, dicens: Volo, &c.

QVÆSTIO I.

Cur tetigit Leprosum?

§. 1. SYrus non modo plenum leprâ, sed etiam רבולא כלה *damle collech*, plenum omnino leprâ dicit: Tactu vsus est aliquando, aliquãdo aliis cæremoniis, quãdoq; verbis: Neq;. n. virtutẽ suam, quæ V. 17. semper ei aderat ad sanandũ, vlli certo symbolo alligauit, sed liberum sibi reliquit, tactu est a. peculiariter vsus ad humanæ naturæ veritatẽ demonstrandã:

Varijs modo Christus sanat.

Tangere enim & tangi nisi corpus nulla potest res.

Marcionitę ex eo probare nitebantur Christum veterem Legẽ damnasse, ideo creatoris & legislatoris inimicum fuisse. Tetigit enim contẽptor legis, vt habet Tert. l. 4 contra Marc. c. 9 *Sed quoniam attentius argumẽtatur apud illum suum, nescio quem συμπαλαίπωρον, id est cõmiseronem, & συμμισούμενον, id est coodibilem, in leprosi purgationem, non pigebit ei occurrere, & inprimis figurata legis vim ostendere, quæ in exemplo leprosi non contingendi imo ab omni commercio summouendi communicationẽ prohibebat hominũ delictis ac maculis, cum qualib. & Apostolus cibũ quoq; vetat sumere: participari enim stigmata delictorũ quasi ex cõtagione si quis se cum peccatore miscuerit. Itaq; Dominus volẽs altius intelligi Legem, per carnalia spiritalia significantẽ & hoc nomine non destruens, sed magis exstruens, quã pertinẽtius volebat agnosci: tetigit leprosum, à quo esset homo inquinari potuisset, Deus vtiq; non inquinaretur, incontaminabilis scil. Ita non præscribetur alli quod deuerit legem obseruare, & non contingere immundum, quem contactus immundi non erat inquinaturus. Hoc magis meo Christo competere sic doceo, dum tuo non competere demonstro. Si enim vt æmulus legis tetigit leprosum, nihil faciens præceptum legis per contemptum inquinamenti, quomodo posset inquinari, qui corpus non habebat quod inquinaretur? Phantasma. n. inquinari non posset. Qui ergo inquinari non poterat vt phantasma, iam non virtute diuina incontaminabilis erit. sed phantasmatis inanitate: nec contempsisse videri potest inquinamentum, cuius materiam non habebat: ita nec legem destruxisse, quã inquinamentum ex occasione phantasmatis, non ex ostentatione virtutis eu serat.* Quem Tertul. ex eo satis conuincit, quia misit ad sacerdotes. Quantum. n. ad tutelam legis iussit ordine impleri, & argumenta figuratę adhuc tuebatur. *Itaq; adiecit, inquit, vt sis vobis in testimonium. Sine dubio, quo testabatur se legem non dissoluere, sed adimplere: quo testabatur seipsum esse, qui morbos & valetudines eorum susceperus annuntiabatur. Hãc tam congruentem & debitam interpretationem testimonii, adulator Christi sui Marcion, sub obtentu mansuetudinis & lenitatis quærit excludere. Nã & bonus, inquit, præterea sciens omnem qui lepra esset liberatus, solennia legis executurum, ideo ita præcipit. Quid tum? Perseuerauit ne in bonitate, id est, permissione legis, an non? Si enim bonus perseuerauit, non quã destructor erit legis, nec Dei alterius habebitur, cessante legis destructione per quam alterius Dei vindicatur. Si non perseuerauit bonus destruendo postea legẽ, falsum ergo testimonium postea collocauit apud illos in curatione leprosi: deseruit enim bonitatem, dum destituit legem. Malus iam quando legis euersor: si bonus, quum legis indultor. Sed & eo quod indulsit legi obsequium, bonam legem confirmauit. Nemo enim malo obsequi patitur. Ergo & sic malus, si obsequium malæ legi indulsit: & sic deterior, si bonæ legis destructor aduenit. Proinde si vt sciens omnem, qui lepra liberatus esset ita facturũ, ideo præcepit munus offerre, potuit & nõ præcepisse qui sciebat vtrò futurũ. In vanũ ergo desecẽdit quasi legẽ destructurus, cum cedit obsecutoribus legis. At qui quasi sciens formam eorũ, magis ea auertẽdos præuenire debuerat, si in hoc venerat. Cur ergo non tacuit, vt homo solo suo arbitrio legi obediret? Tunc. n. aliquatenus posset videri patientia sua præstitisse. Sed addicit ẽt auctoritatẽ suam exigẽtã testimonij põdere, cuius tam testimonii, nisi legis asserta? Certè nihil interest quomodo si manuerit legẽ siue qua bonus, siue qua superuacuus, siue qua patiens, siue qua inconstans, dum te Marcion de gradu pellam. Ecce præcepit legem implerè. Cum ergo legi indulsit obsequium, vt loquitur Tert. legẽ non abrogauit. Quod vero Vbiquitarij carni tribuunt vim sanandi, non sunt reprehendendi, si secundariam & instrumentariam duntaxat eam esse sentiant, non primam & quasi diuinam. Humanitas enim miraculorum faciendorum instrumentum fuit.*

Christus legis obseruator.

Christus legi testimonium dat.

VERSVS 17. & sequentes.

Et factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ, & Ierusalem, & virtus Domini erat ad sanandum eos, &c.

QVÆSTIO I.

Quæ de Paralytico Lucas peculiaria habet?

§. 1. COncordat ille cũ cæteris, sed quędã speciali exponit, aut verbis, q̃ exponenda sunt. Quidã legunt πόλεως, alii διὰ πόλεως, qua parte τῶ Φαρισαίω vel alii τῶ Φαρισαίων. *Vna dierũ* μία pro τῆς, Hebraismus est, quem Germani, Itali, Hispani sequuntur. Propriè, perperã quædã exemplaria habẽt, *infirmos*. Alius legit ἀυτὸν. Brug. in Notis Græcis *Ita est etiam tam Syriace quã Latinè, nec non apud enarratorem Euthy. manifeste. Annotat porro quidã se legisse in vno codice* ἀυτὸν *pro* ἀυτοὺς, *eamq; putat germanam esse lectionem, vt* ἀυτὸν *referat ad* ἰησοῦν. *& aptè anteriori construatur hoc sensu: Adfuisse illo virtutẽ Domini, vt ipse Iesus sanaret, eos nempe qui opus habebant.*

§. 2. Ἐπὶ τὸ δῶμα Beza, *Solarium*, domum enim & tectum significat, & vtroq; modo vtrumq; intelligitur, Per tegulas Beza διὰ τῶν κεράμων *per fossa testacea pauimenti.* [Ego, *inquit*, ne quis tegularum nomine intelligat imbrices, quibus acuminata domorum fastigia tegere consueuimus, pauimentum testaceum ex Plin. lib. 36. cap. 25. malui interpretari: præpositio vero διὰ perfossionem pauimenti indicat, quam exprimit Marc. 2. 4. quod etiam magnitudinem fidei istorum amplius declarat, quam si simpliciter ex tegulis, id est, fastigio domus demissus paralyticus diceretur.] Marcus habet c. 2. ἀπεστέγασαν τὴν στέγην *dat exerunt tectum*, & foderunt, seu patefecerunt. Plinius libro 36. cap. 25. alio modo vocat pauimentum testaceum. [Subdialia Græci inuenêre, talibus domos contegentes: facilè tractu tepente, sed fallax, vbicunq; imbres gelant. Necessarium binas per diuersum coassationes substerni capita earum præfigi ne torqueantur, & rudera nouo tertiam partem testæ tusæ addi: deinde rudus, in quo duæ quintæ calcis misceantur pedali crassitudine testucari. Tunc nucleo crasso sex digitos induci, & ex tesserâ grandi non minus alta duos digitos strui. Fastigium vero seruari in pedes denos sesquuncem, ac diligenter cote despumare, quemisq; axibus contabulare. Quæ torquentur inutilia putant: imo & silice aut palea substerni melius esse, quo minor vis calcis perueniat. Necessarium & globosum lapidem subiici. Similiter fiunt spicata testacea. Non negligendum est etiamnum vnum genus Græcanicum. Solo testucato iniicitur rudus aut testaceum pauimẽtum: dein spissè calcatis carbonibus inducitur, fabulo, calce ac faunillâ mistri materia crassitudine semipedali ad regulam & libellam exigitur, & est forma cerrena. Si vero cote deterso est, nigri pauimenti visum obtinet.] Video omnino errare Bezam, qui si Plinium inspexisset, aduertisset pauimentum testaceum dici rudus, & misceri cum aliis materiis ad patiendum solum.

Cur

Cur autem putem non rectè verti pauimentum, testaceum, causa est, quia non puto domus illius pauitũ aut festucatum fuisse, etsi .n. erat lithostrotę & camerate domus, huic tamen nõ conuenit: magno .n. molimine nec sine eorum qui subtus sedebãt molestiâ & periculo decidentibus frustis pauimentum soluerent. Erant enim pedato aut fere crassitudine. Si illis suppositaligna & asseres crassi oneri ferẽdo, quos ablato ad spatium infirmo demittendo sufficiens pauimento serrâ, aut securi oportuit dissecari, quod eos nec aulos, nec auditores passuros fuisse nemo non videt. Ipsi scil. serram ducent, Christo subtus considente. Deinde quid τοῖς κεράμοις cum pauimento? κέραμος est terra figularis & tegulæ & vas testaceum. Pro pauimento nusquam legi. Est igitur tegula imbrex, sed lamina figulina, quæ testis imponitur, vt facilè deponi possit: sine strepitu itaq; & periculo tegulas deponebant, deinde ligna, quæ minora erant, facilè amouebant. Tectum Syr⁹ vocat אגרא *Agara* & quod græcè est διὰ κεράμων *per tegulas*, ipse habet בין חמלילא *de tabulato*. est vero טלל *telal, tegere, vmbrare. Telala, vmbra*, hinc Mittaltha, *tugurium*, Tectum autem propriè, ideo & noster sic vertit, δῶμα etiam idem est.

§. 3. *Quid cogitatis mala in cordib. vestris. Mala* omittendum est: nam ex Matthæo translatum huc non pertinet. Vtrumq; dixisse Dominum non dubito. Primum quasi leuius cogitationes increpabat. *Quid cogitatis in cordibus vestris*, cum autem illi cogitatione responderent, rectè se cogitare, meritoq; ipsum blasphemiæ incusare. Iterum vrget, *quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Quædam etiam Græca habent πονηρά. *Tulit lectum*, est in Latino, Græcus tantum habet ἆρας ἐπορεύετο. Syrus habet, *lectum suum*. Quidam tamen libri addunt, τὴν κλίνην.

VERSVS 30. & sequentes.

Et murmurabant Pharisæi & Scribæ eorum, dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? Et respondens Iesus, dixit ad illos: Nõ egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos, &c.

QVÆSTIO I.

Quæ in lectione notanda sint?

§. 1. Οἱ γεγραμματεῖς αὐτῶν, quidam omittũt αὐτῶν, meliores cum Latino & Syro legunt: Beza hunc locum primo vertit hoc modo: *qui autem ex eis erant Scribæ & Pharisæi*, sed admonitus eos Christum non potuisse reprehendere, sicâdem in mensâ pascentur mutauit.

Noster interpres legit: καὶ ἐγόγγυζον οἱ φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς αὐτῶν λέγοντες πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. Syrus eodem modo, nisi quod αὐτῶν omittit, quod Erasmus & alii Codices et omittunt. Ipsorum autem Scribas & Pharisæos appellat qui eos instruebant, erantq; Sectæ eorum, aut conabantur eos ad frugem reducere.

V. 31. Qui male habent, Syrus habet רבוש בוש עבדין qui male affecti sunt, *debisch bisch ghabidin*.

V. 32. Non veni vocare iustos, multi libri addunt, Enim, contra Græcos, Syros, & nonnullos Latinos.

V. 33. Frequenter ieiunare. Syrus dixit אתיבאית constanter, verè, sincerè.

V. 35. Græca habent ἡ ὅταν *& cum* ablatus fuerit, Latinus & Syrus nõ habent, idque rectius.

V. 36. Syrus & vetus liber, *non replet frustum à vecenti*.

V. 36. Pro ἐχιτεῖ, *scindit seu rumpit*, & συμφωνεῖ quædam exemplaria habent ἐχίσει συμφωνήσῃ.

VERSVS 39.

Et nemo bibens vetus, statim vult nouũ, dicit enim. Vetus melius est.

QVÆSTIO I.

Quo pertinet comparatio vini noui & veteris?

§. 1. FAcillima & in vulgus nota sententia difficilis considerationeredditur. Solus eam Lucas habet, & à paucis exponitur, credo quia facilis videtur. Difficultas vero est nõ modo in ἀνταπόδοσει, siue redditione similitudinis, sed etiam in ipsa similitudine. Quidam enim vinum nouũ vocari volunt, nõ quod musteum est, sed quod nondum mediam ætatem accessit, vetus autem quod supra mediam ætatem est, ideoq; vocari παλαιὸν, quasi iam deficiens: mediæ .n. ætatis vina probantur. Plin. l. 23 c. 1. *Sua cuiq; vino salia innocentissima, sua cuiq; ætas gratissima. Hoc est m d a.* Sensus igitur fuerit; si hos audiamus; eos qui vetus bibere solent, non velle nouum, quod errore consuetudinis vetus nouo præferant, cum nouum melius sit.

Vinum vetus melius.

Nouũ quibusdam mediocre.

Hanc interpretationem non probo. Nam Christus vinum nouum, de quo hic loquitur, & versibus præcedentibus vocat mustum, quod nondum defecbuit: vtres enim veteres rumpit, quod feruentis est musti.

Nouum vinum est mustum.

§. 2. Constituendum igitur vetus vinum dici, quod iam omnino defœcatum, & morâ maturatum est, nouum vero mustum esse. Qui vero veteri potui assuetus est, non continuo mustum desiderat, dicit enim vetus esse melius. An rectè ille sentiat, disputant. Quidam aiunt in musto seu nouo vino amarorem esse, quem vetustas decoquit: Verum in generosissimis vinis, qualia in Iudæa erant, musti erat præcipua suauitas. Quo autem generosius vinum est, hoc magis vetustate crassescit, & in amaritudinem corpori minime vtilem coit. Condire eo aliud minus annosum insalubre est. Non igitur mustum insuauius est, aut vinum nouum. Alia igitur causa est, cur mustum dicat minus conuenire. Mustum omne stomacho inutile, venis iucundum est, capitis dolores facit, & gutturi est inutile. In ebrietatis regno primaria est eius potentia. Ideo Apostolos variis linguis loquentes musto plenos dicebant. Merito igitur assuetus vino veteri, non continuo cum vindemia spumat, mustum postulat, vt multi solent, qui noua dulcedine delectati, salubrem potum veteris vini fastidiunt.

§. 3. Quomodo sit exponenda similitudo, seu quis Christi scopus fuerit, non est difficile cognoscere, si id statuamus: Christum hac etiam demonstrare velle, quod fecit aliis duobus. Nempe longis ac frequentibus ieiuniis Apostolos non esse onerandos: vt exposui in Matthæo. Sed in argumento formando differunt.

Quidam bibentem vetus vinum aiunt esse Christum & Apostolos, eo quod viuant communi modo, secundum veterem tamen legem Mosis, quæ pauca ieiunia præcipiebat. Nouum vinum esse genus vitæ, quod Pharisæi instituerunt, in quo frequentia erant ieiunia, quorundam quidem recto animi zelo frequentata, aliorum autem vanitate inutilia. Accedere nouam austeritatem Ioannis & eius discipulorum, quos Pharisæi aliqui æmulabantur, non pietatis studio, sed gloriæ.

Hoc genus vitæ Christum aiunt vocare nouum vinum. Sensus igitur est. Discipuli mei assueti veteri instituto viuere, non possunt ad nouam victus rationem subito traduci, ideoq; signanter ἐυθέως subito. Non igitur cum alioqui pauperē vitam agant, sint in perpetuis pene peregrinationibus, nouo ieiunio cōtra consuetudinem onerandi sunt. Dicerent enim veterem vitam esse χρηστότερον meliorem, iucundiorem. Paulatim autem sensim mutationes esse faciendas: non quod non momento possit Christus eos in alios viros commutare, sed quod naturę conuenienter eos erudire velit, modumq; ostendere, quo ipsis in aliorum conuersione sit vtendum, aut sanè demonstrare iniquam esse Pharisæorum querelam, murmurantium, quod non continuo in ipso aditu discipulos austeritate vitæ percellat; cum recepta lex sit: mutationes pedetentim faciendas, ita Hippoc. 1. par. ἐν ἀφορισμοῖς aphorismo 1. τὸ κεν πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὀκωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν σφαλερὸν. καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῆ φύσι πολέμιον τὸ δὲ ὀλίγον, ἀσφαλές, καὶ ἄλλως ἡ κίνησις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μετα βαίνει. id est, *Plurimū atq; repentè euacuare vel replere, vel calfacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere periculosum: Quoniam omne nimium est naturæ inimicum. Sed quod paulatim fit tutum est, cum alias, tum cum ab altero ad alterum fit transitus.*

Id quod de hisce dicit, in omnibus omnino locum habet. Nam Apostoli nocturnis, ac diurnis laboribus assueti, valido, vegetoq; corpore, in mari & flumine vitam agere soliti, sine discrimine valetudinis longa & crebra ieiunia ferre non poterant, quamuis vero eam miraculo Christus seruare potuerit, non tamen non necessaria exigere illi debuerunt, sed moderationem & ὁμοίκειαν Domini probare τὸ ἐυθὲς naturæ amicum est.

§. 4. Alii vinum vetus Cærimonias Mosaicas, nouum vero Euangelij libertatem interpretantur. Tum vero sensus est. Qui vetus bibit, hoc est legis cærimoniis vtitur, non continuo nouum desiderat, hoc est Euangelii libertatem amplectitur: dicit enim veterem legem esse meliorem. itaq; eum, qui vetus vinum nouo præfert; non ex æquo & bono, sed affectu iudicare: nouum enim dulcius, sed ei cui aliter formatus est gustus ex consuetudine videri minus iucundum. Quemadmodum illi qui duris assueti sunt, solidisq; cibis, nimium delicatos fastidiunt. Hanc minus probo: Neq; enim causam reddit, cur Apostolos Euangelium non statim amplecti velit, cum omnes hortatus sit, vt crederent Euangelio, sed cur noluit eos Ioannis ritu ieiunare. Nec Apostoli Euangelium & Christi consortium amplexi, veteres cærimonias nouæ libertati anteponebant, imo legem ipsi diligenter seruabant, & quomodo ad Christum illa duceret, paulatim docebantur.

Lex vetus nouum præcipit.

Simon. non est Euangelium.

CAPVT VI.

FACTVM est autem in sabbato secundo, primo, cum trantret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus. 2. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis? 3. Et respondens Iesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit Dauid, cum esuriisset ipse, & qui cum illo erant? 4. Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumsit, & manducauit, & dedit his, qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus? 5. Et dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis etiam sabbati. 6. Factum est autem & in alio sabbato, vt intraret in synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida. 7. Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi si in sabbato curaret: vt inuenirent vnde accusarent eum. 8. Ipse vero sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit. 9. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos si licet sabbatis bene facere, an male: animam saluam facere, an perdere? 10. Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus eius. 11. Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent Iesu. 12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. 13. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos & elegit duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominauit.) 14. Simonem quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, Philippum, & Bartholomæum. 15. Matthæum, & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes, 16. & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit prædito r. 17. Et descendens cum illis stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalē, & maritima, & Tyri, & Sydonis. 18. Qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. 19. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. 20. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei. 20. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis. 22. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. 23. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlo: secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum. 24. Verumtamen væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. 25. Væ vobis, qui saturati estis: quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. 26. Væ cum benedixerint vobis homines: secundum hæc enim faciebant pseudo Prophetis patres eorum. 27. Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. 18. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. 29. Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et abeo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. 30. Omni autem petenti te tribue: & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. 13. Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. 32. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt. 33. Et si benefeceritis his, qui vobis benefa-

nefaciunt quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. 34. *Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere: quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.* 35. *Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi quia ipse benignus est super ingratos & malos.* 36. *Estote ergo misericordes sicut & Pater vester misericors est.* 37. *Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.* 38. *Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* 39. *Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt?* 40. *Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* 41. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* 42. *Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater sine eiiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo: & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.* 43. *Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos, neq; arbor mala, faciens fructum bonum.* 44. *Vnaquæq; enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neq; enim de spinis colligunt ficus: neq; de rubo vindemiant vuam.* 45. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.* 49. *Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis quæ dico?* 47. *Omnis, qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos: ostendam vobis cui similis sit.* 48. *Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram, inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere. fundata enim erat super petram.* 49. *Qui autem audit, & non facit: similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluuius, & continuo cecidit: & facta est ruina domus illius magna.*

IN CAPVT SEXTVM

ARGVMENTVM.

CApite quinto Matthæi, & septimo exposita sunt ferè, quæ hoc capite recensentur, de spicis, manu arida, discipulorum missione, miraculis, concione. Quædam ex 4.10.12.14.15. etiam sunt. Initium huius capitis vsq; ad versum 12. in Syriacâ Ecclesiâ legitur, matutinis feriâ tertiâ hebdomadis quintæ ieiunii. à v.12. ad 20. Apostolorum & martyrum festis. Hinc ad v.20. Feria sexta hebdomadis quartæ ieiunii ad v.37. Deinceps vsque ad finem, ad vesperas quarta feriâ præcedente ieiunium, ac de patribus. Quibus ex notis apparet in ieiunio, festisq; illius Ecclesiæ cum nostrâ consensus. Quanquam autem cum alijs Lucas conueniat, sunt tamen nonnulla, quæ vtilissimè notari possunt, dum vel addit aliquid, vel aliis verbis sententiam pronuncieat. Cum igitur nullæ quæstionum difficultates appareant, aut sanè pauciſſimæ, breuiter quæ ad textum pertinent explicabo, & si quid grauius incidat, non negligam.

QVÆSTIO I.

Quæ hoc capite consideranda?

V.1. ALij *licet*, alij *licebat*, in Græco est præsens, idq; magis conuenit instituto.

V.5. Brugensis in Notis Græcis recenset in Parisiensium secundo hæc verba. τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον τῷ σαββάτῳ ἔπεν αὐτῷ· ἄνθρωπε εἰ μὲν οἶδας τί ποιεῖς μακάριος εἶ, εἰ δὲ μὴ οἶδας ἐπικατάρατος καὶ παραβάτης εἶ τοῦ νόμου. Quod est. *Eodem die cum quendam conspexisset operantem sabbato dixit ei: Homo si quidem nosti quid agas beatus es: si autem nō nosti execrabilis es, & transgressor legis.*

V.6. Quædam exemplaria non habent ἐν τῷ ἐπὶ τὸ ἐπί- omittunt enim ἐν, sed maior est vis & clarior sententia si addatur.

V.7. Quidā Græci libri παρεπήρουν αὐτὸν, sed pronomen αὐτὸν non est in Latino & Græcis plerisq;, sed in Syro, quidam etiam θεραπεύει αὐτὸν, vbi etiam αὐτὸν redundat. Eodem loco supplerunt quidam κῦ & legerunt κατηγορίαν κῦ ἀυτῦ. *accusationem contra ipsum.* Sed κῦ quod abest in aliis subintelligendum est. Apud Theophyl. expunitur præpositio & quibusdam libris, quocirca & in Frobeniana editione habetur.

V.8. Syrus interpres addit in medium Synagogæ, seu congregationis. Hoc est enim בנר שיחא *cenu schetha.* Proprie congregationem significat.

V. 9. Syrus, *cum venisset & staret.* Si τί retinemus, potest vel sic accipi vt sit. Interrogabo vos. τί *quid? licet benefacere*, vel τί ἔξεστι *quid licet?* Et pro τί Beza in vno exemplari repertisse ait. εἰ Quærit verò non de quolibet bono opere, nam offerre sacrificia, precari, legere, audire scripturas, concedebant licere. De operibus charitatis quæstio est? an proximo liceat benefacere? *Interrogabo & interrogo* sic in Græco variant exemplaria. In quibusdam pro ἀπολέσαι pro ἀποκτεῖναι pro *perdere* est *occidere.*

V.10. *Et restituta est manus eius.* Καὶ ἀπεκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη. *Et restituta est manus eius sana sicut altera.* Syrus אתיבת כרתה *Aithchabertach vt sociata est.* ὑγιὴς Syrus, & quædam græca omittunt. Pro ἐξέτεινε, est in quibusdam: ὃδε ἐποίησεν οὕτω. *Sicut altera* deest quibusdam libris, vt & in nostra editione.

V.11. Syrus ad verbum. *Vnus cum vno:* familiari Hebraismo. Ἀνοίας *insipientiam.* Syrus vocat חסמא *chasama. Inuidiam.* Quam nota in margine vocat קנאה quod proprie inuidiam, seu zelotypiam significat. Propriè sane inuidia fuit, qua æmulabantur Dominum, quod illi populus, neglectis doctoribus & Sacerdotibus adhæreret. Summa omnino stultitia, nolle salutem, ne alteri debeas honorem Saluatoris. Malle perire, quam Christo salutem debere.

VERSVS 12.

Factum autem est in illis diebus exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione.

QVÆSTIO I.

Cur in oratione pernoctat?

Apostolorũ electio res summa est.

§.1. DEi filius scrutator cordium & renum, qui clara in luce ab æterno ad Apostolatum destinatos videbat, tanti rem eam æstimat, vt in oratione pernoctet, & deinde Apostolos ordinet. Non ergo mirandum, Actor 1. per preces Matthiam, & Act. 6. Diaconos eligi. Verum supra modum stupendum est: non modo sine cõsideratione & precibus, verum ẽt spectatis luctis, amicitiis, ministeriis, fauorib. multos ordinari: Quâ quidẽ in re grauissimè ecclesia patitur, plurimiq; Prælati æternùm damnantur. Porro mira

Versio antiqua defensa.

peruersio Bezæ, qui vertit. *Et pernoctauit illic precãs Deũ.* Cum Græc⁹ eodẽ planè modo. καὶ ἦν διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ θεοῦ. *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Ille *in precatione ad Deum.* Cum par omnino sit ratio locutionis in Græco, nec Latinum sine Græco corrigi debeat. Προσευχὴν θεοῦ, non προσευχὴν πρὸς θεὸν dixit. Quia Deus orabatur, qui orabat etiam Deus erat, sed qua homo precabatur, ex Dei tamen persona dignitatem habebat oratio.

V.13. Apostoli absq; dubio, si sua sponte Domino non mittente profecti essent, grauiter deliquissent.

V.17. Alii legunt *& maritimis Tyri & Sydonis*: Verũ sensus. Ex regione maritimã, circa Tyrum & Sidonem venisse. Non .n. παράλιος est epithethon Tyri & Sidonis, cum non sint alia Tyrus & Sidon, de quib. intelligi possit. Erasm. itaq; merito à Beza reprehenditur quod verterit à maritima Tyro & Sidone, non enim de vrbibus solis, sed toto tractu intelligitur, qui est in Syro phœnicia. Τὴν παράλιον τύρου vocat Syrus סבב ימא quod miror quosdam portum vertisse, quod non conuenit huic loco, dicendum enim, terminum, limites, seu fines maris designari, non portum. Nec enim ex solo portu veniebant. Etiam hoc notandum Tyrum hic à Syro צור hebraico nomine dici, cum aliqui תור vocare eam consueuerint.

V.22. ἀφορίζειν erat è catalogo Ecclesiæ & Synagogæ expungere, & postea vsitatum apud Christianos. Nomen eiici tanquam malum ὡς πονηρόν. Syrus dicit: איבביאא *ai.h biche*, velut improborum, putrium & reiectitiorum, similitudo à pomis, aut aliis sumpta, cum bona colligunt, mala eiiciunt.

V.23 *Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorũ.* Persecutionem in Prophetas Dominus illis exprobrat. Exempla passim occurrunt. Contra Mosen semper murmurarunt. Samuelem reiecerunt, Zachariam Ioas lapidauit. Eliam persecuta est Iezabel. Michæam Ioas rex Israel præcipitauit ex alto, Esaiam, Manasses serra secuit. Ieremiam lapidarunt in Ægypto. Σκιρτῆσαι, Beza vertit, salire: nimium vt ita dicam propriè: hic enim metaphora melior est. Non enim de inepta & gestiente lætitia dicitur. Qualis illius Persæ fuisse memoratur, cuius solœcismus ridetur.

ὡς ἡμέρομαι καὶ τέρπομαι
καὶ βέλομαι χορδίσαι.
Vt gaudeo & delector & volo saltare.

Sed de graui & modesta, quæ sanctos decet.

V.26. In quibusdam legitur ὑμῖν. *Vobis.* Ita Syrus etiam. Omittunt alii πάντες, vt & Syrus; ita & in Latino.

V.29. Vestis summa scil. est pallium. Hinc Plaut.

Tunica pallio propior est.

Vestimentum ἱμάτιον appellat, cui opponit χιτῶνα tunicam. Qua ex re consequi videtur, vestimentũ esse togam aut pallium. Syrus dicit מרטוב *martutaeh*.

V.34. Δανίζειν dicitur qui fœneratur & qui citra fœnus dat. Latinum verbum fœneratur hic vsurpat pro dare mutuum.

V.35. Syrus ne præscindatis spem hominis, nam ἀπελπίζοντες legit, quam esset transitiuum. *Nihil inde expectantes.* μηδὲν ἀπελπίζοντες, nihil præter sortem expectantes, ab homine scilicet; à Deo enim expectare fas est. Quod optimè Syrus expressit licet à verbis recesserit, ולא תפסקם סברא דאנש *Et non promittetis vobis expectationem hominu.* Vt omnem auaritiam & fœnoris etiam cogitati, vel gratitudinis titulo palliati crimen tollat.

V.37. Pro *dimittere* est in Græco ἀπολύειν. *Absoluere.* Syrum verbum est שרא est soluere dissoluere intricata vincula. Qualia sunt odiorum & simultatum multis causis irritata & connexa.

V.38. *Mensuram confertam & coagitatam, superefluentem.* Πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον. Syrus vocat expansam & profusam, duo enim sunt vocabula tantum his tribus respondentia. Primum est רקיעתא *rikichata* quod significat extensam, latam: quod loco confertæ & coagitatæ ponitur. Alterum משפקתא *Maschaphchatha* quod effusam inundantem, abundantem significat. Πεπιεσμένη est in aridis, vt lana, lupulo, quæ compresse stipantur. Syrum vocabulum propriè Tusam significat, quod exprimit πεπιεσμένον. *Ingrati*, Syrus בפרא, denegantes, ita vocant ἀθέους, & prima philosophię moralis principia, aut sermone aut opere inficiatos.

V.39. Quidam *in foueam cadent*, alii *cadunt.*

V.44. Syrus. *Cur* sed putant בר it repsisse, & legendam negationem solam. Fieri enim potest vepro לבא quod nunc est in Syris legendum sit לא *la.*

V.46. *Os loquitur.* Syrus שפותא *sibeuatha, labia.* ita fere solent efferre.

V.48. *Fodit in altum* Græcus ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε, *Fodit & profundauit*: ita etiam Syrus חפר ועמיק *chafar vaahammec. Fodit & vallem fecit*, hoc est in profundo depressit fundamentum. Syrus ad verbum: *plenitudo*, quo satis exprimitur πλυμμύρη Græca dictio. Accipienda autem secundum materiam subiectam est plenitudo aquarum.

VERSVS 38.

Date & dabitur vobis; mensuram bonam, & confertam & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis remetietur vobis.

QVÆSTIO I.

An merita non respondeant mercedi?

§.1. BEzę frequentes in rebus Grammaticis errores ostendi, dum omnia corrigere nititur: at vero vbi Theologum ãgere incipit, graui⁹ omnino labitur. Hunc in locum ita commentatur. [Quæ vobis erit gratia? Id est, quid est in hoc vestro opere, quod Deo gratũ esse possit? vel quid gratię possitis à Deo consequi hoc facto vestro. Videtur .n. hęc ita explicare Matth. quũ inquit, τίνα μισθὸν ἔχετε: quam mercedẽ referetis? Ex quib. ẽt verbis apparet nũnullos frustra somniare mutuã inter meritũ & mercedẽ relationẽ, cum idipsũ à Luca χάρις dicatur, ᾧ μισθὸς à Matth. Possumus tamẽ hoc aliter ẽt explicare, nẽpe si χάριν ad homines ipsos

„ rulerimus, vt sit hæc sententia. Quæ vobis est gratia? „ id est, quæ est vestra in eare liberalitas, ac beneficētia? „ Nā qui eum diligit, à quo vicissim diligitur, nō pōt di- „ ci quippiā largiri, sed reddere potiꝰ quod debet: adeo, „ vt nisi id faciat, non possit vir bonus videri. Postremò „ qui eum demum diligit à quo se diligi putat, is profe- „ cto videtur non tam amicum, quam seipsum diligere, „ ideoq; non alijs, sed sibiipsi gratificatur. Sed videtur „ mihi prima interpretatio maximè conuenire: quam- „ obrem etiā ἐὰν verti per futurum, sicut apud Matthæū „ ἔχετε interpretatus sum Habebitis, id est, ἕξετε, quia de „ beneficiorum mercede disserit Christus ex hypothesi: „ quasi diceret: si in amando spectatis vestra commoda, „ quærite ea commoda quæ verè commoda sunt, dili- „ gite igitur inimicos vestros. Nam ita ostendetis vos „ ea commoda exspectare, quæ non ab hominibus, sed „ à Deo proficiscuntur, cum homines propter Deum „ diligetis. Alioquin si amicos duntaxat diligatis, non à „ Deo, sed de ipsis amicis paria exspectare, vt profani „ homines solent. Est autem insignis hic locus, in quo „ apertè ostenditur discrimen præceptorum Euangelij „ ac Philosophiæ, quum alioquin etiam Socrates apud „ Platonem de diligendis quoq; inimicis doceat.]

Respondeo vim argumenti in eo positam: Matthæus dicit, μισθον, Lucas χάριν, μισθὸς igitur est χάρις, merces est gratia. Sed gratia non habet relationem ad meritum, nec ergo μισθὸς merces. Etsi igitur merces est, non est tamen meritum. Hæc quam nullo modo cohæreant satis hic locus ostendit. Nam Christus ait, eos nullam mercedem, nullam gratiam habituros à Deo scilicet, si eos diligant, qui ipsos vicissim diligunt. Quia vero eo in facto nulla est χάρις gratia, vel merces, iubet amplius facere aliquid, & inimicos diligere. Hic igitur est χάρις, seu merces: at χάρις illa, seu merces respicit meritum. Nam χάρις non est hic favor, aut donum Dei quo operamur, sed est gratia quæ operi refertur. Deus igitur quia gratiam refert, respectu operis id facit: quemadmodum homo, si quid beneficeris gratiam affectu, verbis, aut facto rependit: ita Deus quoq; non affectus beneficio, sed virtute delectatus, eam compensat. Gratia igitur opus respicit, & quidem meritorium; promissa est enim operi; at gratia promissa, est gratia debita.

Debita non ex virtute solius operis, sed misericordissima liberalitate promissoris, vt aliàs ostendi. Sic & gratia debita est benefactori, quia ingratus peccat. Est enim obligatio quædam gratias agendi, sicut benefaciendi. Deus autem cum se ad agendas gratias obligarit, eas referre etiam tenetur. *Gratia promissa, sit debita.*

§. 2. Quod vero ad homines refert gratiam, quasi dictum sit, non deberi gratiam illis, qui amicum non amici sed sui commodi ergo diligunt, licet timide asserat, omnino tamen à sensu recedit. Non enim agit de amore qualem se Epicuræi habere dicebant, quo non aliter amicus, quam fundus, equus, bos amatur, sed amore, quo amicos interdum gratis amabant, naturali quodam affectu. Quod si eo modo interpretemur, Bezæ cauillum de gratia & mercede concidit. Nam homini homo gratiam debet, si benefecerit, si gratis amarit.

Quin ipse iubet à Deo commoda vera exspectare, diligendo inimicos, & amicos propter Deum: non enim nisi humana dari possunt, si non alia nisi propter amicos. Gratia igitur hoc loco est gratiarū actio. Deo nos gratias ꝓ beneficijs debemus, & gratæ sunt, quia sacrificium laudis, de quo August. T. 5. 84. cuius & illud præclarum est. Serm. 126. de tempore. *Hoc actio gratiarum est, veluti si dicatur sanctum sit & benedictum nomen tuum.* Decet ergo gratias agere qui gratiam meruerunt. Gratias autem Deo agimus, non damus, non reddimus, non rebus, sed verbis tantum referimus. At certe ex iure & debito gratias Deo dicimus. E contrario Deus nobis vt dixi ex promisso gratiam refert, cum bene facta remunerat. Ea vero gratia merces est. quæ respicit operis meritum, & pactum promittentis. Errat vero Beza quod χάριν non putat esse gratiarū actionem, vel compensationem beneficij, atq; adeo ipsum beneficium, vt Plutarch. de Socr. dæmon. ἡ χάρις, inquit, ἔλλογον δεομένη καὶ λαμβάνοντος, ἢ δὲ δίδοντος ἐξ ἀμφοῖν τελειοῦται πρὸς τὸ καλὸν. ὁ δὲ μὴ δεξάμενος, ὥσπερ σφαῖραν εὖ φερομένην, κατέχειν, ἀτελῆ ποιοῦσαν. *Gratia non minus desiderat accipientem, quam dantem, & ex vtriusq; perficitur, honestumq; tangit. Qui autem non excipit, sicut pilam rectè delatam & directam, deboneſtat gratiam, cadentem, & finem suum non assecutam.* *Gratia pro dantis & accipientis.* *Diuino non humano amore amici sunt diligendi.*

CAPVT VII.

CVM autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum. 2. *Centurionis autem cuiusdam seruus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus.* 3. *Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & saluaret seruum eius.* 4. *At illi cum venissent ad Iesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei: Quia dignus est vt hoc illi præstes.* 5. *diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis* 6. *Iesus autem ibat cum illis. Et cum iam non longe esset à domo, misit ad eum centurio amicos, dicens. Domine noli vexari: Non enim sum dignus vt sub tectum meum intres.* 7. *propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.* 8. *nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alij veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.* 9. *Quo audito Iesus miratus est: & conuersus sequentibus se turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni.* 10. *Et reuersi, qui missi fuerant domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum,* 11. *Et factum est: deinceps ibat in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius & turba copiosa.* 12. *Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa.* 13. *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.* 14. *Et accessit, & tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt.) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge.* 15. *Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ.* 16. *Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.* 17. *Et exijt hic sermo in vniuersam Iudæā de eo, & in omnem circa regionem.* 18. *Et nuntiauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his.* 19. *Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum, dicens: Tues qui venturus es, an alium expectamus?* 20. *Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te dicens: Tues qui venturus es, an alium expectamus?* 21. *(in ipsa autem hora multos curauit à languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum.)* 22. *Et respondens, dixit illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, &*

viderunt: Qui claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: 23. & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. 24. Et cum discessissent nuncij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas. Quid existis in desertum videre: arundinem vento agitatam? 25. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt & deliciis, in domibus regum sunt. 26. Sed quid existis videre? prophetam? Vtiq; dico vobis, & plusquam Prophetam: 27. hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te: 28. Dico enim vobis: Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est, qui autem minor est in regno Dei, maior est illo, 29. Et omnis populus audiens & publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. 30. Pharisæi autem & legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsos non baptizati ab eo. 31. Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius? & cui similes sunt? 32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus adinuicem, & dicentibus Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentauimus, & non ploraſtis. 33. Venit enim Ioan. Baptista, neq; manducans panem, neq; bibens vinum, & dicitis. Dæmonium habet. 34. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum. 35. Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis. 36. Rogabat autem illum quidam de Pharisæis vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. 37. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix vt cognouit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit Alabastrum vnguenti: 38. & stans retrorsum secus pedes eius: lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. 39. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est, 40. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. 41. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. 42. Non habentibus illis vnde redderent, donauit viriq; que. Quis ergo eum plus diligit? 43. Respondens Simon dixit: Æstimo quia, cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. 44. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intrauit in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. 45. Osculum mihi non dedisti: hæc autem, ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. 46. Oleo caput meum non vnxisti. hæc autem vnguento vnxit pedes meos. 47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. 48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. 49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? 50. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

IN CAPVT SEPTIMVM

ARGVMENTVM.

HOc capite de centurione agit, de quo Matth. c. 8. 5. Ioan. 4. 46. De filio viduæ à morte resuscitato. De Ioanne, de quo Matth. 11. 2. De peccatrice quæ pedes eius lacrymis lauit, & vnxit. Hæc Historia cum illâ de filio viduæ in solo Luca est, & vna præterea, alteraue sententia, quæ idcirco explicanda sunt, A v. 11. ad 19. leguntur apud Syros ad oblationem Dominicæ 5. Ieiunij. Hinc ad v. 36. Dominica post Epiphaniam. A illo versu vsq; ad finem: Syrus hunc titulum ponit. Ad horum *tertiam feriâ quinta arcanorum.* Hoc est, die Iouis sancto, quo Eucharistiæ sacramentum est institutum. Hoc est enim quod ait רזיתא *dʒazize*, arcanum vocant hoc mysterium, quod etiam est 1. Ioan. 4. in lectione. Frequens est in rituali Seueri, qui fuit Syrorum Patriarcha. Hinc dictos puto, quos Syroarabes nominant *Razenos*, qui sunt arcanorum sacrorum antitistes, alicqui & Christianorum secretum erat Eucharistia, vt frequens est apud Tertullianum mentio, & aliàs eâ de re disputaui.

VERSVS 1.

Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum.

QVÆSTIO I.

Rectene noster verterit?

Impleuit Christus propriè sermonem.

§. 1. BEza ἐπλήρωσε vertit *finiuisset*, noster, *impleuisset*, quam ille vt ambiguam reiecisse se affirmat. Verum si ambigua fuit, ex duobus significatis ea potuit nasci ambiguitas, quod *implere est* finire & reipsa perficere quod dictum est, quemadmodum Christus Prophetias, *impleſſe* dicitur. Vaticinia repræsentando. Illi amphibologiæ satis cautum erat, cum additur in aures, εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ in quo etiam Beza dissertior Lucâ esse voluit, cum dixit audiente populo, quasi non latinissimè dicamus, *loqui in aurem alicuius.* Deinde eadem est in Græco ambiguitas ἐπλήρωσε quod est, *impleuit.* Si nostram reiecit, cur non & Græcam orationem, hoc est, Spiritus sancti reiecit? Non enim dubium est, quid sit πληρῶσαι τὸν νόμον. *Implere legem.* Iniuriam igitur Spiritui sancto facit, eius linguam corrigendo, & supercilioſa censura vim scripturæ minuendo, cum non modo finiuit sermonem Christus, sed impleuit etiam omnia dicendo quæ à Deo constituta, & in rem auditorum erant: Multi finiunt, non omnes implent. Finiunt, cum plura dicenda interdum suspersunt: implent, qui omnes numeros oratoris impleuerunt.

V. 2. Synagogum Syrus appellat, domum congregationis בית כנושתא *beth cenuscheetha.* Vtrumq; enim significat, ideo vero domus ita appellatur, quia in eâ congregationes sacræ erant.

V. 6. Noli vexari, Syrus ne fatigeris. לא תעמל *la thechemal.*

V. 6. Cum rogat Christum centurio. Noli vexari, Syrus לא תעמל *la thechemal, ne fatigeris*; nō existimat eum infirmum, vt fatigationem fugere non valeat, sed credit eâ sponte ab eo susceptam, qui enim sanare potuit

potuit famulum, cur non etiam ipse fatigationi suæ mederi potuisset?

V.7. Syrus, *indignus fui*, conuenienter modestiæ centurionis.

V.8. Syrus, *habens sub manibus meis milites.*

Vrbem nominat, & turbam copiosam præsentem refert vt tanti miraculi testes plurimos fuisse ostēdat.

V.11. Naim in radice montis Hermon est, à Thabor distans bis mille passibus. Hieron. in Epitap. Paulæ ad Eustochium, & locis Hebraicis. Brochardus in descript. terræ sanctæ c. 5.

Non est Naioth. 1. Reg. 19. illa enim & alio situ, & nomine dicitur, ad radices Hermon.

V.11. Vocatur Syriacè נאין Nain.

Hermon autem è Sidoniis Sarion appellatur, Ab Amorrhæis Sanir. Deut. 4. Ios. 15. 88. 1. Par. 5. Eum triplicem faciunt, alium in Thechenitide, alium prope Thabor. Hunc autem esse, quem scriptura vocat *montem modicum.*

Extra portas sepeliebantur omnes veteri instituto.

v.12. Consilio occurrit ad portam, vt plurimi essent miraculi testes, & fidem amplecterentur. Cum autem efferrent, mortuum esse constabat. Erat verò vnicus & viduæ filius, & adolescens. Misericordia motus non rogatus suscitat.

V.11. *Deinceps*, exemplaria habent ferè ἐν τῇ ἑξῆς *die sequenti*, sed Theophylactus & alii ἐν τῷ ἑξῆς *tempore sequenti.* Syrus tamen expressè לירמא דבתרה *die sequenti.* De tempore non die intelligi, ideoq; legendum τῷ ἑξῆς, & Syrum quoq; corrigendum ratio temporis docet. Sanato enim Centurionis seruo, venit domum Petri, socrum Sanat, & vesperè multos alios. Matt. 8.15. Non igitur illa die Capharnaumo discessit: nisi igitur noctu iter fecisse dicamus, non potuit altera die adeò maturè venisse Nain, vt funeri occurreret, iter enim diei fuit.

V.12. Beza pro τὴν χήραν, legit, τῇ χήρᾳ, sed repugnant exemplaria græca, latina, Syriac. Syrus enim expressè, *Ipsa mater eius erat vidua.* Pro eo autē, quod est in nostris: *Ecce defunctus efferebatur.* Syrus habet, *& vidit comitantia mortuū.* Quod cur verterit, cogitare non possum.

Alloquitur adolescentem, quia Deo, omnes sunt præsentes, & auctoritate propria illum vitæ restituit. Ezechiel 37.45. arida ossa iubet audire verbum Domini. Petrus Act. 9. v. 40. Surge, sed non addit dico, quia aliena auctoritate suscitabat.

V.14. Allegoria apud Ambr. & Aug. Serm. 44. de verbis Domini. Greg. in exposit. Psal. 4. pœnit. Theophyl. Alexand.

VERSVS 16.

Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suā.

QVÆSTIO I.

Quem prophetam magnum putant?

§.1. NOn modo vt virum eximiæ sanctitatis celebrant, sed Messiam esse affirmant. Nam Ioannes erat etiam propheta, & ante eum Zacharias, Simeon, Anna, cum verò Pharisæi Ioannem putarent Christum, quid mirum est populum miraculi magnitudine attonitū, mortis dominū credidisse Messiam.

Magnum prophetam Syrus appellat רבא *rabba.*

§.2. Beda arbitratur etiam Deum credidisse, quia adiungunt, Et quia Deus visitauit plebem suam. Verū sensus ille esse potest Deum misso propheta visitasse.

V.22 Neoprobo quod is qui Syrum vertit latine, dixerit, pauperibus euangelizatur, cum sit in Syro participium מסתברין *Mestbaberin* εὐαγγελιζόμενοι.

V.23. Qui non fuerit scandalizatus. Syriace דלא נתבשל בי *dela netbcseschel bi* qui non inciderit vel impegerit in me, seruatâ accuratè Metaphorâ.

V.25. Vestem preciosam vocat ἐν δόξῃ. Græcus vti & Syrus eodem recidit.

V.30. Syrus: Pharisæi calumniati sunt apud se volūtatem Dei, est n. בנפשהון *benaphsehun*, in anima suâ,

VERSVS 29.

Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum baptizati baptismo Ioannis?

QVÆSTIO I.

An Christi, an Euangelistæ verba sint?

§.1. AMbrosius quasi Christi verba referre dicitur, consentiunt Beda, Euthym. & D. Thomas. Christus enim laudato Ioanne, rectè factum à populo, & publicanis affirmat, quod Deum iustificauerint, & baptizati sint. Improbè Pharisæos, qui remedium salutis à Deo oblatum spreuerint. In eâdem sententiâ est Maldonatus. Neq; enim causam esse putant, cur Christi orationem Euangelista interpellet; *Deinde*, inquit, *illa dictio, ergo, quæ statim sequitur v.31. non solum indicat, sed planè ostendit continuatam fuisse orationem Christi; colligit n. Christus non ex ijs, quæ Euangelista, sed ex ijs quæ ipsemet dixerat. Cui ergo similes dicam &c. Non potest autem colligere, nisi ex illa verba, Pharisæi autem, & legisperiti spreuerunt consilium Dei: illa ergo verba ipse dixerat.* *Christi verba putant.*

Præterea eodem tempore iustificauerunt Deum, & sunt baptizati; non autem iam, cum Christus illa diceret, baptismum Ioannis susceperunt.

Denique hæc verba, *ait autem Dominus*, in plerisq; non inueniuntur.

In semetipsos spernere dicuntur, quia aduersum ipsos auctores superbiâ tandem proficit. Non enim medico nocere solet Phrenesis ægroti, sed illi qui aduersus remedia contumax est.

Postrema ratio probabilitatem habet, nam in Syriacis libris, multisq; Græcis & Latinis illa verba desiderantur, cum tamen in pluribus habeantur, atq; etiam in vltimâ correctissimaq; editione, conuincitur potius verba Euangelistæ esse, cur enim interponeret *ait autem dominus*, nisi aliquid orationi interposuisset? sensus autem, est omnem populum audito Ioanne Deū iustificasse, approbasse, laudasse eius consilium, spreuisse autem illud Pharisæos. Ambros. *Aperuit*, inquit, *sanctus Lucas specialibus additis, quod quasi generalibus sanctus Matthæus subobscurum reliquerat. Ille enim ait, & iustificata est sapientia à filijs suis.* Ex quibus non constat, Christine an Lucæ verba existimarit, sed cum addat verba sequentia, *ait autem Dominus*, Lucæ potius existimant. *Euangelistæ verba sunt.*

Exitiabile illis fuit Dei spreuisse consilium in semetipsos in animo suo. Sanctè & prudenter Ambrosius: *Non contemnamur igitur*, inquit, *sicut Pharisæi consilium Dei. Consilium Dei est in baptismate Ioannis: quis igitur dubitet Dei esse consilium in Christi lauacro? Hoc est consilium, quod in igni consilij Angelus reperit, quod nemo cognouit. Quis enim cognouit sensum Domini? Hominis consilium nemo contemnit. Dei consiliū quis refutet? Ergo quasi filij matrem iustificemus, matrē sequamur. Scimus quia mater profilijs sæpe offert periculo. Matris sapientiæ consilio, Matris obediamus imperio.*

Malitia eorum inde cognoscitur, quod dæmonium Ioanni tribuant.

V.33. Dæmonium habet, non modo παρέδρον seu assistens, sed vt est in Syro שארא איתי בה *Schidaith bech*, dæmonium est in eo.

VER-

VERSVS 33.

Venit enim Ioannes Baptista neque manducans panem, neq; bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet.

QVÆSTIO I.

Quid prohibetur?

§.1. NIhil inde exspectantes, μηδὲν ἀπελπίζοντες, nihil præter sortem exspectantes, ab homine scilicet; à Deo enim exspectare fas est. Quod optime Syrus expressit, licet à verbis recesserit. ולא תבסקון סברא דאנש *vela thephsekun sabra denasch. Et non promittetis vobis exspectationem hominis.* Vt omnem auaritiam & fœnoris etiam cogitati, vel gratitudinis titulo palliati, crimen tollatur. Imò perfectionis est, ne gratuita quidem commoda exspectare.

VERSVS 37.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.

QVÆSTIO I.

Quæ mulier?

§.1. HAnc esse diuersam historiam ab eâ, quæ est Matth. 26. 7. statuo. Circa hæc enim tempora contigisse, ideoq; narrari, vt appareat ingenium Pharisæorum, etiam eorum, qui à Christo alieni non erant. Illi enim etiam propriæ iustitiæ opinione inflati, alios contemnebant, minus Deum diligebant. *Maria Magdalena fuit.*

Non modo peccatricem, sed infamem fuisse indicat, Syrus dum ait, & qualis rumor טבחה *tabbach*, sic enim ait. *Et qualis rumor peccatricis huius mulieris, quæ tetigit eum.* Eâ etiam de causâ Simoni nota erat.

§.2. Peccatricem vocat, non pudicam, nec scortum publicum tamen, infamis tamen erat ob vitæ licentiam. Morum erat eo tempore in Imperio Romano magna planè corruptio, non minor in Iudæâ, quæ semper in deterius propensa, nunc prætextatos mores referebat, Herodis etiam nequitiâ admodum depravata, qui theatra, & amphithearra erexit. Virorum igitur exemplo mulieres & copiosæ, & honestis familijs natæ impudicè viuebant. Non vt quæstum corpori facerent, sed insaniâ libidinis. *Morum corruptio.*

§.3 Statum temporum describit Seneca de beneficijs l. 3. c. 16. *Pudorem enim*, inquit, *rei tollet multitudo peccantium, & desinet esse probri loco commune maledictum. Nunquid iam vlla repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ, non consulum numero, sed maritorum annos suos computant? & exeunt matrimonij causa, nubunt repudij? Tam diu istud timebatur, quamdiu rarum erat, quia vero nulla sine deuortio acta sunt, quod sæpè audiebant, facere didicerunt. Nunquid iam vllius adulterij pudor est, postquam eo ventum est, vt nulla virum habeat, nisi vt adulterum irritet? argumentum est deformitatis pudicitia. Quam inuenies tam miseram, tam sordidam, vt illi satis sit vnum adulterorum par? nisi singulis diuisit horas, & non sufficit dies omnibus? nisi ad alium gestata est, apud alium mansit? Infrunita & antiqua est, quæ nesciat matrimonium votari vnius adulterium.* *Mulierum Romanarū nequitia.*

Hanc igitur non quidem adulteram, sed liberæ & impudicæ vitæ fuisse, non est quod negemus. Vni nubere noluit, multis cum amatoribus scortata. Impudens est animal fœmina, & nisi fides & pietas accessit, cupiditatum incontinens. Impotens & naturâ indomitum caput. ὡς οὐκ αὐνότερον, ἢ κύνλεγον ἄλλα γυναικὸς. *Nil grauius, nil superbius muliere.*

§.4. Magdalenam esse etiam multi hæretici, quod Tostanus miratur, affirmant. Nec obstat, quòd sit in catalogo piarum fœminarum, quæ Christo ministrabant. Hoc enim ad gratitudinem pertinebat. *Magdalenā putarunt.*

Miratur Daniel Tostanus Caluinista mulos etiam Euangelicos Scholasticorum sententiam secutos, vt Magdalenam putarint Magdalenam. Quâ re ipse summam auctoritatis imperitiam, cum insigni liuore prodit. Quam enim ille Scholasticorum sententiam arbitratur, illa est antiquissimorum, & sanctissimorum patrum. Non modo eorum qui post Origenem, sed etiam quiante vixerunt, de quo in Matth. 26. dictum est. *Multi etiam hæretici.*

VERSVS 39.

Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.

QVÆSTIO I.

Qua in re peccarit Pharisæus?

§.1. COncludit Christum scire posse, qualis esset mulier, si Propheta esset. Id quidem falso. Prophetæ enim non omnia, sed quæ Deus reuelauit, non alia cognoscunt 4. Reg. 4. 27. Tantì enim erat apud eos, corpore peccatores vitare, & eius munditiæ in speciem studere, mente vero erant contaminatissimâ. *Propheta non omnia cognoscunt.*

§.2. Non permissurum tangi se à peccatrice. Non enim id Christo non conueniens erat, qui venerat, vt occideretur à peccatoribus, ita Augustin. hom. 33. & in Psal. 140.

§.3. Illam peccatricem, & indignam quæ Prophetæ pedes lacrymis lauaret, magno fastu iudicabat, sed ipse indignus, qui cum eâ ad mensam consideret. Alieni mali perspicax quæsitor, sui ignarus. *Pharisæi fastus.*

§.4. Magnæ etiam inhumanitatis, & duritiæ fuit, eiusmodi lacrymas, quæ lauandis pedibus flumen præbebant, contemnere, cum sciret Dauidi, Manassi, aliisq; condonatum. Et in vniuersum toties genti suæ, domui aspernatrici: nunc in illam adeo seuerus est, vt lacrymis non moueatur. Est hoc hypocrytis proprium, vt de alijs seuerissimas sententias dicant, quo ipsi alieni à criminibus, quæ damnant, esse videantur. *Eiusdem inhumanitas.*

VERSVS 42.

Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit, &c.

QVÆSTIO I.

An peccatrici sint remissa peccata multa, quia dilexit multum?

§.1. LOcus ille, si quis alius, vehementer iactatus est. Orthodoxi scriptores eum pro veritate allegant, sectarij ad suos errores detorquent. Maldonatus noster summâ huius loci ait esse difficultatem: & ex eo speciosam Caluino & nouis hæreticis errandi occasionem datam. Hæc verba Maldonati Tostano Caluiniano nouâ mentiendi occasionem dederunt, ait enim Maldonatum dicere: *Eos hic speciosissimam rationem habere, pro gratuitâ iustificatione, per remissionem peccatorum.* Non hoc Maldonatus dixit: Gratuitam enim Maldonatorum iustificationem ille agnoscit, & docet: sed errandi occasionem accepisse asserit: & ita esse hæc, quæ dicam, ostendent, *Hæreticis dat occasionem errandi.*

§. 2. Dif-

§. 2. Difficultas sententiæ Christi in applicatione parabolæ consistens communis est orthodoxis, & hæreticis. Nam parabolæ sensus aliud requirere videtur, quam Christus concludat. Duo sunt debitores vni creditori, seu fœneratori, cum soluendo non essent, condonauit vtrisq; vni quingentos, alteri quinquaginta denarios. Quærit ex Simone Dominus; *vter creditorem plus diliget?* Respondet ille, quod recta ratio compellebat: *Is cui plus remisit.* Grandius enim beneficium maiore dilectione, & graditudine pensandum est. Deinde hoc audito responso. Christus fœminæ peccatricis, & Simonis inuitatoris amorem erga se comparat, & fœminam magis dilexisse ex eius operibus demonstrat, atque ita infert. *Propterea dico tibi remittuntur ei peccata multa; quia dilexit multum.* Ratio autem parabolæ exigere videtur; vt diuersum concludat: *Ideo diligit multum, quia remissa sunt ei peccata multa.* Aptissimè autem prudentissimeque Christum ratiocinari dicendum est. Interpretatio igitur adhibenda est, vt appareat Domini institutum.

§. 3. Controuersia igitur de sensu verborum est, & variæ interpretationes exortæ sunt. Plerique hæreticorum sic interpretantur: vt particulam ὅτι, *quia*, velint effectum & consequentiam, non Causam, aut antecedens significare. Ita Caluin. Beza. Tossanus. Aretius, Wolffg. Musculus in locis commun. de iustificatione. Sensum igitur hunc constituunt. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, signum enim est dilectio remissionis multorum peccatorum. Vt si quis dicat: Accepit quod voluit, quia lætatur. Valde esurijt, quia multum comedit: vt quia sit causa cognitionis, non rei. Vnde cognoscam ei remissa multa? quia multum diligit. Vnde cognoscam eius famem? quia multum comedit.

Hæc interpretatio nihil officit Catholicæ veritati, nec proficit hæresi, si ex se spectetur. Tantummodo enim concluditur, eum cui multa peccata Deus remisit, ardenter condonatorem diligere, aut vt hoc faciat, esse conueniens: quod vltro damus. Nec illâ censurâ Catholici sunt notandi, qui eo modo verba Christi intelligunt, inter quos est Didacus Stella atq; adeo S. Augustinus hom. 23. hunc sensum non reijcit, licet alium quoque habeat. Nullus vero fidei articulus ex illâ interpretatione concutitur. Solum videri posset perire vtilitas huius loci, ne adhiberi possit, ad probandum caritatis in iustificatione concursum, quod non magni refert, cum eum tota scripturâ alibi vtrat: Sed ne sic quidem argumenta contra hæreses nobis extorqueantur, vt reipsa parefaciam.

§. 4. Altera interpretatio est. Cum intraret, laudaret, abstergeret, vngeret, nondum verâ supernaturali, sed humanâ duntaxat caritate, diuino tamen adiutorio operante, obsequia illa præstitisse: flagrantissimum autem fuisse amoris affectum, quo in hominum superborum conuiuium intraret *impudente verecundiâ*, vt ait S. Ephrem in Orat. *de muliere peccatrice*, & S. Chrysostomus, *oratione de eadem materia.* Illum amorem, humilitatem, lachrymas Christum respexisse, & peccata remisisse: non quod remissionem scelerum vel amor ille, vel facta mererentur: Hoc enim fieri non potest. Peccari enim mortalis veniam mereri creaturam est impossibile, ius enim creatori, quod ad illud puniendum habet, extorqueri illi non potest, nisi volenti, at volens ab inimico sibi eripi non sinit. Amicus si venialiter peccet, ex pacto misericordiæ satisfacere pro tali delicto potest, eo modo quo Ecclesia docet; non quo docere eam hæretici calumniantur. Hanc tamen responsionem nunquam probare potui; cum quia magna caritas, tam illustrium factorum causa non videtur esse potuisse naturalis. Dolor enim & lacrymæ, quas contritio tam largas dedit, aliud conuincunt. Contritionem illam supra naturam fuisse, non est dubium. Ex fide enim & spe ac caritate processit. Neque Augustinus in Psal. 140. lib. hom. 23. aliam, quam diuinam caritatem videtur agnoscere. Itemque Chrysostom. & Ephrem sentiunt. Apud Chrysostom. ita ipsa loquitur. *O anima peccatrix atq; infœlicissima, quem exspectas & quid attendis? Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Ecce purus & immaculatus, quem queris aduenit. Ecce adest qui tollit ac delet abstergitq; peccata. Adest iam vnguentum, quod soq; in cœno, atque in fœtore cunctaris &c.* Non dissimilia sunt in oratione Ephrem, & apud Origenem.

Christus etiam caritatem eius nunquam ita prædicasset, nisi esset amor filiorum, non qualis etiam in impijs esse potest.

§. 5. Aliorum responsio est facilior, non perfecta tamen. Sermonem Christi esse de actu caritatis, quæ diffusa est in cordibus nostris, sed remissionem esse de pœnâ non æterna, sed temporali, nullo modo de culpâ. Non est apud orthodoxos dubium, manere remissa culpa pœnam. Neque etiam de eo quisquam prudens dubitare potest; tanto amore, tot lacrymis, & pœnitentiæ labore omnem remissam pœnam esse. *Non sola pœna remissa est.*

Non concesserim tamen de solâ pœnâ temporali Euangelistam loqui. Peccata ait remissa, & eius causa illa aduenit, nullam vt videtur recusatura pœnam temporalem. Christus de peccatrice agit, non eâ quæ soli pœnæ sit obnoxia.

§. 6. Caietanus & Iansenius in Harmon. quos multi sequuntur, alio modo quæstionem dissoluunt. Parabolam enim ad vtrunque valere contendunt. Nempe caritate remitti peccata, & peccatorum remissionem caritatem excitare. Caritas enim est causa formalis iustificationis: aut si gratia iustificans est à caritate distincta, necessario eam charitas aut naturâ antecedit, aut comitatur, estque ad illam dispositio, quod si accuratius perpendere rem in animo sit, & charitatis infuso habitu nos iustos non esse statuere: actus caritatis tamen in adultis præcedit, & ad iustitiam habitualem est dispositio proxima, quam iustitia infallibili passu subsequitur. *Caritate remitti peccata.*

Hoc modo expositâ sententiâ, non est difficile intelligere, quomodo remittantur illi peccata multa, quia dilexit multum.

Non enim dicimus merito amoris diuini peccata remitti, sed solâ Dei misericordiâ, intercedente solo merito sanguinis, quem in redemptionem Mediator effudit: dispositionem tamen, aut causam formalem esse caritatem, qua peccata necessariò, vt Theologi loquuntur, formaliter expellantur. Naturalis Philosophia nos ita docet: Sol est causa, quæ pulso frigore calorem efficit, ipse calor formaliter expellit frigus, cedit frigus, quia calor increscit. Ita hic Dominus, dilectione peccatum fugatum ostendit. Sic charitas operit multitudinem peccatorum. Siue enim gratuita acceptatio, siue aliud quippiam requiratur, de quo Theologi Scholastici disceptant, siue id de actu caritatis, siue de habitu, siue alia forma, quæ infundatur intelligatur, id perinde est. Constat solam esse caritatem quæ distinguat inter filios Dei & filios Diaboli, vt ait Augustinus. Ante caritatem peccator adultus nemo iustificatur; quia qui non diligit manet in morte; post actum caritatis nullus est iustus, nisi quia caritate recessit. Caritas enim nos Deo inserit. *Caritas formalis causa iustitia.* *Ante caritatem nemo iustus.*

Quod si quæras: quomodo illi parabolam applicent?

Respondeo. Vtrunque aiunt inde concludi; & ante multum amasse, vt multa condonarentur & culpæ

culpæ & pœnæ, & consideratione tantorum beneficiorum etiam postea plus amasse. Christum de debitoribus pecuniæ posteriore modo locutum. Non enim creditor, sed condonator amari solet: at in remissione culpæ & pœnæ etiam amor fontium erga offensum intercedit. Sic & à contrario rationem nonnulli formant. Quemadmodum debitor cui plus remittitur, plus diligit, aut diligere oportet. Ita & huic mulieri plura remittenda fuerunt, quia plus dilexit. Quemadmodum enim remissori peccatorum post factam gratiam debetur dilectio: ita eadem est, dispositio remittendi. Dispositiones autem, cum ad causas referantur, causali particulâ exponuntur.

Remissio causa & effectus amoris.

§. 7. Maldonatus noster futurum loco præteriti positum affirmat, sensum esse. Vni quingentos, alteri quinquaginta remisit, vter igitur plus eum dilexit? Similem locutionem adducit ex Amos 5. 13. Et eleganter ita loqui solemus, cum de re gestâ alterius iudicium exquirimus. Ille rempublicam euertit, ille seruauit, vter eam plus diliget, id est, quem tu iudicabis plus dilexisse?

Maldonati expositio.

Impetum hic in Maldonatum facit Tossanus, simul etiam in Sanderum. [At hoc est planè alienum, cum responsum Simonis manifeste habeat, ei, cui plus condonatum, plus teneri diligere: nec potest de præterito aliquo amore dici, dum creditor debitores vel in carcere detinebat, vel quotidie vrgebat. Et hoc quid aliud esset, quam nostram dilectionem præponere fidei, & dilectioni Dei erga nos: Sicut Nicolaum Sanderum Anglum. lib. 4. de iust. Scribere non puduit, claritatem nostram ad iustificationem cooperari, & iustificatione priorem, & potissimam eius esse causam: quod, vt probet, vel ad actiuam dilectionem accommodat illa, quæ de passiuâ sunt intelligenda, vel homonymia vocabuli, diligere, ludit, quod sæpe etiam de fide accipitur, aut saltem eam includit: vt ad Rom. 8. 28. Diligentibus Deum, omnia cooperantur ad bonum.]

Tossanus.

Respondeo Simonis responso non pugnare expositionem Maldonati. Non enim negat Maldonatus, Simonem loqui de eo, cui plus donatum est; sed affirmat ei plus donatum, qui plus amauit. Creditor ille iudicio, & certâ scientiâ debitoribus remisit, animos singulorum intuitus, cum igitur vni quinquaginta, alteri quingentos liberaliter remiserit, plus amauit eum cui plura remisit, & plus amari ab eo se intellexit. Si enim sine examine amicitiæ remisit, non sequitur, eum, cui plus remissum est, plus amare. Hic vero cum de Deo creditore agitur constat, eum plus amare eos, à quibus plus amatur. Habet autem omnium animos perspectos, & gradus caritatis in numerato. Inter homines etiam naturaliter fieri videmus, vt amantes, si de amore constet, amentur. De vero amicitiæ amore loquor, qui enim concupiscentiæ amore rotantur, sæpe, & non sine causa odio habentur.

Creditor animorum inspector dimisit.

Amans amatur.

§. 8. Nec huic expositioni aliud Tossanus opponit, quam *hoc esse, nostram dilectionem anteponere fidei, & dilectioni Dei erga nos.*

Absit enim vt dicamus nos priores dilexisse. Inimicos enim ille prior dilexit. Deus enim multis nos modis dilexit, præcipuè cũ fidem, spem, amorem donauit, & per illa ad iustitiam præparauit. Post tantam dilectionem, & nos eum diligere cœpimus, quod nõ nisi illo donante potuimus. Amare enim Deum, Dei summum est beneficium. Hoc sensu Sanderus dilectionem nostram cooperari ad iustificationem nostrã asserit: & immerito calumniam Tossanus impingit, quod dicat, dilectionem esse potissimã iustificationis causam. Non enim cum Deo iustificante confert dilectionem, sed cum alijs dispositionibus, timore, fide, spe, quas inter principatum tenet dilectio. Absit vt Deo causam aliam potiorem in diuinissimâ actione statuamus.

Deus prior nos dilexit.

Dilectio causa potissima inter dispositiones.

§. 9. Maldonatum Augustinus defendit, qui non modo in præterito, interpretatus est, sed etiam legit. Homil. libro hom. 23. *Quia enim plus dilexit?* & eodem modo in Psal. 148. Pergit autem eodem loco Augustinus: *Propter quod dico tibi, remittuntur illi peccata multa quia dilexit multum.*

§. 10. Hæc ex Catholicis auctoribus proponere visum est, vt quod cuiq; visum est, sequatur: Meam quoq; sententiam adferre non omittam si forte loco difficili lucem attulero. Propositum Christi est Pharisæo ostendere: non esse peccatricem repellendam: rectè se facere, quod sciens volens eam ad pedes vngendos admittat, non deliciarum aromaticarum, sed pœnitentiæ amore. Simon quidem se, vtpote iustum, aut non magnis peccatis obnoxium, Christi præsentiâ, & conuiuio dignum reputabat, miseram illam indignam, quæ vel ad pedes accideret, fleret, &c. Christi sententiâ mulier Simoni palam præfertur, nõ quod maior ille peccator, (nec ille iustitiæ suæ præfidens hoc admitteret) sed quod illa magis amaret, ac iam non immunda, sed pura esset.

Finis Christi si is est conuertere ad se peccatricem.

Deinde eam etsi peccatricem ipse Simon iudicaret, tamen iustificationis suæ ignaram, tam magna opera pietatis & amoris edere, vt in admirationem omnes raperet. Cum tu Simon, qui te iustum & Deo charũ arbitraris, nihil horum feceris, illa suorum scelerum conscia, veniæ dubia, tot lacrymis amorem testetur, nõ debes illi te præferre; illa enim magis amat, & magis amanti plura donari solent. Fides enim obligat fidem, & amor amorem. Ideo non est repellenda. Hæc Christo cum Simone loquente, nondũ sciebat illa esse sibi peccata remissa, nondum enim dixerat. *Remittuntur tibi peccata tua.* Sed amabat creditorem, qui hactenus non exegerat, qui spem remissionis ipsa longanimitate præbuerat: & ad veniam importuna conuiuio, oportuna beneficio tendebat. Imo hisce ipsis verbis etiam Simonem de iustitiâ dubium reddidit. Nam & eum peccatorem esse ostendit, & animissa illi fuerint, non declarat. Neq; enim Simoni dixit: *Remittuntur tibi peccata tua.* Cum igitur mulier, & Simon sint duo debitores, & eo statu collocẽtur, quo nondum sciant sibi debita remissa. Etiam duo priores debitores à quibus initium est parabolæ, sic accipiendi sunt, vt etsi iam creditor eis remiserit animi proposito, atq; adeo reipsa, tamen nondũ illis promulgarat, Iraq; non amaturi erant tantũ, quia plus minus, remissum erat: sed iam amabant, alter plus, alter minus, inde factũ, vt plus & minus remitteretur, prout cuiusque in creditorem animus erat. Ex applicatione enim similitudo explicanda est. Et si rem spectemus, omnia cohærere aptissime ratio demonstrabit. Quemadmodum enim aliquando is, qui maximorum, & plurium condonationem accepit, aduersus creatoris benignitatem ingratus, qui vnius delicti gratiam consecutus est, gratissimus est. Ita quoq; in illis, quibus nondum peccata remissa sunt, aut condonata ignorant, contingere solet, vt quibus plura sunt remittenda, minus ament, quibus pauciora, feruentius. Ideo restringendum est & illud. *Cui minus dimittitur, minus diligit;* & quod subauditur: *Cui plus dimittitur, plus diligit.* Hoc est, *cui minus dimittitur, minus diligebat, antequã dimitteretur.* Generali enim propositione probat singularem; *ideo mulieri plus dimissum, quia plus diligebat.* Restringendum est inquam ad id quod solet fieri, quodq; est rationi consentaneũ; non quod semper fieri soleat. Recte igitur Simon iudicabat plus eũ dilexisse, cui plus remissum fuit, qui eum sic affectum probauit fœneratorit, vt plus remitteret, amasse plus constat.

Creditor iam ante amatur.

Cui plus remittitur plus diligit.

§. 11. Ex

§. 11. Ex hac igitur debitorum parabolâ concluditur, & eum cui plus donatum est, plus dilexisse, & dilecturum, ab causas iam expositas. At vero quomodo quibus minus remittitur, minus diligunt? Nonne Ioanni Baptistæ minus remissum est; nonne seni Simeoni, aliisque valde diligentibus; & tamen magis illi amarunt, quam multi publicani, & meretrices, quibus multa delicta remissa sunt? Quod si dicamus debuisse plus diligere publicanos, & meretrices, occurret S. Augustinus, homil. 23. Non minus illos debere, qui ne multis debitis redderentur obnoxii, misericorditer à Deo præseruati sunt. Magna est enim misericordia non modo miserum subleuare, sed tueri & regere ne reddatur miser, ita S. Augustinus, & acclamatione sua populus testabatur. Verum ipsum audiamus.

O Pharisæe ideo parum diligis, quia parum dimitti tibi fatearis. non quia parum dimittitur, sed quia parum putas esse quod dimittitur. Quid ergo inquit ille? Ego qui homicidium non feci, homicida deputandus sum? Qui adulterium non commisi, pro adulterio puniendus sum? Aut ista mihi dimittēda sunt quæ non commisi? Ecce iterum constitue duos & loquatur ad eos. Venit vnus supplex peccator coopertus spinis tanquam hericius & nimis timidus tanquam lepus. sed petra est refugium hericiis & leporibus. Venit ergo ad Petram inuenit refugium accepit auxilium. alius non multa commisit, quid ei faciemus vt multum diligat? quid persuadebimus? contra verba Domini veniemus, Cui modicum dimittitur modicum diligit? Ita plane cui modicum dimittitur. Sed ô tu qui dicis te non multa commisisse. Quare? quo regente, Deo gratias, quod motu & voce vestra intellexisse vos significastis. Iam, vt video, soluta est quæstio. Hic multa commisit & multorum debitor factus est, illa gubernante Deo pauca commisit. Cui deputat ille quod commisit, Huic & iste deputat quod non commisit. Adulter non fuisti in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum illuminatus nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat, &c.

Hæc eadem in eos, quibus nondum remissa sunt debita, conueniunt. Multa vndique debita tua vides, & te in potestate creditoris, differs solutionem de die in diem, nomina noua facis, creditorem ne exorare quidem conaris, & ille tamen non modo patienter exspectat, sed multis modis etiam hortatur, terretque non vt dissoluas, scit enim fieri hoc non posse, sed vt remissionem petas. Annon magnum est beneficium debitorem tardum, & malum, imo decoctorem, multos annos exspectare, non vt æs dissoluat, sed remissionem petat?

§. 12. Peccatricis vero amorem præcessisse, & dispositionem fuisse ad iustitiam, ac deinde formaliter expulisse peccatum, (nam coniungitur naturalis & supernaturalis) ac de eo loqui Dominum, non modo textus ipse ac contextus, qui causæ redditionem habet, ostendit, sed etiam illa Patrum est expositio. *Propter quod dico tibi, remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum.* Vbi propter quod referendum est ad ea quæ fecit, quia fleuit, lauit, tersit, vnxit. Græce est διὰ τοῦτο ἔχει causa causâ. & Syrus חלף חדת *chalaph hada*, propter hoc. Quia hæc fecit, *ideo dico remittuntur ei peccata multa.* Non autem fecit, quia iam remissa sciebat, sed vt veniam impetraret. Augustinus loco citato, Pia impudentia ait quæsisse sanitatem. *Nouerat enim quanto morbo laboraret & illum ad sanandum esse idoneum ad quem venerat, sciebat.*

Et paulò post, *Accessit autem ad Dominum immunda, vt rediret munda. accessit ægra vt rediret sana. Accessit confessa vt rediret professa. audiuit enim Dominus Pharisæum cogitantem. Iam hinc intelligat Pharisæus, si non poterat videre peccantem, qui potuit audire cogitantem* Et in Psalmum 140. Ergo illa curari volebat, conscia magni vulneris. Et deinceps, narrata historia subdit. *Quare sic oras Domine? quæ peccata tua excusaturus es? Respondet, cum vnum ex membris meis sic orat, ego sic oro: sicut respondet, cum vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis, cum autem non declinatum fuerit cor tuum, & membrum Christi, cum cor tuum non fuerit declinatum in verba maligna ad excusandas accusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem & non communicabis cum electis eorum. Hoc enim sequitur & non combinabo cum electis eorum.*

Et Chrysostomus oratione in peccatricem & Pharisæum. *Cæterum audi Pharisæe, ac disce quis nam ille sit fœnerator & qui debitores: Ego fœnerator ac creditor sum amborum, tui nimirum & illius: neque solum vester sed & omnium planè hominum. Ego enim cunctis, quæ & acceperunt à me animam, Spiritum, corpus, sensum, mentem, motumq; concessi. Fœneratori igitur ac creditori non repetenti à te mittatur. data quæ ab illo affatim largeque accepisti, si non habes quod reddas; saltem supplicas, vt mutuum ac debitum tibi condonet ac remittat. Si vero nec reddere potes, neque vt remittatur supplicare dignaris; saltem impudenter atque loquaciter multa non effatias, neque te illi opponas; at tace, sicut hæc peccatrix quæ varijs se debitis obstrictam cernens dixit intra sese. quid loquar, aut quid respondeam non habeo si dicere voluero non debeo mutuum.* Rogat vt reconcessi.

Et Ambrosius. *Lachrymis suis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Et fortasse ideo non lauit pedes suos Christus, vt eos lachrymis nos lauemus. Bonæ lachrymæ, quæ non solum nostrum possunt lauare delictum sed etiam verbi cœlestis rigare vestigium, vt gressus in nobis eius exuberent.*

Et Ephrem Syrus, *in oratione in mulierem peccatricem, Et deinceps*, inquit, *mulier, vestigia sanctissimi medici vigilanter persequar vt ipsi procidam ac ab ipso saluer. Et si me vero donum illud adferentem auersatus fuerit: ex eo cognoscam, indignam me esse, quæ à peccatorum vinculis liberer, absoluarque.* Sic affecta, non erat certa, sibi remissa esse sua peccata, sed remissionem à Deo sperabat. Ideoque & subiungit. *Propterea festino tradere optimo indultori tabulam ac syngraphan debitorum: quia supra mensuram & modum peccaui: & nequeo coniectura consequi atque exprimere impudicitiam ac lasciuiam meam.* Peccatrix non sciuit remissa.

Eadem est sententia Origen. tractat. 35. in Matthæum. & homil. de Magdalena. Chrysostomi homil. 81. in Matth. & 61. in Ioan. Ambros. de Salom. cap. 5. Hieronym. Ep. 148. ad Marcellam. Gregorii homil. 25. in Matth. cap. 20. *Maria Magdalena quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem, lauit lachrymis maculas criminis: & vox veritatis impleta est, quæ dicit. Dimissa sunt, &c.*

§. 13. Hæretici varios errores hoc ex loco hauserunt, scripturas enim torquent ad suam perditionem. Wolffgangus Musculus, locis comm. de iustificat. contendit verbum ἀφέωνται, male versum, *Remittuntur*, cũ sit præteritum; sed repugnat ei Græcia quæ hoc Atticum verbum pro præsenti interpretatur; verum illi, quem pluris quam cæteros facit, Caluinum aduersarium assigno. Ille enim ἀφέωνται positum asserit pro ἀφίενται, præsenti. Aretius etiam idem probat. Ἀφέωνται *præsens est.*

§. 14. Alii sunt apud Caluinum qui hortandi modo efferunt. Nempe cum tot amoris in Christum signa ostenderit, non debere Ecclesiam esse duriorem in illam, quamuis multa peccata commiserit. Falso prorsus, non enim ad Iudæorum Ecclesiam illam remisit, sed in suam recepit, nec illa petebat, recipi in Synagogam, à qua deserta erat, sed veniam à Christo.

§. 15. Caluinus plusquam Satanica superbia, & calumnia interpretes plerosque, hoc est Augustinum, aliosque protriuit. *Mirum est*, inquit, *plerosque interpretes tam crasse hallucinatos, quasi hac mulier veniam lachrymis, vnctione, & osculis pedum promerita sit.*

Nemo docet remissionē peccatorum promeritam.

Superbum est tot ac tantos viros crasse hallucinatos dicere. Calumnioſum est, hæresin eis impingere, quasi dicant, *non gratis remissa peccata*, quasi lachrymis & vnctione id meruerit. Nemo Catholicorum hoc dixit: aut si dixit, iam non Catholicus dixit. Illa quæ Euangelista recensct, non merita sunt remittendorum sed dispositiones, aut si merita, non culparum, sed pœnarum remittendarum. Si inscitiæ quispiam insimulandus est, eam in hoc loco manifestam cum impietate Caluinus prodit. Mulierem enim iam venia obtenta, eiusque rei certam, lachrymasse ac reliqua feciſſe interpretatur. Quo nihil absurdius. Si enim illa vnguentum adfert, lauat pedes lachrymis, capillis abstergit, vngit, vt testetur, sibi peccata iam ante pœnitentiam remissa, quid opus erat CHRISTI responso. *Remittuntur tibi peccata tua.* Nam penitissimè credebat iuxta Caluinianos sibi omnia remissa, nec minus certo id credebat, quam Christum esse præsentem, vera dicere, Deum esse. Non ergo certitudinem illam asseueratio CHRISTI adauxit. Imo turbauit, quasi iam demum remitterentur. Ideo nonnulli apud Caluinum aliter interpretantur. Quidam, inquit, excipiunt, non tam ipsius, quam aliorum causa prolatam fuisse hanc sententiam. Ille tamen respondet.

Mulier non testatur sibi remissa.

„ [Ego vero non dubito quin eius ratio maxime habita fuerit: atque id ex sequentibus clarius patet. Nec m rum est Christi voce de integro absolui, quæ iam ipsius gratiam gustauerat: imo quæ persuaserat vnicum sibi esse salutis asylum. Sic quotidie præire fiduciam necesse est, cum à Domino petimus, vt peccata nobis remittat. Neque tamen frustra precationem hanc velut superuacuam fundimus, sed vt magis ac magis cordibus nostris misericordiam suum obsignet cœlestis Iudex, atque hoc modo nos tranquillet. Quanquam ergo conceptam huius gratiæ quam obtinuit fiduciam attulerat hæc mulier, non tamen superuacua fuit hæc promissio, quæ ad fidei confirmationem plurimum valuit.]

Non rogamus Deum vt condat mundum.

Stolida est ratio. Si certo remissa scimus, rogando non confirmamus eam persuasionem, sed euertimus. Debitores illi, si receptis Chirographis, creditaque remissione, iterum ad preces verterentur, remissionemque rogarent, de creditoris fide & constantia dubitare non immerito censerentur.

Non minus de remissione certos se illi iactant, quam beati sint in cœlo, nec de præteritis modo remissis, sed etiam præsentibus & futuris, quæ credunt nunquam imputari.

§. 16. Præcipuus vero error est, quem etiam mitiores Caluiniani ferre non possunt, ante pœnitentiam, ante fidem, peccata remissa esse. Error pernicious, quia arcet à pœnitentia. Ita tum alii tum Adrianus Smutius contra Greuinckhouium. Vide Greuinckhouium in absterſione calumniarum Smutii. pag. 73.

Aiunt remitti ante pœnitentiā

„ [Tum quoque Nāi tuum folio 46. Deus remittit „ peccata antequam cor renouet ac regeneret; ante„ quam boni quidquam fecimus, imo vero dum adhuc „ immundi sumus, & nomen eius profanamus. fol. 47. „ Realis siue actualis remissio peccatorum præcedit fi„ dem nostram fol. 32. quia fœdus nouum, quod Deus „ nobiscum pepigit, non tantum est sine conditione, „ sed etiam dum nos quam longissime absumus à con„ ditione, in media morte, in peccatis iacentes: fol. 77. „ immutabilitas paterni amoris & gratiæ Dei erga nos, „ ea est, vt per eam ametameleta sint dona saluationis „ & remissionis peccatorum; etiamsi nos mutemur, „ deficiamus, legem eius deseramus, atque ordinatio„ nem profanemus, &c. Imo, quicquid agimus, tamen non reiicit nos ob vllum factum nostrum: Rursus „ præfat. ad concordiam cap. 111. Tanquam articulum „ fidei ratum habemus ac tenemus, eum qui semel rite „ credit & renatus est, non posse vnquam inde totaliter „ excidere.] „

VERSVS 38.

Et stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

QVÆSTIO I.

Quomodo stetit & vnxit?

§. 1. SIue Christus more nostro ad mensam sedit, siue more Orientalium accubuit, non potuit stans osculari, & lachrymis rigare pedes. Quod igitur stans feciſſe dicitur, interpretantur aliud non indicari quam fuisse præsentem. Itaq; stare in medio est. iam dicitur, qui sedet, aut iacet. *Stare est præsentem esse.*

Posset & alio modo intelligi, vt cum primum ingressa est, steterit, demissa oculo, nec ausa fuerit soluta ad Christum accedere. Deinde gratia impellente, & fide accesserit, lauerit, vnxerit. Hoc itaque arbitror, nam vt primum ingressa est triclinium, à longe stetisse, honesta inclinatione corporis, gestuque supplice, accedendi veniam petiisse, ac deinde Christi aspicientis benevolentia animata accessisse. Hoc enim decentius est, quam si continuo accurrisset. Moris autem est, vt ij, qui alienam domum veniunt, primo salutent, deinde de negotiis agant. *Prius stetit deinde accubuit.*

§. 2. Si nostros mores spectemus, insolens est, mulierem in conuiuium irruere, & vngere pedes, olim consuetudinis fuit. Præcipue apud Orientales. *Præcurrit sanitatem corporis petitum venerunt, hic animæ condonatam.*

§. 3. Lachrymis peccatorum veniam petit. Multi lachrymis agit. Caluinus ait, lachrymis & charitate iustitiam non redimi, quod verum esse ostendimus, sed præcedunt tamen illa omnia, & vt dixi, dispositiones sunt.

§. 4. Capillis capitis tergit, non quod opulentam fœminam linteola & syndones deficerent, sed modestiæ & amoris ista documenta fuerunt. Capillum Christo sacrabat, sibi dirus olim illecebram. Mira certe deuotio, in conuiuio capillū explicat, & pedes abstergit.

§. 5. Caput non vnxit, vel humilitate, vel quod hoc vnguenti genus capiti non conueniret. Malo tamen intelligere de modestia, qua caput attingere ausa non est, professa se tanto honore prorsus indignam. Et supplicem genua pedesque tangere moribus consentaneum erat, alioqui præstans fuisse vnguentum non est dubium, Christus enim illud opponit oleo, quo communiter vngi conuiuantes consuescebant, qua de consuetudine Matth. 26. pluribus actum est. Vnguentum Syrus optime vertit, בשחא דבסמא *In oleo, vel vnctione aromatis. Bemeschacha debesma.* Oleum enim odoratum fuit, & vt in oratione de peccatrice dicit Ephrem, omnium quod haberi potuit, pretiosissimum.

* *
*

VER-

VERSVS 50.

Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

QVÆSTIO I.

Quomodo fides saluam fecerit?

§. 1. NOn est fiducia, quâ certo persuasum haberet sibi in flagitiis perseueranti, peccata imputatum non iri. Charitati enim primas partes Christus tribuit. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.*

Est namque veritas rei conformitas cum iudicio; quæ prior est ipso iudicio. vt enim naturâ prius nix alba est, quam albam videam, ita prius remissio facta sit, necesse est, quam fides de remissione facta sit vera. Fidem ergo penitus tollunt, qui talem fugiunt.

Deinde si fide Caluiniana peccata remissa sunt; iam ergo remissa fuerunt antequam aduenirent. Imo antequam fidem haberet. Fides enim illorum est mendica manus, quæ remissionem apprehendit, vt illi somniant. Si igitur veniendi causa fides erat, non venit petitum veniam, sed gratias actum. Antequam enim vnguenta concinnaret, pedes moueret, credebat omnia sibi remissa, & verè credebat; si Caluinianos audimus. Ergo iam remissa erant. Naturâ enim si non tempore prius est, remissum esse peccatum, quam iudicii veritas, quo statuo remissum esse: vt iam dixi.

§. 2. Non credebat certo se iustificatam & peccata remissa: Nihil enim opus hoc illi à Christo dici quod iam certissime norat. Sed credebat & sperabat; per Christum remittenda, quod Pharisæi non credebant. Fidei enim nos multo amplius tribuimus. Non modo esse manum mendicam, sed iustificationem impetrare dicitur, *Fides saluum fecit, non modo accepit, sed fecit.* Vide Bellar. l. 1. de iustificat. cap. 17.

CAPVT VIII.

ET factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo. 2. & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, 3. Et Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant eis de facultatibus suis. 3. Cum autem turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: 5. Exiit qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. 6. Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. 7. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. 8. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. 9. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat. 10. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. 11. Quibus ipse dixit. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. 12. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. 13. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. 14. Nam qui supra petram: qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. 15. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. 16. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. 17. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus tectum ponit: sed supra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen. 18. Non est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat. 19. Videte ergo quomodo audiatis? Qui enim habet, dabitur illi: & quicunq; non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo 20. Venerunt autem ad illum mater, & fratres eius, & non poterant adire eum præ turba. 21. Et nunciatum est illi: Mater tua, & fratres tui stant foris, volentes te videre. 22. Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. 23. Factum est autem in vna dierum: & ipse ascendit in nauiculam, & discipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. 24. Et nauigantibus illis, obdormiuit, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur. 25. Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpauit ventum, & tempestatem aquæ, & cessauit: & facta est tranquillitas: 26. Dixit autem illis: Vbi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad inuicem, dicentes: Quis putas hic est quia & ventis, & mari imperat, & obediunt ei? 27. Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. 28. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. 29. Is, vt vidit IESVM, procidit ante illum: & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi est IESV Fili DEI Altissimi? obsecro te, ne me torqueas. 30. Præcipiebat enim spiritui immundo vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. 31. Interrogauit autem illum IESVS, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intrauerant dæmonia multa in eum. 32. Et rogabant illum ne imperaret illis vt in abyssum irent. 33. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. 34. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est. 35. Quod vt viderunt factum qui pascebant,

pascebant, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem, & in villas. 36. Exierunt autem videre quod factum esset, & venerunt ad Iesum: & inuenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente ad pedes eius, & timuerunt. 37. Nunciauerunt autem illis & qui viderant, quomodo sanus factus esset à legione. 38. & rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem descendens nauim, reuersus est. 39. Et rogabat illum vir, à quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens: 40. Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abijt per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus. 41. Factum est autem cum rediisset Iesus, excepit illum turba. Erant enim omnes exspectantes eum. 42. Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipse Princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum vt intraret in domum eius. 34. Quia vnica filia erat ei fere annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur. 44. Et mulier quædam erat in fluxu sanguis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari: 45. Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius: & confestim stetit fluxus sanguinis eius. 46. Et ait Iesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit? 47. Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis, nam ego noui virtutem de me exiisse. 48. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit. 49. At ipse dixit ei: Filia, fides tua saluam te fecit: vade in pace. 50. Adhuc illo loquente, venit quidam ad Principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. 51. Iesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, & salua erit. 52. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & Patrem, & matrem puellæ. 53. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nilite flere, non est mortua puella, sed dormit. 54. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset 55. Ipse autem tenens manum eius clamauit, dicens puellæ, surge. 50. Et reuersus est Spiritus eius, & surrexit continuo. Et iussit illi dare manducare. 57. Et stupuerunt parentes eius, quibus præcepit, ne alicui dicerent quod factum erat,

IN CAPVT OCTAVVM

ARGVMENTVM.

NVLLA hoc capite historia est non ante exposita, nisi quod vers. 2. de mulieribus cum sequentibus habetur. Parabola seminantis. Matth. 13. 1. Marc. 4. 2. de Lucerna. Matth. 5. 25. Marc. 10. 3. & de occulto non legendo. Marc. 4. 22. De matre & fratribus. Marc. 3. 31. De procellâ. Matth. 8. 23. Marc. 4. 36. De Iairo. Matth. 9. 18. Nihil itaque magnopere hoc loco exponendum superest.

A versu 1. ad 16. in Syricâ Ecclesiâ *feriâ quintâ hebdomadis secundæ ieiunij legitur.*

Syra Ecclesia B. Virginis commemorationem celebrat.

A versu 16. ad 22. In commemoratione Deiparæ Virginis. Habet vero Syrus ܝܠܕܬ ܐܠܗܐ ܡܪܝܡ *Beducherana deialedath elaha Mariam.* Vbi notandum publicam fuisse illâin Ecclesiâ B. Virginis commemorationem.

Deinde Syros appellare B. Virginem ordinariè ܝܠܕܬ ܐܠܗܐ *Ialedath Elaha*, genitricem Dei. Idque magno zelo contra Nestorianos.

A versu 22. ad 40. *Ad vesperam dominicæ quintæ ieiunii.* Quamuis ad verbum sit: *Ad vesperam, vel vesperæ vnius in Sabbatho quintæ ieiunii.*

A versu 40. ad finem eodem modo habetur de matutinis eiusdem diei. Nempe: *Matutinis vnius in Sabbatho quintæ ieiunii.*

VERSVS 2.

Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus, &c.

QVÆSTIO I.

Cur mulieres secutæ?

Christus mulierum vsus ministerio.

§. 1. MIrum videri posset, cur Dominus, cum tot sanarit, & inter eos etiam opulentos, cur non virorum operâ in familiâ, sed fœminarum vsus fuerit. Nam poterant illi sine offensione, & pleniore iure de facultatibus suis Domino ministrare. Etsi enim nulla impuritatis suspicio ex eo nasceretur, alia tamen incommoda haud leuia oriebantur. Nam si viduæ erant, aut cœlibes non modo promptum erat Pharisæis obiicere, quod illis Christus exprobrauit, *Eos, domos viduarum deuorare*, cum Christus eas secum ad peregrinationes traheret; sed legibus etiam in eum agere poterant illi, qui nullam calumniæ occasionem omittebant, aut agnatos mulierum opulentarum in eum concitare, quod hæreditates sibi quandoque obuenturæ, in Christi alimenta conuerterentur. Scimus enim viduis curatores interdum poni, & in earum fraudatores grauissimas leges esse latas.

Lib. Circ. interdic. ad pupill.

Magis etiam alienum videtur, doctorem Apostolos duodecim, & alios discipulos circumducentem, gynæceum trahere, cum Apostoli ipsi domum, & vxores suas reliquissent. Cur non saltem Apostolorum legitimæ vxores primas obtinent, dignitate comitatu-

Vxores Apostolorum non sunt comitatu-

matro-

maritorum censæ? Quod si excipias diuites non fuisse, Matthæi vxor opponetur, etli diuites non erant, diuitum sanè ministræ esse poterant, simulque maritis suis adesse.

§. 2. Pro certo statuendum est, eo modo omnibus circumstantiis diligenter expensis nullam occasionē offensionis vel minimæ à Christo datam. Hocenim charitas filii Dei, Euangelii profectus, & fama poscebat. Deinde cum omnia Christi minima Pharisæi calumniarentur, adeò vt spicas vellere, sabbatho curare in crimen vocarent, occasione conuiuiorum, vini potatorem, & helluonem appellarent.

Nunquam tamen mulierum, quæ cum illo erant consortium illi obiectarunt. Et erant tamen, vt inquit Euangelista, *cum illo: & duodecim cum illo, & mulieribus aliquibus*, & nominatis tribus addit. *& multæ aliæ.* Ministrabant autem & Christo, & Apostolis. Sic legimus: Ministrabant αὐτῷ, aliquot libri habent αὐτοῖς ipsis. Idem sensus est. Nam qui Apostolis ministrabat etiam Christo obsequium impendebat, cum Apostolis propter Christum necessaria præstaret. Exemplaria variant: præcipuè Græca, plura tamen habent αὐτῷ. Nec desunt libri, qui Latinè habent *Ei*, tres recenset Brugensis. Retinenda tamen lectio communis, Christo enim præcipuè ministrabant, vt dixi.

§. 3. Commentarius Hieronymi consuetudine excusat. *Consuetudinis inquit in cap. 27. Matth. Iudaicæ fuit (nec ducebatur in culpam more gentis antiquo) vt mulieres de substantia sua, victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc ergo, scandalum facere poterat in nationibus. Paulus abscisse se memorat. Dicit enim ipse: Nunquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi, sicut & cæteri Apostoli faciunt? Ministrabant autem Domino de substantia sua, vt meteret earum carnalia, cuius illæ metebant spiritualia. quod indigeret cibis Dominus creaturarum. sed vt typum ostenderet magistrorum: quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. Sed videamus quales comites habuerit: Mariam Magdalenam, à qua septem dæmonia ejecerat, & Mariam Iacobi, & Ioseph matrem, materteram suam, sororem Mariæ matris Domini: & matrem filiorum Zebedæi, quæ paulo ante regnum liberis postulauerat, & alias, quas in cæteris Euangeliis legimus.*

Non abnuo consuetudinem fuisse, & laudabilem etiam esse ac iustissimam. nec tamen iidem illi infitiabuntur, ali Christi familiam per eas potuisse, quamuis illæ non comitarentur, procuratorem enim & quæstorem dare poterant, qui necessaria ministraret. Non enim de alimentis sed consortio & socia peregrinatione agimus. Minus autem sumptuū erat futurum, si expensas per homines fideles facerent, quam in peregrinatione nobilium matronarum, quæ & suam familiam non exiguo dispendio trahebant. Habebant enim & illæ honestum, vti mulieres nobiles, comitatum, seruitia, vtpote innocentiæ suæ testes domesticos, quæ res Christi comitatum admodum numerosum reddidit, & frendentibus Pharisæis inuidendum.

§. 4. Tertullianus libr. 4. cap. 19. contra Marcionem. ita factum, vt impleretur quod dixit Isaias cap. 32. *Quod diuites Christo mulieres adhærebant, quæ & de facultatibus suis ministrabant ei, inter quas & vxor regis procuratoris, de Prophetia est. Has enim vocabat per Isaiam: Mulieres diuites exsurgite, & audite vocem meam; vt discipulas primo de hinc vt operarias & ministras ostenderet, filia in spe audite sermones meos. Dies anni memento cum labore in spe. Cum labore enim quo sequebantur, & ob spem ministrabant.*

Qua ex re video rationem omnibus maiorem: Prophetæ prædixit futurum, Christus prophetiam impleuit.

Cur autem Deus ita statuerit, causam ipse nouit.

Quis consiliarius eius fuit?

§. 5. Ratio adferri illa præcipuè posset, quod mulieres illas nobiles, à dæmonibus ex variis morbis liberatas in testimonium miraculorum circumducerent: cui continuò occurritur, viros sanatos, & comitari paratos in familiam accipi potuisse. Sed dæmoniacum sanatum, non admisit, domum ire iussit, etiam dicere quæ sibi fecisset Deus. *Miracula in mulieribus facta testimonio erant.*

§. 6. Mihi duplex difficultas hic moueri videtur. Prima est, cur offensioni populis non fuerit, comitatus opulentarum mulierum, quæ & ipsæ familiam habebant. Altera cur mulieres asciuerit, non vxores Apostolorum, aut viros diuites cum vxoribus.

Ad primam respondeo, Christi & familiæ eius talem fuisse disciplinam: vt nemo tam proteruè dicax fuerit, qui malè de eius castitate loqueretur. Nemo Eliæ viduæ hospitium obiecit: nemo, in quam, ne quidem de centuriis pseudoprophetarum Iesabelicorum. at maior Eliâ Christus fuit. *Heroica virtus supra calumniā.*

Deinde mulierum sequentium eam fuisse conditionem, vt in eis conuitia locum habere non possent. *Disciplina Christi suspiciones tollebat.*

Eam pietatem, largitatem, & quod grauissimis liberatæ morbis officium hoc debere videntur; liberatæ erant à Dæmonijs & infirmitatibus, vbi tamen quidam liber addit sanatas ἀπὸ νόσων καὶ μαστίγων, quod aliundè sumptum est.

Denique ita Christum sequentes aderant exhortationibus, & miraculis eius, vt tamen seorsim habitarent, alia domo hospitium sortitæ, ita vt non agerent nisi eo modo cum Christo & Apostolis, quem omnes probarent.

§. 7. Cur verò non obiecerint illi fraudes viduis innexas, & impostura, quasi patrimonia in sua præmia verteret, in causa erat Christi innocentia, & Pharisæorum in eo genere prædandi consuetudo. Quia tamen innocentia parum tuta per se futura aduersum calumniam erat; notandum est, cur hic dentem figere fluor non potuerit. Duplicem autem rationem esse arbitror. Prima est ex Christi Domini magnifica liberalitate. Altera à matronarum virtute. Christus vt in Euangelio legimus vna interdum hora plurimos variis infirmitatibus, morbisque liberabat, si pecuniam non exigere, sed oblatam accipere voluisset, aut cum ægris opulentis pacisci, non est dubium, quin breui regias opes colligere facilè & illi & discipulis fuisset. Quod cum omninò non faceret, non erat vllus calumniæ creditus, si de auaritia eum accusarent. *Viduarum opes à Christo peti nemo erat creditus. Christus ex curationib. facile opes colligere potuisset.*

Modestia etiam & virtus mulierum omnem vel inimicorum vel agnatorum actionem arcebat. Habitu enim, incessu, familia, sumptu ita se omnibus probabant, nullam vt ansam maledicti darent. Quod in aliarum familiâ ornamentorum concinnatores, cupediarum artifices, ancillarum greges, & fastus auferebat, huius vna pars Christo impensa abundè pauperem familiam alebat. Cur non impenderent tanto doctori, miraculorum patratori, suo seruatori, quod mundo plaudente in gemmas, in vnguenta, in muliebria crepundia & ipsæ poterant erogare, & aliæ quotidie dilapidabant? Cur malignum vulgus obiiceret consortium pauperum, quas videbat obformatas contra illecebras mundi, & lasciuiam aliorum? Quis verò indignè ferat, coronas, theristia, soloces, multitias syntheses, meandricos flexus, stolas, suppara crepidula, caliendra, serica, monilia, armillas, malleolos calceos, lumina capillorum, circulos aureos, pectines balsamo & Telino inunctos, bisulcum ferum, pulueres dentibus elimandis, & vngubus repastinandis, cerussam, purpurissum, linteola & lina, quorum vni decies sestertium inseritur, in pauperum *Quid enim non posset, qui aquam in vinū mutare, panes & pisces multiplicare potuerat? Superflua Domino tributa.*

alimenta expendi? Quis queretur ali familiam Saluatoris centesima eius parte, quod ad exitium pudicitiæ, & illectamenta voluptatis aliæ profundebant? Verè Tertullianus de habitu mulierum cap. 9. *Non tanto maior fit concupiscentia, quanto magno fecit quod cõcupijt? Breuissimis loculis patrimonium grande profertur. Vno lino decies sestertium inseritur. Saltus & insulas tenera ceruix fert. Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccu singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum vsurarum substantiam vno & muliebri corpusculo baiulare. Ita sanè erat, vni filio villarum insunt precia, ait S. Hieronym. in vita Pauli. Has vitiorum sarcinas si abijciant, & Christum cum Apostolis alant, quis contra vel hiscere audebit?*

Innocentia altricum Christi.

§. 8. Satis apparet, cur scandalo non fuerit ex tot viris mulieribusque Domini comitatus; superest, vt explicem, cur mulierum opera vti Dominus voluerit.

Quanquam autem Dei nobis consilium occultum sit, & ratio facti exigi ab infinita sapientia non debeat.

Mulierum in Ecclesiâ partes.

Gratum tamen est, optimorum eius operum rationes cognoscere. Venerat Christus omnes redempturus, nullo gentis, ætatis, sexus, discrimine. Viros in Apostolos legit, qui Ecclesiam regerent, fœminarum etiam partes esse in Ecclesia voluit, vt necessaria ministrarent. Posterorum enim causa id factum est, itaque & Apostoli mulieres circumduxerunt, & earum ministerio vsi sunt. Nec dubito quin multis precibus & lachrymis id illæ obtinuerint, quæcunque secutæ sunt.

S. Augustinus lib. de opere monachorum suis hinc probat doctoribus Christianis à populo deberi, quæ ad vitam necessaria sunt. *Quod quisquis putat non potuisse ab Apostolis fieri, vt cum eis sanctæ conuersationis mulieres circumirent, quacunque Euangelium prædicabant, vt eis de suâ substantiâ ministrarent necessaria; Euangelium audiant, & cognoscant quemadmodum hoc ipsius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noster more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare, & loculos habebat quò mitteretur pecunia, quæ conferebatur vtique à bonis fidelibus eorum victui necessaria: quos loculos Iudæ commendauit, vt etiam fures, si euitare non possemus, tolerare in Ecclesiâ disceremus. Ille enim ea quæ mittebantur, sicut de illo scriptum est, auferebat. Et mulieres voluit, vt se ad præparanda & ministranda necessaria sequerentur, ostendens quid Euangelistis & ministris Dei tanquam militibus, à plebibus Dei tanquam prouincialibus deberetur, vt si quis eo quod sibi deberetur vti nollet, sicut Apostolus Paulus vti noluit, amplius impenderet Ecclesiæ, non exigendo stipendium debitum, sed quotidianum victum de suis laboribus transigendo. Audierat enim stabularius, ad quem vulneratus ille perductus est, Siquid amplius erogaueris, in redeundo reddam tibi. Amplius erogabat Apostolus Paulus, qui suis, vt ipse testatur, stipendiis militabat. In Euangelio enim scriptum est, Deinceps & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella prædicans & Euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ erant curatæ à Spiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quæ vocabatur Magdalena, de qua dæmonia septem eiecerat: & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabant eis de facultatibus suis. Hoc exemplum Domini imitabantur Apostoli ad accipiendum sibi debitum cibum: de quo idem Dominus apertissimè loquitur, Euntes, inquit, prædicate, dicẽtes, quia appropinquauit regnum cœlorum: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmonia eijcite. Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus est enim operarius cibo suo. Ecce vbi constituit Dominus, quod idem Apostolus commemorat. Aã hoc enim dixit illa omnia ne portarent, vt vbi opus esset, ab eis acciperent, quibus annunciabant regnum Dei.*

Mulieres aluntChristi discipulos.

Quidam ad tempus secutas aiunt, constat tamen aliquas vsque ad crucem comitatas.

§. 9. Tostanus Caluinista quosdam interpretes hinc concludisse, licere Apostolos vxores habere, quos tamen ille non probat. Neque enim Magdalena, neque Ioanna vxor Chusæ Apostoli alicuius *Hæreticè* vxores erant. Nam si illa interpretandi insania admittatur, non deerunt qui CHRISTO vxorem assignent. Olim Montanus improbam expositionem commentus, famosa scorta, Maximillam, & Priscillam Prophetissarum titulo secum habent. Contra eos, Augustinus libro de opere monachorum cap. quinto.

§. 10. Omnino mulieres ad pietatem promores sunt, & ad superstitionem: ita hæretici piurimi per mulieres detrimenta attulerunt, De Arrianis testatur Athanasius lib. 2. contra Arianos; *Deinde quoque & ad mulierculas sese insinuantes istiusmodi verba effarmuata Arianis ita sonant: Quid an habebas filium, antequam pareres? Sed sic-uti tum temporis non habebas, itidem quoque & Dei Filius non erat antequam gigneretur. Hoc genere verborum famosi nebulones propemodum tripudiando lasciuiunt, Deum hominibus adæquantes, ac interim sese iactitantes semper Christianos fuisse, qui gloriam Dei in similitudinem imaginis hominis corruptibilis immutant. Oportuit quidem ad ista tam stulta & phanatica nihil respondere, ne quid firmi eorum hæresi habere videretur: sed tamen absurdum non est, eos obiter in ipsa nugis refutari, præcipuè ob mulierculas, quæ facile ... in fraudem abducuntur.*

§. 11. Mulieres porrò Iudæorum religiosas præviris fuisse hoc indicio est, quod vicinas gentiles ferè conuertebant. Exemplum est apud Iosephum libro 2. cap. 25. *Tunc autem Damasceni, cæde Romanorum cognita, Iudæos apud se degentes opprimere studuerunt: & cum eos in publicis thermis collectos haberent, (namque id olim propter suspiciones meditabantur) facilem quidem sui conatu exitum fore putabant, verebantur autem mulieres suas, fere omnes præter paucas Iudaizantes, & eorum religione imbutas. quare hic magna cura fuit eas celandi quid agerent. Iudæorum autem decem millia, quippe vt in angusto loco, atque omnes inermes aggressi vnâ horâ fine metu iugulauerunt.* Vbi hoc sanè mirabile est; Vxores Damascenorum fuisse omnes ferè Iudaizantes, secundò nullos ferè fuisse viros, imo viros omnes Iudæis infensos, vt nullus consilium Iudæis proderet. Scio hæc esse posteriora, sed ad fœminarum deuotionem ostendendam satis est. *Mulieres gentium Iudaismus.*

Quid si & illud addidero mulieres ad priuatas aliarum fœminarum instructiones idoneas fuisse. Nam reuera Iudaicarum fœminarum videtur in commune maior, quam virorum in rebus pietatis ardor. Itaque eas hoc honore Deus dignatus est, vt nutritias aulæ suæ haberet. Mansit vero illa in Apostolis consuetudo, & martyrum etiam æuo vbi aduertimus, earum in ægris curandis, carceribus visitandis, martyrumque ministerio versari.

QVÆSTIO II.

Quæ præterea hoc capite obseruanda sint?

§. 1. CVm easdem historias non eisdem omnino verbis Lucas recenseat, quibus alii Euangelistæ, quasdam notationes adiicere opere precium duxi, ne aliqua in re lectorem hærere sit necesse.

VER-

VERSVS 1.

Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans & euangelizans regnum Dei, &c.

QVÆSTIO I.

Quando factum?

§. 1. POstquam Ioannes in carcerem compactus est Dominus ciuitates obiuit, duodecim Apostolis comitatus, mulieribus sequentibus, quæ eum de suis facultatibus alerent. Cum enim omnes qui Ioanni crediderant, eius causa in mœrore essent; Christus vt ostenderet, Ioannem fuisse vtreum præcursorem; nec eius vinculis verbum Dei alligatum, libere vrbes & pagos obit.

Beda Apostolos nondum fuisse missos ad prædicandum cum hæc fierent, sed institutos fuisse, & interdum prædicasse. Qua de re non dubito; multa enim passim audierunt, quæ priuatim & publice alios docebant. Erat vero hoc quasi tyrocinium, ad eam, quæ postea instituenda erat, missionem.

V. 2. Græce singulari numero est πόλιν καὶ κώμην, vrbem & castellum, id multi libri latini sequuntur, sed idem sensus est, *oppidatim & castellatim* iuisse ac prædicasse. Quod vero Franciscus Lucas Brugensis in notis Græcis vno in libro κώμην ait esse, pro κώμην, id que contra omnium codicum fidem. Sic etiam legendum est, *duodecim*, non addendum, *Apostoli*. Ita & Græci & Syrici libri habent, οἱ δὲ δώδεκα, quod aliqui libri addunt, ἀπόστολοι, ex glossemate additum est. Syrus ita habet: ורתעסרתה *vateschartech, & duodecim eius.*

VERSVS 3.

Et Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & alia multa, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

QVÆSTIO I.

Quæ Ioanna?

AN & ipsa liberata à morbis non constat, Vxorem vocat Chusæ, qui procurator fuit Herodis, Ἡρῴδου, non Augusti, vt putat Beza, sed qui rationibus, & facultatibus Herodis Tetrarchæ præesset. Eum vt notissimum nominat Lucas, quocirca fidelem fuisse mihi probabile fit. In aulis interdum improbissimorum principum sunt viri eximie pii, vt Abdias 3. Regum 18. Talis & hic Chusa, qui vxorem voluit esse Christi ἐπιτρόπου *curatricem.*

Nec eam Christus inuito marito & incredulo passus fuisset secum esse, & poterat ille potens Christo sese opponere.

Ioannam Syrus vocat יוחנן Ianchen, maritum eius בוזא *Chuza*, & רבביתח דחרודס *Rabbethech delleraudes, magistrum domus Herodis.*

V. 4. Properare nostet dixit, quod est græce ἐπιπορεύεσθαι, alii proficiscerentur, significat autem turmatim accedere seu accurrere.

V. 4. *De ciuitatibus*, κατὰ πόλιν, Syrus *ex omnibus ciuitatibus.*

13. *Aliqui qui ad tempus credunt*, alii, *quia*: prius rectum est. Nam in græco est οἱ, Syrus aduersatiua vtitur, *sed temporaria est fides illorum.*

Vers. 14. Obseruandum quod ait, *euntes suffocantur*, πορευόμενοι συμπνίγονται ad propria negotia dilapsi, illisque dediti, dum vitæ curriculum absoluunt seu pereunt.

Vers. 14. Erasmus, [Pro euntes græce est πορευόμενοι. Apparet hoc participium non vsurpatum, vt sit deponens, sed vt sit passiuum à πορεύω: quod vt constat significare ago, siue duco, ita haud scio an idem significet copiam adfero. Id enim est πορεῖν, & πορίζειν, vt ordinemus ad hunc modum, συμπνίγονται πορευόμενοι, ὑπὸ μεριμνῶν, καὶ πλούτου, καὶ ἡδονῶν, id est, suffocantur dum obruuntur à curis, ac diuitiis, & voluptatibus. Verum hoc lectoris eruditi iudicio relinquo. Nam intelligi potest, progressu temporis accrescente diuitiarum copia. Quid si πορευόμενοι dictum est pro ἐμπορευόμενοι, vt ad negotiatores pertineat.] *Erasmi lectura.*

Valde quidem differunt πορεῖν & πορεύεσθαι, nec in ea significatione memini vsurpari. Claræ vero sunt nostræ versiones; *Euntes* enim dicuntur, quod pro suo arbitrio, seu in viam suam abeant, cæteris neglectis, quæ audiuerant.

V. 14. Vno verbo, fine suo destituuntur: quamuis lætissime germinarint, spectatissime horuerint; ante maturitatem tamen decidunt. Hoc est συμπορεύεσθαι, non consequuntur τέλος finem. Imo finis est miseria, vt de garrulis dixit Eurypid. τῶν ἀχαλίνων στομάτων τέλος ἐστὶ δυστυχία.

14. Referre fructum τελεσφορεῖν ait, quod est fructum perfectum & maturum ferre, qui in mensam domini inferatur. *Ortu infœcundati finis infelicissimus.*

Vers. 15. Corde bono & optimo. καλῇ καὶ ἀγαθῇ. Græcis vsitatissimus est loquendi modus, vt vocent virum καλὸν καγαθὸν, quem dicunt honestum, & bonum; seu egregium. Erasmus ex Ierem. 24. 2. qui ficus vocat תאנה טבה *hattaboth taboth, bonas bonas*, hoc est, vt noster vertit, *valde bonas.* Itaque significat non bono tantum corde, bonos aliquos, sed corde optimo suauissimos fructus, ac pulcherrimos forma. Græca iudicant, rem & adaspectum iucundam, & in se bonam.

Multa enim καλὰ τὰ μὴ καλὰ φαίνοντα, pulchra apparent, quæ non sunt, & quæ sunt pulchra, in speciem vilia apparent. At horum animus & præclarus est exemplo, & solidus, fructuque plenus.

Syrus vocat cor שפיא וטבא humili seu quieto & bono, quasi in audientium modestia, & æquanimitate consistat.

V. 18. Peculiare est hoc Lucæ. Videte ergo quomodo audiatis, Nempe quo effectu, dum auditis; quo effectu deinde factis audita exprimere oporteat. An cum fructu & in ὑπομονῇ patientia.

V. 19. Pro *adire* συντυχεῖν αὐτῷ, alii, *conuenire* noster admodum proprie: nam *adire* proprie, est ita accedere, vt quæ habeas, cum alio tractes, hinc ἀπρόσιτοι qui alloquendi sui copiam non faciunt; & illud: *Sola viri molles aditus, & tempora noras.*

V. 20. Nunciatum est. Græci libri habent, λεγόντων nuntiatum est ei, dicentibus, quod nec est in latino, nec Syro, & alioqui inusitatum est. Nec ad rem facit, quod Beza citat ex Plutarcho l. Quæ animalia sapientiora, &c. Παρὼν δ' ὁ κύων μίμῳ πλοκῇ ἔχουτι δεσμωτικῷ καὶ πολυπρόσωπον, ἅπας τε μιμήσεις ἀπεδίδου τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασι καὶ παθεσι ποικιλοις καὶ φαρμάκου πεπημένων ἐν αὐτῷ πίοντα τὸν ἄρτον ἐδέξατο.

Præterquam enim quod de loco illo disceptant auctores non est exemplis λεγόντων; sed alia quæ magis ad rem pertinent, de qua agebatur.

Sed non conuenit nec veteres Græci habent, nec latini, aut Syri codices. Dicendum esset, λέγοντες τίς ἐστι, non τίς εἰη.

23. ἀφύπνωσε *quidam, sopitus est*, quod grauius quiddam esse putant, quam ἐκαθόδησε, inde colligunt, quod inclamarent vehementer ad eum excitandum. Video tamen auctores ista confundere, & ὕπνον accipi pro leui etiam somno, qualis est ἐνυπνιάντων, *somniantium*. Nec moueor periclitantium clamoribus, audiebat omnia dominus, sed auxilium differebat, vt fidem probaret, & imbecillitatem illis ostenderet.

Complebantur, συνεπληροῦντο, nauis ipsa complebatur. Syrus sensum reddidit; *prope erat, vt nauis mergeretur*. Porro nullo modo legendum ex errore quorundam librorum, *Compellebantur*.

23. *Et nauigantibus illis*, alii, *nauigantibus autem illis*. Ita Ambros. in comment.

24. Plerique græci codices habent geminatum, διδάσκαλε διδάσκαλε, *præceptor præceptor*, sic etiam Syrus. Et conuenit timori auxilium celere poscentium.

V.24. Καὶ ἐγένετο γαλήνη, *& facta est tranquillitas*, quidam codices addunt, μεγάλη, *magna*, id ex aliis assumptum est, alii quoque codices habent ἐπάυσατο, alii ἐπαύσαντο: singularem magis probo.

V.29. *Vinciebatur*, ἐδεσμεῖτο, non vinctus ille, vt Beza, neque enim causa erat, cur suum sensum putaret clariorem, quam Spiritus sancti. Agebatur ἠλαύνετο, vt equus ab auriga, inde enim sumpta est similitudo. Corrigendi sunt latini codices, qui habent, *in deserto*; nam accusatiuus est.

V.29. *Multis enim temporibus*, quod est vel à multis iam temporibus, seu iam pridem; vel crebro seu πολλάκις. Græca πολλοῖς γὰρ χρόνοις, & latinum vtrunque sensum continent; Erasmus vertit, *frequenter*, Beza, *à multo tempore*.

V.31. Abyssus תהום Syrice, תהומא *Thehuma*, de quo initio Geneseos. βύσσα fundus est.

Abyssum retinet etiam Beza, & esse immensum voraginem testatur, *atq; adeo quem Lucas ἄβυσσον appellat, in quo dæmones constricti tenentur caliginis tenebris*. 2. Pet. 2. 4. *hoc ne profanos quidem scriptores ignorasse*, cauendas tamen fabulas, quales Gregorius in dialogis memorat. Verum fabulas nullas agnoscimus. Qua de re alio loco.

31. Quidam codices *in abyssum* εἰσελθεῖν intrare, pro ἀπελθεῖν, abire, eodem sensu, sed ἀπελθεῖν receptum est.

Ibidem. Ἀγέλη χοίρων ἱκανῶν βοσκομένων porcorum multorum pascentium; alii codices βοσκομένη pascens, ita Syrus.

Nomina dæmonum mutata.

33. Qua ex re patet, dæmones nomina frequenter pro hominum lingua, & consuetudine mutare; non enim olim nomen legionis illis in partibus nisi ex militia Romana notum erat. Augustin. lib. 2. q. Euang. c. 13. breuem habet historiæ huius explicationem, sed moralem. *Quod autem*, inquit, *in porcos pascentes in montibus dæmonia ire permissa sunt, significat immundos & superbos homines, quibus dæmonia dominantur per idolorum cultus. Quod autem in stagnum præcipitati sunt: significat quod iam clarificata est Ecclesia, & liberato populo gentium à dominatione dæmoniorum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos, qui Christo credere noluerunt, cæca & profunda curiositate submersi. Quod autem pastores porcorum fugientes ista nunciarunt: significat quosdam etiam primates impiorum, quanquam Christianam legem fugiant, potentiam tamen eius per gentes stupendo & mirando prædicare. Quod Geraseni prodeunt videre quod factum est, & inueniunt hominem vestitum, & mente sana sedere ad pedes Iesu, & cognoscentes quid factum sit, rogant Iesum vt ab eis discederet, magno timore perculsi: significat multitudinem vetusta sua vita delectatam, honorare quidem, sed nolle pati Christianam legem, dum dicunt quod eam implere non possint, admirantes tamen fidelem populum à pristina perdita conuersatione sanatum. Quod ille cupit iam esse cum Christo, & tamen dicitur ei, Redi in domum tuam, & enarra quanta tibi fecit Deus, ex illa Apostoli sententia recte potest intelligi, cum ait, Cupio dissolui & esse cum Christo, multo magis optimum, manere in carne necessarium propter vos. Vt sic quisq; intelligat post remissionem peccatorum redeundum sibi esse in conscientiam bonam, & seruiendum Euangelio propter aliorum etiam salutem: vt deinde etiam cum Christo requiescat, ne cum præpropere iam vult esse cum Christo, negligat ministerium prædicationis, fraterna redemptioni accommodatum.*

Improbi virtutem honorant, sed nō imitantur.

V.35. Sana mente σωφρονοῦντα מנצם *menaceph*, quod est, *verendum esse. sobrium, modestum. honestum, habere rectum animum in dicium*, ita etiam ve bale נחוחא nachphutha accipitur, modestia, *recta ratio*.

V.39. Lucas ait per vniuersam ciuitatem prædicasse, Marcus in decapoli, recte, quia Gadara in decapoli erat primo in vrbe, deinde in decapoli. Vide Plut. lib. 5. cap. 18. Ibidem; *Redi domum*, alii in domum quod minus probo, Græcismus est.

V.40. Alii *enim* legunt, alii, *autem*. Ita Græce & Syrice. Ideoque tenenda illa lectio.

Vers. 41. Iairus Syrice יאירש Iuiaresch, græce ἰάειρος.

V.42. Συνέπνιγον, alii συνέθλιβον, premere magis quam suffocare conuenit, sed quodammodo in turba suffocantur qui premuntur.

V.43. Ἰατροῖς medicis εἰς ἰατροὺς in medicos, quod conformius est latinis, & magis probamus. Mulier quæ, non mulier quædam.

V.43. Totam substantiam τὸν βίον vitam seu victum. Beza inde concludit, non fecisse postea statuam. De statua in Matthæo actum est. Hoc argumentum de paupertate ad Lucam pertinet. Primo *Hæmorroi.* quidem totum victum impendit, vt respectu diuitiarum nihil quasi retineret. Deinde si maritum habuit, *sanari non* eius copias impendere non poterat. Tertio, poterat *potuit* industria sua partem recuperare, diu enim vixit, & in tanta paupertate semper vixisse, non est causa cur credam. *impoluisse*

Quæ tamen omnia si demus Bezæ, cur non et aliorum liberalitate tantam colligere potuit, statuam vt seruatori statueret? Hæc eo dico, vt ostendam etiam pauperculæ, quæ tamen diuinæ in Christo virtutis testimonium sanitate sua prædicaret, non defuisse rationem gratitudinis exhibendæ. Quid autem si hæreditate, legato, adoptione, matrimonio illi nouæ opes accesserunt, ne inopem & miseram vitam ageret?

V.46. *Nam ego noui*: alii, *nam & ego noui*. Verum & omittendum est; ex græcis, & sensu.

V.49. Legendum, *à principe*; ita Brugensis. Ibidem. *Vexare illum*: Græcus & Syrus *magistrum*.

Græca phrasis est τὸν ἀρχισυναγώγου, aliquis qui erat ex familia archisynagogi, subaudiendum est enim, οἴκου, *domo*. Syrus expresse posuit מן רביה *men debeth, ab ædibus*, legendum ergo ex hac interpretatione, *à principis Synagogæ*, aut si legamus à principe, sic est intelligendum.

V.50. Ὁ πατήρ noster vertit: *Patri puellæ* ne quis nuncio responsum datum putaret; ita etiam Erasmus, credo & in græco ita fuisse.

Erasmus ita in hunc locum commentatur, *Forsitan iectos* non fuisse, cum non admiserit.

Cur noluerit euulgari iam ante in Matthæo exposui turbam non permisit intrare, quam domi inuenit flentem & tumultuantem eiecit, contentus solis testibus præordinatis à Deo.

Quam errauerint qui vxores circumducebant, exemplo Christus ostendit, non enim vxores circumducit Apostolorum. Augustin. lib. de opere monachorum cap. 5. hinc probat seruientem Euangelio de Euangelio posse viuere. *Quod quisquis putat non potuisse ab Apostolis fieri, vt cum eis sanctæ conuersationis mulieres circuirent quacunque Euangelium prædicabant, vt eis de sua substantia ministrarent necessaria, Euangelium audiant & cognoscant, quemadmodum hoc ipsius Domini exemplo faciebant.*

habent. Dominus enim noster more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare, & loculos habebat quo mitteretur pecunia, quæ conferebatur vtique à bonis fidelibus eorum victui necessaria: quos loculos Iudæ commendauit, vt etiam fures, si eiurare non possemus, tolerare in Ecclesia disceremus: Ille enim ea quæ mittebantur, sicut de illo scriptum est, auferebat. Et mulieres voluit vt se ad præparanda & ministranda necessaria sequerentur, ostendens quid Euangelistis & ministris Dei tanquam militibus, à plebibus Dei tanquam prouincialibus deberetur, vt si quis eo quod sibi deberetur vti nollet, sicut Apostolus Paulus vti noluit, amplius impenderet Ecclesiæ, non exigendo stipendium debitum, sed quotidianum victum de suis laboribus transigendo. Audierat enim fabularius, ad quem vulneratus ille perductus est, si quid amplius erogaueris, in redeundo reddam tibi. Amplius erogabat Apostolus Paulus, qui suis, vt ipse testatur, stipendiis militabat. In Euangelio enim scriptum est, Deinceps & ipse iter faciebat per ciuitates & castella prædicans & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quæ vocabatur Magdalena, de qua dæmonia septem eiecerat: & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna & aliæ multæ, quæ ministrabant eis de facultatibus suis. Hoc exemplum Domini, imitabantur Apostoli ad accipiendum sibi debitum cibum: de quo idem Dominus apertissime loquitur, Euntes inquit prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmonia eiicite. Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus est enim operarius cibo suo. Ecce vbi constituit Dominus quod idem Apostolus commemorat. Ad hoc enim dixit illa omnia ne portarent, vt vbi opus esset, ab eis acciperent, quibus annuntiabant regnum Dei.

Quod tamen ita faciendum est, ne mulierum conuersatione periculosa quispiam illaqueari possit, cuiuscunque enim mulieris secreta collocutio maxime est vitanda. Est enim laqueus diaboli; & cum est mulier longe, tamen libido prope est. quæ omnia Augustinus prudentissime notauit, & concludit, Eum qui familiari er mulierem fugere negligit, tradi diabolo in ruinam.

51. Οὐδένα εἰ μὴ πέτρον neminem nisi Petrum, alii addunt: σὺν αὐτῷ, cum ipso.

Τὸν πατέρα τῆς παιδὸς, alii τὸν πατέρα τῆς παιδίσκης puellæ.

52. οὐκ ἀπέθανε, alii οὐ γὰρ ἀπέθανε, non enim mortua est.

Non est mortua, vox, puella, omittitur in Græcis & Syricis.

Græ i alii Ioannem, alii Iacobum præponunt, Latini & Syrici Iacobum.

54. Eiectis omnibus foras ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, non est in latinis, Syrus habet, & antiquos, Erasmus omittit.

CAPVT IX.

Conuocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. 2. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. 3. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neq; virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. 4. Et in quamcunque domum intrauerritis, ibi manete & inde ne exeatis. 5. Et quicunque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. 6. Egressi autem circuibant per castella euangelizantes, & curantes vbiq;. 7. Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eo quod diceretur à quibusdam. 8. Quia Ioannes surrexit à mortuis: A quibusdam vero: Quia Elias apparuit: ab alijs autem: Quia propheta vnus de antiquis surrexit. 9. Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui: Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum. 10. Et reuersi Apostoli, narrauerunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. 11. Quod cum cognouissent turbæ, secutæ sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, sanabat. 12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas vt euntes in castella, villasque quæ circa sunt, diuertant, & inueniant escas, quia hic in loco deserto sumus. 13. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes, & duo pisces: nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. 14. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. 15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes. 16. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cœlum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit discipulis suis, vt ponerent ante turbas. 17. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim. 18. Et factum est cum solus esset orans, erant cum illo & discipuli: & interrogauit illos dicens: Quem me esse dicunt turbæ? 19. At illi respondentes, & dixerunt: Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero, quia vnus Propheta de prioribus surrexit. 20. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei. 21. Ait ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc. 22. dicens: Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere. 23. Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. 24. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam. 25. Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat? 26. Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. 27. Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. 28. Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem vt oraret. 29. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera: & vestitus eius albus & refulgens.

gens. 30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias. 31. Visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. 32. Petrus vero, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros, qui stabant cum illo. 33. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, vnum Tibi, & vnum Moysi, & vnum Eliæ: nesciens quid diceret. 34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbrauit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem. 35. Et vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. 36. Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant. 37. Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. 38. Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magister, obsecro, respice in filium meum, quia vnicus est mihi. 39. Et ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum: 40. Et rogaui discipulos tuos vt eijcerent illum, & non potuerunt. 41. Respondens autem Iesus dixit: O generatio infidelis, & peruersa, vsquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc hucfilium tuum. 42. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, & dissipauit. 43. Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri eius. 44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus hominum. 45. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo. 46. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. 47. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se, 48. & ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eũ, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est. 49. Respondens autem Ioannes dixit: Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum. 50. Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. 51. Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit vt iret in Ierusalem. 52. Et misit nuncios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum vt pararent illi. 53. Et non receperunt eum quia facies eius erat euntis in Ierusalem. 54. Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus, & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? 55. Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. 56. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum. 57. Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris. 58. Dixit illi Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. 59. Ait autem ad alterum: Sequere me, ille autem dixit? Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum. 60. Dixitque ei Iesus: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei. 61. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi sunt. 62. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

IN CAPVT NONVM

ARGVMENTVM.

QVæ hoc capite recensentur, omnia in Matthæo & Marco exposita sunt.

De missione Apostolorum Matth. 10. 1. Marc. 3. 15. & 6. 10.

De nece Ioannis Matth. 14. Marc. 6.

De panibus Matth. 14.

De confessione Petri Matth. 10. 16. & ibidem de cruce tollenda.

De apparitione in monte Matth. 17. & ibidem de Lunatico sanato.

De ambitione Apostolorum Matth. 18.

De eo qui dæmonia eiecit Marc. 9.

De eis qui eum sequi voluerunt Matth. 8.

In Ecclesia Syriaca vsque ad v. 12. leguntur ad vesperam vnius in Sabbato quintæ post resurrectionem & de Apostolis. Hinc vsque ad v. 18. tempore oblationis quotidianæ: sic enim accipiendũ est, q̃ in titulo Syrico legitur דקורבא דבליום *decoreba deculsiom, oblationis omnis dies.*

A versu 18. ad 28. in festo Apostolorum.

A versu 27. ad 37. in matutinis festi tabernaculorum. In Syrico est דמיטללא dematlela, qua in re mirum videri posset, Syros festum tabernaculorum celebrasse. Iam enim vmbræ legis diu cessarunt. Verum historia ipsa consuetudinis Syricæ testis est. Festum enim tabernaculorum vocant, quo Christus in gloria cum Mose & Elia apparuit. Quod vel tabernaculorum dicitur, quia Petrus trium tabernaculorum faciendorum facultatem poscebat; vel festum obumbrationis, est enim טל operire, & טלל tegere, obumbrare; nam nubes lucida obumbrauit eos, itaque מיטללהא metalaltha, & מיטללא vmbracula, tuguria, tegumen significat, & טלוליא vmbellæ, quibus solem fœminæ arcent. Memoriam itaque glorificationis Syri singulari festo celebrem habuerunt, vti & Ecclesia Romana.

A versu 37. ad 51. legerunt feria in sabbato secunda hebdomadis secundæ ieiunii.

A versu 51. ad finem, *Vesperis Dominica sextæ post resurrectionem.*

VERSVS

VERSVS 1.

Conuocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent.

QVÆSTIO I.

Quæ lectio?

§. 1. BEza id monet, ne quis seuere veterem interpretem reprehendat, quod pro discipulis Apostolos vertat, merito quidem sed sero; multi enim iam reprehenderant. Græca variant exemplaria, alia habent ἀποστόλους, alia μαθητάς. Syrus neutrum habet, emendata editio omisit. Sed tantum, *duodenos suos*, aut *duodecadem suam*. Græci etiam libri plerique addunt αὐτοῦ ipsius.

§. 2. Aretius ministerii continuationem hanc fieri ab ordinariis magistratibus, nec minus esse ratam: sed vnde illi constat, magistratus posse ministros & pastores constituere? Deinde vbi magistratus non est orthodoxus, quomodo potest constituere Ecclesiæ ministrum, cum non sit in Ecclesia? sed ea de re alibi latius.

Virtutem & potestatem ἐξουσίαν *vim*, seu potentiam *dunamin* חילא chaila, & potestatem seu dominum & ius שולטנא schultana, *imperium*, vt dæmones essent velut subditi Apostolorum qui totius mundi potestatem sibi arrogabant.

VERSVS 2.

Et misit illos prædicare regnum Dei & sanare infirmos.

QVÆSTIO I.

An miracula à verbo separanda?

§. 1. CONtra eos qui ita sentiunt Beza adfert Theophylacti sententiam: ἀεὶ τὸν τῷ διδάσκαλίαν ἐγχειροῦντα, καὶ κηρύσσειν καὶ θαυματουργεῖν. τὸ σημεῖον δὴ θαυμάτων βεβαιοῦντες· τάδε θαύματα δηλῶ ὁ κηρύσσω· πολλοὶ γὰρ πολλάκις θαύματα ἐποίησαν ὑπὸ δαιμόνων· ἀλλ' ὅτι τοῦ αὐτοῦ τὸ κήρυγμα ὑγιές. διὸ οὐδὲ τὰ θαύματα αὐτῶν ἀπὸ Θεοῦ. *Hæc considerent qui miracula separant à verbo.*

Semper eum qui doctrinam tradere aggreditur, & prædicare & miracula facere. Nam prædicationis miraculis confirmatur, & prædicatione miracula, multi enim ope dæmonum miracula sæpe fecerunt, sed non erat sana eorum doctrina. Quocirca nec eorum miracula erant à Deo.

Considerate admodum Theophylactus; multa sunt pseudoprophetarum miracula falsa signa mendacia. Vero miraculo Deus nunquam probat falsam doctrinam. Nec huic obstat tot sanctorum miraculis, quæ omnia cum sana doctrina fuerunt coniuncta.

Considerent vero ista hæretici, qui tot in centuriis sectarum κηρύσσειν solent, nemo potest θαυματουργεῖν; *miracula facere*. Ita euenit vt nec miraculo fidem suam, nec fide miracula probent. Et reuera magna Dei bonitas est, quod in tanta diuersitate & rabie sectarum quæ hodie Europam discerpunt, lancinantque, ne falsa quidem & dæmonum ope miracula permisit. Quantæ enim hæreseos essent illecebræ, si mira quædam dæmonum ope patrarent, quibus fucum hominibus ad licentiosas superstitiones pronis, ingenio duris, ac stupidis facerent.

Verf. 3. *In via*, alii libri, *in viam*: quod magis probandum est, εἰς τὴν ὁδὸν habetur Græce.

Verf. 3. Virgam habet latinus, græci codices variant, alii ῥάβδον, alii ῥάβδους legunt, ἀνὰ δύο *binos*, quibusdam codicibus deesse referunt, qui verius examinarunt. Cum præcesserit in Græco μηδὲν αἴρετε, *nihil tollite*. Duriuscula est anallage, qua dicitur: μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν; *neque duas tunicas habere*: Ex latino & Syro corrigendum est, & legendum ἔχετε. vbi quidam codices habent, quamuis alii omittunt prorsus, & scribant ἀνὰ δύο χιτῶνας, *duas tunicas*, & referunt ad αἴρετε, *tollite*.

Verf. 4. Latini codices habent: *Et inde ne exeatis*; Græci negationem omittunt. Notat Brugensis vnum Græcum addere, vnum Latinum omittere, Syrus omittit.

Verf. 4. Sensus, si omittatur, negatio est. *Illic manete, intrantes & exeuntes*, habitantes, nec ad alias ædes habitandi causa migrate. Si negatiua addatur, idem sensus est, ne exeatis vt alia commodiora hospitia, quasi commutatione quadam quæratis.

Veteres libri negationem non addunt frustra Valla & Erasmo reprehendentibus. Catholicis & aduersariis testibus veræ lectionis.

Verf. 6. *Per castella* non est *per* omittendum; nam respondent græco κατὰ κώμας, *per castella, vicos*.

Verf. 7. Syrus, *quæ manu eius fiebant*: בירה *in manu eius*, modo valde vitiato Syris & Hebræis. *Hæsitabat autem*, διηπόρει inscius conticuit; Syrus מיהדמיר *meihdamer, admirabatur*. Causa admirationis, quod dicunt quidam fuisse Ioannem, eum surrexisse à domo mortuorum; hoc contra Saducæos, Atheos alii dixisse videntur.

Est vero διαπορεῖν τὸν πόρον exitum seu transitum non inuenire, sumptum à metatoribus, & exercitibus, quibus transitus negatur. Huius rei verum exemplum qui requirit consideret, quid moliti sint aduersarii veritatis nostræ memoria, sed in irritum ceciderunt molitiones. Consideret, quam varia subinde frustra consilia captent.

Verf. 10. *Qui est Bethsaida*, Græcus, πόλεως καλουμένης βηθσαϊδά. Syrus à latinorum lectione recedit forte scriptum fuit τῆς βηδσαϊδά. Et ab aliquo additum, πόλεως καλουμένης.

Verf. 14. Κλισίας, *conuiuia, triclinia*, seu potius accubationes, Marcus vocat συμπόσια.

Verf. 12. Lucas vocat ἐπισιτισμὸν, ab frumento, sed proprie omne genus cibi significat.

Verf. 15. ἀνέκλιναν ἅπαντας, & *fecerunt discumbere omnes*. ita Syrus & Græci meliores; alii enim habent ἅπαντες nominandi casu, nam Græcum verbum, est discumbere & declinare, hoc est agere, vt alii discumbant, nonnulli latini etiam habent, *discubuerunt omnes*.

VERSVS 16.

Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus respexit in cœlum & benedixit illis: & fregit, & distribuit discipulis suis, vt imponerent ante turbas.

QVÆSTIO I.

An benedixerit panibus?

§. 1. BEza, quamuis verterit, *Benedixit illis*; in notis tamen probare conatur, non benedixisse.

Verba

Verba illius sunt: [In quodam codice legimus ηὐξασώσατο καὶ κατέκλασε, precatus est, & fregit. Apud Ioannem vero in huius narratione 6.11. scriptum est καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκε, & gratias actis dedit. Itaque non dubium est quin συλλογεῖν (quod apud Græcos etiam disertiores significat ἐπαινεῖν laudare, quoniam laudatio cum beneficentiæ agnitione coniuncta est) hoc loco significat τὸ εὐχαριστεῖν, id est, gratias agere, neq; Syrus interpres addit pronomen relatiuum. Quæ tamen plerumque addi tur relatiuum αὐτοῖς, & nimis absurdū fuerit cogitare Christum egisse panibus gratias, aut precatum esse panes, ac pisces; emollienda est hæc interpretatio. Dicitur ergo panibus benedixisse, id est, de his panibus ac piscibus gratias egisse Deo patri, (quamobrem etiam in meo vetustissimo codice recte legitur ἐπ' αὐτοῖς super ipsis) & simul eum precatus vt tantilla panum ac piscium copia, tantam multitudinem pasceret: denique vt totum hoc conuiuium ad Dei gloriam referretur. Sic de Samuele dicitur, 1.Sam.9.13. יברך הזבח iebarech hazzebach, id est, benedicere solet sacrificio: & à Paulo 1.Tim.4.5. cibus dicitur sanctificari verbo, & oratione, siue gratiarum actione. Vtrumque enim ibi coniungit Apostolus, vt hic quoque coniungendum est. Nam partim pro cibo præstito aguntur Deo gratiæ partim autem petitur vt pure & sobrie eo vti liceat, vt reliquam vitam in Dei cultu consumamus. Inde factum est vt Christiani dicantur, benedicere mensæ, & consecrare mensam, cùm tamen hæc benedictio non ad ipsos cibos, sed ad Deum potius & conuiuas pertineat. In poculo vero benedictionis cui benedicimus, (vt scribitur 1. Cor.10.16.) vt ipsum benedicendi verbum possit eodem modo explicari, tamen prorsus diuersus est benedictionis finis, vt suo loco explicabimus.]

Benedictio.

De codicis quem citat fide merito ille dubitat, & nos illius auctoritatem, omnibus Latinis, Græcis, Syricis & interpretum commentariis postponimus. Miror sane impudentiam eius, qui tam testatam lectionem in dubium vocare audet.

Diuersa Christi actiones in benedictione.

At Ioannes cap.6.11. habet εὐχαριστήσας; ergo εὐλογεῖν est *gratias Deo agere*, non benedicere panibus. Non sequitur quod ille putat. Diuersa sunt, oculos in cœlum tollere, Deo gratias agere, panibus benedicere. Lucas suspectum in cœlos, & benedictionis vim exprimere voluit, Ioannes gratiarum actionem, alioqui si eadem omnia sint verba, etiam εὐχαριστεῖν significabit suspicere in cœlum.

Frustra etiam in dubium vocat lectionem græcam quæ communis est, etsi enim Syrus omittat affixum non tamen ideo mutandi libri Græci & latini, nec Beza eorum exemplum adducit, qui omittunt αὐτοῖς. Vnius veteris codicis meminit qui habeat ἐπ' αὐτοῖς, *super ipsos*: quod quamuis concedamus homini habenti codices obsequiosos, non tamen illius fiducia omnes alios damnabit codices. Quod vero ait cibos benedicere esse Deo gratias agere, & precari vt bene sobrieque vti liceat, in eo aberrat, quod ea quæ coniunguntur in eadem actione, eadem putat. Deo gratias egit, & precatus est & cibis benedixit, ac benedicendo multiplicauit. Atq; hoc est, quod 1.Reg.9.13. Samuel dicitur benedixisse sacrificio. Deum creantem creaturis suis benedicere ab initio Geneseos per totam scripturam notissimum est Gen.1.22. adeo vt ridiculum sit interpretari rerum benedictionem, pro gratiarum actione.

§.2. Cur tam vehementer contra benedictionem panum & piscium inardescant, cupiantq; illud αὐτοῖς eradere, rabies est ex spiritu Wicleffiano Waldensium & Flagellantium, qui ista ferre non poterant. Nos & Christum benedixisse panibus, & benedicendo auxisse dicimus. Et in Ecclesia benedictiones vsitatas, non quasi in omnibus rebus sit diabolus, sed Benedictio quia omnis creatura per verbum Dei sanctificatur, nec aqua- Clemens Rom. lib.7. constit. Apost. cap.44. Alexand. Epist. ad orthodoxos. Augustin. lib. homiliarum 50. ser. hom.27. Ambr. de iis qui mysteriis initiantur cap.1ō. Pius 1. can. suo. Nazianzen. oratione in funere patris. Greg. dialog. 1. c.10. Cyprianus benedictiones illas & sanctificationes agnoscit. Epist.70. Ex quo apparet quantum conuitium Daniel Tossanus patribus faciat qui benedictiones Ecclesiæ magiæ incusat.

Si opponere licet hæreticos hæreticis Illyricum habent. [Non significat gratias egit vt Matth.14.19. dixit vt augerentur, & sufficerent tantæ turbæ. Deus enim etiam cum elementis ac rebus mortuis atque aeo morbis efficaciter loquitur.]

Aliæ notæ.

V.17. Græca variant, plerique habent περισσεῦσαι, alii ὑπερίσσευμα, *id quod superest.*

V.19. Et dixerunt Ioannem Baptistam. Non est hic vox, *alij*, quæ est apud Matthæum: nec enim est in Græco, nec Syro, nec optimis latinis.

V.22. *Dei, oportet*, Syrus habet, דיעתיד *futurum est*; non enim absoluta necessitas significatur.

V.23. *Tollit crucem suam*, Græca habent pleraque καθ' ἡμέραν, *per diem*, vel in singulos dies quæ inte etiam Latini variant. Syrus constanter habet, etiam Latina correcta, non est in Complutensibus.

V.25. Quid enim prodest omnia acquirere, si te perdas cui omnia illa quæruntur & propter vitam viuendi perdere causas? Pedem, vt aiunt, perdere quo calceum serues, hoc est, ἑαυτὸν ζημιοῦσθαι, sui detrimentum faciat, quasi dicat: seipso muletur.

V.26. Qui me erubuerit, Erasmus optaret latinum esse. Est quidem Virgilio Æneid.7.

----- sed iura fidemq;,
supplicis erubuit.

In quæ verba notat noster Ioannes Ludouicus de la Cerda comm. in Virgilium. De re grammatica monearis, verbum erubesco adhibitum cum actione, vt etiam à Propertio lib.3. Eleg 14.

Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec patrios erubuisse Deos.

O si iam sapiant Grammatici, qui non ad gustum Doctorum fingunt neutra sua, quæ nulla sunt.

V.28. Iacobum & Ioannem. Græca præponit Ioannem Iacobo, Latino consentit Syrus.

V.29. Albus & refulgens, alii omittunt coniunctionem vt est in Græca, λευκὸς, ἐξαστράπτων, correcta tamen retinent copulā. Ibidem & Syrus retinet coniunctionem, הוורו ומבריקין הוו *chauaru vamabkin hauau, candiuerunt & fulgurantes erant*, sed *corusantes.*

V.31. Pro verbis illis, τὴν ἔξοδον αὐτοῦ *exitum eius*, olim Aug. legit hom.57. in Matth. τὴν δόξαν *gloriam.* Euthymius notat, nonnulla exemplaria sic habere, & gloriam vocat crucem. Latina omnia habent, *Exitum.* Syrus על מיפקנה דעתיד היא דנשתלם *super exitum eius, quem futurum erat vt compleret.* Cauendum autem, ne imperiti per excessum intelligant raptum ἔκστασιν seu ἔκτασιν, vel etiam eminentiam, seu ἔξοχην. hic enim de exitu sermo est; de passione Græcum & Syricum verba sunt intelligenda. Nec erat Ierosolymis nisi de passione tractandum. Excessum vocant ἔξοδον eo modo quo Moyses ex Ægypto populum eduxit, & restituit libertati. Hebr.2.v.9.

V.32. *Cum illo erant*, verbum omittunt Græca & Syra, sed correcta latina retinent, optime supplerum est si non fuit in græco; non enim vsitatæ sunt illæ in latina lingua omissiones. Ἀλαζονευόμενος νῦν. Syrus addit, גלמיהקן *& vix*, q non est in latino, aut græco.

V.33.

V.33. *Nesciens*, Syrus, *& nesciebat, quid diceret.*

V.34. *Intrantibus illis in nubem* ἐν τῷ ἐκείνους εἰσελθεῖν, cum ipsi intrarent. Syrus ne quis Apostolos ingressos putaret sic vertit: *& timuerunt, cum viderent Mosen & Eliam, qui ingrediebantur in nubem.*

V.35. In quibusdam additur: ἐν ᾧ ἐνδόκησας, quod nec in Latino, nec Syris est, vt ex aliis huc translatum videatur.

V.38. Syrus legit: *Respice in me & filium meum*, in regijs vertit interpres: *respice in me pro filio meo*, in Syro est, עלי ברי *chali beri*, hoc est, *super me filium meum.* Itaque cum non sit recta illa constructio, puto potius pro עלי ablato ר legendum על, vel ר esse paragogicum. Quod autem versu 37. pro *illi* alii habeant *illis*, quod est in correctis latinis, consentiunt multa Græca & Syrus.

V.39. *Clamat & elidit*, est in correctis, aliqua etiam Græca habent κραυγάσει, *& elidit.* Syrus non habet, sed pro eo habet וברוך שנוחי *& frendet dentibus suis*, eodem loco pro συντρίβον nonnulla habent συντρίβοντα αὐτόν. Ibidem pro ῥήσσει Beza mallet ἀῤῥήσσει, verum eadem ratio istorum est verborum. Idem reprehendit, quod noster habet: *Dissipat vulgata*, inquit, *cum spuma, admodum improprie. Nec enim illo verbo significatur hoc in loco disceptio aliqua re vera, sed iactatio illa membrorum cum interioribus grauissimis cruciatibus, ac fibris ipsa laniarentur, sicut secare diuitur podagra.*

Quod si hoc prætendit, nec ipse discerpendi vocabulo vti debuisset, nō enim reuera discerpit: nec Græcus recte dixisset, σπαράσσει, quod est *lacerat, conuellit.* Hic igitur membrorum conuulsiones, & cruciamenta, qualia erant in talibus ægris, indicantur.

V.43. Alia exemplaria ἐποίουν, alia ἐποίησεν habent, nec temporis, nec sensus vlla differentia.

V.46. Διαλογισμὸν vertit hic cogitationem noster interpres: cæteroqui etiam disputationem quæ verbis habetur, significat, & constat ex Marc. 9.34. disputasse ea de re discipulos. Itaque Beza nostrum interpretem reprehendit & vertit: Incidit autem disceptatio inter eos, seipse tamen confutat versu sequente, vbi ait Euangelista, at Iesus videns cogitationes cordis eorum. Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς τὸν διαλογισμὸν τῆς καρδίας αὐτῶν, videns dialogismum cordis eorum. Ostendit enim Euangelista etiam cogitationes vidisse, antequam disceptarent. Eodem igitur modo Διαλογισμὸν v. 46. & 47. accipit, cogitasse eos dicit, & visam à Christo cogitationem minus apte diceret collocutos eos, & Christum vidisse cogitationes.

Versu autem 47. Διαλογισμὸν *accipi pro cogitatione satis indicat cordis nomen*, inquit Beza.

V.47. Apprehendit & statuit, Græce ἐπιλαβόμενος ἔστησεν, sic quidam libri: *apprehendens statuit videns cogitationes*, libri Græci aliqui εἰδὼς, aliqui ἰδὼν.

V.49. Qui non sequitur nobiscum, quidam non recte addunt *te*, quod tamen in Syro expressum est.

V.50. *Ad illum*, alii *ad illos*, contra Græcos, Syrum, & latinos libros, quocirca corrigendi sunt.

VERSVS 51.

Factum est autem cum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret in Ierusalem.

QVÆSTIO I.

Cur dicit completos dies assumptionis?

§.1. MAldonatus noster ab hoc versu expositionem inchoat, & difficultatem proponit. Quomodo iam dies compleri dicat, cum adhuc à passione abesset annum integrum? Mihi vix difficultas esse videtur: nam illud ἐν τῷ συμπληροῦσθαι de toto vitæ curriculo dicitur, cuius bona pars in Galilæa acta fuit, iam Ierosolymam tendebat, vt in Iudæa quoque prædicaret. Dies assumptionis vocat Syrus יומתא דסולקה *Dies ascensionis*, ita apud Marcum ἀνελήφθη, *assumptus est.* *Complet dies assumptionis toto tempore sui incolatus.*

§.2. Græca sententia contra Arrianos vsi sunt Patres, est enim ἀνάληψις *reassumptio*, seu *post dimissionem assumptio.* Christus formam serui accipiens dimissus quasi abdicatus, exultatum abijt, resurrectione receptus, & ascensione in hæreditatem suam deductus est.

V.50. *Qui non est aduersum vos pro vobis est.* Ita optimi libri & correcta editio, & Syrus, aliqui tamen legunt *nos, nobis*, vt Brugensis, Hentenius. Facilis est in Græcis lapsus ob affines literas ἡμῶν & ὑμῶν. Eodem v. 50. quidam præponunt illis verbis. *Nolite prohibere*, hæc *finite illos*: quæ omittenda sunt.

QVÆSTIO II.

Quomodo firmauit faciem?

§.1. GRæce dicitur τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε, *faciem suam firmauit*, fulsit, vt amoueri non posset. Sumpta est similitudo ab animalibus cornupetis, quæ coruscant cornua, firmatoque capite, turnida ceruice, & rigida in aduersarium feruntur, vt in Tauris & Arietibus apparet. Firmum ergo animi propositum significat. Correctior editio præpositionem addit: *In Hierusalem.* Cur vero hic firmasse faciem dicatur, causa est, quia plurima in Iudæa sustinenda certamina fuerunt. Pharisæi & Scribæ non modo plures, sed doctiores, maligniores erant, populum concitarant. Itaque iam in ipsam flammam iturus dicitur firmasse faciem, heroica virtute contra aduersa audentior progressus. Excelso & erecto animo in pugnam prouolans, vt Hieron. q.5. ad Algasiam docet. *Heroica fortitudine in Iudæam progreditur.*

VERSVS 52.

Et misit nuncios ante conspectum suum & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum vt parerent illi.

QVÆSTIO I.

Cur misit in vrbem Samaritanorum?

§.1. ANgelos missos Hieronymus arbitratur, q.5. ad Algasiam: non alio modo quam quod omnis nuntius sit Angelus intelligo, ipse tamen veros angelos putat. Ex discipulis vel Apostolis aliquem missum non dubito. Nisi quis malit dicere præcursores ex mulierum sequentium familia missos. Cur præscius repulsæ miserit, eadem causa, quæ in simili casu reddi solet. Vt ostenderet in eos promptum animum, nec eos se horrere vt cæteri faciebant Iudæi. Deinde vt discipuli quoque contemptum ferre discerent.

§.2. Causam Euangelista recensет ὥστε ἑτοιμάσαι αὐτῷ, *vt pararent illi*; nempe locum, vbi prandерent, aut cœnarent, magnum enim comitatum habebat. Opus erat ordine disponere habitationes, cœnacula, vbi ipse cum Apostolis, aliisque, seorsim matronæ cum suo comitatu essent.

§.3. Facies erat obfirmata, Hier. q.5. ad Algasiam. *Quid sibi velit quod scriptum est in Euangelio secundum Lucam: Et non receperunt eum quoniam facies eius erat obfirmata vadens in Hierusalem. Existimans Dominus pergere Hierusa-*

rusalem vt complerentur dies assumptionis eius & Pascha celebraret de quo dixerat. Desiderio desideraui hoc pascha comedere vobiscum antequam patiar; & bibere calicem, de quo ait, Calicem quem dedit mihi pater non bibam illum? omnemque doctrinam suam patibulo roboraret: iuxta illud quod scriptum est: cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: obfirmauit faciem suam, vt iret in Hierusalem. Obfirmatione enim & fortitudine opus est ad passionem sponte properanti. Vnde & Ezechieli, cui dixerat Deus, Fili hominis in medio scorpionum tu habitas & ne timeas eos: obfirma inquit faciem tuam: Et dedi faciem tuam aneam & frontem tuam ferream vt si forsan surrexisset contra eum malleus vniuersæ terræ, quasi incus durissima resisteret, malleumque contereret, de quo dictum est, quomodo confractus est & contritus est malleus vniuersæ terræ? Et misit nuntios, id est angelos ante faciem suam. Iustum enim erat vt Dei filio angeli ministrarent. Siue angelos Apostolos vocat: quia & Ioannes præcursor Domini Angelus appellatus est.

§. 4. Ciuitatem ipsam Samariam intelligo, quia in medio itinere erat. Nam in latino est constans lectio, Græca variant, Syrus habet *castellum*. Qui κώμην retinent eo argumento vtuntur quod mox additur. v. 56. *Et abierunt in aliud castellum* vbi noster κώμην legit. Quod sane probabilem facit eam lectionem.

VERSVS 53.

Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem.

QVÆSTIO I.

Cur non receperunt eum?

Odium inter Iudæos & Samaritanos conciliabat superstitio.

§. 1. COmmune erat Iudæorum & Samaritanorum odium, ita vt alii aliorum opera non viterentur. Non tamen æqualis fuit in Samaritanis, quæ in Iudæis odiorum acerbitas. Iustior erat causa Iudæorum. Hæretici enim erant & Athei Samaritani, infestique Iudæorum oppugnabant religionem. Hic tamen alia causa proponitur. Nempe quod facies eius euntis πρόσωπον πορευόμενον vadens in Ierusalem. Religionis causa eo profici sci intellexerant, cum Samaritani in monte Garizin adorandum putarent. Ibi enim erat templum schismaticum à Sannaballat genero Manasse ædificatum. Ioseph. l. 2. Ant. c. 7. & 8.

V. 57. *Domine* omittendum; nam optimi latini & correcta editio, & Syrus omittunt, Græca variant.

V. 58. Caput, alia addunt *suum*, alia omittunt. Syrus addit, Græci fere omittunt vt & correcta editio. *Dixit* Græci addunt δὲ, καὶ, & multi latini, sed in correctis non est.

V. 59. *Ire & sepelire*, coniunctionem fere omittunt, correcta retinet. Ἐπίτρεψόν μοι ἀπελθόντι, melius ἀπελθεῖν, Syrus sine coniunctione legit. *Ibo sepeliam patrem meum. Vade & annuntia.* Coniunctionem retinet correcta editio, non Græca, nec Syrica.

VERSVS 54.

Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine. Vis dicimus vt ignis descendat de cœlo & consumat illos.

QVÆSTIO I.

An Iacobus & Ioannes peccarint?

§. 1. VIndictam postulant, & eam quam Elias. Potest illa legitime, & sine crimine expeti, cum solius Dei honor, exemplum aliorum recta ratione ob oculos positum est. Quin & Christo tem commostrantur. *Vis dicimus?* inquiunt. Nec minor erat Christo illata quemadmodum Eliæ contumelia, nec minus vindicanda videbatur. Itaque Hieron. q. 5. ad Algasiam. Beda, Titus Bostrensis excusauit. Quinetiam Ambrosius excusat his verbis. *Nec discipuli peccant, qui legem sequuntur. Sciebant enim & Phinees reputatum ad iustitiam quia sacrilegos interemerat, & ad preces Eliæ ignem descendisse de cœlo, vt prophetæ vindicaretur iniuria.* Tertull. de patientia, c. 3. Christi patientiâ propositam ait ad quam exercendam venerat. *Nec enim mentitus fuerat propheta, imo ipsius Dei contestatio spiritum suum in filio cum tota patientia collocantis. Nullum volentem sibi adhærere non repulit; nullius mensam rectumue despexit. Atquin ipse lauanda discipulorum pedibus ministrauit. Non peccatores, non publicanos aspernatus est. Non illi saltem ciuitati quæ eum recipere noluerat iratus est, cum etiam discipuli tam contumelioso repudio cœlestes ignes repræsentari voluissent.* Sui igitur status habuit rationem habuit: non erat tempus seueritatis, sed clementiæ. Non quod non etiam seueritas Euangelio conueniat, vt apparet Actor. 5. 4. 8. & 1. Cor. 5. 5. sed quia Christus venerat benignitate ad finem adducturus vt haec esset libera Euangelii professio. Si enim meritos continuo fulminasset Samaritanos, partim errore superstitionis, partim odio gentis alienos, multo durius in Nazarenos, Pharisæos, Herodem, aliosque stanere oportuisset, quos ad pœnam non poposcerunt. Ex hoc fonte quo colligere mihi videor, magno illi zelo admistum malo populo fuisse gentis odium: cum grauioribus Iudæorum delictis nihil tale optarent, peterentue.

V. 54. Græca adiungunt: ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησεν, vt & Elias fecit. Non est dubium Apostolos zelo vsos respexisse ad Eliam, ideoque ex margine videtur irrepsisse. Nam Ioannes & Iacobus Eliam viderunt cum eo. Cum igitur vltionem violati diuini honoris expetere liceat, re simpliciter spectata excusari posse puto.

§. 2. At Christus increpat ἐπετίμησεν. Sed iam alibi ostendi increpationem esse etiam hortantis. *Et Batia dedit increpitans.* Non offenderat ille Reginam, sed nimium facilis, *impiger hausit.* Græci quoque ἐπιτιμᾶν vsurpant, cum culpa est, & cum vitare monent, aut interdicunt additis minis.

§. 3. Spiritum vocat animi impetum, qui aliquando à bono, aliquando à malo est. *Non venit animas perdere, sed saluare*, animas enim perdidissent, subita indignum deuocatione è cœlo. Nec Christus terrori esse voluit, quia tempus erat exinanitionis.

V. 56. *Animas* Latini, & Syri habent simpliciter, Græci addunt ἀνθρώπων *hominum*. Video eandem apud veteres varietatem. Tertullianus legit: *animas tantum*. Cyprianus animas hominum. Magis miror fuisse libros qui totum omittant. Beza & hæc omitti in quibusdam ait. *Comperimus autem hæc omnia*, καὶ ἐπύθοντο οἵδατε οἷον πνεύματος ἐστε ὑμεῖς. ὁ γὰρ υἱὸς τ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀνθρώπων ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι deesse in quibusdam vetustis codicibus. Atque hinc indies auctoritas tam horum, tam laudatorum codicum fides apud me subtilestior redditur.

VERSVS 61.

Et ait alter: sequar te Domine, sed permitte mihi primum renunciare his quæ domi sunt.

QVÆSTIO I.

Cur vocatus inducias petit?

§. 1. SYrus: *Valedicturus filiis domus meæ, & veniam. Illi qui domi sunt.* Τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου. Alii, *quæ domi sunt*: ita correcta. Vltro se offert, tantum moram exiguam

exiguam postulat, vt possit ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκον, quod est valedicere domesticis, vel constituere de rebus, quæ domi erant. Vtrum inde certi Euangelista contouertunt. Vtrumque mihi dici videtur; nam & suis valedicere voluit, & de rebus suis recte disponere. Illud εἰς οἶκον, videtur quibusdam ad res magis pertinere, quam personas, sed pari modo, & homines, & res hominum sunt dom. ἀποτάσσεσθαι τῷ κόσμῳ, καὶ ταῖς βιωτικαῖς πραγμασιν, ait ad Neocæs. Basilius, quod est separari & quasi seponi, Actor. 18. ὁ παῦλος τοῖς ἀδελφοῖς ἀποτασσόμενος valedicens fratribus, quæ valedictio cum contineat omnem de rebus dispositionem (qui enim extremum valedicit, etiam de rebus quæ ad eum pertinent, statuere solet) certum est non modo valedictionem esse, qua personas saluere iubent, sed etiam qua rebus suis renuntiant.

VERSVS 62.

Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

QVÆSTIO I.

Cur valedicere suis volentem reiicit?

§. 1. SYris in hunc modum vertit. *Nemo admouet manum suam ad aratrum paris boum & respicit retro & aptus est ad regnum Dei.* Tertull. l. de idololatria c. 12. hunc in modum citat. *Nemo aratro manum imponens & retrospectans aptus est.* Sed & in verbo ipso est varietas alii ἀπλέπων ὀπίσω, alii libri ἐμβλέπων, conuersus. *In aratrum* habent quidam libri ἐπ' ἄροτρον. Ad Elisæi factum alludit, qui 4. Regum 19. 19. vocatus mox aratrum concidit, & boues mactauit.

§. 2. Vtitur sententia prouerbiali, quo alter errorem suum intelligeret. Similitudo ista est. Qui stiuam tenet, eum in sulcos oculos intendere oportet, nisi quam deflectere, alioquin aberrat, & vt veteres dicebant, delirat.

Arattum hoc loco est discipulorum Christi ministerium, quo Euangelium propagatur, huic qui nomen dedit ad illa se conuertere non potest, quo prædicatio impeditur. Quemadmodum igitur aratio non peragitur si retrospicitur, ita nec Christi discipulus est, qui alia, quæ a sytata sunt cum Euangelio, tractare instituit. Non est aptus regno Dei promulgando; Oportet enim eius prædicatores totos sese illi consecrare. S. Cyprianus exhort. ad mart. c. 7. paulo aliter legit, eius verba quæ interpretationem habent insignem adducam. *Quod nos, inquit, admonens in Euangelio suo Dominus & docens ne ad diabolum rursus & ad sæculum quibus renuntiauimus, & vnde euasimus, reuertamur, dicit: Nemo retro attendens & superponens manum suam super aratrum, aptus est regno Dei. Et iterum: Et qui in agro est non conuertatur retro. Memores esse oportet vxoris Loth. Ac ne quis aliqua vel cupiditate rerum, vel suorum dulcedine retardetur quo minus Christum sequatur audit & dicit: Qui non renuntiat omnibus quæ sunt eius, non potest meus esse discipulus.*

Regno Dei aptus nō est, qui illi repugnantia agit.

* * *

CAPVT X.

POst hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus. 2. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. 3. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. 4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis. 5. In quamcunq; domum intraueritis, primum dicite: pax huic domui. 6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. 7. In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: 9. Et curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei. 9. In quamcunque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: 11. Etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquauit regnum Dei. 12. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi ciuitati. 13. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes pœniterent. 14. Verumtamen Tyro, & Sidoni remissius erit in iudicio, quam vobis. 15. Et tu Capharnaum vsque ad cœlum exaltata, vsque ad infernum demergeris. 16. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. 17. Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. 18. Et ait illis: Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. 20. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. 21. In ipsa hora exultauit Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam Pater: quoniam sic placuit ante te. 22. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius: nisi Pater: & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. 23. Et conuersus ad discipulos suos, dicit: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. 24. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. 25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? 26. At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? 27. Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. 28. Dixitque illi: Recte respondisti, hoc fac, & vives. 29. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? 30. Suspictens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab

Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. 31. Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo praeterijit. 32. Similiter & Leuita, cum esset secus locum, & vt videret eum, pertransijt. 33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est. 34. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. 35. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: cura illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. 36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? 37. At ille dixit, Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter. 38. Factum est autem dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum: & mulier quædam Marthæ nomine excepit illum in domum suam. 39. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. 40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, & ait, Domine, non est tibi curæ, quod soror mea relinquit me solam ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet. 41. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. 42. Porro vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

IN CAPVT DECIMVM

ARGVMENTVM.

Quæ solius Lucæ in hoc capite.

COntinetur hoc capite legatio discipulorum septuaginta duorum, & præcepta illis data, complectitur, reditumque, & alia, quæ fere explicata alibi fuerunt. De messe multa Matth. 9. 37. Præcepta legatis data Matth. 10. v. 9. Minæ in contemnentes Euangelium Matth 11. Itemque glorificatio facta patri. Tentatio facta per legisperitum, de vita æterna solius Lucæ est, & historia de Samaritano, qua ostendit, quis cui sit proximus. Nec apud alios etiam Euangelistas inuenitur vltima capitis pars, qua dicitur exceptus à Martha sollicita, & Maria sedente ad eius pedes, & verbum eius audiente. Prima pars capitis legitur in Syrica Ecclesia feria quarta septimanæ candidatorum.

Hebdomas candidatorum.

In die, inquit, *quarta in sabbato hebdomadis candidatorum.* Syriace הורא Cheuare, illa omnino septimana est, qua baptizati catechumeni candidati incedebant, iam recenter mundi à lauacro. Nam הור Chauar est, lauit, dealbauit, de hac consuetudine multa passim in actis Christianorum habentur. Posset etiam verti; *septimana candidatorum*, hoc est, *magnatum, heroum*, nam הוררין chorin, 1. Reg. 2. & 17. vocantur nobiles, heroes, liberi, & חירותא Chirutha, *libertas*. Verum de baptizatis dicitur, qui baptismo in Ecclesiam Dei inserti, ingenuitatem, nobilitatemque à Christo acceperunt, à quo & innocentiæ candorem habent, in sanguine agni dealbati.

A versu 25. ad 38. *ad vesperas Dominicæ sextæ ieiunij.*

Cõmemoratio sanctarum fœminarum.

Hinc ad finem in commemoratione sanctarum mulierum. Habetur enim in hunc modum. *Lectio in commemoratione sanctarum mulierum.* Itaque ad omnes sanctas matronas hæc Syri accommodabant, quæ Christo scilicet ministrassent, vel præsenti, vel eius membris, vel sane, si eas facultates non habuerunt, verbum eius tanto impensius audierunt. In latina Ecclesia leguntur festo assumptionis, quo matrem Christus excepit. Cuius rationem multi reddiderunt. Verum eiusmodi res ab Ecclesiarum libertate & consuetudine pendent.

VERSVS 1.

Post hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus.

QVÆSTIO I.

Cur miserit binos?

Multos operarios designat.

§. 1. IN messem vberem, & iam paratam, designauit operarios, ἀνέδειξε demonstrauit, & vt Syrus habet, פרש *pherasch*, selegit, separauit ex magno discipulorum numero, vt legati essent, sed duodecim Apostolis minores. Binos vero misit, seu vt Syrus habet; *duos, duos.* Id auxilii, consilii, mutui testimonii gratia. Ita misit olim Abrahamum & Lothum, Mosen Aaronem, Iosuam Calebum, imo Apostolos binos enumerat Matth. 10. 2. 3. 4. Luc. 19. 29. adeoq; hoc vsitatũ fuit, vt Gentiles idque quoque vsurparint, vt ex vsu in prouerbium abierit, σὺν δὶ δύο ἔρχομενα. *Simul bini eunt.*

QVÆSTIO II.

An miserit septuaginta duos?

§. 1. ERasmus fere quæ contra obiici possunt, notauit. [Illud mirum quod è septuaginta discipulis fecerint septuaginta duos: velut idem oportuerit factum in discipulis, quod factum est in septuaginta interpretibus, cum Apostolos duodecim elegerit, verum non hos quidem è singulis tribubus singulos. Cæterum græci codices consentiunt in septuaginta. Atque ita legisse videtur & Diuus Ambrosius, cum exponens hunc locum: Ecce ego mitto vos, sicut oues inter lupos, Ad septuaginta, inquit, discipulos dicit hoc. Pro nobis facit & typus veteris testamenti, vbi duodecim fontes, & septuaginta palmæ in deserto repertæ præfigurant duodecim Apostolos & septuaginta discipulos. Quod diligenter annotauit figura Theophylactus, & Cyrillus, qui citatur in Catena, mirum consentit, præter duodecim fontes & septuaginta palmas, commemorans etiam illos septuaginta ramos palmarum, quos Moses delegit iussu Domini, & implori sunt Spiritu sancto. Ac ne quis causetur solos Græcos ita legisse, diuus Hieronymus ad Fabiolam mansione sexta scribit hunc in modum: Nunquam prius

occurrerunt fontes putissimi, nisi vbi magistrorum doctrina prorupit, nec dubium, quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus deriuatio aquæ totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas septuaginta creuerunt palmæ, quos & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangelista testante duodecim fuisse Apostolos & septuaginta discipulos minoris gradus, quos & binos dominus ante se præmittebat. Ex his perspicuum est Augustino fuisse mendosum codicem, quemadmodum & aliis locis fuisse demonstrabimus. Obiicitur nobis vnus codex è bibliotheca pontificia, quasi nesciamus, post Græcos in concordiam Romanæ sedis receptos, & codices illorum ad Latinorum exemplaria fuisse emendatos. Quorum de numero multis argumentis colligo fuisse codicem illum maiusculis descriptum.]

Addit alia argumenta Maldonatus, animæ 70. in Ægyptum profectæ sunt. Gen. 46. 27. Iudices 70. constituti Exod. 18. 21. & 70. seniores Exod. 24. 1.

§. 2. Beza dubitat. *In vetere editione legimus septuaginta duos, casune, an errore, nescio, quam vetustissimi interpretes tantum 70. recenseant.* addit codicem quendam habuisse ἑβδομήκοντα δύο, 72. Suspicatur scriptum fuisse per abbreuiationem, *dlos*, id est, discipulos, inde factum, *dhos*.

Franciscus Lucas Brugensis in notis latin. Hæc est, inquit, constans lectio latinorum librorum, nisi quod in vno manuscripto inuenerimus priori loco *viros* pro *duos*, posteriori *viri* pro *duo*. Non minus constans est lectio Græcorum & Syriacorum librorum, omittentium duos & duo, nimirum septuaginta duntaxat scribentium, nisi quod vnus codex Græcus priori loco, alter posteriori addat; δύο *duo*. De hac varietate late disseruimus in Notationibus nostris prolixioribus, alteris in medium iis, quæ pro vtrauis parte faciunt.

§. 3. Notauit optime Maldonatus noster, non sequi non fuisse septuaginta duos esse, si ita legeretur, rotundas enim seruari numerus solet, omisso excessu præsertim non magno.

Fuisse septuaginta duos probabilis ratio suadet, vt enim duodecim Apostolos elegit, cuique tribui vnum, ita probabile, 72. discipulos, vt æqualiter seni, & seni in tribum diuidi possent. Deinde Moses iudices 72. delegit, & senes 72. nō tantum 70. Nam pari numero ex tribubus lecti sunt, non ergo 70. esse potuerunt, sed 72. nec ex vna tribu plures, quam ex alia. Sic omnes testantur fuisse interpretes sub Philadelpho 72. cum tamen vocentur 70. Verum merito de his dubito, vt suis locis exposui. Ex regula Augustini, constat cardinalem sæpe numerum recenseri, omitti quod supereſt, lib. qq. in exit. q. 47. Maldonatus etiam palmas septuaginta duas fuisse arbitratur. Quamuis igitur septuaginta nominentur, non est consectarium non fuisse septuaginta duos, quemadmodum filii Israel dicuntur fuisse in Ægypto quadringentos annos, cum tamen aliquanto sint plures.

§. 4. Quod ad similia attinet, coniecturæ sunt, & quemadmodum non sequitur senes Mosaicos non fuisse septuaginta duos, quia septuaginta dicuntur, ita nec è contrario sequitur, textum Mosis corrigendum, & scribendum fuisse septuaginta duos, quia tot erant. Ideoque nec hoc loco ex numero discipulorum posse colligi veritatem lectionis. Si enim illi septuaginta, qui sic rotundo numero vocantur, erant septuaginta tantum, non septuaginta duo, figuræ obstant septuagenario binario numero discipulorum. Si erant septuaginta duo, & septuaginta dicuntur, non video cur non eadem lege numerandi vti potuerit Spiritus sanctus, in Euangelio, quo vsus est in lege Mosaica. Quamuis itaque putem Mosen rotundo numero vsum, & probabile discipulos fuisse septuaginta duos opiner, non tamen ambigo ex veteri scriptura, nihil posse pro nostra lectione, vel contra eam confici. Itaque alia ratione est quærenda veritas.

§. 5. Princ pio commune est, vt notæ numerales facile excidant, non facile consensu omnium librorum reponantur eædem. Nam vt septuaginta scriberentur, pro septuaginta duobus, id facilius fit, quam vt duo apponerentur, si scripta non fuerint. Quid enim in mentem veniret librariis, vt vbi legunt, ἑβδομήκοντα, septuaginta, 70. LXX. o scriberent, ἑβδομήκοντα δύο 72. LXXII. οϐ; Visitatum est rotundo numero, id quod accedit non addere, at vero addere, quod eo non continetur, insuetum est. Sic hodieque dicimus duodecim Apostolos, cum tamen tredecim sint, nullo modo quatuordecim, cum solum sint tredecim. Deinde cum res illa pene ita nota fuerit, vt numerus discipulorum, non minus in omnium Christianorum ore versaretur, quam Apostolorum, non video cur aliquis contra omniū Christianorum mentem apposuerit binarium. Tertio constans est latinæ scripturæ illa lectio, Græca variat; nam non modo Franciscus Lucas habuit duos libros in quibus inuenit, δύο, sed etiam Beza in antiquo codice testatur fuisse οϐ, atque in alio Erasmus: constans igitur latinorum lectio Græcæ varianti præponi debet.

Facile numerus rotundo accedens detrahitur, non additur.

Scriptura communi memoriæ Ecclesiæ non potuit præiudicare.

Quarto vetustiora sunt testimonia pro latinorum lectione. Anaclet. Ep. 3. *Scitis autem à domino Apostolos esse dictos & constitutos, & postea per diuersas prouincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœpisset crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adiumentum septuaginta duos eligi præcepit discipulos. Episcopi vero domini Apostolorum: presbyteri quoque, septuaginta duorum discipulorum locum tenent.*

Veteres 72. dixerunt.

Vnde autem scire poterant nisi ex ea sententia Lucæ. Certe non poterant scire esse septuaginta duos, si Lucas habebat solum septuaginta, apud Origenem de recta in Deum fide. Ita Eutropius loquitur. *Cum Christus circum se discipulos haberet, an non hic potius hoc muneris delegasset quam iis qui in censum discipulorum non venerunt? Nec hercule illud mihi conueniens videtur, siquidem ipsos potius discipulos ad huius officij perfunctionem cooptatos oportuit.* Adaman. etiam & hi discipuli sunt Christi. Megeth. cura vt recitetur Euangelium, & deprehendes ibi nullam istorum nominum mentionem scriptis esse proditam. Eutrop. recitetur. Adaman. Apostolorum nomina duodecim recitata sunt, non etiam septuaginta duo. Eutrop. Quot habuit Christus Apostolos? Adaman. primum amandauit duodecim, post septuaginta duo, vt Euangelium annunciarent. Marcus igitur & Lucas cum in numero septuaginta duorum essent, ipsi etiam Paulo Euangelium prædicabant.

Origenes 72. agnoscit.

Non igitur illi de lectione dubitabant, siue hæretici siue Catholici, communiter enim Euangelium legebant. Eodem modo Tatianus in Harmonia, & Ammonius in concordia Euangelica. Quin accuratissimus interpres Hieron. in mansione 6. Epist. 127. quamuis septuaginta palmis comparet, tamen in canone Lucæ c. 10. septuaginta duos asserit. Verba eius in Epistola sunt. *Nec dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit: de quorum fontibus deriuata aquæ, totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas septuaginta creuerunt palmæ, quos & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangelista testante duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta discipulos minoris gradus: quos & binos ante se Dominus præmittebat.*

Hieronymi sententia.

Respondeo rotundo vsum numero, & palmas fuisse septuaginta duas. Nam in Euangelia præfatione ad Damasum se ait vsu codicum Græcorum emendata collatione, sed veterum, libri igitur veteres ita habuerunt, & ille in canone ita refert: suffragatur etiam Epi-

Epiphanij testimonium.

phanius in Panario l. 1. c. 20. vbi de Christo contra Herodianos agit, & ter omnino septuaginta duos vocat, nec modo ita Græcus textus habet, sed etiam latini, qui eum verterunt. Antiquissimam vero lectionem Clemens in constitutionibus ostendit, l. 2. c. 59. magna igitur auctoritate latina editio nititur, cuius habita est maior cura, Græcis in partes diuisis, & codicibus vario casu dispersis. Quæ Dorotheus adfert de nominibus discipulorum, merito reiiciuntur, non est ille Dorotheus Episcopus Tyrius, sed alius nec fide, nec antiquitate illi par. Ex quibus omnibus concludo probabilius esse à græcis abesse, quam in latino superesse numerum. Consigno auctoritate S. Augustini serm. 1. de Apostolis. *Tunc aduexit duodecim discipulis alios septuaginta duos, & misit illos omnes, sicut ex verbis eius apparet, ad paratam messem.*

Latina editio emēdatior quam Græca.

Augustinus 72. agnoscit.

Ne vero possit quispiam existimare lectionem Augustini corruptam esse, liquet eum ita legisse ex l. 2. qq. Euang. cap. 14. *De septuaginta, inquit, duobus discipulis. Sicut viginti quatuor horis totus orbis peragitur atque à sole lustratur: ita mysterium illustrandi orbis per Euangelium Trinitatis in septuaginta duobus discipulis intimatur. Viginti quatuor enim ter in septuaginta duobus ponimus. Quod autem binos mittit, sacramentum est charitatis. Siue quia duo sunt charitatis præcepta, siue quia omnis charitas minus quam inter duos esse non potest.*

VERSVS 2. 3.

Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

QVÆSTIO I.

An eadem Apostolis & discipulis præcepta data?

Discipulis & Apostolis eadem præcepit.

§. 1. QVæ Apostolis mandarat, ea etiam discipulos obseruare iubet, ne quis alio illos modo legari existimaret. Eadem enim præcepta crebro repetita sunt: vt monet Augustin. lib. 2. de consensu Euangel. cap. 30. Aliis atque aliis sermonum suorum locis, multa dominus iterauit, quæ alibi iam dixerat. Hos porro in Iudæam mittit, ne quisquam prædicationis exors esset. Totam enim regionem facile percursare potuerunt. *Inter lupos, ἐν μέσῳ λύκων.* Cincti enim vndique sunt improbis, quorum maior multo est numerus.

Monachi discipulorū imitatores.

§. 2. Beza *planeridiculos*, ait, *monachos, qui ritum paupertatis suæ, & Anabaptistas, qui suam illam κοινωνίαν hoc testimonio stabilire conantur.* Optime & sanctissime Monachi; si enim discipuli mittuntur sine sacculo & pera, cur non possunt & monachi? Quod si sine viatico iter discipulis facere imperauit, cur discipulis magis ridiculi sint monachi, discipulorum imitatores, mandati Dominici executores?

Anabaptistæ discipulos non imitantur.

Anabaptistas non ideo execramur, quod rerum κοινωνίαν instituerunt; nam & hoc in primitiua Ecclesia factum est. Sed quod eam omnibus sibi præceptam asserant, quodque eam nonnullæ sectæ ad vxorum quoq; prostitutiones extendant. Denique quod ita sobolem educant, vt prolem parentes non agnoscant, ex quo horribilem matrimoniorum profanationem sequi necesse est, cum intra primos agnationum gradus ducant & nubant.

§. 3. Mitti illos ait, *vt agnos ὡς ἀρνας, inter lupos.* Apostolos, Matth. 10. 16. vt oues missi. Agni enim non modo in lupos nihil possunt, sed nec sine eorum auxilio viuere: Apostoli igitur vt fortiores, vt patres mittuntur, hi vt filii, vt imbecilliores. S. Ambrosius agnos vocari putat: quod peculiarem illorum curam habere Christus profiteatur. Solliciitudo boni pastoris effecit, vt lupi in agnos audere nil possint.

Apostoli sic dicuntur.

VERSVS 4.

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis.

QVÆSTIO I.

An salutatione occurrentium fuerint prohibiti?

§. 1. MIsit Elisæus Giezi 4. Regum 4. 29. eo mandato, ne quenquam salutaret, *si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si salutauerit te quispiam, non respondeas ei.*

Salutatio frequens prædicationem impedit.

Ad eum modum non existimo Christum vetuisse salutationes, sed tantum eas, qui prædicationem vel impedirent, vel morarentur.

Non vetat.

Nec igitur licuit ad hospites, notos, cognatos salutandi causa diuertere, quærere occasionem ad suos proficiscendi, sæcularia negotia tractandi.

Deinde nec cum obuiis notis in via colloquia familiaria trahere licuit, nisi de Euangelio. Finis igitur, ne vllare impediri, vel remorari se permitterent.

In alio prorsus genere id apud Plautum Parasitus facit, malum minatus, si quis occurriset.

Hoc est enim quod ait בשלמא ראש לא תשלין *beschalma denasch la deschelun. In pace viri ne postulauritis.*

Solius igitur Messis curam eos habere voluit: vt eam copiosam colligerent.

Messem suam, particulam *suam* Bugensis ait optime manuscripta omittere. Sed correcta editio, cum omnibus Græcis, & Syro retinet.

QVÆSTIO II.

Quæ pax & mansio?

§. 1. SYrus pacem requieturam super filium pacis dicit, masculino genere עלוהי *haluchi* super eum.

Brugensis & Lodiensis.

Brugensis *illam* fœminino genere probat. *Antiqua nostra manuscripta Brugens. Lobbiens. Lodiensia, Clarmariscensia, & tria Andomarensia, pro masculino Illum, legunt fœminum Illam, vt subaudias domum, adstipulante Beda. qui non solum ita legit, sed & interpretatur, eum ait: Pax requiescit in domo si nec a fuerit filius pacis, quæ quidem verba, Beda ex D. Gregorio accipit, hom. 17. in Euangelia.*

At correctiora puto, quæ habent *illum*, cum in Græco & Syro sit masculinum, & commodissime referatur ad filium pacis.

Filius pacis dignus à Deo factus, vt pacem recipiat, eaque fruatur, quod ipse ex se talis, sed gratuita Dei vocatione, illuminatione, perseuerantiæ dono.

Ἐλεύσεται.

§. 2. Manere Beza interpretatur, non pro ישב *schab* habitare, sed חלין *helin* diuertere, vt iubeat tantisper in hospitio morari dum quieuerint, ideo ne sit Battologia, cum additur, ne transite de domo in domum. Quasi vero id nesciant fessos, de via oportere diuertere, & morari, noctemque indulgere quieti. Nec timendum est, ne sit Battologia, cum Hebræo familiare sit, præcipere aliquid, & contrarium eadem

Ne sit Battologia.

perio-

periodo prohibere: quod multi crebro notarunt, exemplum est c. 9. 4. *Manete & inde ne exeatis.*

Non sunt illa accommodanda ad omnes, quæ de hospite dicuntur. Non enim diu vno in loco manuri erant, sed ad alia profecturi, veluti prænuncii Iubilæi vltimi.

§. 3. Manducare iubet, quæ apponuntur: ne lautiora quærant, nec illa, quæ interdum auferunt hospites humani, refugiant.

§. 4. Sequentibus versibus hæc notanda occurrunt:

V. 10. *in plateas eius*, relatiuum non est in Syro, sed tantum בשוקא *deschuca, in plateas.* addendum tamen est Latino & græco.

V. 11. Ἐκ τ πόλεως ὑμῶν, sed in Syro & aliquot Græcis Ervrbevestrâ. Syrus plures numero מן מדינתכון *men medinadechun, de vrbibus vestru.*

V. 12. Χωρέτ, alii addunt μᾶλλον, quod in correctis non est.

V. 11. Quod in quibusdam Græcis est additum εἰς τοὺς πόδας ὑμῶν, *ad pedes vestros*, etsi in Syro etiam est, rectius omittitur.

V. 12. *Sidoni remissius*, Syrus: *erit Sidoni requies*, נירח *niuch*, quam vobis.

V. 13. Legendum est Corozin per N, terriam liquidâ, non M. ita Syrus, & Græcus, ita correcta editio.

VERSVS 17.

Reuersi sunt autem septuaginta Duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis, in nomine tuo.

QVÆSTIO I.

An rectum gaudium discipulorum?

§. 1. SYrus habet: *reuersi sunt septuaginta quos miserat:* רשרר *deschadar.* Deinde habet: *cum gaudio magno.*

Redeunt, & legationis suæ exitum referunt felicem. Gaudent vero, quia dæmonia etiam subiiciuntur in nomine Christi, vbi Christo gratulantur. Cypr. de ieiunio. Greg. l. 28. Mor. c. 7. aliique aliquid culpæ, aut vanitatis hoc in gaudio fuisse, ideoq; à Christo reprehensos. Aliter Theophyl. & Maldonatus, posse in bonam partem intelligi, quibus ideo assentior, qui aiunt, *in nomine tuo*, quo ad Christum omnia referunt, nihil sibi tribuentes. Cum autem sanctum sit gaudium, de gloria Christi, de dono miraculorum conceptum, non sunt reprehendendi: nam Christus gaudens donauit, & illi eo rectè vsi multos onuerterunt, inde gaudium iustum & legitimum. Etsi quispiam de tanto bono tristaretur, merito impius & inuidus censeretur. Nec verba Christi reprehensionem, sed institutionem continent. Non esse gaudium alicuius momenti, si eum eo, quod ex prædestinatione oritur. Multi enim miraculis clari, damnabuntur. Nullum donum miraculorum, aliudue, sed sola prædestinatio gaudium prudentibus exhibet.

QVÆSTIO II.

An non fuerit antè data potestas dæmonum ejiciendorum?

§. 1. PRomissum hoc Christo fuit, atq; adeo seruis illius Psal. 90. 4. *Super aspidem & basiliscum ambulabis.*

Hoc quasi admirantes renunciant, de aliis miracula memorant, quasi antè non accepissent eam potestatem. Ea planè discipulis, quæ Apostolis potestas data est, in qua & in dæmones imperium fuit. Præcepta etiam eadem fuerunt, & conciones. Si enim nulla discipuli miracula fecerunt, si dæmones pellere non potuerunt, non fuissent tam graui pœna digni, qui eos non recepissent. Si namq; solis verbis noua adferunt, Christum Messiam esse annunciant, fidem exigant, non immerito suspecti haberi possent, si nullum signum legationis adducunt, si doctrinam nullis miraculis obsignant.

Quod autem dæmones subiici tanquam admirabile referunt: non ideo faciunt, quod præter opinionem acciderit, cum non acceptâ à Christo potestate id tentassent, & successum experti fuerint.

§. 2. Potestas enim dæmoniorum eiiciendorum inprimis necessaria fuit, cum regnum cœlorum aduersus Sarane regnum annunciarent; cuius specimen dabat, cum de corporibus miserorum crudelissimos inquilinos depellerent. Deinde quis credat discipulos bene institutos, & recte legatione functos, id aggressuros fuisse temere, & non acceptâ potestate tentaturos, de quo dubitabant. Sic enim non minimam Euangelio remoram iniecissent, à dæmone superati, si non fuissent subiecti. Quis vero discipulis id neget concessum, cum mitterentur, quod in nomine Christi etiam illi fecerunt, qui Christum non sequebantur? Cur igitur de subiectis dæmoniis mentionem faciunt? Respondeo. omnia nata esse, quos, à quibus morbis sanarint, quos conuerterint, quomodo excepti fuerint. Deniq; addidisse, quod suum putabant nō modo morbos cessisse, homines credidisse, sed etiam dæmones fuisse subiectos. quod proprium erat Euangelio, vt credentes dæmonum efficerentur domini.

Discipuli non tentaturos dæmonū ejectionem nisi potestatem habuissent.

Dæmonibus imperare summum erat.

Grande hoc bonum, & quod admirabiles faciebat. Eo enim Euangelii potestas maximè ostendebatur. Nam sanationes morborum, occultis herbarum, aut lapidum viribus tribui poterant. Diaboli vires, tyrannidem quotidie videbant superstitiosi, & athei, & vehementer timebant, horum illi Domini erant, his dæmones supplicabant, ne pellerentur. Magna omnino fortitudo, dæmonem non timere, sed habere supplicem. Itaq; & Christo virtutem laudant, sed gratias agunt, lætanturq; sua opera eum vti dignatum. Hæc autem illis data versus 19. docet: *Ecce dedi, &c.*

§. 3. Græcè est δίδωμι. do. confirmat enim quod dederat, cum enim narrarent, quæ egissent ad eos in fide roborandos, animandosque ad legationem difficillimam, quâ obituri erāt, illa potestate de nouo instituit, ne putarent cum legatione exspirasse. Addit enim potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, quod multi spiritaliter etiam de dæmonib. interpretantur. Literalis tamen est interpretatio retinenda. Discipulis se non modo persecutores gladio, sed magi etiam se se opposituri erant, vt fecit Simon, Elymas, alii, contra hos satis munitiuidebantur, quod ipsis dæmones subiicerentur; nec hostis iam in vinculis timendus erat. Oboritur tamen alia non minor difficultas. Spectra quidem, & dæmonum machinæ nocere non possunt. Quid si autem magi, qui sint simul etiam venenarii, & φαρμακεῖς, serpentes veros, scorpionesq; mittant? venena misceant? Hic etiam securos esse iubet. vt Marc. 16. v. 17. & 18. Erat eo tempore venenariorum ingens numerus; vsitatum erat quod paulò post dictum est:

Calcabant serpentes.

Hinc Lybica mortes, & fecimus aspida mercis.

In precio erant Marsi & Philli, qui serpentes odore soporabant, impune lacessebant, fugabant. Plin. l. 7. c. 2. & l. 10. c. 18. Atyr apud Italicum doctus dicitur.

Serpentes dirò vxari mare veneno.

Et apud Manilium

Serpentum membra sunt non inimica
Oscula, horrendu iungunt impune venenis.

Quod ad Marsos & Psillos attinet, apparet ex Plinio & Plutarcho incantationibus vsos. Hiero. Basil. Aug. eos liberos naturâ fuisse admittunt.

Nec mirum, vidimus pueros, alio sq; puluere sumpto, non lædi, sed amari à serpentibus. Sine vlla omnino fœderis cum dæmone suspicione. Aiunt eum ex anguis exusti carne confici, non plane dissimili modo, quo conficitur, quam vocant theriacam. Verum hęc vtcunq; se habeant, alia est, quam Christus suis dedit potestas. Christus contra omnes serpentes, scorpiones, & quicquid venenatum est, immunes solâ suâ virtute præstabat. At hi de quibus agimus ab vno alteroue genere erant immunes. Deinde serpentes etiam irritati in eos impetum faciunt, discipuli Christi impune calcant.

Potestas in dæmones Ecclesiæ est data.

§. 4. Potestatem iam datam ita confirmat, vt eam in Ecclesia sua perpetuam esse velit. Hoc est enim, *do vobis potestatem*, ita Marci vltimo hoc quoq; credentium esse affirmat. Id verò & acta Apostolorum docent, & Patrum scripta. Tertull. ad Scapul. c. 2. *Dæmones autem*, inquit, *non tantum respuimus, verum & reuincimus, & cottidie traducimus, & de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est. Ita nos magis oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.*

Cyprianus ad Demetrianum. *O si audire*, ait, *eos velles, & videre quando à nobis adiurantur & torquentur spiritalibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eiiciuntur, quando eiulantes & gemētes voce humanâ, & potestate diuinâ flagella & verbera sentientes, venturum iudicium confitentur. Præcipua vero dignitas discipulorum idcirco in dæmonum eiectione cernebatur, quia veluti dij à gentibus adorabantur; videbant igitur Deos suos Christianorum seruos, & supplices.*

Ius in dæmones signũ Ecclesiæ.

Iustinus de veritate religionis Christianæ. & Lactant. l. 4. c. 27. Sicut Christus cum inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat: ita nunc Sectatores eius in nomine magistri sui, & signo passionis eius, eos ab hominibus excludunt. Vbi igitur in cœtu aliquo non est potestas in Spiritus, non est vera Ecclesia. At non subiiciuntur vlli hæreticorum nostri temporis dæmones. Ergo non sunt in Ecclesia. De Hilarione S. Hieron. in vita eius: *Latebat*, inquit, *in Cypro Insula Hilarion. Cæterum vix ad plenum viginti transiere dies, cum per omnem Insulam, quicunque immundos habebant Spiritus, clamare cæperunt, venisse Hilarionem seruum Dei, & ad eum se debere properare. Hoc Salamina, hoc Curium, hoc Lepetha, & vrbes reliquæ conclamabant. Interea triginta igitur, nec multo amplius, dies, ducenti fermè iam viri, quam mulieres ad eum congregati sunt, qui omnes ab eodem curati.*

Fuit autem illa potestas data tum discipulis speciatim electis, tumverò etiam aliis fidelibus. Imo Tertull. de coron. mil. c. 1. testatur à militibus interdum pulsos. His nunc comparet Lector, quæ Luthero contigisse refert Staphilus absolut. respons. contra Schmilin. pag. 404. [Possum ego, *inquit*, redigere mihi in memoriam anno 1545. Dęmoniacam quandam puellam,

Lutheri in dæmone pellendo irriti conatus.

„ è Misniæ ditione adductam Wittenbergam, ad Lutherum, ea spe; quod Lutherus, ceu tertius Elias, puellam illam à malo dæmonio liberaturus esset. Quamuis autem Lutherus ad hoc admirãdum, & magni mo-
„ menti opus, initio non parum difficilem se ostende-
„ ret; at tandem tamen iussit puellam adduci in paro-
„ chianæ Ecclesiæ Wittenbergensis Sacrariũ: illiq; co-
„ rã aliis plerisq; Doctoribus & eruditis viris, (inter quos
„ ego, tum quoque Magister iuuenis aderam) Dæmo-
„ nem cæpit adiurare, & exorcizare: sed id tamen more
„ suo, non eo, qui apud Catholicos receptus & vsitatus
„ est. Cum autem ille diu multumq; adiurasset Dæmo-
„ nem, cedere ille noluit; sed eas in angustias, sit venia
„ verbo, Lutheri caligas redegit, vt is quam primum è
„ Sacrario se proripere vellet. At quid accidit? Malignus ille Dæmon vsque adeo fores Sacrarii obstruxerat; vt
„ neq; forinsecus neq; intrinsecus aperiri possent. Quæ
„ res Lutherum in maiores etiam angustias adduxit; ita
„ vt iam ad fenestram properaret, sperans per eam se
„ posse fugere & exilire. Verum obstabant illi cancelli
„ ferrei; sicq; compulsus est vnà nobiscũ tantisper inclu-
„ sus hærere, donec per Cancellos ferreos ab ædituo
„ nobis oblata securis; mihique, ceu iuueni viro tradi-
„ ta, vt eâ fores effringerem: quod equidem tum con-
„ tus sum, & ad effectum perduxi. Interea vero visu ad-
„ mirandum erat; vt Lutherus angoribus correptus, hue
„ sum deorsumque cursitaret, atque instar ouis partu-
„ rientis huc illucq; se inuerteret.]

VERSVS 18.

Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.

QVÆSTIO I.

Quomodo Satan deiectus?

Præterita pro futuris.

§. 1. Ἐθεώρων quidam legunt apud Erasmum *videbant*. Theophylactus, non mirum dæmones vobis subiici, videbant enim Principem suum deiecti. Quod sensum commodum habere potest, si dicas: videbant Dæmones Principem, ideo subiici debuisse. Satanas & angeli eius in aere habitant, mundo dominantur, & impiorum capitibus insultant, eum Christus per Euangelium deiecit.

Triplex de Satanæ deiectu.

Triplex interpretatio. Prima de casu è Cœlo, cum peccassent. Altera, de casu quo à Christo homine facto, in humana carne victus cecidit, atq; ad inferos est religatus. Tertia omnino spiritalis, de potentia illius imminuta, ne regnet veteri more, quamuis loco non fuerit motus, sed in eodem aere hæserit, minore nocendi potestate. Omnes sententiæ suos habent, & graues auctores, nec vlli dubium esse potest, per Christum Satanam esse omnibus his modis victum; sed de sensu præsentis loci quærimus.

Diuina Sacra & scriptura.

§. 2. Vidisse se dicit ἐθεώρων, non quod non eius operâ, & virtute Satanæ potentia fracta sit, sed quod tam facile victoriam consecutus sit, quasi spectarit tantum, non etiam pugnarit. Aut potius perfecta victoria significatur, qua non modo vicerit, sed hostem quoque victum spectarit, & eius interitum. Sicille:

Vicisti, & victum vidisti tendere palmas.

§. 3. Cum se primum contra Deum Satanas erigeret, & vinceretur, tum Christus rebellem vicit: Trinitatis enim opera indiuidua sunt. ita Hier. l. 2. aduersus Iouinianum. Chrysostomus homil. 10. de pœnitent. Cyprianus de ieiunio & tentatione. Ambros. de fugâ sæculi. Gregor. Epistol. 58. lib. 9. Beda. Theophyl. Bernard. sermon. 5. de dedicat. Ecclesiæ. Hæc verò Satanæ deturbatio huic loco conuenit: Christus enim cansam reddit, cur ipsis dæmones subiecti sint, quia cum essent hominibus nobiliores, cœloque locati, postquam creatori subesse noluerunt, eo miseriæ redacti sunt, vt creaturæ, quæ de terra est, seruire cogantur, exire, imperata facere. Iustum enim erat, vt qui Deo rebellarant, ipsi amicis Dei in seruitutem traderentur. Laudat ergo iustitiam Dei in pœna dæmonis relucentem. Deinde ostendit tanto casu attonitos discipulos, oportere, nunquam altum sapere, nec efferri, memores dæmonem superbia elatum, nunc humilium imperiis subdi, non quod superbè discipuli gloriarentur, sed vt eos contra superbiam præmuniret, indicata causa, quâ factum sit, vt illis Satanas subderetur.

§. 4. Lo-

§.4. Loquitur etiam de insigni victoriâ, quâ cum Christus homo vicit, & possessione, quâ fretus, tyrannidem in homines exercuit, dejecit. Joan. 14. 30. & 16. 33. Verè enim se victum hostis intelligit, cum ita est in ditione ac potestate victoris, vt seruitutem etiam regiorum imperio sit obnoxius. Hunc modum probat S. Basil. hom. *quod Deus non sit auctor malorum.* Nazianz. orat. in 4. de Theologia. aliique complures, & ferè recentiores.

§.5. Sensus igitur est, à me victus est Satanas, cum singulari certamine in deserto congrederetur, hinc vos etiam pertimescite.

§.5. Tertium etiam victoriæ genus huc pertinet, & ex tribus illis expositionibus vna constituenda est, quæ sit integra. Victus est initio creationis Satanas, & cœlo dejectus à me Deo creatore illius, atq; ita sicut fulgor descendit. Deinde cum me hominem esse suspicatus tentaret, alia victoria afflictus est, & imperio quod in cœlo seu aere exercuit, etiam exutus est. Denique, quamuis multis in hoc aere vti vere permitto, eorum tamen etiam vires ita fractæ sunt, vt minus nocere queant. Hæc est ergo causa, cur vobis obtemperent. Itaq; forti animo estote, *Ecce dedi vobis.* Mea, inquam, iura dedi, tanquam in mancipia à me deuicta. ideoq; hoc seruitio nunquam exire poterunt.

VERSVS 20.

Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

QVÆSTIO I.

An reuelata ipsis prædestinatio?

§.1. CVm iubentur ideo gaudere, quia nomina eorum sunt scripta in cœlis, omnes esse prædestinatos ad vitam reuelauit. Itaq; hoc ipsi fide Catholica crediderunt, Nec vlli credendum est, nisi reueletur.

§.2. Quæ Scriptura hoc loco intelligenda sit, an prædestinationis, quæ immota manet, an præsentis iustitiæ, quæ deleri & restitui potest, disputant.

Quidam temerarium censent, si quæstionem decidere quispiam tentet. Nam soli Deo constare potest, quos prædestinarit. Alteruter modo discipuli intellexerunt, vel iam se iustos dici, vel prædestinatos esse, vel sine & iustos & prædestinatos.

Nobis quid illis dixerit inuestigandum est. Nam ita ipsis constat locutum, vt certo statuerent, quâ de inscriptione ageretur. Quocirca Christum locutum de prædestinatione æternare ipsa docet, & consequenter de præsenti iustitia, non quo ista cohæreant indissolubili vinculo, sed aliâ ob causam, quâ mox adferâ.

§.3. Magna causa gaudendi erat ob dona miraculorum vt expositi, at Christus maiorem multo, & cuius comparatione prius gaudiũ nullius momenti lætitiæ rationem indicat, quod gaudium solidum sit, & nunquam omittatur, tale est de prædestinationis cognitione: nam de præsenti iustitia, qui hodie gaudet, cras de amissa dolere potest. Cũ ergo summo gaudio discipulos perfundere vellet, & eximiam causam solidæ lætitiæ proferre, de prædestinatione dixit. Si enim quispiam eorũ reprobus fuisset, gaudere de eo q̃ in album beatorũ inscriptus ad tempus esset, non iussisset, cum paulò post maiore malo delendus esset. An igitur illi 72. omnes prædestinati? vtique: quia veritatis illa est sententia. An ergo meliore conditione, q̃ Apostoli? vtique; Discipulus prædestinatus reprobo Apostolo multis modis felicior. Apostol⁹ aũt prædestinat⁹ discipulo prædestinato, & melior, & dignior, ideoq; felicior.

At saltem collegium discipulorum, collegio Apostolorum securitate fuæ prædestinationis felicius fuit. Apostolis enim crebro insinuatum est ex illis vnum esse proditorem, vnum filium perditionis.

Potuit æterna sapientia alios secures reddere, vt animosius Euangeliũ prædicarent; alios relinquere dubios, vt maiore sollicitudine salutẽ suam operarentur, munereq; suo vacarent. Si aũt examinare nõ licet, cur hunc vocet, illũ deserat, multo minus inquirendũ est, cur hunc felicitatis suæ præscium, illum insciũ esse velit. Potuit indicare minoribus, q̃ cælauit maiores. Nã & saluauit minores discipulos omnes, Apostolorũ vnum damnauit: vt sc. discerent Pontifices & Episcopi, tiaras suos non esse prædestinationis symbola, sed pericula damnationis. Hoc si Deus ageret, nihil nisi impiè homo contra loqui posset. Credo tamen Apostolis suam et prædestinationem reuelasse. Et multa signa sunt. Nonne, inquit, ego duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? cum ergo vnum defecisse vident, cæteri fuêre securi. deinde de Petro variis modis est facta reuelatio, cum dicitur non defecturã fidem & conuertendum, super eum Ecclesiam ædificandam; denique prædicit illi martyrium, vt & filiis Zebedæi. Forte & aliis, excepto Iuda similia signa data sunt. *Apostolis reuelata prædestinatio.*

§.4. Non prohibet illos de dono suo gaudere, cum ad eorũ salutẽ Ecclesiæ incrementũ datũ sit, & ad diuinã gloriã manifestãdã magnopere cõferat. Sed cõparatio est, quâ ostẽditur de eo, q̃ nomina sint inscripta in cœlo magis gaudendũ. Ita Oſ. 6. 6. & Matt. 9. 13. explicat.

§.5. Sequentibus versibus hæc occurrunt, quæ diligentem, lectorem morari possunt.

V. 21. Exultauit. Græcus addit ὁ Ἰησοῦς, idẽ facit Syrus. Alii codices omittũt, *sancto*, Sixtina habet & Syrus, & multi Gr. Alii et addũt p̃positionẽ *In*, q̃ superfluã puto.

V. 21. Spiritu ἁγίῳ, addit multis, sed videt cõmodi⁹ omitti. Eadẽ verba ἐν πραφεῖς ēt Beza redundare putat.

V. 21. Syr⁹ habet expresse in Sp. sanctitatis רקירשא.

V. 21. Eodem versu, talis voluntas fuit coram te expresso ad verbũ Gr. ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου.

V. 22. Πάντα μοι παρεδόθη, Omnia mihi tradita sunt; *ante hæc verba*, in quit Brugensis, *legunt plerique Græci codices cum Syricis* καὶ στραφεὶς, πρὸς τοὺς μαθητὰς εἶπε. *Et conuersus ad discipulos dixit. Cæterũ octauus Parisiensium codex & noster Regius, cum Latinâ editione, ea non agnoscunt. Ac videri possint in textum relata, ex alicuius ad marginẽ adnotatione, volentis docere, eadem hic subaudienda, quæ mox vers. 23. exprimuntur: cum tamen potius, ex eo quod illic sequantur, intelligere hic oporteat, Saluatorẽ, non ad discipulos se conuertisse, sed mansisse vultu ad Patrem in cœlos defixo.* Non sunt tamen ponenda, quia paulò post sequitur, etiam in Græcis.

V. 23. Καὶ ἰδίαν. Aliq omittũt, cõsulter à latinis abest.

VERSVS 25.

Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum & dicens: Magister quid faciã vitam æternã possidebo.

QVÆSTIO I.

Cur Scriba interrogat? & quid respondet Dominus?

§.1. NOn erat ei in animo viam salutis addiscere, docere paratior, rogat igitur ἐκπειράζων αὐτὸν tentans eum, an forte responsum aliquod parum idoneum audire posset, quo eum vel reprehenderet, vel irrideret.

§.2. Hæretici veteres illud *Æternam* omiserunt, ne lex videretur vitæ æternæ fecisse mentionem. Tertull. l. 4. contra Marcionẽ. c. 25. *In Euangelio*, inquit, *veritatis legis Doctor Dominum aggressus: Quid faciens, inquit, vitam æternam consequar? In hæretico vita solummodo posita est sine*

Vita æterna à creatore promittitur.

æternæ mentione, vt doctor de ea vita videatur consuluisse, quæ in lege promittitur à creatore longæua: & Dominus, ideo illi secundum legem responsum dedisse: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & totis viribus tuis, quoniam de lege vitæ sciscitabatur. Sed sciebat vtiq; legis doctor quo pacto vitam legalem consequi posset, vt nō de ea interrogasset, cuius regulas etiam docebat. Sed quia & mortui iam suscitabantur à Christo, ex suscitatus ad spem æternæ vitæ, per exempla recidiue, ne plus aliquid obseruationis exigeret sublimior spei, idcirco consuluit, & Christus respondit, quâ sit penes creatorem, non de æterna quæ sit penes Marcionis Deum, quomodo consequitur æternã? Non vtiq; eodem modo quo & longæuam. Pro differentiâ n. mercedum, operarum quoq; credenda distantia est. Ergo non ex dilectione Dei tui consequetur vitam æternã Marcionites: sicut longæuam dilector creatoris. Sed quale est, vt non magis diligendus sit qui æternam pollicetur, si diligendus est qui longæuam repromittit? Ergo eiusdem erit vtraq; vita, cum eadem est vtriq; vitæ captanda disciplina. Quod creator docet, id & Christo opus est diligi, vt præstet, interueniente & hic illa præscriptione, quâ facilius apud eum debeant credi maiora, apud quem minora præcedunt, quam apud eum cui nullam de maioribus fidem aliqua minora præparauerunt. Viderit nunc si æternam nostri addiderunt. Hoc mihi satis est, quod Christus ille æternæ non longæ vitæ inuitator, de longæua consultus quam destruebat, non ad æternam potius exhortatus est hominem quam inferebat. Quid, oro te, fecisset Christus creatoris, si qui creatori diligendo ædificaret hominem, non erat creatoris? Credo negasset diligendum creatorem?

§. 3 Egregia disputatio Tertulliani, quæ valet etiam contra nostros hæreticos, dum negant charitatem ad vitam æternam operari. Nam & vim charitatis, & mercedem operarum agnoscit.

Charitate hæreditas aditur.

V. 25. *Quid faciendo possidebo*, Græcè est κληρονομήσω, *hæreditate possidebo.* Quo indicat sanè vitam æternam esse quidem hæreditate filiorum, quæ tamen benè factis sit quærenda; non datur nisi conditione, sub quâ promissa est, impletâ. Eodem modo Syrus clarius מנא אעבך ויריתּ *Mana ebehed dirath. Quid faciam ad hæredtandum*, seu *hæreditatis causa.* Est verò ירתּ *ierath* Syris, quod Hebræis ירשׁ *iaraſch*, vsitata literarum ש *Schin* in ת *Tau* mutatione.

§. 4. Christus inuidiâ responsionis in tentatorē reiecta, suo illum iudicio conuincit. Eoque adducit, vel rem notissimam se nescire mentiatur, vel quæstioni propositæ respondeat.

In lege charitatis iubetur proximum diligere, sicut seipsum, Syriacè אית נפשך *aich naphſchach*, *sicut animam tuam.* Hoc est, *sicut te & vitam tuam.*

§. 5. Fœdissima est huius loci corruptio apud Caluinum, alios q;, qui impossibilem conditionem propositam aiunt. Caluini verba sunt: [Notandum tamen est, Christum de acquirenda salute, prout rogatus fuerat, hic loqui. Neq; enim planè, sicut alibi, docet, quomodo ad vitam æternam perueniant homines: sed quomodo viuendum sit, vt iusti coram Deo censeantur. Certum autem est in lege præscribi hominib. quomodo vitã formare debeant, vt salutem corã Deo sibi comparent. Quod autem lex nihil aliud quam damnare potest, ideoque mortis vocatur doctrina, & transgressionem augere à Paulo dicitur, non fit doctrinæ vitio, sed quia impossibile nobis est præstare quod iubet. Ergo quanquam ex lege nemo iustificatur, continet tamen lex ipsa summam iustitiam: quia non falsò salutem promittit suis cultoribus, si quis plene obseruet quicquid mandat.]

Caluinus putat Christum non ostendisse viam vitæ.

Verba Caluini repugnant verbis Christi. Quærit tentator, quid faciendo vitam æternam sit possessurus. Respondit Christus, audita lege charitatis: *Hoc fac, & viues.* Nempe, Dilige Deum & proximum, & vitam æternam possidebis.

Respondet Caluinus. Non doceri modum vitam æternam possidendi. Qua ex re sequitur: Auditores à Christo deceptos esse. Non enim docet id, quod rem facit. Imo si Caluinum audimus, fallum docet. Non enim alia causa negat, eum promittere diligenti vitam æternam; nisi quia falsum existimat, hoc modo perueniri ad vitam æternam. Sed Christum sincere respondere, nec Pharisæum errasse confirmat, cum ait recte respondisse. Quod si Scriba malo sensu, non vero, respondit, aut si latebat in responso error, non oportebat laudare sententiam veritati aduersam. Ne ille in errore confirmaretur. Nec vllus locus inuenitur, vbi Christus ita legitur respondisse, vt in errorem induceret interrogantes.

Deinde si docet, quomodo sit viuendum, vt coram Deo iusti censeamur; charitate ergo iusti efficimur. Sensus enim fuerit. Dilige Deum ex toto corde & proximum; quod faciendo, iustus coram Deo censeberis: At nihil illis magis absurdum videtur, quam si ex dilectione sit iustitia. Quod verò impossibile esse putat Legem seruare. Id verò hoc ex loco probatur. Laudat Legis peritum Dominus, quod benè responderit. Monet vt faciat, quod faciendum docet. Sed Iud impossibile erat, non modo naturæ viribus, sed etiam gratiæ diuinæ; irrisio in Christi responsum. Perinde ac si diceret lapidi, *intellige*, nec enim saxum intelligere potest vel natura sua, vel gratia Dei, cuius capax non est. Hoc absurdum esse non ignorabat, sed tamen persuadere conatur non esse; [Neq; hæc, « *inquit*, docendi ratio nobis absurda videri debet, quod « Deus primò iustitiam operum requirat, deinde gratuitam offerat sine operibus: quia necesse est homines « suæ iustæ damnationis conuinci, vt ad Dei misericordiam confugiant. Ideo apud Paulum vtriusq; iustitiæ « comparatio ponitur, vt sciamus nos ideò gratis iustificari à Deo, quia propria iustitia destituimur. Christus « autem in hoc responso sese accommodauit ad Legis « peritum, & rationem interrogationis habuit. quæritat enim ille, non vnde petenda esset salus, sed quibus « operibus acquirenda.]

Charitas ad salutem necessaria.

Absurda prorsus est doctrina; quærenti de via salutis, illam ostendere, per quam salus dari non possit. Quod si charitas ad salutem nihil contulit, monere debuit, eo non faciendo aliquid, sed tantum credendo perueniri.

Alio modo Christus; alio Caluinus. Christus charitati tribuit, vitam æternam: Caluinus habuisse rationem interrogationis Christum, sed constat habuisse etiam veritatis. Charitas enim est sola filiorum Dei; sine charitate adesse alia possunt, prodesse non possunt.

VERSVS 29.

Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus?

QVÆSTIO I.

Quomodo voluerit iustificare seipsum?

§. 1. IVstum esse se arbitrabatur, interrogatione autem altera se iustum ostendere voluit: videtur autem iustificando se, summam iniusticiam prodere. Lege Dei proximum diligere iubetur vt seipsum. Id quomodo præstitit, si quem haberet proximum, nesciuit? Videtur primum in eo ignorasse, quod ignorantiæ simulatione quæstionem proposuerit, quæ omnibus idiotis notissima erat, & ad quem prompte

promptè respondet. Itaq; Dominus vel illi respondit, vel auditores omnes intelligebant, tentandi, non discendi animo interrogasse. Hanc notam vt vitaret, aliâ quæstione Dominum pulsat & quærit: *Quis sit proximus.* Quasi non ignorantiæ, sed ordinis causa priora rogarit, vt intelligeret quis esset proximus. Eâ enim de re quæstiones fuisse constat ex Matth. 5. 23. 34. Cum igitur Dominus aliàs inimicos diligere iussisset, Phariſæi autem docerent, odio habẽdos inimicos, voluit controuersiâ quæ tum maximè agitabatur, vrgere Christum, vt meritò quæstuisse videretur. Non enim tentandi causa id proponere videbatur, de quo aliter Christus, aliter Phariſæi sentiebant. Ita Maldonatus & alii nonnulli sentire videntur.

§. 2. Hac quidem ratione in speciem videri posset, excusari, quod quæstionem omnibus facilem, non tentandi causa proposuisset. Vt tamen non ab ea culpa sola, sed simpliciter se iustum videri voluisse credã, facilè adducor. Non enim magni æstimabat Phariſaica superbia, si captiosè & simulatè interrogasse videretur. Sed iustus omnino videri volebat toto vitæ genere. Cum igitur Christo rogante viam iustitiæ ipse ex Scriptura monstrasset, continuò occurrit Christi interpretatio Phariſaicæ gloſſæ, & factis aduersã. Quam tueri sciebat Apostolos & discipulos Christi. Itaque cum sciret se inimicos odisse, & persequi, non amare, vt ostenderet iustitiæ non obesse illud odium, quæstionem proposuit, paratus alteram partem propugnare: cum enim Christus diceret. *Hoc fac, & vives.* Excepit, se facere, sed non eo modo interpretari proximum, sed amicos tantum, non autem inimicos. Perinde ac si Caluinianus quispiam ex me quærat: Quod officium est Christiani hominis? Respondeamque; *Declinare à malo, & facere bonum.* Ille vero variis sceleribus contaminatus, volens tamen se iustificare, vicissim quærat. Quid est declinare à malo, & facere bonum? Multò enim aliter illi interpretantur. Nempè esse iustitiam inchoare, nempe adulteria, homicidia, aliaque flagitia comittere, sed non toto animo, sed cum languida quadam detestatione, & cum repugnantia voluntatis. Quemadmodum Dauidem adulterio & homicidio non amisisse iustitiam edocent. Itaque Phariſæus se iustum putat, etsi non amat proximum, quem Christus proximum dixit, sed quem additamentum Legis phariſaicum pro proximo instituerat. Effugium ergo quærebat, ne deprehenderetur, ne conuinceretur non amare. Itaque protestatio potius est, quam quæstio. Quasi dicat, non amo eum proximum, quem tu iubes amari, sed quem nostra traditio. Eaque charitate iustus sum.

VERSVS 30.

Suſpiciens autem Ieſus dixit: Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones qui etiam deſpoliauerunt eum: & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.

QVÆSTIO I.

Quis parabolæ ſenſus?

§. 1. SEnsus allegoricus facilis est, omnibus vsurpatus. Homo ille est Adam, seu humanum genus, Ieroſolymis in Iericho è Paradyso discedens, à Dei visione & familiaritate ad mutabilitatem, mortalitatemque. Iericho enim Lunam significat, latrones dæmones, vulnera peccata corruptioq; naturæ, Sacerdos & Leuita, lex & sacerdotes, Samaritanus Christus, lumentum humanitas, vinum & oleum sanguis & aqua, precium solutionis Mors & satisfactio, hospitium supererogatio, Stabularius; Emblemata. Verum de literali sensu magna est difficultas.

§. 2. Sensus literalis difficilior est ob varias interpretationes. Alii eum qui benè facit, alii qui ope indiget alienâ proximum esse. Breuissimè respondeo. Omnem hominem omni homini proximum esse, idque ex lege charitatis, quam Deus tulit. Amandus enim omnis homo est, nulla ratione generis, aut aliarũ rerum habita. In hoc quidem omnes orthodoxi conueniunt. Nullum à charitate nostra excludendũ, nec miserum, nec felicem, nec bonum, nec malum. Hoc solum loco hærent auctores, quomodo institutum concludatur, id enim solum respondet Phariſæus. Illi qui incidit in latrones proximum fuisse Samaritanũ, & responsum laudat Dominus. Imo videtur etiam cõsequi sacerdotem & Leuitam proximos non fuisse, cũ tamen eiusdem gentis essent. Sed si ethicè & vt fieri solet inter homines verba accipiamus, non apparet difficultas. Principio clarum est, quæri de proximo qui sit ex Dei mandato diligendus. Christi institutum est Phariſæũ ex propria confessione eò deducere, vt probet omnem hominem ab omni homine diligendum. hoc affirmo ex parabola, vero Phariſæi iudicio concludi. Samaritanus enim ille se proximum Iudæo putauit, ideoq; Iudæum sibi proximum esse, sunt enim ista ἀντίστροφα, & reciprocè dicuntur. Amauit enim vt proximum, id sacerdos & Leuita non fecerunt, non quod non proximi essent, sed quod legem de proximo diligendo violarent, quasi proximi non essent. Hinc firmissimum argumentum ex Phariſæorum sententia sumebatur: & probatur, omnem hominem omni fuisse proximum: Si enim ille qui maximus hostis videtur, sequé acerbissimo odio prosequuntur Iudæi, tamen se iudicauit proximum, & benefecit, atq; adeo rectè fecit, signũ est homines non oportere ad cognationes, amicos, & notos charitatẽ restringere. Samaritani aũt factum improbare Phariſæus nõ potuit, nec causus est, præsertim cum Iudæo beneficium exhibitum fuerit, & communis omnium gentium consensus approbaret. Ideo & Dominus subiungit, *Vade & tu fac similiter.* Hoc est, etiam hostibus opitulare, vt lex Dei imperat, non solis amicis, vt deprauatio Phariſæorũ habet. Robur argumenti est ex magno odio quo Samaritanis infensi erant Iudæi, non enim illi cohortabantur, multo magis, quam Ethnicos execrabantur. Perinde est, ac si velim ostendere etiam Turcam proximum esse, ideoq; omnem hominem. Vsitatum porrò est, vt cum charitatem, aũt æquitatem insignem ostendere volumus, etiam hostibus exhibitam dicamus. Ita infelix Priamus

At non ille ſatum quo te mentiris Achille
Talis in hoſte fuit Priamo.

Omnis homo omni hominiproximus.

Si inimicissimus eſt proximus ergo omnes.

§. 3. Bellarminus l. de gratia primi hominis c. 6. Ex hoc viatore probat, naturalem non fuisse integritatẽ in qua conditus est. *Quo etiam pertinet*, ait, *parabola de eo, qui incidit in latrones, Luc. 10. Primum enim deſpoliauerunt eum, deinde plagis impoſitis, abierunt, ſemiuiuo relicto. Vbi non ſolum intelligimus ex nomine veſtium, quæ (vt diximus) extrinſecum quid ſignificant, colligi poſſe donis ſupernaturalibus priuatum fuiſſe primum hominem, ſed etiam animaduertimus, plagas naturæ humanæ exdeſpoliatione conſecutas eſſe. Neque enim ſine cauſa Dominus in parabola illa prius dixit, hominem ſpoliatum, poſterius autem vulneratum fuiſſe, cum tamen contra accidere ſoleat in veris latrocinijs, nimirum indicare voluit in hoc ſpirituali latrocinio, ex ipſa amiſſione iuſtitiæ originalis, nata eſſe vulnera noſtræ naturæ, ſiquidem donum illud iuſtitiæ non ſolum tegebat & ornabat, ſed etiam curabat & ſanabat languorem illum, qui ex conditione materiæ alioquin pullulaſſet.*

Integritas primi hominis non fuit naturalis.

Proinde

Proinde ex natura humana dono illo iustitiæ spoliatâ, sibique relictâ, continuo plagæ illæ & vulnera eruperunt. Quæ omnes ex Adamo nati experimur.

Nec ad rem faciunt, quæ Pareus obiicit: 1. *Allegoriæ nihil probant*, inquit, 2. *Negat de primo homine agi, saluâ Patrum auctoritate, quibus nimis familiare, allegorias sectari non solidas, deinde non est de Scriptura, nec mente Christi, statum primum hominis, aut lapsum, reparationemue, sed doctrinam de proximo diligendo explicare.* 3. *Parabola etiam admissa est contra Bellarminum, quia viator non retinuit naturam integram, vt ille vult, nam vulneratus est letaliter.*

Allegoriarũ auctoritas est ex Patribus.

Respondeo. Allegorias à doctoribus vsurpatas & receptas habere vim probandi imprimis ex auctoritate Patrum: quod enim illi interpretati sunt, id censuerunt contra fidem non esse. Deinde multi Lutherani Christum Samaritanum sunt interpretati, vt Illyricus aliique. Et ne hæreticis citandis hominem imperitum conuincam: Vno contentus ero, & quidem Caluiniano Benedicto Aretio, qui Allegoriam agnoscit.

Non Allegoriæ igitur sunt reiiciendæ, alioqui & Paulum arguemus. Bellarminus Allegoria vsus est, quam à Patribus cunctis acceptam, ne hæretici quidem repudiarunt, nec Pareus, nisi causæ suæ obesse sentiret, aliter sentiret.

§. 4. Quod ad Christi institutum attinet, voluit ille charitatem commendare, sine qua ad vitam ingressus non datur. Eam vero sensus literalis abundè commonstrat. Nec minus allegoricus. Si enim Christus noster Samaritanus non oleo & vino, sed suo sanguine per summos cruciatus effuso, nostra vulnera, & proximorum nostrorum curauit, nonne & nos pro fratribus animas ponere exemplo suo docuit? Sine Christo est, si quis CHRISTI exemplo non potest ad eos diligendos induci, pro quibus sanguinem suum ille fudit.

§. 5. At viator ille non retinuit naturam integram, vt Bellarminus vult, nam vulneratus est letaliter. Non hoc scripsit Bellarminus, quod ipse ei imponit. Naturam mansisse integram. Non enim negat esse vulnera secuta, sed ex amissione iustitiæ Originalis nata. Vulnera orta sunt, cum natura sibi relicta exorbitauit non secuta rationem rectam, quam ad Dei leges instituere actiones oportuit. Peccata sunt quidem naturæ vulnera, sed quæ inflicta sunt ab hoste, postquam iustitiæ originalis tegumento nudata est.

§. 6. Quocirca etiam violenter Illyricus locum depraua[t]. [Theologi, *inquit*, hinc sumpserunt occa-

Illyrici depravatio.

„ sionem disserendi de peccato originali, & inculca-
„ runt illud dictum: Homo spoliatus est gratuitis, &
„ vulneratus in naturalibus: quod tamen nimis tenue
„ est, ac nec dimidium quidem mali exprimit: non enim
„ tantum vulneratus est, sed etiam interfectus, atq; ad-
„ eò etiam contrariam vitam consecutus. Sed accom-
„ modari tamen hæc similitudo ea ratione potest, quod
„ sicut ille fuit spoliatus omnibus suis rebus, ita & ho-
„ mo lapsus spoliatus sit omni fauore Dei, iustitia, re-
„ gnoque cœlorum & omnibus omnino bonis viribus.
„ Portò etiam sicut illius vulnera certissima causa, &
„ veluti semen de proximo instantis mortis erat: ita et-
„ iam omnes nostræ vires nullam vim ad vitam, sed tan-
„ tum ad peccandum & exitium habeant, iuxta illud:
„ Sensus carnis mors est.]

Quibus ille verbis non dubitauit CHRISTO in os conttadicere, Christum vulneratum, & ἐνεργουμένῳ dixit, quod per periphrasin expositum Syrus בר קלילל קימאה בה גפשא *cadcalil caiama bach nephtscha, cum vix staret in ipso anima.* Illyricus interfectum, cui repugnat parabola, non enim mortuos, vino & oleo curari & hospiti commendari mos est, sed vulneratos & viuos. Deinde hoc ipse fatetur, cum ait, *vulnera esse semen mortis.* In eo tamen peccat: quod vulnera vires nostras interpretatur. Non enim illa vires sunt, sed virium detrimenta. Hinc igitur & apparet Bellarminus rectè interpretari allegoriam: nam contra Illyricum & alios agit, qui eam agnoscunt, & prauè interpretantur. Per hunc saucium intelligunt, inquit. Ille totum genus humanum, nempè Lutherani, de suis enim loquitur. Imo ipse allegoriam literali sensui præfert. [Vid tur quidem, *ait*, parabola in speciem eo dire- « ctam esse, vt doceat, quemuis hominem nostra op- « indigentem, esse nostrum proximum, sed reuera li- « mul multò maiora docet, nempè, illum hypocritam, « & omnes homines frustra iustitiam & vitam quærere « in suo facere, opetibus, & viribus, qui omnes letaliter « sint consauciati.] «

Illyricus deprauatam allegoriam indicat.

Quin Augustinus infirmum dicit non mortuum. De verbis Apostoli serm. 2. c. 6. *Vtinam*, inquit, *non sine causa dicam. Sunt enim homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi sauciæque naturæ. Verum est, magnas arbitrij liberi vires homo cum conderetur accepit: sed peccando amisit. In mortem lapsus est, infirmus factus est, à latronibus semiuiuus in via relictus est: in iumentum suum leuauit eum transiens Samaritanus, quod interpretatur custos; ad stabulum adhuc perducitur. Quid extollitur? Adhuc curatur. Sed sufficit, inquit, mihi quod in Baptismo accepi remissionem omnium peccatorum. Nunquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? Accepi, inquit, remissionem omnium peccatorum? Prorsus verum est. Deleta sunt cuncta peccata in Sacramento Baptismatis, cuncta prorsus dicta, facta, cogitata, cuncta deleta sunt. Sed hoc est quod infusum est in via, oleum & vinum. Retinetis, semiuiuus ille in viâ à latronibus saucium, quomodo sit consolatus, accipiens oleum & vinum vulneribus suis. Iam vtique errori eius indultum fuit, & tamen sanatur languor in stabulo. Stabulum si agnoscitis, Ecclesia est. Stabulum modò quia viuendo transimus, domus erit vnde nunquam migrabimus, cum ad regnum cœlorum sani peruenerimus. Interim in stabulo libenter curemur, non adhuc languidi de sanitate gloriemur: ne nihil aliud superbiendo faciamus, nisi vt nunquam curando sanemur.*

§. 7. Non possum omittere quin pulchertimam allegoriam ex Augustino describam. lib. 2. qq. Euang. q. 19. *Homo*, ait, *quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho: ipse Adam intelligitur in genere humano. Hierusalem ciuitas pacis illa est cœlestis, à cuius beatitudine lapsus est. Hiericho Luna interpretatur, & significat mortalitatem nostram, propter hoc quod nascitur, crescit, senescit. Et incidit in latrones, diabolum & angelos eius, qui eum spoliauerunt immortalitate, & plagis impositis peccata suadendo, reliquerunt semiuiuum: quia ex parte qua potest intelligere & cognoscere Deum, viuus est homo: ex parte qua peccatis contabescit & premitur, mortuus est, & ideo semiuiuus dicitur. Sacerdos autem & Leuita qui eo viso præterierunt, sacerdotium & ministerium veteris testamenti significant, quæ non poterant prodesse ad salutem. Samaritanus custos interpretatur, & ideo ipse Dominus significatur hoc nomine. Alligatio vulnerum, est cohibitio peccatorum. Oleum, consolatio spei bonæ, propter indulgentiam datam ad reconciliationem pacis. Vinum, exhortatio ad operandum feruentissimo Spiritu. Iumentum eius est caro, in qua ad nos venire dignatus est. Imponi iumento, est in ipsam incarnationem Christi credere. Stabulum est Ecclesia, vbi reficiuntur viatores de peregrinatione redeuntes in æternam Patriam. Altera dies est post resurrectionẽ Domini. Duo denarij, sunt duo præcepta charitatisquã per Spiritum sanctum acceperunt Apostoli ad Euangelizandum cæterũ: vel promissio vitæ præsentis & futuræ. Secundum enim duas promissiones dictum est. Accipies in hoc seculo centies tantum, & in seculo futuro vitam æternam consequetur. Stabularius ergo est Apostolus. Quod supererogat aut illud est consilium quod ait, De virginibus autem præceptum non habeo, consilium autem do: aut quod etiam manibus suis operatus est, ne infirmorum aliquem in nouitate Euangelij grauaret, cum ei liceret pasci ex Euangelio.*

Non fuit mortuus, qui curatus est.

VER-

VERSVS 38.

Factum est autem dum irent & ipse intrauit in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.

QVAESTIO I.

Quo peruenit?

§.1. CAstellum non arx est, sed κώμη *pagus*, Syrus etiam *vicū* appellat, in quo Martha & Maria habitabant cū Lazaro. Martha excepit forte prouectior ætate. Illa ministrat, Maria etiam sedens erat secus pedes Domini. Etiam vel cū discipulis, alijsq; auditoribus. Alij putant in significatione ὁπίσω esse. Quasi dicat: Nō modo stans audijt, vel ministrans, sed omnino sedens & otiosa. Quin ita rogare solemus, Etiam rogas? etiam restitas? Si cilla alio plane animo mulier *etiam* se. dixit dicitur. *Dissimulare etiam sperasti per fide tantum posse nos?* Hoc non modo ausus est facere, sed etiam sperasse posse dissimulare.

V. 39. Syrus non habet *etiam*, sed tantum, quæ veniens consedit ad pedes Domini nostri. Referri potest & ad Christum. Ille enim sedebat, Maria etiam.

V. 39. Pro τὸν λόγον in alijs est κυρίου, vt in latinis & Syris. Pro τοῦ λόγου alij habent τῶν λόγων vtrumque recte dicitur.

VERSVS 40.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait: Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solā ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.

QVÆSTIO I.

Quid Martha?

§.1. SAtagebat circa frequens ministerium περὶ πολλὴν διακονίαν. *Distrahebatur*, vt vni rei attendere non posset. Syrus Martham ait מתבהלא *Chania*, distractam in multo ministerio. Græci codices τυρβάζῃ, alij θορυβάζῃ turbaris vel tumultuaris. Querelam eius alij admiratis aliquid ante esse putant. Iocatā non arbitror: serio. n. respondetur. Admirari potuit, cur Mariam non admoneret, vt iuuaret. Alij inuidentia tactam, alij Christum fidē recusasse, quod quia nullam causam habeo, suspicari nolim. Nam quærit, an non est tibi cura quod me reliquit, ait, petitionis est, non accusationis. Multæ sunt enim modi in Psal. orationes, & in vita quotidiana, cum tamen interdum gratulationem potius habeant, quā querelam. Deinde Christus non eius inuidiam, aut querelas reprehendit, sed occupationes eius, Mariæ quietī postponit. Aug. serm. 27. *Non ergo Dominus opus reprehendit, sed munus distinxit, non tamen malam, sed illa meliorem.* Sic Ambr. Greg. l. 6. mor. c. 28.

Martham non reprehensam docet Aug. serm. 27. *Quid enim?* ait, *Putamus reprehensum esse ministerium Martæ, quam circa hospitalitatis occupauerat, quæ ipsum Dominū hospitio receperat: Quomodo recte reprehendebatur, quæ tanto hospite lætabatur? Hoc si verum est, dimittant homines quod ministrant egentibus: eligant sibi partem meliorem, quæ non egeant operibus misericordiæ: vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini, occupentur circa scientiam salutarem; nihil eis curæ sit, quis pereginus in vico sit, quis egeat pane, quis indumento, qui visitandus, qui redimendus, quæ sepeliendus: vacent operā misericordiæ, qui instetur scientiæ. Si melior pars est, cur non omnes hoc faciunt, quando ipsum Dominum in hac causa patronum habemus? Non enim timemus in hac re, ne offendamus eius iustitiam, cum patronam teneamus eius sententiam. Et tamen ita non est, sed sicut dixit Dominus, ita est. Quomodo intelligi non est, iam est autē quomodo intelligere debes. Ecce aduerte: Circa multa es occupata, quando vnum est necessariū. Maria meliorem partem elegit. Non tu malam: sed illa meliorem: sed vnde meliorem? Quia tu circa multa, illa circa vnum. Præponitur vnum multis. Non. n. à multis vnum, sed multa ab vno. Multa sunt, quæ facta sunt: vnus est qui fecit. Cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, quā multa sunt: Quis ista enumeret? Quis horum multitudinem cogitet? Quis hæc fecit? Deus omnia.*

VERSVS 42.

Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

QVÆSTIO I.

Quod vnum illud necessarium, & quæ pars bona?

§.1. NOn adeo facile vnum illud inuenitur. Quicquid ad salutem necessarium erat, Martha iā tenebat. In via enim ad vitam æternam erat. Si vnum est necessarium placere Deo, quærere regnū Dei, hoc Martha toto ministerio quærebat, hospitio tanto vt satisfaceret. Si vnum est necessariū sedere ad pedes Domini. Hoc quidem Martha non fecit, sed tamen cum opportunum fuit, alio tempore fecerat. Et certè hoc ad salutem necessarium non erat. *Quid verum sit.*

Alij vt Augustinus serm. 27. de verb. Domini, vnum Christum fuisse necessarium.

Sensus igitur genuinus est. Vnum esse omnibus necessarium, verbum Dei vera caritate audire, & facere. Alia multa esse quorum pauca sunt necessaria Rectius igitur agere Mariam, quæ vni incumbens necessario, cætera non necessaria omitteret. Perinde ac ad regnū quispiam venturus, otiosas & operosas cæremonias, velut inania transmitteret, vni rei perseueranter instaret, vt sacramentum sibi proceres mirteſque dicerent.

§. 2. Syrus *Vnum est quod requiritur*, דמיתבעיא *demethabeia*. בעא *begha* est petere, rogare, quærere, Maria autem dicitur elegisse partem טבתא *tabbetha* bonam.

§. 3. Maria optimam partem elegit, ἀγαθὴν μερίδα bonam partem. Non est ambiguum inst. tui comparationem. Itaq; & Augustinus meliorem partem appellat. Ambrosius bonam appellat, sed per comparationē exponit, *ita verbum* Cassianus aliquando optimam, aliquando bonam appellat. Cum non duæ partes essent, sed multæ, nā circa multa Marthæ occupatio distracta erat, noster vertit optimam. Pars & sors de hæreditate dicitur, sortiebantur de hæreditate, maior disponebat, minor eligebat. *Comparatio partiū.*

§. 4. Non alio modo ista dicuntur, quam quæ Paulus de caritate pronunciat, eam non excidere. Meditatio enim rerum diuinarum coniunctio cum Christo æterna, cæterarum rerum quamuis bonæ sint, omnia intereunt. Ita Aug. serm. 27. de verbis Domini.

QVÆSTIO II.

An in Maria contemplatiua, in Martha actiua vita sit figurata?

§.1. NEmo veterum dubitauit: Caluinus eam interpretationem virulente insectatur.

1. Iupiter, ait, hunc locum ad laudem vitæ contemplatiuæ detortum. 2. Christo nihil minus propositum, quam discipulos ocio, & frigidis speculationibus addicere. 3. Veterem esse errorem, angelicam vitam agere, qui procul negotijs in contemplationem incum- *Caluinī dicacitas*

incumbunt. 4. Ambitione & morositate factum vt
» similes se Angelis crederent nihil agendo. 5. Eos refel-
» li, quia homo factus sit ad laborem. 6. Mariam ad pe-
» des stetisse, non tota vita nihil egisse. 7. Stultè Mo-
» nachos hinc locum arripere, quasi Christus vitam cō-
» templatiuam cum actiua comparet. Nullam enim
» hic esse comparationem, quemadmodum stulti &
» absurdi interpretes somniant.]

§. 2. In his quidem summam calumniandi insaniā cum pari fastu prodit. Nos breuiter respondeamus.

Primo, non est locus detorsus ad laudem vitæ Cōtemplatiuæ, sed Christus his ipsis verbis contemplationē actioni præfert. Imo Caluinus sui oblitus ostēdit Comparationem, quā tantopere fugit. *Secundum vitium*, inquit, *erat* (Marthæ) *quod Martha seipsam distrahens, & superfluis laboribus se occupans inutilem sibi reddebat Christi aduentum. Excessum enim notat Lucas dum multi ministerij meminit, quando Christus modico contentus erat. Perinde enim hoc fuit ac si quis honorifice recipiens, eum audire nō curet, sed potius magno & superfluo apparatu sepeliat omnem doctrinam. Atqui legitima prophetarum receptio est, dum vtilitas quam per eos destinat Deus, ac offert, percipitur. Videmus nunc & laudabile Marthæ officium, nauis tamen suis non caruit. Accesit hoc quoq; mali, quod Martha sibi in turbulentis operis placens, pium discendi studium in sorore contempsit. Quo exemplo monemur in recte agendo semper cauendum esse, ne alij alijs se præferant.* Caluinus comparationem facit. Marthæ accusat. Quomodo ergo non comparat, qui illam sibi sororem comparantē reprehendit. Martha certe sororem sibi comparabat, & querebatur, vt ille putat, se multū agere, illā ociosam sedere. Huic Christus respondet, Marię quietē Marthę curis anteponēdā: sine cōparatione satisfacere querelis non poterat.

§. 3. Quis vero non videt, Plurima Marthā distrahentia cū vnico necessario comparari? Quod iam cōsecuta erat Maria. Quia ipse Martham accusat, quod per inanes circuitus vagetur, quod falsum esse nō ambigo. Vera est ergo comparatio. Ex quo consequitur nequaquā stultos, aut absurdos esse Interpretes, qui comparationē hoc loco esse docent. Aug. serm. 27. toto, aliud parum habet, nisi comparationem. *Remanserunt*, ait, *ergo in illa domo, quæ susceperat Dominū, in duabus fœminis duæ vitæ, ambæ innocentes, ambæ laudabiles. Vna laboriosa, altera otiosa, nulla facinorosa, nulla desidiosa. Ambæ innocentes, ambæ*, inquā, *laudaviles: sed vna laboriosa: altera otiosa: nulla facinorosa, quā cauere debet laboriosa: nulla desidiosa, quam cauere debet otiosa. Erāt ergo in illa domo istæ duæ vitæ & ipse fons vitæ. In Martha erat imago præsentiū, in Maria futurorum. Quod agebat Martha, ibi sumus: quod agebat Maria, hoc speramus. Hoc agamus bene, vt illud habeamus plene. Nam quid inde habemus? In quantum habemus? Quamdiu hic sumus, quantum est quod inde habemus.* Augustinus comparationē agnoscit.

Inter stultos & absurdos Caluino interpretes etiā est Ambrosius, qui comparationē veram instituit: *Subijcitur*, inquit, *Martha exemplo & Maria, alterius operis assuosa diuotio, alterius religiosa mētis intentio Dei verbo: quæ sicū sede congruat, etiā ipsis operibus antefertur, iuxta quod scriptum est, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab illi. Studeamus igitur & nos habere quod nemo nobis possit auferre: nō vt perfunctoria, sed diligens audientia deferatur. Solent enim etiam ipsius semina verbi cœlestis auferri, si secus viam sint seminata. Agat te sicut Mariam desiderium sapientiæ. Hoc enim maius, hoc perfectius opus: nec ministerij cura à cognitione verbi cœlestis auertat, nec arguas eos & otiosos iudices quos videas studere sapientiæ.*

Verum ista tum ab alijs, tum vere à nostro P. Ludouico de Ponte integris libris pertractata sunt.

§. 4. Nec Caluini Satyras effugiet D. Gregorius l. 1. mor. 1. cap. Laurentius Iustinianus de compunctione. Beda in expositione Hebræorum nominum. Bernardus, alijque qui vitas illas distinxerunt. Bernardi de assumpt. verba sunt. *Intrante*, ait, *Iesu in hoc castellum, duæ sorores, Martha & Maria, id est, operatio & Intellectus excipiunt illum, Excipiunt dixerim, an excipiuntur? Sed siue hoc, siue illud dicatur, vtrumq; prodest illis, non Iesu. Et Iesus quidē, cū ad illas venit, duo confert eis, congruentia singulis, virtutem & sapientiam: virtutem operationi, Sapientiam Intellectui: Vnde etiam ab Apostolo prædicatur Dei virtus, & Dei sapientia. Sed quid est, quod intrantem eum Martha excipit, discurrit, ministrat? Maria vero secus pedes sedens ingressi, in eius verbū cor suspendit: nisi quod prius est Actio, postea vero contemplatio.* Greg. hom. 14. in Ezechiel. *Bene has vtrasq; vitas*, inquit, *duæ illæ mulieres signauerunt. Martha* videlicet & *Maria, quarum vna satagebat circa frequens ministerium, altera vero sedebat ad pedes Dei & audiebat verba de ore eius.* Sic Athanas. l. de quæst. vatijs. q. 100. Vide & Hieronym. Epist. 4. c. 4. Basilium, seu auctorem constitutionum monastic. Reg. 7. D. Tom. 2. 2. q. 180. art. 3.

§. 5. Hanc pono religiosorum propriā esse, eorū qui solitariam vitam sectantur, experientia docuit, eorū vitam adumbrat Philo, de vita contemplatiua. *In cibatu*, inquit, *vtuntur pane simplici, sal vicem supplet obsonij, qui delicatiores sunt, hyssopum pro condimento adijciunt, potū è fluentis hauriunt contenti placare dominas à natura mortalibus additas, famem sitimq; absq; omnibus lenocinijs, fruendo rebus, sine quibus non licet viuere: Edunt igitur, ne esuriant, bibunt, ne sitiant, saturitatem cauendo, vt inimicam animo pariter ac corpori. Et quoniam tegminis duæ quoq; sunt species, vestis rectumq;, de adibus iam dixi esse incultas, & extemporaneas factas ad præsentem vsum tantummodo, in veste autem eadem apparet simplicitas ad arcendos calores & frigora pro pelliceis crassa tunica in hyeme, æstate vero exomis, aut interula linea: in vniuersum enim exercent modestiam, vt sontem veritatis. Et cætera.*

Taceo innumeram aliorum turbam, quos nemo nisi stultus & absurdus, absurdos & stultos dicere possit.

CAPVT XI.

Et factum est: cum esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eū: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos. 2. Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas intentationem. 5. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi. Amice, commoda mihi tres panes. 6. Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum. 7. & ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. 8. Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. 9. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate & aperietur vobis. 10. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. 11. Quis autē ex vobis patrē petit panē, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunquid propisce serpentem dabit illi? 12. Aut si petierit ouum: nunquid porriget illi scorpionem? 13. Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum

bonum

bonum petentibus se? 14. Et erat eiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. 15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. 16. Et alij tentantes, signum de cœlo quærebant abeo. 17. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. 18. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia. 19. Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia: filij vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. 20. Porro si in digito Dei eiicio dæmonia: profectò peruenit in vos regnum Dei. 21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. 22. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. 23. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. 24. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. 25. Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. 26. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. 27. Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. 28. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. 29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est, signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. 30. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis: ita erit & Filius hominis generationi isti. 31. Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon hic. 32. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cũ generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, & ecce plus quam Ionas hic. 33. Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrũ, vt qui ingrediuntur, lumen videant. 34. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. 35. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. 36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. 37. Et cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus vt prandaret apud se. Et ingressus recubuit. 38. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. 39. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum plenũ est rapina, & iniquitate. 40. Stulti nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit? 41. Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. 42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham & rutam & omne olus, & præteritis iudicium, & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. 43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. 44. Væ vobis, quia estis vt monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes supra nesciunt. 45. Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. 46. At ille ait: Et vobis Legisperitis væ: quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. 47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. 48. Profectò testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. 49. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur: 50. vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à generatione ista. 51. A sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare, & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione. 52. Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis. 53. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi, & Legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis, 54. Insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent eum.

IN CAPVT VNDECIMVM

ARGVMENTVM.

DIscipulos orare docet, & ad crebram orationem hortatur exemplo eius, qui importunitate panes ab amico impetrat. De omni petenti, & patre dante bona filio dictum est, Matthæi 7.

De dæmonio muto, Matthæi 12.

De Lucernâ non ponenda sub modio, Matth. 5.

De oculo mundo Matth. 6.

De calice interius mundando, Matth. 23.

Et reliqua quæ ibidem contra Pharisæos dicuntur. Deq; occisione Iustorum. Pauca itaq; solius Lucæ sunt, vtpote v. 5. 6. 7. 8. Et v. 27. 28. De muliere attollente vocem suam.

V. 37. & 38. de Pharisæo inuitante.

V. 45. De querela scribæ quod contumeliam faceret.

Denique 53. & 54. De ira & insidijs Pharisæorum.

A principio vsq; ad versum 14. in Syriaca Ecclesia leguntur. *Ad vesperas feria tertia hebdomadis præcedentis ieiunium.*

A. v. 14. ad 27. *Eadem feria Hebdomadis sextæ ieiunij.*

A v. 27. ad 37. Habetur *Lectio in festo genitricis Dei.*

A v. 37. ad 49. *Feria quarta hebdomadi sextæ ieiunii.*

A v. 49. ad finem habetur. *Lectio ad oblationem annunciationis Zachariæ.* Itaq; festo die reuelationem Zachariæ memoriæ consecrarunt, Syriace est ܒܣܘܪܬܐ *Euangelizationis* Quo ex titulo hoc etiam discimus Syræ Ecclesiæ fuisse sententiam; Zachariam de quo v. 51. dicitur, *vsque ad sanguinem Zachariæ. qui periit inter altare & templum*, fuisse patrem Ioannis Baptistæ, alioqui ad illum non pertinebat vllo modo de Prophetarum cæde lectio.

VERSVS 1. 2. 3. 4.

Et factum est: cum esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine doce nos orare sicut docuit & Ioannes discipulos suos: Et ait illis: cum oratis, dicite. Pater, Sanctificetur nomen tuum. &c.

QVAESTIO I.

Rectene noster interpres orationem Dominicam tradat?

Ioannes nouum orandi modum instituit.

§. 1. IOannes quamuis tot Psalmi essent, totq; apud Iudæos precum formulæ, nouum tamen modũ instituit, quis ille fuerit ignoratur. Crediderim multas precum formulas parum probatas fuisse, quas meliore orationis instituto Ioannes excludere voluit. Sic & Christus suos orare docuit, præstantiore quam Ioannes ratione.

Christus cur orare docuit.

Augustinus prudenter petijsse Apostolos, ait, vt preces sibi exponerentur, tract. 7. in Ioan. *Cum ergo quærerent supplicare Apostoli, & non inuenirent quomodo adirent imperatorem Deum: dixerunt Christo, Domine doce nos orare. Hoc est, iurisperite noster, assessor Dei, imo confessor, cõpone nobis preces. Et docuit Dominus de libro iuris cælestis, docuit quomodo orarent: & in ipso quod docuit, posuit quandam conditionem: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si non secundum legem petieris, reus eris. Contremiscis imperatorem factus reus: offer sacrificium humilitatis, offer sacrificium misericordiæ, Dic in precibus, Dimitte mihi, quoniam & ego dimitto.*

Ad impias suas consuetudines id traxerunt & veteres & noui hæretici, publicas enim & priuatas orationes immutarunt. Id quod hodie etiam faciunt.

Lucas aliqua omisit

§. 2. Miratur Tostanus omitti partes, sed Augustinus causas reddit, itaque tum publice in Ecclesia aberant. Enchirid. 116. Verba Augustini sunt. *Euangelista vero Lucas in oratione Dominica petitiones non septem, sed quinq; complexus est: nec ab isto vtiq; discrepauit, sed quomodo istæ septem sunt intelligendæ, ipsa sua breuitate commonuit. Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu, Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodo repetitionem, magis eam præ, ermittendo fecit intelligi. Deinde tres alias adiungit, de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. At vero quod ille in vltimo posuit, sed libera nos à malo, iste non posuit, vt intelligeremus ad illud superius, quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideo quippe ait, sed libera, non ait, & libera, tãquam vnam petitionem esse demonstrans. Non hoc, sed hoc, vt sciat vnusquisque in eo se liberari à malo quod non infertur in tentationem.*

Lucas quinq; petiones habet.

Iam tum igitur in Ecclesia nõ modo legebatur, sed ita vsitatus erat textus, vt tantus Episcopus nulla codicum dissensionis mentione, simpliciter affirmet petitiones quoque apud Lucam esse. Legit tamen idem serm. 28. de verbis Domini secundum Lucam, sed ex Matthæo sumpsisse videtur, & orationem Dominicã integram proposuisse. Hanc igitur petitionem noster omittit. γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, Id in latinis fere omittitur, & in exempl. vaticano Græco. Nostrum interpretem contra sciolos etiam tuetur Beza. Hæc enim non legit, quæ noster omittit.

§. 3. Sunt & alia notanda; Nam Lucas non habet noster. Pro σήμερον, *hodie*, Græcè est τὸ καθ' ἡμέραν, quo quotidie indigemus, quodque est cibus diumus. Alij libri habent *quotidie*, ita Brugensis, Erasmus Idem omnino sensus est; non enim in multos coacernatus commeatus petitur, sed in singulos dies.

Dicitur vero in diem viuere, qui cura futuri vana & anxia non coquitur. Interdum enim vitium est, cum nulla prouidentia ferarum instar vitam transigunt.

§. 4. *Peccata* ἁμαρτίας dixit Lucas, quæ Matth. ὀφειλήματα *debita*. Peccata quia diuinam offendunt maiestatem, contra legis æternæ normam perpetrata, *debita* quia ad satisfaciendum læso obligant. Si quæras vtrum Dominus dixerit. Respondeo, vtrumque, neque adeo paucis verbis, sed pluribus orationem docuit, exposuitque, compendium hoc nos habere voluit.

Hic etiam codices quidam habent ὀφειλήματα, & optime quadrat ei quod additur: ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι *dimittimus omni debitori.*

Quidam Græci simplici coniunctione legunt: καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν. alij duplici, καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ ἀφίεμεν.

Sed libera nos à malo. Græci & Syri addunt. Latini plerique omittunt, ita habuisse vetustissimos codices testantur emendatores, Brugensis etiam Erasmus, alij. Additum autem ad orationem Dominicam complendam.

§. 5. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem ca. 26. Ex eo quod orare Christus docuit, non alium Deum adoratum ostendit, quam creatorem. *Quum in quodam loco orasset ad patrem illum superiorem, sanis impudentibus & temerarijs oculis suspiciens ad cælum creatorem, à quo tam aspero & sæuo & grandine & fulmine potuisset eli-di, sicut & Ierusalem suffugi ab eo potuit aggressus eum ex discipulis quidam: Domine, inquit, doce nos orare, sicut & Ioannes discipulos suos docuit. Scilicet quia alium Deum aliter existimaret orandum. Hoc qui præsumpserat, prius est probet alium Deum æditum à Christo. Nemo enim ante voluisset orare nosse, quã didicisset quem oraret. Igitur si didicerat proba. Si nusquã vsq; adhuc probas. Scito illũ in creatorẽ formã orationis postulasse in quẽ etiã discipuli Ioannis orabant. Sed quia & Ioannes nouũ aliquẽ ordinem orationis induxerat, ideo hoc à Christo discipulus eius postulãdũ nõ immerito præsumpserat vt*

& ille

& illi de proprio magistri sui instituto, non aliam, sed aliter Deum orarent. Proinde nec Christus ante orationis notitiam discipulo contulisset, quam Dei ipsius. Ita & ipse in eum docuit orationem quem discipulus vsque adhuc nouerat.

Tertullianus eadem contra Marcionem l. 4. c. 27. & lib. 5. c. 11. & de carne Christi c. 7. Christi inde humanitatem probat.

VERSVS 5. 6. 7. 8.

Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte & dicit illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit & c.

QVAESTIO I.

Quo similitudo amici petentis panem pertinet?

§. 1. EOdem quo exemplum viduæ c. 18. 2. Nec semel autiterum negato, quod petitur, ab oratione desistamus. Amicus enim à quo petitur malus est, Deus bonus. Amico est media nocte surgendum, Deus sine molestia donat. Amicus tædio victus tribuit, Deus solo amore. Itaque hic vere amicus non est, qui beneficij commendationem ex difficultate capiat, vt Plinius in panegirico monet. Plane hic sit, quod ait Seneca de beneficijs l. 2. c. 3. *Ingentia quorumdam beneficia, silentium aut loquendi tarditas, imitata gratitudinem & tristitiam, corrupit, cum promitterent vultu negantium.* Et cap. 4. *At plerique sunt qui beneficia asperitate verborum & supercilio in odium adducunt, eo sermone vsi, quo superbia, vt impetrasse pœniteat. Alia deinde post rem promissam sequuntur moræ. Nihil autem est acerbius, quam vbi quoque impetrasti, rogandum est. Repræsentanda sunt beneficia: quæ à quibusdam accipere difficilius est, quam impetrare. Hic rogandus est, vt admoneat, ille, vt sumat. Sic vtrum munus per multorum teritur manus, ex quo gratiæ minimum apud promittentem remanet: quia auctori detrahit, quisquis post illum rogandus est. Hac itaque curæ habebis, si grate æstimari quæ præstabis voles, vt beneficia tua illibata, vt integra ad eos, quibus promissa sunt, perueniant, sine vlla, quod aiunt, deductione. Nemo illa intercipiat, nemo deminuat: nemo in eo quod daturus es, gratiam suam facere potest, vt non tuam minuat. Nihil æque amarum, quam diu pendere. Æquiore quidam animo ferunt præcidi spem suam, quam trahi. Plerisque autem hoc vitium est, ambitione prava differendi promissa, ne minor sit rogantium turba. Quales regiæ potentiæ ministri sunt, quos delectat superbia sua longum spectaculum minusque se iudicant posse, nisi diu multumque singulis, quid possint, ostentent. Nihil conferre, nihil semel facere, nostra illorum præcipites, lenta beneficia sunt. Quare verissimam existima, quod ille Comicus dixit: Quid tu non intelligis.*

Tantum te gratiæ demere, quantum moræ adijcis? Inde illa vox, quàs ingenuus dolor exprimit: Fac, si quid facis: & Nihil est tanti: Malo mihi tam neges: vbi in tædium adductus animus incipit beneficium odisse, dum exspectat.

§. 2. Panem non obsonia pro amico non seipso petit, ostendit petitionem necessariam alter repulsam esse ex causis magnis iustamque vt deri. Nam alieno tempore petit, quo vel dare ingratum esset. Deinde importunitas & obturbatio grauis est. Qui enim importune & impudenter postulat, iure agere videtur. At hic perseuerat pulsans, nec somnum capere sinit, nisi impetret, quod poscit. Quamuis illud, *perseuerarit pulsans*, in aliquibus exemplaribus absit, in melioribus tamen legitur, estque apud Augustinum serm. 29. de verbis Domini.

§. 3. Verecundè tamen agit, quia χρῆσον inquit, *commoda*, καὶ ἔτερη αἰτεῖ, multa exemplaria habent ἐξεῖ, vt est in Lat no. *Commoda*, χρῆσον. Quod mutuum dari censent, quod vsu absumitur; commodari, cuius vsus præstatur, re tamen eadem reddenda, apud Iurisconsultos interdum vsitatum est, in communi sermone hæc confunduntur. גלת תלתין *Thelath grizan, tres placentas* seu *tortas*. Nam Prou. 6. dicitur גרזן *gruzan* additur דלחם *delcham, panis*. 1. Reg. 10. ex 12. Gen. 18. Videtur dici quasi גריסן *gerisan*, à גרס quod est frangere, hinc & גרש *greseh triticum molitum*, seu *mola*. *Sed verecundæ.*

Quædam exemplaria ὅσων χρήζει, alia ὅσον, eadem prorsus significatione.

§. 4. Tossanus hinc concludit, nec patronos adhibendos, nec dubitandum de effectu. [Primum enim, *inquit*, Dominus, qui Israelem custodit, non dormit, nec dormitat. Psalm. 121. Deinde, non cum fastidio & inuitus exaudit preces nostras, sed sponte & lubens, etiam antequam inuocetur, sed saltem requirit à nobis perseuerantiam, sicut in parabola, quæ extat Luc. 18. Quare repudiandus est error Pontificiorũ, qui & perpetuo dubitãt, & ad Deum accedere reformidant, nisi adsciscant sibi patronos: cum tamen omnem dubitationem & hæsitationem tollere merito debeat tum mandatum de petendo, tum promissio de exaudiendo, & de animo amantissimo & plus quam paterno Dei erga nos. Illa autem verba, quæ v. 10. & Matth. 7. habentur, Quisquis petit, accipit, sunt intelligenda vt passim scriptura monet, si recte, si perseueranter oremus: Iacob. 4. Petitis, & non accipitis: eo quod male petatis.] *Fidentia hæreticorum in petendo.*

Penitus contrarium inde conficitur. Sperare nos quidem petita impetraturos, fide autem non esse certos. Amicus petit, instanter pulsat, non erat certus, cum toties repulsam ferret. Non quidem Deus adeo durus est, sed tamen petita negat, vel quia non recte petimus, vel quia dare non expedit: multi enim multa nocitura petunt. Deinde non modo pie, sed etiam perseueranter petendum est. Itaque vt quis certo cognoscat, se impetraturum, opus est illi suam in orando perseuerantiam esse fide notam: quod ne ipsi quidem pronunciare audent. Denique nec id sciunt certo se non male petere. Imo male petunt, si illis credimus: est enim eorum petitio peccatum mortale natura. *De impetratione nemo certus est.*

Quod vero ait nos ad Deum sine patronis accedere reformidare, quantum quantum est, calumnia est. Breuiaria, & Missalia omnibus id paginis refutant. Cum patronis & sine patronis accedimus, filij qui parentem offenderunt, & ipsi veniam deprecantur, & alios adhibent deprecatores, simul fiduciam & verecundiam professi. Quod si patronorum intercessio fidem è medio tollit, ne viuis quidem deprecatoribus vti fas erit: Non enim Deus irascitur, si aliquem adhibemus, alioqui non præciperet, vt pro inuicem oremus. Caritas illa omnibus commendatur. *Intercessoribus aliquando vtimur.*

§. 5. Sanctus Ambrosius multis nos ad perseuerantem orationem hortatur. *Apertum*, inquit, *est igitur ostium Ioanni, apertum est ostium Paulo, vt nobis panes quos ederemus, acciperet. Perseuerauit enim ostium pulsans oportune, importune, vt gentes mundani tramitis labore vexatas, alimonia cœlestis vbertate recrearet. Ergo præceptiuus locus frequenter orandi, spes impetrandi, ratio persuadendi, prius in præcepto, post in exem-*

exemplo. Qui enim promittit aliquid, spem debet afferre promissi, vt monitis obedientia deferatur, promissis fides, quæ humanæ contemplatione pietatis in manus æternæ spem pietatis acquirit, si tamen aqua poscantur, ne in peccatum vertatur oratio. Nec erubuit aliquid sæpius postulare, ne vel diffidere de Domini misericordia videretur, vel arroganter dolere, quod non prima prece aliquid impetrauerit. Propter hoc, inquit, ter Dominum rogaui: & ostendit quod frequenter Deus ideo non concedat oratus, quod inutilia iudicet, quæ nos profutura credamus.

Perseuerãtia durat contra repulsam.

§. 6. Quod ex ea varietate Erasmus concludit, partim verũ est, partim periculosum, partim falsum. „ [Vel hinc, *inquit*, palam est, quam Euangelistæ non „ fuerint superstitiosi de verbis. Præscripserat hanc pre„ candi formam non Ep scopus quispiam, non ponti„ fex Romanus, sed ipse Christus, & tamen in tantula „ precatiuncula, quantam partem omisit Lucas. Et cer„ te consentaneum vero est, cum sic orasse, vt nobis o„ randi formam tradit autore Christo. Et vbi sunt inte„ rim qui miserè trepidant, quoties ex humanis precu„ lis vocula fuerit omissa. At idem fortes sunt & intre„ pidi, quoties virulenta lingua fratris lacerant famam. „ Nec hoc dixerim quominus attẽti simus in precibus, „ sed ne præpostere simus superstitiosi.] Verum est non oportere esse in precibus superstitiosos, multo minus præpostere superstitiosos. Verum etiam Lucam sic orasse sicut scripsit: nam hanc nobis orandi formã tradidit. Verum etiam est in humanis precibus non esse misere trepidandum, si vocula aliqua fuerit omissa. Periculosum tamen est hac ex re mutãtionem receptarum precum instituere, aut eam parui facere. Neq; enim parum offensæ reus erit, si quis nunc in Ecclesia preces publicè recitans, illas petitiones omittat. Neq; tolerabit Ecclesia, si quis in hymno glorificationis, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, vnam personam omittat. Nec ille se Lucæ exemplo tuebitur. Mihi vero non immerito trepidatura videtur Ecclesia, si quis canat, *Gloria Patri per Filiũ, in Spiritu sancto*. Falsum est: Non trepidandum cũ aliqua vocula in humanis precibus omittitur. Cuius rei causa est apertissima: Christus orationem hanc proposuit, non vt eãdem verborũ formã omnes vbique vterentur, sed vt orandi materiam proponeret, ideoq; pluribus verbis eam exposuit. Nunc vero cum publice in Ecclesia oratur, tenẽda est concordia, & cærimoniarum similitudo: consuetudinem inueteratam & bonã qui mutat, non libertate sed licentia vtitur. In publicis igitur precibus si quis petitionem tertiam, *Fiat voluntas tua*, aut vltimã, *Sed libera nos à malo*, omitteret, sine dubio peccaret, quia vbique vsitatum est, vt ex Matthæo orationem sumptam vsurpemus. Deinde qui ex obligatione vel hãc vel alias preces recitat, morem sequi tenetur. Denique crebro periculum est in omissione vel mutatione verborum, & suspicio hæreseos.

Superstitio abfit, mos seruetur.

Publicarũ precum verba tenẽda sunt.

Interim laudanda est Ecclesiæ in solemnibus precibus retinendis constantia. Videmus enim Sectarios dum variant orationes, sed suis verbis sensuque vtuntur, vel deprauare, vel non addiscere veras preces, ne orationem quidem Dominicam. Exemplo est nepos ille venereus, deinde Scotiæ fax Buchananus, cui moribundo cum assisterent Ministri, hortarenturque ad orationem Dominicam recitandam; ille animo præsens, impudicos Propertij versus recitauit.

Buchanani preces.

Cynthia prima suis miserum me cœpit ocellis
Intactum nullis ante cupidinibus.

Atque hic fructus est mutatæ antiquæ fidei, nouus atheismus.

* *
*

QVAESTIO II.

Quæ impudentia?

§. 1. BEza importunitatem vertit, sed ἀναίδειαν potius est causa importunitatis. Quod vero additur, ad rem negat pertinere illud Virgilij, *Labor improbus*; non video qua ratione verum sit, cum laborem tam in improbum vocet perseuerantem, nulla inutili vere- cundia retardatum, quod maxime pulsantis perseuerantia demonstratur. Nec improbitas est semper προπέτεια vel πονηρία, sed impudentia vrgendi propositum. Sic apud Virg. Æneid. 5. Entellus Dareta vocat improbum.

Improbus vrgendo perseuerãtia.

Si mihi quæ quondam fuerat, quaq; improbus ille
Exultat fidens.

Non vocat moribus improbum, quem tum primo viderat, sed pertinacem. Vt qui diceret.

Nate Dea &c.

Eo modo & l. 4.

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis.
Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & supplex animos submittere amori.

Improbum vocat, impudentem, laboriosum, qui nec lassetur omnia pertentando, nec etiam repulsa langueſcat.

Improbitatem ergo noster vertit, quod in Græco est ἀναίδειαν impudentia. Si igitur ille dat, vt importunitate molesto sese liberet; multo magis Deus, vt benefaciat amicis: Syriace est יצפתא *Izspheta*, quod curam, anxietatem, anxiam sollicitationem significat.

VERSVS 11. vsq; ad 27.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem: nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis &c.

QVAESTIO III.

Quæ lectio, quis sensus?

§. 1. GRæce est τίνα, quem. Franciscus Lucas, *Græc ad verbum est: Quem autem vestrum patrem petet filius panem: Similiter Syrace: Quis enim ex vobis pater, quem petit eum filius eius panem. His accedit D. Augustini lectionis formone de verbis Domini 29. Quis est vestrum, à quo petit filius suus panem? Sed quocunq; horum modorum legas, dare incommodeq; sequitur: Numquid lapidem dabit illi? Caterum sensus non prorsus obscurus est: sed hoc reliquis incommodior versio vulgata, quod legat quis pro quem, & omittat vocem filius. Interpres videtur Græce legisse τίς ὑμῶν, ac proinde de industria omisisse vocem filius, vt quæ satis intelligatur ex voce patrem. Porro vt sensus eluceſcat, subaudiri oportet coniunctionem si, quæ in proximis membris exprimitur, & nomen pater: Si quis autem ex vobis, patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi pater?* Alij aliter construunt, nec de sensu dubitatur sed de verborum constructione. Hæretici plura addunt vt verba cohæreant, vt Beza in hunc locum. Quod ad Latinam lectionem, multos libros habere τίς, quis, testes sunt correctores. Syrus habet ad verbum. Quis autem è nobis pater, à quo filius petit panem, nunquid lapidem dabit ei?

Primus versiculus.

Itaque

Itaque Latina lectio tenenda est, facilemque sensum habet, si duabus interrogationibus distinguatur. Quis ex vobis patrem petit panem? Nunquid lapidem dabit ei? Statuit vero tanquam in confesso, filios à parentibus panem petere. Interrogatio igitur prima vicem subit hypotheticæ propositionis. Si quis petat panem, nunquid lapidem dabit? Solent ita loqui etiam profani.

Iliacas igitur classes, atque vltima Teucrum
Iussa sequar?
Quæ autem (fac velle) sinet? ratibusque superbis
Irrisam accipiet?

Hæc facilimum sensum habent: Si velim comitari Troianos, non admittent. Cur non eandem facilitatem verbis Christi animaduertunt?

§. 2. Est vero in Græco aliud Prouerbium: ἀντὶ σκορπίου σκόρπιον. *Pro perca scorpium.* Quæ scorpii cum ouo similitudo sit, multi quærunt. Scorpium inclusum ouo dari solere per insidias quidam aiunt. Vix crediderim tanta cura ouum aperiri, claudi, illud à scorpio non posse frangi. Erasmus ait dipsadas struthiocamelorum ouis abditas insidiari. Rei igitur absurditatem indicari, non similitudinem puto: non est enim pater, qui ouum petenti, det scorpionem.

Versus 13. Ὁ πατὴρ, quædam addunt ὑμῶν, quod est in Latino & Syro. Ibidem aliquot exemplaria habent ἀγαθὸν pro ἅγιον. Syriace eodem modo habetur *Spiritum sanctitatis.*

Vers. 22. Distribuat διαδίδοσιν in præsenti. ibidem. Quæ possidet. Syrus קינתה *kenciach possessio eius.* Ibidem. Quædam exemplaria habent pro τὰ σκῦλα spolia; τὰ σκεύη vasa: quod est ex Matthæo: vtrumque Christus dixit. Euangelistæ compendia sermonum retulerunt.

V. 26. *Prioribus*, Syrus habet קומתה kaumatech principio, eodem sensu.

VERSVS 27. & 28.

Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti: At ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.

QVÆSTIO I.

Verene mulier illa dixerit?

§. 1. AVdito sermone, visis miraculis, confutatis Pharisæis, in hanc laudationem sancta mulier erupit.

Quod idcirco Lucas recenset, vt ostendat, abscondita illa à prudentibus, & reuelata paruulis. Mulieris igitur fides, feruor, confessio inter incredulorum, odientium, negantium signa, quærentium odia eminuit. Oblita sexus, secura periculi, clamare cœpit, ne lapides loquerentur.

§. 2. Beatum ventrem & vbera vocat, emphaticè, & muliebri affectu, quod eæ partes proli gignendæ, alendæ seruiant, matrem ipsam felicem dicere voluit, quæ talem genuit. Nam ex prole parentes felices dicimus.

---Qui tanti talem genuere parentes?

Exactis colligebant: *Genus esse deorum.*

In malis è contrario improperant.

--Sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaque admorunt vbera tigres

Sic & Seneca:

Te fera Caspia
Quæ virgata Tibi præbuit vbera.

E contrario ergo de Christo laudes in honorem etiam matris redundant.

§. 3. Caluinus mulierem tantum de matris beatitudine dixisse, quod caput est, omisisse, quod nempe salutem omnium curaturus venerat. Addit vero pag. 158. [Mirus vero Papatus stupor quod in Mariæ honorem cantillant hæc verba, quibus tam diserte refellitur eorum superstitio: in agendis vero gratiis mulierculæ vocem decerpunt omissa correctione. Verum ita modis omnibus obstupefieri decuit, qui pro sua libidine sacrum Dei verbum data opera profanant.] *Mulier recte laudauit matrē Dei.*

Non est nec mulieris Dominum laudantis ille stupor, nec nostrum verba mulieris vsurpantium. Mariæ Prophetiam implet mulier, quæ dixerat: *Beatam me dicent omnes generationes.* Nec ad solam domesticam salutem Christi facta restringit, sed cum videret omnibus ab eo sanitatem dari, omnes doceri, non modo illum beatissimum dixit, sed matrem etiam ob filium esse beatam: Non quia soli matri ille salutem dederit, sed quod filium genuisset in multorum aliorum salutem. Correctionem fuisse non admittimus, vt supra dixi. Non enim Christus illam reprehendit, sed qua in re maior beatitudo consistat, ostendit. Non excludi etiam illos, qui nulla cognatione Christo sunt coniuncti: Et beatitudinem virtutis esse præmium, non sanguinis.

Caluino obsistunt etiam eius discipuli. Nam mulierem aiunt, gratiæ radiis emollitam sic iudicasse. Nec de matris tantum, sed communi bono cogitasse. Aretius [Mulier sanè hic habet grauissimam rationem. Beata est, quia tanti viri mater est. Εὐτεκνία enim facit ad parentum gloriam: quemadmodum κακοτεκνία, aut ἀτεκνία etiam calamitosos reddit parentes. Sed eo firmior est illius ratio, quia non simplex hic consideratur ἀτεκνία, quasi hominis nudi. Edit miracula Christus supra omnes omnium ætatum medicos. Nugæ enim sunt, quicquid de Æsculapio, Chirone, aliisque medicis præstantissimis dicit antiquitas: minora quæ de Hippocrate & Galeno indicant, Christus enim nunc excitat mortuos: nunc lepram curat, vere cæcis reddit visum, claudos sanat, aliaque his similia, quæ medicam manum non admittebant. Deinde cum authoritate docebat, non sicut Scribæ & Pharisæi. Sed his omnium maximum est, quia non nudus homo est, sed Filius Dei, saluator mundi, Messias promissus, semen illud benedictum Euæ promissum in paradiso, & de quo dicebat, possedi virum Dominum, errans misera in Caino: Silo ille est Iacobi, radix illa Iessæ. Hinc θεοτόκος, Deipara dicitur: verè igitur, & rectè dicitur beata.]

Deinde ait concedere Mariæ beatitudinem. [Principio, igitur concedit Matris beatitudinem, quod etiam Græca phrasis μενοῦνγε habet. Concedentis enim est, quasi dicat, Verum quidem est, quod dicis: sed quid tibi hinc est commodi? quid hoc te iuuabit? Docemur hîc Christi exemplo, modeste de nostris nobisque sentire. Nam cum illa verba speciem haberent adulationis, modeste castigauit. Deinde modeste etiam emendare docemur in aliis, quæ opus habent correptione, nominatim in iis qui aperte improbi non sunt.] *Christus nō negat matrem suam beatam. Mulier non est adulata.*

Correctionem autem non dicti sed affectus muliebris esse ait. [Christus modeste corrigit mulieris af-

Nō imāto affectu loquitur.

„ fectum: nam patitur quiddam humanitus. Hæ-
„ ret in consideratione alienæ felicitatis, quemadmo-
„ dum pauper aliquis diuitis admiratur felicitatem:
„ æger, sani robur, & vires: interea non satis est, vt &
„ ipse sanus reddatur, & ille diteſcat. Et sane ita na-
„ tura sumus comparati, vt aliena magis admiremur
„ bona, quam imitemur. Ita dici solet, Fertilior seges
„ est alieno semper in agro. Christus igitur docet, ve-
„ rum quidem esse, Beatam hanc matrem dici & es-
„ se, interea autem non prodesse huic Matronæ. Quid
„ enim ad ipsam quia Maria beata est: quid commo-
„ di habebit illa, quod Maria tanti Doctoris est mater?
„ Nihil sane. Danda est ergo etiam atque etiam opera,
„ vt & ipsa reddatur beata.]

At vero non est hoc corrigere, sed docere, quomodo & illa effici beata posset.

§. 4. Caluinus ergo variè mulierem sanctam oppugnat, Pharisæis & Scribis acrior. Sed frustra. In magna enim turba hostium confessionem fidei edit. Caluino nos facile respondemus. Non negari Mariam beatam. Nam μᾶλλον est *quinimo, potius*. Rectè etiam Eraſmus, eam dictionem neque negare, neque reiicere quod dictum est, sed id quod certius est, referre. Deinde si negatio addita fuisset, comparationis consuetudine intelligi potuisset. Virginem pariendo felicem, sed amando feliciorem esse dicimus.

In matre laudatur Christus.

Quinimo non est in Syro, tantummodo enim habet: *dixit ei ipse*. Nullus igitur error mulieris, nulla correctio: Tota laus tandem in Christum redit. Nam si propter eum vterus & vbera sunt beata, cur non ille alienæ beatitudinis fons auctorque beatissimus?

QVÆSTIO II.

An hinc consequatur legem impleri posse, quia factores sunt beati?

Lex impleri potest.

§. 1. AVditores & factores dicit beatos: quo egregie conuicit eos, qui negant legem impleri posse, Beata vbera mulier prædicauit. Christus alios etiam & magis beatos pronunciat, qui audiunt sermonem, & auditum faciunt. Si facere nemo potest, nemo beatus est. Inanis & Christi doctrina.

Neque hinc obiici potest: Christum ironice locutum, aut mulierem deceptam, quemadmodum supra de Pharisæo finxerunt. Mulier illa sincere ac deuote locuta est, Christus ei viam veram, & necessariam saluti demonstrauit. Auditionem verbi Dei, & factionem. Verbum autem Dei quod fuit aliud, nisi quod ipse prædicauit de fide, caritate, aliisque. Hoc igitur non audire tantum, nec credere, sed facere oportet, eum qui salutem sperare ausit. Audire quidem oportet. Nam Svvenckfeldium eisdem verbis arguunt omnes, qui auditionem sermonis excludit, internam Spiritus suggestionem solam admittit; vtrumque enim Christus coniunxit, auditionem & factionem. Ita Augustin. tract. 10. in Ioan. *Hoc in ea magnificauit Dominus, quia fecit voluntatem patris: non quia caro genuit carnem. Intendat charitas vestra. Propterea cum Dominus in turba admirabilis videretur, faciens signa & prodigia, & ostendens quid lateret in carne, admiratæ quædam anima dixerunt: Felix venter qui te portauit. Et ille: Imò felices qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Hoc est dicere: Et mater mea quam appellastis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodiuit, non quia in illa verbum caro factum est, & habitauit in nobis: sed quia custodit ipsum verbum Dei per quod facta est, & quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exultent si spiritu iungantur Deo.* Tertullianus contra Marcionem lib. 4. probat Christum verum hominem fuisse, quia vbera suxit, quia natus est, Hæc enim in phantasma Marcioniticum nequaquam conuenire potuerunt.

Audire & facere beatum est.

Vers. 29. Quidam libri habent, ἀλλὰ γοῦν καὶ μακάριαι εἰσὶν, vt Latina editio habet. alii omittunt γοῦν secundo loco vt Syrus.

Vers. 33. Εἰς κρυπτὸν, multa legunt κρυπτὸν. hæc consentiens Latinæ lectioni commodior est.

V. 34. φώτεινόν ἐστι, multi libri cum Latina & Syra editione habent ἔσται erit.

VERSVS 36.

Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

QVAESTIO I.

Quomodo lucidum totum?

§. 1. BAttologiam obiiciunt his in verbis. Sitotum lucidum erit, erit lucidum totum. Tamen Maldonatus ita exponit. Si oculus, hoc est, intentio recta erit, totum corpus erit lucidum, vt est vers. 34. hoc est, omnes facultates. Quod si totum corpus lucidum erit, totum in vniuersum erit lucidum, quicquid scilicet inde proficiscitur. Gradatio est itaque, & plus concluditur quam assumptum fuerat. Nam ita concludit; Si corpus est lucidum totum, sequetur non modo illud, sed totum in vniuersum est lucidum. Si enim oculus lucidus est, totum corpus eà luce dirigitur: nec alio lumine opus habent manus, aut pedes, quam ea qua pollet oculus. Si autem corpus hoc modo lucidum est; omnes actiones lucidæ sunt & recte ordinatæ.

VERSVS 37.

Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.

QVÆSTIO I.

Quomodo non est baptizatus?

§. 1. QVidam alio hæc tempore gesta arbitrantur, sed quod ait: *cum loqueretur*, de proxime dictis intelligi solet. Non enim sine causa dixit: *cum loqueretur*. Christus mox vt venit non lotus recubuit, contra consuetudinem, cum omnia per ministros offerrentur ad lauandum necessaria, ipse ea recusauit; aut dissimulauit, vt doceret, quain re munditia esset.

§. 2. Φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη. Noster legit: ὁ δὲ Φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν ἐν ἑαυτῷ λέγων, ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη. *Pharisæus autem cœpit intra se reputans*, &c. Nostrum sine causa reprehendunt, quod reinuenerit Græcum verbum baptizatus, nam ita loqui solitì sunt.

Constat vero non modo manus lauisse, sed etiam pedes, imo balnea ante mensam adiisse. Ita docuisse Roma-

Romana consuetudine, quæ tamen ex oriente inualuit, Seneca Epist. 86. *In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus rusticis sessum: exercebat enim opere se, terramque (vt mos fuit priscis) ipse subigebat. Sub hoc ille tecto tam sordido stetit, hoc illum pauimentum tam vile sustinuit. At nunc quis est, qui sic lauari sustineat? Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis & pretiosis orbibus refulserunt; nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sunt; nisi illis vndique operosa & in picturæ modum variata circumlitio præexitur; nisi vitro absconditur camera; nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit; in quas multa sudatione corpora exinanita demittimus; nisi aquam argentea epistomia fuderunt. Et adhuc plebeias fistulas loquor: qui cum ad balnea libertinorum peruenero? quantum statuarum, quantum columnarum est nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum, impensæ causa? quantum aquarum per gradus cum fragore labentium? Eo deliciarum peruenimus, vt nisi gemmas calcare nolimus. In hoc balneo Scipionis minimæ sunt rimæ, magis quam fenestræ, nunc lapideo excisæ, vt sine iniuriâ munimenti, lumen admitterent. At nunc blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt, vt totius diei solem fenestris amplissimis recipiant; nisi & lauantur simul & colorantur: nisi ex solio agros & maria prospiciunt.*

Videatur Plutarch. de quæst. conuiu. quæ. 8. cap. 9. Vbi ait, eam fuisse lauationis temperiem, vt Alexander febricitans iaceret in Balneo, & Gallorum coniuges ollas cum pultibus inferrent & cum liberis ibi lauantibus vescerentur vide & Galen. lib. 18. Therapent.

Cisterna autem, labrum, ahenus, piscina dicebatur vasin quo lauabant. Dioscorus l. 6. ἔμβαστν vocat. Idem vocat βαπτιστήριον baptisterium. Hora balneandi Romæ erat hyeme nona, æstate octaua. Quæcunque igitur fuerit lotio; Pharisæi eam non vt ciuilem vel medicam, sed vt religiosam frequentabant, & forte manuum tantum exigebant, ita enim alibi.

§. 3. Tertullianus l. 4. contra Marcionem cap. 27. locum sic tractat. *Sæpe iam finximus nullo modo potuisse illum destructorem legis denotari, si alium Deum promulgasset. Ideo & tunc Pharisæus, qui illum vocarat ad prandium, retractabat penes se, cur non prius tinctus esset, quam recubuisset secundum legem, qui Deum legis circumferret. Iesus autem etiam interpretatus est ei legem, dicens: illos calicis & catini exteriora emundare, interiora autem ipsorum plena esse rapinâ & iniquitate, vt significaret vasculorum munditias hominum esse intelligendas apud Deum. Quia & Pharisæus de homine, non de calice illoto apud se tractauerat. Ideo exteriora, inquit, calicis lauatis, id est carnem, interiora autem vestra non emundatis, id est, animam: adiciens, Nonne qui exteriora fecit, id est carnem, & interiora fecit, id est animam? quo dicto aperte demonstrauit, ad eundem Deum pertinere munditias hominis exterioris & interioris, cuius vterque sit; proponentis misericordiam non modo lauacro hominis, sed etiam sacrificio. Subiungit enim: Date quæ habetis eleemosynam, & omnia munda erunt vobis. Quod si & alius potest Deus misericordiam mandasse, non tamen antequam cognitus. Porro & hic apparet illos non de Deo increpitos, sed de eius disciplina, à quo illi & figuratè vasculorum munditia, & manifestè misericordiarum opera imperabantur.*

Vers. 40. Stulti, Syrus חסירי רעיונה *chasire reebiana* carentes ratione.

VERSVS 41.

Verumtamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

QVÆSTIO I.

Quid sit illud, quod superest?

§. 1. GRæce dicitur: τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, quod certum est varie intelligi posse. Potest visitato Græcorum more subaudiri κῦ τὰ ἐνόντα secundum, vel iuxta ea quæ vobis adsunt, suppetunt. Sic noster videtur Erasmo accepisse, cum vertit aoristum præsenti tempore. *Quod superest*, seu *quod superat*, ita enim loqui solent. *Quod supereſt quidam dicũt id, quod habetur.*

---*superet modo Mantua nobis.*

Sensus igitur videtur. *Quod habetis date ex eo eleemosynam.* Hic equidem clarus est sensus, sed verba minus cohærent. Dura enim locutio est. Possessa vel præsentia date Eleemosynam, cum dicendum sit, ex præsentibus date Eleemosynam, ἐκ τῶν ἐνόντων δότε ἐλεημοσύνην. Nec eiusmodi locutio inuenitur vel apud Lucam, vel alios auctores. Quare fallitur Erasmus veterem interpretem sic interpretatus.

Τὰ ἐνόντα, quædam exemplaria addunt πάντα, quod nulla vel Latina vel Syra agnoscunt.

Καθαρὰ ἐστι, alia ἔστω. Quibusdam τὰ ἐνόντα, videtur poni pro illis, quæ in nostra sunt potestate: positumque ac si dictum esse τὸ ἐνὸν, quod restat, quod nunc vobis licet, seu in potestate vestra est, date Eleemosynam. ἔνεστι & ἔνι est licet, ἐνεστίσοι πρίασθαι licet tibi emere. ita Synesius. ἐκ τῶν ἐνόντων, hoc est, ex viribus vestris. At ἐνὸν impersonale, & τὰ ἐνόντα, est perinde ac si dicas, cum sit in potestate, vel cum fieri possit. ita Lucian. ὡς οὐκ ἐνὸν ἀπεραγμόνως διπρᾶξαι, *vt cum non posit fieri, vt deses diteſceret.* Itaque noster recte vertit *quod superest*, quod facere iam potestis. ita Latinum verbum vsurpant passim Cicero lib. 9. Attic. Quod supereſt, rescribe quam accuratissime. & exponit Æneid. 11. Seruius. Itaque per hæc verba, *Quod supereſt*, non intelligendum, quod superest necessariis, non enim habet περιόν, sed τὰ ἐνόντα, hoc quod vobis reliquum, quod restat faciendum. *Ἐνόντα quæ in nostra sunt potestate.*

Tertullianus tamen vertit. *Date quæ habetis Eleemosynam.* contra Marcionem l. 4. c. 27.

Hoc est, quæ iuste possidetis, non ex rapina furtoue.

§. 2. Theophylactus τὰ ἐνόντα interpretatur Facultates. τὰ ἐνόντα ὄν, τοῦτ' ἔστι, τὰ ὑπάρχοντα ὑμῖν. καλῶς δὲ εἶπεν ἐνόντα, καὶ οὐκ εἶπεν ὄντα, διὰ τὰ χρήματα ἔνεισι τῇ καρδίᾳ τὰ φιλοχρήματα, καὶ ἐγκάθηται αὐτῇ. διὸ καὶ ὁ Δαβὶδ φησι, μὴ προσίθεσθε πλοῦτον καρδίαν τῷ πλήτῳ. Τὰ ἐνόντα, *hoc est, facultates. pulchre vero dixit*, τὰ ἐνόντα, *quæ insunt, non ὄντα, quæ sunt, quod pecuniæ sint in corde auari, atque insident; quare & Dauid monet, non apponere cor diuitijs.* *Ἐνόντα quæ in nostra sunt potestate.*

Illyricus ita conuertit. *Imo præstate interna Eleemosynam.* Hoc est, commutate cor rapax in misericordiam, & omnia munda erunt vobis. *Nam date aliquando est Hebræis conuertere, vt Ierem. 9. dabo Ierusalem in aceruos lapidum. Osee 11. Dabo te Israel in Adamam. 1. Reg. 1. Ne des famulam tuam coram filiâ Belial.* *Ἐνόντα quæ interna.*

Beza vertit: *in Eleemosynam*, ita Syrus בזדקתא *Bezedcetha.* Quod potest dici, etiamsi τὰ ἐνόντα accipiamus, pro eo quod facere est in nostra potestate. Syrus ita ad verbum. ברם מדם דאית *beram meden dit. Verum id quod est*, הבוהי בזדקתא *habuhi bezedcetha, date in Eleemosynam.*

§. 2. Ne

De traditione sermo.

§. 2. Ne mireris cur Tertullianus dicat, *secundum legem, & explicatam legem fuisse.* De traditione accipiendum est, de quibus Epiph. contra Marcion. confut. 6. Partim illæ fuere ante captiuitatem Babylonicam, ab Akibo, partim postea à Dauide: plures additæ ab Assomæis. Sed constat ex Hieron. quæst. 10. ad Algas. & l. 3. in Isa. Primum per Sammai, & Hillel procusas, deinde per Akibum defensas, qui posteriores fuerunt.

QVÆSTIO II.

An Eleemosyna omnia munda faciat?

§. 1. AVgust. Enchir. cap. 75. & serm. 30. de verbis Domini in Lucam, quæstionem suo tempore celebrem disputat. Sunt variæ interpretationes. Prima. Date eleemosynas & omnia munda sunt vobis, hoc est, mundiores ea, quam lauacris efficietis. Hæc videtur parum sufficiens. Nam absolute omnia munda pronunciat Christus.

Eleemosyna non delentur peccata impiorum.

§. 2. Altera eleemosynis omnia peccata redimi. contra quam Augustinus disputat. Non enim scelera Eleemosynam dantibus, & non pœnitentibus, remittuntur.

Caluinia Caluinastri.

Incredibilis calumniandi rabies in Tossano. [Augustinus (*inquit pag.* 142.) in Enchiridio cap. 75. & lib. 1. de verbis Domini super Lucam cap. 30 conqueritur de nonnullis, qui prætextu huius loci putabant, sibi licere indulgere omnibus peccatis, modo darent eleemosynam; quod etiam fere omnes Monachi persuadent. Verum non est huius loci sensus, totam nostram puritatem consistere in Eleemosynis, sed reprehenditur hypocrisis Pharisæorum, qui non in sanctis operibus & puro corde, sed in lotionibus quærebant sanctimoniam. Cum itaque Christus ante cordis puritatem requisierit, omnino præsupponit, illas Eleemosynas esse Deo gratas, quæ ex puro corde, nempe fide purificato proficiscuntur. Et sic docet Apostolus, omnia munda mundis, quiscilicet conscientiam habent fide purificatam: nam illis opponit infideles, quorum mens & conscientia est impura.]

Nemo Monachus ex toto illo exercitu hoc docuit, aut si quis docuit, iam non Monachus. Omnes Monachi hæresin illam detestantur. Agedum vel vnum Monachum ita docentem producito.

Eleemosyna non est quodlibet opus.

§. 3. Tertia. Eleemosynam pro quolibet opere bono accipi, primum autem misericordiam esse, qua quisque animæ suæ miseretur placens Deo. Ita Beda & alii. Quod reiiciunt illi, qui negant alia de re quam de Eleemosyna agi. Repugnat vero receptus omnium versionum vsus, & verbum dandi, quod hic vsurpar.

Varra interpretationes.

§. 4. Quarta expositio, Eleemosynas dare, esse rapinas, & male parta reddere, sic enim omnia munda fore. Quemadmodum Zachæus reddit quadruplum, & deinde dat pauperibus dimidium iuste partorum. Non enim eleemosyna danda est ex rapinis, Domino enim restituenda sunt.

§. 5. De hisce sententiis disputare meum propositum non est. Sicuti nec de illis, qui δότε interpretantur *datis*. Quidam, *datis*, vt fuerint eo in errore, omnia peccata deleri, si darent Eleemosynam pauca de multis rapinis.

§. 6. Quinta. Eleemosyna cum opus sit caritatis peccata remitti.

§. 7. Sexta. Eleemosynam ad peccatorem remissionem esse dispositionem.

Mihi ergo de hisce sententiis disputandum non puto. Sicut nec de illa, quæ facilime omnem tollit dubitationem. Quidam enim δότε interpretantur *datis*, & πλὴν accipiunt ironicè, quasi ex ipsorum sententia, Quasi dicat: Rapina & furtis opes congeritis immensas; deinde paucas quasdam eleemosynas datis, ac omnia munda esse arbitramini. Ita quasi non modo excusari se putarent, qui iniquè alios opprimebant, sed etiam laudari, tanquam liberales vellent.

Christus reprehendit Eleemosynas non pœnitentium.

§. 8. Sensus igitur ex circumstantiis colligendus est. Pharisæi raptores erant: criminibus suis debebant domos, mensas, argentum. Christus, vt eos ad pœnitentiam reducat, monet vt dent eleemosynam, & fore sic omnia munda, nempe calices, & paropsides, & interiora, exteriora, corpus & animam.

Cum non restituere iniquitatis.

Cum autem iubet Eleemosynam, quod est caritatis; multo magis imperat, opes inique acquisitas veris Dominis reddi. Hoc enim non est modo necessarium, sed ex iure naturali ita clarum, vt dubitare ipsi non possent. Sed cum hypocrisi, superbia aliisque vitiis obnoxii essent, cur de sola eleemosyna mentionem facit? Respondeo, de omnibus agendam pœnitentiam fuisse, & hoc Dominum exigere, dum iubet interiora ipsorum mundare. Itaque Contritionem & emendationem requirit. Et subdit, veruntamen πλὴν, date Eleemosynam, cum vera pœnitentia, & dolore, ac sic omnia munda erunt; nomine Eleemosynæ, etiam restitutio intelligitur. Nam etiam misericordiæ est, non tantum iustitiæ munus, oppresso, & egenti, reddere quod eripueris. Cætera vitia, animi proposito emendantur, rapina etiam externam restitutionem, & aliena paupertas eleemosynam requirit, quæ nisi facerent, salui esse non poterant. Exemplo nobis est Zachæus, qui conuersus, non, odia positurum, remissurum offensas, superbiam, libidinem, aliaque peccata vitaturum promittit, quamuis id fecerit: sed ait: dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Hoc Pharisæi facere iubentur, quod ille fecit: Eo etiam modo, quo ille fecit: nempe dolore, detestatione iniquitatis, amore iustitiæ, & caritatis. Proponit igitur hoc quod maxime necessarium erat pœnitentiam acturis, & sine quo frustra erat omnis de meliore vita suscepta disputatio.

§. 9. Decimatis seu δεκατεύετε, decimam partem deciditis, quod & dantibus decimas & accipientibus conuenit. Duplex igitur sententia. Primaeos defacultatibus suis decimas defalcatas Deo consecrare, idque etiam in rebus minimis, eaque in liberalitatis specie, iustitiæ magnam laudem ponere. Altera vt de rebus minimis decimas exegisse dicantur, quod ad auaritiæ fugillationem pertinet. Prior vera est interpretatio, nam decimationem commendat, & vt lege præscriptam probat, opponitque grauioribus mandatis. Cum enim ait, *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Quod de decimis auarè exigendis dici non potest.

V. 44. Ταῦτα ἔδει, alii addunt δὲ. Sic Latinus & Syrus.

Latini omittunt illa verba γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, Quædam tamen Latina habent.

V. 48. Profecto testificamini, μαρτυρεῖτε καὶ συνευδοκεῖτε.

V. 49. Persequentur, alii habent διώξουσιν, alii ἐκδιώξουσιν quod est magis emphaticum.

V. 50. A generatione ista, non refertur ad verbum effusus est, sed requiretur.

V. 51. Τοῦ ἄβελ, quædam exemplaria addunt δικαίου, quod ex Matthæo translatum est.

VERSVS

VERSVS 52.

Væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introijstis, & eos qui introibant, prohibuistis.

QVAESTIO I.

Quæ clauis scientiæ?

§. 1. CLauem scientiæ ferre, quidam interpretantur, sibi scientiam vindicare; quemadmodum qui clauem retinet, ne vlli, nisi se aperiente, ingressus pateſcat. Non intrant illi in regnum cœlorum, & prohibent illos qui intrare volebant. Clauem scientiæ tollunt, qui non ostendunt iter ad regnum.

Clauem scientiæ Augustinus interpretatur de cognitio. l. 2. de aduersario legis & prophetarum cap. 5. *In hanc sententiam vult accipi, & quod ait Dominus ad ludæos: Neque me nostis, neque patrem meum, sed nec verbum Dei habetis in vobis manens. Quod vtique contrarium non est ei quod dixit: Tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. In semetipsis enim verbum Dei non habebant, sed in literis quas legebant. Nam si haberent in semetipsis, & ipsi intrarent, & alios intrare permitterent: Non intrare autem est, non intelligere. Ecce quare nec ipsum nouerant, nec eius patrem. Quia non intelligebant quod legebant, non quia Deum & Christum non prædicauerant, quos legebant. Hoc est ergo intrare, non esse contentum superficie literæ, sed ad interiora intelligentiæ peruenire.*

Simili plane ratione S. Hilarius prologo in Psal. eos erraſſe ait; quia Christum in lege & prophetis non cognouerunt. *Sunt enim vniuersa allegoricis & typicis contexta virtutibus: per quæ omnia vnigeniti Dei filij in corpore & gignendi, & patiendi, & moriendi, & resurgendi, & in æternum conglorificatis sibi, qui in eum crediderint, regnandi, & cæteros iudicandi sacramenta panduntur. Et quia Scribæ & Pharisæi Dei filium natum in corpore non recipientes, omnibus Propheticæ intelligentiæ aditum denegarent, sub denunciatione pœnæ ita à Domino arguuntur: Væ vobis legis Doctores, qui abstulistis clauem scientiæ. Ipsi non introitis, & introeuntes non sinitis introire. Negantes enim Christum cuius aduentus opus est prophetarum, clauem scientiæ abstulerunt: quia cognitionem legis, quæ aduentum Domini corporum prædicauit, fides corporei aduentus abnegata præcludit. Et hoc quidem ex omni scripturarum propheticarum genere dictum esse, intelligendum est: vt nisi in aduentum Domini ex virgine in hominem procreandi intellectæ & recognitæ fuerint, intelligentiæ earum vis obsignata habeatur & clausa.* Vbi non modo externam, sed interiorum etiam ministeriorum intelligentiam complecti putat. Imo præcipue ea in re errabant, quod ipsa mysteria, hoc est, Christum non agnoscerent in literis sacris.

§. 2. Caluinus claues ad solam scientiam restringit. [Porro, *inquit pag. 286.* ex voce Scientiæ colligimus, quam stulte Papistæ imaginarias claues fabricent: quasi sit magica quædam potestas absque verbo Dei. Nam Christus innuit non alios vti istis clauibus, quam qui doctrinæ ministri sunt. Si quis obiiciat, Pharisæos, licet peruersi essent, Legis interpretes, claues nihilominus tenuisse: Respondeo, quamuis officii respectu, illis commissæ forent; malitia tamen ac fraude fuisse suppressas, vt nullus maneret earum vsus. Ideo Christus eos abstulisse dicit vel furatos esse clauem illam scientiæ, qua cœlorum ianuam aperire debuerant. Sicuti hodie in Papatu obseruatum est cœlum misero populo, dum ianitores ipsi (saltem quibus imposita erat hæc cura) tyrannide sua impediunt ne aperiatur. Porro nisi simus plus quam socordes, manus sponte impiis tyrannis non dabimus, qui nos crudeliter ab ingressu vitæ prohibent.] "

Clauem scientiæ Christus nominat, idcirco ille negat esse aliam clauem, quam scientiæ. Deinde nos ex clauibus magicam potestatem facere criminatur. Prius stultum est, alterum atrox conuitium. Stultum est, clauem ad solam scientiam restringere, etsi hic clauis scientiæ nominetur. Cum sit etiam clauis soluendi & ligandi, cum sit clauis Dauid, non in sola cognitione. Is. 22. 22. Quod de potestate clauium magica calumniatur, non agnoscit eam Ecclesia, sed quas Petro & Apostolis Dominus dedit, eas ipsa magicas dicere nequaquam audet, & dicentem abominatur. Claues soluendi & ligandi, non sunt in sola cognitione. Ita olim omnis antiquitas Cypr. l. de simplic. cler. & ad Cornelium. Hilar. l. 3. de Trinit. Hier. l. 1. aduers. Iouinianum. Leo epist. ad Anastasium. epist. Thessal. Theophylactus hunc in modum definit. κλεῖδας δὲ νοήσεις τὰς δεσμοὺς καὶ λύσεις τὰς τῶν σφαλμάτων ἢ συγχωρήσεις ἢ ἐπιλήσεις· ἔχουσι γὰρ ἐξουσίαν ἢ ἀφιέναι, καὶ δεσμεῖν οἱ καὶ πέτρου τὸ ἐπισκοπικὴς ἀξιωθέντες χάριτος. *Claues esse noris, quæ ligant & soluunt peccatorum aut veniam, aut pœnam. Habent enim potestatem ligandi vel soluendi, qui Episcopali dignitate prædicti sunt secundum Petrum.*

Andreas Episcop. Cæsareæ ad c. 8. Apoc. τὰ δὲ λέγει ὁ ἄγγελος ὁ ἀληθινός, ὃ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ δαυίδ. κλεὶς τοῦ δαυὶδ ἡ βασιλεία αὐτοῦ κέκληται. ἐξουσίας γὰρ αὐτὴ σύμβολον. *Hæc vero dicit sanctus, verax, qui habet clauem Dauid, clauis Dauid regnum eius vocatur, Potestatis enim ipsa est symbolum.*

Errat igitur cum Nouatianis, Acesio, aliisque Caluinus, dum claues alias in Ecclesia non cognoscit, nisi cognitionis. Pro ἔχειν, quædam exemplaria habent, ἐπιφύεσθαι, quod ex glossemate in textum irrepsit.

Non omnis clauis est scientia.

VERSVS 53.

Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & legisperiti grauiter insistere & os eius opprimere de multis.

QVÆSTIO I.

Quid Pharisæi coniuncti agunt?

§. 1. GRauiter insistunt, δεινῶς συνέχεσι, grauiter affecti sunt, vix sese continent. Euthymius ait quosdam codices habere ἐλέγχειν, redarguere, quod ex interpretatione in textum irrepsisse videtur.

Insistere, Erasmus correctiores codices habere ἐνέχειν, vrgere. Verum admodum conuenit συνέχειν, quod est *colligare*, constringere, premere, occludere, & vrgere, de tota summa agere. Ita τὸ συνέχον est causæ totius firmamentum.

§. 2. Quod ait os opprimere legisse putant ἀποστομίζειν in Græcis est ἀποστοματίζειν, quod ab ore pendere exponit. Ἀποστομαλίζειν habent nunc pleriq; Græci. alii ἀποστομίζειν, ita multi tempore Euthymii, qui rectè id obseruauit. Laurentius Valla legit ἀποστομαλίζειν, & vertit interpellare, obstrepere, obloqui. In tanta varietate Græcorum, vnica est lectio Latinorum *os ei occludere de multis*. Quin apud Theophylactum dubium est legeritne ἀποστομαλίζειν, an ἀποστομίζειν; nam non modo ipse textus variat, sed etiam Erasmiana citatio quater habet ἀποστομίζειν, raro ἀποστοματίζειν. At vero ἀποστομίζειν Hesichius interpretatur, os obturare, idemq; esse, quod ἀποστομαλίζειν, ait, quin & Plutarcho est, aciem obtundere, hebetare. Hesychius enim ἀποστομίζων interpretatur φιμῶν. *os obturans.*

Ἀποστομαλίζειν.

§. 3. Ver-

§.3. Verbum ἐπιστομαλίζων, sine vlla dubitatione est obturare, sic vsurpat Athen. l.8. dipnosoph. Quod attinet ad verbū ἐπιστοματίζειν, est hoc de memoria dicere, apud Plutarc. Athenæum, quasi laborare, seu de memoria dicere. Id huic loco nō cōuenit. Primo quidem ἐπιστομαλίζειν non est hoc loco de memoria recitare: dicit enim Euangelista, ceperunt ἐπιστομαλίζειν, αὐτὸν, ipsum Christum illi ἀπεστοματίζον, quod si actiue accipias, oportet, vt sit in hiphil, faciebant ipsum multa de memoria dicere; hoc est, multa flagitabant, vt aliquid reprehensioni opportunum elicerent. Sed nec in eâ significatione inuenitur, & cōtra facit, quod additum est, περὶ πλειόνων, de multis: optime igitur vertitur. *occludere os.* Nec aliter intelligendus Syrus, cum ait מיתבסין מילוהי *metaccesin melaubi*, aucupante verba eius; Nam & audiebant, & ex auditis alias quæstiones formabant, aliaque obiiciebant, omnia vero eo tendebant, vt os ei obstruerent, vt Theophylactus explicauit: cuius ista sunt. *Illo autem adhuc loquēte hæc, illi quasi attestarentur dicta eius, ostentarunt se illo aliquatenus sapientiores, atq; occludere illi os, (quod Græci dicunt ἐπιστομαλίζειν) incipiebant, hoc est, frequēter interrogare, & perplexum facere.* Id quod fieri solet, quūdo plures interrogant vnū de aliis argumentis: tunc n. qui respondere nō valet omnibus specimen ac indicium stulti exhibet, eo quod perplexus sit redditus. Hoc igitur struebant etiam maledicti contra Christum. Multi enim interrogantes vnum, videbantur illi os occludere, & perplexum reddere: ita vt non posset eis respondere: id quod verisimiliter accidit. Quomodo enim vnus posit multis respondere aliq interrogantibus? Potest autem & os occludere, & ἐπιστοματίζειν sic intelligi, hoc est illaqueare, & ob testimonium ori quē apprehendere. Quando enim apprehenditur ac capitur ex his quæ ipse dicit, videtur ab ore capi, & ab ore suo rapi atque condemnari. Porro & sequentia hoc declarant. Quærentes enim, inquit, venari quippiam ex ore illius: quod enim paulo ante dixerat os eius occludere, hoc nunc dicit venari quippiam ex ore eius. Interrogabant autem ipsum de lege, vt eum blasphemiæ arguant, qui Mosen taxasset, hoc enim suspicabantur. Aliquando interrogant de his quæ ad Cæsarem attinebant, vt eum seditiosum denuncient, & tyrannidis studiosum, & omnia talia qualia animæ pessimæ & malignissimæ, ac omni iniquitate plenæ excogitarent.

Reuelatio.

Studiosi Christum perplexum reddere.

CAPVT XII.

Multis autem turbis circumstantibus, ita vt se inuicem conculcarēt, cœpit dicere ad discipulos suos, Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. 2. Nihil autem opertum est, quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur. 3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis 4. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. 5. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum: qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete. 6. Nonne quinq; passeres væneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? 7. Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos: 8. Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. 9. Qui autem negauerit me cōram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. 10. Et omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur. 11. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite soliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut dicatis. 12. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. 13. Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem. 14. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? 15. Dixitque ad illos: Videte, & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: 17. Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? 18. Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, 19. Et dicā animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. 20. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? 21. Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues. 22. Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis: Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis: neque corpori quid induamini. 23. Anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum. 24. Considerate coruos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neq; horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? 25. Quis autem vestrum cogitando potest adycere ad staturam suam cubitum vnum? 26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris soliciti estis? 27. Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. 28. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras inclibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos pusillæ fidei? 29. Et nolite quærere vos quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli: 30. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit, quoniam his indigetis. 31. Verumtamen quærite primum regnum Dei, & justitiam eius: & hæc omnia adycientur vobis. 32. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 33. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. 34. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. 35. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, 36. & vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs: vt, cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. 37. Beati serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes: Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. 38. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. 40. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. 41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam: an & ad omnes?

42. Dixit

42. Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? 43. Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem. 44. Vere dico vobis, quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum. 45. Quod si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: 46. Veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. 47. Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: 48. Qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem ei multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. 49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? 50. Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor vsque dum perficiatur? 51. Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem. 52. Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres. 53. Diuidentur: Pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. 54. Dicebat autem & ad turbas. Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit: & ita fit. 55. Et cum austrum flantem, dicitis. Quia æstus erit: & fit. 56. Hypocritæ faciem cœli, & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? 57. Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est? 58. Cum autem vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. 69. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.

IN CAPVT DVODECIMVM

ARGVMENTVM.

VARIAM doctrinam continet caput duodecimum, quæ tamen in Matthæo & Marco ferè exposita est.

De fermento Pharisæorum cauendo Matth. *16. 6.*

De occulto reuelando Matth. 10.

De non timendis corporis occisoribus Matth. 10.

Item de passeribus, capillis numeratis. item confitendo filium hominis. De peccato in Spiritum Sanctum Matth. 12.

De non præmeditando responsionem Matth. 10.

De sollicitudine victus abiiciendâ Matth. *6.*

De præparatione ad mortem. Matth. *24.* & similitudine fidelis serui, ibidem.

De bello non pace missâ, Matth. 10. itemque diuerso exitu hominum.

De nouissimo quadrante Matth. 5.

Supersunt igitur explicandi, versus 13. vsque ad 22. vbi quidam petit vt dicat fratri, *vt diuidat secum hæreditatem*, quod recusat Dominus. Et de diuite horrea ampliante, & frustra præsumente de longâ vitâ.

Deinde v. *26.* & 32. & 33.

Itemque versus 47. 48. 49. 50. Vbi de seruo sciente, & alio nescIente voluntatem Domini agit, ignem se mittere dicit, & habere baptisma quo debeat baptizari.

Versus etiam 53. de diuisione cognatorum, de fine cœli versus 54. & 55. apud solum Lucam sunt, vbi & versus 57.

Syriacâ Ecclesiâ ab initio vsque ad. num. 13. legit in commemoratione martyrum.

A v. 13. ad 32. feriâ sextâ hebdomadæ 3. Iejunij.

Hinc vsque ad versum 49. titulus קריגא דאפיסקופא *Keriana depiscaupe. Lectio Episcoporum*, vt appareat in eâ Ecclesiâ fuisse commemorationem Episcoporum, vt est in Latinâ Confessorum Pontificum.

Hinc vsque ad versum 59. seu finem habetur קריגא דבעותא keriana debaghutha. *Lectio petitionis.* Non est tamen ille titulus sine controuersiâ. בעא begha, est petere, quærere, exaltare, increpare, festinare.

Videntur in publicis supplicationibus vsurpasse, cum processiones haberent, quemadmodum in Ecclesiâ Latinâ sunt *dies Rogationum*: quibus vetere instituto sollenniter oratur.

Quamuis ita diuersa sunt quæ versibus illis continentur, vt non immerito dubites, quomodo conueniant supplicationibus.

VERSVS 1. *Turbis circumstantibus*, multi libri habent *concurrentibus*, συπεπωυάχθεισῶν, in vnũ congregatis, quod habet etiam Syrus אתכנשו *Etchannaschu.*

Vers.2. *Nihil autem opertum*, ita optimi pro enim, Sic Syrus,& Græca,de quo dictum etiam apud Matthæum.

Vers.3. *In aurem*,non *aure* legendum πρὸς τὸ οὖς, *ad aurem*,Syrum באדנא anceps est.Nam ב *be* pro ἐν & εἰς ponunt.

Vers.13. Pro *quoniam* Beza vertit *propterea*, non enim causam reddere voluit, sed quod est consequens præcedentium. Si tamen aduertere velimus,causam reddi clarum euadet. Quod in aurem audiunt, prædicabitur super tecta, itaque nihil opertum, quod non reueletur.

V.4. *Quid faciant*, non *quod* vt Syrus מרם *medam*, *quod* eodem sensus tendit.

Vers.7. *Vos*,à multis Latinis omittitur, Græca *plura* habent.Sicut & Syrus ex Matth.10.Tres apud Brugensem habent.

Vers.8. Me & illum, alii in me & illum, vt Græca ἐν ἐμοὶ, ἐν αὐτῷ Syriace בי in me.

Vers.9. Negabitur, alii, denegabitur ἀπαρνηθήσεται, posterius ἐμφαλικώτερον est.

Vers. 12. Quid, Græcè ἃ quæ, Syrus מרם quod.

Vers.11. Qualiter aut quid respondeatis. Syrus תפקון אובנא רוחא quod depromatis spiritum.

VERSVS 13.

Ait autem ei quidam de turba Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.

QVÆSTIO I.

Cur petit diuisionem hæreditatis?

§.1. PRobabile est litem illi cum fratre,vel iam contestatam fuisse, vel præforibus fuisse. Et quidem in ea se iustam obtinere causam existimauit; alioquin ad Christi iudicium non appellauisset. Messiam, vero regem, pauperum, & iniuria afflictorum curam suscepturum, iam olim Dauid prædixit Ps. 71. vers.1.2.

Messias pauperum curator.

Anabaptistarum error.

§. 2. Anabaptistæ hinc concludunt; non licere Christiano partiri hæreditates, aut forensibus actionibus interesse, aut obire magistratus. Quibus Caluinus respondet. [Neque enim Christus è re ipsa arguit, sed à sua vocatione. quia enim ordinatus à Patre erat in alium finem se iudicem esse negat, quia non habeat tale mandatum. Hæc igitur vigeat inter nos regula, vt se quisque intra vocationis diuinæ metas contineat.]

Clerici possunt res suas retinere.

Quæ ratio si vera est, poterunt etiam illa præstare, qui ad hoc vocati sunt,vt si alicui Episcopo cura vrbis aut regionis commissa sit, Nam & ministri hæreditates diuidunt,& iure pugnant. Domum igitur quisque suam,& cum illi committitur,prouinciam debet administrare. Neque enim si quis Euangelio ministrare velit,rebus suis excidet.

§. 3. Cum ad concordiam pertineret conciliatio fratrum, Christus tamen id minus reiicit, cum ne ab eo temporalia exigerent,quod minus promptum est, tum vero ne occasionem daret calumniantibus cum seditiones mouere.

§. 4. Caluinus hoc facto Papæ primatum, & in res exteriores dominium oppugnat. [Deinde voluit etiam Dominus inter politica huius mundi imperia& Ecclesiæ suæ regimen discernere;erat enim creatus à Patre Doctor, qui verbi gladio secaret cogitationes & affectus,& penetraret in animas hominum: Magistratus vero non erat, qui hæreditates diuideret. Ita damnatur Papæ & suorum latrocinium, qui cum Ecclesiæ se esse pastores obtendant,inuadere tamen sunt terrenam ac profanam iurisdictionem, quæ ab eorum officio dissidet.Erit enim aliquid per se licitum quod non tamen quibuslibet conuenit. Accessit iam meo iudicio tertia particularis ratio, quia scilicet videbat Christus hûc hominem relicta doctrina, domesticis suis commodis prospicere. Atq; hic nouum nimium vulgaris est, vt multi Euangelium professionis prætextu abuti non dubitent ad agendam rem domesticam,& Christi auctoritatem suis lucris præstare.Hoc coniicere promptum est excircumstantia exhortationis: nisi enim homo ille Euangelii titulo abusus esset ad suum quæstum, non fuisset data Christo occasio damnandæ auaritiæ. Contextus ergo satis ostendit fictitium hunc fuisse discipulum,cuius animus in agris vel loculis demersus erat.]

Quod si vniuersaliter Dominus suo facto damnauit omnes, qui Ecclesiastici sunt, & fratrum controuersias finiunt,causam non dico, quo minus & Pontificem iure componendarum controuersiarum abdicare se cogant. Quod si ista sibi licere, dicant cum spiritales & Euangelici videri velint ministri impudentes sunt, qui Catholicos sacerdotes sua iurisdictione exuant,& in se transcribant. At sibi ista licere voluit,sed *sobriè. Discamus inquit & nos sobriè nolũ temperare, nec quidquam aggredi, quod in sinistram partem trahi queat.* Hic non vetat miscere suos se litibus,sed sobrie. Deinde & suas & alienas lites tractant, matrimonia contrahunt, hæreditates adeunt, alios iure ad diuidendum cogunt, quomodo igitur id nolunt Papam facere?

§.5. Christus cur id recusaret plures causas habuit. Noluit à se operas sæculares exigi, noluit auaritiæ alienæ seruire. Quod si ius illud arrogasset, iam parata esset accusatio; Tyrannidem eum affectare,turbas trahere,causas cognoscere,iudicare. Nunc diuersa ratio est. Episcopus domi suæ præest, familiam diligit,seruitiis disciplinam præbet,si fundos habet, si villas, si vrbes, si ditiones, illis imperat, nec enim cum Euangelio seruire cœpit,sacrisque initiari, mox capite minuitur.Sed ea de re plura dixi Polit.lib.6.c.5.

§. 6. Marcionitæ ex eo quod diuidere nolint,negabant Christũ filium creatoris:l.4.contraMarcion. c.28. *Hæ sunt nouæ doctrinæ noui Christi, quas olim famulis Mosaicæ creatoris initiarunt. Ecce plane diuersum exemplum Moysis & eius Christi: Moyses rixantibus fratribus vltrò intercedit, & iniuriosum increpat: Quid proximũ tuũ percutis? Et rejicitur à illis super. Quis te constituit magistrũ aut iudicẽ super nos? Christus vero postulatus à quodam, vt inter illum & fratrem ipsius de diuidunda hæreditate componeret, operam suam, & quidem tam probæ causæ denegauit. Iam ergo melior Moyses meus Christo tuo,fratrum paci studens,iniuriæ occurrens. Sed enim optimi & non iudicis Dei Christus; Quis me, inquit, iudicem constituit super vos? Aliam vocem excusationis inuenire non potuit, in ea vteretur, qua improbus vir, & impius frater asserendæ probitatis atque pietatis excusserat. Denique probauit malam vocem, vtendo ea, & malum factum,pacis inter fratres componendæ declinatione. Aut nunquid indigne tulerit hoc dictum fugatum Moysen. Ideoque in causa pari disceptantium fratrum, voluit illos commemoratione eiusdem dicti confudisse? Planè ita. Ipse enim tunc fuerat in Moyse, qui talia audierat, spiritus scilicet creatoris.*

Quemadmodum igitur illi diuersum Christũ esse docuerunt, à filio creatoris & Moysi contrarium; quia Moyses conciliare fratres voluit, Christus hæreditatis diuidendæ imperium dare noluit. Sic nostri quoque

quoque hæretici contrarium Christo Pontificem arbitrantur: quia Christus in hac causa iudicare noluit, Pontifex quibusdam in causis iudicauit. Cum Christo fuerit ratio non iudicandi, Pontifici vero sit. Si enim Christi exempla omnia per omnia sequi necesse est; Vxores ne ducant, nec earum hæreditates cernant; id enim Dominus non fecit. Vide & Adrianum Sarauiam de diuersis gradibus Ministrorum contra Bezam. Iudicium Christus non reiecit, quia non potuit iudicare. Sed quia noluit, non enim venerat, vt temporale regnum administraret.

Itaque Caluino rectissime respondet Tossanus Caluinista. [Atqui ad officium Messiæ pertinere vi-
» debatur iudicare in iustitia, & oppressis succurrere,
» Psal. 72. vt & certum est Euangelicam doctrinam o-
» mnibus præscribere officium parentibus erga libe-
» ros, fratribus erga fratres. Respon. Id quidem verum
» esse: nam & Christus constitutus est iudex totius
» mundi, Actor. 17. 31. Illis igitur verbis: quis constituit
» me iudicem, nō negatur officium Christi, sed ordina-
» tur & distinguitur regnum Christi spirituale à regnis
» mundi: sceptrum verbi Domini à foro ciuili, tempus
» exinanitionis à tempore gloriæ & vltimi iudicii. In
» illa speciali controuersia inter duos fratres, quæ ab a-
» lijs facile componi poterat, noluit occupari Christus,
» totus intentus in annuntiando regno cœlorum.

» Quapropter noluit inuolare in officium Magi-
» stratus ciuilis, nec ob minus necessaria relinquere
» magis necessaria: quo etiam spectabant verba Chri-
» sti, supra cap. 9. sine vt mortui sepeliant mortuos suos.
» Sigitur potuit, cur inde conferre conatur Ecclesia-
» sticos non posse?

VERSVS 15.

Dixitque ad illos, videte & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantiâ cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet.

QVÆSTIO I.

Quo argumento ab auaritia deterreat?

§. 1. FRatrum haud fraterne diuidentium reprehensionem illo versu continere putant. Verum est, occasione data, omnes de auaritia fugienda adhortatum. Ratio insignis, diuitiis non reddi vitam longiorem: quorsum ergo cum periculo vitæ quæruntur? Sensus vero est, vita eius est ex his quæ possidet. Ita quoque Græcè, ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ in abundare cuiquam, hoc est, quod abundet aliquid cuiquam. Nomina enim sæpè casus verborum admittunt. Hanc ergo rationem ad contemptum diuitiarum inducit. Simile quippiam, sed alia mente dixit Petra potator. Si mortem auro morari posset, illud quæsiturum.

Ὄφρα γὰρ ἦειν ἐπέλθῃ
λαῖδή τε καὶ πυρέλθῃ
Ἐκαρίδρων φυλάσσων
Εἰ ὄ τε θανεῖν πέπεωλο
Τί χρυσὸς ὠφελεῖ μοι;

Si mors veniens accideret aliquid & transiret, custodiendo perseuerarem: sed si fatum est subeundum, quid me iuuabit aurum?

§. 2. Syrus tantum habet, *Neque enim in abundantia diuitiarum est*, ἐκ τῆς πλεονεξίας, alii libri habent, πλεονεξίας. Ita libri apud Brugensem. Aug. serm. 196. & Beda omnem auaritiam appellat, non tam nummos, quam actiones & praxes, quæ ex vnico hoc improbissimo affectu manant.

§. 3. Beza sic vertit; Neque enim cuiusquam vita, ex iis quæ ipsi suppetunt, in eo sita est, vt redundet. Quod verò diceretur, si pro verbis. ἐν τῷ περισσεύειν scriptum esset. ὥστε περισσεύῃ, *vt redundet*. Theophylactus. οὐ συνεκτείνεται τῆς ζωῆς τὸ μέτρον τῇ περιουσίᾳ, *non coextenditur vita siue cum facultatibus augescentibus.*

Εἰς θεὸν, noster *in Deum*, Erasmus erga Deum, Beza reiecit, ne occasio sit loquendi de meritis. At reuera qui dives est in Deum, aliquid apud Deum repositum habet, vt dives censeatur, quod optime intelligimus, si dicamus bonorum operum esse merita. Εὐφραίνειν exulare Beza negat satis late patere. Syrus etiam habet אתבסמי Ethbassemi, quod est lætari, sed, vt dixi, ita solent magna & opipara conuiuia describi.

VERSVS 16.

Dixit autem similitudinem ad illos, dicens. Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit.

QVÆSTIO I.

Quo similitudo diuitis spectat?

§. 1. HOminem non modo opulentum, sed tutissimo modo locupletem proponit, cui χώρα, latifundium seu ager, Syrus ארעא terram vocat, vberes prouentus tulit. Augustinus de verbis Domini Epist. 19. vocat *regionem*. alludens ad sui temporis opes. Integras enim regiones possidebant, illi, qui potentes erant. *Quantum non miluus oberrat*, tantum agri colebant. *Diues sibi fidens.*

§. 2. Impius ille nec principium, nec finem opum agnouit. A Deo esse non meminit, nec vsum earum, ad liberalitatem & virtutem, sed ad delicias. Ideo intra se ait, in consulte suis rebus prospecturus. Nata sibi ait, Dei nulla mentio, non erat raptor, non iniquus, sed de prouentu suo dives. Augustinus de verbis Apostol. serm. 19. *Quando mihi audet dicere Christianus bonum esse rapere res alienas: quandoquidem non audet dicere bonum esse tenaciter seruare res suas? Nunquid enim dives ille cui successerat regio, & non inueniebat vbi poneret fructus suos, & se consilium inuenisse gaudebat destruendi veteres apothecas, & construendi nouas ampliores, vt impleret eas, & diceret animæ suæ: Anima habes multa bona in multum tempus, lætare, iucundare, satiare. Nunquid ergo iste dives alienæ quærebat? Fructus suos colligere disponebat, vbi poneret, consulebat, non de cuiusquam vicini agris, non limite perturbato, non spoliato pauperè, non circumuento simplice, sed tantummodò de suis colligendis cogitabat. Audite quid audierit, qui tenaciter seruabat sua: & hinc intelligite quid expectent qui rapiunt aliena. Cum ergo se prudentissimum consilium inuenisse arbitraretur, de apothecis veteribus angustis deiciendis, & amplioribus nouis ædificandis, & de omnibus suis fructibus colligendis & recondendis, non alienis concupiscendis atque rapiendis; ait illi Deus: Stulte, vbi tibi sapiens videris, ibi stulte. Stulte, inquit, hac nocte repetunt à te animam tuam, hæc quæ præparasti cuius erunt? Si seruaueris, tua non erunt: si erogaueris, tua erunt. Quid, inquit, reponis, quod relicturus es? Ecce increpatus est stultus male recondens. Si stultus est qui recondit sua, vos inuenite nomen ei qui tollit aliena. Si sordidus est reconditor suorum, vlcerosus raptor alienorum. Sed non qualis ille vlcerosus, qui iacebat ante ianuam diuitis, & cuius canes lingebant vlcera. Ille enim vlcerosus erat in corpore, non raptor in corde.* Vide & Homil. 45. quinquaginta Homiliarū. *Non iniuria, sed auaritia diuitis accusatur.*

§. 4. Horrea ampliora reddit, pauperum immemor.

Vers. 21. Ἑαυτῷ alii codices ἐν αὐτῷ.

V.16. Εἶπε λέγων, *dixit dicens*, more Hebræo, sed Beza in hæc verba, sic Herod. Euterp. ἐφη λέγων, *inquit dicens*, Epulari, noster vertit cap. 15. Nam Epulari est cum gaudio conuiuium agitare.

Certo mortem prædixit.

§. 5. Dixit illi Deus, vel per prophetam, vel certè mortis ineuitabilis letale signum ostendendo. Vel etiam spectris terrendo, vti de Bruto scribunt apparuisse illius malum genium, dixisseque: *Cras me videbis.* Breuitatem indicat, cum ait hac nocte futurum vt moriatur. Per noctem etiam indicatur mentis cæcitas, qua factum vt inhærens terrenis violenter auelleretur.

Repetunt animam tuam, hoc est repetitur. Eâ de locutione dixi in Danielem. Repetunt illi qui testes sunt & accusatores. Pro repetunt Cyprianus: *hac nocte expostulatur anima tua.*

§. 6. Quæ parasti cuius erunt? Æternas pœnas non meruebat, fabulas putabat esse inanes, Ex illis erat, à quibus,

Diuitiarũ incertitudo.

Defletur lachrymis amissa pecunia veris. Christus ideo pœnarum infernalium mentionem non facit, quia in eo versatur, vt diuitiarum incertitudinem explicet. Ostendit enim eas contemnendas esse, etiam impiis & profanis. Præclare Augustin. homil. 48. ex quinquaginta. *O cæcitas auari, fratres dilectissimi: vna nox ei supererat, & de multorum annorum vita satagebat! Gaudebat, quia multum sibi nascendum videbat, & non sciebat, quia nihil secum tollebat, sed hic omnia dimittebat. Nox ei vitam fugabat, & de crastino cogitabat. Quod in aliis spectabat, in se non sperabat. Vtique viderat & ille morientes, viderat possidentes, viderat neminem secum tollere terram. Quanti sunt & modo qui dicunt, Tantum habeo, tantum facio, tantum valeo. Quibus respondendum est, stulte, hac nocte anima tua auferetur à te: quæ congregasti cuius erunt? Lætatur dives stultus, nocte moriturus. Quantumcunque cupiditas radice suas vbique distendat, quantumque rapiat, necesse est in vna hora totum dimittet. Sed dicturus es: Habeo filios quibus laborem, habeo quibus prospiciam, habeo quibus curam maximam geram. Quam curam geris filiorum, vt eos obruas lachrymis miserorum? Non est hoc filios amare, sed potius necare. Nescis quia arbor in fruge dignoscitur? Nescis quia quod in radice celatur, in ramis declaratur: & quod latet in foliis, enitescit in pomo? Nolo te talem patrem sentiant filij tui, nolo sic prouideas, vt magis inuideas. O quanti pauperes nascuntur, & postmodum diuites efficiuntur: quanti quibus magna hæreditas dimittitur, & postmodum ad penuriam rediguntur? Si ergo Dei est pauperem facere, Dei est ditare, Cur prouidus filiorum existis? Cur rapis, qui post te ne forte maneant nescij, & tibi perpetuam pœnam nutris, & filijs tuis dolorem dimittis?*

In caterũ morientium se nemo putat moriturũ.

Filij causa damnationis.

V. 18. Πάντα τὰ γενήματα, alii πάντα τὸν σίτον μου.

V. 21. In Deum diues dicitur, seu in Deo, Qui virtuti incumbit, & in Deo fidit, in Deum diues esse dicitur, cui Deus thesaurarius est.

V.21. Spiritu ἁγίῳ additur multis, sed videtur in pluribus omitti.

Eadem verba, καὶ σοφεῖς etiam Beza redundare putat.

V.21. Quædam exemplaria Græca interponunt τοῦτο λέγων ἐφώνει, ἐφώνει· ὁ ἔχων τοῦτο ἀκουέτω, ἀκουέτω. Sed delenda sunt.

V.23. *Anima plus est*, Syrus habet יתירא præstans. *Corpus plus quam vestimentum.* In Græco & Syro, *plus*, abest secundo loco.

Alia exempla præponunt οὐχί nonne, quod est ex Matthæo.

VERSVS 29.

Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli.

QVÆSTIO I.

Quid sit in sublime tolli.

§. 1. NOn videtur quidem cohærere cum præcedentibus; verum diuitiis maxime superbia iungitur.

In sublime tolli

V.29. *In sublime tolli* Græce est, μετεωρίζεσθαι, quod sit ea, quæ supra nos sunt curare, μετέωρα enim sunt, quæ in aere visuntur; hoc Aristophanes ait ἀεροβατεῖν *in aere ambulare.* nos in aere ædificare dicimus.

Alii interpretantur μεγάλα φρονεῖν, *superbum esse.* Theophylactus & alii; *semper alijs, aliisque inhiare, non contentum præsentibus.*

Syrus habet, nec immoretur, distrahatur אתבזבז vela nephe. Siue potius & *non distrahat vos cogitatio vestra in illis.* Est ergo μετεωρίζεσθαι nubes speculari, impium esse, vt illi, qui in sublimi sunt.

§. 2. D. Aug. l. b. 21. Euang. q. 29. de superbia intelligit, *cum diceret discipulis, non debere haberi solicitudinem de cibis, ait, Et nolite in sublime extolli. Primo enim hac ad necessitatem implendam homo quærit: cum autem hac abundauerint incipit insolescere & superbire de talibus. Tale est hoc ac si se vulneratus quis iactet, quis habeat multa emplastra in domo, cum hoc illi bonum esset vt vulnera non haberet, & ne vno quidem indigeret emplastro.*

V.31. Franciscus Lucas: *Veruntamen quærite primum regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia. Vetera manuscripta constanter tollunt primum, & iustitiam eius, legentesque veruntamen quærite regnum Dei: & hæc omnia: quibus Græca & typis excusa Syra suffragantur (nam manuscriptum Syriacum addit & iustitiam eius:) denique post D. Ambrosium Beda enarrator adstipulatur. Quare videri possint adiectitia illa esse primũ & iustitiam eius, ex Matt. 6. v. 33. huc adscripta.*

VERSVS 32.

Nolite timere pusillus grex, quia grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.

QVÆSTIO I.

An quia placuit, non sit causa prædestinationis in nobis?

§. 1. BEllarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 9. Ostendit non esse causam prædestinationis in nobis, sed in Dei beneplacito. Nam beneplacitum Dei significat primam Dei benignitatem in nos. Et idem probat ca. 15. demonstrat ne electionem quidem esse ex præuisis meritis.

§. 2. Qui vero hinc probare nituntur sententiam suam contrariam Pelagianam esse. Non intelligunt, quis fuit Pelagianus error Pelagianus: nam merita sine gratia, & ex his electionem esse asserebant; quod illi qui ex Catholicis diuinam Electionem ex præuisis meritis statuunt nequaquam merita præuisa credunt.

§. 3. Dat regnũ, quia sic statuit, sed non sine operib. eius, quorum conditionẽ requirit. Tolletus grauiter hinc in Maldonatũ inuehitur. [Maldonatus Iesuita in hũc locũ fatetur, ab omnib. interpretibus obseruari & recte quidem gratis dari regnum cœlorum: & singula verba huius textus commendare nobis Dei gratiam:

Primum

Primum enim dicitur, ἐδόκησεν, placuit, nimirum ex mera εὐδοκίᾳ: deinde, dare, id est, χαρίζεσθαι, Roman.c.8.v.32. gratis donare regnum cœlorum: & placuit Patri: regnum enim cœlorum, vt obseruare solet Caluinus, non est merces seruorum, sed hæreditas paterna. Verum nihil ad rem, quod Iesuita ille plane aliena distinctione hunc locum sic eludit, quod regnum cœlorum gratuita Dei voluntate prædestinetur, sed non sine meritis nostris detur, cum tamen Christus non vocabulo prædestinandi, sed dandi vtatur. Quod vero ait, præmia currentibus in stadio liberalitate principis proponi, sed non dari nisi rectè currenti & merenti: Respon. rectum quidem cursum à nobis requiri: Sed hic interim nihil esse nostri meriti, quia ille, qui nos prædestinauit ad vitam, prædestinauit etiam dona illa gratuita, fidem & sanctificationem & bona opera, Ephes. 2. quæ cum efficiat in nobis, nihil hic nostri meriti: nec vlla potest esse proportio regni Dei & nostrorum meritorum, vt in rebus humanis proportio esse potest inter præmium currentis & cursum.]

Verissimum est quod Maldonatus ait, prædestinationem esse sine meritis, dationem non esse: Nam qui regnum prædestinauit, etiam merita prædestinauit. Itaque placuit illi dare, sed non dare sine meritis. Neque sequitur non esse merita, quia ille bona opera prædestinauit. Nam bona opera non possunt esse nisi prædestinata & gratuita gratia data. Neque enim opera more Pelagianorum dicimus naturâ suâ grata esse.

Vers.36. A nuptiis, Syrus, à Domo conuiuii.

VERSVS 37.

Beati serui illi; quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes: Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere. Et transiens ministrabit illis, &c.

QVÆSTIO I.

Quomodo ministrat?

§. 1. ACcingitur Dominus cum ad opus se præparat, in veste enim longa erant orientales, inde cingendi & accingendi consuetudo & locutio. Sic Æneid.2.

Accingunt omnes operi.

Diligentem & sedulum indicat, & quo quis magis strenuus, eo altius iustus. Petr Sat. *Et præcincti corde altius eramus. Hinc accingere artes magicas, totis viribus*, quod est conari, nam ζωννύσθαι cingi Græci vsurpant, cum de armatura loquuntur.

Ατρείδης δ' ἐβόησεν ἰδὲ ζώνυσθαι ἄνωγεν
Ἀργείους?
Atreides clamabat, & accingi coegit
Archiuos.

Horatius

----vt omnes
Præcincti recte pueri, comptique ministrent.

Vide Ludouicum de la Cerda in l. Æneid.11.705. Sic igitur se Dominus præcingit, & fideliter ministrat seruis.

V.39. *Hora* Syrus, *Vigilia* מטתא *matatha.*

V.42. σιτομέτριον פרסא *pherasa.* quod diuisionem & dimensum significat. Σιτομέτριον mensuram tritici noster vocat; nam tritici vsus erat in Palæstina, non qualis est apud nos, panis atri, eo autem serui & liberi alebantur.

VERSVS 48.

Qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis: omni autem cui multum datum est, &c.

QVAESTIO I.

Quis seruus sciens, & quis nesciens voluntatem Domini?

§. 1. VIdetur nemo voluntatis inscius posse plecti. Ignorantia enim excusat, sed tamen tam ignorans voluntatem domini, quam sciens vapulat plagis, quamuis hic paucis, ille multis. Et quidem Legem diuinam nemo penitus ignorare potest. Iusti & iniqui discrimen omnium mentibus insitum est. vt Apostolus ad Roman. docet. Augustinus de gratia & libero arb. *vapulabit pauca, & vapulabit multa. legit.* *Ignorans etiam punitur.*

§. 2. Maldonatus de illa Domini voluntate, qua se venturum denuntiauit, intelligit.

Seruorum duplex est genus, Nonnulli plagis digna faciunt, legem naturalem violant, sed de futuro iudicio, & aduentu Domini nihil inaudierunt. Alii faciunt digna plagis, quibus tamen certo constat Dominum certissime aduenturum. In illis itaque est nonnullus Domini contemptus, quocirca grauius est eorum delictum, postquam toties moniti sunt. Plus autem petent *à manu eius* vt Syrus habet; *quia plus ei datum est.* *Serui duplices.*

§. 3. Non esse hoc de affectata ignorantia intelligendum docet S. Basil. reg. breuior. quæstion. 45. Δῆλόν ἐστιν ὁ πιστὸν σχηματιζόμενον τὴν ἄγνοιαν, καὶ ἄφοβον ἔχει τῆς ἁμαρτίας τὴν κρίσιν. Εἰ μὴ ἦλθον γὰρ, φησὶν ὁ κύριος, καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς, ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον, νυνὶ δὲ πρόφασιν οὐκ ἔχουσι περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτῶν. τῆς ἀγίας γραφῆς πανταχοῦ πᾶσι τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ διαγγελλούσης. ὥστε ἐκεῖ μὲν τῶν ἀγνοούντων ὁ πιστὸς ἐλαττον κρίνεται, ἀλλὰ μετ' ἐκείνων σφοδρότερον κρίνεται περὶ ὧν γέγραπται ὡστεὶ ἀσπίδος κωφῆς καὶ βυούσης τὰ ὦτα αὐτῆς, ἣ οὐκ εἰσακούσεται φωνῆς ἐπᾳδόντων. Φαρμακεύεται φαρμακευομένη παρὰ σοφοῦ. ὁ μὲν τοι διατεταγμένῳ τὴν οἰκονομίαν τοῦ λόγου, ἐὰν ἀμελήσῃ τοῦ ἀναγγεῖλαι, ὡς φονεὺς κρίνεται καθὼς γέγραπται. *Non excusatur affectata ignorantia.*

Qui huiusmodi est, de eo verò negari non potest, quia ignorantiam fucate prætexat, ac simulet, ac propterea peccati iudicium euitare non potest. Si enim non venissem, inquit Dominus, & locutus fuissem eis peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo: cum sanctæ literæ omnibus vbique Dei voluntatem prædicare non cessent. Quare non tanquam vnus de numero eorum, qui ignorantes fuerunt, leuiore supplicio multatur, qui eiusmodi est: sed seuerius iudicatur, vt vnus de numero illorum de quibus scriptum est: Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, medicatur medicata à sapiente. Cæterum cui docendi munus commissum est, is si annunciare neglexerit, perinde vt homicida iudicatur, sicut scriptum est.

Idem etiam quæ 267. docet, non temporis finem, sed pœnarum diuersitatem significare, contra nos qui hinc concludebant, finem aliquando supplicio- rum fore. *Paucæplaga non ad tempus sed pœnæ magnitudinẽ, referuntur.*

§. 4. Caluinus contendit ignorantiam non excusare à reatu. Homo enim mortalis de sua voluntate seruos inquirere non vult. Non est eadem auctoritas Dei filio? Rectè quidem hoc de crassa & supina ignorantia dicitur, aut etiam quæ ex aliqua

Superbia Caluini.

negligentia in peccatum prorumpit. Quod vero subdit, improbum est. *Vnde apparet quam putida sit & friuola eorum tergiuersatio, qui claram Euangelij doctrinam hodie respuentes, tali peruicaciæ Patrum insciti am obtendunt: quasi vero ad repellendum Dei iudicium sufficiat ignorantiæ clypeus.* Quis dubitat hominem rabie agitari, qui destinatâ malitiâ contra scientiam SS. Patrum ferocit. Et nos cùm Noui Euangelii, lasciui, friuoli, putidi tenebris lucem sanctorum Patrum, veteriisque Ecclesiæ inferimus, non obtendimus Patrum insciti am, sed illuminatissimam scientiam: insciti am vero dicimus eorum, qui suis opinionibus præoccupati nihil rectum putant, nisi quod ipsi sc. ipserint. Quod proprium est indoctorum, & peruicacium.

Vers. 47. Syrus: nec se præparauit iuxta voluntatem eius.

VERSVS 49.

Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi vt accendatur?

QVÆSTIO I.

Quis ignis?

§. 1. LAtina lectio *Ignem veni* mittere, & quid volo, nisi vt: Græce est εἰ ἤδη ἀνήφθη, *si iam accensus est?* Latino more legit Aug. serm. 108. de tempore. Grego. homil. 2. in Ezech. & plurimi aliorum.

Aliorum Latinorum est alia lectio, *quam volo vt accendatur*: Hier. lib. 2. contra Ruffinum Philastr. alii.

Versio Latina & Syra.

Quid volo, nisi vt accendatur? Syrus וצבא אנ אלו מן ברר חבת *vezabe ana elu men cadu ebebeth.* Et volens ego, nisi iam accensus sit. Theophylactus etiam interpretatur. Εἰ pro ὅτι, ὡς. ita eitam Clemens in recognit. *& quam volo vt accendatur.* Noster legit καὶ τί θέλω εἰ μὴ ἀνήφθη, *Et quid volo nisi accendi, vel accensum esse?* Sic etiam Syrus.

V. 50. Epiph. contra Arianos, ita citat locum coniunctum πολὺ μεῖζον ἔχω καὶ πιστεύθω ἕως ἃ πίνω αὐτός· καὶ βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἐβαπτίσθην.

§. 2. Græci de Spiritu Sancto misso, alii de verbo Dei, alii de persecutionibus intelligunt. De Spiritu Sancto Chrysost. hom. 6. in Matth. Hier. loco citato. Bernh. serm. 1. de purificat. Greg. Nazianzenus. Hinc lucernæ ardentes in manibus.

§. 3. Etiam verbum Dei interpretatur Augustinus lib. contra Arianos cap. 13. Theophylactus. Contra vtramque interpretationem obiiciunt, Eam non cohærere cum præcedentibus & consequentibus: deinde Spiritum Sanctum nondum fuisse missum.

Probabili in speciem argumento ista dicuntur, nequaquam firmo. Si de connexione omnium Christi dictorum prout ea recensent Euangelistæ dicendum est, cum diuersa diuerso loco & tempore coniungant, sine causa magnas difficultates inducemus in Scripturas.

Connexio nõ necessaria.

Deinde possunt etiam ista connecti. De vigilantium seruorum diligentia & lucernis dixerat: se eum ignem, quo Dominum exspectarunt, misisse præfatetur, ne quis sibi tribueret, quod Domino occurrisset.

Quod vero Spiritum Sanctum nondum miserat, id non sic intelligendum est, quasi non fuerit ignis accensus, sed quod adhuc in cordibus arderet, & interdum emicaret, nondum publice flamma omnia collustraret.

§. 4. Ignem etiam esse persecutionum & cruciatuum symbolum in Scriptura notissimum est. Nec Ignis allegorice male instituto huius loci conuenit, ad hostium enim machinationes, omniaque aduersa toleranda instruit Apostolos. Minus tamen quadrat, quod ait Dominus, *Quid volo nisi vt accendatur.* Non enim per se gladium & iniquitatem & iras discordiasque immittit docendo Euangelium, Non tamen illas vult accendi furias, sed potius ardorem caritatis, quo sanctis illa tolerant.

§. 5. Ignem Ambrosius caritatem animis infusam interpretatur. *Non vtique illum ignem consumptorem bonorum, sed bonæ voluntatis auctorem, qui aurea Dominica dominus vasa meliorat. fænum vero consumit & stipulam, ac sæcularia omnia mundi voluptate concreta peritura eque opus carnis exurit: ignis ille diuinus, qui flammigerabat in ossibus prophetarum, sicut sanctus Hieremias dicit, Quia factus est sicut ignis ardens: flammigerans in ossibus meis. Est enim ignis Domini, de quo dictum est, Ignis ante eum ardebit. Est & idem Dominus ignis, sicut ipse dixit, Ego sum ignis ardens, & non consumens. Ignis enim Domini, lumen æternum est. Quo igneille accenduntur lucernæ, de quibus supra dixit sint autem lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes. Et ideo quia nox est huius vitæ, lucerna est necessaria.*

Alii prædicationem Euangelii.

VERSVS 50.

Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor, vsquedum perficiatur?

QVÆSTIO I.

Quid est baptizari?

§. 1. *Baptismo* inquit *habeo baptizari*, hoc est mors mihi subeunda est. Qua occasione passionis mẽtionem inducat. non est quærendum, quia ex abrupto aliquando aliis sermonibus eam interposuit, vt frequentior minus perturbet, ante prædicta. Hic tamen si quæratur, haud arduum fuerit ex contextu respondere. Ignem enim quem in aliis accenderet, in semetipso feruere ostendit.

Passionem inducat.

Mortem frequentior minus perturbet.

§. 2. Duplex igitur expositio; Prima vt sit vox mortem secundum humanitatem horrescentis. Altera vt sit solliciti & optantis, non sua sed nostræ salutis, & diuini honoris causa. Hæc vera est. Ad mortem enim properabat. Ita Ambr. Theophilact. Euthymius Iren. l. 1. c. 18.

Baptismus.

§. 3. Baptismus à mergendo ita dicitur, aquæ enim fluctus, cataclysmus, charybdis, vertex, tempestas, mare, flumina, torrẽtes, calamitatum sunt nomina. Mergi dicitur, qui calamitate premitur Psal. 65. 12. & 68. 2. & 106. 23. Aquis igitur ingens clades, & ineuitabilis comparatur. Magna velut mare contritio.

Tentatio.

Inundatio.

Baptismi desiderium Ambros. intelligit de anxietate corporis. *Vtique qui vsque ad perfectionem angitur, de perfectione securus est. Sed etiam alibi, Tristis, inquit, est anima mea vsque ad mortem. Non propter mortem, sed vsque ad mortem tristis est Dominus: quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. Nam qui corpus susceperat, omnia debuit subire quæ corporis sunt: vt esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur. Diuinitas autem communitari per hos nescit affectus.* Simul ostẽdit, quod in certamine passionis mors corporis, absolutio anxietudinis,

nam

non cœcutiatio sit doloris. Hilarius in Psal. 120. de remissione peccatorum intelligit. *Quanquam sint plures, qui spiritaliter susceptа, à fidelibus cœlestis doctrinæ præcepta sagittas velint existimari, & carbones desolationum peccatorum emundationem: atque ita accipiendum putent carbones desolationis, quia Dominus dixerit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo si iam accensus est? Non est autem dubium, peccatorum eum absolutionem & remissionem attulisse; in qua ignem iam accensum esse dixerit, quia per eum vitiorũ omnium fiat sordiumque purgatio. Accommodant autem ad hoc illud quod dictum ad Esaiam est, cum per forcipem carbone comprehenso labia eius contacta sunt: Ecce abstuli peccata tua, & iniquitates tuas purgaui.*

V. 54. Augustinus l. 2. Euang. q. 27. spiritaliter interpretatur. *Quod Dominus dicit, Cum videritis nubem orientem ab occasu: carnem suam à morte resurgentem significat. Ex illo enim omnibus terris imber Euangelica prædicationis infusus est. Austrum flantem ante æstus, tribulationes leuiores ante iudicium.*

V. 57. Syrus sic effert: *Cur autem per vosmetipsos non iudicatis veritatem.*

V. 58. *Da operam.* Syrus, *da mercedem.* חב תאגרתא *chab thegueretha.* Quod tamen ad hunc locum non admodum proprie pertinet.

CAPVT XIII.

ADERANT autem quidam ipso in tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum. 2. Et respondens dixit illis: Putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? 3. Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. 4. Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? 5. Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. 6. Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. 7. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? 8. At ille respondens, dixit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. 9. & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam. 10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. 11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. 12. Quam cum videret Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. 13. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. 14. Respondens autem archisynagogus, indignans, quia sabbato curasset IESVS: dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati. 15. Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, vnusquisque vestrum sabbatho non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adquare? 16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbathi? 17. Et cum hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ glorioſe fiebant ab eo. 18. Dicebat ergo: Cui simile est regnum DEI, & cui simile æstimabo illud? 19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo, misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam: & volucres cœli requieuerunt in ramis eius. 20. Et iterum dixit: simile æstimabo regnum Dei? 21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. 22. Et ibat per ciuitates, & castella docens, & iter faciens in Ierusalem. 23. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos: 24. Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. 25. Cum autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis: 26. Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. 27. Et dicet vobis: Nescio vos vnde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis. 28. Ibi erit fletus, & stridor dentium: cum videritis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. 29. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei. 30. Et ecce sunt nouissimi qui erunt primi, & sunt primi, qui erunt nouissimi. 31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere. 32. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor: 33. Verumtamen oportet me hodie & cras, & sequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem. 34. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti? 35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat, cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM

ARGVMENTVM.

AVdito, Galilæorum sanguinem à Pilato cum sacrificijs eorum mistum, aliud exemplum ipse adijcit de octodecim ruinâ, Siloanæ turris oppressis, & concludit; omnes perituros nisi pœnitentiam egerint : cui rei etiam parabola ficus infructuosæ seruit. Deinde fœminam sabbatho sanat, & factum defendit. Hæc vsque ad vers. 18.

Deinde de Grano sinapis, fermento, Matth. 13. Actum de Angusta portâ Matth. 7. De clauso ostio improbis Matth. 25. & 8. De venientibus ab oriente & occidente Matth. 8. De primis nouissimis, & nouissimis primis. Matth. 19.

Itaque præter illa quæ initio capitis sunt, Etiam Lucæ peculiare est de Herode, quem aiunt velle Christum occidere. v. 31. 32. 33.

Decem primi versus in Syra Ecclesia leguntur Dominicâ secundâ post festum crucis; Hoc est enim צליבא Zeliba, sic Ios. 8. צלב על צליבא *suspendit in cruce*, seu *patibulo*. Qua ex re colligimus duo: Primo, Syris fuisse vsurpatum sanctæ crucis, vti nobis, cultum. Deinde, Adeo celebrem fuisse, vt ab eo festo dominicas aliquas nominarent.

A. v. 11. ad 23. ad Vesperas hebdomadis quintæ ieiunij.

Hinc vsque ad finem in commemoratione iustorum & patrum. Iustos vocat זאנא *Cine*, quod perfectos, iustos, integros significat.

VERSVS 5.

Aderant a. quidam ipso in tempore nunciantes illi de Galilæis, quorũ sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum.

QVÆSTIO I.

Qui fuerint quorum sanguinem miscuit cum sacrificijs?

Historia de sanguine Galilæorũ in alio nullo est.

§. 1. NVsquam apud vllum historicum victimarũ & Galilæorum sanguinem à Pilato mistum legimus, nec mirum; pauca enim de Pilati gestis edita sunt, & cum vnam historiam plures conscribunt, fere quædam singularia singuli habent. Lucas nobis auctor fide dignus est.

§. 2. Quamuis igitur nemo historiæ meminerit, multi tamen de Iuda Galilæo interpretantur, de quo Act. 5. 37. & Ioseph. l. 18 antiq. c. 2. Iudas exutrexit anno Christi primo, *in diebus professionis* negabat vectigal dandum, ex Deut. 23. Cæsarem aut alium dicere Dominum etiam exquisitissimè torti recusabant, Iosephus Historiam recenset; sed sacrificij cum sanguine misti non meminit. Verba Iosephi. *Exstitit tamen post quidam Iudas Haulanites, ortus ex oppido Hamala, qui adiuncto sibi Pharisæo Saddoco, sollicitabat ad defectionem populos, cẽsum nihil aliud quam manifestam seruitutis professionem esse dictitans, & vniuersam gentem ad tuendam libertatem adhortans. Fore enim vt re bene gesta fortunis suis fruãtur feliciter, & confirmati in earum possessione laudem quoq; rebus suis cõsulant. Accipiebantur hæc pronis vulgi auribus, ita vt accenderentur ad audendum aliquid. Atq; ita dici vix potest, quantum hi viri totam gentem conturbauerint, dum omnia miscent cædibus & latrocinijs, promiscuisq; nullo amicorũ aut inimicorum respectu prædationibus & insignium virorum cædibus: prætextu quidem propugnandæ libertatis publicæ, sed reuera priuatorum lucrorum studio. Itaq; conficientibus se mutuo ciuibus, & furiosissima cõtentione certantibus, ne externus quidem hostis cessabat interim, ac ne extrema quidem fames forte superueniens potuit eos compescere, quo minus sæuirẽt expugnandis oppidis, & fundendo ciuili sanguine, donec postremũ malum eo progressum est, vt hostilis flamma Dei templum inuaderet. Adeo periculosum est patrios ritus labefactare & conuellere. Siquidem Iudas & Saddocus omnium harum calamitatum autores fuere, dum super tres pristinas sectas nouã quartam inducunt, & nouitatum cupidos affatim ad sectãtrahunt: id quod non in præsens tantum turbauit rempublicam, sed futurarum etiam cladium fuit seminarium.*

Iudas Galilæus.

Religionis prætextu sæuiunt.

Hoc igitur ad Pilatum pertinere non potuit, vt qui multo post in Iudæam venit, nempe post 23. aut 24. annos. Alij existimant non fuisse Galilæos, sed Samaritanos de quibus tamen Iosephus l. 18. c. 5. *Interea ne Samaritani quidem tumultu tamdiu caruere. Concitauit enim eos impostor quidam pronibilis ducẽs mendacium, & omnia comminiscens ad plebis gratiam iubens vt conuenirent in montem Garizin, apud eam gentem sanctissimum, asseuerans se illic eis ostensurum sacra vasa rẽfossa, quæ ibi Moses deposuerit. Illi credituli sumptis armis Tirbathamvicum insederunt, exspectantes ibi confluentes cæteros vt magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior clauum montis occupat, equitibus suis & peditibus, qui prælio congressi cũ Samaritis apud vicum collectis alios fudẽrũt, alios in fugam compulerunt: multos etiam viuos captos abduxerunt, quorum precipuos & potentiores Pilatus mulctauit capite.* Et quidem Iosephus mentionem sacrificij nõ facit, ex Hegesipp. tamen eandem narrante historiam id colligunt, ille l. 2. de excidio Ierosol. c. 2. *Quod igitur Iudæorum imperitante Tiberio acciderit, non putaui prætereundum, vt ex eo deformitas colligatur Imperatoris. Sicut. n. boni principis vita probitatis quædam descriptio, & per vniuersos viuendi forma est; ita imperatoris colluuio lex flagitiorum est. Ab eo missus Pilatus est in Iudæam, vir improbus atq; in exiguo ponens mendacii, circumuenit Samaritanos, vt montem, Cui nomen Gadir, peterent: erat enim illis sacratus, eo quod vellet eorum mysteria cognoscere. Et ascendens populum præuenit equitatu, pedestrique exercitu, strauit, afflicto crimine, quod à Romanis discedere & conciliabulum sibi quærere præparassent.* Hinc colligit Mal. donatus, alijq; oppressos in sacrificio: ideoq; sanguinem eorum cum sacrificijs mistum, & de his Lucã interpretantur. Duæ tamen rationes sunt, cur de hoc facto Pilati loqui Euangelistam non credam. Prima est, quod Samaritani, Galilæi non sunt. Samaria & Galilæa antiquitus tribu, deinde nationibus & religione distinctæ fuere, non modo situ; Christus ex Galilæa, per Samariam Ierosolymam tendens odio religionis à Samaritanis non recipitur. Ioan. 4. 20. Nego vnquã Samariã vocari Galilæam, aut Galilæos Samaritanos.

Samaritani non Galilæi.

§. 3. Neque me mouent causæ, quas adferunt, qui ex Galilæis faciunt Samaritanos. Nam par odium aiunt fuisse in Samaritanos, & Galilæos, vtrumq; in cõuitio fuisse, ideo Galilæos vocatos Samaritanos volunt. Principio mihi perspicuum est longe disparo-

Matth. Samaritanos

dium fuisse. Samaritanos ita detestabantur, vt eorum consortio non vterentur, ne in beneficio quidem, eũ tamen

Iudæi & Galilæi

Galilæis non modo ciuilia, sed religionis etiam negotia habebant communia, cærimoniasque oderant & un-

quidem

quide Galileos, vt minus pios Ierosolymitani, vt nunc quoq; vicinæ gentes sese oderunt, aut contemnunt, sed Samaritanos abominatos Dei, & religionis, iuratosq; hostes. Deinde etsi par esset contra vtrosq; odiotũ acerbitas, non ideo nomina confunderent, sed suis ex causis quosq; seorsim odissent. Nec ad rem facit exemplum, quod adfertur. Flandros Itali, & Hispani appellant & Hannones & Brabantos, sed faciũt id ignoratione vulgari, cui se eruditiores accommodant, hic locum illa ratio non habet, de vicinis & distinctissimis gentibus agitur. Quemadmodum Hollandi & Belgio vicini populi nec Flandros appellant Brabantos, nec è contrario, nemo.n. in hisce locis, aut Antuerpiam in Flandria, aut Gandauum in Brabantia collocat, ita nec Ierosolymis factum est, nec vllum exemplum dari potest. Nec veri simile videri mihi potest, Ierosolymis Galilæos qui religionis causa per Samariam veniebant Ierosolymam, eoq; in itinere plurimas lites contra cõmunes hostes exercebant vocatos fuisse Samaritanos. Sequor itaq; hic communem regulã. Verba scripturæ propriæ intelligenda, cũ nihil obstat. Altera ratio est vt mihi quidem videtur demonstratiua, nam illa clades Samaritanorũ post Christi mortẽ contigit, vt quamuis miscuerit sanguinẽ Samaritanorum cum sacrificijs, non tamen narrari hoc tempore potuerit, rũ nondũ esset factum. Nam clades illa Pilati extremo anno contigit, paulo ante mortẽ Tiberij ita loco citato Iosephus. *Tũ Primates adeunt, Vitelliũ virũ consularẽ & Syriæ præsidẽ, Pilatumq; cædis accusant, negantes desciscendi fuisse à Romanis illũ concursum in Tirathaba, sed refugii cõtra Pilati violentiã. At vitellius Marcello amico ad procurationẽ Iudææ misso, Pilatũ iussit Romam proficisci responsurum apud Cæsarem ad obiecta per Iudæos crimina. Ita ille decẽ annis exactis in sua prouincia, quũ necesse haberet parere vitellio, ad vrbem iter suscepit: quo priusquã perueniret vita excessit Tiberius.* Christus anno Tiberij 18. in cruce mortuus est Pilato anno 22. Tib. Rom. missus est, statim post cædẽ in Samaria factam. Hæc ergo ante annum 18. Tiberij à Christo narrari non potuerunt. Quin & Iosephus l. 18. c. 4. Histor. ã de Christo præmittit. Temporis igitur ratio ostendit, inter accusationẽ Pilati & cruoris in sacrificio mistionem, minimũ quatuor annos intercessisse. Nam Tiberius annos 22. Mens. 6. dies 20. Imperauit. Hæc narratio vel initio 18. vel ante contigit. Mortuus est autem dum in itinere Pilatus esset.

§. 4. Samaritanos igitur fuisse nullo argumento probatur: Galilæos aũt non fuisse probant nõnulli, quod Galilæi non essent sub iurisdictione Pilati, sed Herodis Tetrarchæ Luc. 23. 6. Idcirco .n. Dominum ille ad Herodẽ misit. Argumentũ reipsa infirmũ est. Pilatus Christũ ad Herodem inimicũ misit non quod iudicãdi potestatẽ se putaret nõ habere; sed vt nece sitatẽ innocentis damnandi à se excuteret, maluit .n. alteri scelus hoc delegare. Alioqui potestatẽ damnandi, & dimittendi sibi arrogabat. At si ipse à Galilæis offensus esset, aut spes lucri esset, haudquaquã ad Herodẽ remitteret, sed ipse se vindicaret. Nec dubiũ tanti facinoris causam prætendisse, hominẽ exercitatæ callidæq; nequitiæ, & eo ipso, quod in suo territorio crimen admissum diceret, se iudicẽ constitueret. Nec de homine importunissimo quærendũ est, quid iure potuerit, sed quid fecerit. Philo. l. de leg. ad Caium, eũ solitum ait *vendere sententias, multa rapere, iniurias inferre, innocẽtes punire, tormẽtis cruciare, ac demum morte eosdem afficere.* Nec dubito, cõtra Herodẽ aliquid egisse, vt inimici redderentur: eũ .n. ditiones conterminæ essent, sintq; inter vicinos lites, non mirum aliquid in Galilæos statuisse.

§. 5. Aliorum sententia longe diuersa est, nẽpe agi de historia quã Iosephus refert l. 2. belli c. 8. & Antiq. l. 18. c. 4. *Tũ Pilatus admiratus tam constans legum studium, continuo reportauit eas imagines Cæsaream à Hierosolymis, deinde aqueductũ struere, aggressus, est, ex sacro ærario, inducturus aquam Hierosolyma à ducentesimo stadio, id ægerrime tulit populus, & congregati per actus immensos vsq; ad multa hominũ millia, vociferationibus conabantur eũ deterrere à proposito, nonnulli vero ita vt fit apud inconditã multitudinem, ẽt conuicijs lacessebant præsidem. At ille milites sub populari habitu clam armatos fustibus, iussit reliquã multitudinẽ corona cingere, & quam primũ vulgus cœpit iacere conuicia, dedit illis signum ex composito. Illi supra quam mandatum erat vsi sunt fustibus, tumultuatores & quietos cœdentes nullo discrimine. Ibi iam inclementer accepti inermes ab instructis, pars occisi sunt, pars dissẽserunt saucij, atq; hoc modo compressa est seditio.* Verũ hic nihil de sacrificijs agitur; nã ad tribunal eius cœsi sunt, nec modo Galilæi, sed ciues Ierosolyminitani, quiq; ex agris conuenerunt, nec dubium quin et am Galilæi, adfuerint, vt qui Zelosi & imperterriti essent, & sub Herode non Pilato victuri.

§. 6. Itaq; nulla est apud vllos autores certa Historia quemadmodũ nec est de casu turris Siloanæ. Hoc tamen certũ est, Galilæos fuisse, non Samaritanos ex illis quę dixi. Quod ẽt ex eo cõfirmatur, quod quæstio illa ita Domino proposita est, vt inquirerent: vtrũ ob grauia eorũ peccata id factũ esset: Ideo.n. Christus respondet: *Putatis quod si Galilæi fuerint præ omnib. Galilæis peccatores.* Nã de Samaritanis quos tanquam dæmoniacos & veneficos habebant non magnopere sollicíti futuri erant, nec de causa interitus dubitaturi. *Causa quæstionis propositæ.*

§. 7. Etiam certũ videtur Galilæos eos Deo Ierosolymis sacrificia obtulisse, non in Garizin monte neq; alibi idolis sacrificasse. Nã Galilæi legẽ Iudaicã sequebantur, & quãuis ex illis multi idololatræ essent, non tamẽ in illis quęstio locũ haberet. Nã si idololatra in ipso crimine puniatur morte, non magnopere causa mortis inquiritur, nec cũ admiratione proponitur. At si homines qui nullo scelere infames sunt cũ victimis suis cœdantur, & cruores misceantur vt velut piacula ad iram Numinis placandã mactati offerantur, id inusitatũ genus pœnę est, ideo raræ ẽt malitiæ videtur esse supplicium. Quemadmodum igitur de cœco quęrebant discipuli Io. 9. 2. *quis peccauit, hic, an parẽtes eius cœcus vt nasceretur?* Ita & hi quærunt, quid illi peccarint, aut sane dubitabant, vt constat ex Domini responso, quod idẽ de oppressis turris casu sentiendũ. Nã eos ẽt peccatores præ cæteris existimabant. Cõmistionẽ aũt sanguinis cũ sacrificio velut ignominiosã Pilatus effici curauit, dum .n. adducerentur victimæ, & cęderentur; sanguisq; effunderetur, Pilatus Galilæos suis hostijs astãtes trucidari simul iussit, & in victimarũ sanguine volutari, aut eodem in loco effundi sanguinem. *Sacrificãs dæmoni, non mirũ, si ab eo occidatur.*

§. 8. Cur homo nefarius sacrificio sanguinẽ miscuerit Galilęorũ, incertũ est; an quia ex secta Galilæorũ erãt, vt nec Cæsarẽ, nec vllũ Dominũ nisi solum Deũ dicerent. An quia vsitatũ humanas hostias offerre in Asia? Imo & Romæ? *Sanguine placabant humano Numina, Sanguine vetos emimus,* ait Seneca. Iã olim apud Chananęos vsitatũ, inde Charthaginẽ, & in Græciã mos crudelis manauit. Hinc.

Aulidè propacto Triuiæ Virginis aulam
Iphianassai turparunt sanguine.

Eodem modo Metellus filiam immolare iussus est Plutarch. Parall. Dianam humano sanguine gaudere persuasum erat. Eutyp. in Tant.

αὐτὴ δὲ θησίας ἥδεται βροτοκτόνοις.
Ipsa vero hostijs gaudet quibus homines cæduntur.

Crediderim tamen hominem impiũ, ingenti Iudæorũ flagrantem odio, in contumeliam religionis id fecisse, vt pariter sontes plecteret, pariter sacris illuderet. Nã cæteris eorum Religionem oppugnauit, primo inferendo Clypeos & dedicãdo, vel vt Iosephus Cæsatis imagines, ita nunc cum hos sacrificatum venisse intellexit, simul hostias esse voluit. *Pilatus odio hominum, & religionis sanguinem miscuit.*

§. 9. Non dissimile factũ, licet minus crudele, Samaritani ediderunt in tẽpli contẽptũ de quo Ioseph. l. 18. ant. c. 3. *Cæterũ Coponio, quẽ cum Quirinio missum diximus, Iudæam administrante huiusmodi quiddam accidit. In festo azymorũ, quod Pascha vocamus mos est sacerdotib. post mediam* [illegible] *noctem* *Samaritani templa sparguntur*

noctem aperire templi annuas tunc igitur quam primum aperta, Samaritani quidem clam ingressi Hierosolyma, sparserunt ossa humana per porticus, & per totum templum: quo factum est vt posthac sacerdotes solito diligentiores custodias agerent.

Horum profanam impietatem Pilatus vicit, non modo templi sanctitate violata, sed singulari etiam erga cœsos crudelitate, quasi diti capita illa deuoueret, aut quasi adeo detestabiles essent, vt eorum cœde nullum Deo gratius sacrificium offerri posset.

VERSVS 2.

Et respondẽs dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, qui talia passi sunt.

QVÆSTIO I.

Quomodo omnes similiter perituri dicuntur?

Non perituri eodem genere pœna.

§. 1. NOn eodem genere pœnæ perituri dicuntur. Etsi enim multi in templo & circa templum sanguinem fuderint, capta vrbe, & durante bello, vt Cyrillus, D. Thomas & alij docent, non tamen ad omnes pertinet; imo cum ista post multos annos contigerint, tempore Vespasiani plerique qui tunc auditores erant, ante illud tempus defuncti sunt.

Omnes qui pœnitentiam non agunt æternum pereunt.

§. 2. Cõparatio est igitur inter præsentes, & eos qui perierunt. Vos, inquit, illos præ cæteris putatis peccatores fuisse, at non ita est. Ex vobis multi sunt aut æquales, aut deteriores, ideoq; *nisi pœnitentiã egeritis, similiter*, hoc est, æque atq; illi peribitis, aut præsente vindicta, & æterna; aut æterna, multi enim improbi blanda morte obeunt. Imo vix mors facilior, si naturã spectes, quã subito casu turris opprimi, in illo enim momento vix dolor locum habet. Nec sine causa secum magnanimus ille apud Senecam, cum duceretur, disceptabat; An in momento quo ceruix abscinderetur esse dolor posset? *Omnes* ergo, inquit *peribitis*, & quidẽ æternũ; nam mors illa quæ vobis formidabilis videtur, omnibus communis est; nec signum criminis est, vel sanguis gladio haustus, vel corpus mole obtritũ; ex morbis enim fere mortes sunt acerbiores. Nunquã igitur ex mortibus solis de vita iudicandum est. Deus enim vti ex fortissimis quosdam eligit, vt martyrio religionem asserant, non tamen omnium fortissimos, sed vt in paucis ostendat, quæ vis sit gratiæ cœlestis, ita quoq; è malis quosdam horrendo, aut nouo supplicio in omnium oculis plectit, vt inde quisque discat, quid sibi exspectandum sit, nisi pœnitentiã agat.

QVAESTIO II.

An sine pœnitentia peccatores fiant Iusti?

Ante pœnitentiam hostes sunt

§. 1. DOgma impiũ, & moribus deprauandis à Satana sparsum est: Iustitiam antecedere, sequi pœnitentiã, ante pœnitẽtiam impios iustificatos esse: quod è diametro Christi verbis repugnat, qui loquitur impijs, minaturq;, *nisi pœnitentiam egerint, omnes similiter perituros.* Ante pœnitentiam igitur sunt in censu pereuntium, per pœnitentiam seruantur, si ante pœnitentiam iusti, igitur ante pœnitentiã omne periculũ discussum est; non enim perit iustus. His igitur refutatur impia illa Sibrandi & rigidorum Caluinianorum hæresis. *Itaq; impossibile*, (aiunt) *est, impium per pœnitentiã iustificari.* Sib. p. 101. & illa: *Homo non agit pœnitentiã antequam iustificatus sit, adeo ne potest quidem.* Quos alij hæretici collegæ etiam serio refutant.

§. 2. Quin etiã hinc conuellitur altera hæresis, qua dicunt fidem tantummodo, qua se credant iustos requiri, vt iusti sint, quos enim Christus reprehendit, iustos se credebant, & tamen Christus pœnitentiam exigit, & se quidem non ignorabant peccasse, sed remissa peccata credebant, eos autem qui talia passi fuerũt, in peccatis hærere, imo fuisse peccatores præalijs, πάντας γαλιλαίους, scilicet ἄλλους vel λοιπ῀ς *præter omnes Galilæos alios*, vel vt Syrus habet יתיר *Iathir* abundantius peccatores, est enim יתיר *Iathar* πε῀ρισσεύειν, *abundare, superare.* Hos ergo cum alijs similiter, seu pariter vt Syrus habet, אבנתהון *Achnathehun*, *Hoc est sicut illis perditis*, manente tamdiu scilicet peccato, quam diu pœnitentiam non retractatur.

VERSVS 4.

Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloë & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitãtes in Ierusalem.

QVÆSTIO I.

Qua turris Siloe?

Siloe vrbs huic non pertinet.

§. 1. SIloe vrbis nomen est in tribu Ephraim Ios. 21. b. & 22. 9. Ier. 7. 12. de qua tamen hic non est mẽtio: qui enim oppressi sunt, habitatores Ierusalem fuerunt, qua in re Erasmus hallucinatur. Vrbs שלה olim destructa fuit. Ier. 7. 12. Sed tamen postea restauratam fuisse non est incredibile. Græci vrbem vocant Σιλωὰμ, hic est, שלח *Scheloch* ἐν τῷ Σιλωὰμ, in loco qui dicitur Siloam aut sane in riuo, vel piscina Siloam dicta, שלח שער רעין *schiloch schachar dachan* πλὴν πυλῆς *porta sontis Silo*, qua Christus asello vectus est, ita dicitur Nehem. 2. & 12. eam refecit Sellũ, Nehem. 3. Iosephus vocat portam Essenorum bellil. 6. cap. 6. quod per eam ad Eugaddim solitudinẽ commearẽt: fons Siloe ad radices Sion est Is. 8. Ioseph. l. 6. c. 7. Nehem. seu Esd. 2. c. 2. *Fluit cum silentio*, & domui Dauid assimulatur, ad fontẽ turris fuit, dicta משלח בגדל πυργὸς ἐν τῷ σιλωὰμ, *turrũ in Siloam*, de qua hoc solum loco est mentio. Syrus dicit turri, בשילוחא *In schilocha.* Christus debitores vocat peccatores.

§. 2. Quid decem & octo ibi egerint, quales fuerint non constat. In lectione huius loci est nonnulla varietas. Quidam libri habent *Et sicut* alij, vt Bedæ, *sicut &*. In Græco est ἢ pro *sicut*, itemque in Syro. Interim diuinis iudicijs ratio constat suis, plectuntur quidam, vt alij corrigantur, nam tormenta paucorum sunt omnium exempla, vt ait Cyprianus *de lapsis*.

VERSVS 6.

Dicebat autem & hanc similitudinẽ: Arborem fici habebat quidam plãtatam in vinea sua, & venit quærens fructũ in illa & non inuenit.

QVAESTIO I.

Quomodo cohæret parabola ficus cum præcedentibus?

§. 1. IAm crebro animaduerti diuersas ex varijs Christi concionibus sententias coniungi, nec ordinem connexionemque, sed rem ipsam & doctrinam spectandam. Hoc tamen loco, quia apparet connexio ex eaque parabolæ scopus, non est omittenda illius expositio. Omnes nisi pœnitentiam agerent, *perituros*, vt Galilæi & quos turris obruerat, prædixit; *securitati* Hic alij omnino non credebant, alij lõgos sibi annos promit-

promittebant, paucos enim ad eum modū perite exercebantur, cum multorum improborum diuturnā felicitatem viderent. De qua Dauid Psal. 72. Omnium cogitationibus hac similitudine Dominus occurrit & securitatem exitio suo in dormientem vellicat, excitatque.

§. 2. Ficum plantatam in vinea dicit, quia ita in Palestina consuetum erat, simul quibusdam locis plura serebantur. Plinius l. 18. natur. Hist. c. 22. *Cuitas Africain mediis harenis, patentibus syrtis leptinque magnam, vocatur Tacape, felici super omne miraculum riguo solo: ternis fere mill. passuum omnem partem fons abundat, largus quidem, sed certis horarum spatijs dispensatus inter incolas. Palma ibi pragnandi subditur oleæ, huic ficus, fico Punica, illi vites: sub vite seritur frumentum, mox legumen, deinde olus, omnia eodem anno, omniaque aliena vmbra aluntur. Quaterna cubitorum soli in quadratum, nec vt à porrectis metiantur digitis, sed in pugnum contractis, quaternis denarijs venundantur. Super omnia est, biferam vitem bis anno vindemiare. Et nisi multiplici partu exinaniatur vbertas, pereunt luxuria singuli fructus. Nunc vero toto anno metitur aliquid conflatque fertilitatis non occurrere homines.*

Ficus est quisquis in vinea Domini consitus est. hoc est in Ecclesia vt ferat fructus dignos pœnitentiæ, at arbor illa optimo in solo sterilis & infructuosa, nec fructus ferebat, nec ligno vtilis erat, foliorum tantum luxuria spectabatur, & vites premebat. Ingenium Iudæorum ad vium ficus illa exprimit. Ex optima stirpe oriundi, electam terram habitantes prophetarum cura, miraculorum multitudine edocti, iam multos annos nullum fructum ferebant, & tamen cum aduersi aliquid alijs accidere viderent, iustas scelerum pœnas illos dare iudicabant. Parabola igitur illa non modo illos peccatores esse declarat, sed etiam cur nōdum pœnas luant ex Dei benignitate, non ex eorum merito prouenire demonstrat, omnino tamen fore, vt tarditatem grauitate compenset. Huc pertinent verba 2. Petr. 3. 9. & Isa. 5. 2. Venit igitur Dominus crebro, sed sterilem inuenit arborem, siue per alios, siue per se venit. Item l. 4. c. 70. per prophetas venisse nūc ipsum visere. *Sedet arboris sici parabola, de qua Dominus ait: Ecce iam triennium venio, quærens fructum in hac arbore sici, & non inuenio. per Prophetas aduentū suum significans, per quos venit aliquotiens iustitia fructum ab eis quem non inuenit, aperte manifestauit, & quoniam excidetur arbor propter prædictam causam.*

Nec modo sterilem, sed terram pigram καταργῆ effectam, inanem, & irritam reddit. Syrus מְבַטְלָא *mebatla* hoc est ociosam, cassam, sterilem facit, sic reguū vocant quod rege vacat, nec iuuat cultura, aut ablaqueatio, nam per fossionem omnia illa intelliguntur. Fodiam. Syrus אַפְלִיחָה *Aphlichiach, colam*, profodiā, Temporis etiam ratio accurate subducta est, singula enim momenta nobis obijciet iustus iudex, quæ ad pœnitentiam dedit.

§. 2. *Ex quo* infirmum est, quod ex hoc quidam cōijciunt, quartum iam annum esse prædicationis Christi, non enim de se, sed de patrefamilias loquitur, & tempus incertum pro certo ponit. Deinde potuit venire circa finem anni primi, deinde secundo, & tertio. Ficus aliquas anno primo, alias secundo, omnes tertio anno fructus ferre aiunt, si tertio anno fallant desperatum esse. Itaque sensus est exspectari pœnitentiā & cum iam diu differtur, arborem excindi, mystice interpretantur, statum legis naturæ, Mosis, Gratiæ, statum Iudæorum, sub iudic bus regibus, Pontificibus, & de ætatibus hominis, ad adolescentiam, virilem ætatē, senectutem, sed hæc literalia non sunt, nec inidonea, omni enim tempore paratos esse nos iubet, qui semper fructus inuisit.

§. 3. Hinc & bonorum operum necessitas pœnitentiæque probatur, si enim non tulerit fructum, excindendam vinitor ait, ne terram inutile pondus occupet. *Si quidem tulerit.* Atticorum propria est illa aposiopesis seu ἀναντιπαθότον, vt Budæus monet, not. prior. in pandectas. Sensus est, *Si quidem tulerit fructum, relinquetur.* bene opera sumptuq; collocato. *Sin autem perstiterit sterilis; in futurum* εἰς τὸ μέλλον, Syrus, לְבוּא הֵי *lamachai, cur viueret.* Quid legerit Syrus conijcere non possum. Sensus quidem coharet, non tamen verba. Sensus est: Sin autem; cur viueret? Verba non conueniunt, à quibus ita Syrus ab re non solet. Cur enim Græca verba: εἰς τὸ μέλλον ἐκκόψεις αὐτήν vertens et: *cur viueret? excindes eam?* erratum igitur in Syra scriptione arbitror; ita nunc legimus לְבוּא הֵי תִבְסְקִינַהּ *lema chai thychsekiach* quod est, ad quid viueret? excindes eam. Quod si vnam literam mutemus, sensum qui in Græco & latino est, inueniemus, & pro הֵי *Chai* legamus חַר *Char*, non autem miram esse harum literarū mutationem hoc ostendit quod ר & ד sola fere magnitudine differāt. Itaq; legendum censeo לְבוּאחַר *lemachar*, quod est, *in posterum*, nam מְבוּאחַר *Meuchar*, est *subsequens, succedens*, אַחַר *achar* post, solet autem in talibus ר interdum omitti, interdum poni, pro dialectorum varietate. Hic אַרְחַרְן *oncharan*, dicitur alias, addito vau, vt אַחֲרִין *acharin*. Alij eodem omisso, & אַחֲרִית *acharit, nouissimum*. Imo aliquando additur ר vt אַרְחַרוּר *ichar, mora*, tarditas; pro אַחַר *achar*. Sed hic cuiq; suum iudiciū esto. Eadē est in Syriaca currente similitudo Chai ܚ quod si scribas ܪ est char, ita vt in versione, vel conuersione literarū potuerit mutatio fieri. Idem dicendum de ד. & ט. hoc est, r. & i. cum alijs non connectantur literis, nisi enim accurate scribantur, non nisi situ differunt.

Syrus retinet *lema chai thychsekiach* quod est, ad quid viueret? excindes eam. Quod si vnam literam mutemus, sensum qui in Græco & latino est, inueniemus, & pro הֵי *Chai* legamus חַר *Char*, non autem miram esse harum literarū mutationem hoc ostendit quod ר & ד sola fere magnitudine differāt. Itaq; legendum censeo לְבוּאחַר *lemachar*, quod est, *in posterum*, nam מְבוּאחַר *Meuchar*, est *subsequens, succedens*, אַחַר *achar* post, solet autem in talibus ר interdum omitti, interdum poni, pro dialectorum varietate. Hic אַרְחַרְן *oncharan*, dicitur alias, addito vau, vt אַחֲרִין *acharin*. Alij eodem omisso, & אַחֲרִית *acharit, nouissimum*. Imo aliquando additur ר vt אַרְחַרוּר *ichar, mora*, tarditas; pro אַחַר *achar*. Sed hic cuiq; suum iudiciū esto. Eadē est in Syriaca currente similitudo Chai ܚ quod si scribas ܪ est char, ita vt in versione, vel conuersione literarū potuerit mutatio fieri. Idem dicendum de ד. & ט. hoc est, r. & i. cum alijs non connectantur literis, nisi enim accurate scribantur, non nisi situ differunt.

Syrus retinet

VERSVS II.

Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum suspicere.

QVAESTIO I.

Quis Spiritus Infirmitatis?

§. 1. MOrbum fuisse à dæmone malo immissum, & continuatum. Possunt enim varijs morbis energumenos vexare, vt constat ex B. Iob. Duplex autem malum inscios illos attrit, quod crucietur morbo, & causarum ignoratio medicos consulere cogat, ideoque & opes effundantur. *Dæmones morbos inferunt.*

§. 2. Morbum autem fuisse, quo in terram curuabatur, ex eo constat, quod v. 13. dicitur & confestim erecta est. Itaque non sola potentia sua nequam Spiritus, sed etiam morbo affectis neruis visceribusq; miseram inclinabat. Inter lex mala quæ adferunt hominibus dæmones, tertium est apud Petrum Thyreum p. 1. disp. de dæmoniacis. *Quod naturalem hominum formam interdum destruant, & nescio quam peregrinam, humanis functionibus minime conuenientem inducant. Et huius exemplum sacra literæ suppeditant in muliere, quæ decem & octo annis ita inclinata incessit vt sursum respicere prorsus nequiret. Tale malum quemadmodum & secundum illud, cuius præcedenti Thesi mentio facta, mulieri obsessæ attulit dæmon per S. Bernardum aliquando electus. Is siquidem miseram & visu & auditu, & loquela priuarat: & eiusdem linguam sæpe in modum proboscidis elephantinæ protrudebat: vultum quoque ita deformabat, vt monstrum non hominem referret.* *Dæmon formam mutat.*

Quāuis vt primo loco ponit Spiritū infirmitatis. *Hic primū frequentissimumq; est, quod occultis quibusdā rationibus, quibus medicorū arte remediū adferri nequit, excruciet, & torqueāt. Vnde & Spiritus infirmitatis dicuntur Luca 13.*

ita illo-

Exempla morborum à dæmone illatorum.

ita illorum quidam virginem afflixit, cuius B. Hieronymus in vita Hilar. meminit. Ita alius principis cuiusdam filiam, cuius in vita Theodori Archimandritæ fit mentio, viginti annis, morbo grauissimo excruciauit: Qui tamen morbi autor ignorabatur: donec puella ad sanctum virum adducta, ipse se prodere coactus est. Ita tertius Petrum, filium cuiusdam Cauponis: cuius in eiusdem Theodori vita describitur curatio, vexauit. Grauissima enim ille cordis patiebatur tormenta: sed quod à dæmone illa afferrētur, ignorabat. intellexit autem confessione S. Theodori; qui & obsessi faciem cruce lignauit: & cor eiusdem pulsando, dæmonium abegit. Vtrumque hoc in vita Theodori recenset Georgius presbyter, eius discipulus, apud Surium Tomo. 2.

Plura apud Delrionem nostrum in disquis. magicis videre licet. Infirmitas igitur fuit, quam Christus sanauit, & autorem causamque morbi dæmonem pepulit.

Quidam habent ἐν ἀσθενείᾳ πνεύματος, *in infirmitate Spiritus* quod nequaquam probandum. Erat vero συγκύπτουσα, μὴ δυναμένη ἀνακύψαι, *Incuruata, non valens se erigere.* Sunt autem contraria ἀνακεκυφὼς & συγκεκυφὼς, *antrorsum incuruus*, & *retrorsum recurruus*, hinc ἐμπροσθοτονικὸς, & ὀπισθοτονικὸς. Quæ sunt corporalium vitiorum, & quæ inde nascuntur conuitiorum nomina. Christus omnia persanat, frementibus hostibus, populo plaudente. v. 17. ob omnia quæ ab eo gloriose fiebant pro quo Syrus, *Pro omnibus mirabilibus quæ per manum eius fiebant nam* תמיהתא *themihatha, miracula* significat.

Hypocriseos ira.

Grauem fuisse archisynagogi, indignationem textus significat, non dolore violati sabbathi, nam synagogam sabbato aperiebat, & turbas aduocabat, indignabatur & Christū calūniabatur, asinos adaquabat, sed Christi gloria vrebatur. Syrus habet בר מיהמת *Kad Methechamath.* quod expressit quod Græcus habet ἀγανακτῶν quod est valde ægre ferre, vt & Syrus habet, *excanduisse.* Hypocrysis enim plura & grauiora pietatis indicia, quam virtus habet, sic præficæ miserabilius quam verè dolentes flent, & lessum exhibent ridiculum. Verum Dominus in apertum hypocritæ latentem inuidiam protraxit, ridendamq; proposuit.

Hypocritæ stoliditas.

§. 3. Singula verba vim habent, asinus, bos filiæ Abrahæ opponuntur, eorum sitis iumentorum vexationi quæ est à Satana, mora vnius diei annis octodecim, labor adaquandi, & reducendi, soluendi & ligādi, impositioni manuum. Quæ ita clara erant, vt asini & boues pro Christo & muliere, contra se, & hypocritam causam dicerent, si loqui possent.

VERSVS 31.

In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.

QVAESTIO I.

Verene Herodes Christum voluerit occidere?

Falsa pericula commenti, in vero non monerent.

§. 1. IOannem prœconem occiderat, spargebant famā Christo etiam infensum esse. Verum certum argumentum est, id falsum fuisse, alioqui non monuissent, occisum enim cupiebant. Itaque inani metu eū percellere, quod grauis esset præsentia sancte viuentis, & scelera reprehendentis. Eum in modum videmus sanctos esse impijs graues, etiam ad videndum. Nec alia de causa Senecam Nero occidit, nisi quod licentiam scelerum suorum illius vita minui videbat. Pharisæi igitur dum amicos se simulant pessimi sunt. Sunt qui putēt Iesum apud Herodem à Pharisæis accusatum, ab eo ad necem quęsitum esse: sed vt dixi, si per Herodem necem illi machinati fuissent, fugam non suasissent.

VERSVS 32.

Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor.

QVAESTIO I.

Cur Vulpem Herodem appellet?

§. 1. NOn dubium quin ob fraudes & dolos. vt l. 4. Ingenium Herodis. exponit Irenæus. Erat vero Herodes Antipas qui Ioannem occiderat, ficta calumnia quasi seditionem moueret. Ignobili enim animo erat & Romanorum præsidum mancipium, alienis supplex, in suos erat sæuus.

Libere hominis improbi mores perstingit, vt offēdat se minime eum timere, ideo illos ipsos adeū mittit, vt qui minas finxerant, & pericula, verum responsum ad regem perferrent, discerentque apud Messiam nullam minantis esse auctoritatem.

§. 2. Nec tamen deinceps accusarunt apud Herodem, cum videretur occasio præclara; nam principi conuiciari capitale erat, Imo nec huius rei mentio fit, cum apud eundem Herodem Hierosolymis accusaretur, vt facile appareat ficta omnia fuisse.

§. 3. Porro Herodis improbum & dolosum erat ingenium, quod maxime potentes dedecet, vulpes plus dolo quam vi nocet, imo se dolo tuetur. Pindarus ode 4. Isthm. ἀλώπηξ

Λεπτᾶται ἀναπίτνα μῆδα.
ῥόμβον ἴσχει, χερὶ δὲ πᾶν ἐρδοντ' ἀμαυρῶσιν τὸν ἐχθρόν.
Vulpes quæ resupinata impetum aquilæ cohibet.
Oportet vero omnia facere vt hostem labefactes.

Ita & apud Homerum odyss. 11.

κτείνῃς ἠὲ δόλῳ, ἢ ἄμφαδον ὀξέϊ χαλκῷ.
Occidas aut dolo aut palam acuto ære.

Quando occulta consilia, & stratogemata bello locum habeant, dixi l. 10. polit. magnifica magis quam vera sententia in iusto hoste.

ἐσθλὸς ἀνὴρ ἔυψυχος ἀξιῶι λαθρῃ
κτείνειν τὸν ἐχθρόν, ἀλλ' ἰὼν κατὰ σῶμα.
Nemo hostis animosus conatur clam hostem perimere sed irein aduersum palam. Etsi enim ptiuatorum fraudes improbæ sunt, in iusto tamen bello non sunt fraudes, sed consilia recta, & prudentia, aurea sententia Brasidæ apud Thucyd. l. 5. belli Peloponnesiaci, τὰ κλέμματα ταῦτα καλλίστην δόξαν ἔχει ἀντὶ πολέμιον μᾶλλον ἀπατῆσαι, τὸν φίλον μᾶλλον ἂν ὠφελῆσαι *stragemata illa maximam habere gloriam, quum quispiam hostem decepto maxime, amicis plurimum vtilitatis attulerit.* Verum nihil tale in Herode, qui calumnijs periurio, adulatione, omnia miscebat. Nam & Ioannē calumniose occiderat, vt à fratre Philippo exceptus hospitio, clam cum eius vxore, de matrimonio pactus est. Ioseph. ant. l. 18. c. 7. Quin etiam clam contra Tiberium conspirarat, & iū Artabano Partho fauebat, arma pro 70000. armandis habebat, vt est apud Iosephum l. 18. ant. c. 9. Quam ob causam in Gallias relegatus est. Atq; hinc apparet, cur eum Christus omnium cognitor vulpem appellarit. Hæc enim cum moliretur, mire tamen in speciem Imperatores colebat, vrbes honori eius exstruebat. Vt Iosephorin Iuliada, vt habet idem Ioseph. l. 18. ant. c. 3.

Herodis.

QVAESTIO II.

Quid hodie & cras & tertius dies?

Dies significat.

§. 1. AVg. l. 2. de cōsensu Euang. c. 75. & 76. spiritua-liter interpretatur, verba eius sunt cap. 75. *Sed quia*

quia non dicit, quod inde tunc abcesserit, vt non veniret nisi eo tempore quo tam illud diceretur, perseuerat quippe in itinere suo donec veniat Ierusalem: atq; illud quod ait; Ecce ego ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertio die consummor, mysticè ab illo & figuratè dicta intelliguntur. Neque enim eo die passus est, qui est ab hoc die tertius cum continuo dicat. Oportet me hodie & cras & sequenti ambulare, cogit profecto etiam illud mystice intelligi, quod ait, non videbitis me donec veniat cum dicetis. Benedictus qui venit in nomine Domini: de illo suo aduentu, quo in charitate venturus est, hoc significans, vt illud quod ait, ejicio dæmonia & sanitates perficio, hodie & cras, & tertio die consummor, referatur ad corpus eius quod est ecclesia: expelluntur enim dæmonia cum relictis paternis superstitionibus credunt in eum gentes, & perficiuntur sanitates cum secundum eius præcepta viuitur postquam fuerit Diabolo & huic seculo renunciatum vsq; in finem resurrectionis, quatenus tertiâ consummabitur, hoc est, quæ propter ad plenitudinem Euangelicam per corporis etiam immortalitatem perficitur Ecclesia.

§. 2. Cyrillus, Theophyl. alij, *hodie & cras*, aliquod vitæ tempus, & tertium diem vocari id quod duos dies sequitur. ita sensus est, sibi tempora viuendi, miracula faciendi, moriundi, constituta esse, non pendere à Tyranni ructu, Oeconomiæ suæ mystericia. Moris autem est apud Hebræos tempora per dies significari. Itaque eo pertinent omnia, vt se de Herode securum ostendat.

§. 3. Τελειοῦμαι est ita finire vt perficiaris, est etiam ad ætatem peruenire, sic Hebræi. Forte allusio est ad sacrificia. Erasmus actiuè interpretatus est, sed non adest accusatiuus, qui non nisi durè subaudiri potest.

§. 4. Hæbræorum illum morem esse, vt per dies tempora designentur notius est, quam vt indicare oporteat. Diuisione autem, etiam tempus significare vitatum est, sic Gen. 31. 5. *sicut heri & nudius tertius*, vbi non de vnâ alteraue die sed de præterito tempore loquitur, & Exod. 21. 36. 4. Reg. 13. 15. Hebr. 13. 8. *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula*. Sic de futuro dicitur *cras*, siue longum, siue breue tempus indicare volunt. Iosue 4. 6. & 22. 18. *cras dicent filij vestri filijs nostris* & v. 27. Eccles. 20. 16. Isaiæ 56. 12. consentiunt enim Hebræo מָחָר *mathar*. quod est, *cras*, pro tempore subsequente poni, siue propinquo, siue remoto, multi sic illud interpretantur; *& respondebit mihi cras iustitia mea*, hoc est quocunque tempore causa inter nos discussa fuerit.

VERSVS 33.

Verumtamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.

QVÆSTIO I.

Quam diu oportet eum ambulare?

§. 1. HOdie & cras & subsequenti die, quamuis enim sequenti die se dixerit consummandum, tamen in fine illius diei consummatio futura est. Syrus tamen habet, *oportet me hodie & cras operari* אסעיר *esghur*, *& altera die ambulare*, quæ lectio clara est, sed contra pleraq; Græca, & Latina exemplaria omnia.

§. 2. Quod vero dicit *verumtamen*, ad vltimum diem refert, *& tertia die consummabor*. Etsi enim mortem obiturus sim, tertiâ die tamen eâdem etiam ambulabo, officio fungar, nec longo tempore in carcerem vti Ioannes includar. Itaque mihi aduersatiua particula aliud indicare videtur. Iusserat nunciari Herodi, se hodie & cras officium suum peracturum, & deinde sequenti die τῇ ἐχομένῃ, hoc est, consequente tempore consummandũ. Nunc ad præsentes sermonem in hunc sensum. Quamuis meo arbitratu viuam hodie, & cras victurus sim, de Herodis sæuitiâ securus, & deinde consummandus, non tamen diutius hic hærebo, aut moriar. Sed hodie & cras & sequenti oportet me ambulare, vt sensim veniam Ierosolymam, ibi enim agonis mei locus est. Hoc ex eo clarum est, quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem. Exemplaria ergo quæ habent ἐρχάζεσθαι pro πορεύεσθαι corrigenda sunt, & nullius interpretis testimonium habent

QVÆSTIO II.

Quomodo non contingat Prophetam perire extra Ierusalem?

§. 1. GRæcè est οὐκ ἐνδέχεται, *non solet fieri, non contingit*, quod quidem absolutè interpretantur, non quod non multi extra Ierosolymam occisi sint, sed quod in eâ multi. Itaque hyperbolen putant. Verum cum Ieremias in Ægypto, Ezechiel in Chaldæa, multi in Israële occisi sint, & in Machetunte nuper Ioannes Baptista; mihi non videtur vsus hyperbole Christus, quæ statim redargui posset. *Multi Prophetæ extra Ierusalem occisi.*

§. 2. Verior itaque alia expositio, de se Christum loqui, non enim Messias extra Ierosolymam mori debebat. Necessitas est hæc hypothetica non absoluta. Posita enim prædictione Prophetarum & præscientia in sensu composito, non potest non fieri, quod alioqui contingens est. Qua de re alibi dictum est. *Christus se negat extra Ierusalem moriturũ.*

CAPVT XIV.

ET factum est cum intraret IESVS in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. 2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. 3. Et respondens IESVS dixit ad Legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si licet Sabbatho curare? 4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac dimisit. 5. Et respondens ad illos dixit: Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbathi? 6. Et non poterant ad hæc respondere illi. 7. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos. 8. Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, 9. & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. 10. sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco: vt, cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus: 11. quia omnis, qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. 12. Dicebat autem & ei, qui se inuitauerat: Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neque

que vicinos diuites: ne forte te & ipsi reuocent, & fiat tibi retributio. 13. sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: 14. & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. 15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. 16. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. 17. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. 18. & cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excusatum. 19. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum. 20. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. 21. Et reuersus seruus nunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. 22. Et ait seruus: Domine factum est vt imperasti, & adhuc locus est. 23. Et ait dominus seruo: Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea. 24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. 25. Ibant autem turbæ multæ cum eo: & conuersus dixit ad illos: 26. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. 27. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, 29. ne, posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, 30. dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? 31. Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? 32. alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. 33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. 34. Bonum est sal. Si autem sal euanuerit, in quo condietur? 35. Neq; in terram, neq; in sterquilinium vtile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM

ARGVMENTVM.

HYdropicum sanat, ambitionem primos accubitus quærentium accusat, monet non diuites esse inuitandos, sed pauperes; parabolam cœnæ magnæ proponit; crucem esse baiulandã. Turrim ædificaturo, & bellum gesturo sumptus prius esse computandos, & vires expendendas docet, de renunciando omnibus, & sale etiã addit. De hydropico & ambitione vitandâ tolius Lucæ est, itemque de turri extruenda, & bello gerendo. In Ecclesiâ Syrâ, Lectio est feriæ 3. hebdomadis 4. ieiunij vsq; ad versum 25. Inde vsq; ad finem habetur קריאא דמרורבא דדיריא *Keriana deducherana dedairie, Lectio in commemoratione Monachorum.* Nam à דור peregrinatus est, habitauit, & דיור peregrinus. Hinc דיריא anechoretæ, eremitæ. Quod etiam est in rituali Seueri patriachæ. Commemoratio Eremitarum Syra Ecclesia.

VERSVS 1.

Et factum, est cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum.

QVÆSTIO I.

Cur intrauit ad Pharisæum?

Insidiose Christus inuisitatur.

§.1. INuitatum fuisse à Pharisæo, vel amoris, vel gloriæ causa existimant; Euthymius non malo animo, sed ambitioso inuitatum ait. Vera causa vt inter epulas aliquid exquirerent, quod carperent. Quod Euangelista indicat, cum ait, *& ipsi obseruabant eum.* Si enim humanitatis causa prandium parassent, obseruatores, inuidos, sycophantas non aduocassent. Non enim amicus est, qui inuitatum inimicis circumdat. Nec gloriæ cupido induxit. Nam persequi Christum, non amare, apud Pharisæos glorioſum erat.

Calumnijs fidem per conuiuia quærebant.

Tale conuiuium Absolonis, aliorumq; fuit, qui inter mensæ sacra saluti insidiabantur. Quod si aliud nihil efficerent, illud sanè consequebantur, vt minus suspectæ essent eorum calumniæ apud vulgus, quasi non ex odio profectæ essent, cùm conuiuia cum eo agitarent.

Christus in conuiuio salutẽ quæsit.

§.2. Christo alia causa adeundi conuiuij fuit, vt nempe hydropicum sanaret, miraculo, & ratione inimicos conuinceret, os obturaret, instrueret, nobis etiam exemplum dedit, vt inimicis placabiles simus. Quis enim ab inimico inuitatus obsessus in mensa ab æmulis, obseruatus ab omnibus, tot censoribus iudicandus, quot aderant conuiuæ, inuitatori condiceret.

§.3. Quis Princeps fuerit incertum est; Græcus habet τινὸς τῶν ἀρχόντων τῶν φαρισαίων, *cuiusdam Principum ex Pharisæis.* Primarius aliquis ex Pharisæis, non autem Synagogæ Princeps esse videtur, quamnis non est dubium, etiam Pharisæos præfuisse Synagogis; & Matth. 9. 18. ἄρχων dicitur Princeps, qui Marc. 4. 22. ἀρχισυνάγωγος Archisynagogus. Syrus vocat דפרישא רחך בן ריש דחך *dechad men rische depperis he, virum de capitibus Pharisæorum.*

§.4. Obseruabant παρατηροῦντες נטרין *naterin*, in bonam partem crebrius accipitur pro honorare, obsequi. Hic est verborum, gestuum, actorum omnium reprehensionem captare, ita vt vultus quoq; & oculorum coniectus notarentur, vt quicquid ageret, in deterius acciperetur. Si hydropicum sanaret, violatum sabbatum clamarent; si eum gegligeret, exspirasse eius potentiam iactarent.

§.5. Hydropicus vel sponte allatus est, vel à Pharisæis curatum, vt adesset. Syrus appellat דבריש הנא בריא *dackenisch hava maia qui congregauerat aquas.*

Regulus dicitur hydropicus.

Non orabat pro sanitate, vel quod Pharisæos metueret, vel quod Christo non crederet, vt vult Iansenius. Crediderim eum allatum, aut forte ambulasse eousq;, nec tanti fecisse Pharisæos, vt eorum odia non libenter pro sanitate paciscivoluerit. Nec à Pharisæis in conuiuium inductum probabile est.

§.6 Au-

§ 6. August quæst Euang. l. 2. q. 29. *Congruenter* ait, *hydropicum animali quod cecidit in puteum, comparauit: humore enim laborabat: sicut & illam mulierem, quam decem & octo annis alligatam dixerat, & ab eadem alligatione soluebat, comparabat tumento quo is soluitur vt ad aquam ducatur. Hydropicum autem rectè comparamus diuitiarum. Sicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius sitit: sic iste quanto est copiosior diuitijs quibus non bene vtitur, tanto ardentius talia concupiscit. Illam verò ita morbo incuruatam vt se erigere non posset, animæ assimilauit terrenis opinionibus debilitatæ vel oppressæ, ita vt diuina cogitare non valeat. Quod de ciuitate adducit inuitatos ad cœnam: de ipsa gente Iudæorum qui crediderunt significat deb les peccatis, non habentes superbiam quasi iustitiæ, quæ mendax primates eorum à gratia prohibebat.*

Idem iam profanis notatum.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops.

Hydrops verò ex eo genere morborum est, qui incurabiles censentur, officinâ sanguinis corruptâ. Est verò triplex: Tymparites, Ascites, λευκοφλεγμαῖα. Ex hepatis enim vitio malum est. Vide Hipp. p. 3. de hepate aphoris. 6. & seqq. Et l. 2. prænot. c. 1. *Aquæ porro*, inquit, *intercutem, ex acutis morbis obortæ, omnes malæ sunt, neq; enim à febre liberant, & valdè dolorosæ sunt, ac letales. Incipiunt autem plæreq; à laterum mollitie, & à lumbis: aliquæ verò etiam ad hepate.*

Quibus igitur à laterum mollitudine & lumbis principia fiunt, hu & pedes intumescunt, & alui profluuia diuturna ipsos tenent, quæ neq; dolores ex laterum mollitudine ac lumbis soluunt, & ventrem mollunt, quibus verò ab hepate aquæ inter cutem oriuntur, his tusses tussiendiq; prompti studo accedit, & nihil memorabile expuunt, & pedes tument, & venter non egerit nisi dura, & coactus: & circa aluum fiunt tumores, al qui in dextra, aliqui in sinistra parte, tum consistentes, tũ considentes.

Caput autem & manus, & pedes si frigida sunt, malum est, vbi & venter, & latera calida sunt: optimum verò est, & totum corpus calidum esse, ac molle.

Conuerti autem facilè conuenit ægrotum, & in attollendo sleum esse. Si verò grauis esse appareat, & reliquo corpore, manibus & pedibus, magis periculosum est.

Si verò supra grauitatem vngues & digiti liuidi fiant, mors à vestigio expectanda est: at si digiti ac pedes penitus nigrescant, minus pernicioſi sunt quam liuidi.

Verum & alia signa considerare oportet. Si enim facilè seruideatur malum, & aliud quoddam ex salutaribus ad hæc signa subindicet, morbum ad abscessum verti spes est: ita vt ægri quidem superstes mansurus sit, corporis verò partes nigræ factæ, cassuræ.

VERSVS 3.4.5.

Et respondens, dixit ad legisperitos & Pharisæos dicens: si licet sabbato curare? At illi tacuerunt &c.

QVÆSTIO I.

Cur interrogat?

§. 1. COgitationes & machinationes perspectas habebat, illisq; respondens; *quærit liceatne sanare Sabbato?* Illi verò cum scirent alijs temporibus alios confusos, tacuerũt. Tũm apprehensum sanat, & exemplo extrahendi Sabbato boues aut asinos factũ defendit. Si enim magno illi labore bestias curabant, cur non vno verbo hominem sanaret? ostendit verò non ignorare se eorum cogitationes, constare sibi, nõ amoris, aut honoris, sed insidiarum se causã vocari.

§. 2. Verba Græca sunt v. 5. τίνος ὑμῶν ὄνος, ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται. Cuius vestrum asinus aut bos in puteum incidet. Beza malè. *Quis vestrum si*, inquit, *ipsius asinus aut bos in puteum incidat, non statim extrahet eum die sabbati?* Causam reddit: *Permutata est*, ait, *constructio verborum in hac periodo, ex Hebræorum idiotismo, quem exposuimus supra, 11. 11. Ideo maluimus à Græco aliquantulum deflectere, quam verbum reddere pro verbo.*

At cum Spiritus sanctus vsus sit Hæbraismo, Græcè loquens, nõ debuit sciolus quispiam eum corrigere, & ponere pro τίνος. *Cuius* alium casum nempè, *quis*, nec de suo addere, *scipsius*: nec deniq; omittere particulam *Et*, quæ est in omnibus libris.

Pro asino in Syro est ברת *berech*, filius eius, quod cum ὄνος nullam habet affinitatem. Imo monet Brugensis codices 4. 6. 7. 12. 14. pro ὄνος habere υἱὸς, sic Titus & Theophyl. mihi plurimũ testimonium pluris est.

V. 5. Multa exemplaria omittunt, ἀποκριθεὶς πρὸς *respondens*, in Syro non est, pleraq; tamen habent.

VERSVS 11.

Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

QVÆSTIO I.

An quisquis se exaltauerit humiliandus sit? & è contrario?

§. 1. NE quispiam arbitretur ciuilitatem tantũ docuisse, quæ iam ad delicias & fastidia vsq; creuit: maiore enim ambitione pro vltimo loco contenditur, adeo artificiosè superbia pro modestiâ se venditat, generali sententiâ omnes modestiæ admonet. Quia namq; in primo accubitu quærẽdo honor, & in vltimo vitatæ gloriæ laus appetitur, generali sententiâ Christus omnia illa ambientiũ studia rescindit. Quicunq; se exaltauerit, hoc est, in altum extulerit, studio honoris & gloriæ, ille humiliabitur, deprimetur, contemnetur. Qui cunq; verò non ficte, sed animi modestiâ se se depresserit, honoris & fugacis gloriæ contemptor, ille à Deo exaltabitur, & coronam gloriæ accipiet in illa die. *Laus vitatæ honoris quæritur.*

§. 2. Parabolam vocat Euangelista, vel insignẽ doctrinam, vel certe narrarat antè parabolam, cuius applicationem Euangelista duntaxat adfert. Quamuis hæc ipsa parabola est, si alio modo narretur, videlicet, quendam primas ambientẽ, ad extrema retrusum. Syrus ait elegisse loca primorum accubitorum. Eadem Prouerb. 25. 7. apud Syr. 3 20. Monet ergo μὴ καλαπίδυσ εἰς πρωτοκλισίαν, *ne recumbas in primo loco*; ne cum *pudore*, μὴ αἰσχύνης *cum rubore* vertit noster, *cogaris nouissimum locum tenere.* *Parabola est.*

§. 3. Nec modo id fieri solet in resurrectione iustorũ, sed plerumq; etiam in hac vitâ. E mille enim ambitiosis qui sese exultarunt, non facile decem repereris, qui non lapsu grauiore ruerint, sublati in altum. Nec de singulis quærendum, totus mundus exemplum est. *Exemplum superbi decisi est totus mundus*

§. 4. Insigne è contrario humilitatis exemplum est in Concilio Africano, cum enim cum Donatistis essent collaturi, scripserunt cognitori, se si vincerent ad dignitatis communionẽ velle admittere aduersarios, aut sane etiam suis Episcopatibus propter vnionem cædere. Aug. ita recenset: *Et cum legeret*, (Alipius) ait, *Augustinus Episcopus dixit: Dicã charitati vestræ & commemoremus rem dulcissimam & suauissimam, quam Domino adiuuante sumus experti: Cum antè ipsam Collationem inter nos aliqui fratres de hac re colloqueremur, quia pro pace Christi Episcopi debent esse, aut debent non esse: quod vobis fatendum est, circumspicientes omnes fratres & coepiscopos nostros, non facile nobis occurrebant, qui hoc vellent suscipere, & de hac humilitate Domino sacrificare: dicebamus vt fieri solet: ille potest, ille non potest: ille consentit hoc, ille non tolerat; loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum videre minimè poteramus. Quando autẽ ventum est vt hoc palam fieret, in concilio vniuersorum tam frequenti penè trecentorum Episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, vt parati essent Episcopatũ pro Christi vnitate deponere, & non perdere, sed Deo tutius* *Insigne exemplum se humiliandi.* *Modestia Episcoporum Africanorum.*

commendare. Duo ibi vix inuenti sunt, quibus displiceret. Vnus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberius ausus est, alter voluntatem suam tacito vultu significauit. Sed posteaquam illum senem Tiberius hoc dicentem obruit, omnium fraterna correptio, illo mutante sententiam, vultum etiam ille mutauit. Audite ergo quibus modis etiam ipsa exhortatio facta est, propter illum qui ait: Qui se humiliat exaltabitur. Item legit: Quid enim dubitemus redemptori nostro sacrificium istius humiliationis offerre? An verò ille descendit in humana membra descendat, vt membra eius essemus, & nos ne ipsa eius membra crudeli diuisione lanientur de cathedra descendere formidamus? Propter nos nihil sufficientius, quam Christiani fideles & obedientes simus. Hoc ergò semper sumus. Episcopi autem propter Christianos populos ordinamur. Quod ergo Christianis populis ad Christianam pacem prodest, hoc de nostro Episcopatu faciamus. Augustinus Episcopus dixit: Propter vos hoc debemus esse quod vos. Quid debes esse tu, cuicunque loquor vestrum? Christianus, fidelis, obediens: hoc tu propter te, hoc & ego propter me; Ergo quod tu propter te, & ego propter me, semper esse debemus. Quod autem sum propter te, sim, si tibi prodest: non sim, si tibi obest. Ecce quod dictum est, attendite. Item legit: Si serui vtiles sumus, cur Domini æternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus inuidemus? Episcopalis dignitas fructuosior nobis erit, si gregem Christi deposita magis collegerit, quam retenta dispersérit.

Clerus, si populo non prodest, nefit.

Quod si imitarentur Prælati, minus litium, plus religionis esset.

VERSVS 12.

Dicebat autem & ei, qui se inuitauerat. Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne forte te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio.

QVÆSTIO I.

An vera retributio?

Retributio & meritum sunt reciproca.

§. 1. SIne commentario res clara est, diuites habent ἀνταποδῦναι, vt possint retribuere. Pauperes quia id nõ possunt, ἀνταποδοθήσεται σοι retribuetur tibi in resurrectione iustorum. Opus ergo illud suam habet retributionem, si pauperibus fiat, non haber, si diuitibus? Si hic mercedem recipit, futuram non sperat, at si retributio est, & quidem respectu operis, etiam meritum est. Pauperum quidem inuitatio, quia ex misericordiâ oritur, per se opus est virtutis. Diuitum verò si honestum finem propositum habeat inuitator, vt scilicet familiaritas, amicitia, pax conseruetur, vt humanitas ostendatur, non est culpanda; quia tamen spe retributionis, ostentatione, alijsque rebus vitiatur, rarius Deo grata sunt illa conuiuia; maximè apud Pharisæos, vbi omnia plena suspicionibus erant.

Diuites inuitare licitum est.

§. 2. Interim non sunt excusandi, qui cum hospitales esse possunt, officia illa humanitatis intermittunt. Hominis improbi olim sententia proba est laudata. *Ante circumspiciendum est, cum quibus edas & bibas, quam quid edas & bibas.* Nam sine amico, viscera tio leonis, ac lupi vita est, μονοφάγους tales Græci conuicio appellabant. Βεβρωκέναι, μὴ δεδειπνηκέναι quidam se dixit apud Plutarch. q. conuiu. 7. Nam cœna est, quasi κοινή. Verum sincera sint conuiuia, non vt horum à quibus insidiosè Dominus vocatur. Et tamen accedit, inseruit, & salutem inimicorum quærit. Pharisæus magni æstimabat conuiuium suum. Est proprium, inquit Seneca de benef. l. 6. c. 33. *Superbi, magno æstimare introitum, ac tactum sui limenis, p obnore da e, vt ostio suo propius assideas, vt gradum prior intra domum ponas, in quâ deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt.*

Edisse non pœnasse.

Ita honorare velle simulabant, reipsa insidiabantur.

§. 3. V. 15. Græca plurima pro ἄριστον habent δεῖπνον, *prandium*. Complut. Parisiensia exemplaria, omnia Latina, Syrum, & pleraque Græca ἄριστον, *panem*. Regia habent *manducabit*, correcta, *manducat*.

V. 17. Vt venirent. Græcè ἔρχεσθε venite. Sic & Syrus.

V. 18. Simul excusarunt sese, ἀπὸ μιᾶς, non quod aut eâ de re consultassent, vt ἀπὸ μιᾶς βουλῆς, vel γνώμης, ex vno se consilio sententiâque excusarent, sed quod eodem vitio propriàs res prætenderent, ac si ex compacto sic respondissent.

V. 24. In aliquot Græcis exemplaribus additur: πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοὶ, *multi sunt vocati, pauci vero electi*, quod ex Matthæo translatum est.

VERSVS 28.

Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum.

QVÆSTIO I.

Quo pertinet exemplum turris extruendæ, & belli gerendi?

§. 1. MAgna controuersia est, quomodo illa verba sint intelligenda, v. 27. *Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuerit consummare? Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.*

Et v. 33. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Duobus modis renunciare possumus.

Duobus enim modis renunciare possumus. Primò, vt omnia potius deseramus, quam cum Dei iniuriâ retineamus, hoc omnibus Christianis necessarium est. Pro totius enim mundi vel amicitia, vel opibus, non est faciendum vel vnicum peccatum. Altero modo multi intelligunt; Christum de consilijs loqui, non præcepto, atque de ea renunciatione agere, quæ erat Apostolorum propria, eorumque discipulorum, qui dimissis omnibus, nudi Christum sequebantur.

§. 2. Posteriorem sententiâ probo, vt de illis loquatur, quib' dixit, *vade vende omnia, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo.* Ratio est ex parabolis ædificaturi turrim,

turrim, & gesturi bellum. Parabolæ enim sunt de re propositâ, quæ in disceptationem venit, quæq; fieri & omitti potest.

Turrim aut palatium ædificare constituisti, sumptus computa, architectos consule, si supersunt, opus aggredere; si desunt, omitte. Eadem est belli gerendi ratio. Duas res maximè proposuit, quarum vna sine maturo consilio suscepta priuatos, alia reges euertit. Haud minoris considerationis est hoc de renunciando omnibus consiliũ, ne in medio conatu deficias.

Quod si de fide Christianâ amplectendâ agatur, & virtute ac pietate colendâ, non est hic opus deliberatione, aut anxiè quærendũ an tibi vires sint vt sis Christianus, aut si eas deesse videris, à proposito abstinendũ.

§ 3. Nec satis rem exponunt, qui aiunt, hoc solum Dominum agere, vt moneat nos in proposito constantes esse, vt 2. Pet. 2. 21. dicitur. Non enim de constantiâ, sed de incepto, vel vrgendo vel omittendo sermo est. Non hortatur, vt fundamentis iactis educat in altum moles, aut bellum inceptum fortiter gerat, sed vt re integrâ deliberet, & si desit sumptus, ædificationem intermittat, & pacem petat. Si enim vires desint, rem arduam ne aggrediatur.

§. 4. Nonnullos Interpretes mouit, quod dicat, cum hoste paciscendũ ante prælium; nam nulla cum dæmone pax nobis, nullæ induciæ esse possunt.

Verum aliàs monui parabolas ex communi vitâ vsq; sumptas, earum quædam esse ornamenta, non omnibus partibus aliquid speciatim respondere. Hic eodem modo respondendum; est enim integræ parabolæ iste sensus. Si turrim ædificare, aut bellum gerere volens, nõ temerè tanta opera molitur, sed omnia prius sedens considerat, aut opes, aut vires pares sint instituto, & si desint, hic ædificationem omittit, ille pacem petit, multo magis ille, qui opes, amicos, patriam ac seipsum derelicturus est, qui crucem subiturus, qui in rogum & rotam iturus, (nam Christum tum sequi, erat omnibus tormentis obuiam ire) diu deliberare eum oportet, an ad res tantas adsit animus præsens, fides, caritas, ne tantis malis succumbat; quod si dubitet, & imbecillem sentiat, melius est nõ aggredi, quod tueri non possit. Quemadmodum igitur rex cui desit iustus ad propulsandum bellũ apparatus, cum hoste paciscitur, ita quibus desunt vires, arduum vitæ institutum omittent, nõ pactis cum dæmone inducijs, sed magnis periculis euitatis, ex loco humiliore contra eum pugnent; aliud est enim in primâ acie versari, & summa discrimimum sua esse velle, alijs ducem se præbere, aliud castra tueri, & fidere vallo. Aliter pugnant, qui murorum obiectu defenduntur, & prætenturis, aliter, qui animas in aperta pericula mittunt. Quod si quis morosè pacem initam vrgeat, clarissimè ostendam, ne sic quidem contra æternas, aduersum dæmonem inimicitias aliquid concludi. Si enim Rex terrenus cum terreno pacem init, cum imparem se viribus animaduertit, cur nõ idem faciet Christianus, vt cum tyrannorum sæuitiæ suam imbecillitatem cessuram timet, relictis bonis eam redimat, fugâ sibi consulat, aut occulat, non temerè se offerat certamini? quod multi incautè fecerunt, ideoq; coronæ iam proximi miserabiliter cecidêre. Hic n. agitur de externâ persecutione hostium, qualem Christus & Apostoli pertulêre. Sic si hostes veniant μὲ ἐπὶ, χιλιάδων, si longis & exquisitis tormentis, nõ prudenter occurret ἐν δέκα χιλιάσι, *in decem millibus*; itaq; ἐρωτᾷν δῶ τὰ πρὸς εἰρήνην, rogare pacem, Syrus אבעא על שלמא *bache chal schelama*, postulat *super pacem*.

Huc etiam videtur facere similitudo Salis, quo non quilibet Christianus, sed discipuli, & doctores intelliguntur. Si enim insatuatus fuerit, non potest condi, nec in sterquilinium vtilis est, ἔνδετον appositus, aut quod rectè poni possit. Syrus, *neq; in ſte qu linium abit*. Denique eadem est sententia & interpretatio Syriacæ Ecclesiæ, quæ hæc, vt initio dixi in commemoratione Monachorum, seu Eremitarum legit, qui omnia reliquerunt, & tyrannorum hodieq; crudelitati, hæreticorumq; ludibrijs sunt quam maximè expositi.

§ 5. De illis quæ ad vitæ perfectionem atq; altissimum apicem rendunt, interpretatur Didacus Stella, & parabolas ferè etiam eodem modo applicat. *Summa ergo*, inquit, *totius parabolæ hæc est. Si in rebus externis & corporalibus prudentes & prouidi sumus, quare non multo magis in spiritualibus? Qui ergo militiæ Christi se addicere vult, prius perpendat vires suas, quas si inuenerit ad id quod subeundum est impares: non temere se se inijciat in periculum: sed potius omnia excogitet, vt inuocato Christi auxilio facilius agere possit. Cum ergò necesse sit pugnare, cum Diabolo, mundo, & carne, qui nobis fortiores sunt: inuocandus est Deus, cuius manus abbreuiata non est. Sic Dauid, Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me &c. Et iterum, Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Expende autem quod in illo, quod dicit habere regem contra ium viginti millia, ostendit mundi duplicatam potentiam, quia maiori conatu hos perfectiores impugnat.*

Imo ante eum Sanctus Ephræm Syrus orat. in Martyres, renunciationem, non quæ sit omnium hominũ, sed paucorum esse docet, & liberam: *Quis obsecro*, ait, *dicere nunc poterit se ita diligere eum, qui desiderauit nos, & saluauit mundum? Quis sic toto animo præsentem contemnit vitam, vt ab omnibus facilè recedat? Quis ita passiones atq; affectiones superat, vt vanæ gloriæ vincula diffugiat? Quis rursus ita planè renunciauit omnibus rebus, vt omnibus relictis crucem portet? Secundum illud, quod Dominus dicit in Euangelio: Si quis venit ad me, & non renunciat omnibus quæ possidet; non potest esse meus discipulus. Quamuis enim vel modicum quid ex sacrificio sibi ipse sumat atq; retineat, etiã sic peccat: non enim prorsus cunctis suis renunciauit: at in diffidentia & hæsitatione accessit. Oportet igitur talem, penitus abnegare seipsum; & susceptæ Cruce sequi Christum. Sicut enim qui corpore affixus est cruci, nequit secum portare quicquam: ita & qui seipsum crucifixit ijs, quæ in mundo sunt; nihil earũ quæ in hac vita sunt rerum, attrahere sibi debet: vt non similis reddatur Ananiæ & vxori eius, qui ea quæ Dei erant, surripuerant. Si enim per omnia seipsum ab huius vitæ rebus separauit Apostolus Paulus, vt diceret, ac scriberet: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: & omnia vt stercora arbitror, vt Christum lucrifaciam, quem & dilexi. Hunc glorioſi imitati martyres, seipsos cuicunq; obtulerunt tormento atq; supplicio; respicientes in ipsum sapientem magistrum, belli huius principem atq; victorem: qui factus est dux omnibus cupientibus inuenire æternæ vitæ fructum atq; oblectamentum. Et quia prompte alacriterq; magna cum patientia mortem perpessi sunt, ecce beati prædicantur, in infinita secula seculorum.* Perfecta renunciatio rara.

De spontanea enim oblatione agi exemplum Ananiæ docet, quem potuisse retinere precium auctor est Sanctus Petrus. Iansenius etsi vtramque expositionem habet, priorem tamen magis probat.

§. 6. Augustini est ambigua sententia; nam & de omnibus discipulis, & de peculiaribus potest intelligi. Verba eius sunt quæst. Euang. l. 2. q. 30. *Sumptus*, inquit, *ad turrim ædificandam, vires sunt ad discipulatum Christi obtinendum: & decem millia præliaturi cum rege qui habebat viginti millia, ostenduntur simplicitatem Christiani populi dimicaturi cum duplicitate Diaboli, hoc est, cum dolis & fallacijs eius, in solo constituti renunciantiũ omnibus quæ sunt eius. Ita enim conludit, sic ergo omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus. Inter quæ omnia etiam ipsa temporalis vitæ intelligatur, necesse est: quam oportet sic possidere ad tempus, vt non impediat ab æterna, qui eam fuerit minatus auferre. Sicut autem de turri non perfecta per opprobrium deterruit dicentiũ. Quia sic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare. Sic in rege cum quo* Augustini sententia.

dimicandum est, ipsam pacem accusauit, cum ait. Adhuc illo longè agente legationẽ mittens rogat ea, quæ sunt pacis: significans minas imminentium à Diabolo tentationum, non sustinere homines, qui non renunciant omnibus quæ possident, & pacem cum eo facere consentiendo illi ad committenda peccata. Turrim quippe illam ædificare, & contra regem illum dimicare, esse discipulum Christi est: habere autem sumptus ad perficiendam turrim, & habere fortia decem millia contra viginti mill a regis: renunciare est omnibus quæ sunt eius.

Origenis sententia. §. 7. Origenis tract. 19. in Matth. est dissimilis expositio, tamen ad perfectionem refert: Turrim autem ædificat, tam mea, ascensum habentem, & eminentiam, & altitudinem super vineam ipsam, & sepem & torcular, existimo verbum esse de ipso Deo, & de dispensatoribus Christi, & templum diuini sensus, qui habentur in eo. Et de tali turre puto dicere Saluatorem in eo loco Euangelij. Quis vestrum volens turrim ædificare, non prius computat si potest prius ponere fundamentum, & consummare, ne forte incipiant videntes deridere eum qui non consummauit: quoniam qui vult dicere de Deo, debet considerare si potest, incipiens omnia quæ quærenda circa Dei expositionem consummare: ne forte insipiens dogmatis pretatis, imperfectam relinquat turrim verbi de Deo, & coronam non superædificet ei. Si enim non ædificauerit et coronam, cadet aliquis ab intellectu Dei scandalizatus, & morietur. Hanc vineam tradidit colonis, id est populo antecessoribus, tam Sacerdotibus quam laicis, & profectus est ad suam profectionem, dans occasiones colonis ex eo quod ipse plantauit, & circumposuit sepem, & fodit torcular, & ædificauit turrim, proferendi fructus. cum approp nquasset tempus fructuum.

CAPVT XV.

ERant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum. 2. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. 3. Et ait ad illos parabolam istam dicens: 4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? 5. Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: 6. & veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat? 7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. 8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat? 9 Et cum inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram? 10. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. 11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios: 12. & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè, 14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere: 15. & abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illũ in villam suam, vt pasceret porcos: 16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. 17. In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. 18. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te: 19. Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. 20. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est. & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. 21. Dixit ei filius: Pater, peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. 22. Dixit autem pater ad seruos suos. Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: 23. & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus & epulemur: 24. quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari, 25. Erat autem filius eius senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui audiuit symphoniam, & chorum: 26. & vocauit vnum de seruis, & interrogauit, quid hæc essent. 27. Ille dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatũ, quia saluum illum recepit. 28. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. 29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterij, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer: 30. sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit: occidisti illi vitulum saginatum. 31 At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: 32. epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM

ARGVMENTVM.

HAres continet parabolas caput decimumquintum, ouis perditæ, & boni pastoris humeris relatæ; drachmæ amissæ, & inuentæ; filij prodigi, qui dilapidatis omnibus in gratiam receptus est: omnia eo pertinent, vt Pharisæorum murmurationes compescat, ne indignentur peccatores recipi ab eo, qui venerat propter peccatores: id vero indignius erat, quod illi peccatorum familiaritatem obijciebant, multo erant alijs peccatoribus pertinaciores, eo ipso nequiores quod se veluti iustos alijs præferebant. De filio prodigo in Syriacâ Ecclesiâ legitur feriâ quintâ hebdomadis præcedentis ieiunium.

Exceptâ parabolâ de oue perditâ, quæ est Matth. 18. 12. cætera solus Lucæ sunt.

VER-

VERSVS 1.

Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum.

QVÆSTIO I.

Cur peccatores & publicani admittuntur?

§.1. Misericordiæ primarium opus est, non fugere peccatores, sed eos recipere, cum illis manducare, & bibere: consuetudine enim eos & facilitate allicit; nihil enim in Deo admirabilius, quam tolerantia peccatorum, nisi in eodem etiam erga nos caritas, suauitas q;, & cura seruandi appareret. Familiaritas enim in peccatore laudatur, si conuertendi eos desiderium habet, & effectum.

Sapienter Basil. mor. reg. 52. c. 2. Οτι δεῖ τὸν πρὸς τοὺς ἁμαρτάνοντας σωληχίαν καὶ ἀδέχεσθαι, καὶ μὴ ἄλλου τινὸς ἕνεκεν, ἢ ἵνα εἰς μετάνοιαν αὐτοὺς ἀνακαλέσασθαι, ὥσπερ ἂν τρόπῳ διωκτὸν, ἢ χωρὶς ἁμαρτίας. *Quod ob eam causam tantumodo miscere cum peccatoribus in congressum debemus, vt eos à prauo viuendi via ad meliorem frugem reuocemus, idq; eo modo, quem nobis Dominus præcepit.*

§.2. In Pharisæis improbus zelus prætextu iustitiæ & religionis se prodit; cum enim solum calumniandi studio omnia agerent, hoc satis erat ad excusationē, non recipere nisi pœnitētes. Quod Græca exemplaria nonnulla addunt, πάντας omnes, errare constat: neq; .n. oēs accesserunt, ne maior quidē pars. Itaq; ex Latino & Syro corrigēda illa sunt. Correcta editio omisit.

Contra hos Dei nobis benignitatē Christus cōmendat, & parabolas tres adfert. Vbi in Syro notandum v. 3. haberi, *Et dixit eis heschuah* repetito nomine hebræorum more. Versu autem 4. additur, quæsiturus, seu quærere. בְּעָא *Vazel baghe* & vadat quærere.

VERSVS 7.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo, super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.

QVÆSTIO I.

Quomodo Angelis gaudium erit super vno peccatore?

§.1. Gaudium Angelorum quod ex diuino intuitu percipiunt, idem semper, constans ac immotum manet, gaudia vero alia ex reb. quę accidunt, noua aduenient. Siquidem de Angelis humano more loquamur, non est difficile intelligere, quomodo de inopinâ peccatorū pœnitentiâ gaudeant. Nos vbi amissa recuperamus, si ex morbo conualescimus, vehemēter lætamur. An idē faciant Angeli disputari solet. Nonaginta nouem iusti, magno feruore in Dei obsequium incumbendo, eleemosynam largiendo, omnibus renunciando, fortiter pro Dei gloria, constanterq; moriendo, videntur maiorem Angelis gaudendi occasionem offerre, quam vnus peccator agendo pœnitentiam. Maius est enim bonum iustorū, quam pœnitentia peccatorum, amplius igitur de eo gaudendū est. Nec responsio solida videtur, cum nouum gaudium aiunt ex peccatorum conuersione, non ex iustitiâ sanctorum. Est enim & illud nouum. Cum enim Paulus in medium progreditur, & pugnat, cum Andreas ex cruce concionatur, Laurentius de craticula tyranno insultat, nouum inusitatum est, & magnum bonum, nouâ triumphi lætitiâ pensandum est.

Neq; hoc locum habet, vt dicamus Christum de Angelis more humano loqui. Nam ex gaudio Angelorum probat homines gaudere oportere, quod argumentum infirmum est, si apud Angelos non est verè illud gaudium.

Magis, omissum est more hebræo vbi יתר *iother* solet omitti, & apud Græcos μᾶλλον. Hoc loco in Syro tantummodo est אֶלָּא *ella*, hoc est, *quam*, vt in Græco & Latino.

§.2. Non desunt, qui conferant insignem peccatoris pœnitentiam cum iustorum tepore, atq; eam præferri dicant. Quæ quidem res minimè dubia est, maius enim gaudium de pœnitentia Pauli, quam alicuius innocentis pia quidem, sed non admodum feruente conuersatione. *Peccatoris conuersi feruor tepori iustorum confertur.*

§.3. Mihi omnino propriè verba Christi accipi videntur, & conferri peccatoris pœnitentiam, cum quibusdam iustorum operibus, atq; ex ea maius esse gaudium Angelorum, quam ex heroicis actionibus sanctorum. Eius rei originem non aliunde inuestigādam, quam ex natura charitatis existimo. Amor est Angelorum in omnes homines sincerus, magnus, constans, in iustos & peccatores, quorum conuersionem adhuc nondum desperarunt. De profectis heroicisq; factis sanctissimorū exultant, sed maius gaudium est de vno peccatore pœnitentiam agente, quāuis illa pœnitentia non adæquet precium maximorū operum, quæ summa caritate faciunt homines iustissimi. Ratio vt dixi est ex naturâ caritatis, alieno bono gaudentis. Non enim tantummodo boni naturâ delectatur, & res ipsas intuetur, sed eorum, qui amātur, conditione mouetur: nam de malo vitato, aut bono in miseris plus gaudemus, quam de augmento bonorum in felicibus: ita enim ordo caritatis exigit, vt maiore conatu miseros adiuuemus, quam felicitatis incrementa promoueamus. Nec sanctos viros ita sollicitos fuisse videmus, vt sanctorum pietas cresceret, quam vt peccatores conuerterentur. Qui minimo in cœlis gradu est, beatus est: qui regno excidit, magno in tormēto est. Non tanto detrimento ille caret maiore gloriâ, quanto alter qui cruciatibus tristissimis lancinatur. Similem videmus in patent. b. affectum, de plurium filiorum sanitate gaudent, at si cœcum, aut claudum, aut phreneticum habeant, eius sanatione plurimum lætitiæ cōcipiunt, quia pluris æstimant eum liberari tantis malis, quam alios habere prosperos successus. Sic inquit v. 10. χαρὰ γένεται, alii libri ἔσται, ita Latini libri habent, & Syri ההוא *thehuē* erit. *Caritas de maiore bono proximi non comparato magis gaudet.*

Maior etiā est gloria misericordiæ liberare peccatorē, quam iustum augere iustitiâ.

§ 4. De gaudio Angelorum aliam etiam causam S. Greg. refert: quod nempe plerumq; peccatores magni, feruenti caritate cæteros præcedant, qui minus peccarunt, quod etsi in multis cernere licet, non tamen in omnibus contingit, vt ante dictum est.

§.5. Cyprianus epistol. 47. ad Cornelium vocat summum gaudium. *Huius diei lætitiam de nostris possumus sensibus æstimare, nam cum istic ad literas vestras, quas de eorum confessione misistis, lætatus sit omnis fratrum numerus, & summa alacritate hunc nuncium communis gratulationis exceperit: quid illic vbi res ipsa & præsens lætitia sub oculis omnium gerebatur? cum enim Dominus in Euangelio suo dicat esse summum gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente: quanto maius est gaudium & in terris pariter & in cœlo, super confessoris ad Ecclesiam Dei cum gloriâ suâ & cum laude redeuntibus, & redeundi viam cæteris exemplis suis fide & probatione faciuntibus.*

Sanctus Ephrem de pœnitentia, de illa lætitia sic loquitur. *Est vero & differentia operationis, & gratia. Omnes siquidem pascunt: sed plus cunctis, pœnitentia festum Deo agit, quoniam & in Euangelio dicitur, quod magis gaudeat Deus super vno peccatore pœnitentiam agente,*

Quam super nonaginta nouem iustis. Festum excitat Deo pœnitentia: quoniam & cælum mouet ad epulas: & Angeli lætantur dum pœnitentia ipsos inuitat ad prandium: cunctiq; cœlestes ordines epulantur, per pœnitentiam se se recreantes. Non iis vitulos immolat non oues: sed hominum peccatorum salutem, in exultationem apponit. Peccatores pœnitentia immolat, sed rursus eos viuificat. Mortificat ipsos: at denuo à mortuis eos resuscitat. & quo pacto? audi. Peccatores accipit, & iustos eos efficit. Heri mortui erant: hodie Christo per pœnitentiam viuunt. Heri alieni & inimici hodie domestici & amici Deo. Heri iniqui & hodie sancti. Magna fornax est pœnitentia, carissimi: ea accipit, & illud in aurum commutat: plumbum tollit, & argentum reddit. Vide eundem orat. aduersus impios hæreticos.

Educatio occasio conuersionis.

§. 6. Idem notauit ex molli educatione occasionem pœnitentiæ accepisse. *Sic iuuenis ille in Euangelio affectus fuit: quippe qui primus sublata hæreditate paterna, in longinquam regionem profectus, substantiam cum meretricibus absumpsit: & in deliciis ac epulis cum turpiter versaretur, consumpsit omnes facultates, & non potuit ferre, ne ad modicum quidem, solitudinem: nam pœnitentia suauitatem prioris eius percipiens vitæ, ad reprehensionem conuersa est, quod non casu aliquo illud iter susceptum esset, sed inimici alicuius dolo & deceptione. Vnde vt tam optabat, quam dixi desideratam: & cum non ferret afflictiones, reprehensionem tulit conscientiæ. Mollis igitur educatio, conuersionis causa exstitit, ipsumque vel inuitum perduxit ad pietatem. Quid ergo dicit adolescens? Ibo, inquit, ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te. O pœnitentia sapientiam. O artificiosam dispensationem: quia nullam prorsus iacturam à Deo fieri sinit pœnitentia: nam aut longanimiter expectando, aut dissimulando, aut hortando, indemnitatem possessori tuetur. Sustinuit pœnitentia, adolescentem decipi atq; seduci: insultauit ipsi Diabolus: fecit in eo quod voluit, pœnitentia quieuit, reprehensio conscientiæ subticuit, iussus est à pœnitentia, tandem non in fraudem ac perniciem incurrere: & vbi tempus opportunum reperit, tanquam mater, sua viscera expandit, ipsumq; amplectitur medium, & è gremio nouercæ, id est, voluptatis, auellit eum, vt matri pietati restituat. Siliquas draco præbet obedientibus sibi: vitricus enim cum sit, alienis filiis non parcit. Suadet paterna bona male absumere, dormientibus varia curarum offert simulacra: expergefactosq; illudit, cernens ipsos nudos, ac pauperes, O vafritiem atq; calliditatem Draconis. Sic quoque primos parentes Adam & Euam nudauit: cum enim diuinitatem eis promisisset, instar vermium eos in terra versari effecit, denudans ipsos. Nisi esset pœnitentia, iamdudum humanum periisset genus. Nisi cito manum detensionis porrexisset: non sane iam mundus consisteret. Dicit igitur adolescens: Pater peccaui in cœlum, & coram te. Agnouit patrem, qui peccauerat filius, conuincens esse vitricum & insidiatorem, qui eum seduxerat. Vidit dolum, cognouit impostoram; accurris ad pœnitentiam, velut ad matrem. esuriuit diu, siliquis victitans: sitiuit diu, in cœno se cum porcis volutans: verum pœnitentia, instar matris benignæ, mammillas admouens, rursus adolescentem tamquam adhuc infantem lactabat. Pane eum per fidem enutriebat, & iuuenescentem pascebat: quia peccatum vires eius absumpserat, & nisi lac adhibuisset, sanitatem recuperare nequiisset: plane enim ex turpitudine debilitatus erat, sensu mentis naturali consumpto.*

QVÆSTIO II.

An Angeli gratiam habuerint ex Christi meritis?

Angeli à Christo gratiã an habuerint.

§. 1. NOnaginta oues in eremo relictas, interpretantur Angelos, illis Christi obedientiâ gratiam, aut gloriam nullam datam. De Angelis spiritaliter Ambrosius, Theophylact. Beda, Anselmus accipiunt, quæ expositio etsi admittatur, non tamen rectè institutum suum confeciunt quidam Scholastici, de Angelis sine Christi merito seruatis, vt Palud. q. 1. a. 3. Durand. q. 2. Alens. 3 p. q. 12. Quibus respondendum est, literalem sensum de Angelis non esse, si tamen quispiam contra nitatur, facilis est responsio, contrarium facilè confici ex parabolâ. Oues enim quæ relinquuntur, non ideo relinqui, quod non illas etiam pascat ille, qui vnam quærit, sed quod ad tempus maiorem curam vni exhibeat, quæ maioris eget sollicitudinis. Oues enim nonaginta nouem, si Angeli sunt, & pastor Christus est, eos igitur ille pascit, eius beneficio aluntur, ei obtemperãt, ille caput est, per eum vegetantur, licet in eremo bene custoditas deserere videatur, vt vnam quærat. Quis enim non intelligit Dauidẽ cum vrso & leoni ouiculâ eriperet, bellua{q} occideret, aliarum penè ouium, imo sui oblitum, non tamen ideo non fuisse aliorum pastorem?

Hic igitur locus si de Angelis agit, maximè confirmat, Christum esse Angelorum pastorem, ideoq; caput, & quod consectarium est, gratiam quoq; & gloriam illis conferre.

§. 2. Eodem pertinet similitudo drachmæ amissæ. V. 8. *Verrit*, σαροῖ, non euertit, vt magni quidã interpretes legerunt. Intercæteros Gregorius. Sed ille facilè excusatur, qui interpretatur, *pertubat.* hom. 34. in Euang meminit tamen aliis locis esse, *emundat.* Ambr. *mundans domum suam.*

Quod noster vertit *coram Angelis*, in Græco est, ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων, in conspectu Angelorum. Beza, *apud Angelos*, quod non est clarius, quam quod ipse contempsit. Nam si obscurus est in Latino hebraismus, pariter etiam in Græcâ linguâ obscurus est.

QVÆSTIO III.

Quis filius prodigus?

Prodigi peccatum.

§. 1. HIstoriæ nulla est difficultas, applicationes variæ, Literalis ista est. Deus duos filios habet, Pharisæos iustos, vt videri volebant. Publicanos peccatores. hos pœnitentes in gratiam recipit, & plus charitatis, quam Pharisæis exhibet. Queruntur illi tam perditis illum honorem haberi, excusat Christus, illis tam magno bono redemptis totam domum gaudere oportere. Nam si pater quispiam duos tales habeat filios, quales narrarat, paterne facturus erat, si pœnitentem reciperet in gratiam: multo ergo magis id diuinæ misericordiæ conueniens est.

§. 2. Multæ sunt allegoriæ huius loci, à variis scriptoribus adductæ, de quibus legi alii possunt. Quidã maiorem filium putant Iudaicum populum, minore gentilem. Augustin. quæst. Euang. quæst. 33. lib. 2. Hieron. ep. ad Damasum refellit. Nam populus Iudaicus legem non seruarat, nec dicere poterat, nunquam contra Dei voluntatem fecisse. Gentes non fuerant in gratiâ. Deinde multi Iudæorum abierant, inter gentes erant nonnulli Dei cultores. Non ignoro responderi posse. Totam Iudæorum Ecclesiam nunquam defecisse, nam semper in eâ fuerunt, qui cultum verum tenerent. Gentium autem primos auctores à gratiâ excidisse.

In angeli filium maiorem.

§. 3. Quidam maiorem filium Angelos, minorem homines arbitrantur, quamuis enim multa conueniant, non tamen omnia. Non enim poterat Angelos *Prodigi.* inducere murmurantes de filio in gratiam recepto, quos ante dixerat, magis gaudere de vno peccatore pœnitentiam agente, quam de nonaginta nouẽ iustis.

VERSVS 12.

Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. & diuisit illis substantiam.

§. 1. Post

QVÆSTIO I.

Quæ pars substantiæ?

§. 1. PORtionem substantiæ quæ me contingit: τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας. alii τὸ καθῆκον, *quod uique constitutum est*, noster vsus est phrasi iurisconsultorum, qui *partem alicui contingentem* vocant. Ita Caius. Syrus habet, *da mihi portionem, quæ me contingit ex domo tuâ*. Substantiam paulo post vocat τὸν βίον, quo vita sustentatur.

§. 2. Videtur id ille petere, quod patres dare nec debent, nec solent, ideoq; non esse ex consuetudine quod narratur. Respondet Maldon. Christum vti exemplo inusitato, & exhibere patrem valde indulgentem, quia parabola requirebat, vt filius diceretur bona dissipasse, dari ergo illa oportuit. Patrem verò esse oportuit, qui Dei typus esset: is vero ita munera sua distribuit, vt plerisq; hominibus liberum vsum concedat. Vera est illa responsio, non enim in parabolis requiritur vt illa fiant, sed vt possint fieri, & aliquando contingant. Non tamen existimo ab orientalium consuetudine eum abdicandi modum omnino abhorrere. Crebro enim filios aliquos abdicant parentes: aliquos omnino hæreditate excludunt, ob delicta in iure ciuili expressa.

Aliquando legitimam illis duntaxat largiuntur, sæpissimè dum viuunt, suam cuiq; hæreditatē assignant, quam sint adituri, ne fraternis post mortem litib. sit occasio: adeo quidem vt quibusdam hæreditatis præcipuam partem, cæteris munera conferant. Ita fecit Abraham Gen. 25. 5. *Deditq; Abraham cuncta quæ possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret, ad plagam orientalem.*

Vsitatum est hoc in eminentissimis & nobilissimis familiis, ne stirps ad paupertatem redigatur. Factum erat paulo ante ab Herode. Fieri igitur potuit, vt postquam pater distribuit cuiq; suam partem, minor, eam sibi paratâ pecuniâ repræsentari petierit, vt negotiando seruare & augere rem posset, neq; enim quid actarus esset, sed omnia alia prætendebat.

§. 2. Pecuniam igitur ille dissipauit: quæ vero bona sint, quæ à peccatoribus dissipentur, quorum figura prodigi pecunia erat, non est facilè explicare. Bona illa quæ naturalia sunt, vt liberum voluntatis arbitrium, facultas intelligendi, memorandi, aliaq; à Deo acceperunt oēs, nec peccando perdunt, nec redeundo recuperant. Alii bonos mores seu virtutem perdidisse aiunt, vt Theophyl. aliiq;. Facilè quidem est intelligere, quomodo ille viuendo male bonos mores perdiderit, non tamen quomodo eos à patre petierit, tuleritq;, sic enim dicendum esset, fratrem natu maiorem, bonos mores non petiisse, nec à patre accepisse. Qui docent Dei imaginem ab eo perditā. eos difficultates easdem dissoluere oportet. Imago enim illa vel in naturæ, vel gratiæ bonis relucet, itaq; in alterius sententiæ incommoda incidit, qui eam tuetur.

§. 3. Duobus igitur modis responderi potest. Primus est, vt omnia omnibus applicentur, & bona naturæ dissipasse dicatur, qui illis abusus est. Bona gratiæ, qui amisit: vt accipere bona gratiæ sit, ea quasi sua æstimare, non vt iad Dei gloriam. Alter modus est, vt non omnia omnibus applicentur, sed tantum describatur adolescens perditissimus, idq; ex factis particulatim. Nam primo longa illi vita est patris senectus, ante diem hæreditatem petit, patrios inquirit in annos. Deinde substantiæ suæ partem postulat, cum sit minor natu: quod si maior idem faceret, iam pater aut pauper, aut filiis obnoxius esset. Tertio, subesse patri, & ab eius imperio pendere, contra legē naturæ recusat. Quarto, collectis omnibus abit in regionem longinquam, iniurius in patrem & fratrem multis modis, etiam eo ipso, quod si quid post mortem fortè relinqueret, hæreditate proximos priuaret. Quinto, dissipat illa bona σώφρονως luxuriosè viuendo. Sexto, ad extremam egestatem redactus, nondum verè pœnitet, sed alienæ seruituti se mancipat, abiectissima quæq; suscipit, vt vitam tueatur: cum autem negatâ porcorum escâ, fame moriendum sibi videret, tum miserabili necessitate de patre cogitat. Hunc talem pœnitentem & dicentem, *Non sum dignus vocari filius sed fac me sicut vnum ex mercenariis tuis*, pater misericors recipit, nec obiicit, quis fuerit, pietatem præsentis collaudat. Hoc, inquit, si pater, qui & ipse malus est, facit: quid miramini si ego peccatores pœnitentes recipio? Nequissimo filio indulget pater, quia mutatum videt, lenis in sanguinem suum, cur non Deus suarum creaturarum misereatur? Nonne super omnia opera eius est misericordia illius? Hæc expositio, quæ omnibus quæstionibus, quæ collatione rerum singularum oriuntur, liberat, oprima & verissima censenda est. Nec tamen vlla particula otiosa est: omnes eo tendunt, vt significent prodigum omnia iura, naturæ, & ciuilia violasse, nullam fuisse in eo causam, cur eum pater reciperet, nisi benignitatem parentis, quæ res plus quam vera est, si de peccatoris cum Deo merè gratuitâ reconciliatione agamus. Nam prodigus ille sine patris auxilio ad eum rediit: peccator ne rogare quidem sine Dei adiutorio potest.

§. 4. Ambrosius ait patrimonium dari petentib⁹, nullam enim Dei regno ætatem esse infirmam, abire in regionem longinquam esse morib. separari, ibi famem bonorum operum sensisse, adhæsisse dœmoni, inanibus ventrem explesse ventis.

De filio prodigo Hieronymus ad Damasum multa præclara habet, quem diligens lector consulat.

VERSVS 15.

Et abiit & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suas vt pasceret porcos.

QVÆSTIO I.

Cui adhæsit?

§. 1. VNi ciuium. Syrus בֶּן בְּגֵי מְדִינְתָּא men bene medintha, vni ex filiis ciuitatis. ita fieri solet, vt qui filius esse non voluit, seruus esse cogatur. Patrem contēpserat, duro & crudeli Domino ἐκολλήθη agglutinatus est, non amando, sed obsequendo, blandiendo, adulando, laborando, porcos curando, seruorum omnium Vicarius. Misertimus adolescentis nobilis & opulenti status, cui antea inter delicias paternæ domus aderant omnium obsequia. Hæc etiam pars est ex moribus desumpta. Decoctores enim se in seruitutem vendere, aut si animosi essent, ire aliquo militatum, vel etiam ad gladium se auctorare solebant. *Conditio prodigi misera.*

§. 2. At ne sic quidem salutem inuenit; Dominus eum liberali & humana seruitute non est dignatus, sed in agrum misit, vbi erat durissima seruientium conditio. Minatur stomachabundus herus libero nimium seruulo, *Dura seruitus.*

Accedes opera agro nona Sabino.

Quin & iure ciuili cauetur de seruis, qui sub priore Domino mitiore obsequio fuerant exercitī, ne ad opera rustica mittantur.

§. 3. Duro igitur Domino mancipatur, qui benigni patris spreuerat frugalitatem, & imperium.

Ante

Ante enim luxuriosè vixerat seu prodigè: nam ἀσώτως prodigè viuere dicitur, qui nihil sibi seruat, aut qui est ἄσωτος qui ipse seruari non potest. Nec audio eos qui textum corrigunt, ipsi corrigendi. ἀσωτίαν enim Paulus vocat luxuriam, cum ait, ἐν πολλῇ ἀσωτίᾳ esse ἀσωτίαν, *in quo est*, inquit, *luxuria*.

§. 4. Contemptui additum supplicium, vt ne siliquas quidem quas porci edebãt, acciperet, tantũ aberat vt penũ illi crederetur: itaq; cũ certis horis porcis proiicerentur, ipse quoq; tum colligere, & inter porcos edere cogebatur, q̃ vita morte erat intolerabilior.

§. 5. Siliquas alii fabulas, alii Philosophorum doctrinas interpretantur. verum generatim dicendum est hoc simili designari, quã afflicta sit eorũ conditio, qui vitiis seruiunt, qui n. nutriebãtur in croceis, amplexati sunt stercora. Siliquas Ambr. fabas, pisa, aliaq; id genus legumina putat. alii non granis, sed vaginis consueuisse vti, Maldonatus ait esse, quas Hispani algarouas vocant, quas & porci & homines comedunt. Plin. l. 15 24. grana reiici, vaginas edi. Quod ad legumina attinet, Porci fabis ali solent, est enim quoddam fabarum genus, quod porcinum Germani appellant. Deinde fabarum & pisorum quorundam vaginis vesciuntur & homines, etiam delicati.

Κεράτιον Græcis dicitur corniculum, ad eorum similitudinem dicitur siliqua, leguminum folliculus, & arbor, de quâ Columella l. de arbor. c. 5. dicitur, & sic fœnum Græcum.

§. 5. De fructu siliquarum accipio illud Iuuen. sat. 11.

Experiere hodie nunquid pulcherrime dictu
Persice non præstem vitâ, nec moribus, & re
Sed Laudem siliquas occultus ganeo: pultes
Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.

Siliqua est arbor Plin. l. 13. Quin & Persius

Inuigilat siliquis, & grandi pæsta polentâ.

VERSVS 17.

In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.

QVÆSTIO I.

Quo se argumento ad pœnitentiam incitat?

§. 1. IN se reuersus est, seq;, ac suam miseriam considerans, gratiâ donat: non n. sine Dei gratiâ ad pœnitẽtię initia peruenit. *Quot*, inquit, *mercenarii abundant pane, ego fame pereo?* In domo, alia omittunt, alia ponunt, Sixtina editio retinet & Syra, sed Græca non habent. ἐγὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμαι. *Ego vero fame pereo*: quædã exemplaria interiiciunt δέ. ita Latinus & Syrus text⁹.

§. 2. Timor salutaris, quia inquit *fame morior*. Gradatio igitur illa est: consideratio pristinę felicitatis, & ei⁹ cum præsenti miseriâ collatio. Deinde timor mortis ex fame. Tertio, spes, si nõ veniæ, saltẽ meliotis status. Quarto, dolor, verecundia de peccatis, & deprecatio.

VERSVS 18.

Surgam & ibi ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te.

QVÆSTIO I.

Quid inter Patrem & Filium actum?

§. 1. PEccaui in cœlum, & in te. Confessione eum & sui accusatione aggressus est. In cœlum hoc est contra Deum.

§. 2. Fac me sicut vnum ex mercenariis tuis. nam ita sunt ista comparanda, quasi iusti sint aut esse velint mercenarii, frustraq; laborant, qui ista sic exponunt. Sed ille sensus est. Filii nobilis statum deteriorem fuisse, quam mercenariorum, qui in domo patris erant, ideoq; ad eum se aspirare, vt filius dicerẽtur, non iam postulare. Mercenarii conditione contentum ait: nam impudens petitio videri posset, si in pristinum statum, tanquam filius recipi postularet, ideo tanquam hæres, cum hæreditatem iam comesset.

Ita quoq; qui florentissima conditione dæmoni seruiunt, miseriores sunt, quibuslibet filiis Dei etiam in hac vita. Martyres in carcere, & in equuleo gaudio abundant, improbi in rosa curis pungentibus lancinantur. Verum hic tantum ostenditur patris benignitas, qui filio propriâ sententiâ damnato, tam propitius fuit. Quod ait in cœlum peccasse, habitatorem cœli intelligit.

§. 3. Vidit eum cum à longè esset, & miserabili specie, macilentiaq; pannosum, verecundanter ante uertit. Quis enim tam miserabilis adolescentis non misereretur, aut quis misereri debuit, nisi pater? Maior Dei est in peccatores bonitas, Isa. 65. 42. *antequam clament ego exaudiam*. Misericordia patris certat cum filij modestia. *Non sum*, inquit, *dignus vocari filius tuus, sed fac me sicut vnum ex mercenariis tuis*.

VERSVS 20.

Et vocauit vnum de seruis & interrogauit, quid hæc essent.

§. 1. QVædam Græca habent, τῶν παιδίων δύλων puerorum seruorum. Sed ex margine in textum irrepsit. Et illud notandum v. 21. οὐκ ἐπὶ μὲ particulam οὐ multa omittunt, Syrus addit, correcta omittit.

§. 2. Iubet dari vestem & annulum ingenuitatis insignia. Græcis στολὴ quamlibet vestem indicat: toga igitur eum & annulo adornat, vt ostendat, se eum in gratiam recipere, & in integrum restituere. Parimodo iusti restituti, sine dedecore peccatorum Deo iunguntur: Gloriæ enim magnitudo, omnem retro turpitudinem peccatorum abolet.

Cito inquit proferte, Græca exemplaria variant, alia habent ταχέως, alia non habent. Syrus non habet.

§. 3. Deniq; fratri seniori peccatorem excusat, & seipse, quod nimis in eum liberalis esse videretur.

VERSVS 13.

At ipse dixit illi, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.

QVÆSTIO I.

Filii obedientis esse omnia.

§. 1. SEnsus est, omnia quæ patris sunt, filio tandem cedere, etsi nihil acceperit, non hædum, non vitulum, nihil tamen illi deperisse, illi omnia superesse, si comparsit, sibi comparsisse. De fratre gaudendũ esse, quod gratia illi exhibita nihil primogenito noceat. Indiuisa enim parentis & filii bona erant. Ad lætitiam etiam de fratris salute filium exhortatur.

V. 32. Εὐφρανθῆναι, noster epulemur, propriè, gaudeamus, φαγόντες εὐφρανθῶμεν, noster quasi legerit, φάγωμεν καὶ εὐφρανθῶμεν.

QVÆSTIO II.

An quia mortuus erat, non potuerit gratiæ cooperari?

§. 1. PAreus lib. 6. de gratiâ & libero arbitrio cap. 5. hoc

hoc loco abutitur. [At mortuus, *inquit*, non se dis-
" ponit ad vitam, nec potest, nisi vim aliquam vitalem
" ab excitatore suo recipiat. Hic, auditores, paulu'um
" figamus pedem. Cum homo ante gratiam sit mortuo
" similis, imo verè mortuus in peccatis: falsa igitur om-
" nia, quæ aduersarius supra scripsit: hominẽ posse cre-
" dere, & cooperari gratiæ, si velit: posse Deo pulsanti
" aperire, si velit: gratiam efficacem, nihil esse nisi sua-
" sionem moralem, qua Deus instar elegantis oratoris
" nos trahat, quo velit. Nam profecto eloquentissimus
" orator elegantissima suasione non trahet mortuos:
" sed opus est vitali virtute infusâ: quæ proinde ad gra-
" tiam efficacem necessario requiritur.] At vero cum
aliis locis de morte illâ dictum sit, non repetã illa, quę
alias explicui, Hunc solum locum vrgeo. Et primo
quidem mortem spiritalem similẽ esse corporali, non
in omnib. planè circumstantiis, sed quibusdam. Itaq;
cum in morte spirituali, maneat vita corporalis, quæ-
dam potest homo operari intelligendo, videndo vo-
lendo. Deinde recipere potest dona quædam spirita-
lia, vt in Deum credat, speret, non tamen ad iustitiam
illa sufficiunt; his tamen motionibus cooperatur, &
non suis viribus, sed Dei gratia sese disponit. Hoc in
prodigi exemplo clarissimum est. Mortuus ille pro-
cul dubio erat, nec desperat tamen, nec inediâ vitam
finire cogitat: sed recordatur paternæ dom⁹, & pristi-
næ satietatis, suamq; cum mercenariis patris condi-
tionem comparat. Deinde peccatum agnoscit, & ora-
tionem, quâ patrem alloquatur componit, nec tamẽ
in integrum restitui petit, sed haberi tanquam merce-
narium se satis putat. Hæc omnia gratiâ Dei facit mor-
tuus ille, sed Dei inquam gratiâ, non suis viribus: Dis-
par ergo mortuorum est ratio, & tãtum in eo paritas,
quod quemadmodum mortui non possunt suis viri-
bus se vitæ restituere, ita nec peccatores ad iustitiam
redire.

Deniq; inconsideratè mortuus cum mortuo
prodigo *filio* comparatur peccator ea verborum pro-
prietate, vt quemadmodum in mortuo nihil sit præ-
parationis ad vitam, ita nec in peccatore ad iustitiam.
Neq; enim hic agitur de filio *prodigo* prorsus mortuo,
sed perdito. Perierat inquit pater, mortuus erat, revi-
xit. Mortuos dicimus, quorum vitam desperauimus,
qui in extremo sunt periculo. Vsitati locutionũ mo-
di sunt: *Perii, nullus sum.* Hinc igitur aduersarii textu di-
serto retunduntur. Ea conditio est peccatorum, quæ
fuit filii prodigi, ita Deo mortui sunt & iustitiæ, sic-
ut ille patri, & gratiæ paternæ. At illa mors prodigi
non erat verè mors, & naturalis, sed metaphorica:
mors ergo eorum qui mortui sunt in peccatis, com-
paratur morti figuratæ, non propriæ: non igitur ex
hoc loco ex propriæ mortis accidentibus aut conse-
quentibus, de morte spiritali iudicanda sunt omnia.
Sed in eo tantum est similitudo, quod vt ille morituꝛ-
rus erat fame, nisi ad patrem rediret, ita quoq; pec-
catores sine pœnitentiâ prorsus morituri erant: & vt
ille sine patris benignitate in gratiam redire non po-
tuit, ita nec peccatores. Nam abiectio, preces, la-
crymæ, squalor, miseriæ redeuntis, nisi misericordem
patrem habuisset, in cassum itura erant. Mors er-
go prodigi, de quâ pater eius loquitur, nihil offi-
cit, quo minus Dei adiutorio excitante ad vitam dis-
ponantur.

Hanc comparationem pulchrè Ambrosius expo-
nit. *Hæc apud se dixit. Sed non satis est dicere, nisi ad patrem*
venias, vbi illum requiras? vbi inuenias? Exurge primo, qui
sedens ante dormiebas. Et ideo dicit Apostolus. Surge qui dor-
mis, & exurge a mortuis. Iniquitas in talento plumbeo se-
det. Moysi dicitur, Tu autem hic sta. Stantes elegit Christus. Ex-
urge ergo, curre ad Ecclesiam: hic est pater, hic est filius, hic est
Spiritus sanctus. Occurrit tibi qui audit te intra mentis secreta
tractantem. Et cum adhuc longe sis, videt & accurrit. Vi-
det in pectore tuo, accurrit ne quis impediat, complectitur quo-
que, in occursu præsentia est, in complexu clementia. Et quasi
quodam patrij amoris affectu supra collum cadit, vt iacentem
erigat, & oneratum peccatis atq; in terrena deflexum reflectat
ad cœlum, in quo suum quærat auctorem. Cadit in collum
tuum Christus, vt ceruicem iugo exuat seruitutis, & collo tuo
iugum suaue suspendat.

§. 2. Tossanus ita in hunc locum commentatur. *Calumnia Tossani.*
[Maldonatus Iesuita hoc loco fatetur, Ambrosium,
Augustinum, Bedam, Bernardum, intelligere hunc "
locum de amissa Dei imagine, & libero arbitrio "
ad bonum, quo male vtens Adamus, & sese per- "
didit & suum arbitrium. Interim illam sententiam "
audacter reiicit tanquam sententiæ nostræ fauen- "
tem.]

Vt autem appareat. quam iniuriam faciat Maldo-
nato, eius verba proponam. *Solent plerique substan-*
tiam quam dissipauit, liberum arbitrium, cæteraque natu-
rales facultates interpretari. Sic Augustinus, Beda, Euthy-
mius, & Bernardus, in sermone de diuersis affectibus animæ.
Quod etsi sano ab illis sensu dictum est, nolim equidem dice-
re, ne quis existimet per peccatum perire liberum arbitrium:
quod noui dicunt hæretici, & Diuum Augustinum auctorem
se gloriantur eius habere sententiæ. Et vero, si velimus, *Non est li-*
quemadmodum hic auctores faciunt, singula subtiliter scru- *berum arbi-*
tari verba, reperiemus liberum arbitrium nec per partem il- *trium per-*
lam substantiæ, quæ minorem fratrem contingebat, significa- *ditum.*
ri: nec luxuriosè viuendo dissipari potuisse. Nam antequam
iuuenis ille à patre discederet, antequam suam ab illo hæredi-
tatem peteret, liberum vtique habebat arbitrium. Natu-
ram enim habebat suam, à patre quidem acceptam, sed ta-
men habebat: & hæreditatem, quæ præter, aut supra natu-
ram erat, petebat, & idipsum, quod petebat, libero profectò
petebat arbitrio, poterat enim non petere, quemadmodum
natu maior frater non petiuit, melius scilicet suo vsus arbitrio.
Non ergo liberum arbitrium petebat, quod iam habebat: non
ergo hæreditas illa, quam petiuit, quam accepit, quam dissipa-
uit, liberum significabat arbitrium. Non perdidisse autem
illud postea luxuriosè viuendo, vel ex hoc ipso loco perspicuum
est. Quo enim modo post substantiam omnem suam dissipa-
tam, post grauem toleratam famem deliberat? Quanti mer-
cenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic
fame pereo! Surgam & ibi ad patrem meum. Non enim
aut dicere, aut deliberare, aut facere sine libero potuit arbitrio.
Non enim perdiderat, sed habebat.

Alioqui liberum arbitrium non sublatum, sed
infirmatum peccato docet Augustinus. De libero
arbitrio ille videatur libro 4. cap. 2. contra duas epi- *Aug. negat*
stolas Pelagianorum. *Iam itaque Iuliani respondeamus* *liberum*
Epistolæ. Dicunt, inquit, illi Manichæi, quibus modo non com- *arbitrium*
municamus, id est, tot istis cum quibus dissentimus, quia pri- *periisse.*
mi hominis peccato, id est, Adæ, liberum arbitrium perie-
rit, & nemo iam potestatem habeat bene viuendi, sed omnes
in peccatum carnis suæ necessitate cogantur. Manichæos ap-
pellat catholicos, more illius Iouiniani, qui ante paucos
annos hæreticus nouus, virginitatem Sanctæ Mariæ de-
struebat, & virginitati sacræ nuptias fidelium coæquabat.
Nec ob aliud hoc obiiciebat Catholicis, nisi quia eos vide-
ri volebat accusatores vel damnatores esse nuptiarum. Li-
berum autem arbitrium defendendo præcipitant, vt de il-
lo potius ad faciendam iustitiam quam de Domini adiuto-
rio confidatur, atque vt in se quisque, non in Domino glo-
rietur. Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis
peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Li-
bertas quidem perit per peccatum, sed illa quam paradiso
fuit habendi, plenam cum immortalitate institutam: propter
quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Do-
mino, Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis?

vtiq;

vtiq; liberi ad bene iuste q; viuendum. Num liberum arbitrium vsq; adeo in peccatore non periit, vt per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet quod eis libet.

§. 3. Concilium Tridentinum hinc timorem initialem, & seruilem bonum esse docet. Tossanus hunc
„ in modum cõtradicit. [Falsum est ergo, quod Iesuitæ ex determinatione Concil. Trid. sess. 6. c. 6. in hunc
Timor initialis. „ locum annotant: Timorem seruilem esse salutarẽ: & metu pœnarum, exemplo huius adolescentis, conuerti multos ad Dominum. Nam talis timor nihil Pharaoni, nihil etiam Iudæis illis contumacib. profuit, de quib. Ps. 78. cum occideret eos Deus, quærebant eum & reuertebantur: sequitur autẽ postea, & mentiebantur lingua sua, & cor eorum non erat rectũ. Vt maximè ergo subigere soleat Deus nonnullos, & ad pœnitentiam præparare initiali quodam timore, vt loquitur Calu. l. 3. de Instit. c. 3. sect. 2. Ille tamen timor non est seruilis, vt videmus in hoc ipso adolescente, sed ex sensu & recordatione dulcedinis domus paternæ, & bonorum amissorum, & consideratione præsentis miseriæ: Quot, inquit, mercenarij in domo patris mei sunt, qui abundant panibus, & ego extinguor fame? Sic de populo Hierosolymitano dicitur Lament. c. 1. Recordatur Ierusalem dierum afflictionis suæ, & indigentiarum suarum, omnium desiderabilium suorum, quæ fuerunt à dieb. antiquis. Quod ad Mercenarios attinet, non est ita extendenda allegoria, ac si in regno cœlorum essent mercenarii. Nam ibi omnes sunt filii gratis adoptati: sed sic fieri potest applicatio. Quod vel minimi quiq; & abiectissimi abundent cõsolationibus in Dei domo, & sint meliori loco, quam qui sunt extra Ecclesiam. Sic Dauid Ps. 84. Malo esse in limine domus tuę, quam in tentoriis impiorum.]

Inane prorsus argumentum est. Pharaoni & Pharisæis nihil ille timor profuit, non est igitur vlli salutaris. Agnitio peccati Pharaoni non profuit; nam peccasse se crebrius fatetur. Sed mox ad ingenium redit, ergo non profuit prodigo. Prosunt illa non perficiendo pœnitentiam, sed aditum aperiendo. Adolescens ille non incipit ab amore patris, sed timore mortis, *hic fame pereo*: nec amor panum mercenariorum erat charitas patris, dolor bonorum amissorum non est charitas vera: non enim alium amat amore amicitiæ, qui bona amissa deplorat, sed illa bona amore concupiscentiæ sibi amat. Prodest ergo timor seruilis, cum inde animus percellitur, sed Dei gratiâ ad sperandum, amandumq; erigitur: non prodest, cum desperatione deprimit, aut charitate obruit, ne ad cuitationem imminentis mali enitatur. Imo ipsam pœnam Caluinus vtilem esse ait.

Timor præcedit, cum ad spem & pœnitentiam excitat.

Deniq; hic notandum, Caluinum hoc loco *pœnitentiam* vocare, non *resipiscentiam*, imo doloremrequirere, contra quem Beza, aliiq;. [Hîc pars altera pœnitentiæ notatur: nempe sensus peccati cum tristitia & pudore coniunctus, nam cui non dolet peccasse, & sua culpa ante oculos non versatur, quiduis potius tentabit, quam vt ad bonam frugem redire cogitet. Pœnitentiam ergo necesse est vt præcedat displicentia.]

CAPVT XVI.

DICEBAT autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. 2. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te: redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. 3. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mẽdicare erubesco 4. Scio, quid faciam, vt, cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. 5. Conuocatis itaq; singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? 6. At ille dixit: Centum cados olei. Dixit q; illi: Accipe cautionem tuam, & sede cito, scribe quinquaginta. 7. Deinde alii dixit: Tu vero quãtum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi. Accipe literas tuas, & scribe octoginta. 8. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. 9. Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. 10. Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. 11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis. 12. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? 13. Nemo seruus potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odiet, aut alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo seruire, & mammonæ. 14. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum. 15. Et ait illis: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. 16. Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit. 17. Facilius est autem cœlum & terram præterire, quam de lege vnum apicem cadere. 18. Omnis, qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur. 19. Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide. 20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus. 21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebãt de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. 22. Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autẽ & diues, & sepultus est in inferno. 23. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius. 24. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 25. Et dixit illi Abrahã: Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris 26 Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neq; inde huc transmeare. 27. Et ait, Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. 28. Habeo enim quinq; fratres: vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. 29. Et ait illi Abraham: Habent Mosen, & Prophetas audiant illos. 30. At ille dixit: Non Pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. 31. Ait autem illi: Si Mosen, & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

IN

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM

ARGVMENTVM

Diuinam in peccatoribus recipiendis admirabilem clementiam humanitatemque parabolis trib. expoſuit, nunc vero quod ſit hoc in genere peccatoris officium demonſtrat; nempe vt omni curâ ad impetrandam vitam tendat: ſi enim villicus ſeu diſpenſator, magna ſolertia futuræ inopiæ proſpicit, quanto magis ſollicitos eſſe nos oportet, vt cruciatus æternos euadamus? tanto diligentius, quanto eſt miſerabilius æternum cruciari, quam mendicare aut fodere, quæ cum filii huius ſæculi omni modo etiam per fas, & nefas fugiant, exempla præbent filiis Dei, tormentorum infernalium vitandorum. Additur de fidelitate in minimis, de non ſeruiendo duobus Dominis, non abolenda lege Dei, non dimittenda vxore, deniq; quoniam omnia iſta Phariſæi ridebant, adiungit hiſtoriam Lazari & diuitis epulonis, vt cognoſcerent, quam nihil ſit in opibus præſidii, quam multum periculi.

In Syricâ Eccleſiâ vſq; ad v. 19. leguntur Matutinis Dominicæ antequam ingrediatur ieiunium.

Inde vero hiſtoria Lazari, & epulonis ad veſperæ Dominicæ defunctorum. Quamuis ad verbum eſt, Vnius in ſabbato defunctorum. Nam רעברא ab עבר eſt peregrinari, vita fungi. Quâ ex re colligimus Syros quoq; defunctorum coluiſſe memoriam.

VERSVS 7.

Dicebat autem & ad diſcipulos ſuos. Homo quidam erat diues.

QVÆSTIO I.

Quis homo diues & villicus?

§. 1. HOmo diues quilibet dicitur, cui eſt œconomus ſeu quæſtor; cum enim diuitiæ adeò creuerunt, vt grauent Dominum, alter quærendus eſt, qui onus earum ſuſtineat. Villicus hic *diffamatus eſt*, διάβλητον, *calumniam paſſus* propriè, ſed hîc pro verâ accuſatione ponitur, cui tamen falſa iungi conſueuerunt, acerbitate litigantum.

§. 2. Villicum noſter vertit, qui Græcis œconomus dicitur, Hieronymus olim hoc monuit, nec mutauit tamen. Syrus habet רבבירתא *Rabbaitha, magiſtrum domus*; quod eſt propriè οἰκονόμον. Alij *diſpenſatorem* vocant, quem & *actorem* dicunt. Sicut Tertullianus οἰκονομίαν vocat *actum*. Sed Villicum antiquis dici conſtat, vt villicare, & villicationem: certè apud Martialem lib. 12. Epigr. 17. Villicus eſt diſpenſator.

Diſpenſat puer u, rogatq; longos,
Læuis ponere villicus capillos.

Cicero 5. Verrinâ, *villicum* & *cæſtodem* vocat. Et lib. 14. Ep. 3 14. ad Atticum *Villicos procuratores* nominat. Rerum autem domeſticarum curam habuit. Columell. libro 12. cap. 1. *Nec tamen inſtituendo villicum, rerum domeſticarum villico remittimus curam, ſed tantummodo laborum adiutrice datâ leuamus.* Villicare autem eſt præeſſe villæ, & negotiis Domini. Pomponius. *Longè ab vrbe villicare, quo herus raro venit, non villicari, ſed dominari, mea eſt ſententia.*

Villicus itaq;, & procurator, & diſpenſator olim, cum res Romana agriculturâ conſtaret, idem erat. Poſt manſit idem nomen etiam in illis, qui ruſticas rationes non tractabant. Itaq; villicare non eſt tantum ruſticari, vt Bezâ arbitratur.

Vt verò aduertas, quam delicati ſint antiquæ vernionis cenſores, & aliquando imperiti, Leges Ciceronis Orat. 10. Verrinam *Halicienſis Eumenidæ nobilis hominis & honeſti, magnæ pecuniæ Villicus cum impulſu tuo inſimulatus eſſet LLS. LX. à Domino acceptiſſi: quod nuper ipſe iuratus docuit, quem admodum geſtum eſſet.* Vbi villicus magnæ pecuniæ eſſe dicitur, non quæ Villici eſſet, ſed Domini, à Domino enim pecuniam Veres, non à villico accepit. Sic accepit ab equite K. C. Matriuio, quod eius villici paſtoreſq; ſuſpecti eſſent. Et Cicero pro Plancio: *Sic populus Romanus deligit magiſtratus, quaſi reipublicæ villicos: in quibus ſi qua præterea eſt ars, facilè patitur. Sin minus virtute eorum, & innocentiâ contentus eſt.* *Villicus reipub.*

§. 3. Interim villarum, & villicorum magna erat apud opulentos vſus, & horum æſtimatio. Nam crebro in villis habitabant, vt mirum non ſit, villicos vniuerſis rationibus præfuiſſe. Vide Senecam Epiſt. 51. *Illi quoque, ad quos primos fortuna Romani populi publicas opes tranſtulit, C. Marius & Cn. Pompeius, & Cæſar, exſtruxerunt quidem villas in regione Baiarâ, ſed illas impoſuerunt ſummis iugis montium. Videbatur hoc magis militare, ex edito ſpeculari latè longèque ſubiecta. Adſpice quam poſitionem elegerunt, quibus ædificia excitauerunt locis, & qualia: Scias non villas eſſe, ſed caſtra.* *Villicorum dignitas.* *Habitaturum tu putas vnquam fuiſſe in Vticâ Catonem, vt prater nauigantes adulteras dinumeraret, & adſpiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, & fluitantem toto lacu roſam, vt audiret canentium nocturna conuitia? nonne manere ille intra vallum maluiſſet, quod in vnam noctem manu ſuâ duxiſſet? Quid ni malit, quiſquis vir eſt, ſomnum ſuum claſſico, quam Symphonia rumpi?* Hieronymus ad Algaſ. quæſt. 6. *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, ſiue diſpenſatorem: hoc enim οἰκονόμον ſignificat: villicus autem propriè villæ gubernator eſt: vnde & à villa villicus nomen accepit: οἰκονόμος autem tam pecuniæ, quam frugum & omnium, quæ Dominus poſſidet, diſpenſator eſt: vnde & οἰκονομικὸς Xenophontis pulcherrimus liber eſt, qui non gubernationem villæ, ſed diſpenſationem vniuerſæ domus, Tullio interpretante, ſignificat.* *Villarum delicia.*

Ita eſt, ſi verba ſpectes, & etymon; quæ non correxit, ſed in vſu, vt dixi, villici eſt nomen pro diſpenſatore quarumcunq; rerum. Nec mirum villicum pro diſpenſatore poni, Iuuenalis præfectum vrbi ſic vocat Sat. 4.

\- - - - *vocantur*
Ergo in conſilium proceres, quos oderat ille,
In quorum facie miſeræ, magnæq; ſedebat
Pallor amicitiæ, primus clamante Liburno,
Currite iam ſedit, rapta properabat aboſla *Villicus vrbis.*
Pegaſus, attonitæ poſitus modo villicus vrbi.
Anne aliud tunc præfecti? quorum optimus, atque
Interpres legum ſanctiſſimus, omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iuſtitiâ, -- -- --

Pegaſus ille, quem Vrbis Villicum appellat

Poëta, non è villâ aut ab aratro adductus est, vt ideo sic vocetur, sed iuris peritissimus tempore Domitiani, à quo præfectus vrbis creatus est. Villicus igitur latè accipitur non pro solius villæ præfecto.

Quæ villicorum dignitas apud diuites fuerit, ex Senecæ Epistola 89. discas licet. *Quousque fines possessionum propagabitis? ager vni Domino, qui populum cepit, angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis, ne prouinciarum quidem satione contenti circumscribere prædiorum modum? Illustrium fluminum per priuatum decursus & amnes magni, magnarumque gentium termini, vsque ad ostium à fonte, vestri sunt. Hoc quoque parum est, nisi latifundiis vestris maria cinxistis: nisi trans Hadrianum, & Ionium, Ægeumq;, vester villicus regnet: nisi Insulæ, Ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum numerentur.* Et l. 1. de irâ.

§. 4. Villicum esse dæmonem putauit Gaudentius ad Geminium, alii pastores Ecclesiæ, alii diuites, vt Chrysostomus, Augustinus, Beda. alii omnes homines. Non dubito ad omnes pertinere, qui à Deo beneficia qualiacunque acceperunt, eaque non ex lege Dei vsurpauerunt. Dissipet enim bona Domini, qui contra voluntatem Domini illa impendit. Sic Ezechiel Israeli exprobrat capite 16. 17. *Et tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi: & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis. Sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illas: & oleum meum, & thymiama meum posuisti coram eis. Et panem meum, quem dedi tibi, similam, & oleum, & mel, quibus enutriui te, posuisti in conspectu eorum in odorem suauitatis, & factum est, ait Dominus Deus.* Vita autem & omnia eius præsidia sunt Dei munera, quæ gratitudinem, vt in auctoris honorem expendantur, natura requirunt.

Villici omnes homines.

Christus tamen ad diuitum liberalitatem excitandam præcipuè dirigit parabolam: *facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis.* Reuera omnia illa munera sunt: sed mutuo data, imò ipsa vita. nam

Omnia nobis mutuo data sunt.

Vita data est, vtenda, data est, sine fœnore nobis
Mutua, nec certâ persoluenda die.

Depositum igitur est, quidquid possides, tuum non est, cuius ratio ex abrupto reddenda est. Imò ipse alienus es, tui enim ipsius rationem exigetis. Insidiosa bona sunt, quæ grauant Dominum, omnes nisi prudenter vtentes mensurâ. Desiderantur, cum absunt, onerant cum possidentur. Pulchrè Seneca Epistola 15. *Subindè itaque Lucili, quam multa sis consecutus, recordare: cum adspexeris quot te antecedant, cogita quot sequantur. Si vis gratus esse aduersus Deos, & aduersus vitam tuam, cogito quam multos antecesseris. Quid tibi cum cæteris? te ipse antecessisti. finem constitue, quem transire ne possis quidem. si velis: discedent aliquando ista insidiosa bona, & sperantibus meliora, quam assecutis. Si quid in illis esset solidi, aliquando & implerent: nunc haurientium sitim concitant, & inuitant speciosi apparatus. Quod futuri temporis incerta sors voluit, quare potius à fortunâ impetrem, vt det, quam à me, ne petam? Quare autem petam, oblitus fragilitatis humanæ? Congeram in quid: laborem? ecce hic vltimus dies. vt nonsit, prope ab vltimo est.* Hoc si consideremus, id, quod vltimâ voluntate ordinamus, semper præ oculis haberemus.

Insidiosa bona.

Quod si huius mundi principes tam sunt in suos numerarios & actuarios seueri, mirari non debemus, si Deus bona sua rectè administranda nobis commisit. Vide de his Leges. libro 12. cod. tit. 50. præsertim legem Valentini & Valentis, *Qui numerarii.*

VERSVS 3.

Ait aut villicus intra se: Quid faciam. Quia Dominus meus aufert à me villicationem; fodere non valeo, mendicare erubesco.

QVÆSTIO I.

Cur non poterit villicare?

§. 1. QVæstionem mouent hoc loco nonnulli, vt Theophylactus, & Beda, quomodo si quis malè officium administret, mox illo moueatur, nec enim malus Christianus definit esse Christianus, nec dines iniustus continuo opibus exuitur. Verum eiusmodi quæstiones magis ex anxiâ, quam vera oriuntur omnium rerum applicatione. Fieri solet, vt si quis Oeconomum infidelem experiatur, rationes exigat, eumq; mutet, hoc quoque Deus solet, tardius, aut citius omnes ad rationes vocat, nullus illi decoquere potest, bonis autem priuat, quibus abusi sunt. Non igitur aliud significatur, quam bonorum vsum tolli, etiam vitam, aliaque ab illis qui malè impenderunt: nam quod relinquitur, vt viuant, in pœnam est. Quem semel Dominus in rebus infidelem inuenit, officio mouetur, si leges sæculi spectes: at Deus multos interdum annos dissimulat, sed tandem ad rationes reuocat. Rationes, qui illis obnoxii erant, cum omnium fortunarum periculo reddere cogebantur.

Villicus iniquus.

QVÆSTIO II.

Quid factum à Villico?

§. 1. PRimo quidem secum consultat, vafrum & iniquum consilium reperit. Debitoribus enim remittit partem, vt eos sibi amicos paret suo beneficio, alieno damno. Non sunt hic singulâ, sed vniuersè omnia proposito accommodanda. Duos debitores ponit, de cæteris idem intelligi debet, apud quos fraudis precium & silentium esse arbitrabatur. Vnum debitorem Iudæorum, alterum Gentilium populum vocant nonnulli: sed vix explicati potest, quomodo remissione debitorum eos sibi deuinciat. Dicendum est igitur, parabolam hunc in modum exponendam.

Si Dominus villici astutiam tam improbam, sibiq; damnosam laudauit, quod egestati futuræ callidè, prudenterque prospexisset: aut si ille in amicis parandis tantâ vsus est prudentiâ, quid nobis faciendum sit, facilè apparet. Deus enim si videat nostra nos egenis largiri, vt, cum ipsorum sit regnum cœlorum, ipsi nos recipiant in æterna tabernacula, verè non modo vt piè, sed etiam prudentissimè factum laudabit. Hic per fas & nefas de alieno largus amicos quærit, nefodere, aut mendicare cogatur, tu superflua non erogabis in pauperes, ne æternum torquearis?

§. 2. Porrò non omnia accommodanda docet S. Augustinus libro 2. qq. Euangel. quæst. 34. *In villico, Non eum quem Dominus ejiciebat de villicatione, & laudauit eum quod in futurum sibi prospexerit, non omnia debemus admittere, tandum sumere. Non enim aut Domino nostro faciendum est quod in aliquo fraus, vt de ipsa fraude eleemosynæ faciamus: aut tanquam à quibus recipi volumus in tabernacula æterna tanquam debitores Dei & Domini nostri fas est intelligi: cum iusti & Sancti significentur hoc loco qui eos introducant in tabernacula æterna, qui necessitatibus suis terrena bona communicauerint: de quib, etiam dicit, quod si quis vni ex istis pusillis calicem aquæ frigidæ dederit tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam: sed etiam è contrario dicuntur istæ similitudines, vt intelligamus si lau-*

laudari potuit ille à Domino qui fraudem faciebat, quanto amplius placent Domino Deo, qui secundum eius præceptum illa opera faciunt: sicut etiam de iudice iniquitatis qui interpellabatur à viduâ, comparationem duxit ad iudicem Deum, cui nulla ex parte iudex iniquus conferendus est. Athanas. quæst. 86. ad Anthioch. *Si quis fidelis ab infideli mutuo accipiat pecunias, quas alio conuertat, an possit hoc apud Deum excusare* RESPONSIO. *Cùm Dominus dicat: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: quia hoc de Græco, id est, Ethnico Cæsare dictum, diximus quod illaudabile sit de fraude dare. Eodem modo si in pauperes insumpta sunt eiusmodi pecuniæ, possunt pauperum preces Deo reconciliare, dicenti: Facite vobis amicos ex Mammona iniusto. Si vero in priuatos quosdam victus impensæ sunt, constat quod de duobus criminibus agantur rei, id est voluptatis, & furti.* Vbi potius suadere videtur, vt is cuius pecuniæ in pauperes impensæ sunt, contentus sit, alioqui nec de fraude dandæ sunt Eleemosynæ.

§. 3. In numeris nulla est aut difficultas, aut mysterium, certum enim ponit, & rotundum. Cadus Græcè κάδος, Hebraicè כַּד cad, dicitur, est enim tribus linguis seruatâ ciuiq; suâ terminatione communis. Aliquot exemplaria habent βάτους, est autem batus Hebræorum mensura. Syrus hoc loco habet מטרין *mathreiam*, quod est, *matretas*, à Græcis mutata voce, quod etiam idem Syrus repetit, & habet: *scribe quinquaginta metretas.* Sic etiam quædam exemplaria apud Bezam habent. Erasmus nostrum reprehendit, quod verterit, *cados*, defendit Georgius Agricola, qui *batum* & *cadum* & μετρήτην & κεράμιον docet esse amphoram atticam, & eandem prorsus mensuram.

Coros Syrus vocat בורין Curin, Hebræum, כור Coratidorum est mensura decem medimnorum atticorum fuit, Iosephus libro 15. antiquitat. cap. 12. Verè Augustinus libro 2. qq. Euang. quæst. 34. *Quod autem dicunt centum cadu olei quinquaginta scribi fecit à debitore, & de centum coris tritici octoginta, ad nihil aliud valere arbitror, nisi vt ea quæ similiter in sacerdotes, atque in Leuitas ludei, quæque operatur in Christi Ecclesia, abundet iustitia eius super Scribarum & Phariſæorum, vt cum illi decimas darent, isti dimidias dent: sicut non de fructibus, sed de ipsis bonis suis fecit Zacheus. Aut certe duplicet decimam, aut duas decimas dando superet impendia Iudæorum.*

Tertullianus libro 4. contra Marcionem cap. 33. *Vnde Mammonam quem intelligi velit, si interpretem non habes, ab ipso potes discere. Admonens enim nos, de secularibus suffragia nobis prospicere amicitiarum secundum serui illius exemplum, qui ab actu summotus, dominicos debitores diminuit, cautionibus releuari in subsidium sibi. Et ego, inquit, dico vobis, facite vobis amicos de Mammona iniustitiæ, de nummo scilicet, de quo & seruus ille. Iniustitiæ enim auctorem & dominatorem totius seculi nummum scimus omnes. Cui famulantem videns Phariſæorum cupiditatem amentauit hanc sententiam. Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Irridebant denique Phariſæi pecuniæ cupidi, quod intellexissent sc. Mammonã de nummo dictum. ne quis existimet in Mammona creatorem intelligendũ, & Christum à creationis illos seruitute reuocasse.*

Cautiones vocat τὸ γράμμα litteras, vt est apud Lucam.

VERSVS 8.

Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii huius sæculi prudentiores filiis lucis, in generatione sua sunt.

QVÆSTIO I.

Quomodo filii huius sæculi prudentiores filiis lucis?

§ 1. Filij huius sæculi sunt filii tenebrarum, Dæmonis, homines carnales: filii lucis sunt filii Dei. Filii sæculi non sunt filiis lucis sapientiores, verâ sapientiâ: eâ enim carent. Quoddam Exemplar apud Brugensem habet ante hæc verba: ὅτι υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, *qui: filii huius sæculi, διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, propterea dico vobis*, quæ cum in aliis non sint, omittenda censeo. *Filii huius sæculi non verè sapientes.*

Porro filios huius sæculi Rabbim vocant בני חעולם חזה *bene ha holam haze*, quibus opponunt בני אורח *filios lucis.*

§. 2. Sapientiores sunt ἐις τὴν γενεὰν αὐτῶν, *in generationem suam*, seu in genere suo. Hoc est maiore studio, labore, diligentiâ, cupiditates suas persequuntur, quam filii Dei pietatem & salutem. Quis enim tantum in virtutum se exercitio fatigat, quantum in auaritiæ ambitionisq; durissimis legibus penè improbi examinantur? *Sapientiores in genere suo.*

§. 3. Laudauit autem villicum ὁ κύριος nempe Dominus illius, non Christus. Syrus habet מרן *maran Dominus noster*, quod sine dubio corrigendum est, cum Christus ipse loquatur, non de se, sed patrefamilias. Laudauit autem industriam, non iniuriam. Ingeniorum enim & prudentiæ in malis etiam facinoribus decus apparet. Quædam mala laudantur, velut signa bonorum, lolia magnis incrementis surgentia solum commendant suum, & fertilitatis indicia sunt. *Villici ingenium non fraus laudata est.*

Cyprianus Epistola 73. ita interpretatur, vt à filiis huius sæculi velit non discere, quomodo Deus sit colendus. *Quod si Christi discipuli discere à Christo nolunt, quantum veneris & honoris paterno nomini debeatur: vel de exemplo terrenis ac sæcularibus discant, & sciant Christum non sine maxima exprobratione posuisse. Filii sæculi huius prudentiores sunt filiis lucis in sæculo isto. Si cuius patri aliquis conuicium fecerit, si contumelioſus ac procax pudorem eius, & honorem maledico ore lacerauerit: indignatur filius & irascitur, & læsi patris iniuriam quibus potest viribus vindicare conatur. Tu Christum putas impiis & sacrilegis, & in patrem suum blasphemis impunitatem dare, & eis in baptismo peccata dimittere: quos constet baptizatos, eadem adhuc in personam patris maledicta congerere, & incessabili blasphemantis linguæ scelere peccare?* *A filiis sæculi pietatem discere licet.*

Cyprianus inde concludit. Infructuosis fidem derogare libro de opere & Elemosynis. *Qui & alio in loco operarios & fructuosos fideles appellat: infructuosis verò & sterilibus fidem derogat dicens: si in iniusto Mammona fideles non fuistis, quod est verum, quis credet vobis? & si in alieno fideles non fuistis, quod est vestrum quis dabit vobis? Si veretur & metuit, ne si operari plurimum cœperis, patrimonio tuo largæ operationis finito ad penuriam forte redigaris: ecce in hac parte interpellus, esto securus: fiscus non potest, vnde in vsus Christi impendatur, vnde opus cœleste celebratur.*

VERSVS 9.

Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

QVÆSTIO I.

Cur dicitur Mammona iniquitatis?

Mammona iniquitatis.

§. MAmmona iniquitatis vocantur diuitiæ per nefas partæ; vel quod iniqui eas diuitias esse arbitrantur, non iusti; vel quod iniquitas est abundare alios, alios egere. vel deniq; quod homines faciat iniquos. *Diues omnis iniquus est, vel inique hæret.* Opes autem sunt irritamenta malorum. Syrus vocat רעולא *dechaula*, quod omnem *transgressionem* significat.

QVÆSTIO II.

Quid sit deficere?

Deficere.

§. CVm duo certa sint; nempe hos à Deo arceri, & ab officio moueri. Deinde non tamen ideò damnari, sed spem habere communionis sanctorum, tertium etiam certissimè concluditur. Deficere vel dici de illis, qui in peccatum lapsi gratiâ diuinâ priuantur. His enim dicitur: *Peccata tua Eleemosynis redime.* Syrus habet, *defecerit* Mammona scilicet; vero etiam sensu. vel rectius deficere eos, qui moriuntur, tum enim propriè in tabernacula recipiuntur.

QVÆSTIO III.

Quomodo recipiant in æterna tabernacula?

Recipere Bezæ sidem testiari.

§. AMicos vocat Beza, [non qui mortui pro viuo intercedant, sed quibus officia præstita fidem defuncti apud Deum testificentur, illa perinde ac in seipsum collata comprobantem, & gratis coronantem, vt loquitur ipse Dominus Deuteronom. 24. 13. Matthæi 25. vers. 40.] Verum satis ille sibi respondet. Nec dicimus mortuos, sed viuentes, & beatos, & sæculo defunctos intercedere, & ille ait officia præstita pauperibus, fidem defuncti apud Deum testificari. Mira sanè interpretatio. Amici vos recipient in æterna tabernacula, hoc est, officia amicis præstita testificabuntur fidem vestram, quæ est de prædestinationis certitudine. Principio quidem omnino à textu abit: Christus dicit amicos recipere, ideoque iubet amicos facere, si nihil illi agunt, si nec intercedunt, nec testantur sibi beneficia collata, non illi recipiunt vllo modo. Deinde Deus illa officia probat, & coronat gratis, si causam spectas; ex pacto, si promissionem.

Amici parandi, vt recipiant.

§. 2. Caluinus hunc in modum philosophatur, [Sicuti ante hac non iussit Christus sacrificia Deo offerre ex rapinis: ita nunc non intelligit vel deprecatores quærendos esse, vel patronos, qui suo præsidio nos tegant ac defendant: sed benignè erogando fauorem apud Deum acquiri docet, qui se misericordibus & humanis vicissim misericordem fore promisit. Stultè verò & absurdè quis mortuorum precibus vel suffragiis iuuari nos hinc colligat, nam hoc modo periret quidquid indignis impenditur. Atqui non obstat hominum prauitas quin Dominus in tabulas suas expensum referat quidquid in pauperes contulimus. Respicit ergo Dominus non ad personas, sed ad opus ipsum, vt beneficentia nostra, etiamsi in homines ingratos inciderit, nobis coram Deo respondeat. Sed ita videtur innuere vitam æternam meritis nostris rependi. Respondeo, satis clarè ex contextu patere, humano more eum loqui: nempe quemadmodum is qui gratiâ pollet ac opib⁹, si amicos sibi cõciliet in sua prosperâ fortunâ, perculsus aduersu casu habet à quib. sustentetur: ita nostrâ humanitatem nobis opportuni refugii instar fore, quia Dominus quicquid liberaliter in proximos quisq; contulerit, non secus ac sibi præstitum agnoscit.]

Caluin. patronos quærendos negat.

Deus eleemosynã in tabulas suas refert.

Humanitas.

Primo amplectimur, quod ait fauorẽ apud Deum acquiri, qui misericordib. vicissim misericordem promisit; si promisit, tenetur ergo promissis: ex pacto ergo miseretur, id verò nos mercedem dicimus. *Deinde opus respicit, non personas,* quod etiam ad meritum pertinet, quia respicit opus ex pacto. Personarum quidem ratio habetur: verum non pro temporariâ dignitate, sed gratiâ. Quod verò ait non quæri deprecatores, contra parabolam est. Nam ipsi amici, quibus beneficia collata sunt, recipiunt, non vt Domini sed vt administri. Quod si improbis eleemosyna data sit, eorum vice, Deus recipiet. Melius Aretius: [Alterum est spes boni, recipient vos in æterna tabernacula, hoc est, iuuabunt vos precibus suis apud Deum, vt vobis propitius sit Deus, & clemens iudex. Æterna tabernacula, pro vita æterna accipio, ad quam pauperes debent recipere diuites liberales. Non quod opus illud sit meritorium, aut quod penes pauperes sit admittere in cœlos, aut excludere quos volunt: sed inseruit oratio superiori parabolæ, qua dictum recipient me in domos suas. Et vt vita æterna merces dicitur Luc. 6. ita hic ornantur pauperum preces, quasi hæ conferant vitam æternam, quod solius Dei est. Ita clemens Deus est, vt sua dona in pauperibus coronet, quo nos liberaliores efficiat & propensiores erga egentes.]

Merces est gratia ex pacto data.

Amici quomodo recipiant.

Aretius prius admittere. Meritum non est eis dare. Mercedem pro operibus. Pauperes aliter recipiunt, quã Deus.

De meritis & pauperum precibus non ago hoc loco. Hoc notandum, quod ait: *ornari pauperum preces, quasi vitam æternam confirant, quod est solius Dei.* At non ornarentur preces illic à Christo falso, nisi etiam conferrent, non eo modo, quo Deus, sed alio, nempe intercedendo.

Nam vitam æternam conferri per preces alicui, non est eo modo conferre, quo Deus solus confert. Preces enim Deum esse & conferre vitam docent. Quisquis enim Deum precatur: infra Deum se collocat. Vt periculum non sit, ne honori Dei detrahatur, quod precibus tribuitur.

Itaq; etiam ipsi recipiunt, quia misericordia illis tanquam Dei famulis præstita, remunerationem habet. Quamuis Christus hic de pauperibus loquitur, vt beatis, nec merita eorum nos examinare, sed miseriæ succurrere docet. Sic Ambrosius. *Et ideo, ait, facite vobis amicos de iniquo Mammona, vt largiendo pauperibus, Angelorum nobis, caterorumque Sanctorum gratiam comparemus. Nec reprehenditur villicus in quo discimus non ipsi esse Domini, sed potius aliarum villici facultatum. Et ideo licet peccauerit, tamen quia sibi in posterum ex indulgentiâ Domini quæsiuit auxilia, prædicatur. Vbi & Sanctorum gratiam comparari rectè dixit, quia & villicus id agit, & vocat villicum facultatum Domini sui.*

Eleemosynã Sanctorũ gratiam colligimus.

§. 3. Tossanus ait: *Iesuitas intelligere merita & suffragia Sanctorum per amicos*, Ipse intelligit Deum, & amicos, *non quorum suffragiis iuuentur, sed in quorum consortium admittantur.* Sed ipsis amicis tribuitur actio admittendi, ipsi admittunt inquam, & villicum ipsi recipiunt in domos suas, quod votis suffragiisq; fit, non solo consortio. Imo cum expresse aliquid egerit villicus, vt reciperetur in tabernacula debitorum, eosque eo permouere conatus sit; cum etiam Christus iusserit facere amicos de mammonâ iniquitatis, vt nos recipiant, dubitare non debemus, aliquid eos in nostra receptione agere, atq; adeò id agere, propter quod amicos facere illos iubemur.

Amici diuersa quidem sed vera gunt.

Qvæ

QVÆSTIO IV.

An hinc bona opera probentur?

§.1. CLarius nihil pro operum necessitate dici potest, quam hoc loco habet Irenæus l.4.c.49. *Cum benè enim facientibus habitat Deus, quemadmodum Dominus ait: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt hi, quando fugati fueritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Quacunque enim, cum essemus Ethnici, de iniustitia accumulauimus, hæc cum credidcrimus, in dominicas vtilitates conferentes, iustificamur. Necessariè igitur hæc in typo præmeditabantur, & tabernaculum Dei ex his fabricatur, illis quidem iustè accipientibus, quemadmodum ostendimus, nobis autem præstensis in ipsis qui inceperimus per aliena Deo seruire.*

Si enim non modo credendum est, sed etiam diuitiæ expendendæ sunt, vt receptus sit nobis in alterâ vitâ, in errorem ducit, quisquis operum necessitatem negat.

§.2. Insignis locus, quo probatur posse fideles spe mercedis promissæ, ideoq; debitæ, operari, Quod libro 5. de iustification. cap.8. verissimè docet Bellarminus, Pareus vero licet ad alia loca respondere conetur, hunc tamen intactum præterit, adeo clarus est, vt quicquid opponitur, falsitatis arguat. Nam villicus idcircò debita remittit, vt apud eos receptum habeat. Neq; enim aliud cogitari potest, cur id fecerit, & si aliud illi fingant, Dominus tamen eius hanc esse causam dixit: vt igitur simili respondeat ἀντιπόδοσις, etiam fideles Christi, facultates suas spe mercedis expendent. Christus enim expressè monet, *vt faciant amicos de Mammonâ, vt cum defecerint, ac ipsi ant in aeterna tabernacula.* Hic planè illud locum habet: facio vt facias: do vt des, ita tamen vt meminerimus mercedem non operibus, & eorum præstantiæ, sed Dei pacto respondere.

Nec alia ratione Augustinus libro 2. q.q. Euangel. quæst. 38. *Quod autem dicit ad ea loca, in quibus torquentur impii, iustos etiamsi velint, non posse transire: quid aliud significat, nisi post hanc vitam ita recipis in carcere, vt inde non exeant donec reddant nouissimum quadrantem per incommutabilitatem diuinæ sententiæ, nullum auxilium misericordiæ posse præberi à iusto, etiamsi velint illud præbere? Quo admonet scilicet, vt in hac vitâ homines subueniant, quibus posint, ne postea etiamsi optimè recepti fuerint, eis quos diligunt opitulari non valeant. Illud enim quod scriptum est, vt & ipsi recipiant vos in aeterna tabernacula: non de superbis & immisericordibus scriptum est, qualis iste diues fuisse demonstratur, quod recipi à sancto in illa tabernacula mereantur: sed de his qui sibi amicos ostiosissimis operibus misericordiæ fecerint: quamquam nec ipsos iusti velut propriâ potestate quasi gratificando recipiant, sed promissione atque permissione illius, qui eos consilio præmonuit, vt sibi amicos facerent, & qui se ipsum pasci, vestiri, hospitio recipi, visitari in vnoquoque minimorum suorum, liberatoris bonitate dignatus est.* Nec poterit vllus, qui vel obiter scripturam inspexerit, dubitare, id rectè factum esse, ad quod nos per singulas penè periodos Deus hortatur, quæ benè agere iubet, vt viuamus. cauere à malo ne peramus.

Caluinus quidem fugere meriti mentionem conatur, sed reuera tamen mercedis agere intuitu nos
» docet. pag. 183. [Sed alius finis nobis propositus
» esse debet, quam vt soluto redemptionis pretio effu-
» giamus Dei iudicium: nempè vt liberalitas bene san-
» ctèq; locata, superfluas impensas frænet tantundem
» ac corrigat: deinde vt nostra erga fratres humani-
» tas Dei misericordiam in nos prouocet. Quare hic minimè effugium ostendit Dominus suis discipulis, quo se à reatu liberent, dum ab illis rationem exiget cœlestis iudex: sed maturè cauendum esse admonet ne crudelitatis suæ pœnam luant, si deprehensi fuerint, Dei bona ingurgitando, nullum beneficentiæ operam dedisse.] *humanitas*
» *Dei mi-*
» *sericor-*
» *diam*
» *prouo-*
» *cat.*

QVÆSTIO V.

An fidelis in minimo, fidelis etiam sit in maiori?

§.1. PLanè contrario modo & sentire & loqui solemus. *Eum, qui in magno fidelis est, in paruo etiam fidelem esse.* Qui enim magnos auri thesauros oculo irretorto transierit, lupinos non furabitur. multi autem in paruis fidem præstant, vt in magnis fallant. Tyrannidis causa ius violandum censent, quod ibi sceleri sit merces. in paruis fidem colendam. Hinc parua beneficia diuitibus collata, captationes sunt maiorum. *In magno fidelis est etiam in paruo.*

§.2. Prouerbialis tamen est sententia, quæ vt plurimum vera est, aut vera putatur. Vsitatum est enim seruulorum, aut puerorum fidelitatem in rebus minimis explorare, hinc quædam illis negotia principio committuntur, in quibus si fallant, prodere se, & manifestare, nocere Dominis non possunt. Per hæc autem si probati fuerint, quasi fideles ad magna adhibentur. Ita Cyrus cum agricolam industriâ effecisse videret, vt maxima poma ex arbore, quæ mediocria proferre solebat, nascerentur, vrbem illi donauit; asserens ex paruâ magnum posse eundem facere. *Prouerbiũ ex more sumptum.*

§.3. Christus ergo prouerbio ad commendandam Apostolis muneris sui magnitudinem, diligentiamq; in eo administrando vtitur: nam in hoc genere semper penè verum est. Qui enim in minimis hoc est caducis, fluxisq; bonis erogandis fidelis est, is in spiritalibus etiam fidelis est. Ratio est, quod hominum vitio minimorum bonorum magna est cupido, vt eos qui spiritales videntur crebro auaritia deuinctos tenet. Qui minima illa, quibus viscosâ tenacitate plerunq; animus affligitur, excusserit, is spiritalia facilè, quorum erogatione copia non minuitur, dispensabit. Itaq; sensus erit. *qui in minimo*, ἐν ἐλαχίστῳ, hoc est in rebus ad hanc vitam degendam pertinentibus, *fidelis est*, quæ sunt exiguæ, is quoque in magnis & æternis est fidelis. Quemadmodum verò homines magni existimant, quæ diuturna sunt, nempe pluris quatuor aureos certissimi census annui, quam ducentos, quos per media pericula ferunt: ita multo magis Deus omnia huius mundi bona parui æstimat, vt quæ iam omittenda sunt, æterna verò maximi facit, vt quæ non desinant. *Bonorum temporaliũ periculosa administratio.*

§.4. Constituendum est itaque ad felicitatem non esse momentum in secundâ vel aduersâ fortuna, vt monet Athanas. libro quæst. 68. *Sed & mali rectè valent, & secundantur, & sobolem educant frugi. Fortasse parua quædam bona fecerant, & hinc mercedem eorum abstulerunt: quomodo diues ille, qui audiebat: Recordare quod bona tua acceperis in vita tua. Quod est, accepisti abundè mercedem bonorum operum, quæ fecisti. Male verò se habent religiosi & Sancti hic, vt per afflictionem expurgati veluti Lazari, à suis peccatis ibi deinceps perfectè cum ipso, consolatione fruantur. Etenim quem diligit Dominus castigat. De cætero quid perturbaris videns sanctos esse in miseriis constitutos, & impios in fœlicitate, & seu porcos ad mactationem & ad æternum ignem saginatos & præparatos? Cæterum igitur noli perturbari. Non enim in his quæ nostra consistunt: sed oportet omnimodo eos, qui saluantur, per* *Secunda vel aduersa non sunt signa felicitatis.*

multas tribulationes ingredi regnum cœlorum. Hic enim Deo scopus est propositus, vt omnes homines saluentur, & ad cognitionem veritatis perueniant. Ea propter sæpè peccatoribus longanimitatem gratificatur, ansa illis ad pœnitentiam porrecta, vt quantumuis ad vndecimam horam in extremâ senectute conuertantur. Cur autem iustos breuis vita abripit? Vt ne, quemadmodum Salomon inquit, malitia auertat intellectum ipsorum, aut dolus decipiat animam ipsorum, perfecti paruo tempore compleuerunt dies suos. Accepta enim erat Domino anima ipsorum. Si enim felices facerent diuitiæ, omninò veræ essent.

VERSVS 2.

Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis quod verum est, quis credet vobis?

QVÆSTIO I.

Quomodo verum non creditur, in Mammonâ iniquo infidelibus?

Infidelis in Mammonâ iniquo.

§. INfidelis in Mammona iniquo dicitur, qui illum aut per nefas conquirit, aut auarè detinet, aut contra iustitiam dispensat; *huic*, inquit, *nemo credet*, aut committet *quod verum est*, seu veros thesauros, administrationem videlicet bonorum spiritualium. Veritas igitur opponitur Mammonæ iniquo, qui verus non est, sed fallax & specie opum impostor. Raptor verò aut auarus, aut prodigus Ecclesiæ præfici non debet, hic autem Apostolis Christus loquitur. Porrò tam libri, qui pro futuro *credet* habent *credat*, quam illi, qui pro *verum*, habent *vestrum*, corrigendi sunt.

VERSVS 12.

Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?

QVÆSTIO I.

An propria non credantur illis, qui in alieno sunt infideles?

§. 1. ADmirabilis illa sententia videtur. Multi aliena negocia oscitanter, perfidè, & flagitiosè curant, sua diligentissimè, sibi quisque proximus est, sibi fidelis.

Aliena nostra sunt temporaria.

Augustinus monet qq. Euangel. libro 2. quæst. 35. aliena non vocari quæ aliorum sunt, sed temporalia, quæ quamuis à nobis possideantur, non tamen nostra sunt, cum mox aut ipsa nos deserant, aut à nobis deserantur. Nostra vocari spiritualia, quæ in æternum permanent. Itaq; sensum esse: non rectè administraturos spiritalia, qui in humanis bonis fuerint infideles. Humana autem idcirco vocantur ἀλλότρια, aliena, vel vt Syrus בדלא ריולבון *badla delechum*, *in eo quod non vestrum*, quia certo tempore & conditione data sunt, velut deposita, non dominia aut proprietates, æternorum possessio nunquam auferetur; ideo vocat ὑμέτερα vestra, propria, hæreditatem. Cuicunq; enim dantur, is illa sua vocare potest, certus nunquam aliena fore.

Quod semper deserendum est nõ est tuum.

Tertullianus lib. 4. contra Marcionem legit: τὸ ἐμῶν, *quod meum est*.

Augustinus & legit & exponit libro 2. qq. Euang. quæst. 35. eo modo, quo iam dictum est. *Quod dicit: si in alieno fideles non fuistis: alienas appellat terrenas facultates: quia eas nemo moriens secum aufert, hoc est quod dicit Dauid, Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam non cum morietur, accipiet omnia, neque simul descendet cum eo gloria eius.*

Quod meum est, legitur quidem apud Tertullianum, sed ex Marcionis sensu: *Et illud itaque lucebit, quomodo dictum: si in Mammonâ iniusto fideles non extitistis, quod verum est, quis vobis credet? In nummo scilicet iniusto, non in creatore: quem & Marcion re ipsa mentitum facit. Et si in alieno fideles inuenti non estis, quod meum est, quis dabit vobis? Alienum enim debet esse à seruis Dei, quod iniustum est. Creator autem quomodo alienus erat Pharisæis, proprius Deus Iudaicæ gentis? Si ergo hæc non cadunt in creatorem, sed in Mammonam, quis vobis credet quod verius est, & quis vobis dabit, quod meum est, non potest quasi alius dixisse de alterius Dei gratiâ. Tunc enim videretur ita dixisse, si eos in creatorem, non in Mammonam infideles notando, per creatoris mentionem distinctiones fecisset Dei alterius non commissuri suam veritatem infidelibus creatoris. Quomodo tunc alterius videri potest, si non ad hoc proponatur, vt à re de quâ agitur separetur?* Videtur autem ita Marcion legisse, vt duos Deos statuerit, vt faceret bonum Deum aduersum, seuerum Deum sic disputantem.

Lectio apud Tertullian.

Alienum iniustum.

VERSVS 14.

Audiebant autem omnia Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum.

QVÆSTIO I.

Cur eum Pharisæi derideant?

Auaritia indocilis est iniquitatis.

§. 1. DIscipulos Dominus instituebat, sed præsentibus Pharisæis, & diligenter attendentibus, rident tamen, quia auari erant. Fons & origo demonstratur, vnde eorum in Christum alienatio, maleuolentia, criminationes, profluxerint. Auari erant pleni rapinis, & dolis, ideo Christi verba deridebant. Quia vero cum auaritia coniuncta erat ambitio, quâ virtutum, maximè liberalitatis, famam aucupabantur, ideo ringuntur, cum dedecora sua propalari animaduertunt. Ridebat Philosophum Antigonus, qui secum de iustitia disceptaret, quem videret sine vlla causâ aliena oppida oppugnare, Pharisæorum malitiam ipso verbo exprimit ἐξεμυκτήριζον, *sannis vexabant* & suspenso naso. Syrus מתקין חנו בה *memaknin hanu beh*, *irridentes erant in eum*. Et causam adiungit: quia argentum amabant. Auarus nihil serio agit, nisi quod lucro est. Omnes cogitationes huic vni studio postponit: adeò nihil non modo diuini, sed ne humani quidem æstimant, quos dira fames auri occupauit. Verè Seneca Epistola 115. *Hæc ipsa res tot magistratus, tot iudices detinet, qua magistratus & iudices facit, &c.* Eò tendunt versus Eurypidis, *quibus auditis totus populus consurrexit ad eiiciendum & auctorem & carmen.*

Auari fidium.

Ὦ χρυσὲ δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς,
Ὡς ὡδε μήτης ἡδονὰς τοίας ἔχοι,
Οὐ παῖδες ἀνθρώποισιν, ἃ φίλ' ὦ πατήρ.
Εἰδ' ἡ κύπρις τοιῶτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
Οὐ θαῦμ' ἐρῶσας μυρίας αὐτὴν τρέφειν.

Quæ Seneca sic vertit:

Pecunia ingens generis humani bonum,
Cui non voluptas matris, aut blanda potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Meritò illa amores cœlitum atque hominum mouet.

Dein-

Deinde explicat: *Cum hi nouissimi versus in tragœdiâ Euripidis pronunciati essent, totus populus ad eijciendum & asserendum carmen consurrexit vno impetu: donec Euripides in medium ipse prosiluit, petens, vt expectarent, viderentque quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illa fabula pœnas Bellerophontes, quas in sua quisque dat. Nulla enim auaritia sine pœnâ est, quamuis satis sit ipsa pœnarum. O quantum lacrymarum, ô quantum laborum exigit! quam misera desideratis, quàm misera partis est! Adijce quotidianas solicitudines, quæ pro modo habendi quemque discruciant. Maiore tormento pecunia possidetur, quàm quæritur. Quantum damnis ingemiscunt, quæ & magna incidunt, & maiora videntur! deniq, vt nihil illis fortuna detrahat, quidquid non acquiritur, damnum est.*

Hoc ergo ex fonte irrisus Pharisæorum, dum pro vitijs suis Christo litem intendunt, & veritatem facetijs se opprimere posse arbitrantur.

VERSVS 15.

Et ait illis: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est abominatio est ante Deum.

QVÆSTIO I.

Cur altum hominibus est abominatio apud Deum?

§. 1. CAusa redditur, cur iusti illi non sint coram Deo, qui hominibus iusti videntur, homines specie iustitiæ deluduntur, & affinia virtutibus vitia pro veris virtutibus habent: Deus è contrario & vitia odit, si sola sint, & si insuper hypocrisi fucata sint, magis abominatur, quia corda nouit. Nihil enim acerbius est simulatione iustitiæ, cum inique vinitur. Caluinus id quod *celsum* dicit Christus, interpretatur, *cultus fictitios. Quicquid excelsum homines ducunt abominationem esse Deo: non quod virtutes repudiet Deus, quarum laudem humanis cordibus impressit: Sed quia abominatur Deus quicquid proprio sensu homines extollunt. Vnde apparet quo loco habendi sint omnes fictitij cultus, quos suo arbitrio mundus sibi fabricat. Quantumuis enim suis inuentoribus placeant, Christus non modo vanos coram Deo, & nihili esse pronunciat, sed etiam fœtidos.*

Qua quidem in re & fallitur & fallit multos. Nam *excelsum hominibus* erat, vita Pharisæorum, doctrinaque: legem eos accuratè obseruare existimabant, ipsi Sanctimoniâ se singulari venditabant; hæc omnia, quia internâ animorum hypocrisi, auaritiâ, cum ambitione vitiata erant, Deus abominatur; non autem abominatur, si aliquid pro Dei honore agerent non iussi. Hoc enim Christus probare instituit; Pharisæos improbos esse, quamuis iusti appareant hominibus, quia DEVS eorum corda norit plena rapinis, & omni iniquitate. Nec de plausu hominum eos sibi plaudere oportere, cum id quod tam splendidum est in hominum oculis, DEO sit abominatio.

Quod si quis in conclaui orat, non iussus, si ieiunat occultè, carnibus abstinet, genua flectit, carnem castigat; idque syncerè ad diuinam gloriam, non abominatur nec animum, nec opus, ille qui corda sincera suscipit.

QVÆSTIO II.

Quomodo se iustificant coram hominibus?

Pharisæi iusti videri cupiebant.

§. 1. IVstitiæ laudem apud homines quærebant, itaque omnia eorum acta in eum scopum tendebant, vt iusti viderentur: at DEVS corda norat plena iniquitatis, simulata igitur non vera erat iustitia. Syrus. *Vos illi iustificantes animas suas coram hominibus.*

Iustitia imputatiua nouatorum reijcitur.

§. 2. Vera igitur iustitia non est, quâ iustitia nobis aliena imputatur, sed quia corda nostra purgantur, vt iusti simus. Quod verò Beza fingit Pharisæos non modo homines voluisse habere testes, sed quod somniarent externis obseruationibus se Deum ipsum promereri, ad hunc locum nequaquam pertinere potest.

Iustificare enim animas suas coram hominibus, ἐνάντιον τῶν ἀνθρώπων, non est eorum, qui Deum promereri velint, sed qui laudem iustitiæ & sanctitatis aucupantur, non coram filijs Dei, aut Angelis, sed vt Syrus habet: *coram filijs hominum.* Quomodo verò se iustificarint coram hominibus exponit Tertullianus libr. 4. contra Marcion. cap. 33. *Si autem & iustificantes se coram hominibus Pharisæi spem mercedis in homine ponebant, illo eos sensu increpabat, quo & Propheta Hieremias, Miser homo qui spem habet in homine. Si & adijcit: Scit autem Deus corda vestra, illius Dei vim commemorabat, qui lucernam se pronunciabat, scrutantem renes & corda.*

Nec verò eos Christus reprehendit, quod Deo operibus placere studuerint, sed quod omnia opera facerent coram hominibus, vt viderentur ab illis, omnia famæ, nihil veritati dabant.

Iustificare.

Porrò iustificare se non est hoc loco iudicare se iustos, neque solum sese defendere, & iustos prædicare. Verum omnibus modis id agere, vt spectatâ modestiâ, Zelo, Eleemosynis, ieiunijs, orationibus iusti videantur.

Fucum ergo hominum oculis obijciebant, sed quo Deum fallere non poterant. Ita quoque Caluinus; vt mirum sit Bezam aliud ausum: Dicit autem; [Satis illis esse si probi appareant hominibus, ac fucosa sanctimonia se venditent: Sed Deum qui cordium cognitor est, non latere quæ coram mundo abscondunt vitia. Vbi etiam notandum est inter Dei & hominum iudicia discrimen: quia quum externis laruis plaudant homines, apud Dei tribunal nihil præter syncerum cor probatur.] *Cor sincerum Deo approbatur.*

VERSVS 19.

Homo quidam erat diues qui induebatur, purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendide.

QVÆSTIO I.

An historica an parabolica sit narratio de diuite, & Lazaro?

§. 1. HIstoriam veram censent esse plerique Orig.

An historia, an parabola an. eps.

cap. 1. in Lib. Tertull. lib. 2. de animâ. Chrysostom. hom. 6. in 2. Corinth. Euthym. Tostatus. Ribera in 1. Oseæ. num. 44. Maldonat. ita maior pars etiam ex Hæreticis, vt Caluinus, alij. Parabolam esse docet Iustin q. 60. Theophyl. Antioch. libr. 4. allegoriarum Eucherius qq. in Lucam, & Chrys. in quatuor homilijs de Lazaro. Imò quidam codex apud Brugensem hæc verba proponit. εἶπε δὲ καὶ ἑτέραν παραβολήν. Colligo, *dixit autem & aliam parabolam*, quæ tamen verba addita sunt ab aliquo, qui connectere voluit omnia. Eodem tamen & Beza in suis duobus fuisse refert, putatq; eam præfationem necessariam, quod falsum est; nam optimè præcedentibus iungitur, vt ostenderet, quomodo Pharisæi errarent, dum opibus fidunt. Alij historiam & parabolam mixtam esse putant, vt Iustinus indicat, & probat Maldonatus.

Nullo firmo argumento probant historiã esse.

§. 2. Argumenta quibus historiam esse probant, infirma sunt. Primum est, quod in parabolis personæ non soleant nominari. Alterum quod Christus nullam parabolam ex rebus quæ post hanc vitam contingunt, vnquam sumpserit: cum parabolæ ex rebus notis sumi soleant. Res autem quæ post mortem eueniunt, à nostrâ cognitione absint longissimè. Non sunt, inquam, illa alicuius firmitudinis: potuit enim, vt fieri solet in Apologis, Christus nominare personas, & ferè in fabulis nominantur.

Nomen etiam in Apologo ex primi solet.

Par autem in contrarium est argumentum. Tantum, enim ad parabolam probandam volet, diuitis nomen omissum, quam mendici expressum: quod si vnum nominando, fidem historiæ conciliare voluisset, ad hoc diuitis celeberrimi nomen, cuius domus & fratres superetant, conuenientissimum erat non autem Lazari, quem nemo nosset.

Parabolæ etiam ex rebus futuri seculi.

Quod verò ad res futuri sæculi attinet, de illis parabolicè Christus loqui solet, vt quando ait futurum vt cum Abraham recumbant in regno Dei, *vt edant & bibant super mensam suam.* Nec nota erat vel bene, vel malè morientium conditio passim apud Iudæos, ideò Christus toties inculcat hominis beatitudinem, non ex huius vitæ bonis, sed futuri sæculi statu æstimandam.

Quædam parabolica sunt.

§. 3. Certissimum est, non esse omnem hanc narrationem, historicam. Aqua enim, digitus, lingua, & quæ dicuntur post mortem vtriusque, non sunt historica, cum animæ corpore non constent. Augustin. lib. 2. cap. 4. ostendit contra Vincentium Victorem non hinc concludi animam esse corpus, ex ipsius Vincentij verbis. *Quis aduersus Euangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, vt in alio paupere, qui post mortem ablatus est in sinum Abrahæ, & in illo diuite, cuius infernus cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat: Sed nunquid te docuit, quomodo anima sine corpore de digito pauperis aquæ stillam desiderare potuerit, cum ipse confessus sit, alimenta corporea non nisi propter fulciendas ruinas corruptibilis corporis sui animam quærere? Verba eius ista sunt:* Nunquid quia anima, *inquit*, aut cibum quærit aut potum; ad ipsam transire credimus pastum? *Et paulo post:* Vndè intelligitur, *inquit*, & probatur, non ad animam pertinere ciborum sustentacula, sed ad corpus; cui etiam præter cibum procuratur simili ratione vestitus, vt illi necessarius videatur pasturæ suggestus, cui comperit & ipsos habere vestitus. *Hanc ille sententiam suam satis euidenter expositam, nonnulla etiam similitudine illustrans, adiecit, atq; ait:* Quid autem putamus inquilinum quemquam suæ habitationi prospicere? Nonne si eam senserit aut tecto tremere, aut nutare pariete, aut labare fundamine, destinas quærit, strues congerit, quibus imminentem possit ruinam sedulò diligenterque fulcire, ne sub periculo mansionis discrimen videatur impendere mansori? Ita ergo & animam recognosce, *inquit*, carni suæ desiderare cibum, ex qua ipsum concipit sine dubio desiderium. Vide eundem Augustin. Hær. 86. & Epist. 157. & lib. 4. cap. 15. Sic objicebat Victor. Respondet Augustin. *Hæc dicens, si agnitionem hominis non putas prouenire sine corporis forma; vt noueris teipsum credo quòd assiduè speculum attendis, ne si fueris oblitus faciem tuam, non te possit agnoscere. Rogo te quem magis hominum nouit homo quam seipsum, & cuius faciem potest videre minus quàm suam? Quis autem potest cognoscere Deum, quem tu quoque incorporeum esse non dubitas, si præter corporis formam, sicut putas, non potest cognitio prouenire, id est, si corpora possunt sola cognosci? Quis autem Christianus de tam magnis difficilimisque rebus disputans, animum in verba diuina tam negligenter intendat, vt dicat, si incorporea est anima, necesse est careat forma? Oblitus es te formam legisse doctrinæ? Ergo corporea est forma doctrinæ. Oblitus es scriptum esse de Christo Iesu ante quam hominem fuisset indutus, quod in forma Dei erat? Quomodo ergo dicis?* Si incorporea est anima, necesse est careat formâ, *cum audias formam Dei quem non esse corporeum confiteris, & ita loqueris tanquam forma nisi in corporibus esse non possit?* Dicis etiam cessare illic nomina, vbi non distinguitur forma, & nihil illic agere appellationem nominum, vbi nulla est designatio personarum. *Hinc volens probare Abrahæ animam fuisse corpoream, quia dici potuit pater Abraham. Iam diximus etiam vbi corpus nullum est, esse formam. Si autem appellationem nominum nihil putas agere, vbi non sunt corpora, numera ista nomina quæso te. Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia: & dic mihi vtrum res ipsas non agnoscas, quarum ista sunt nomina, vel sic agnoscas velut aliqua liniamenta corporum videas. Ecce vt alia taceam, dic mihi quam figuram, qua membra, quem colorem charitas habeat, quæcunque ipsa inania non es, inane aliquid tibi videri non potest.* Cuius auxilium imploratum est, *inquis*, corporeus vtique visus est atque formatus. *Audiant te homines, & Deinemo imploret auxilium, quia nemo eum potest videre corporeum.* Vide & cap. 16. ibidem.

Non omnia formam corporeã habent.

Nomina sunt vbi non sunt corpora.

§. 4. Certissimum etiam est diuitem quendam damnatum, pauperem quendam saluatum. Id enim fieri solet. Ex eo igitur quod Christus contigisse nouerat, parabolam contexuit. Vt si quis Diogenem ab Alexandro contemptum in dolio narraret, deinde eius mortui, cum Alexandro item mortuo colloquium adderet, quod demonstraret Cynico regem nihilo esse feliciorem. Augustin. lib. 2. qq. Euangel. quæst. 38. allegoricè exponit. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur splendidè quotidie: & catera. Per allegoriam si accipi possunt, vt in diuite intelligantur superbi Iudæorum, ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. Purpura & byssus, dignitas regni est. Et auferetur,* inquit, *à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam. Epulatio splendida, iactantia legis est, in qua gloriabantur plus ad pompam elationis abutentes ea, quam ad necessitatem salutis vtentes. Mendicus autem nomine Lazarus, quod interpretatur adiutus, significat indigentem, veluti gentilem aliquem aut publicanum, qui tanto magis adiuuatur, quanto minus de suarum copia facultatum præsumit.* Et deindè singula explicat. *Micæ cadentes de mensa diuitis, sunt quædam verba legis, quæ illi iactantes quasi proijciebant in terram, cum superbè populo loquerentur. Vlcera autem sunt confessiones peccatorum, velut mali humores à visceribus intimis foras erumpentes. Canes qui ea lingebant, nequissimi homines sunt amantes peccata, qui lata lingua etiam laudare non cessant opera mala, quæ in se alius gemens & confitens detestatur. Sinus Abrahæ requies est beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, in quo post hanc vitam recipiuntur. Sepultura inferni, pœnarum profunditas, qua superlos & immiseri cordes post hanc vitam vorat.* Quos ta-

Diues quidam damnatus. Lazarus pauper saluatus.

Allegoria expositio.

Purpura & byssus expositio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quem Dominus in ista narratione dicit videre à longinquo atq; sentire beatorum requiem, quò sanè transire non possunt. Quòd autem linguam sibi vult refrigerari, cùm in flamma ve-que totus arderet, significat quod scriptum est: Mors & vita in manibus linguæ: & quia ore confessio fit ad salutem, quod per superbiam ille non fecit. Extremum autem digiti vel mi-nimam operationem misericordiæ significat, qua per Spiri-tum sanctum subuenitur. Cui autem ei dicitur: Accepi-sti bona in vita tua, illud tangitur, quia felicitatem dilexit sæ-culi, nec aliam vitam præter istam in qua superbus tumebat, amauit. Lazarum autem mala dicit recepisse, quia intel-lexit huius vitæ mortalitatem, labores, dolores, & ærumnas, pœnam esse peccati: de quo scriptum est: Fuimus & nos natu-raliter filij iræ, sunt & cæteri.

Euthymius nomen diuitis ponit ex Hebræâ tra-ditum; Epiphanius aliquando parabolam aliquando historiam appellat. Sed de nomine Nicusi vana est Hebræorum fabula.

§. 5. Historiâ igitur Christus est vsus, vt auaris o-stenderet, opes occasionem tormentorum esse, non felicitatis. Accepit verò certi alicuius diuitis gesta in-tertot myriadas damnatorum; eius scilicet, cuius an-telanuam Lazarus iacuit, & incassum mendicauit, donec; fame emoreretur.

QVÆSTIO II.

Quis diues?

§. 1. SPlendidum fuisse, & veluti principalem quen-dam ostendit purpura, quæ Regum & regio-num Principum aut aliorum erat. Correcta habent qui induebatur; Græca & Syra: Et induebatur. De no-mine ante dixi esse fabulam Hebræorum.

§. 2. Porrò tria de diuite recensèt Euangelista: Purpura, byssò indutum, quotidiè splendidè epula-tum. Quod vero his omnibus grauius est, non ex-pressit disertè, nempe crudelem inhumanitatem di-uitis, quod scilicet ingrediens & egrediens Lazari malis nihil moueretur. Notum enim illi Lazarum fuisse constat. Animæ enim defunctorum, quæ in hac vitâ gesta sunt, meminerunt, pœnas verò in il-la vitâ luunt, nec vnquam in corpora reuertuntur. Plenissimè, inquit Iren. libr. 2. cap. 62. aduersus hæ-reses. Dominus docuit, non solum perseuerare non de corpo-rum corpus transgredientes animas, sed & characterem cor-porum, in quo etiam adaptantur, custodire eundem: & memi-nisse eas operum quæ egerunt hic & à quibus cessauerunt, in (ea) narratione quæ scribitur de diuite & de Lazaro eo, qui refrigerabatur in sinu Abrahæ: in qua ait, Diuitem cogno-scere Lazarum posìt motem, & Abrahæ autem similiter, & manere in suo ordine vnumquemque ipsorum, & postulare nihil et ad opem ferendam Lazarum, cui ne quidem de men-sa sua micis communicabat: & de Abrahæ responso, qui non tantum ea quæ secundum se, sed & quæ secundum diuitem es-sent, sciebat & præcipiebat Moysi assentire & Prophetis eos, qui non vellent peruenire in illum locum pœnæ, & recipientes præconium eius, qui resurgeret à mortuis.

§. 3. Purpuratum describit Lucas, non quod He-rodes fuerit, vt nonnulli arbitrantur; ille enim quin-que fratres superstites non reliquit, sed omnibus ipse superfuit. At nec alium regem fuisse credendum est. Purpura erat plurium, non modo Regum. Mi-senus illam indutus erat; Virg. lib. 6. Æneid.

Purpureaq; super vestes velamina nota.

Et Liuius lib. 34. *Purpura vti, ait vivos, & cum hoc insi-gnietiam cremari mortuos.* Et Cicero lib. 2. de Legib. quo loco vide Turneb. alios. Purpura verò inter co-lores principatum obtinuit, quod pulcher & ful-gens,

Tyrioq; ardebat murice lana.

De cane & flore vide apud veteres fabulam. Verè fa-bula est. Nam ante Herculem purpura fuit. Quod si quispiam quærat, cur tantus honor sit purpuræ: quid aliud respondeamus, quam cæcorum esse quæ-stiones? Purpuræa enim in suo genere pulchra lætaque vocamus. Aeneæ mater *lætos oculis afflat honores*, &, *Purpura color lætus.*

Lumenq; iuuenta
Purpureum sic Diua lasem
Roseæ perfudit luce iuuenta.

Fecit scilicet vt vocant ἐρυθροπάρθενον seu φοινικοπάρθενον, *purpureis florere genis.*

Spectatissimè igitur vestiebatur diues: Siue pur-pura punica fuit, siue alba. Id quod de candidâ do-ctissimè docet noster Ludouicus in Virg. lib. 1. *Sexto demum cycni purpurei dici queunt omni proprietate, nam du-plicem esse purpuram, puniceam & albam, nemo dubitat. Hi-spani certè grana blanca habemus & nominamus. Sed & in auctoribus mentio est purpuræ candidæ. Plutarchus in Alex-andro, vbi loquitur de purpura Hermioniaca, ait illam mul-tos annos seruare colorem recentissimum, ac floridum, cuius rei causam assignans dicit puniceam purpuram spectabilem diu permanere, si infectura illius fiat melle; candidam quoque durare, si fiat oleo candido. Græca, quæ adrem, ἄπιον ϑ τὸ φαιὸν τὸ τῶν βαφῶν διὰ μέλιτος γίνεσθαι τῶν ἁλουργῶν, διὰ ἐλαίου ϑ λευκοῦ τῶν λευκῶν. Vides vt agnoscat vtram-que purpuram. Cur non igitur de candida captatur Horatius? cur non Albinouanus, cum scripsit,* *Purpura candidiora.*

Brachia purpurea candidiora niue,

In elegia de obitu Mæcenatis. Cur non ille versiculus,

Purpurea sub niue terra latet.

Cur non mille alij? Certè Domitius Flaccum lib. 4. Arg. vo-cantem salem purpureum de candido accipit, & purpureos olo-res Horatij etiam de candidis: ad idem pertinet Epigramma Marij Molsæ poëtæ Itali:

Candentem indutus cycnum dum Iuppiter ardens,
Dilecto Lede serperet ingremio,
Iuno ait, Humanos potius mihi sumpseris artus,
Quisquis in hac falsa ludis adulter aue.
Vel mea purpurea canescant pectora pluma,
Hæc mihi fit, cupiam, lege colendus amor.

Denique Hispanus poëta Ioannes de Mena multis nominibus insignis, qui floruit rudi sæculo, non minus atque olim Ennius, candidam purpuram agnoscit octastichо 72. cum ait:

De candida purpura su veri dura.

§. 4. Purpuræ additur Byssus, splendori lasciua mollities, de quâ in exodo satis dixi. Id solum mo-neo; linum esse tenuissimum, molissimum, pellu-cens, & interdum quod in eo genere præstantissi-mum erat, auri solitum æquiparari, vt est auctor Plinius. *Byssus.*

VERSVS 20.

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus.

QVÆSTIO I.

Quis Lazarus?

§. 1. NOn illæ Marthæ & Mariæ frater erat, viue-bat ille, nec pauper ad diuitis ædes vnquam vlcerosus iacuit. *Lazarus non est frater Mariæ.*

Verum alius cuius festũ Ecclesia celebrat. Lazarus autem

Lazarus Eleazar.

autem Syriacè dicitur לעזר *Lo-hazar*, quod est ab עזר adiuuare Tertullian. de Idololatr. legit: *Eleazar*, & Prudent: Hymno de sanctorum exequijs. Sed deest prima littera א, quæ fortè à Syris extincta est; dicendum enim אלעזר *Elih-zar*. Pammelius apud Tertull. lib. de Idololatr. cap. 13. substituit pro dictione Eleazar, vsitatum, nempe Lazarus. Melius alij interpretantur, *adiutum*, vel potius ad adiuuandum, quia à diuite vocatus est ad adiuuandum.

Erasmus Hebraice nesciuit.

Porrò Erasmus ridiculè formatab עזר *Chazar*, & יה *Iach*, cum non sit vlla illius dictionis litera in Lazaro, sed quia יה Deum significat; putauit hic יה positum, cum si nomen DEI ponendum sit, non aliud quam אל *El*, esse possit. Hinc videas magnos illos censores, ne legere quidem Hebraicè nouisse.

§. 5. In hoc omnia contraria diuiti: (Pauper erat: pro palatio, ad ianuam iacebat: pro purpurâ, erant vlcera: pro luxu diuitis, fames: pro obsequio adulatorum, canes vlcera lingentes, qui naturâ duce velut ad cadauer accesserunt.

§. 6. Vers. 21. Illa verba: *& nemo illi dabat*, à Græcis, Syris, & pluribus Latinis absunt, sed à correctoribus Sixtenis relicta sunt, quos habuisse optimos codices, nemo dubitat. Corrigenda sunt & hic Latina, quæ habent *vulnera*, pro *vlcera*, est enim ἕλκη, non τραύματα, & Syri סיחנוהי *Sehu henauhi*, *vlcera eius.*

VERSVS 22.

Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues & sepultus est in inferno.

QVÆSTIO I.

Quo Lazarus deductus est?

Lazari quies

§. 1. POrtatus ab Angelis est in sinum Abrahæ. Ab Angelis inquam portatus, non quod anima à corpore separata mouere se nequeat, vel trunci aut saxi instar immota persistat, sed quod Angelorum comitatu in locum à DEO paratum sit deducta.

Opponitur ei quod dicitur ἐβέβλητο *proiectus est*. Qui enim ab hominibus proijcitur ab Angelis portatur.

Abraham pater omnium credentium.

§. 2. In sinum Abrahæ deductus est Lazarus, non Adami, aut alterius. Abrahamo enim factæ sunt promissiones, Genes. 12. 3. & 18. 18. & 22. 18. Deinde ille pater est omnium credentium; ideoque quicunque fide verâ, & viuâ vestigijs Abrahami insistit, eius filius est, ideoque in sinum patris transfertur. Chrysostom. Homil. 3. de Lazaro ad hospitalitatem Abrahami refert; sed ea pars est virtutum eius, ob quas tanta illi dignitas collata est. Multæ autem causæ adferri solent, sed vnica sufficit, quod pater sit omnium credentium.

Sinus Abrahæ.

§. 3. Quo loco fuerit ille sinus, incertum est. Hoc certum est, locum fuisse quietis, vbi Abraham, cæterique fideles agitabant, donec tabernaculum non manifestum in cœlis à Christo pontifice aperiret ur. Ita Augustinus ad Dardan. Epist. 57. & Epist. 99. ad Euodem.

§. 4. Sinus Abrahæ Caluino locus certus non est, cum tamen vt locus certus describatur, & inferis oppositus. De consolatione idem anceps est. [Si quæratur, an eadem hodie pijs conditio reposita sit post mortem, an verò Christus resurgendo sinum suum aperuerit, in quo tam Abraham ipse, quam pij omnes quiescant: breuiter respondeo, sicuti luculentior Dei gratia per Euangelium nobis affulsit, & Christus ipse Sol iustitiæ suo aduentu salutem nobis attulit, quam eminus sub obscuris vmbris Patribus intuendam olim datum est: ita minimè dubium esse, quin mortui propius ad cœlestis vitæ fruitionem accesserint. Interea tenendum est, immortalitatis gloriam vsq; ad diem vltimum redemptionis differri.]

§. 5. Sinum Abrahæ ita dictum constat, non quod more veterum Lazarus in sinu Abrahæ iacens recumberet, cum nec Abraham, nec Lazarus corpore essent præditi, sed vel locus ille totus ita dicitur, vel specialiter conditio Lazari indicatur, eum scilicet Abrahæ charissimum esse, quemadmodum filium, quem sinu pater complectitur.

Quamuis locus quietis ante Christi ascensionem sinus Abrahæ dicatur, nomen tamen illud etiam cœlo tribuitur, ita Martinus: *Abraham me sinus excipiet.*

QVÆSTIO II.

Quo delatus diues?

§. 1. SEpultus est in inferno; de animâ loquitur: nam illa à dæmonibus in infernum demersa est. Ita Latina lectio habet. Græci tamen interponunt, inter *sepultus est*, & *inferno*, particulam. Καὶ & ἐτάφη, καὶ ἐν τῷ ἅδῃ *Sepultus est, & in inferno &c.* *Diuersa lectio.*

Nec sanè ratione caret diuersa lectio, nec auctoritate. Erasmus ita de hac re disputat. [Et sepultus est in inferno. Græcè secus est, καὶ ἐτάφη, καὶ ἐν τῷ ἅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς, id est, & sepultus est & in inferno sublatis oculis. Vt sit sensus, diuitem quoque qui felicitatem posuerat in opibus ac deliti js suis, similiter mortuum fuisse ac sepultum, quemadmodum & pauperculum illum. Cæterum animam, quæ deuecta fuerat ad inferos, sublatis oculis vidisse Abraham. Alioqui qui poterat tollere oculos sepultus? Ad hunc sanè modum planè distinguit & Theophylactus, qui ab eo loco. Et in inferno eleuans oculos suos, noui capitis facit initium, commentario in medio interposito. Similiter distinguit Augustinus in sermone quo enarrat hunc versiculum. Tibi derelictus est pauper: & vide, inquit, exitus amborum. Contigit enim mori inopem illum & auferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est, & diues, & sepultus est: nam pauper forte non sepultus est, &c. Rursus homilia quæ est ex quinquaginta septima, distinctionem Græcorum sequitur. Vnde mirum est Bedam Augustini compilatorem sequi diuersum. Quæ referuntur in Aurea catenâ ex Chrysostomo, duobus verbis deprauata sunt, quæ si abessent, prorsum nobiscum facerent. Nam in hoc Philosophatur, quod diues tantum sepultus legitur, nec vlla fit mentio famulorum aut amicorum qui morienti adfuerint, eo quod diuitem vbi ventum est ad vitæ finem omnes destituere solent. Tantum sepultus dicitur, cuius anima prius erat sepulta in corpore. In hanc ferè sententiam Chrisostomus.] Eandem lectionem Syrus omninò retinet. Nam postquam versum 22. dixit ואתקבר *Vetsikbar, & sepultus est.* Versum 23. sic incipit: ובר משתנק בשיולא *Vecad masch-h nec beschul, & cum torqueretur in inferno.*

inferno, ex quo patet, non referri infernum, ad verbum *sepeliendi*.

Sepultura diuitum in inferno: Ezech. 32. *Ibi Assur & omnis multitudo eius: in circuitu illius sepulchra eius: omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio, &c.* Augustinus vtramq; lectionem habet.

Eleuans oculos: nam ante diuersi erant vanâ opum opinione, vt Chrysostom. Mihi est, & inde oculos sustulit.

VERSVS 23.

Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis vidit Abraham à longe & Lazarum in sinu eius.

QVÆSTIO I.

An dives Lazarum viderit?

§. 1. TErtullianus libr. de animâ capit. 7. hinc docuit animam corpoream esse. *Quantum ad Philosophos satis hæc, quia quantum ad nostros ex abundanti, quibus corporalitas animæ in ipso Euangelio relucebit. Dolet apud inferos anima cuiusdam, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digito animæ fœlicioris implorat solatium roris, imaginem existimas exitum illum pauperis lætum, & diuitis mœrentis? & quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est? Sed etsi imago credenda est, testimonium erit veritatis. Si enim non haberet animæ corpus, non caperet imago animæ ignem corporis: nec mentiretur de corporalibus membris scriptura, si non erant.* Et de resurrectione carnis cap. 17. *Nos autem ANIMAM corporalem, & hic profitemur, & in suo volumine probamus, habentem proprium genus substantiæ, soliditatis, per quam quid & sentire & pati possit. Nam & nunc animas torqueri, foueriq; penis inferos, licet nudas, licet adhuc exules carnis, probauit Lazari exemplum.* Contra Augustinus libr. 4. *de anima & eius origine.* Claudianus libr. 3. de statu animæ capit. 9. aduersus Faustum. Nyssen. lib. de animâ, & resurrectione. Vide & Augustinum lib. 10. de Genes. ad literam. Fulgent. lib. 2. de fide. Non dixit Tertullianus corpus, quomodo Hilarius, Hieronymus, Cassianus, interdum pro substantiâ accipiunt corpus, sed effigiatam & coloratam colore lucido, & ideo illustrem. Tertullianus verò nisi corpus esset, nihil esse putauit, eo deductus pervisiones fœminarum Montanisticarum, lib. de animâ. cap. 9. Valdè admirati sunt in Tertulliano tam puerilem errorem viri docti, neque enim intellectionem suam & discursum corpora dicere, neque nihil potuit. Verum ita dementantur, quos hæresis semel imbuit.

§. 2. Vidit igitur Lazarum dives, oculis intelligentiæ, seu visionis intellectualis, quali Angeli corpora & spiritus intuentur. Verè autem vidit, non sensu corporis, sed acie mentis. Quâ ex re discimus beatorum gloriam à damnatis, & damnatorum pœnas à Beatis videri; quamuis enim Abraham & filij eius nondum gloriâ donati essent, rationi tamen consentaneum est, non cœlari cœlites, Dei visione donatos, quod patebat eis, qui ad eam aspirabant. Videbunt igitur impiorum pœnas, & fumum tormentorum ascendentem in sæcula sæculorum.

§. 3. Nec tamen ideò flamma Metaphorica est, si membra diuitis impropriè sumuntur; nam & Diabolo paratus est ignis, nec corpus tamen habet, sed substantia spiritualis mirabili modo ab igne torquetur, quâ de Augustinus, & ego alio loco.

VERSVS 24.

Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meam qui crucior in hac flamma.

QVÆSTIO I.

An dives clamarit?

§. 1. NOn fuisse clamorem sonitu vocis ad Lazarum pertingentem, res ipsa docet, non enim corpus erat, sed animæ spiritalis erat vociferatio, quæ indicabat, quod solet vox humana. Christus corporatis actionibus spiritalia exponit, ideoque & non procul aberat sinus Abrahæ à loco inferorum, aut quasi non procul distet; colloquium institui fingitur. Veræ tamen vocis sonus esse potuit, quem anima aëris collisione non minus edere, quàm Angeli & dæmones possunt. Magna pœna magnam vocem reddebat. Syrus habet רקרא בקלא רמא *Vakera becalarama, & clamauit voce alta.* Qui etiam pro *ecce, quia.* habet ארו *ecce.* *Vox spiritalis.*

§. 2. Quæ verò sint rationes, quibus mutuo Angeli vel animæ separatæ sibi voluntatem & sententiam manifestant,

Theologi certant, & adhuc sub iudice lis est.

Omnes verò ita eâ de re disputant, vt aliorum coniecturas facilè destruant, suas stabilire non possint. *Locutio Angelica.*

QVÆSTIO II.

Quid petierit ab Abraham?

§. 1. AD Abrahamum preces conuertit, non Lazarum; Abraham enim velut princeps appellatur. Patrem appellat ipse Israëlita, filius Abrahæ, sed secundum carnem, non ex fide. *Abraham pater diuitis.*

Id verò difficile est, quomodo petierit pœnæ qualemcunque leuationem, cum certo sciret, nec liberari se posse, nec dolorum acerbitatem minui. Non enim damnati vel à Deo, vel à sanctis supplicium mitigationem orant, certi iudicio Dei immutabili omnia constituta, & tormenta, & tormentorum modum. *Damnati non solent orare sanctos.*

§. 2. Quorundam est, nec omnino rejciendæ responsio. Christi propositum fuisse ostendere, diuitem eguisse pauperis auxilio, nihil tamen consecutum, negari guttam ei, qui negauit micam. Veruntamen difficilis est ratio, siue verè petiuit, siue parabolicè res narratur. Si verè ad refrigerium guttulam rogauit. Spes ergo nonnulla fuit consequendi; homo enim improbus nunquam rogaret inimicum, quod sciret non posse concedi. Si parabola est, non multo est minor difficultas; Non enim id quod fieri non solet, nec potest, in parabolâ recensetur. Parabola enim ex illis sumitur, quæ fieri possunt.

§. 3. Parabolicè illa dici existimo. Nec enim tantum parabola illarum est rerum, quæ fieri solent, sed etiam, quæ ad aliarum, quæ fiunt, similitudinem finguntur, *vt cum ligna eunt vngere super se regem.* Hic igitur affectus animæ damnatæ exprimitur quæ optaret vel vna guttula linguam refrigerari, *vtinam*, dicit, *Parabolæ etiam de illa quæ non fiunt sumuntur.*

dicit intra se, vel digiti extremum intingat in aquam, & refrigeret linguam meam, vtinam saltem ne fratres huc veniant: his cogitationibus respondet Abraham, Fili recordare.

§. 4. Posset fortasse & illud dici, damnatos aliquid posse à Deo petere, & aliquando impetrare. Nam Dæmones cum rogant, vt finantur ire in porcos, idipsum obtinent. Non ergo mirum est & hunc aliquid speraſſe. Aliquam in pœna mutationem; nec dum enim cognouerat, id fieri DEVM nolle.

§. 5. Quod verò Abraham respondet, accepisse eum bona in vitâ suâ, Lazarum mala, ideo hunc nunc consolari, illum cruciari: non ita accipiendum est, quasi bona fuerint causa exitij, aut mala, salutis. Abundant enim bonorum dum in luxum impenduntur, pereunt diuites, & aduersitatum tolerantiâ saluantur pauperes. Alioqui ipse Abraham inclytus fuit, & diues, multique reges, sed diuitijs ad virtutem liberalitatemque vsi sunt.

Felicitas externa nõ est causa dãnationis.

VERSVS 62.

Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est. vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

QVÆSTIO I.

Quod Chaos?

Chaos Chasma.

§. 1. GRæcis est χάσμα hiatus, existimat autem Maldonatus legendum *Chasma* in Latino textu. Chasma illud vel locorum est intercapedo, quam minus aduertit in flammis diues, vel vtriusque status immutabilis, & fixa sententia, qua fit, vt spacium intermedium sit imperuium, ideò ait ἐστήρικται, ita vtrinque inclusi sunt, vt conuenire non valeant. Syrus vocat סימא *Sima* positum.

Beza imperitè reprehendit, quod noster vertit, firmatum, quia agatur de re non solida, sed inani. Nam & ipsæ res fluidæ sic firmantur, vt moueri non possint, quod si res inanis ac vacua Græcè dicitur στερεῦσθαι, & στείζεσθαι, cur non firmari Latinis? Si igitur noster inconuenienter, eadem est culpa Euangelistæ, imò Domini. Hiatum Syrus appellat הוחא *Hautha*, quod non longè abludit ab Latino nomine.

§. 2. Quod noster habet, In his; omnibus in Græco est, ὃπὶ πᾶσι τούτοις, *prater hac omnia*. Chaos vero esse ex decreto numinis, etiam docet Augustinus lib. 2. qq. Euangel. quæst. 38. *Quod autem dicit, ad ea loca in quibus torquentur impij iustos etiam si velint, non posse transire: quid aliud significat nisi post hanc vitam ita receptis in carcere, vt inde non exeant donec reddant nouissimum quadrantem per incommutabilitatem diuinæ sententiæ, nullum auxilium misericordiæ posse præberi à iustis, etiamsi velint illud præbere? Quo admonet scilicet, vt in hac vitâ homines subueniant quibus possint, ne postea etiamsi optime recepti fuerint, eis quos diligunt opitulari non valeant. Illud enim quod scriptum est. Vt & ipsi recipiant vos in aeterna tabernacula: non de superbis & immisericordibus scriptum est, qualis iste diues fuisse demonstratur, quòd recipi à sanctis in illa tabernacula mereamur: sed de his qui sibi amicos officiosissimis operibus misericordiæ fecerint: quamquam nec ipsos iusti velut propria potestate quasi gratificando recipiant, sed promissione atque permissione illius, qui eos consilio præmonuit, vt sibi amicos facerent, & qui seipsum pasci, vestiri, hospitio recipi, visitari in vnoquoque minimorum suorum, liberatoris bonitate dignatur est. Quamquam illa receptio, vtrum statim post vitam istam fiat, an in fine seculi in resurrectione mortuorum, atque vltima retributione iudicij, non minima quæstio est: sed quandolibet fiat, certe de talibus, qualis ille diues insinuatur, nulla scriptura fieri posse negatur. Quinque autem fratres quos habere se dicit in domo patris sui, Iudæos significant. Appellati autem sunt quinque, quia sub lege detinebantur, quæ per Moysen data est, qui libros quinque conscripsit.*

Imperuium Chaos.

§. 3. Erasmus valdè miratur, cur Græcam vocem χάσμα verterit noster, *chaos vocem Græcam aliâ Græcâ Vtus non exponens.* Verum mirari non debuit, cum Chaos Latinis vsitatum sit, idemque significet quod χάσμα, ideo vox ignota per notam explicatur, χάσμα & χάος eam vim Latinitate donata non sunt, Chaos iam olim Latinam fuisse ostendit Ouidius initio Metamorph. vt igitur ignotum Latinum per notum exponimus, ita quoque in Græcis vsu venit. Græcum verbum χάος Latinis notum, tritumque est, χάσμα nequaquam. Perindè ac si Græcum μολπὴ, vocem φδὴν, quid sit μολπὴ multi ignorant, quid φδὴ. Ode, penè nullus.

Chaos quid exponens.

VERSVS 27.

Et ait: Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei.

QVÆSTIO I.

Cur ad fratres mitti cupit?

§. 1. QVi historiam esse consent, duobus modis eam exponunt. Chrysost. hom. 4. de Lazaro, Ambros. Theophyl. amore fraterno id factum, vt illis caueretur, ne venirent in locum tormentorum, quæ sententia verbis diuitis est consentanea. Alij non amore fratrum id factum, sed quod vererentur, ne ipse, eorum ad damnationem accessu grauius torqueretur; vtpote alienæ etiam damnationis causa.

§. 2. Qui parabolicam hanc partem existimant, nec colloquium hoc fuisse arbitrantur, nec alia causa à CHRISTO inductum, quam vt ostenderet credendum scripturæ, & doctoribus viuis, non exspectandum donec à mortuis resurgant, qui visa referant.

Damnati nullam salutis curam.

§. 3. Est tamen aliqua in vtrâque expositione difficultas: cum enim damnati, omni erga proximos, etiam parentes, & filios amore exuto, odio DEI, omniumque creaturarum, inuidiâque flagrent, omnium exitia exoptent, eâdemque ruina inuolui mundum vniuersum in votis habeant, non modo sollicitus de salute fratrum non fuit, sed eos æterno supplicio deuotos in eâdem secum flammâ voluntari cupiebat. Quocirca nec admoneri eos de salute petijt, nec veluti id petens induci oportuit, nisi fortè causa, quod pœnam suam ex eorum damnatione aggrauandam, eorum se contumelijs lacerandum cognosceret: quæ est sententia communis. Quæ mihi tamen idcirco difficilis videtur, quod multi alij ex familiâ & vicinis ea de causa monendi viderentur, quibus peccandi occasiones obtulit, vel etiam scelera mandauit.

§. 4. Si

§. 4. Si ergo serio, & amore fraterno, ac naturali Epulo suos fratres complexus est, nondum in extremam desperationem venisse videtur. Dei enim summo odio, & creaturarum imbuti, non desiderant alienam salutem damnati, hac in re dæmonũ imitatores. Potuit vero Deus sententiæ suæ reuelationem inhibere donec cum Lazaro res transigeretur. Quod si dicamus, omnia erant facilia. Quamuis enim in momento, in ictu oculi examen, & pronuntiatio sententiæ ordinariæ in illo tribunali absoluatur, potest Dei arbitrio per vices & tempora contingere: vt probabile est factum in Doctore Parisiensi, qui primo die accusatus, altero iudicatus, tertio damnatus est. Quod si sic factum est, facile etiam ratio constat, cur mitigationem petierit ab Abrahamo.

QVÆSTIO II.

Cur diues cruciatur?

§. 1. ABraham causâ redditâ ostendit, ne guttam quidem refrigerio posse concedi. *Recordare fili, quod bona recepisti in vita tua.*

Filium appellat, quia Pater ab eo appellatus fuerat, non solandi causa, verum vt impietatem damnato exprobraret, vt qui ex populo fœderato genere electo, filius regni, eiectus sit foras in tenebras exteriores.

§. 2. Causa damnationis obiicitur horribilis sanè; non furta, rapinæ, iudicia iniusta, adulteria, homicidia, blasphemiæ; *Sed quia recepisti bona, ἀπέλαβες*, hoc est, mercedem, & quicquid à Deo exspectare potuisti, iam recepisti, nulla superest consolatio.

Non culpantur diuitiæ, sed abusus, alioqui & Abraham, & Dauid aliiq; bona receperunt, vt & tum nihilominus in requie erant: non enim delicias sibi finem vitæ proposuerunt, sed ad aliam vitam anhelabant. vt ante dictum.

§. 3. Hunc locum Græcis obiecerunt olim Latini Patres, vt probarent pœnas non differri, nec præmia ad extremum mundi diem. Responderunt illi: Dominum de rebus futuris, veluti præsentibus loqui. Hoc tamen refutatur ex eo quod de fratribus adiungitur; illi enim post iudicii diem legatione nulla opus habent, quæ ad officium eos reducat.

§. 4. Marcion penè more Caluinianorum docet, pœnas à Deo malo, præmia à Christo esse, Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 24. *Habent illic Moysen & Prophetas, illos audiant. Sed Marcion alior sum cogit, scilicet vtramq; mercedem creatoris, siue tormenti, siue refrigerij apud inferos determinet ei positam qui Legi & Prophetis obedierint, Christi verò & Dei sui cœlestem definiat sinum & portum. Respondebimus & hac ipsa Scriptura reuincente oculos eius, quæ ab inferis discernit Abrahæ sinum pauperi. Aliud enim Inferi, vt puto, aliud quoq; Abrahæ sinus. Nam & magnum ait intercedere regiones istas profundum, & transitum vtrinq; prohibere. Sed nec alleuasset oculos diues, & quidem de longinquo, nisi in superiora, & de altitudine longinquo per immensam illam distantiam sublimitatis & profunditatis. Vnde apparet sapienti cuiq;, qui aliquando Elysios audierit esse aliquam localem determinationẽ, quæ sinus dicta sit Abrahæ, ad recipiendas animas filiorum eius etiam ex Nationibus, Patris scilicet multarum Nationum in Abrahæ sensum deputandarum, & ex eadem fide quæ & Abraham Deo credidit, nullo sub iugo legis, nec in signo circumcisionis. Eam itaq; regionem dico Abrahæ, etsi non cœlestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus iustorum, donec consummatio rerum, resurrectionem omnium, plenitudine mercedis expungat: tunc apparitura cœlesti promissione quam Marcion suo vindicat, quasi non à creatore promulgatam.*

§. 5. Olim Syracusis erant, vt est in Epist. Hilarii ad Augustinum, qui dicerent. *Diuitem manentem in diuitiis suis, regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit, nec ei prodesse, si fortè ex ipsis diuitiis mandata fecerit.* Quibus Aug. Ep. 89. q. 4. respondet. *Euaserunt istorum disputationes, Patres nostri Abraham & Isaac & Iacob, qui tanto ante ex hac vita migrarunt. Habebant quippe hi omnes non paucas diuitias, sicut fidelissima Scriptura testatur; multos tamen venturos ab Oriente & occidente, & non supra ipsos, vel extra ipsos, sed cum ipsis recubituros in regno cœlorum, ille ipse qui propter nos factus est pauper cum verè diues esset, veracissimâ promissione prædixit. Et quamuis superbus diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, mortuus apud inferos torqueretur: tamen si pauperũ vlcerosi, qui ante ianuam eius contemptus iacebat, misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam. Et si pauperi illi meritum esset inopia non iustitia, non vtiq; ab angelis in Abrahæ gremium, qui diues hic fuerat tolleretur. Sed vt nobis ostenderetur, nec in isto paupertatẽ per seipsã diuinitus honoratã, nec in illo diuitias fuisse damnatas: sed in isto pietatẽ, in illo impietatẽ suos exitus habuisse: sic suscepit impium diuitẽ cruciatus ignis, vt tamen pium pauperem susciperet sinus diuitis. Qui sanè cum hic diues viueret, diuitias sic habebat, & eas præ Dei præceptis parui pendebat, vt etiam cum ipsius filij immolatione nollet offendere Deum iubentem, quem suarum diuitiarum, & sperabat & optabat hæredem. Hic vtiq; dicunt ideò Patres antiquos non vendidisse omnia, quæ habebant, & dedisse pauperibus quia hoc eis non præceperat Dominus. Nondum enim reuelato testamento nouo, quod non fieri nisi plenitudine temporis oportebat, nec eorum virtus fuerat reuelanda, qua virtute hoc eos facillime posse, Deus in eorum cordibus nouerat, qui testimonium illis tam insigne perhibebat, vt cum sit omnium sanctorum Deus, tanquam de præcipuis amicis suis dicere dignaretur. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, hoc mihi nomen est in æternum. Postea verò quam magnũ pietatis sacramentũ manifestatũ est in carne, & vocandis omnibus gentib. Christi aduentus illuxit, in quem etiam illi patres crediderant, sed huius fidei oliuam suo tempore manifestandam, in illius arboris. De qua Apostolus loquitur, tanquã radice seruabant dictum est diuiti; vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni sequere me.*

Diuites quã modo beati.

QVÆSTIO III.

An aliquando mortui appareant?

§. 1. CHrysost. ho. *de Lazaro*, negat, itemq; Tertull. & alii. Augustin. de cura pro mortuis agenda asserit, c. 15, 16. adeoq; certum existimat, vt stultum iudicet negare. Apparere quidem infinita docent, etiam grauissimorũ patrum testimonia. Porrò Spiritus mortuorum damnatorum rarius interesse rebus humanis, docet Thyreus noster de locis infestis, part. 1. c. 5. & c. 9. Hierony. contra Vigilantium. Multa de hoc genere Martinus Delrio q. 26. Sect. 6.

Spiritus an appareant?

§. 2. Caluinus quæritur nos illa verba vsurpare, vt probemus mortuos pro nobis curam gerere. [Hic inepte arguti sunt Papistæ, dum probare volunt mortuos curam agere viuorum, quo cauillo nihil est putidius, nam eodem colore eliciam fideles animas sorte sua non contentas, nisi firmus hiatus ab infetis eas arceat, illuc migrandi desiderio teneri. Hanc insaniam si nemo recipit, non est quod in altero commento Papistæ sibi multum placeant.] Tossanus idem confitere conatur, *non apparere animas.* [Vltima pars huius historiæ licet parabolica sit: de rebus tamen grauissimis nos admonet. Inter alia ex hoc loco cõfici potest: animas mortuorum non apparere viuentibus: (sicut Tertull. lib. de Anima, Athan. quæst. ad Antiochum, Chrysost. ho. vltima de Lazaro ex hoc loco rectè probant) quicquid negent nonnulli Iesuitæ. Dæmon quidem sæpe animarum defunctarum personam aliquam sumit, vt illudat incredulis: Sicut 1. Samuel. 28. Interim magna pars superstitionum Pontificiarum nititur apparitionibus & visionibus, quibus Dialogi Gregorii Primi, & Legendæ ipsorum refertæ sunt.] Re-

Argumenta contra apparitiones mortuorum.

sponsio non est difficilis. Nam Christus diuiti tribuit curam fratrum, mortuo cogitationem de salute viuentium. Quod si damnatis aut exigua aut nulla cogitatio superesset, de rebus viuentium, vel quod eos non ament, vel quod toti in meditatione tormentorum absorpti, aliarum rerum curas non admittent, non eodem tamen modo de beatis dicendum est.

§. 3. Etiam Daniel Tossanus: [Ne guttula quidem aquæ datur, nihil ergo iuuant missæ, nihil satisfactiones pro mortuis. Cyprianus ad Demetrianum: quando isthic excessum fuerit nullus iam locus pœnitentiæ, nullus satisfactionis effectus: hic vita aut amittitur aut tenetur.] Quin & Aretius: [Astruitur hic Mosi & Prophetis sua authoritas, quæ vt est à Deo illis tributa: ita infallibilis conseruatur, vt graui piaculo ab illis recedatur. Sed mundus habet etiam ex defunctis Doctores modò & his credat. Habemus Christũ rediuiuum, qui resurgens docuit, quæ esset Dei æterna voluntas: sed & Prophetæ post funera nos docent, vt nõ sit excusationis aliquis locus. Non ergo alii mortui doctores sunt exspectandi. Abrahæ argumentum firmum est; Si Moysen & Prophetas non audiunt, quorum summa est in mundo auctoritas: ergo nec mortuo crederent, cuius esse potest fallax & erronea doctrina, quasi dicat si demonstrationi veræ non credunt: falso argumento minus crederent. Imò illis credendum est, his verò minimè, &c.] Imo verò astruitur: neque enim Abraham nescivit diuitis statum, aut Lazarus, & diues illos vidit, & auxilium petiit. Quod verò in cassum misit preces, non fuit causa in eo quod audire preces non posset Lazarus, sed immutabili Dei decreto addictus æterno exitio, nullâ ope liberari tormentis posset. Improbum verò argumentum est, ex damnatorum precibus de Sanctorum orationibus iudicare. Diues ille damnatus, inimicus & osor sui creatoris, nihil ab Abrahamo obtinet, ne guttulam quidem in refrigerium linguæ suæ, nec legationem Lazari ad fratres suos, non ergo sancti cum Deo regnantes pro nobis quicquam impetrare precibus possint. Sanctos beatos in Dei conspectu stantes non angelos damnatos, non dæmones pro nobis intercedere dicimus. Quæ est igitur tam imperita malitia, vt reproborum apud inferos blasphemantium, & sanctorum in cœlo gaudentium preces in æquo ponat, aut quantum deliramenti, qui salutem nostram à Dei hostibus promereri arbitrantur.

Norunt defuncti aliorum statũ.

Non eadem ratio damnatorum & piorum.

§. 4. Adiuuari diues non potuit in pœna æterna, nec aliquod solamen aut leuamen impetrare, quia eo statu erat, quem illi immutabilis iustitia decreuit; non tamen ex eo colligere oportet, nos pro mortuis non damnatis, sed temporalem tolerantibus pœnam non orandum, aut pro viuentibus sanctos orare non posse. Nemo viuentium orat pro damnatis, nec tamen ideo non orat pro fratribus. Cœlum igitur, terram, purgatorium, inferos confundunt nouitii doctores. Quidã mox ab initio saluantur, vt Lazarus; alii mox damnãtur, vt diues: nonnulli peccata non habent, quibus damnentur, sed quibus ab ingressu in regnũ per aliquod tempus arceatur. Ita Iren. l. 1. c. 2. Τὰ μὲν πνευματικὰ τῆς πονηρίας, τὰ ἀγγέλους τοὺς ἀποστατικοὺς, καὶ ἐν ὑποστάσει γενομένους, καὶ τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ ἀδίκους, καὶ ἀνόμους καὶ βλασφήμους τῶν ἀνθρώπων εἰς τὸ αἰώνιον πῦρ πέμψῃ, τοῖς δὲ δικαίοις καὶ ὁσίοις καὶ τοὺς ἐντολὰς αὐτοῦ τετηρηκόσι, καὶ ἐν τῇ ἀγάπῃ αὐτοῦ διαμεμενηκόσι, τοῖς ἀπ' ἀρχῆς, τοῖς δὲ καὶ μετανοίας, ζωὴν χαρισάμενος καὶ ἀφθαρσίαν δωρησάμενος καὶ δόξαν αἰωνίαν ἀπονεμήσει, h. e. *Spiritualia quidem nequitiæ, & Angelos transgressos & Apostatas factos & impios & iniustos & iniquos & blasphemos homines in æternum ignem mittat: iustis autem & sanctis, & præcepta eius seruantibus, & in dilectione eius perseuerantibus quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vitam largiens, incorruptelam donet, & gloriam æternam conferuet.* Vide Tertull. de corona milit. c. 3. & 4. de Monogrania c. 10. Orig. ho. 6. in Exod. Cypr. Ep. 52. & 66. Euseb. Alexandr. concil. de pœnit. art. 5. Zenonem Veronens. Serm. de resurrectio. Euseb. Cæs. l. 4. de vita Const. c. 60. Basil. in Isa. 6. 6. Cyrill. Ieros. in Catech. 5. mistagogen. Nazianz. orat. 10. de Cæsario fratre, Nyssenum orat. de dormientibus, Ambr. de obitu Theodos. Hieron. in Isa. 66. & in Michæ. 7. & vt alios prætermittam: August. instar omnium fuerit. Ille primo docet, suffragia viuorum quibusdam non prodesse, aliis prodesse. l. de octo qq. Dulcitii, ad q. 2. *Vtrum oblatio quæ fit pro quiescentibus, aliquid eorum conferat animabus, cum euidenter nostris aut subleuentur actibus, aut grauentur: cum siquidem legamus, quod in inferno nemo possit tam confiteri. Ad quod multi dicunt, quod si aliquis beneficij in hoc locus possit esse post mortem, quanto magis sibi anima ferret ipsa refrigeria, sua per se illic confitendo peccata, quam in eorum remissa frigerium ab aliis oblatio procuratur? Dixi aliquid de hac re in eo libro, quem nuper ad S. Paulinum Nolanum Episcopum scripsi, cum me consuluisset: Vtrum sepultura, quæ fit in memoriis martyrum, prosit aliquid spiritibus mortuorum. Inde est hoc, quod his ad te literis insero. Diu, inquam, Sanctitatu tua, coepiscope venerande Pauline, scriptorum debitor fui ex quo mihi scripsisti per homines filiæ nostræ religiosissimæ Florã, quærens à me, vtrũ prosit cuiq; post mortẽ, quod corpus eius apud sancti alicuius memoriam sepeliatur. Hoc enim abs te viduam memorata petierat, pro defuncto in eis partibus filio suo, & rescripseras consolans eam, id q; etiam nuncians ac cadauere fideli inuento Cynegij, quod materno & pio affectu desiderauit, esse completũ, vt scilicet in beatissimi Felicis confessoris Basilica poneretur. Qua occasione factũ est vt per eosdem per latores literarum tuarum etiam mihi scriberes, ingerens huiusce modi quæstionẽ: atq; vt responderem quid mihi exinde videretur exposcens, nec tacens ipse quid sentias: nam dicis videri tibi, non esse inanes motus animorum religiosorum atq; fidelium pro suis ista curantiũ. Adiungis, etiam, vacare non posse quod vniuersa pro defunctis Ecclesia supplicare consuetit: vt hinc & illud conijci possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando eius corpori talis prouideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita sanctorum. Sed cum hæc ita sint, quomodo huic opinioni contrarium non sit, quod ait Apostolus: omnes enim astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum: non te satis videre significas.*

Triplex mortuorum ordo.

Ex quo apparet, etsi non profuerit Epuloni, prodesse tamen aliis intercessiones sanctorum. Et Epist. 64. ad Aurelium. *Oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid iuuare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atq; omnibus petentibus sine typho & cum alacritate præbeantur, neq; vendantur. Sed si quis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus eroget. Ita nec deserere videbuntur memorias suorum, quod potest gignere non leuem cordis dolorem, & id celebrabitur in Ecclesia quod piè & honestè celebratur.*

Vide & Theoderetum de Theodosio iuniore. Τὸν δὲ ἐκείνῃ τῇ πόλει τὸν θησαυρὸν, ὁ υἱῶ βασιλέων πρέπον ἔγνω, ὃ δὲ πάππων τῇ τῶν πρεσβυτέρων λαχών, καὶ τὴν θείαν φυλάξαι, ἀκήρατον ὑπὸ σπουδῆς τῇ λάρνακι τῇ σοῦ ὀφθαλμοὺς καὶ τὸ μέτωπον, ἱκετείαν ὑπὲρ τῶν γεγωνότων πρεσβύτερα συγγνώναι τοῖς ἐξ ἀγροίας ἠδικηκόσιν αὐτὸν ἐντολὰς. πόλαι μὲν γὰρ ἐπεδήκεσαν οἱ τότε, γονεῖς, κομιδῇ νέον ὀρφανείας καταλιπόντες, hoc est, *Hunc thesaurum is, qui tam Imperium administrat (qui vt aui nomen fert, ita syncerum eius pietatem seruat) in illam vrbem importandum curauit. Idemq; vultu & oculis in sancti illius viri loculo defixis, pro parentibus preces fudit, orauitq; vt iniuriarum per ignorantiam factarum veniam illis tribueret. Iam pridem autem eius parentes mortem obierant, illo iam tum valdè adolescente orbo relicto.*

* *
*

VER-

VERSVS 29.

Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.

QVÆSTIO I.

An quia ad Moysen & Prophetas remittuntur, sola scriptura sufficiat?

§. 1. ARgumentum validum sibi nectere hæretici videntur. Habent Moysen & Prophetas, audiant illos, inquit, Abraham, indè concludit, non opus esse vt Lazarus mittatur. Ergo inquiunt hæretici sola scriptura sufficit ad omnia fidei documenta? Respondet Maldonatus abusum esse Scripturæ: si enim hinc conclud re velis & restringere fidem ad verba Abrahami, consequetur, nè Apostolicis quidem scriptis credendum, quia Moysen & Prophetas nominat. Hic verò tantum de statu vitæ æternæ agitur, de qua satis ex Moyse & Prophetis constabat.

§. 2. Deinde concludunt cuiq; legendam vernaculâ linguâ Scripturam, & sine interprete. Quæ hæresis iam tot hæreses peperit, vt ab eâ recedant etiam plerique hæreticorum; quorsum enim tot commentarii, nisi vt rectè Scripturarum sensus intelligatur? Abrahã quidem ad Moysen, & Prophetas fratres Epulonis remittit, sed qualis in Ecclesia legi solebant, & ex mente Ecclesiæ intelligenda ad regem scriptam remittit iudex; verum non iudicio partium legem submittit. Eos audire iubet, non exspectare mortuos.

§. 3. Qui infideles sunt Prophetas contemnunt, fastu omnia despiciunt, si mortui resurgant, spectra aut phantasmata fabulasque inanes iudicant. Aliquos Christus excitauit à mortuis, nec tamen illis crediderunt Pharisæi potius egerunt vt Lazarum occiderent alium quem suscitarat Christus. Pareus lib. 2. c. 8. de gratia & libero arbitrio, inde conficere conatur, non dari vlli salutem, nisi per verbum & fidem, quod verum est de fide, & verbo Dei reuelato; at ille constringit ad solam Scripturam. *Non vult autem nisi per verbum fidei dare fidem ad salutem: Habent Moysen & Prophetas audiant illos.* Quod non modo falsum est, sed etiam absurdum. Deus homines per creaturas, per angelos, per alios homines ad fidem excitare solet, non autem est alligatus ad solas Scripturas. Quid enim de illis dicemus, qui ante Moysen & Prophetas vixerunt, aut cum illis diuersa in parte mundi Iudæis, audientes Moysen & Prophetas, gentilibus per alios docere viam veritatis potuit; non enim eos ad Moysen remisit.

At lib. 4. c. 4. in eodem tractatu. Ex illis ipsis verbis Patrum auctoritatem eleuare conatur; quia ad Scripturas Abraham remittit: cum tamen non modo scripturas, sed eorum etiam sensum nobis Christus commendet, quæ non ex suo quisq; sensu, verum Ecclesiæ interpretatione sumat, necesse est. Alioqui frustra est lex posita, si legis sensus est incertus; si à nullo authentica interpretatio haberi potest, Seminarium enim litium est, legis sine iudice vox ambigua.

§. 4. Reuelationes à Deo non quærendas ex hoc loco probare nititur Pareus l. 3. de iustificat. c. 8. [Nec « dubitamus, quicunq; de dimissis sibi peccatis speciales à Deo reuelationes poscunt neq; credunt Euangelio, eos Deum horribiliter blasphemare, quia cum in « verbo suo mendacem faciunt, quod qui credit in Filium Dei, accipiat per nomen eius remissionem peccatorum, & habeat vitam æternam. Clamant enim cum « Epulone: Non Pater Abraham: sed si quis ex mortuis « abierit ad nos, credemus, &c.] «

Respondeo. Nemini dubium esse, credenti recta viuâq; fide remissa esse peccata, an vero conditionem illam quisq; explerit id non esse certum. Itaq; si quis dubitat an sibi peccata remissa sint, non facit Deum mendacem, sed de sua dubitat pœnitentia, vitaq;, an illa sit, quæ in conspectu Dei placeat. Portò non sequitur fratribus diuitis non missam per mortuum reuelationem, non igitur vlli posse mitti. Multa enim Deus sanctis atq; etiam impiis reuelat, quæ alios latere vult: nec enim est abbreuiata manus Domini, vt non possit, aut præcisa benignitas vt non velit. apparitiones verò, & reuelationes plurimas esse, & fuisse in Ecclesiâ, omnis ætatis historia testatur. Adeo vt vix hæretici inueniantur qui eas negent. Verum de his aliâ occasione agendum.

§. 5. Iren. l. 4. c. 3. demonstrat Moysen & Prophetas à Christo probari, & Christum eorum sermones pro suis agnoscere. *Quoniam autem Moysi literæ, verba sint Christi, ipse ait ad Iudæos, quemadmodum Ioannes in Euangelio commemoratus est. Si crediderietis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, neque meis sermonibus credetis. Manifestissime significans Moysi literas, suos esse sermones. Ergo Moysi, & reliquorum sine dubio Prophetarum sermones ipsius sunt, quemadmodum demonstrauimus. Et iterum ipse Dominus ostendit Abraham dixisse diuiti, de his omnib., qui adhuc erant in vita. Si Moysi & Prophetis non obediunt, nec si quis à mortuis resurgens ad illos eat, credent ei.*

CAPVT XVII.

ET ait ad discipulos suos: *Impossibile est, vt non veniant scandala: væ autem illi, per quem veniunt.* 2. *Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare, quam vt scandalizet vnum de pusillis istis.* 3. *Attendite vobis: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* 4. *Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi.* 5. *Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.* 6. *Dixit autem Dominus: si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in mare: & obediet vobis.* 7. *Quis autem vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe.* 8. *Et non dicat ei: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem, & bibam; & post hæc tu manducabis, & bibes?* 9. *Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat?* 10. *Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* 11. *Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam.* 13. *Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe.* 13. *Et leuauerunt vocem dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri.* 14. *Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt.* 15. *Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum.* 16. *Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens; & hic erat Samaritanus.* 17. *Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?* 18. *Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi alienigena.* 19. *Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.* 20. *Interrogatus autem à Pharisæis, Quando venit regnum Dei? respondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum obseruatione:* 21. *Neq; dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* 22. *Et ait ad discipulos suos: Venient dies, quando desiderabitis videre vnum dierum Filij hominis, & non videbitis.* 23. *Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neq; sectemini.* 24. *Nam sicut fulgor coruscans de sub cœlo in ea, quæ sub cœlo sunt, fulget: ita erit Filius hominis in die sua.* 25. *Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari a generatione hac.* 26. *Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filij hominis.* 27. *Edebant & bibebant:*

vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsq; in diem, qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. 28. Similiter sicut factum est in diebus Lot: Edebant, & bibebant: emebant, & vendebant, plantabant, & ædificabant. 29. qua die autem exiit Lot à Sodomis, pluit ignem, & sulphur de cœlo, & omnes perdidit. 30. Secundum hæc erit, qua die Filius hominis revelabitur. 31. In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, nec descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retro. 32. Memores estote vxoris Lot. 33. Quicunq; quæsierit animam suam saluam facere, perdet illam: & quicunq; perdiderit illam, viuificabit eam. 34. Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur. 35. Duæ erunt molentes in vnum: vna assumetur, & altera relinquetur: duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur. 36. Respondentes dicunt illi: Vbi Domine? 37. Qui dixit illis: Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM ARGVMENTVM.

DE scandalis, remittendis fratrum delictis, ex Matth. 18. de fide augendâ. Seruo inutili, decem leprosis, de aduentu regni Dei, & fine sæculi agitur. Propria Lucæ sunt: de seruo qui fecit, quæ imperata fuerunt. & leprosis, à v. 7. ad 20. Deinde v. 20. 21. 22. 23.

In Ecclesiâ Syriacâ decem primi versus leguntur ad vesperas, *feriæ 6. septimanæ ieiunium præcedentis.* Ab vndecimo versu ad 20. *Ad oblationem dominicæ hebdomadis secundæ ieiunij.* Hinc ad finem, feria 5. hebdomadis secundæ ieiunii.

Quædam in textu notata.

§. 1. QVædam exemplaria habent, πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, quod Latina & Syra exemplaria retinent, & quædam Græca *impossibilia*, ἀνένδεκτον, euentus ineuitabilis indicatur. Syrus לאמישכחא *la meschecha, non potest.*

Pro lapide molari est in quibusdam Græcis; εἰ μύλος ὀνικὸς, *si mola asinaria.* quod est etiam in Syris; רחיא רחמרא *rachaia dachamara.* molæ enim à iumentis circumagebantur. Alia Græca habent, εἰ λίθος μυλικὸς. Si lapis molaris. Si peccauerit, Græcè habetur ἐὰν δὲ, sed δὲ non est in Latino, nec Syro. Quòd est εἰς σὲ *in te*, in Syro omittitur, & multis Latinis, sed correcta Biblia retinent.

Conuersus ad te, ita Syrus, & pleraq; Græca: quædam tamen exemplaria omittunt πρὸς σὲ, ad te.

VERSVS 5.

Et dixerunt Apostoli duo: Adauge nobis fidem.

QVÆSTIO I.

Quam sibi fidem augeri petant?

Hæretici dissentiunt in huius loci expositione.

§. 1. *Adauge nobis fidem*, Græcè πρόσθες appone; augmentum nempe fidei postulant.

Quam sibi fidem augeri petant Apostoli, non possunt statuere hæretici. Pareus aliquando ait, petere eos fiduciam, vt l. 1. c. 6. de iustif. Verba eius sunt: *Deinde si verum esset, fiduciam hîc locis à fide excludi: dantur tamen præter hæc innumera alia, fiduciam in fide includentia & postulantia. O mulier fides tua magna est: In Israele tantam fidem non inueni: Adauge nobis fidem*, &c. *vbi fidem de solo assensu accipere frigidum & ineptum esset. Summa: Sine fiduciâ fides Christiana nihil à fide dæmonum differret.*

Pareus fiduciam augeri eos velle.

Hic ergo ineptum & frigidum putat, non accipi fidem de iusticante, seu fiducià. Eodem deinde libro oblitus rerum suarũ, dicit, *petiuisse fidem signorum.* Nam Bellar. dixerat eandem esse fidem iustificantẽ & signorum, quod negant Caluiniani: Verba Parei sunt: *Ad locum Luc. 17. 3. dico, discipulos orantes: Adauge nobis fidem: loqui de fide signorum. Id docet collatio eius cum loco parallelo Matth. 17. v. 20. vbi discipuli à Christo leguntur reprehensi, quod non potuissent sanare lunaticum hominem propter diffidentiam suam. Orant igitur apud Lucam. Adauge nobis fidem, nempè signorum edendorum, & tunc Christus respondes: si habueritis fidem tanquam granum sinapis*, &c. *quod de fide signorum, non de fide promissionum dici manifestum est.*

Pareus petit fidem signorum, & sibi contradicit.

Fœda in tanta asseuerandi peruicaciâ hallucinatio. nunc negare, nunc astruere. atres clara est, veram fidem, iustificantem, quæ eadem est, qua miracula fiunt, Apostoli augeri petunt. Caluinus ita loquitur, quasi, discipuli increduli fuerint, eos accusat, deinde *propriè*, ait, *de speciali fide Christum egisse*, hoc tamen ad totius Ecclesiæ fidem extendendum.

Caluinus contra Patres.

Augustinus de fide rerum, quæ non videntur, vt præsentium, intelligi posse docet. lib. 2. qq. Euangel. q. 39. *Quod dixerunt*, inquit, *discipuli: Domine adauge nobis fidem: potest quidem intelligi, hanc fidem sibi eos augeri postulasse, qua creduntur ea quæ non videntur: sed tamen dicitur etiam fides rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis præsentibus creditur: quod futurum est cum iam per speciem manifestam se contemplandam præbebit sanctis ipsa Dei sapientia per quam facta sunt omnia.*

De fide vera augenda Theophylactus est intelligendus: *Apostoli*, inquit, *credebant quidem Domino. Verumtamen cum venissent in conscientiam infirmitatis suæ, & audiuissent Dominum de magnis quibusdam sibi dicentem: & de periculo ab offendiculis, precantur, vt augeatur in eis fides virtus, per quam poterint hæc quæ dicit perfici. Nihil enim adeò ad paupertatem, de qua loquitur, perficiendam conducit, atq; credere & confidere Domino: quemadmodum nihil ita facit thesauros reponere, vt non credere quod magnus sit thesaurarius & inexhaustum promptuarium bonitas eius. Insuper vt & offendiculis per fidem obsistere possint, ideo accedentes dicunt: Adauge nobis fidem. Fac nos perfectiores & firmiores in fide. Dominus autem ostendens eis, quod bene petant, & quod hanc mentem firmiter habere debeant de fide, vt multum efficacem, dicit: si haberetis fidem, istam sycaminum transplantasset.*

Fides contra assertiones necessaria.

VERSVS 7. & seq.

Quis autem vestrũ habet seruum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi statim, transi recumbe, &c.

QVÆSTIO I.

An quia serui inutiles sumus, omne meritum tollatur?

§. 1. ἔστηκεν ὅκτε ἀροῦς, alia habent ἐλθόντι, noster habet *regresso*, quasi ἀνελθόντι, vel ἐπανελθόντι, conformiter sensui.

Varia lectio.

Varietas aliqua lectionis est in Latino; Brugensis ita recenset: *In quibusdam vetustis libris, etiam Epanorthote, additur boues (boues pascentẽ) nominatim in Brugensi; in quibusdam,*

dam, oues, duobus huius Ecclesiæ, E. & F. Complures Libri neutrum legunt, consonante Beda: neq; Græcè est horum alterum, duntaxat ποιμάνουσι, *sed si alterum horum addere oportet, fauent Græcia in potius, qui oues addunt, quam qui boues, quia* ποιμαίνειν *proprie de pastoribus ouium dicitur. Quocirca & D. Ambrosius oues: aut legit, aut intelligit: & Syrus agens Paraphrastum vertit: Ducentem par boum, aut pascentem oues, bobus enim arabatur.*

Ortum est ex imperitia alicuius (nec enim est Græcè) qui pascendi verbum nesciuit absolutè poni, & quidem eleganter. Syrus habet רדבר פרגא *dedabar paddena*, ducentem iugum boum. & או דרעא עבא *au deracbe chane*, aut *pascentem oues.*

§. 2. Hæretici in hunc modum argumentantur: seruus inutilis nihil meretur, nulla illi gratia debetur, & quamuis omnia imperata faciat, quia quod debuit facere fecit. Quod si dicamus plus aliquos facere, quod debeant, id quidem non concedunt, sed tamen pro confesso sumunt: Facientes quod facere debent nihil me eri. ideo seruandis præceptis meritum nullum est ad præcepta enim seruanda obligamur.

Non est tamen magni negotii eos refutare, vel his ipsis verbis. Non habet seruo Dominus gratiam, si faciat quod facere debuit. Duo possunt nihilominus incidere tempora, vt gratiam illi habere debeat. Primum est, si promisit. Alterum si plus fecit, quam præceptum est. At negant illi plus facere posse quenquam quam debeat. Hoc falsum esse scriptura docuit. Paulus enim non est vsus potestate qua potuit, cum de opera manuum, quam de Euangelio viuere maluit. Quotidie etiam fideles dant eleemosynas, quas misericordiâ, liberalitate, non necessitate conferunt. Pleriq; seruum in Scriptura vocari ministrum & mercenarium arbitrantur, idq; variis locis docent: verum vtcunq; res intelligatur, possum in seruis facilè meritum intelligere. Hecaton olim quærebat, *an à Domino seruus beneficium accipere posset.* Seneca lib. 3. de beneficiis c. 18. ex aliorum & sua sententia ita respondet: *Sunt enim quidam distinguant, quædam beneficia esse, quædam officia, quædam ministeria. Beneficium esse, quod alienus det; alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare. Officium esse filij, vxoris, & earum personarum, quas necessitudo suscitat, & ferre opem iubet. Ministerium esse serui, quem conditio sua eo loco posuit, vt nihil eorum quæ præstat, imputet superiori. Propterea seruos qui negat dare aliquando beneficium, ignarus est iuris humani; refert enim cuius animi sit, qui præstat, non cuius status. Nulli præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat, ingenuos, libertinos, seruos, reges, & exsules, non elegit domum nec censum; nudo homine contenta est. Quod enim interest, quali quis teneatur imperio, si summo tenetur? Nam si seruo, quo minus in nomen meriti perueniat necessitas obest, & patiendi vltima timor: idem istud obstabit, & ei qui regem habet, & ei qui ducem: quoniam, quanquam sub dispari titulo paria in illos iuent. Atqui dant regibus suis, dant imperatoribus beneficia: ergo & Dominis. Potest seruus iustus esse, potest fortis, potest magnanimus: ergo & beneficium dare potest. Nam & hoc virtutis est. adeoq; Dominis serui beneficia possūt dare, vt ipsos sæpè beneficia sua fecerint. Non est dubium, an seruus beneficium dare possit cuilibet: quare ergo non & Domino suo possit? Quia non potest, inquit, creditor Domini sui fieri, si pecuniam illi dederit. Alioqui quotidie Dominum suum obligat: peregrinantem sequitur, ægro ministrat, & labore summo colit. Omnia tamen ista, quæ alio præstante, beneficia dicerentur, præstante seruo ministeria sunt. Beneficium enim id est, quod quis dedit, cum illi liceret & non dare: seruus autem non habet negandi potestatem: ita non præstat, sed paret, nec id se fecisse iactat, quod non facere non potuit. Etiam sub ista lege vincam, & eo perducam seruum, vt in multa liber sit. Interim dic mihi, si tibi ostendero aliquem seruum pro salute Domini sui, sine respectu sui dimicantem & confossum vulneribus, reliquias tamen sanguinis ab ipsis vitalibus fundentem, & vt ille effugiendi tempus habeat, morum sua morte quærentem: hunc tu negabis beneficium dedisse, quia seruus est? Si tibi ostendero aliquem, vt secreta Domini prodat, nullâ tyranni pollicitatione corruptū, nullis territū minis, nullis cruciatibus victum, auertisse quantum potuerit, suspiciones quærentis, & impendisse Spiritum fidei: hunc tu negabis beneficium Domino dedisse, quia seruus est? Vide ne eo magis sit, quo rarius est exemplum virtutis in seruis: eoq; gratius, quod cum ferè inuisa imperia sint, & omnis necessitas grauis commune seruitutis odium, in aliquo Domini charitas vicit. Ita non ideo beneficium non est, quia à seruo profectum est: sed ideo maius, quia deterrere ab illo nec seruitus quidem potuit.*

Beneficii rationem exponit: c. 21. *Quædam, ait, sunt quæ leges nec iubent, nec vetant facere: In his seruus materiam beneficij habet. Quamdiu præstatur, quod à seruis exigi solet, ministeriū est: vbi plus, quam quod seruo necesse est, beneficium. Vbi in affectum animi transit, definit vocari ministerium.*

Hæc ille de seruis seu mancipiis, quos tamen Chrysippus ciuiliter & humaniter vocabat perpetuos mercenarios, μισθωτὰς, seu μισθοφόρους.

Hæc in hominum seruis facile intelliguntur. Nam homo ab homine quouis, beneficium accipere potest, Deus à nullo. Seruitus humana non descendit in totū hominem. animus liber est, nec ad omnia parere etiā infirmus seruus maximo Domino tenetur. At Deus animum præcipuè impendi sibi imperat, qui nullius rei exceptione imperium recusare potest. Plus enim præstare potest, quam quod Deus imperauit. De hominis seruo ita Seneca loquitur. c. 22. *Seruus (vt placet Chrysippo) perpetuus mercenarius est. Quemadmodum ille beneficium dat, vbi plus præstat, quam quod operis locauit: sic seruus vbi beneuolentiâ erga Dominum fortunæ suæ modum transiit, & altius aliquid ausus, quod etiam felicius nato decori esset, & spem Domini anteceßit, beneficium est intra domum inuentum. Æquum tibi videtur, quibus, si minus dubito faciant, irascimur: non haberi gratiam, si plus debito solitoq; fecerint? Vis scire, quando non sit beneficium? vbi dici potest. Quid si nollet? vbi vero id præstat, quod nolle licuit, voluisse laudandum est.* *Nemo Deo dare beneficium potest.*

Hæc certè seruo Dei conueniunt, non vt Deo beneficium conferat, sed vt aliquid faciat boni non iussus, q̄ omittere sine peccato posset. Ministerium Deo præstare potest, si agat bonum in quo liber est. Posse autem nos agere multa, ad quæ Deus non obligauit vel illud indicio est, quod in illis omittendis peccatū non sit. Multi in singulos dies per integram horam orationi vacant, nec tamen si aliquando omittant, aut tempus imminuant, idcirco criminis rei sunt. Caluiniani etiam rectè agere se putant, audiendo maledicas suorum conciones, binas interdum ternasq; audiunt die vna, nec eum tamen condemnunt, si quis vnam duntaxat audierit, imo, si quis nullam.

§. 2. Qui verò ita serui sunt, vt dominorum suorum sint possessio, & vt vocat Aristoteles instrumenta viua, multo minus gloriari possunt. Illi cum omnia fecerunt, serui inutiles sunt: nec laudem merentur, nec gratia ipsis vlla debetur, verum, si non obtemperent, puniuntur.

Non pascet in cruce coruos,

Respondet Dominus seruo virtutes iactanti, aut de officio præstito glorianti.

Ex his clarum euadit, seruorum inutilitatem non in eo esse, vt nihil mereantur, sed vt gratia illis non debeatur. Mercedē enim & demensum suum à Domino accipiunt, & seruo fideli dicitur. *Quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* Seruientibus igitur strenuè, vt hic dicitur, *accinctis* & vt Syrus; *accinctu lumbos* חציר *chataich*, ista conueniunt.

§. 3. Id difficilius est, quomodo ideo serui inutiles simus, quia fecimus quod debuimus. Non enim ille inutilis est, qui facit officium, sed qui nihil Domino vtilitatis adfert. Primò quidem humilitatis causa ita

existimare debemus, vt Orig. hom. 12. in Ios. Chrys. de pœnitentia aliiq; docent. *Humilitatis*, inquam, *& Veritatis*: nam reuera inutiles, non modo opinione nostra. Syrus: *nunquid gratiam recipit seruus ille?* Hoc est, nunquid ex se seruus suo gratiam debere arbitratur? Eadem prorsus est de seruo interpretatio Theophylacti: *Monstratur enim per hanc, inquit, parabolam, quod non oportet extolli in bono quopiam opere, imo neq; in omnium mandatorum impletione. Seruo enim necessitas incumbit, vt faciat mandata Domini, neq; vt bonũ opus sibi asscribere debet. Quippe si non operabitur dignior est multis plagis: cum autem operatus fuerit, contentus sit, quod plagas effugerit. Proinde non oportet de hoc precium vel honorem quærere. Liberalitatis enim Domini fuerit dare, imò largiri ei. Igitur & qui seruit Deo, etiamsi mandata perficiat, non debet extolli. Nihil enim magnum fecit, sed væ erit ei, nisi fecerit: sicut Apostolus dicit: væ mihi, nisi euangelizauero. Proinde si dona fuerit assecutus, non debet in illis superbire, & de eis se iactare. Beneficia enim sunt per misericordiã Dei illi concessa, nõ quod debeat ei aliquid Dominus, imo seruus debet Domino suo, vt faciat omnia eius mandata. Si autem & cum omnia mandata fecerimus: neq; tunc debemus magnum quiddã sentire: quantum peccamus, cum maximã partẽ mandatorum Dei non perficimus, & nihilominus extollimur?*

Humilitatem docet nos nostra inutilitas.

Beda & Lyranus idcirco vocat inutiles, quia nihil Deo vtilitatis attulimus, quod verum est, quamuis illud non agebatur. Ideo n. vocat inutiles, quia fecimus quod facere debuimus. Vt res perspicuè intelligatur, obseruandum est, duplex esse ministrorum genus. Alii n. sunt verè proprieq; serui ἀιχμάλωτοι bello capti vel empti, vel domi nati. Alii sunt mercede conducti, ipsi quidem liberi, sed opera eorum empta est, & seruia. Si de mercenario agitur, in aperto est sententia. Ille enim qui mercede pacta arauit, aut pauit, eam recipit, sed quia vltra quam pactus erat nihil fecit, gratiã nullam Dominus illi debet; quia autem & hoc in pactis erat, vt pararet Domino, & cœnanti ministraret, ne eius quidem rei gratia debuit Dominus. Seruus ergo ille inutilis dicitur, non quod mercedem meritus non sit; nam & cœnam præbet illi Dominus; & mercedẽ dedit. Sed quod nihil sit, quo gloriari possint, aut quod Dominus vltra ipsis debeat, non merentur peculiarem laudem, sed si non fecerint quod imperatum est, pœnam. Sic 1. Cor. 1, 16. *Nam etsi euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem.*

Mercenario non debetur gratia si fecit, quod debuit.

§. 4. Clarissimè rem exposuerunt Ambr. & August. Quum enim Ambrosius nos humilitatem à Christo discere velit, vt & Chrys. ho. in illud, *Elatum est Cor Oziæ*; hoc tamen vrget, nos inutiles esse, ex nobis scilicet; quicquid præstamus id à gratia esse. August. serm. 3. de verbis Domini in eandem sententiam dicit. Ideo igitur serui inutiles. Deus enim iure suo vbi potest, omnia nobis imperare, nullam mercedem conferre, quæ si omnia accuratissimè, summo studio, charitate, obedientia præstaremus, nihil tamen mercedis exigere possemus, verũ summæ gratiæ habendæ essent creatori, quod vti nostra opera ad suam gloriam illustrandã dignatus sit. Hæc est enim nostra conditio, & multis titulis debitum obsequiũ. Nunc vero quod Deus bene agentibus mercedem promisit, fœdus nobiscum inierit, gratuitæ misericordiæ est, quæ etsi mercedis spem ostendat, non tamen efficit, quo minus spectatis nobis, & operibus nostris, sine pacto misericordissimæ retributionis, plane serui inutiles simus. Optimũ enim & difficillimum opus, etiam diuina gratia adiutrice, promptissimè factum, sine promissione & pacto inutile est; nam sua vi aut honestate creatorem obligare non potest.

Nullum opus ex nobis est meritoriũ, omnia inutilia.

§. 5. Impugnat Amb. Bed. Aug. Pare[9] l. 5. de iust. c. 5. Ambrosii expositionẽ negat ad rem esse, non enim Christum de eo agere, quod ex nobis præstare possumus, cum nihil sic possimus, sed dicere; *cum feceritis omnia dicite serui inutiles sumus.* Respondeo mea Ambr. non eget, verba eius in medium allaturem conficient: *Hoc*, inquit, *ideo, vt nemo in operib. glorietur, quia iure Domino debemus obsequium. Nam si tu non dicis seruo aranti, aut oues pascenti, Transi, recumbe, (vbi intelligitur quia nullus recumbit, nisi antè transierit. Deniq; & Moyses antè transiit, vt magnũ visum videret.) Sicut ergo tu non solum non dicis seruo tuo, Recumbe, sed exigis ab eo aliud ministeriũ. & gratias ei non omnino agis: ita nec in te patitur Dominus vnius vsum esse operis aut laboris, quia dũ viuimus, debemus semper operari.* Ergo agnosce te remur esse seruum plurimis obsequiis deseruientiũ. *Non te præferas, quia præmia, nisi filius Dei diceris: agnoscenda gratia sed non ignoranda natura. ex gratia Neq; te iactes si bene seruisti, quod facere debuisti. Obsequitur dam. Sol, obtemperat Luna, seruiunt angeli: Vas gentiũ electum à Domino: non sum, inquit, dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Deinde alibi nullius se ostendens conscium culpæ, subiecit, sed non in hoc iustificatus sum. Et nos ergo non à nobis laudẽ exigamus, neq; præripiamus iudiciũ Dei, & præueniamus sententiam iudicis, sed suo tempore, suo iudici reseruemus.*

Fundamenta ponit Ambr. ista; non gloriandũ de vno opere, de eo gratias non haberi, sed plura exigi. ait verò non ignorandũ naturã, cui nihil debetur, agnoscendã gratiã, cui ex solo promisso operãti merces datur: Aug. ista clari[9] exposuit loco citato: *Neq; n.* inquit, *perfectio in legũ est notitiã, cum sit scriptũ: Non n. auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Neq; n. inquam, is religiosus & sanctus est, qui nouit legẽ cessantibus factis cum expedit facere magis quã docere, quia molestiũ est docere, & non facere. Vos amici mei estis inquit si feceritis ea quæ mando vobis. O magna bonitas Dei: cui cũ pro cõditione reddere Deitatis debeamus obsequia, vtpote serui Domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia redemptori, amicitiarũ nobis præmia proposuit, vt à nobis obsequia debitæ seruitutis extorqueat: vt quos nolle seruire conspicit spõte, suorũ beneficiorũ possit promissionibus inuitare, & quorũ voluntates à se cõspicit alienas, eorũ mẽtes præmiorũ liberalitatib. constituat suas. Nam vnde sequitur aut inuitat præmio, aut terret supplicio, nisi vt benignitatis cõsilio à se formato homini consulat redempto prouideat: vt qui nõ terretur supplicio, inuitetur, præmio: & quẽ metus à facto reuocare nõ possit, promissionũ benignitas prosit? Cupit n. etiã nolentib. subuenire: desiderat misereri peccanti, si is qui peccauerit dignos fructus exhibeat pœnitentiæ. Inuitus n. in reos vindicat, si rei indulgentiã miserantis nõ cõtemnant. Amat n. corripit peccatores, qui in vitã, non in mortẽ, à principio constituit hoẽs. Ipse n. sibi infert interitũ, qui mutentis Domini contẽnit cõsilia: Reuertimini, inquit, ad me, & reuertar ad vos: & iterum, Nolo mortẽ morientis: tantũ reuertatur. & viuat. Non vult Dominus in quemquã dominari mortẽ, non vult in pœnã reduci hominẽ, quẽ in vita constituit. Caterũ homo ipse se dignũ efficit morte, qui non paruit legi. Odit vitã, qui diuinam contempsit disciplinã. Nã cum Dominus vellet homini demonstrare, qua obseruãti vitã, contẽnit asseruit mortẽ, inuitauit præmio, terruit supplicio. Ita n. de contemptu vitæ nõ poterit prouenire, vt de obseruãtia mors euenire nõ poterit, vt iam homo q̃ voluerit mereatur, & eo q̃ meruerit iudicetur: & hoc totũ in potestate hominis cõstitit, qui sibi ex qualitate vitæ meritum quod haberet inuenit.*

In his verbis primo videmus nos mancipia creatoris dici, cui omnia sint obsequia impedenda, ideoque seruos inutiles esse, cũ nec Deo prosint opera nostra, nec nobis, vt ante explicui. deinde verò nos à Deo inuitari præmio, & in nobis positũ esse, q̃ voluerim[9] mereri.

§. 6. Pergit porrò Pareus: [Est hoc sanè, *inquit*, egregiũ, nos dici seruos inutiles, quoniã cũ omnia mandata seruauimus, nihil fecim[9] vltra id, q̃ debem[9]: imo nihil facim[9], nisi q̃ debemus: & nihil nos inde iustẽ mercedis

" cedis petere posse, nullúq; præmiũ Deũ pro operibus
" nobis impiis debere. Hæc, inquam, egregie ad men-
" tem Christi aduersarius non ex Augustino descripsit,
" sed inconsiderate ad seipsum iugulandum scripsit.
" Considerate enim singula. Si nos omnia facientes ni-
" hil facimus vltra id, quod debemus (debuit dicere ex
" mente Christi: si nihil facimus, nisi quod facere debe-
" mus.) Igitur omnia quæ facimus sunt opera debita.
" Falsum igitur quod sint vitæ æternæ merita. Si omnia
" facientes nihil facimus vltra id quod debemus, seu
" quod Deus præcepit; falsum igitur quod supra dixit,
" nos posse vltra id, quod debemus, seu quod Deus præ-
" cipit, præstare. Potest, inquit, homo facere plus quam
" Deus præcipit. Igitur multo magis potest implere præ-
" cepta. qua insania nulla maior. Si denique nihil nos
" pro omnibus operibus nostris iustæ mercedis petere
" possumus: falsum igitur, Deum operibus nostris ex
" condigno, & ex iure debere vitam æternam: quod in-
" sita in aduersario inueniemus.]

Falsum est, ex eo quod debitum est, non esse meritum, non est ex natura; sed promisso. Falsum est non posse quicquam fieri, nisi quod præceptum est.

Stupendũ vero quod neget pacti mentionem esse apud Augustinum, ait, *præmia amicitiarum promittere, promissionibus inuitare, mentes præmiorum liberalitatibus constituere suas, inuitare præmio. Hinc hominem mereri quod voluerit, hoc totum in voluntate hominis consistere. Qui sibi ex qualitate vitæ meritum, quod haberet, inuenit.* Et tamen exclamat Pareus. Hocine pactum de nostro merito? Imo vero pactum, nam promissio est de merito. Quibus ex verbis etiam discimus. Licere operari intuitu mercedis, quia Deus sic inuitat. Nostra in potestate esse meritum vitæ, & mortis. Denique meritum esse. Falsum igitur & illud, quo concludit; Aperta hæc nimis Augustini deprauatio, atque hoc est quod ait D. Thom. 1. 2. q. 114. a. absolute nos nihil mereri, sed ex ordinatione Dei. Et ipse aduersarius fatetur. *Deum iustum esse in præmij redditione, quia seruat, quod promisit.* Verum non est sola fidelitas, seu veracitas, sed etiam iustitia. Nam promittere potest etiam nihil agentibus, hic requirit opus, & mercedem promittit. Verum nobis satis est mercedem esse debitam, quia promissa est, in titulo veracitatis, an iustitiæ proprie dictæ, iam non disquirimus. Perpetuo enim clamamus, Deum nostra merita in Christi meritis fundare, Deum in nobis coronare sua dona, sed quæ post promissionem, non coronare non potest,

πᾶσι συμιοθὸν ἄναξ ὀπάσης ἀντάξιον ἔργων.
O rex omnibus mercedem operibus dignam reddis.

Ait Apollinar. Psalm. 61.

Et Chrysost. de periurio. Τῆτο ἡμῶν κόσμος ἔσαι καὶ ἀσφάλεια σὸκ ὀμνύειν, ἀλλὰ ἢ μισθὸν οἴσει πολὺν σὸκ οἰκίων καταφωμάτων, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἑτέροις καθορθωμάτων ἀνάδοσιν ληφόμεθα μεγίσην. *Non iurare erit nobis ornatus, & securitas, verum multam etiam adferet mercedem, non modo eorum, quæ nos recte fecerimus, sed etiam quæ alij ex virtute egerunt, mercedem maximam nanciscimur.*

§. 7. Insigne hoc argumentum pro bonorum operum necessitate ducimus. Qui enim non faciunt, quæ debuerunt, quid erunt, si illi qui faciunt, sunt serui inutiles?

§. 8. Vrgent tamen; *mancipia nos esse Dei, totos eius esse, quicquid agimus, illi debitum esse. Totum peculium nostrum esse Dei.* Docuerunt ista melius sancti Patres & Theologi, quam vllus hæreticorum concipere possit. Omnia à Deo nobis data sunt, nihil nostrum est, quod non sit magis Dei, nostra etiam opera bona Dei sunt munera. Verum hic de præceptis quæstio instituitur: non enim omnia quæ exigere iure potuit, lege mandauit. Exiguo contentus obsequio, nostro quædam reliquit arbitrio.

§. 9. Denique quæstionem proponit Theophylactus & soluit: *Quare igitur, inquit, condemnas Domine, & miseros dicis eos qui scandala faciunt, si ex necessitate illa eueniant? Omne autem quod necessarium, hoc & venia dignum. Sed audi, quod necessitas illa ex voluntate habet initium, & ita dicere vult Dominus, videns malitiam hominum qui tunc erant: proni erant in omne malum, nihilq; bonum eligebant: quod quantum ad consequentiam eorum quæ videntur, necesse sit venire scandala. Malitia igitur cui student homines ex voluntate est. Operatio autem offendiculorũ necessario malitiam comitatur; & ita propter hoc puniendi sunt scandalorum auctores. Et age dicamus exempla: Videns quempiam malam diætam seruare, & insatiabilem esse, dicit: Necessarium est illum agrotare. Num igitur morbus necessarius? Etiam, quatenus adseruat malam diætam. Propterea væ his qui prædicationem impediunt, eo quod in tantam peruenerunt malitiam, vt etiam necessario eueniant scandala. Et expedit et homini scandala & offendicula facienti, molam asinariam in collo eius appendi, & proijci eum in mare, quam vnum ex pusillis fidelibus scandalizari & subuerti. Ideo munit discipulos suos, & dicit: Cauete vobis. Ecce (inquit) prædico vobis quod venient mala. Inexcusabiles estis. Necessarium enim, vt eueniant illa, non necesse autem vos perire, siquidem munieritis & armaueritis vos. Necessarium enim est venire lupum: sed si vigilauerit Pastor, non necessarium est perire oues, sed lupus frustra hians abibit. Dixit igitur hæc de his qui offendunt, hoc est impediunt & nocent. Quoniam autem multa horum differentiæ: Nam alij quidem sunt incurabiles, quales Pharisæi: alij vero sanabiles, quales fratres Domini erga Dominum ipsum: nam neq; ipsi credebant in eum.*

Scandala necessario eueniunt vigente malitia.

VERSVS 11.

Et factum est dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam.

QVÆSTIO I.

Quæ in historia decem leprosorum obseruanda?

§. 1. EPiphanius hanc historiam eandem cum ea, quam Matthæus recitat, arbitratur, cũ tamen hic decem, apud Matthæum vnus sit. Iren. l. 3. c. 14. non recenset eam inter illa quæ solius Lucæ sunt.

VERSVS 18.

Non est inuentus qui rediret & daret gloriã Deo nisi hic alienigena.

Dare gloriam Deo.

§. 1. DAre gloriam Deo, est beneficii auctorem Deum agnoscere, quod fecit Samarites, Tertull. l. 4. contr. Marcion. c. 35. *Vnde & vnum, inquit, illum solutum ex decem, memorem diuinæ gratiæ, Samaritem iratus, non mandat offerre munus ex lege, quia satis iam obtulerat, gloriam Deo reddens: hoc & Domino volente interpretari legem. Et tamen cui Deo gratiam reddidit Samarites, quando nec Israelites alium Deum vsque adhuc didicisset? Cui alij quam cui omnes remediati retro à Christo?*

§. 2. Syrus per Samaritanos dicit iuisse in Galilæam, itaque vel corrigendus est textus, vel dicendum, Christum per Samariam, deinde per partem Galilææ venisse.

Pro eo, quod noster & Græcus habet, *non est inuentus*, Syriace est: *Quare separati sunt.* לְמָא פְרִשׁוּ *lemà pareschu.* Nempe separati erant, vt non redirent, & redderent gloriam Deo.

VERSVS 19.

Et ait illi: Surge, vade quia fides tua te saluum fecit.

QVÆSTIO I.

Quomodo Samaritanum fides saluum fecit?

Quæ fides Samaritani?

§.1. EOdem modo, quo ante sæpe expositum est. Nempe fides erat, qua Christum credebat sanare posse. Illâ velut duce ad Christum veniebat; initium enim salutis est credere. Non autem fides erat, qua se saluos sine vlla pœnitentia credebant. Alii enim fide sanati sunt, sed vel à sacerdotibus deprauati, vel sua sponte ingrati, à fide naufragauerunt, nec redierunt, vt darent gloriam Deo. Eadem ergo fides fuit omnium, qua saluati sunt.

VERSVS 20.

Interrogatus autem à Pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum obseruatione.

QVÆSTIO I.

Quod vocatur regnum Dei?

§.1. IN Christi concione frequentissima erat regni Dei mentio, itaque per contemptum, vel curiositatem rogabant, quando tandem illud venturum esset. Quale autem fuerit regnum, admodum varie sentiunt, alii regnum Christi spiritale, alii temporale, alii vitam beatam arbitrantur.

Regnũ Dei aliud Christo, aliud Iudæis.

§.2. Constituendum est principio non idem vocari à Pharisæis regnum Dei, & à Christo. Regnũ Dei illi imaginabantur regnum Messiæ felix, potens, Augustum, quo regum exterorũ seruitio liberati, vniuerso tandem orbi dominarentur. Regnũ igitur Dei opponunt quatuor monarchiis Danielis c. 7. Regnum æternum, regnum quod nõ finietur. Nec tale regnum Messiæ, & veteres, & hodierni Iudæi fore existimabãt.

§.3. Greg. Nyss. l. de beatit. & virginit. Ideo regnum Dei intra nos esse, quia Dei imaginem habemus in nobis. Beda Fidem. Nazianz. lætitiam spiritalem. Eucher. qq. in Lucam; virtutem Dei & meritum interpretantur, quæ omnia hanc expositionem adiuuant, Euangelium enim cum omnibus suis effectis & circumstantiis vocatur regnum Dei, & virtus Dei.

Regnum est Euangelij prædicatio.

§.4. Christus regnum Dei vocat Euangelii prædicationem à se inceptam, & continuatam. Ecce, inquit, regnum Dei intra vos est. Aliud autem regnum non erat, non externũ, non aliud priuatum. Porro regnum Dei eam habere significationem alias docui, nec enim hic est vita beata, quæ intra eos non erat. Dicuntur hæc ad eos excitandos, vt moneantur, si velint, participes regni effici. Nec tamen illi qui rogabant, forte Euangelium receperant, sed intra eos erat, quia illis prædicabatur, & multi obediebant Euangelio.

Huc aliorum interpretationes haud difficulter reuocari possunt.

Regnum Dei est intra vos, non tamen ideo est Ecclesia inuisibilis: Nam certa signa & aspectabilia in ea Deus posuit: vt ignorari non possint.

Regnũ Dei creatorũ.

§.5. Tertull. l. 4. c. 35. contra Marcion. *Sed nec*, ait, *Pharisæi possunt videri de alterius Dei regno consuluisse Dominum, quando venturum sit, quamdiu alius à Christo editus Deus non erat: nec ille de alterius regno respondisse, quam de cuius consulebatur. Non venit, inquit, regnum Dei cum obseruatione. Nec dicunt: Ecce hic, ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Quis non ita interpretabitur, intra vos est, id est in manu, in potestate vestra: si audiatis, si faciatis Dei præceptum? Quod si in præcepto est Dei regnum, proponetur igitur contra, secundum nostras Antitheseis, Moysen, & vna sententia est. Præceptum, inquit, excelsum non est, nec longe à te. Non est in cœlo, vt dicas, quis ascendet in cœlum, & deponet nobis illud, & auditum illud faciemus? Prope te est verbum, in ore tuo, & in corde tuo, & in manibus tuis facere illud. Hoc erit: Non hic, nec illic: ecce enim intra vos est regnum Dei. Et ne argumentetur audacia hæretica, de regno creatoris, de quo consulebatur, non de suo respondisse eis Dominum, sequentia obsistunt.*

§.6. Regnum Dei non est beatitudo cœlestis hoc loco, cum quia non erat intra eos, nemo enim beatus erat, nisi spe & accepto pignore salutis, tum quia Pharisæi de ista non quærebant, non enim putabant adesse extremum diem, quo regnum illud inciperet.

Non est regnum hoc beatitudo.

QVÆSTIO II.

An non veniat regnum Dei cum obseruatione?

§.1. QVæstionis difficultas ex eo oritur, quod Christus Matth. 25. & hic 21. signa aduentus sui recenset. Imo Matth. 16. 3. quod faciem cœli iudicare possint, tempus visitationis non possent, ipsis exprobrat. Signa igitur regni aliqua data sunt, & cognosci potuerunt. Non tamen ea signa maiestatis regiæ, quæ animo Pharisæi conceperant.

Sine regni splendore.

Simpliciter tamen non venit μετὰ παρατηρήσεως, hoc est, accurata, & diligenti, atque ideo superstitiosa obseruatione, hoc est enim παρατηρεῖν; nam illi prudenter se obseruaturos existimabant. Idem indicat Syrus בנטורתא *bantburetha*, hoc est, non venit regnum Dei in excubiis, custodiis, obseruationibus, quomodo regum aduentus ordinati omnes exspectant. Hac obseruatione & splendore non venit. Theophylactus interpretatur, non esse regno tempus certum constitutum: quod etiam verum est.

§. 2. Regnum Dei, quod iam intra illos erat, non venit cum obseruatione: hoc enim expresse Christus affirmat. Non enim dicent: Ecce hic, aut illic, non erit regnum temporale, & exspectabile, non præibunt mentatores, tubæ, satellites, vt more regum ostẽdatur.

VERSVS 22.

Et ait ad discipulos suos: Venient dies, quando desiderabitis videre vnum diem filij hominis, & nõ videbitis.

QVÆSTIO I.

Quis sit dies filij hominis?

§.1. CYrillus D. Thom. Euthym. esse vnam talem diem, qualis illæ erant, quibus cum Christo versabantur in terra; hoc est, quietem securam sine persecutionibus. Nam est μία ἡμερῶν vna dierum; seu, vna ex diebus. Ita Syrus habet חד מן יומתא *chad iaumatha. vnam de diebus, vel ex diebus.*

Dies Domini.

§.2. Beda, extremum diem, iudicium esse interpretatur. Hoc refutant: quia omnes diem illum videbunt, & desiderio eius videndi flagrabunt Apostoli, & omnes iusti. non igitur negat eos visuros esse. Franciscus Lucas ait: v. 26. eum vti plurali, vt incertum relinquat, vno an pluribus diebus duraturum sit iudicium: atque ita facile interpretatur quid sit, quod ait, μία ἡμερῶν, *vna dierum.*

Beza de tempore quo captus fuit, vsq; dum à Spiritu sancto confirmaretur, at tum nequaquam dixerunt, *Ecce hic, aut illic.* Nemo enim infidelium ostendebat Christum resurrexisse, & illi qui testabantur, veri testes erant; Nam discipuli reprehenduntur, quod non crederent illis, qui ipsum viderant.

§.3. De vltima mundi die, qua omnia finientur, non tantum agitur, sed de tempore & diebus, quæ illam antecedunt; atq; adeo illa ipsa. Itaque sensus est. Desiderabitis videre vnum diem ex diebus illis vltimis, & non videbitis. Non quod non omnes sint visuri vltima-

Vna dierum vltimarum fatalis

fatales mundi dies, sed quod non eo tempore, quo desiderabant videre. Apostoli & discipuli coniurato in eos mundo, cum se ad mortem peti, ecclesias turbari viderent, furere dæmonem, optabant Christi aduentū, desiderabant videre aliquem diem, quo signa propinqui iudicij apparerent. Nam iussit Christus ad ea signa eos leuare capita, eo quod appropinquaret redemptio illorum. Hoc igitur eorum desiderium non est impletum, abierunt in locum suum, & necdum venit aliqua dies filij hominis. Hanc esse Christi sententiam ex verbis coniunctis facile demonstro. V. 22. ait: *Venient dies quando desideretis videre vnum. Et dicent vobis, Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini.* & 24. *nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget: ita erit filius hominis in die sua.*

His duobus versibus de eadem die loquitur, vt palam est: probat enim non credendum dicentibus; *hic aut illic est*, & eos non visuros diem filij hominis; quia filius hominis erit in die sua sicut fulgur; illa autē dies non est temporis, quod in primo aduentu transactum est, sed quo iudicaturus est. Deinde v. 26. *Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsq; in diē quo intrauit Noe in arcā: & venit diluuiū, & perdidit omnes.*

Hic vocat dies filij hominis, vltimos illos, quibus aduentus paretur & ingruet: nam continet etiam extremum diem. v. 30. *secundum hæc erit, qua die filius hominis reuelabitur.*

Pari ratione v. 34. *Dico vobis in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur & alter relinquetur. duæ erunt molentes in vnum: vna assumetur, & altera relinquetur. duo in agro: vnus assumetur, & alter relinquetur.*

Hæc omnia ad iudicij tempora pertinent. Dies ergo est extrema, & illi qui annexi sunt. Dicuntur autem dies filij hominis, quod illis diebus regnum suum maxime manifestabit, inimicos perdet. Veniet ergo vt fulgur coruscans ἀστραπὴ ἀστράπτουσα, *fulgur fulgurans*, omnibus manifestus. Græce est ὥσπερ, quod est ad verbum. Nam sicut fulgur fulgurans ex ea quæ sub cœlo, in eam quæ sub cœlo fulget: hoc ex vna plaga in aliam. Noster legit εἰς τὰ in ea. Syrus eodem sensu, licet verba variet: *& omnia quæ sub cœlo sunt, illuminet.*

§. 4. Nec obstat, quod v. 23. dicitur. *Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic.* Duobus enim modis accipi potest. Primo vt v. 23. loquatur de Christo, quem hic vel alibi esse dicent, quod falsum ait, at versu 21. de Euangelio; alij v. 20. de primo aduentu. v. 23. de secundo agi voluit. Mihi probabilius videtur priore loco agi de eo, quod fieri non potest, nec debet. Nam v. 21. Non dicent, hoc est, non poterunt vere & cum ratione dicere. at v. 23. dicent illi qui impostores agunt.

V. 23. Syrus habet tantum לא תאזלין *la thizelim*, ne ieceritis. Ibid. Ecce hic, & ecce illic, quædam omittunt coniunctionem, non recte.

V. 24. Syrus coruscat *de cœlo.*

27. Edebant & bibebant. Græce abest καὶ.

31. Illa hora, græce & Syriace est ἡμέρᾳ die, non intelligit præcise vltimum diem, nulla enim tecta erunt eo die, omnibus exustis.

33. In quibusdam etiam latinis legitur die.

36. Quod ait, *Duo in agro, &c.* Francisc. Lucā vide. Correcta tamen latina editio retinet, ideoque omnino retinendum censeo, plurimos enim optimosq; codices illi habuerunt.

37. Matthæus habet πτῶμα, Lucas σῶμα, vt monet Euthymius, eodem vterque sensu, licet quidam libri habeant πτῶμα. Christus parabolam exposuit, & vtroque nomine vsus est. Non est omittendum in fine versus particula καὶ, sed legendum καὶ ἀετοί & aquilæ: Syrus tamen omittit.

CAPVT XVIII.

Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere. 2. dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. 3. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: vindica me de aduersario meo: 4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor: 5. Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens suggillet me. 6. Ait autem Dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicit: 7. Deus autem nō faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? 8. Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Veruntamen filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra? 9. Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istā. 10. Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent: vnus Pharisæus, & alter Publicanus. 11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: 12. Ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo. 13. Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. 14. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, quia omnis, qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. 15. Afferebant autem ad illum & infantes, vt eos tangeret. Quod cū viderent discipuli, increpabant illos. 16. Iesus autem conuocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare: talium est enim regnum Dei. 17. Amen dico vobis: Quicunq; non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. 18. Et interrogauit eum quidā princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitā æternam possidebo? 19. Quid me dicis bonū? nemo bonus nisi solus Deus. 20. Mandata nosti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimoniū dices: Honora patrem tuum, & matrem. 21. Qui ait: Hæc omnia custodiui à iuuentute mea. 22. Quo audito, Iesus ait ei: Adhuc vnū tibi deest: omnia quæcunq; habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurū in cœlo, & veni sequere me. 23. His ille auditis, contristatus est, quia diues erat valde. 24. Videns autem Iesus illum tristem factū, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. 25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem introire in regnū Dei. 26. Et dixerunt, qui audiebant: Et quis potest saluus fieri? 27. Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deū. 28. Ait autē Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. 29. Qui dixit eis:

Amen

Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei. 30. Et non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam. 31. Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. 32. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: 33. Et postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget. 34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. 35. Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. 36. Et cum audiret turbam pertranseuntem, interrogabat quid hoc esset. 37. Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. 38. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. 39. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. 40. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, 41. dicens: Quid tibi vis: faciam? At ille dixit: Domine vt videam. 42. Et Iesus dixit illi? Respice, fides tua te saluum fecit. 43. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

ARGVMENTVM.

ORandi assiduitatem, & perseuerantiam exemplo iudicis iniusti, sed importunitate viduæ permoti, commendat. Eos vero, qui se iustos esse confidebant, parabola Pharisæi, & publicani confutat.

Infantes admittit, & eorum exemplo ad modestiam hortatur. De seruandis mandatis, & omnibus vendendis agit, contraque diuites disputat, mortem suam prædicit, cæcum curat.

Prima pars à versu 18. in Syrica Ecclesia legitur, *ad vesperam sabbati præcedentis ieiunium.* A versu 18. ad 31. legebatur, *in festo S. Antonij.* Sic enim habetur קריאא דאב אבטוניוס ורבנוהי *Keriana daab Antauniaus vedaccenauthech. Lectio Patris Antonij, & conseruorum eius.* Quo ex titulo colligimus, quanto non Antonius modo, sed eius etiam posteri in honore fuerint per Syriæ Ecclesias. Deinde etiam titulus idem est verborum de vendendis omnibus, & in pauperes conferendis practica & publica interpretatio.

Syra Ecclesia Antonij cultrix.

A vers. 31. ad finem leguntur feria 5. hebdomadis 6. ieiunij.

VERSVS 1.

Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere.

QVÆSTIO I.

Quomodo semper orandum?

Euchitarũ hæresis.

§. 1. EVchitæ verborum proprietatem imperite sectati continuandam perpetuo orationem dicebant, Scriptum enim est πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι, *ad oportere semper orare.* His Christi verbis ad literam, vt sonant, intellectis, primo in speciem, sanctissimam, deinde vt fieri solet cum cœptum est errare, turpissimam hæresin conflarunt videatur Epiph. hæres. 80. August. hær. 57. Damascen. hær. 80. Orationem solã ad salutem sufficere dicebant. Deinde semper orandum, non orabant tamen semper, id enim fieri non poterat. Vocati sunt Enthusiastæ, tum quod aspectabili forma ad se venire Spiritum sanctum iactarent, tum quod Prophetiæ se dono præditos stultissime profiterentur vt ait Epiphanius, Quin se quisque verum Christum dicebant: Eò tandem deuotio illa processit, vt omni labore manuum Christianis interdictum censerent, ac promiscuos concubitus haberent, dæmonem Deo potentiorem dicerent, ideoque & illum adorabant, horrendo Dei iudicio tam grauiter orationis simulationem punientis. Deniq; precatores illi & *spiritales*, Ethnicos pro idololatrico cultu occisos martyres dicebant, vnde & ipsi *Martyriani* appellati sunt. Plura de his vide apud Baron Anno 361. Anno 383. Prateolum verbo: Oratio: & Castrium eodem verbo. Tantum mali illorum verborum, cum in animos primo Simplicium, deinde pertinacium inciderunt, prauo sensu, natum est.

Deuotio Euchitarũ dæmonis adoratrix.

Martyriani.

§. 2. Cum igitur verba teneamus, nec, vt sonant, accipi possint: nec enim semper orare possumus: Et quamuis Messaliani etiam edentes orarent, nõ tamen dormientes, aut loquentes, aut peierantes precabantur, periurium enim etiam probabant. Sed neq; Apostoli semper, sed per interualla temporum orabant, vera sententia est exquirenda; Nonnulli orationi nomine omne opus bonum intelligunt, quod sempe- *Omne opus bonum orationi ratio est.* randum est aut cogitandum, & cum somno impeditur, ipsa quies ad recreandas vires quibus Deus colatur, capessenda est. Christus tamen vt de certo bonorum operum genere, de oratione scilicet loquitur: Alioqui parabola non conueniret, si de labore, eleemosynis aliisq; esset operibus intelligendus. S. Aug. Epist. 121. Ad Probam: Orationem perpetuam vocat desiderium perpetuum: *At per hoc,* inquit, *& quod ait Apostolus sine intermissione orate, quid est aliud quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest sine vlla intermissione desiderare: Semper ergo hanc à Domino Deo desideremus & oremus semper, sed ideo ab aliis curis atq; negotijs quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negocium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus intendere ne quod tepescere cœperat omnino frigescat & penitus extinguatur nisi crebris inflammetur: Est quidem magnum desiderium magna Oratio: sed quando cum fide & spe à Deo desiderata postulat, quod non continuo, sed per interualla fieri necesse est.* *Semper orandum.*

§. 3. Semper ergo orandum, vt bona quæ à Deo postulamus desiderio, spe, precibus à Deo rogemus, semper cum tempus orationis esse recta ratio suadet: Non enim temporis continuationem, sed fidei, spei, desiderij constantiam requirit, horum tamen effectus nõ Nunquam omni, sed suo tempore cernitur, hoc est enim ἐκκακεῖν, vt habet Eustathius, quod *sanctum* est ignauia & turpi formidine à prælio pedem referre.

ὦ φίλες

ὦ φίλε, ὀυτε ἐολπα κακὸν καὶ ἄναλκιν ἔσεσθαι,
O amice non te segnem & sine robore fore arbitror.

Sic Polybius l. 4. Nazianz. aliique vsurpant. Syrus parabolam dixisse ait, *vt in omni tempore orarent*, & ἐκκακῶσι sic exponit רלאהאחן להון velathitan lehun, *Et non esset tedium ipsis.* Porro non est ab אתן, sed à ראן literarum metathesi, quemadmodum glossa Syri textus habet. במר בוא *cemo mean.* Est vero humiliari, deiici, & animo abiecto esse. Huc Viduæ spectat exemplum, quæ certis interuallis iudicem interpellabat, vt tædio victus non iustitia inclinatus petita concederet, quæ ideo non defecit, non quod ab interpellatione nunquam absisteret, sed nullis repulsis fatigata, spe & conatu obtinendi iuris sui deiiceretur.

Fidem itaque teneamus de bonitate Dei, vnde spes & preces. Ita Augustin. serm. 36. de verbis Domini: *Quis enim orat quod non credit. Vnde & beatus Apostolus cum ad orandum exhortaretur ait: Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit. Et vt ostenderet fidem fontem esse Orationis nec posse ire riuum vbi caput aquæ siccatur; adiunxit atque ait: Quomodo autem inuocabunt in quem non crediderunt? Ergo vt oremus credamus, & vt ipsa non deficiat fides qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.*

§. 4. Non continuo Deus cum vos exaudit, etiam ipsa præstat, quod petitur, quia in secretissimo prouidentiæ illius consilio aliud melius esse iudicat. Nec ideo precum fructus nullus est, quia non statim iacto semine fruticat, atque

Exerit è tenera molle cacumen humo.

Prius emoritur & dissoluitur ac tum demum germinat. Ita oratio exercitationem fidei, spei, longanimitatis, patientiæ habet. Magnum vero diuinæ gratiæ signum est, orationibus delectari, colloquio diuino frui, illud non horrere; amoris enim indicium delectabilis conersatio. Quemadmodum è contrario animi impii firmum est argumentum, fuga orationis. Nemo enim pius est qui pietatem fugit. Multi vero non modo in oratione perseuerant, verum quasi inuiti & repugnantes eo trahuntur.

VERSVS 2.

Dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate qui Deum non timebat & hominem non reuerebatur.

QVÆSTIO I.

Quo Parabola iudicis tendat?

§. 1. VIdex describitur impius in Deum, impudens inter homines, qui ne iustitiam quidem simularet. Vidua paupercula quam vel maxime contemnere poterat. Contempsit vero orantem δὶ χρόνου, *per multum tempus*, ita enim particula *enim* accipitur, etiam apud Homerum Odyss. ξ. Syrus expresse vocat tempus סגיאא Saggiaa, multum.

Importunitate victus viduam vindicat, hoc est, ab iniuria defendit. Exempla quædam aliqui referunt de Philippo Macedone Alexandri patre, & Adriano imperatore, qui cum viduæ ius petenti occupationes excusarent, accepto responso: *noli ergo regnare*, mox & illam & alias audierunt.

§. 2. Causam defendendæ viduæ habet, *ne in nouissimo veniens sugillet.* Quod alii de perpetua molestia, alii vero de accusatione post depositum magistratum interpretantur. Græce est ὑπωπιάζει, ὑπωπία sunt liuores ex contusione, quales in pugilibus esse solent. Quidam vertunt, *obtundere*, quasi nolit perpetuo aures suas precibus viduæ obtundi. Quod tamen valde improprie de ὑπωπίοις dicitur, Apud Theophyl. male legitur ὑποπιέζει, *premit, angustat*; Syrus habet, *Ne omni tempore veniens*, ביהרא לי, *quod est molestare, nocere*; sed potius de accusatione post magistratum accipio; illa enim tum ordinaria fuit.

§. 3. Iudici non comparat Deum, sed argumentum ducit à dissimili, seu à minore. Iudex impius, crudelis, impudens viduam tuetur, victo per importunas preces rigore, nō Deus vindicabit amicos & electos suos? Iudex adeo improbus, qui nec erat *timens Deum*, seu, *non timens à Deo*, vt Syrus habet, & à filiis hominis לא מתבהר הוא *la metchachar haua, non erat abscondens se.* Ille inquam ferus & atrox à vidua vincitur nonne magis ipsa bonitas suos audiet?

§. 4. Porro de iudice singularis est sententia Athanasii q. 30. ad Antiochum. *Quis est* (inquit) *ille iudex iniquitatis, qui neq; Deum timebat, nec hominem reuerebatur?* Resp. *Deus. Nec enim vel Deum habet quem timeat, nec hominem quem reuereatur. Erat autem in ea ciuitate vidua quædam. Quæ illa vidua est?* Anima cuiusque hominis quæ Diabolum aliquando maritum habuit, quo repudiato Christum ex animo complectitur vidua est, orans, nocte dieque iudicem deprecatur & lugens dicit, vindica me de aduersario meo. *Iudex Deus.*

VERSVS 7.

Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis.

QVÆSTIO I.

Quomodo electi vindictam petant?

§. 1. ELecti vindictam postulant, iustitiæ publicæ desiderio, non cupiditate priuatæ vltionis, atque ita sub altari clamant animæ interfectorū. Eam Deus tardius aut citius repræsentat. Hodierna Græca fere habent: καὶ μακροθυμεῖν ἐπ' αὐτοῖς, *& longanimis erga illos*, noster legit μακροθυμεῖ, vt etiam Chrysost. Orat. 2. πρὸς τοὺς εὐχῆς. *Vindicta iustitiæ publicæ causa peti potest.*

§. 2. Obiicit Beza, Deum frequenter diu differre vindictam, id innumerabiles historias testari. Bezam quidem satis versus 8. confutat, vt habet, fore vt vindictam faciat ἐν τάχει, cito. Non igitur diu patientiam habebit. Improborum quidem quæ apparet felicitas aliquando producitur, nulli tamen est diuturna, sanctorum quærelæ dum præsentia attenduntur, facile accenduntur, sed iudicant tamen velociter illos exitio inuoluendos; Deus autem cito supplicium irrogare dicitur, cum quia ordinarie cito terret & punit, tum quia derepente, cum se maxime securos arbitrantur, At cum Deo omnia præsentia sint, nulla mora videtur supplicii inculcare porro seriam & celerem vltionem cum ait: λέγω ὑμῖν, aut vt est in aliis ναὶ λέγω ὑμῖν. Erasmus in quodam codice fuisse ait: ναὶ λέγω μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς ποιήσει, &c. *Vere dico, longanimis in ipsos faciet vindictam.* Syrus habet רמגר רוחה עליהון *Vmagar ruchech ghalehun. Et protrahet spiritum suum super eos?* quod legendum est per interrogationem, vt est in Græco, & latino, nam citam fore vindictam ait, בעגל *bachagal*, hoc est, *in festinatione*, vt vertit Syrus interpres. *Deus quomodo citò punit.*

VERSVS 8.

Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

An non sit inuenturus fidem filius hominis?

Infirmitas in fide causa est cur preces non audiantur.

§. 1. CVr hoc velut inopinatum subiungat exhortationi ad orationem, operæ pretium est intelligere. Dei immensam in precibus suorum accipiendis misericordiam à dissimili explicuit, & sane tam multi orantes non exaudiuntur, magna est omnium rerum confusio, improborum superbia, innocentium suppressio. Causa est fidei languor, aut etiam infidelitas. Quid enim mirum eos qui negligenter, & cum fastidio orant non exaudiri à Deo? iam vndique nos bella premunt, collucent agri flammis, qua vasti non sunt, ipsæ reliquiæ decimantur. Plurimum est vbique consiliorum, querelarum, conuitiorum, blasphemiarum, odiorum, qui firma in Deum spe recumbat, qui orationi instanter vacet, lachrymis Deum placet, mundi pereuntis vitia deserat, rarus est; Quis regum sæuitiam accuset, si rei tanta est contumacia, vt deprecari nolit? si non modo venia offerenda est, sed rogandus vt rogare velit?

Non extinguetur omnino fides.

§. 2. Non tamen omnem fidem abolendam esse constat, sed in paucis inueniendam, vt Hilarius in Psalm. 56. *Gentes etiam omnes spernet visitatas, & non obedientes: quia quamuis ex his sit portio quantulacunque credentium, tamen vniuersitas reputabitur in plurimis, secundum illud dictum Domini. Nunquid cum venerit filius hominis inueniet fidem super terram?* Non quod in aliquibus non reperietur quibus & dicetur: *Venite benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi, sed cum pauci ex omnibus gentibus sint fideles per paucos efficitur ne non omnes gentes sint infideles.* Vix fore fidem monet Cyprian. de vnit. Eccles. August. Serm. 146. de tempore, & Epist. ad Hesych. 80. & Esa. 59. De eadem fidelium paucitate & mundi apostasia obiiciebant alii Donatistæ apud Augustin. l. de vnitate Eccles. cap. 15. *Item dicunt de Apostasia orbis terrarum, dictum esse quod ait Dominus, filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra? Quod nos intelligimus dictum vel propter ipsam fidei perfectionem quæ ita difficilis est in hominibus, vt in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moyse inueniatur aliquid vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint; vel propter illam iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum de quo satis diximus. Propterea enim tanquam dubitans hoc dixit Dominus.*

Donatistæ his verbis ad suã hæresin abusi.

Homines de fide dubitaturi.

Neque enim ait: *Filius hominis veniens non inueniet fidem in terra? Cui vtique cuncta scienti & præscienti de aliqua re dubitare non conuenit, sed illius dubitatio dubitationem nostram figurauit: quia propter multa scandala circa finem seculi pullulantia, hoc quoq; erat quandoq; infirmitas humana dictura.*

Quod versu 9. dicitur: *Parabolam illam*, quidam libri habent additum *dicens*; quod delendum est, vt etiam v. 13. *mihi peccatori, amen.* nam dictio *amen* non est in Græco, nec latinis correctis.

VERSVS 11.

Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum.

QVÆSTIO I.

An Pharisæus orauerit?

Oratio Pharisæi.

§. 1. QVod noster interpres conuertit; *stans hæc apud se orabat.* In Græco est: σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν ταῦτα προσηύχετο, quod potest admittere duplicem distinctionem, vt vel apud seipsum stetisse, seu solus & seorsum dicatur. Vel vt orasse apud seipsum dicatur, vt noster habet. Syrus ita vertit: בינוהי לנפשה *benauhi lenephschech, inter se ad animam suam,* seu, *inter se animæ suæ*, Non autem: *inter se & animam suam*, non est enim interposita coniunctio.

§. 2. Videtur non orare, sed seipsum laudare, & sane vera oratio non est, sed iactatio. Augustinus negat in eius verbis inueniri quid rogauerit Deum.

§. 3. Orationem tamen veram imitatur, nam gratias agere se Deo simulat. Gratiarum actio oratio est. Sed hìc ne vera quidem est gratiarum actio.

§. 4. Excusabilis videtur quod bonorum suorum authorem Deum agnoscat. Multis tamen modis delinquit. Neque enim peccatorum suorum meminit, nec veniam petit. Gregor. l. 23. moral. c. 7. quatuor species Pharisaicæ superbiæ recenset. *Quatuor quippe sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum aut bonum aut à semetipsis habere se æstimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certe cum iactant se habere quod non habent, aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere, quod habent. Vnde & Pharisæus idcirco de templo absque iustificatione descendit, quia bonorum operum meritum sibi quasi singulariter tribuens, oranti publicano se prætulit.*

Quatuor species superbiæ.

§. 5. Superbissimam porro Pharisæorum fiduciam superat Caluiniana, de qua vere in præfat. liberi Arminiani. [Caput autẽ & veluti fons vnicus omnium « quos ille culpabat errorum est, præpostere concepta « de diuina prædestinatione opinio, hoc enim caput ita « vt à Caluino conceptum est, iudicabat non tantum à « ratione omni, sed etiam à natura ipsius Dei & sacris « literis esse alienum: ipsis quinetiam moribus omnig; « religioni adeo aduersum, vt si quis ex illius sententiæ « tenore vitam suam instituere, non posset vllo modo « ad salutem pertingere. Quid enim mundum aut carnem cum omnibus voluptatum illecebris & lenociniorum irritamentis fugiat is, qui credit certoque sibi « persuasum habet, non posse se salute sua excidere, sed « tam esse necessarium vt saluetur etiam post peccatum, « quam necessarium est, vt Deus decretum suum non « frangat.] Quomodo autem legem seruare possimus, « alias sæpe docui, nunc moneo ab illa carnali seu diabolica opinione de legis impossibilitate Arminianos « recessisse, ita Arm. respons. ad artic. q. 9. [Postulatio « legis secundum mentem postulantis est æstimanda, qui cum aut rigide velit in summo perfectionis gradu « illam obseruari, aut secundum ἀπλοῦν tantum, respondebunt bifariam: nempe si postulet secundum « ἀπλοῦν tantum, & vires quas contulit proportionatæ sint postulato, non posse hominem talem legem « Dei perfecte præstare, si consideretur vt præstandaiuxta rigorem. Si vero postulet secundum ἀπλοῦν & vires collatæ sint proportionatæ, quod dicendum est, cùm Euangelico fœdere postulet: respondendum est « perfecte posse seruari. At quæstio de potentia non est « tanti momenti, vt inquit Augustinus, modo quis fateatur per gratiam Christi id fieri posse.] «

Deus gratias agens.

Lex postulat iusta seruari.

§. 6. Tertull. 1. cont. Marcionem c. 36. Ostendit Deum creatorem adorari, & eum esse patrem Christi. Nam si orandi perseuerantiam, &c.

§. 7. Caluinus in huius loci expositione varius est, nam interdum Pharisæi culpam exaggerat, interdum deprimit. [Quanquam autem Deo gratias agens « tetur quicquid bonorum operum habet, merum esse « eius beneficium: quia tamen operum fiduciæ inniti- « tur seque aliis præfert, cum sua oratione reiicitur, vt « de coillgimus non rite, neque in solidum humiliari fiducia « homines, (quamuis se nihil posse reputent) nisi operum meritis simul diffisi, salutem suam in gratuita Dei « bonitate locare discant, vt illic fundata sit tota illorum fiducia. Insignis locus. Nam quibusdam sufficere videtur, si homini detrahant bonorum operum « gloriam, quia dona sunt Spiritus sancti, atque ita gratis iustificari nos intelligunt, quia nihil iustitiæ in nobis re-

Deus gratias agens.

„ bis reperit Deus nisi quod contulit, atqui longius pro-
„ greditur Christus non solum recte agendi virtutem
„ spiritus gratiæ assignans; sed nos exinaniens ope-
„ rum omni fiducia, non enim reprehenditur in ea par-
„ te Pharisæus, quia sibi arroget quod Dei proprium est,
„ sed quia meritis suis innititur, vt Deum propitium ha-
„ beat, quatenus dignus est. Sciamus ergo, quamuis
„ bonorum operum laudem Deo quis ascribat, si tamen
„ eorum iustitiam imaginatur salutis suæ causam esse
„ velineam recumbit peruersæ arrogantiæ damnari. Ac
„ nota hic ventosam ambitionem nō taxari, dum apud
„ homines gloriantur, qui sibi aliàs male conscii sunt,
„ sed occultam hypocrisin, neque enim præco dicitur
„ fuisse suarum laudum, sed tacite apud se precatus. Cæ-
„ terum quamuis suæ iustitiæ famam non spargeret alta
„ voce, interior superbia Deo abominabilis fuit. Du-
„ plex autem eius gloriatio fuit: Nam primo se à com-
„ muni hominum reatu absoluit, deinde suas virtutes
„ profert. Negat se esse tanquam vnum è reliquis, quia
„ à scelerum culpa sit immunis, quæ passim regnant in
„ mundo. Quod autem iactat se bis ieiunare singulis
„ sabbathis, & decimas suorum bonorum dare, perinde
„ ac si diceret, plus se præstare, quam lex requirat. Sic-
„ uti Monachi in Papatu opera supererogationis prædi-
„ cant, ac si parum illis esset legem Dei implere.]

Verissimum est Deum nihil iustitiæ in nobis inue-
nire nisi quod contulit. Deinde virtutem agendi Spi-
ritui sancto assignari ab omnibus Catholicis. Deniq;
omni nos operum fiducia spoliari libenter fatemur.
Opera bona Spiritus sancti dona sunt, eo agente per-
ficiuntur, mercedem ex Dei promisso habent, fidu-
ciam, sensu Caluiniano nemo in illis habet, sed spem
firmam in Deo fore, vt illi opera spiritus nobis dona-
ta placeant. Quia vero nescit homo, amore an odio
dignus sit, necesse est etiam vt nesciat an opera Deo
grata sint, nescit, inquam, sed sperat, & sperat de gra-
tia, non de suis viribus. Nemo nostrum Deum se id-
circo propitium habere putat, quatenus dignus est,
sed quatenus eum Deus iustificauit, illi enim propi-
tius est, quem vocauit, & iustificauit.

Porro quod opera negat causam salutis, idque ar-
rogantiæ deputat, grauiter errat. Scriptura enim ope-
ribus causam salutis tribuit, dat enim vnicuique Deus
secundum opera sua. Non constant sibi hæretici. Ki-
medoncius Caluinianus de prædest. p. 250. *media* vo-
„ cat. [Prædestinatio nō tantum complectitur finem,
„ qui est vita æterna, verumetiam media ad illum fi-
„ nem, vt est vera in Christum fides, conuersio, bona o-
„ pera, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.]
Quam ob causam eum Matthias Hoe Lutheranus Pa-
ptimi incusat in tract. Anticaluinistica. Verum odio
bonorum operum, hoc est virtutis, longius progressi
sunt quidam Lutheranorum, aliqui enim contende-
runt esse pernicioſa ad salutem, sed de illis alio loco
actum est. Vide hic Matthiam Hoe. Martinum Lori-
chium in defensione Wenceslai Budowetz Baronis
cap. 69.

VERSVS 14.

Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat humiliabitur & qui se humiliat exaltabitur.

QVÆSTIO I.

Cur Pharisæus publicano iustior?

§. 1. DEscendit *in domum suam iustificatus ab illo*, non quod suo fastu publicanum iustificarit, sed iudicat præ Pharisæo iustum fuisse; vere ex animo publicanus veniam petiit, ideo & vere iustificatus est; Si enim ficta fuisset eius humilitas, haudquaquam Pharisæo fuisset præferendus, Græce habetur: οὗτος κατεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον, ἢ ἐκεῖνος, *hic iustificatus in domum suam, quam ille.* Vbi necessario subaudiendum est, μᾶλλον, *magis* vel *potius*, Hieron. aduersus Pelagianos, *plus quam ille.* Augustin. epist. 86. *magis.* Syrus בן הוֹר quasi legerit, παρ' ἐκεῖνον, *præter illum*, noster forte, παρὰ ἐκεῖνος: quod tamen non est necessarium. Quadruplex est vero lectio παρ' ἐκεῖνον, παρ' ἐκείνου, ἢ ἐκεῖνος, ἢ γὰρ ἐκεῖνος. Quæ posterior etsi multorum est codicum, non tamen sensum efficit vllum. Brugensis monet à multis omitti γάρ. Codicem 2. & 8. habere παρ' ἐκεῖνον. Syrus: *iustificatus in domum suã*, & יתיר מן הוֹר פרישא *iathir men hau phrischa, potius seu abundantius præ illo Pharisæo.*

§. 2. Beza locum varie deprauatum putat, quod insignem doctrinam contineat contra operum fiduciam. Verum in eo non est deprauatus, quod noster vertit *ab illo*, nam Erasmus ex Gellio testimonium pro nostro adducit, vbi est friget, *ab illo* præ illo, sumpta locutio ex Hebræo מִן enim sic vsurpant: & habent interdum veteres loquendi modos, nunc parum vsitatos. Deinde si deprauatus est, non est id factum à Catholicis, qui operum fiduciam rejiciunt: sed ab hæreticis, vel Pelagianis, vel Caluinianorum antecessoribus. Nam nihil simile hus est, quam Pharisæorum & Caluinianorum fiducia, vtpote ad quos Pharisæorum vitia transierunt magno incremento; inani se fiducia ipsi errare non posse iactant. Publicani vox est: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Caluiniani quos ambitio cæcauit, ne quidem in Dei conspectu confidentiam, fastumque ponunt. Se electos, se filios, sua sibi peccata omnia remissa, præsentia, præterita, futura sta- *Confidentiam* tuunt, se perire non posse, cum aliorum contumelia *Caluiniana.* suam iustitiam iactant, quam Deus iniustis imputet.

Caluinus totum hunc locum etiam deprauat. [Atque locus perspicue docet quid proprie sit iustificari, nempe stare coram Deo ac si iusti essemus, neque enim Publicanus iustificatus ideo dicitur, quod nouam qualitatem sibi repente acquisierit, sed quia inducto reatu, & abolitis peccatis gratiam adeptus est; *Vnde iustus* vnde sequitur iustitiam in peccatorum remissione es- *publicanus.* se positam, Ergo sicuti Pharisæi virtutes fædauit ac polluit praua confidentia vt nullius apud Deum precii fuerit laudabilis eius coram mundo integritas, ita Publicanus nullis adiutus operum meritis sola veniæ deprecatione iustitiam obtinuit: Quia scilicet non alibi quam in mera Dei clementia sperauit. Sed videtur esse absurdum omnes in eundem cogi ordinem, cum longe alia sit sanctorum puritas quam fuerit publicani. Respondeo. Quantumuis in Dei cultu & sanctimonia quis profecerit, si tamen reputet quantum adhuc sibi desit, non posse alia forma rite precari, quam si à reatus confessione incipiat, nam quamuis alii plus, alii minus, omnes tamen communiter obnoxii sunt. Quare non dubium est, quin legem hic Christus omnibus præscribat, ac si diceret, tum demum Deum nobis placari cum operibus diffisi, gratis iustificari petimus. Et hoc quidem aliqua ex parte fateri *Caluinia* coguntur Papistæ, sed mox prauo commento hanc *contra Ca-* doctrinam adulterant. Concedunt omnes opus ha- *tholicos.* bere veniæ remedio, quia nemo perfectus est, sed primum miseros homines inebriant partialis (quam vocant) iustitiæ fiducia, deinde satisfactiones assingunt quibus reatum suum deleant. Atqui hæc vna fidei nostiæ fultura esse debet, Deo nos esse acceptos, non quod ita simus promeriti, sed quia peccata non imputat.] Hic vera falsis, ambigua claris miscentur. Pri- *Iustificari* mo falsum est. *Iustificari proprie esse, siave coram Deo ac si nō est veluti iusti essemus*: eo modo quo Caluinus intelligit, nempe *iustum esse.*

manente peccatorum fœditate. Neq; enim Deus iustos eos æstimat, qui in peccatis sunt. Nec malum dicit bonum, & bonũ malum. Mirum est sane quenquam hominem sibi tantum arrogare, vt scelera sua Deo approbare velint, & cum sint, manent q; omnibus modis contaminatissimi, putent se à Deo in iustorũ censum relatos. Neque enim vt sit iustus, pœnitentiam confessionem reatus, aut pudorem requirunt illi, sed ante hæc omnia iustificatum esse nugantur. Hæc est enim illorum maxima. *Deus iustificat impium non qui impius desinit esse, sed qui adhuc impius est.* Sibrand. contra Vorst. p. 99. &c. *Homo non agit pœnitentiam, antequam iustificatus sit, adeo ne potest quidem.* Ex hoc igitur errore, iustificari est stare coram Deo, ac si iusti essemus, antequam pœnitentiam agamus, antequam peccatorum pudeat, cum adhuc manemus impii, nondum scilicet mala voluntate qua à Deo sumus auersi retractata, aut etiam eadem voluntate adhuc actu contra Deum tutente. Nihil vero magis huic loco aduersum est. Pharisæus intempestiuus æstimator sui à Deo reiicitur, quia pœnitentiam non agebat, falsa innocentiæ fiducia. Publicanus veniam impetrat humilitate, confessione scelerum suorum. Non igitur ante remissa peccata fuerunt. Imo hoc ex Caluino satis apparet, *se reum & conuictum præfatur, & tamen absolui petit*, non igitur ante confessionem illam & petitionem absolutus est. *Quare non dubium est quin legem hic Christus omnibus præscribat, ac si diceret Deum tum demum nobis placari cum operibus dissisi gratis absolui petimus.*

Iustitia Caluiniana est impietas.

Publicanus ante oratio-nem non e-rat iustus.

§. 3. Deinde ambiguum, quod ait, *Publicanum sibi nouam qualitatem derepente non acquisiuisse.* Non suis viribus, non industria, ne quidem supernaturali quadam actione acquisiuit, sed tamen accepit, à solo Deo gratuita beneuolentia, gratiam in cor eius diffundente. Aliunde accepit, sibi nõ peperit. Accepit inquam gratiam peccati expultricem, mutui fœderis inter Deum & hominem conciliatricem. Quemadmodum cũ sol aerem radiis illuminat, nouam qualitatem suo vigore ac efficientia diffundit, ita Christus veniens & illuminans omnem hominem, sine noua luce id non efficit.

Noua qualitas in publicano.

Illa à Deo est.

§. 4. Quod concludit iustitiam in sola remissione peccatorum positam esse, asystata, & quæ fieri nõ possunt, imperite connectit. Perinde enim est, ac si dicat illuminationem aeris in solo tenebrarũ depulsu consistere, cum tamen tenebræ nonnisi luce fugentur. Sed mirum est eum sic vertigine agitari, vt sui non meminerit: *Publicanum ait veniæ deprecatione iustitiam obtinuisse*, illi deprecationi fides, spes, humilitas iuncta fuerunt, ante deprecationem igitur non fuit iustitia, quam sola deprecatione obtentam Caluinus docet; Deprecatio legitima, seu veniæ impetrandæ idonea mutationem animi requirit. Itaque hic non est sola remissio, sed ea etiam per quæ fit gratuita remissio.

Peccata nõ remittun-tur sine gratia.

§. 5. Verissimum est, quod dicit nos docere, neminem Deum placari, nisi diffusus operibus gratis reconciliari petat. Nullum enim vllius creaturæ opus potest inimicum Deo reconciliare. Remissio igitur gratuitâ misericordiâ datur. Hanc tamen veritatem duplici mendacio fœdauit, ac polluit; primum obscuro, deinde manifesto. Obscurum mendacium est. Nos homines inebriare iustitiæ partialis fiducia. Iustitia partialis magis ad iurisconsultos, quam Theologos pertinet, cum dicitur esse vna è quatuor illis virtutibus, quas Cardinales vocant, de qua Theologi in iustificationis tractatu non loquuntur. Partialem iustitiã qua quisq; singularim iustus est dicere possumus, sed nõ solemus. Huius fiducia neminem inebriamus. Tantummodo dicimus, hanc iustitiam à Deo gratis omnino sine vllis operum meritis dari, eaq; fieri iustos, quicunque iusti sunt. Neq; hic est fiduciæ ebrietas vlla, sed spes sobria Catholicorum. Quoscunq; Deus iustificare dignatus, illis peccata remittendo iustitiã supernaturalem nullis hominũ meritis sola misericordia gratuito infundit, & iustos ipse facit, fideles itaq; sibi peccata remissa & iustitiã datam sperant, eaq; se fiducia solantur; nec accusanda est illorum spes, non magis quam si aliquis detorso nigrore dealbatus sit à Deo, confideret se albũ esse, non modo nigroris abolitione, sed etiam candoris accessu. At stolida est scripturis contraria Caluinianorum fiducia, qui non modo sperant, sed certissima fide credunt, iustos se esse sola peccatorum remissione, nullo iustitiæ accedente ornamento. Iactant se impios & impios permanentes, ante pœnitentiam, ante voluntatis mutationem, in ipso scelerum suorum æstu, & tumore non esse iustos, sed à Deo haberi, nec posse hoc decretum à Deo mutari.

Iustitia partialis huc non pertinet.

Gratis Deo, non per vllum opus reconciliamur.

Candidum, cui abest nigror, albor.

§. 6. Alterum dixi manifestum esse mendacium. Nemo enim docet reatum nostrum per satisfactionem deleri. Pœnas temporales per satisfactionem deleri, dicimus, non reatum culpæ. Et illas tamen ipsas satisfactiones esse de gratia Domini, non ex nobis.

§. 7. Bina ieiunia Pharisæorum ordinaria fuisse tradit Epiphanius, id consuetudine quadam inductum est, deinde fuit arrogantiæ occasio. Eadem habet liber Thaanith, vnde forte ille mutuatus est.

Bina ieiunia.

§. 7. Publicanus procul, hoc est, in porticu in quam ingredi gentes poterant 1. Reg. 8. 41. Ioseph. l. 2. contra Appionem. Omnia igitur Pharisæo secunda, publicano aduersa videbantur, donec peccatis humiliantis se, Deus ignosceret, superbientis hypocrisin in publicum produceret. Percutit pectus, ne Deus animam percutiat v. 13. εἰς τὸ στῆθος, multi codices omittunt στῆθος, potuit sic caput & genas verberare, verum correcti habent στῆθος *pectus*.

§. 8. Caluinus l. 3. instit. c. 4. n. 35. negat satisfactionem requiri, *quia publicano nulla sit iniuncta, sed dicitur iustificatus, non satisfeciisse.* Respondeo. Publicanum remissionem impetrasse ex Dei misericordia plane gratuita, quemadmodum cæteri peccatores, An ille deinde pro pœna temporali satisfecerit, an dimidium bonorum dederit, aliaq; fecerit, nobis ignotum est. Nec dicimus semper satisfactionem pro pœna temporali necessariam esse, sed aliquando. Tanta est aliquando contritio, vt temporalem etiam pœnam tollat. Quod ad Dauidem attinet aliosque, constat pœnam temporalem post remissa peccata exactã. Verum recte quoq; habet quod ab ea sententia iam in Hollandia doctiores cum Arminio recesserunt, Arminii sententia est in respons. ad art. 9. [Qui Theologiam à limine salutarunt, norunt afflictiones & calamitates huius vitæ, animalis, esse vel pœnas vel castigationes vel probationes, hoc est, Deus illis immittendis vel intendere punitionem propter peccata, quatenus iam perpetrata sunt, citra aliam respectum: vel castigationem nem alia & similia deinceps ineidant, vel probationem fidei, spei, charitatis, patientiæ, & similium insignium virtutum.] Et paulo post. [Dixi aliquando, cum ageretur de calamitatibus domui Dauid inflictis, propter factum ipsius aduersum Vriam, & loca scripturæ quæ adferebantur, magna verisimilitudine niterentur ad probandum istas, pœnæ rationem habuisse; non esse necesse vt in istas angustias nos conjici ab aduersariis pontificiis pateremur, ex quibus difficulter egredi possemus, cum verba videantur aduersus illam sententiam facere, quæ dicit illas nullo modo pœnæ rationem habuisse, dici non incommode posse, cum peccatum meretur pœnam æternam peccati gratia ti conuenientem, & simul pœnã temporalem, (liquidem & illam visum est Deo infligere, quod sæpe non facit ne in illis quidem, qui in peccatis perseuerant. Et deniq;. Cæterum fateor me certa conscientia assenerare nõ audere, mortem temporalem, quæ immittitur seu in-

Satisfactio non semper necessaria.

Pœna temporalis non semper necessaria.

Aegidius Caluinus.

" seu infligitur sanctis, non esse pœnam seu non habere " respectum pœnæ, cum hostis appelletur destruendus " per omnipotentiã Dei Christi. Contrarium non euin- " citur eo argumento, quod mors nostra corporea sit " transitus in vitam æternam, quia transitus est animæ non corporis, quod dum in terra sepultum manet, sub dominio mortis detinetur. Neq; eo quod sancti mortem corporis optant, optant enim dissolui, & esse cum " Christo, quod fit secundum animam corpore interea " sub dominio mortis & hostis sui manente, vsque dum " & illud animæ suæ rursum vnitum cum ea simul glo- " rificetur.]

Caluinũ igitur, & rigidos in Hollandia prædicantes negat ille vel à limine Theologiam salutã esse, qui ista ignorent. Sicut quadrati illi quos vocant auritas pecudes. Deinde mortem temporalem putat esse pœnam peccati, ex quo apparet omnes quamuis electos peccatorum pœnas luere, quamuis ab interna sint liberati.

VERSVS 16. & 17.

Sinite pueros venire ad me & nolite vexare eos; talium est enim regnum Dei: Amen dico vobis, qui non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

QVÆSTIO I.

Quomodo regnum cœlorum accipient vt puer?

§. 1. IVssit ad se venire pueros, τὰ βρέφη, *admodum paruos* sic vocare solemus.

Non alia de causa quam quod ipsorum est cœlorum regnum. Syrus repetitionem habet; *Eorum enim qui sicut isti sunt, eorum est regnum cœlorum*, Addit qui non accipit regnum ὡς παιδίον, *sicut puerulus, nõ intrabit illud.*

§. 2. Hoc ex loco pædobaptismum aliqui probare conantur, Nam puerorum est regnum cœlorum, non est autem nisi renatorum, renasci ergo & pueri solent, at sine baptismo nõ renascuntur, sunt igitur baptizandi. Neq; obstat, quod aiunt, non pueris sed puerorum similibus promitti regnum cœlorum. Nam pueris & puerorum similibus promittitur. Illis enim promittitur quos vetat Christus arceri, quos aduocat, tangit, amplectitur, illi sane pueri sunt. Ita Ambr. Hier. Aug. Tertull. Epiphan. Si enim pueri regnũ cœlorum quod per lauacrum regenerationis donatur adire possunt, non est in homine vt eos salutis sacramento priuet. Vere Basilius. νεὸς εἶ ἀσφάλησο τὴν νεότητα τῷ βαπτίσματι καὶ χαλινῷ. *Iuuenis es, firma, baptismo fræno, iuuentutem.* Baptismum deinde ipse appellat. ἀϊχμαλώτοις λύτρον, ὀφειλημάτων ἄφεσιν, θάνατον ἁμαρτίας: παλιγγενεσίαν, ψυχῆς, ἔνδυμα φωτεινὸν, σφραγῖδα, ἀνεπιχείρητον, ὄχημα πρὸς θεὸν φέρον, βασιλείας πρόξενον: υἱοθεσίας χάρισμα. *Captiuis lytrum, debitorum solutionem, mortem peccati, regenerationem, animæ vestem splendidam, sigillum non manufactum, currum ad cœlos, regni conciliatorem, adoptionis gratiam.* Quæ idcirco proponere volui vt appareat, quam Patres vetusti baptismo efficaciam tribuerint. Hæc enim verba Basilii ab Hæreticis etiam citata inuenio.

VERSVS 19. & seqq.

Quæ deinde hoc in capite obseruata sunt?

§. 1. PAuca quædam de lectionum diuersitate notaui quæ hic subiungam.

§. 2. V. 19. Marcion sic locum corrupit. μὴ μέ λεγε ἀγαθὸν, οὐδεὶς γὰρ ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ θεὸς ὁ πατήρ. Epiph.

V. 20. Marcion pro οἶδας, *nosti*, legit οἶδα, *noui.*

V. 22. πάντα ὅσα ἔχεις, *omnia quæ habes*, quidam codices habent, ὕπαγε, quod etiam imitatus est Syrus.

V. 28. Dicitur, *ait autem Petrus*, Syrus habet: ס, quod in Græcis non est.

V. 30. Cyptianus pro πολυπλάσια, legisse videtur, ἑπταπλάσια *septuplicia.* Syrus באעפא סגיא *bachaphe sagie, in duplicationibus multis.*

V. 31. Duodecim, multi codices ex glossa addunt discipulos suos, Syrus habet לתרעסרתא *dodecadem suam.*

V. 31. De filio hominis τοῦ υἱοῦ, Græca quædam habuerunt υἱῷ, & referebant ad πληθύσεται, verum proba est nostri interpretis: At Syri lectio est anceps, nam pro על est *chal*, quod verti potest super, vel contra filium hominis.

32. ὑβρισθήσεται, noster, *flagellabitur*, & vers. 1. καὶ μαστιγώσαντες, *cum flagellauerint*, videtur autem præcipuam iniuriam noster expressisse, quæ erat in flagellatione. Syrus transposuit verba. Conspuent vultrum eius, & flagellabitur, hoc est enim ורגגרוניהי vannagdunaihi, quod significat, *& verberabunt eum.* Deinde v. 33. ורבצערוניהי *& contumelia afficient.*

V. 36. *Turbam prætereuntem* Syrus: strepitum turbæ קל *vocem.*

V. 41. *Fidem* Tertullianus intelligit eam quam fideles contra hæreticos habent. l. de præscript. c. 14. p. 333. *Fides in regula posita est habes legem, & salutem ex obseruatione legis, exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti. Certe non obstrepant aut quiescant aduersus regulam. Nihil vltra scire omnia scire est; vt non inimici essent veritatis hæretici, vt de refugiendis eis non præmoneremur, quale est conferre cũ hominibus, qui & ipsi adhuc se quærere confitentur. Si enim vere adhuc quærunt nihil adhuc certi deprehenderunt, & ideo quodcunq; videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt quamdiu quærunt.* Vbi Quintinus & Macerius notant rectissime, non in arguta disputatione, sed in regula, quæ sine mutatione obseruanda est positum esse. *Fides salutifica.*

CAPVT XIX.

ET ingressus perambulabat Iericho. 2. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorũ, & ipse diues. 3. Et quærebat videre Iesum, quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. 4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum: quia inde erat transiturus. 5. Et cum venisset ad locum suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum, Zachæe festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. 6. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. 7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem diuertisset. 8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. 9. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod & ipse filius sit Abrahæ. 10. Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. 11. Hæc illis audientibus adijciens, dixit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem: & quia existimarent quod confestim regnũ Dei manifestaretur. 12. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti.

uerti. 13. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio. 14. Ciues autem eius oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. 15. Et factum est vt rediret accepto regno: & iussit vocare seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset. 16. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. 17. Et ait illi: Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates. 18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. 19. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates. 20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: 21. Timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. 22. Dicit ei. De ore tuo te iudico serue nequam, sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: 23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtiq; exegissem illam? 24. Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. 25. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. 26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. 27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc: & interficite ante me. 28. Et his dictis, præcedebat ascendens Ierosolymam. 29. Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam ad montem, qui vocatur Oliueti, misit duos discipulos suos, 30. dicens: Ite in Castellum, quod contra est: in quod intrantes, inuenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum sedit: soluite illum, & adducite. 31. Et si quis vos interrogauerit: Quare soluitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam eius desiderat. 32. Abierunt autem qui missi erant: & inuenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. 32. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos: Quid soluitis pullum? 34. At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet. 35. Et duxerunt illum ad Iesum, Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum. 36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. 37. Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus, 38. dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis. 39. Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. 40. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si tacuerint, lapides clamabunt. 41. Et vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: 42. Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. 43. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te vndique: 44. Et ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. 45. Et ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes in illo, & ementes, 46. dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. 47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere: 48. Et non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

IN CAPVT DECIMVMNONVM ARGVMENTVM.

ZAChæi conuersio recensetur, Mnæ ad negociationes secus dantur, Iesus ingressurus Ierosolymam fleuit, super ciuitatem, ventura mala & excidium vaticinatus, vendentes & ementes ex templo eijcit. Historia Zachæi solius Lucæ est, & fletus Christi; cum aliis paucis.

A vers. 28. ad 41. legitur apud Dominica Palmarum. Inde ad finem, Ad vesperas feria secunda hebdomadis passionis. Dominicam Palmarum vocat Syrus Dominicam Osanna, אושענא Oschaghna, de quo dictum in Matthæo.

VERSVS 2.

Et ecce vir nomine Zachæus. Et hic princeps erat publicanorum, & ipse diues.

QVÆSTIO I.

Quis fuerit Zachæus?

§. 1. DE Zachæo repente conuerso varia nobis proponit Euangelista. Primo: occasio conuersionis illi data est, Domino transeunte cum comitatu suo, per mediam vrbem perambulat Iericho, antequam cæcum curasset non enim à Luca ordo seruatur. Beza de suo suppleuit Iesu nomen, vt esset magis perspicua oratio: nulla tamen necessitate, vel vtilitate, cum in græco non sit additum hoc nomen, nam paulo ante positum fuit: Syrus tamen textus more patriæ dialecti adiungit.

Versio Beza.

§. 2. Zachæus princeps publicanorum dicitur, ideoque diues; nam in illo negocioso & auaro genere hominum, qui possit esse, nisi ex censu principatus? Beza vertere maluit magistrum publicanorum Erasmi & nostri interpretis impropriam versionem censet, quibus tamen fauet Græcus textus, ἀρχιτελώνης, quod proprie significat *principem publicanorum*. Dicebantur quidem magistri, qui alicui societati præerant, sed tamen & principes iidem nominabantur. De magistris vide Cicer. Ep. 9. l. 13. famil. Alterum confirmo eiusdem Tullij testimonio l. 2. orat. 7. in Verrem, *At quorum iudicio condemnatum? nempe eorum, Principes quos ij, qui seueriora iudicia desiderant, arbitrentur vos impudicum dicare oportere: publicanorum iudicio: quos videlicet nunc rum. populus iudices postulat; de quibus, vt eos iudices habeamus, legem ab homine non nostri generis, non ex equestri loco profecto,*

profecto, sed nobilissimo, promulgatam videmus. Decumani hoc est principes, & quasi senatores publicanorum, remouendas de medio litteras censuerunt. Habeo ex iis, qui affuerunt, quos producam, homines honestissimos, ac locupletissimos istos ipsos principis equestris ordinis: quorum splendore, vel maxime ipsius, qui legem promulgauit, oratio & causa nitatur. Plura eiusmodi consectari non est necesse, hoc quod attuli, vtile est vt appareat: quam nihil etiam in illis rebus sapiant, in quibus maxime censorium supercilium solent exercere nouatores. Principes igitur publicanorum dicebantur eo modo, quo principes ciuitatum, iuuentutis, decurionum. Erant quidem equites Romani qui vectigalia cõducebant, habebanturq; honestissimæ eorũ societates. Nam opulentissimi inter eos erant, vt Atticus ille Ciceronis amicitia notus, vt nepos refert in vita eius: an vero Zachæus Romanus fuerit ciuis, incertum est, cum tot quotidie ciuitate donarentur, aut eam emerent.

§. 3. Videndi cupido non curiositatis, sed pij affectus fuit, vt exitus docuit, qui etiam hypocritarũ murmurationes compescuit, & confudit. Magnus omnino viri principis in dominum affectus. Præcurrit nulla ratione dignitatis. Deinde in arborem ascendit, prudentium huius seculi, & sannionum dicteria secutus irridens. Complutensis editio habet προδεδρομὼν ἔμπροσθεν, cum ante accurrisset, quod Beza probat, aliquo (inquit) *abundabit prouerbium* ἔμπροσθεν. *Sic etiam legit Syrus interpres.* Quamuis ita etiam regia habeant, & sensus esse possit verus, non tamen rationes illæ veræ sunt: Nam crebro verbis præpositionem habentibus aduerbia adduntur eiusdem cum præpositione significationis. Et ne multis cum grammatico agendum sit, vtar huius verbi significatu. Apud Platonem est προπρεύεσθαι ἔμπροσθεν, pro *ire ante.* Et de legib. εἰς τὸ πρόσθεν προϊέναι τῶν νόμων. *Porro in ferendis legibus progredi.* Nec verum est quod ait Syrum habere προδεδρομὼν; Nam habet ורחש קרמית ישוע *varhet cademech Ieschuah. Et cucurrit ante Iesum*, non autem, *cum accurrisset.* Sycomorum Græcus vocat συκομωραίαν, alii codices συκομωρέαν, vel συκομορέαν, imo & συκομορέαν. Syrus hoc loco vocat תחא מביהתא *thatha phachihata, ficus fatua* à פבה quod est, *insipidum esse*, qui *syluestrem* vertunt, rei, non vocis rationem habuerunt. Augustin. serm. 8. de verbis Apostoli. *Noli esse tristis, ascende lignum vbi pro te pependit Iesus, & videbis Iesum. Et quale genus ligni ascendit Zachæus? Sycomorum. In regionibus nostris, aut omnino nusquam, aut raro forte alicubi nascitur: in illis autem partibus multum est huius generis ligni & pomi. Sycomora dicuntur poma quædam ficis similia: Sed tamen distant aliquid, quod possunt nosse qui viderunt vel gustauerunt. Quantum tamen indicant interpretationem nominis, sycomora fici fatuæ latinè interpretantur.*

QVÆSTIO II.

An Iudæus, an gentilis fuerit?

§. 1. PLurimi gentilem fuisse arbitrantur. Tertull. allophylon vocat lib. 4. aduersus Marcionem. *Consequitur & Zachæi domus salutem. Quo merito? Nunquid vel ille crediderat Christum à Marcione venisse? Atquin adhuc in auribus erat omnium vox illa cæci, Miserere mei Iesu fili Dauid: & omnis populus laudes referebat Deo: non Marcionis, sed Dauid. Enimuero Zachæus etsi allophylus, fortasse tamen aliqua notitia scripturarum ex commercio Iudaico afflatus: plus est autem, & ignorans Esaiam præcepta eius implerauerat. Confringito, inquit, panem tuum esurienti: & non habentes tectum, in domum tuam inducito: hoc cum maxime agebat, exceptum domo suo pascens Dominum. Et nudum si viderit contegito; hoc cum maxime promittebat, in omnia misericordiæ opera, dimidium substantiæ offerens. Dissoluens violentiorum contractuum obnexus, & dimittens conflictatos in laxamentum, & omnem conscriptionem iniquam dissipans, dicendo & si cui quid per calumniam eripui, quadruplum reddo. Itaque Dominus hodie, inquit, salus huic domui. Testimonium dixit salutaria esse, quæ præceperat prophetes creatoris. Cum vero dicit: Venit enim filius hominis saluum facere quod perijt: Iam non contendo eum venisse, vt saluum faceret quod perierat, cuius fuerat & cui perierat, quod saluum venerat facere: sed in alterius quæstionis gradum dirigo.* ἀλλοφύλους quidem vocant Philistæos septuaginta interpretes, sed alios quoque ita vocari nihil impedit, qui sunt diuersæ nationis.

Tertullianus Isaiæ verba quolentiorum contractuum obnexus, vbi est in hebr. modo ad Zachæum accõmodat.

Omittit vero, quod in Luca additum est: *facta est salus*, solum enim dicit: *Hodie salus huic domui.* Accommodat illi verba Isaiæ 58. vbi habet dissoluens vio- פתח חרצבות רשע aperi, solue colligationes impietatis, seu obligationes & cautiones iniquas, 70. verterunt σχοινία: quod est laqueus intortus, nexus intricatus, vt dolus, astutia: sic Lex *nexum*, ait, pecuniam, quæ per nexum obligatur. Pignus enim æque ac corpus ciuiliter obligatur, vt ait Budæus: ita *nexus pignoris* apud Vlpian. l. *Si non saltem.* §. adeo. π. de condict. *videbit:* Tacit. l. 3. exolut. lege nexus. Vide & l. si paterfam. π. familiæ erciscundæ, ex Papiniano. Merito hæc ad Zachæum, nam זבי Zaccai, Iustum, hoc est enim Zaccai refert Tertullianus. *Diuites enim, &c.*

§. 2. Cyprian. Chrysost. homil. de Zachæo. Ambrosius. Non quidem omnes publicani erant gentiles. Nam Matthæus ex Israel oriundus erat: sed tamen publici peccatores habebantur. Principes tamen publicanorum, non modo gentiles, sed Romani antiquitus erant equites, nec enim Iudæos facile ad eam dignitatem venisse credidero. Quamuis in societate Ierichuntina sola id fieri potuerit, vt non multorum, sed ciuium esset princeps. Præcipuum mihi argumentum videtur, quod Christus ait, eo quod & ipse sit filius, particula enim *&* indicat Iudæis illum comparari, qui erant filii Abrahæ, si enim eo modo, quo Pharisæi murmurantes erant filii Abrahæ & ipse fuisset, sed dixisset, quod ipse esset filius Abrahæ, nunc vero filius est, non carnis sed spiritus. Quamuis, vt verum fatear, sensus esse potest: *Eo quod & ipse sit filius Abrahæ*, ortu, non minus quam Pharisæi, animo etiam Pharisæis præstantiore.

Gentiles vocati peccatores.

Obiicit Ianssenius: si gentilis fuisset, hoc inprimis exprobrassent, quod ad virum præputium habentem ingressi essent. Verum hoc complecti potuerunt nomine peccatorum: Nam gentes vocabant olim communi nomine peccatores. Ita Gal. 2. 15. *Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores.*

De magno in gentes odio Iudæorum alias dictum est, Peccatores vero dicebant, quod non modo sceleribus obnoxii essent, sed pertinaciter perseuerarent, deos suos sceleribus colerent: At mutata ratio est cum gens Iudæa per legis susceptionem & miracula Prophetarum exaltata, noluit humiliari per Christum, gentes aliæ gratiam eius susciperent. Hieronymus de vera circumcisione: Zachæum dicit circumcisum præputio vitiorum. *Ille vtique qui dominum non videre, dum dives esset, nisi postquam de terra in qua cor ipsius videbatur esse cum thesauro, sycomorum, qua dominus esset transiturus, ascendit. Tunc velut de cognata necessitate à crucifigendo conspectus in arbore cognoscitur, & filius dicitur Abrahæ. Cur dicitur? Nam si erat, testimonio non egebat. Sed quoniam non omnes erant filij Abrahæ, qui esse credebantur: hic de opere agnoscitur filius, non de gente: & virtute non sanguine.* Ille igitur diuitias commutauit pro cœlo, & dominum suscepit ab eo suscipiendus.

Lectio.

§. 3. Quod dicit: quia inde erat transiturus, Græce est δι ἐκείνης ὁδοῦ, scilicet per viam illam, seu illac.

Negat Beza posse conuenire nostram interpretationem, at sine causa: nam qui illac proficiscitur, inde & exinde proficiscitur. Syrus quoniam similiter futurum erat, vt transiret. Vbi δι ἐκεῖνος, vertit *similiter*, non dubium igitur, quin aliud legerit.

VERSVS 7.

Et cum viderent omnes murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset.

QVÆSTIO I.

Quomodo Zachæus ad Christum venerit?

§. 1. PElagiani ab ipso principium ducebant; videre voluisse, præcurrisse, ascendisse; deinde à Christo vocatum. Caluiniani omnes præparationes & dispositiones repudiant. Media via inter vtramque hæresin incedendum est, orthodoxis promptitudinem Christus approbat, & laborantem adiuuat: non tamen Zachæus Dominum anteuenit, vt Pelagiani docebant; desiderium enim videndi, cursus, in arborem conscensus, gratiæ præuenientis dona fuerunt, non autem naturæ, & vitium propriarum molimina. Nec initio Zachæus fuit vere זַכַּאי *Zaccai*, hoc est purus, iustus, ἅγιος, sed peccator, gratia Dei factus est iustus.

Zachæus sine Christo se non præparauit.

§. 2. [Falsum est, *inquit Tossanus*, autem, quod nonnulli Iesuitæ ex hoc loco euincere conantur, hominem se posse vtcunque disponere ad gratiam percipiendam: Talem fuisse Zachæum, qui se præparauit „ conscendendo arborem, & statim ad Christi vocem „ descendit; vnde appareat, cor ipsius bene affectum „ & dispositum fuisse. Sed pugnat assertio illa pontificiorum cum tota scriptura, quæ testatur neminem „ posse venire ad Christum, nisi pater traxerit eum: „ Item non esse currentis, sed miserentis Dei, ad Romanos 9. Item corda nostra esse lapidea, nisi Dominus det nobis cor nouum. Muneris ergo & attractus „ Domini fuit, quod Zachæus ita se promptum & officiosum præbuit erga Christum abrupta omni mora, & abiectis curis huius seculi.] Falsum plane est, posse quenquam venire ad Christum, nisi pater eum traxerit. Nam reuera miserentis Dei est conuersio peccatoris. Cor nouum à nobis esse, nisi Dominus illud dederit, nemo Catholicorum dicit, omnes tanquam Pelagianum hoc damnant. Dispositiones tamen antecedere iustitiam Zachæus ostendit, Domino animos præparante, vocante, adiuuante. Non sunt tamen illa merita iustitiæ, sed præparationes. Potest etiam homo peccator quædam moraliter bona facere, sed naturali solum bonitate, non autem supernaturali, proficiente in vitam æternam. Nondum formatam fidem fuisse in Zachæo, cum videre Christum cuperet, ipse contra suos posteros Caluinus docuit pag. 258. [Etsi autem in Zachæo nondum erat formata fides, fuit tamen hæc præparatio quædam. Neque enim Christi conspectum sine cœlesti instinctu tantopere expeteret: dico in eum finem qui statim apparuit: quosdam enim haud dubie impulit vna curiositas, vt Christi visendi causa, „ etiam ex locis remotis accurrerent: sed ex euentu patuit inclusum fuisse pietatis semen in animo Zachæi. „ Sic Dominus sæpe, priusquam se hominibus manifestet, cœcum illis affectum inspirat, quo feruntur ad „ ipsum adhuc latentem & incognitum. Quanquam „ autem nondum illis constet certa ratio, eos tamen „ non frustratur: sed in tempore patefacit.] Hunc talem affectum præparationem nos vocamus, & dispositionem ad iustitiam, ad fidem, caritatem. Hanc tamen ipsam præparationem præcedunt quædam opera naturalia, vt succurrere egenis, velle vitare peccata, velle bene agere. Idem porro Caluinus eum ab arbore descendentem non credidisse fatetur. [Sed nihil mirum si hoc honore dignetur, quem iam occulto spiritus motu ad se traxit: quia præstantius fuit donum, in eius corde habitare, quam domum ingredi. Hac autem voce testatus est se frustra nunquam „ quæri ab hominibus, qui syncere eum cognoscere cupiunt. Nam longe plus, quam sperauerat Zachæus, „ adeptus est. Porro quod tanta promptitudine obsequitur Zachæus & celeriter ex arbore descendens, „ cum gaudio Christum excipit, in eo clarius adhuc „ perspicitur Spiritus sancti vis & directio. Nam etsi „ pura fide nondum imbutus erat, fuit tamen hæc docilitas & obedientia, fidei principium pag. 257.] „ Quibus locis ille refutat, non tantum recentiores, qui omnia facta impiorum mortalia peccata dicunt; sed maxime qui omnes tollunt dispositiones. Si enim syncericas Zachæi quærentis cognoscere dominum, promptitudo obsequentis, celeritas descendentis, gaudium excipientis sunt, orta ex dono præstanti, ex directione & vi Spiritus sancti, quomodo sunt peccata mortalia? aut quomodo non frustra Christum quærit, qui per mortalia quærit? aut quomodo illa docilitas & obedientia est fidei principium, si est peccatum mortale? Quomodo autem non sunt dispositiones illæ, cum Christus voce sacra testetur, syncere quærentes non frustrari? Quomodo sunt fidei principia, si non sunt dispositiones? certe maius est esse aliquod principium, quam dispositionem. Denique nisi sententiam & verba omnia euertimus, qui syncere quærit promptus est, docilis, obediens, gaudens de Christi præsentia, ille certe bene dispositus est ad fidem Christi, iustitiamque recipiendam.

Nemo venit ad Christũ nisi Deus traxerit.

In Zachæo fides informis initio.

§. 3. Porro contra Aretius fidem habuisse putat: *Quarto pietas additur: & quærebat videre Iesum, quis esset.* Superiora omnia ad vitia magis inclinant, præsertim apud Iudæos: sed commemorata sunt, vt constaret de causa præsentis desiderij. Quod enim tantopere quærit videre Iesum, non frustra accidit: nam vis conscientiæ impellit eum, vt quærat cautelis illis aliquem medicum.

Opportune ergo Christus sese offert, sed in turba: sed excluditur ab ea. Ac simpliciter inquit, quærebat videre Iesum. Est quidem ζητεῖν satis emphaticum: nam studium & curam significat, solum videre cupiisse, quisnam esset, quasi personam admiretur, & famam, ac de facie cupiat videre hominem: non autem alloqui. Sic occasio ex occasione hæret.

Admiratur Christi famam. Hinc incessit illum amor videndi: hinc quæsitæ occasiones: inde tandem salus.

Quinto impœnitentia conatuum, ac statura additur. Cupit videre Christum, honestus conatus. Non potest autem infelix fortuna. Cur non potest? addit, præturba: ergo Christus non cum paucis ingressus est Ierichuntem. Si enim dives, & princeps publicanorum non potest accedere, quid de aliis fiet? q. d. Christum fuisse stipatum densissima turba. Alij curati erant: alij curabantur: quidam exspectant alia beneficia: alij audiendi gratia: alij spectandi causa comitantur.

Verum alia est adiecta causa & ratio cur non potuerit: μικρὸς ἦν, Pusillus erat. A statura describitur.

Videtur autem etiam commendare hominis ingenium. Sunt enim pusilli corpore vt plurimum ingenio viuaciores, sic natura consulente rebus, & Deo compensante defectus corporis, ingenij dotibus. Sic de Vlysse dicitur:

Non

Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.

Et de Aiace Oileo, & altero Aiace, corpore paruos fuisse; Attamen fortissimos. Idem de Zachæo pusillo dicit potest, non fuisse corpore magnum, sed ingenio callidum, versutum, vafrum. Hinc illud: etiam in paruo regnat corpore virtus.

Sexto, Solertia accedit. Nam cum præturba, Christum videre non potest, ascendit arborem: satis declarat ingenium callidum, & animum impauidum. Nam turbæ frequentia ruborem incutere debebat, tanquam homini primario, & diuiti, ne puerorum instar arborem conscenderet.

Porrò Sycomorum interpretor ficum Ægyptiam, ficum Pharaonis: arbor media inter morum & ficum: illam folio, hanc fructu imitatur: differt autem, quod è radice non ex ramulis fructus ficorum instar prodit ex duro ligno. Vide sup. c. 17. de Sycomoro.

III. Audiamus igitur etiam à quo, & quomodo sit vocatus. Et cum venisset ad eum locum, suspiciens Iesus, vidit illũ, dixitq; ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie domi tuæ oportet me manere.

Ex vocatione hac discimus primum, quam conatus ille Zachæi fuerit felix & fortunatus. Quæsiuit occasionem videndi Christum eamq; fel citer est assecutus, vt recte Christus dixerit Matt. 7. *Quærite & inuenietis.* Quæsiuit Zachæus ac reperit pretiosam margaritã.

Deinde quod respicit illum Christus in arbore docet φιλανθρωπίαν Christi, qui serio ipsum quærentes non solet negligere. Ita cœcum ad se clamantem vocauit & interrogauit, quid vis tibi faciam? supra 18. Et leprosos decem cap. 17. sic mulieri hæmorrhoussæ fui dat copiam Luc. 8. Ita respexit ad sacrificium Abelis, & ad Noachum in arcâ, aliosque omnes, qui Deum serio quærunt.

Tertiò Christus non solum alloquitur illum: sed se totum illi offert, oportet me hodie domi tuę manere, fol. 123. pag. 2. hæc ille.

§. 4. Bellarm. l. 6. c. 4. de gratia & l bero arbitrio, probat non posse humanam voluntatem sine diuino auxilio quicquam agere quod ad salutem pertinet, & l. 4. c. 4. de auxilio generali idem probat. Venit enim incipit, quærendo, nos autem auertimus. Ita & Augustinus tract. 102. in Ioannem. *Ideo amat ille, quia nos amamus; an potius, quia ille amat ideo nos amamus? Ex Epistola sua Euangelista idem ipse respondeat: Nos diligimus, inquit, quia prior ipse dilexit nos. Hinc ergo factum est vt diligeremus, quia dilecti sumus. Prorsus donum Dei est diligere Deum: [quoniam] ipse vt diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes amati sumus, vt esset in nobis vnde placeremus: non enim amaremus filium, nisi & amaremus Patrem. Amat nos Pater, quia nos amamus filium, cum à Patre & filio acceperimus vt & Patrem amemus & filium: Diffundit enim charitatem in cordibus nostris amborum Spiritus, per quem Spiritum & Patrem amamus & filium, & quem Spiritum cum Patre amamus & filio. Amorem itaque nostrum pium, quo colimus Deum, fecit Deus, & vidit quia bonum est: ideo quippe amauit ipse quod fecit. Sed in nobis non faceret quod amaret, nisi antequam id faceret nos amaret.*

Hoc Pareus impugnat: *Imo in his etiam Deus alios ab aliis discernit: nec habent quicquam homines, quod à Deo non acceperint, vt supra est demonstratum.* Imperite omnino aut calumniosè. Non enim Bellarminus negat naturalia, & moralia, Dei auxilio fieri, & à Deo habere eos, qui ista faciunt, sed egere auxilio speciali, supernaturali, quamuis interdum non opus esse doceat, ad quasdam actiones faciles.

VERSVS 8.

Stans autem Zachæus dixit ad Dominum; Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.

QVÆSTIO I.

Cur dimidium dat pauperibus?

§. 1. NOn ostentationis est oratio, sed syncerà conuersionis professio, in auribus enim Dei sic loquitur, dare & reddere se dicit, qui propositum habebat reddendi, & iamiamque omnia sic disponebat.

Quidam omnia illum deseruisse arbitrantur, dimidium retinuisse donec redderet; si quid fraudasset, in Græco est εἴ τινός τι συκοφάντησα, quod est per fraudem & calumniam extorsi: solebant enim publicani prætextu reipublicæ prædari. Adeo vt quod spoliabant, se opponere non auderent. Ne viderentur in Rempublicam esse iniuri & hodie quoque periculosissimum est negare fisco iniustè petenti.

§. 2. Alia etiam causa est apud Iren. l. 4. c. 26. contra hæreses; nempe vt peccata eleemosynis redimeret, vt misericordiã impetraret ipse misericors. *Sed docebat vt facerent præcepta ab initio præcepit Deus, & vt veterem cupiditatem per opera bona soluerent, & sequerentur Christum. Quoniam autem ea quæ possidentur, pauperibus diuisa, solutionem faciunt præteritæ cupiditatis, Zachæus facit manifestum, Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si cuius quid defraudaui, reddo quadruplum.* *Peccata eleemosynis redimit.*

Eodem modo Cypr. de opere & eleemosynis. *Sicut lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis exstinguitur, ita eleemosynis, & operibus iustis delictorum flamma sopitur.* Non quod peccatorem eleemosynæ iustificent, sed quod antè iustitiam sint dispositiones, post iustitiam infusam eam augeant, & pœnas temporales minuant, aut tollant. Vide Dan. 4. S. Cypr. de opere & eleemosynis. *Eos denique & Abrahæ filios dicit, quos imitandis alendisq; pauperibus operarios cernit. Nam cum Zachæus dixisset: Ecce dimidium ex substantia mea do egenis: & si cui quid fraudaui, quadruplum reddo: respondit Iesus & dixit: Quia salus hodie huic domui facta est, quoniam & hic filius est Abrahæ. Nam si Abraham credidit, & deputatum est ei ad iustitiam: vtique qui secundum præceptum Dei eleemosynas facit, Deo credit; & qui habet fidei veritatem, seruat Dei timorem, qui autem Dei timorem seruat, in miserationibus pauperum Deum cogitat. Operatur enim ideo, quia credit, quia scit vera esse quæ prædicta sunt verbis Dei, nec Scripturam sanctam posse mentiri: arbores infructuosas, id est steriles homines excidi, & in ignem mitti, misericordes autem ad regnum vocari.* Idem lib. 3. test. ad Quirinum.

§. 3. Zachæus ergo dimidiâ parte datâ pauperibus, & fraudatis quadruplum, ostendit præcipuam bonorum suorum partem legitimo titulo possidere, etsi enim quædam cum aliorum detrimento quæsiuit, non tamen nisi pauca fuere respectu aliorum: quamuis conditionate loquens, non videatur fraudis vllius sibi conscius.

§. 4. Insigne est hic exemplum (si Caluinum audimus) supererogationis. *Caterum, inquit, Zachæus, suo exemplo, necessitate alios minimè obstrinxit, vt se dimidia bonorum suorum parte denudent: sed tantum tenenda est regula quam præscribit Dominus, vt nos & nostra omnia consecremus in sanctos vsus ac legitimos.* pag. 257. Si enim ille alios non obstrinxit, & possunt tamen id facere sine dubio id faciunt, quod lege non tenentur: ideoq; plus quam tenentur. Quid enim si Zachæus minus dimidio dedisset pauperibus? an ideo in legem diuinam commisisset? Quæ lex iubet dimidium egenis consecrare? Zachæum autem sponte non iussu obtulisse dimidiam partem testatur Aretius Caluinianus, ne quis lege ad hoc obstrictum fingat. *Zachæi opus supererogationis.*

§. 5. Caluinus inde concludit, nihil in Zachæo simulatum, nec tamen ideo salutem adscribi operibus sed adoptioni. *Christus testimonium Zachæo reddens, nihil in eo fuisse simulatum pronunciat, nequetamen salutis causam bonis operibus Zachæi adscribit: sed quia conuersio illa certum erat diuinæ adoptionis pignus, merito inde colligit, domum illam salutis esse haredem, & hoc quoq; verba sonant. Nam quia Zachæus vnus sit ex Abrahæ filiis, ratiocinatur saluam esse eius domum.* Verum est opera precedentia iustitiam, non esse causas meritorias salutis, fidem autem, & opera fidem sequentia effectus esse prædestinationis, sed tamen causas salutis æternæ. Ephes. 4. 22. 23. deponite veterem hominem. 2. Corinth. 7. 10. Coloss. 2. Ipse Piscator analys. in Ephes. 1. 4. Ipse Caluinus lib. 3. instit. c. 14. §. 21. Id vero notandum est, quod ait Christum Zachæo testimonium dare, quod in eo nihil sit simulatum. Ex quo & illud consequitur synceritatem Zachæi puram fuisse non peccatum natura mortale. Non enim vitiata est simulatione synceritas ideo pura.

VERSVS 9.

Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta: eò quod & ipse sit filius Abrahæ.

QVÆSTIO I.

An salus facta eo quod sit filius Abrahæ?

Quomodo filius Abrahæ.

§. 1. Filius Abrahę vel secundum carnẽ, vel potius secundum fidem & charitatem, cur salus oblata sit, non est causa, quod sit filius Abrahæ secundum carnem, è multis filiis pauci saluati sunt, quod si dicamus ideo salutem illi factam, quod sit filius Abrahæ, secundum Spiritum, rectè interpretabimur, esse filium secundum promissionem. Nam promissionis effectus est salus, quemadmodum promissio prędestinationis: sic optimè sententia intelligitur: nam Græcè est etiam causalis particula καθὸτι, & Syriacè מטול *metul, eo quod vel, propterea.*

§. 2. Porro Erasmus sic: *Hodie salus huic domui facta est, eo quod & ipsa sit filia Abrahæ.* Nam οἶκος est generis masculini, ideo Erasmus nomen αὐτὸς *ipse* putat referri ad οἶκος. Verum admodum improprie dicitur οἶκος, *domus*, filius Abrahæ. Nec ad rem facit quod Christus Zachæum alloquitur. Nam ad secundam personam in tertia loqui alloquendo, cum alii circumstant, solemus. Sic Psal. 21. 26. 1. 6. 10.

V. 11. *Adijciens* προσθεὶς, Beda *pergens* habet, quod ambiguum est, nam ad profectionem & sermonis continuationem referri potest.

Et versu 15. habetur. *Negociatus* διεπραγματεύσατο. quod est magna industria & cura negociari.

V. 16. Προσειργάσατο *adoperata est.* Græcis pecunia ἀνεργὴς est, quæ locata est, ἀργὸς quæ domi est ociosa. ἐργάζεσθαι ad varia accommodantur vt ἐργάζεσθαι γῆν τέχναι ἄλλα, ὅπλα, sic ἐργάζεσθαι τὸ βέον, cibum quærere, seu operari. Sic ἐργαζέσθαι χρήματα, pecunias conquirere.

V. 21. Καὶ συνάγεις, ὅθεν οὐ διεσκόρπισας *& congregas vbi non sparsisti*, hoc in quibusdam additum est, verum ex Matthæo translatum.

V. 26. *Et abundabit*, pleriq; omittunt voces, *& abundabit*: ita Syrus, & plerique Græci: est enim ex Matthæo huc translatum.

V. 37. Pro *discipulorum*. quædam exemplaria habent, *discentium*. corrigenda sine dubio.

VERSVS 41.

Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens.

QVÆSTIO I.

Cur fleuit?

§. 1. Mouent impiè quæstionem hæretici, & sacrilegè respondent, noluisse Deum eorum salutem, de quorum exitio lachrymas fudit. Si enim saluos voluit, cur subsidia efficacia non dedit? cur vt gratiam oblatam reciperent non adiuuit? Hæc Calu. Beza, Piscator, Broeckerus, cęteri rigidiores Gommoristæ & Borboritæ. *Nolle omnibus beneuelle*, dicit Piscator Sect. 8. in notis contra Vorstium. Non teneri etiam omnibus beneuelle, ideo voluntatis in antecedentem, & consequentem, in absolutam & conditionatam repudiat distinctionem. *Prædestinati*

§. 2. Caluinus humanos induisse affectus, Breuius & Clarius Matth. 23. Piscator ait: Christum voluisse Iudæos congregare humana voluntate. Quare necesse est, vt humanam voluntatem à diuinâ seiungant. Videatur Vorstius Sect. 2. contra Piscatorem.

§. 3. Primo considerandum est tempus, quo populi Israelitici clades, luctu lachrymisq; prosecutus est. Nempe cum summo ipse in honore esset & pignora magni plausus, & fauoris haberet, ne si tempore persecutionis aduersa prædiceret, id mollitudini animi, vel indignationi tribueretur. *Tempus prædictionis.*

§. 4. Secundo voluit tam diuina quam humana voluntate salutem omnium: humana voluntate doluit, de eorum contumacia, qua salutem reijciebant. Diuina voluntate idem voluit: quia non est eius voluntas vt pereat impius, sed pœnitentiam agat, ac viuat: parcere Deus vult, sed pœnitentibus, voluntas non parcendi nõ est, nisi præuisa in sceleribus perseuerantia, mundo Noe temporibus parcere voluit, sed contumaciter rebellibus, cataclysmum inducere, antecedente voluntate seruare, consequente perdere. Prima igitur voluntas est seruandi, altera vero perdendi; illa secundaria, & nonnisi præuisi peccati respectu, quamuis æterna, tamen conditionata, si peccent homines nec pœnitentiam agant. Impium igitur est dicere Deum non desiderare omnium salutem. Mihi contra Caluinianos visum est vti testimonio collegialiũ ipsorum: Ita enim Vorstius Sect. 8. *Accedit deinde ratio naturalis, partim ex ipsius Dei naturâ, partim ex nonnullis veræ religionis & totius iustitiæ, proprietatibus exstructa. Deum enim, cum per naturam optimus, ac summè beneficus sit, non potest non omnibus nobis, ex antecedente voluntate seu primaria intentione sua, optime velle: quippe quos ipse ad imaginem suam, eoque ad salutem ab initio creauit, &c. Idemque cum iustissimus sit, non potest cuiquam, nisi consequenter, malè velle: hoc est, nemini certam pœnam decernere, cuius non aliquam culpam certò præuiderit. Denique cum sapientissimus sit, non solet præmium, aut mercedem, cuiquam constituere, cuius obedientia non aliquatenus antecesserit. Religionis vero totiusq; iustitiæ ratio, ita comparata est, vt naturalem arbitrij libertatem in hominibus exigat, tum in obedientia præstanda, tum maximè in peccando. eoque præcisam illam ac fatalem necessitatem, quæ à primario, & omnes causas antegrediente, DEI decreto pendeat, simpliciter hinc excludit. Alioqui nec virtuti, nec vitio, eoque nec præmiis nec pœnis, (iustis quidem & rationabilibus,) immò nec hortationibus, nec exprobrationibus, nec laudationibus, nec obiurgationibus, &c. vllus coram Deo locus foret. Ex quo sequitur aliam esse precedaneam, seu primariam Dei voluntatem erga homines, quæ liberos istorum actus vniuersos antecedat: aliam consectaneam ac quasi secundariam,* Deus omnium salutem vult.

tiam, quæ eosdem, saltem in præscientia Dei, aliquatenus sequatur. pag. 27.

Magno reuera impiorum præiudicio, qui lachrymas Christi eluforias, fictas, & crocodilæas esse comminiscuntur, hæresis illa premitur. Cum totius mundi Ecclesiis certamen est Caluinianis, qui absolutum illud decretū damnandi, omnes caulas, ac media transgredi ns adorant. Horrendum est quod Piscator thesi 121. contra Scaffmanum habet: *Deum nolle vt reprobi credant Euangelio.* Et tamen origo ex huius loci depravatione est apud Lutherum Tom. 6. Wittemb. Germ. f. 510. Christus inquit flet, tristatur & deplorat (ist iam merich) impiorum damnationem. Quamuis æterna voluntas diuinæ maiestatis aliquos ex proposito *perire sinat, reprobet & damnet.* Quod Dei voluntas facit, non sine operum respectu malorum, ideo fuit & voluntas illos ipsos saluand, sed quia perseueranter gratiam reiecerunt, saluati non sunt, sed Dei decreto damnati.

§. 5. Bartholomæus Keckerm. à suorum horrendo dogmate recessit. l. 3. Systema. Theol. c. 1. *Electio nostra ad salutem, vt includit conditionem fidei & bonorum operū tanquam media executionis, ita excludit perseuerantiam in infidelitate, & malis operibus tanquam rem electioni penitus repugnantem. Aduersary nobis insignem iniuriam faciūt, cum scribunt nos docere, quod Deus sine vllo plane respectu fidei in Christum Iesum, absoluto quodam decreto, quosdam elegerit ad vitam æternam, ita quidē, vt etiam si quis vsq; ad finem vitæ perseueret in omni genere flagitiorum, tamen salute suâ, ad quam electus sit, excidere non possit. Non est hæc nostrarum Ecclesiarū Doctrina, nec fuit vnquam. Quin potius contrarium docuimus; nimirum, Electionem includere omnino conditionem fidei, & bonorum operum; atq; ita Decretum Dei de quorundam hominum salute, non esse absolutum, quoad media salutis; sed tantū quoad principia electionis. Nam & ante ita distinximus, fidem, atq; adeo bona opera concurrere ad decretum electionis, tanquā effecta eius, & tanquam media salutis; non autem tanquam causam, propter quam est facta electio. Qui ergo inscelerius & incredulitate perseuerāt ad finem vitæ, illi simpliciter non sunt electi, sed reprobati, quia electio non tantum est finis, sed etiam fidelium ad finem.* Hæc eadem sine dubio de reprobatione ex causa maiore diceret si sibi cōstaret. Et Zwinglio, Zanchio, aliisq; cōtradicere auderet. Nos ad Christi lacrymas redeamus. Virum prudentissimū in summa omnium gratulatione, non ex præsenti clade sed futuræ calamitatis prætensione lacrymas fundere, ingentis mali indicium est. Nec dubium est vllum discipulos, alios q; fideles intimo animo ista reposuisse. Sic enim olim Ieremias, aliiq; Prophetę patriam luxerunt tum neglectā à posteris in precio habiti. Ad Ierusalem enim pertinet, quod Michææ 7. v. dicitur: *nunc vastabitur filia latronis.* Maius igitur nunc malum imminere facile aduerterunt, cum eum quem tanti æstimabant, flentem viderent.

VERSVS 42.

Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

QVÆSTIO I.

Quæ causa malorum?

§. 1. CAusa cladium redditur: *quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis.* Quibus in verbis multa sunt subaudienda, cum sit oratio, in qua, vt in affectibus fieri solet, multa subticentur.

Primo nonnulli interpretantur, ET SI, pro vtinam, quod Græcis non est infrequens. Luciam: εἰ γὰρ γένοιτο ταῦτα. *Vtinam ista fiant.* Odyss. γ.

Εἰ γὰρ ἐμοὶ τόσσον δὲ θεοὶ δυνάμιν περ θεῖεν
Vtinam mihi tantas vires Dij conferrent.

Huic tamen loco non conuenit, eo quod additur ὅτι, quia: non autem vsitate dicimus: quia, vtinam tu cognouisses: reddendum enim est aliquid, quod particulæ, *Quia*, respondeat, quod qualecunq; sit, non cohærebit textus, nisi vox *Vtinam* resoluatur in dictionem. *Si.* Quamuis particula. SI per VTINAM, exposita, suum sensum habere possit, non tamen potest, cum alterâ voce *Quia* simul posita.

§. 2. Conditionalis hoc modo resoluenda est. Si cognouisses, iam mali imminentis metu pœnitentiam egisses, aut simile aliquid proponendum est, vt sententia expleatur.

Mysterio non caret copulatiua coniunctio: *Et tu*: videlicet, sicut cognoui ego. Non enim comparanda est cum turbâ præeunte & sequente ciuitas, vt dicat Christus, vtinam cognouisses &tu sicut hæc turba cognoscit; sed vtinam cognouisses &tu. & ego cognosco.

Abscondita cum dicit, non absoluit eos peccato sed stuporem & ignorantiam impiam accusat, quod noluerit, audire, credere, parere.

§. 3. Maior difficultas est, quid cognoscendum dicat. Græc. lectio minime dubia est; habet enim τὰ πρὸς εἰρήνην σοῦ, ea quæ ad pacem tibi. Latini libri & eum sensum habent, & alium admittere possunt: nempe si cognouisses &tu. & quidem in hac die, quæ dies est ad pacem tibi. Priorem habet Cyrill. Aug. Theoph. Euth.

Altera videtur expeditior hoc modo; *quia si cognouisses & tu, sicut ego cognoui, & quidem in hac die, quæ dies est ad pacem tibi, quia circumdabunt te inimici tui vallo, fleres quemadmodum fleo.*

§. 4. Nec prior tamen lectio Græcorum negligenda est: tum quia optimorum est auctorum, & librorum plurium, tum quia facilem etiam sensum habet: Nam quod obiiciunt. Non cohærere sententiam si dicas, *quia cognouisses* & tu illa, quæ ad tuam pacem seu felicitatem pertinent, fleres, facile respondeo. Primo si cognouisses quæ ad tuam pacem pertinent eorum satageres, alio prorsus modo ageres, non enim opus est subaudire; fleres, vel lugeres. Deinde recte etiam subaudiri hoc ipsum verbum potest: Si enim cognosceres, qua in re securitas tua consisteret, & pax, fleres non minus quam ego, cum animaduerteres ab ea te longissimè abesse. Nunc autem illa, quæ pacem tibi parere & struere possunt, abscondita sunt ab oculis tuis. Sic Iren. lib. 1. c. 17. aduers. hæres. refert etiam cognitionem ad ea, quæ ad pacem. Ita enim habet ἔτι πρὸς πάλιν vbi cum dicat σήμερον facile apparet quid intellexerit.

§. 5. Probari potest ex eo quod mala illa Christus accidisse testatur v. 44. *quod non cognouerit tempus visitationis suæ*: hoc est tempus acceptabile 2. Corinth. 6. 2. Visitatio enim in bonam partem accipitur. Ex quo sensum v. 41. clarissime deduco.

Cum dicit, quia si cognouisses & tu, de earum rerum intelligentiâ loquitur, quarum ob ignorationem inimici eius circumdederunt eam vallo, &c. Et hoc factum est propter ignorationem diei visitationis, quod nimirum diem salutis & pacis non agnouerit, salutariū consiliorum occasionem elabi permiserit, de bonorum igitur ignoratione loquitur, de quibus maximus dolor est, cum amissa sunt. Collatione itaque horum locorum certam & lectionem & sensum esse non dubito. Præsertim cum omnes authores consentiant, tempus visitationis esse, quo Deus misso Messia *visitauit plebem suam.*

* * *

CAPVT

CAPVT VICESIMVM.

TOtum hoc caput variis locis Matthæi & Marci expositum est. Vt verò promptum sit inuenire, quo loco quisq; versus habeatur eos monstrare operæ pretium duxi: Primus numerus Versum. Lucæ, alii Matthæi vel Marci Caput & Versum significat.

Lucæ.	Matthæi.	Marci.
1.	21.23.	11.27.
2.	21.23.	11.28.
3.	21.24.	11.29.
4.	21.25.	11.30.
5.	21.25.26.	11.31.
6.	21.26.	11.32.
7.	21.27.	11.33.
8.	21.27.	11.33.
9.	21.33.	12.1.
10.	21.34.35.	12.2.3.
11.	21.35.	12.4.
12.	21.35.	12.5.
13.	21.37.	12.6.
14.	21.38.	12.7.
15.	21.39.40.	12.8.9.
16.	21.41.	12.9.
17.	21.42.	12.10.
18.	21.44.	
19.	21.46.45.	12.12.
20.	22.15.	12.13.
21.	22.16.	12.14.
22.	22.17.	12.14.
23.	22.18.	12.15.
24.	22.19.20.21.	12.15.16.
25.	22.21.	12.17.
26.	22.22.	12.17.
27.	22.23.	12.18.
28.	22.24.	12.19.
29.	22.25.	12.20.
30.	22.26.	12.21.
31.	22.26.	12.21.22.
32.	22.27.	12.22.
33.	22.28.	12.23.
35.	22.30.	12.25.
36.	22.30.	12.25.
37.	22.31.32.	12.26.
38.	22.32.	12.27.
40.	22.46.	12.34.
41.	22.42.43.	12.35.
42.	22.43.44.	12.36.
43.	22.44.	12.36.
44.	22.45.	12.37.
45.	23.1.	
46.	23.7.6.	12.38.39.
47.		12.40.

CAPVT VICESIMVM Primum.

Lucæ.	Matthæi.	Marci.
1.		12.41.
2.		12.42.
3.		12.43.
4.		12.44.
5.	24.1.2.	13.1.2.
6.	24.2.	13.2.
7.	24.3.	13.3.4.
8.	24.4.5.	13.5.6.
9.	24.6.	13.7.
10.	24.7.	13.8.
11.	24.7.	13.8.
12.	10.17.18.	13.9.
13.	10.18.	13.9.
14.	10.19.	13.11.
15.	10.19.20.	13.11.
16.	10.21.	13.12.
17.	10.22.	13.13.
18.	10.30.	
19.	10.22.	13.13.
20.	24.15.	13.14.
21.	24.16.	13.14.
23.	24.19.	13.17.
25.	24.29.	13.24.25.
26.	24.29.	13.25.
27.	24.30.	13.26.
29.	24.32.	13.28.
30.	24.32.	13.28.
31.	24.33.	13.29.
32.	24.34.	13.30.
33.	24.35.	13.31.

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM

APpropinquauit autem dies festus Azymorum qui dicitur Pascha: 2. Et quærebant Principes sacerdotum, & Scribæ, quomodo Iesum interficerent: timebant vero plebem. 3. Intranit autem Sathanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim. 4. Et abiit, & locutus est cum principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. 5. Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. 6. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem vt traderet illum sine turbis. 7. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. 8. Et misit Petrum, & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus. 9. At illi dixerunt; Vbi vis paremus. 10. Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat. 11. Et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem? 12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. 13. Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt pascha. 14. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. 15. Et ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscū, antequā patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno. 17 Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos. 18. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. 19. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod

quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. 20. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. 21. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. 22. Et quidem Filius hominis secundum quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur. 23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. 24. Facta est autem & contentio inter eos, qui eorum videretur esse maior. 25. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. 26. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. 27. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat: 28. vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: 29. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum. 30. Vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. 31. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: 32. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. 33. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire. 34. At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis: 35. Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? 36. At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. 37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. 38. At illi dixerunt, Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis, Satis est. 39. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliuarum. Secuti sunt autem illum & discipuli. 40. Et cum peruenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem. 41. Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis, & positis genibus orabat. 42. Dicens: Pater si vis, transfer calicem istum à me; Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. 43. Apparuit autem illi angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. 44. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. 45. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. 46. Et ait illis, Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. 47. Adhuc eo loquente ecce turba, & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit IESV vt osculare tur eum. 48. IESVS autem dixit illi: Iuda osculo Filium hominis tradis? 49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? 50. Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram. 51. Respondens autem IESVS, ait: Sinite vsque huc. Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. 52. Dixit autem IESVS ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis, & fustibus? 53. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. 54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum: Petrus vero sequebatur à longe. 55. Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. 56. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. 57. At ille negauit eum, dicens: Mulier, non noui illum. 58. Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo, non sum. Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens. Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus est. 60. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantauit Gallus. 61. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis: 62. Et egressus foras Petrus fleuit amarè. 63. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. 64. Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit? 65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. 67. Et ait illis: Si dixero vobis, non creditis mihi: 68. Si autem interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. 69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. 70. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. 71. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius.

IN CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM

ARGVMENTVM.

PASSIONIS Dominicæ historiam complectitur, à Consilio Sacerdotum & Iudæ proditione vsque ad deductionem ad Pilatum. Solius Lucæ sunt, vers. 15. *Et ait illis, Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patior.* v. 17. *Et accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite & diuidite inter vos.* v. 23. *Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset.* v. 28. & 29. *Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.* vers. 31. 32. *Ait autem Dominus, Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* v. 36. *Dixit ergo eis, sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* v. 38. *At illi dixerunt, Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis, satis est.* v. 43. 44. *Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum.* Lucæ propriæ.

eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. v. 49. *Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei, Domine, si percutimus in gladio?* v. 51. *Respondens autem Iesus, ait: sinite vsq; huc.* v. 67. & 68. *Situ es Christus, dic nobis. Et ait illis, si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.*

VERSVS 15.

Et ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.

QVÆSTIO I.

Quomodo desiderauit?

§. 1. COenam paschalem edere se desiderasse, & magno quidem desiderio profitetur; non enim mortem timuit, sed pro hominum salute obire optauit. Non autem ideo quia vltima cœna fuit, sed quia in eâ plurimum beneficiorum in Apostolos erat expensurus. Hebraicè התאוויתי תאוה *hithauiti thaaua, desideraui desiderium.* Apud Epiphanium Hebræi sententiam dupliciter deprauarunt, nam κρέας, *caro* addiderunt, & præposita negatione per interrogationem protulerunt. Μὴ ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα κρέας φαγεῖν μεθ' ὑμῶν. *Num desiderio desideraui, hoc pascha carnem manducare?*

§. 2. Pareus hinc necessitatem & voluntatem liberam conciliare nititur de grat. & lib. arbit. lib. 3. cap. 6. " [Concludam, *inquit*, illustrissimo sacræ Scripturæ exemplo: Christus Seruator noster summa voluntate pro nobis passus, mortuus est: Desiderio, inquit, desideraui comedere hoc pascha vobiscum, antequam ego patiar. Necessariò tamen & immutabiliter est passus: Nonne oportuit Christum pati, & ingredi in gloriam suam: Ita oportet fieri: oportet filium hominis pati: oportet filium hominis tradi: oportet exaltari filium hominis: oportet impleri in me: oportet eum à mortuis resurgere. Si igitur Christus Seruator voluntariè & necessariò est passus & mortuus pro nobis: sequitur voluntarium aliquod necessarium, & necessarium aliquod voluntarium esse posse: Proinde stat nostra veritas: iacet aduersarii Pelagiana assertio.]

Libertas necessitate hypotheticâ nõ tollitur.

Respondeo; oportuisse illum pati, non absolutâ, sed hypotheticâ necessitate, quæ non obstat libertati. vt Bellarminus aliique docent. Facto enim diuino decreto oportuit, illud exequi, sed manente libertate, quam Deus fore ante decretum præuidit.

VERSVS 16.

Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

QVÆSTIO I.

Quomodo implendum in regno Dei?

Regnum Dei.

§. 1. MAgnâ tristitiâ Apostoli afflictabantur ob Magistri discessum, & quod audirent vltimam esse cœnam. Ille vero animos eorum altius erigit, vt potius considerent inchoari cœnam, quam in regno cœlorum sint perfecturi, seu completuri. ita Orig. tract. 35. in Matth. Euth. Theoph. Alii completum pascha interpretantur de passione & immediatione Christi. 1. Corinth. cap. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Post mortem enim Christi mox epulum in regno Dei æternum incepit: iamque multa millena millia cum eo epulantur in regno cœlorum.

§. 2. Theophylactus regnum Dei vocat resurrectionem, quia per eam destructa mors est. Ad regnum Dei pertinere resurrectionem constat, sed pars illa est potius, seu initium.

VERSVS 17.

Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos.

QVÆSTIO I.

Cur ait, Accipite & diuidite?

§. 1. NOn pertinet ille calix ad Eucharistiam, sed alius est ab eo, de quo vers. 20. vt Heron. Beda, Theophylactus. Consuetudinem Hebræorum fuisse, vt absumpto agno paschali paterfamilias poculum propinaret, quod circumiret, multi tradunt. Nam vers. 20. Lucas habet μετὰ τὸ δειπνῆσαι, postquam cœnatum est. *Duplicata.*

§. 2. Obiicit Beza: [Sed his obstat, quod Matth. 26. vers. 29. hæc ipsa verba de fructu vitis, admystici poculi narrationem applicat. Quid amplius? Apud Syrum interpretem, maximæ meritò auctoritatis, non extant versiculi 17. & 18.]

Cur Syrus omiserit vers. 17. & 18. causam dicere non possum. Transmutare contra fidem omnium codicum non est consultum. Nec obstat quod Matth. 26. vers. 29. ad Eucharist cum calicem illa verba accommodet. Figura erat enim vt agnus corporis Domini, & potus post agnum, sanguinis.

VERSVS 28.

Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis:

QVÆSTIO I.

Quomodo permanserunt cum eo in tentationibus?

§. 1. TEntationes sunt tribulationes & persecutiones Iudæorum, cum multi discederent. Ioan. 6. 67. hi perstiterunt, & palam scuti sunt, & cum multi Principes credidissent in eum, sed non confitebantur. Ioan. 22. 42. Paulus Christum per omnia tentatum affirmat. Hebr. 4. 15.

VERSVS 29.

Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.

QVÆSTIO I.

Quale regnum disponit?

Regnum à Christo disponitur.

§. 1. MAgnitudinem regni vtcunq; indicat, cum ait, se disponere illi sicut Pater ipsi disposuit simili se non æquali dignitate: Summus enim Rex Christus, sub summo regnabunt sancti: simili modo locutus est disertus Poeta:

Princepsq; senatus:
Sed regnantiu erat.

Præmium hoc perseuerantiæ esse ostendit. Porro particulam similitudinis quidam referunt ad auctoritatem,

tatem, quod quemadmodum pater diuina potentia & iure summo Christo disposuit, ita Christus etiam discipulis disponat. Pro dispono Græce est διατίθεμαι, quod ad dispositiones testamentarias pertinet, vt *do, lego.* Sic Heb. 9.17. & alibi διαθήκη est testamentum.

§. 2. Beza vertere maluit: [Paciscor, *ait*, διατίθεμαι, vulgata, Dispono, Alij etiam Lego, ex illa formula Do, Lego, in testamentis vsitata. Nomen enim διαθήκης peculiariter de testamento dicitur: & hæc Christi ad mortem properantis verba speciem habet testamentariæ cuiusdam dispositionis, quo alluſit Apostolus Heb. 9.17. Atque adeo cum iure mortis Christi cesserit nobis cælestis hæreditas, merito noui testamenti nomine Euangelicum fœdus appellatur. Sed quum vox Hebræa ברית *berith* de omnibus inter viuos pactis (de qua vide Matth. 16. 28.) dicatur: & totus iste sermo cæperit ex ea controuersia, quæ inter illos duodecim de primatu minime profecto opportunè exorta fuerat, apparet de illo cœlesti regno cuius participes erunt pro suo modulo credentes omnes, ac proinde de illo fœdere siue testamento hic nõ agi, sed de Apostolica in huius regni administratione, id est, in promulgando Euangelio, & constituendis per orbem terrarum Ecclesijs, auctoritate: quam ipse ad Patrem abiens, ipsis committat, eadem qua ille à Patre acceperat conditione, nusquam ipse discedens à voluntate Patris, nec quicquam vt à seipso loquens, quoniam fuit Euangelij minister & μεσίτης, vtroties apud Ioannem inculcat: vno licet Dominus, discipulis suis ministrans, quod etiam ablutione pedum in hac ipsa cœna sanctum voluit. Quod si tale fuit Apostolicum regnum, imò Christi ipsius in Ecclesiastici ministerij functione, vnde ista Romanæ Antichristianæ totius hierarchiæ tyrannis, & vterque ille gladius? Syrus interpres pro διατίθεμαι vtitur verbo יהת (*iadah*) quo etiam vsus est Mar. 14. 11. pro ὑπεγγυᾶσθαι, id est, pacto & conuento spondere. Pactus est, διατίθεται, videlicet hoc ipsum regnum, id est, regni cælorum promulgandi ministerium. Nec enim sequens versiculus ab hoc verbo, vt putauit Theophylactus. sed à tota huius vers. sententia dependet.]

Imprimis de regno cælorum agi dubium non est, non de prædicatione Euangelij. Nam quærebãt quis futurus esset maior in regno cælorum, qui sederit ad dextram & sinistram, non de labore Euangelizandi, & bibendo calicem, consequenter vero quis primus etiam in hoc mundo, eo modo quo reges gentium dominantur, ad hoc respondet: Non fore tale regimen aut Dominium in hoc mundo, sed aliud regnũ & alijs disponere, illud vero regnum esse, vt edant & bibant, v. 3. Constat autem his verbis cælestem gloriam describi. Nam in Apostolica administratione non fuit regnum illud, *sed euntes ibant & flebant mittentes semina sua.* Nec sederunt iudices, sed ad iudices & præsides tracti sunt, & pro Christo contumeliam passi. Fundamento igitur subruto, calumniam concidere necesse est. Pontifex enim etiam suis aliquando ministrat, pauperum pedes lauat, non dominatur more Regum gentilium, aut si ita dominetur, iam à Christi lege recedit, non tamen ideo detrahenda est illi prærogatiua potestatis, si abusus prohibetur. Paternum habet imperium in filios & fratres suos forma gregis, & doctor. Gladium habet spiritalem à Christo, quod suis Popis etiam Caluiniani concedunt. Gladium secularem non ex vi potestatis spiritalis, sed ab Imperatoribus pijs, qui Prouincijs. & Imperio Ecclesiam decorarunt. Non repugnare autem possessiones rerum sæcularium, & iurisdictiones officio sacerdotum alias sæpe docui. Nec si nobilis, Baro, comes, ministerio Caluinistico in se suscepto familiam suam funestet,

ideo quoque exui eum possessionibus, & iure subditos regendi excidere patientur.

VERSVS 31.

Ait autem Dominus: Simon, Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.

QVAESTIO I.

Quid Satan expetiuit?

§. 1. Σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον, *cribrare sicut triticum*, hoc est, exquisitis modis affligere, tentare, sursum, deorsum vertere, donec fidem excuteret, ἐξητήσατο ὑμᾶς postulauit à patre meo cæleſti; sine cuius nutu, nec minima illi tentatiuncula permissa est. Ideo tanquam gladiator ferox, mortis suę iam certus à Deo ad singulare certamen prouocat Apostolos. Multi vertunt, *postulauit.* Cypr. *vt vexet vos.* Ambrosius, cerneret, Tertull. de fuga discerneret, alij cerneret. Beza ventilaret, quod cribrare non ad Satanæ studium, sed Dei consilium magis pertineat. Sed hic ratio habetur turbationis, & concussionis, quæ est in discerniculo seu cribro. *Cribrare Dei est, & discernere.*

§. 2. Beza in hunc modum commentatur: [De Apostolici, *ait*, muneris & Ciuilis imperij discrimine loquutus Christus, occasione oblata ex ea contentione quæ inter illos duodecim tam importuno tempore exorta fuerat, non temere sermonem ad Petrũ ipecialiter dirigit. Hac admonitione duplici de causa præ cæteris egentem, grauius videlicet, quam cæteri collegæ peccaturum, & tamen cæteris aliquando, singulari constantiæ exemplo præiturum. Quorsum autem hoc ad Antichristianum primatum?]

Quod Petro magis necessariam monitionem ait, falsum est, non ille, sed filij Zebedæi primas ambiebant. Quod grauius erat peccatum, non ad hoc pertinebat, vt ideo primatum ambiret, sed pœnitentiam ageret. Quod ad exemplum constantiæ, alij quoque grauia & alij grauiora passi sunt. *Petrus monetur, quia præerat.*

VERSVS 32.

Ego a. Rogaui pro te vt non deficiat fides tua & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.

QVÆSTIO I.

Quid conuersus facturus est Petrus?

§. 1. COnuersus Græcè dicitur ἐπιστρέψας, *se conuertens* ad alios, nam actiuum est: confirmare Apostolos, & alios fideles iubetur. Nemo autem dubitat, quin ille qui ex officio confirmare fratres debet, eum habere inter eos prærogatiuam aliquam dignitatis. Theophyl. sic interpretatur: *Quia te habeo, vt principem discipulorum, postquam negato me fleuisti, confirma cæteros hoc enim te decet, qui post me Ecclesia petra es, & fundamentum.* Et Leo Serm. 3. de Pontif. *Pro fide Petri propria supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit.*

Hinc etiam apparet, ne errare quidem in fide posse Petrum, & consequenter nec Pontificem: Oratum est enim ne fides deficiat, vel falsa scilicet credendo, vel certe docendo. *Petrus in fide errare nõ potuit.*

§. 2. Petri exemplo omnes in fide & iustitia confirmatos tradit Caluinus l. 3. Instit. c. 24. §. 6. [Iam vero, *inquit*, neque hoc dubium est, quum orat Christus pro omnibus electis, quin idem illis precetur, quod

» Petro, vt nunquam deficiat fides eorum. Ex quo elicimus, extra periculum defectionis esse, quia eorum » pietati constantiã postulans filius Dei, repulsam passus non est. Quid hinc nos discere voluit Christus, nisi vt confidamus, perpetuo nos fore saluos, quia illius » semel facti sumus.] Magna præfidentia, sed stolida, conficere conatur, Christum pro omnibus electis orasse, ne fides eorum deficeret, quia pro Petro orauit, vnius Apostoli priuilegium in omnes extendit, & cunctis securitatem inter tot pereuntium greges promittit.

Non omnibus obtinuit, quod Petro.

Loquitur tam de præsente afflictione, quam illa, quam toto vitæ & mortis tempore Apostoli pertulerunt, quæ plurimæ & grauissimæ fuerunt.

Petrum appellat, tanquam caput omnium, & omnes confirmaturum: ad principis enim exemplum ceteri reguntur.

Prædestinati possunt peccare mortaliter.

§. 3. Bellarminus l. 1. c. 7. de amissione gratiæ & statu peccati. Prædestinatos posse peccare mortaliter probat. Petrus enim prædestinatus erat, peccatũ quo negauit & peierauit, mortale fuit. Pareus totum hoc concedere se ait, & aliud, contra veritatem, telum intorquet.

» [Aut Petrus Apostolus, *ait*, ter negando & » eiurando Dominum, penitus excussit Spiritum S. a- » misit fidem, excidit gratia: aut non. Si penitus hæc a- » misit: sequitur irritam fuisse Christi pro Petro precationem: Orani pro te, ne deficiat fides tua: quod absurdum. Dicet, lapsu fidem interruptam: postea reditam ei fuisse. Frustra est. Non dicit Dominus; Orani pro te, vt restituatur tibi fides, sed, ne deficiat fides » tua. Interrupta & restituta Petro fides non fuisset vna numero fides Petri, pro qua precatus erat Christus ne deficeret. Irrita igitur deprecatio Christi fuisset, quod absit. Si non amisit penitus fidem, Spiritum, gratiam: stat sententia, sanctos, quando victi » cupiditatibus vt Dauid Propheta, vel metu, vt Petrus » Apostolus, ex infirmitate carnis lethaliter peccant, » non penitus amittere Spiritum Sanctum, fidem, gratiam: licet vulnera lethalia eis infligat Satan, quæ » nisi per venjam misericordiæ Dei sanarentur, totaliter auulsos à Deo tandem æterno inuoluerent exitio.]

Fidem sine iustitia esse posse.

Respondeo. Orthodoxos omnes affirmare Petrum gratiam peccando amisisse, gratiam inquã sanctificantem, seu gratum facientem, non tamen fidem; Imperitè autem ista semper coniungit, fidem & iustitiam, cum nos iustitiam nunquam sine fide, sine iustitia fidem esse doceamus. Non enim si quis fidelis labitur, fidem lapsu perdit, sed gratiam, qua Deo placet.

Porro non confici inde Papam habere gladium vtrumque, & ius sæculare directum docet Bellarm. l. 5. c. 5. de Pontifice Romano.

QVÆSTIO II.

An non defecerit fides Petri?

Christus non orauit eo modo pro omnibus, quo pro Petro.

§. 1. ORasse pro perseuerantia Petri in fide se Christus affirmat, exauditum res ipsa clamat, & præsens promissio. Cribratus est, turbatus, negauit, peierauit, non est amissa tamen fides, sed fidei confessio. Aretius pro omnibus fidelibus Christum id impetrasse, vt non deficiat fides ipsorum, contendit, cum tamen multorum apostasiæ, lapsusque ostendant, id non omnium esse, sed paucorum; Petro autem publicè promissum.

§. 2. Cum autem fides Petri, non in eo modo, vt Ecclesiam doceat, sed in omnibus successoribus necessaria, non pro solo Petro, sed omnibus quatenus Ecclesiæ præsides sunt, Petri successoribus orauit. Firmata igitur de fide, non de carne Petri Ecclesia, non enim cum Petro moriente est emortua fides. Nam ad successores transijt promissio gratiæ, ad quos onus officij deuolutum est. Theophylactus Petrum exemplum pœnitentiæ fuisse, & principatum recepisse ait. Vide & Chrysostom. homil. 55. in Matth. Sic Synodi quartæ Patres definiunt, *ἵνα μακαριώτατος & ἀπόστολος τῶν ῥωμαίων πόλεως, ἡ τὴν ἱεροσύνην κατὰ πάντων ἡ ἀεχαιότης παρέχει, χώραν καὶ ἐυπρέπειαν ἔχει περὶ πίστεως, καὶ ἱερέων ἀνακηρύττειν. Vt beatissimus Episcopus Romanæ ciuitatis, cuius sacerdotium Pontificii contra omnes antiquitas posse prodit, locum & potestatem habeat omnes iudicandi.* Petri primatus. Petri prærogatiua. fides propria.

§. 3. Hinc etiam clarum est, Pontificem agentem de articulis fidei, conuocato consilio, & debita diligentia adhibita errare non posse. Fides enim eius non deficiet. Filius enim Dei repulsam passus non est.

Certe oratione Christi ita firmatam Petri fidem, successorumque eius, vt publice Ecclesiæ falsam doctrinam proponere non possint, veteres interpretes magno numero docent. Leo 1. de assumptione ad Pontificatum. Leo 9. Epist. ad Petrum Antiochenum Patriarcham. Agatho Epist. ad Constant. in Synod. 6. act. 4. Lucius 1. Epist. 1. ad Episcopos Hispaniæ. Bernhard. Epist. 90. ad Innocent.

Petrus vel Satan fuit.

§. 4. Porro ridiculum est, accommodare Pontifici quod Christus dixit Petro, *Vade retro Satan.* Hoc si Petri auctoritati non obstat, nec Pontificum obstabit. Pari enim modo in vtrosque diceretur. Matth. 16. 23. Christus ita respondet, *Vade post me Satana* &c. Vbi Petrum non nominat diabolum, sed Satan, hoc est aduersarium, quod Christi voluntati de morte amore quodam & incogitantia aduersaretur, quod Pontifices facere etiam possunt, vt infirmitate humana contra Dei voluntatem agunt, nec ideo tamen à fide excidunt.

VERSVS 36.

At illi dixerunt nihil: Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium.

QVÆSTIO I.

An gladio vti Apostolos Christus iubeat?

§. 1. DVplex sensus esse potest. Primus: *Sed nunc qui habet sacculum, tollat, & emat gladium, sic militer peram, & emat gladium. Qui autem ista non habet, vendat tunicam, & emat gladium.* Alter, *qui sacculum habet, eum secum tollat, & sibi de victu prospiciat, instat enim tempus, quo amicis & hostibus vti discipuli non poterunt, similiter & peram tollat commeatu refertam.* Imo *qui gladium non habet, vendat tunicam & emat, nusquam* enim inter *inimicos tutus* erit. Apud Basilium in Asceticis defens. 251. habetur ἀφεῖ, πλήσει, ἀγοράσει, sed meliot recepta lectio. Duplex sensus. Primus. Alter.

§. 2. Non

§. 2. Non tamen his verbis eos iubet esse de victu sollicitos, aut armari gladijs. Verum temporum afflictissimorum conditionē proponit figuratè; vt si quis dicat. Sine pecunia, sine pera, imo sine gladio iam viuere nemo potest. Sunt enim tempora calamitosa, fame, & bello tristia. Iubet autem facere, quod homines illis in periculis facere assolent. Ier. 9. 17. Ezech. 4. 2. Hoc paulo post exemplo docuit, cum Petrum gladio vtentem prohibuit, & vulnus inflictum sanauit. Sēsus igitur est, Hactenus mea præsentia securi fuistis, iam bellum instat, iam si humanis præsidijs interemini arma essent accipienda. Petrus Cluniac. l. 6. Ep. 29. Ecclesiam quidem negat habere Imperatoris gladiū, sed tamen super ipsos Imperatores imperium.

§. 3. Multis ex hoc loco probare nititur Erasmus, non esse licitum Christianis bellum: varia adducit, quibus caritas, etiam inimicorum, mansuetudo, tolerantia, nobis commendatur, vindicta prohibetur: Verū, possunt in duce, & milite virtutes esse, vitia abesse; nec enim ad bellum opus est sceleribus, sed iustitia. Sed verba Erasmi, & argumenta videamus: [Præterea autem, *inquit*, sēd id docuit, quod isti volunt, cur ipse non præstat, quod docet? quando ipse parauit sibi commeatum? quando ensibus, aut machinis sese aduersus persecutorum vim communiuit?]

Respondeo Christi facta esse nobis exemplo, nec tamen omnia nobis necessario facienda, quæ ipse fecit. Nec omittenda quæ non fecit, domū non exstruxit, vxorem non duxit, nec Christianos tamen ἀνεστίους, ἀγάμους, sine domo, sine coniuge viuere iussit, venit vt moreretur, vt aduersa toleraret, non vt bellum gereret. Pergit Erasmus: [qua ratione illud, *ait*, explicabūt, quod tunica diuendita iubet emi gladium? quādoquidem placet vrgere literas ac syllabas sermonis. Num illos nudos ensibus accinctos mittit in bellum? Nouum vero copiarum genus.]

Respondeo puerile quidem hoc esse; ἱμάτιον vestē designat, tunicam & pallium, Syrus לבושתה *nachthech* quod pallium suum proprie significat. Itaq; tunicam superiorem vendere poterant, & non plane nudi incedere, sed ad rem quod attinet; Christus indicat tantam fore persecutionem, vt si humana ratione pericula æstimanda sint præstet esse seminudos, quam inermes. Recte quidem ille probat, non esse imperatum emere gladium. Falso autem statuit, non licere.

Opponit tandem Patrum interpretationes, imprimis S. Ambrosij [Nec animaduertunt, *inquit*, quid hic interpretetur Ambrosius, etiamsi in re tam perspicua quid opus interprete? Cur, inquit, emere iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur habere me præcipis, quem vetas promi? Nisi forte vt sit parata defensio, non vltio necessaria, vt videat potuisse vindicari, sed noluisse. Deinde dissoluens quod poterat ex veteris instrumenti literis obijci, permissum esse bellum, lex tamen, inquit, referire me non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est dicit, quasi licuerit vsq; ad Euangelium: vt sit in lege æquitatis edictio: in Euangelio bonitatis perfectio, mox aduersas reclamaturos opponit hæc: Multis hoc iniquum videtur, sed non iniquus Dominus, qui cum se posset occisi, maluit immolari. Denique in calce hoc adijcit, duos gladios interpretatus, veteris ac noui testamenti scientiam, Quasi nihil inquiens desit ei, quem vtriusque testamenti doctrina munierit. &c.]

Ambrosius gladium spiritaliter interpretatur, vt ostendat, non iussos esse pugnare gladio. Deinde etiā adiungit defensionem prohibitam fuisse. In Euangelio esse bonitatis perfectionem, sese non defendere. Hæc vera sunt; De Christo enim & passione loquitur: non autem de bello Christianorum, Christus noluit defendi, non vetuit ne nos defendamur. Christus venerat immolari, non ergo Magistratus innocentem contra latronem tuebitur? Porro Ambrosium sensisse bellum esse licitum constat officiorum l. 1. c. 29. *Quanta autem, ait, iustitia sit, ex hoc intelligi potest, quod nec locū, nec personis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hostibus reseruatur: vt si cōstitutus sit cum hoste aut locus, aut dies prælio, aduersus iustitiam putetur, aut loco præuenire, aut tempore. Interest enim vtrum aliquis pugna aliqua & conflictu graui capiatur, an superiore gratia, vel aliquo euentu. Siquidem vehementioribus hostibus & infidis, & his qui amplius læserint vehementior refertur vltio.*

Quod Origenem etiam adducit, nihil efficit. Nam inter eius errores, hoc quoq; recensere non est alienum. Quamuis ille quoque de Christi passione loquitur, voluit enim Dominus eos vendere tunicam, & emere gladium. *Origenis error.*

§. 4. Aliud ex Augustino producit in Psalm. 37. *Orandum pro inimicis, non vt occidantur, sed vt corrigantur. Occidere Si non licet orare Deum, vt inimici iusto supplicio coerceantur, fine odio multo minus licet nobis illos occidere.* & epist. 158. ait contaminari passiones martyrum, si vicissim occidanturi- *hostem pe-* *rit, & de-* *nimici. bet miles.*

Orandum pro inimicis & priuatis & publicis, sed tamen nec illi à caritate excludendi sunt, contra quos bellum gerimus. Nec dicit Augustinus, nunquā licere orare, vt occidantur, id enim ipse concedit imo & occidi posse. Sed caritatem & patiendi tolerantiā iustitiæ vindicatiuæ anteponit. Quidam duos gladios esse satis interpretantur, nec velle quicquam alijs cōparandis impendi. Aliud vero illud ἱκανόν ἐστὶ esse verba putat sermonem abrumpentis: quod Apostoli figuram locutionis non intelligerent.

VERSVS 43.

Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christum Angelus confortauit?

§. 1. MIrum videri posset, quomodo humanā naturam diuinitati iunctam, beatā, omnes Angelos spectātem, vnus Angelus aspectabili forma apparens confortarit, cum hoc nec diuinitas, nec ipsa humanitas faceret. Fuit hoc dispensationis æternæ, vt animam consolatione voluntariè priuatam, & tristē hoc modo Angelus firmaret, quo omnibus fidelibus Dei auxilium afflictis nunquam deesse. Mox enim cum dixit: *Pater si vis, transfer calicem istum à me.* Græcè, εἰ βούλει παρένεγκεῖν, *si vis transferre.* Sed vetustissima habent παρένεγκαι transfer, & Epiph. aduers. Arian. παρέλθετω. *transeat.* Perinde ac si homini puro alicui in tormentis constituto Angelus consolator mitteretur. *Humilitatis ab angelo ostenderetur* *cipere con-*

VERSVS 44.

Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

QVÆSTIO I.

Cur sanguinem sudarit?

§. 1. GVttas vocat εἰσὶ θρόμβοι sicut guttæ sanguinis, sudor enim aqueus erat sanguine mistus. De dolore Christi dictum est apud Matthæū. De sanguineo sudore quæri solet. Ac primo quidem constat magno in discrimine ac tormentis sudorem prorumpere. Deinde cum tenuis ac raræ texturæ corpus est, potest esse ille ardor & conatus animi luctantis, vt sanguinem cum sudore aqueo elicat, quemadmodū *Causa sanguinis sudati.*

sanguinem florum & herbarum per ignes euocant artifices, sic Christus in agonia vt noster vertit, vocabulo in Ecclesia satis noto, cuius vim Beza minuit, cum vertit angore, plus est agonia quã angor, hic est enim animi timentis & pressi angustia, ἀγωνία & illũ significat, & luctam, qua contra nititur; nam ἀγωνία magis ad certamen & prælium, quam timorem pertinet. Est autem proprie animi æstuatio, qua percelluntur, qui in certamen descendunt, quod tamen periculum sponte suscipiunt, vt plurimùm.

Lectio Græca. §. 2. Hieron. l. 2. contra Pelag. & Hil. l. 10. de Trinit. testantur hanc partem è multis Græcorum libris delectam, quod vellent Christo tantam tribuere infirmitatem. Quibus optime respondet à Nazianz. μὴ διὰ τοῦτο ἄτιμος ὅτι διά σε πεπτωκώς: *An idcirco inhonoratus erit, qui propter te abiectus?* Athanas. l. 6. ad Theoph. anathema dicit illis qui sudorem sanguineum Christo negant. Epiph. in Ancorato. Aug. l. 3. de consensu Euang. c. 4. legunt & approbant. Hilarius ob codicũ varietatem dubitauit. l. 10. de Trin. *Sed quia hanc*, ait, *nescita diei professionem, non ignorationis esse infirmitatem, sed tacendi dispensationis docuimus: expurganda etiam nunc est omnis impiæ assertionis occasio, & omnes hæreticæ blasphemiæ transcurrendæ sunt prædicationes, vt veritas Euangelij per ea ipsa quibus obscurari videbatur, eluceat. Volunt enim plerique eorum ex passionis metu & ex infirmitate patiendi, non in natura eum impassibilis Dei fuisse: vt qui timuit & doluit, non fuerit vel in ea potestatis securitate quæ non timet, vel in ea spiritus incorruptione quæ non dolet: Sed inferioris à Deo patre naturæ, & humanæ passionis trepidauerit metu, & ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem. Atque hac impietatis suæ assertione nituntur, quia scriptum sit: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et rursum: Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Sed & illud: Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? Hoc quoque adjiciunt: Pater commendo in manus tuas Spiritum meum. Has enim omnes piæ fidei nostræ professiones ad impietatis suæ rapiunt vsurpationem. Vt timuerit, qui tristis est, qui & transferri à se calicem deprecatus sit: vt doluerit qui derelictum se à Deo in passione conquestus sit: vt infirmus quoq; fuerit, qui spiritum suum patri commendauerit. Nec anxietas admittat similitudinem exæquatæ ad Deum vnigeniti natiuitate naturæ quæ infirmitatem diuersitatemque suam & deprecatione calicis, & desolationis querela, & commendationis confessione testetur. Ac primum antequam ex his ipsis dictis demonstremus, nec metuendi de se in eum infirmitatem incidisse aliquam, nec dolendi: quærendum est quidnam videatur timere potuisse, vt in eum formido intolerandi doloris vel terroris inciderit: & puto non alia hic ad timendum quam passionis & mortis causa prætenditur. Et interrogo eos qui hoc ita existimant, an ratione sublistat, vt mori timuerit: qui omnem ab Apostolis terrorem mortis propellens, ad gloriam eos sit martyrij adhortatus, dicens: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus: & qui inuenit animam suam, perdet eam: & qui perdiderit eam propter me, inueniet illam. Cum enim pro eo mori, vita sit: quid ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est, qui pro se morientibus vitam rependat? Et cum non timendos esse qui corpus occiderent, monet, ipsum illum mors à timore passionis corporalis exeruit? Tum denique quem dolorem mortis timeret, potestatis suæ libertate moriturus? Humano enim generi vitæ mortem aut vitæ exterior, id est, febrium, vulnerũ, casus, ruinæ, degrassata in corpus accelerat, aut ipsa naturæ corporis nostri senio in eam ipsam mortem victa concedit, vnigenitus autem Deus ita potestatem habens ponendæ animæ, vt resumendæ ad peragendum in se mortis sacramentum cum poto aceto consummasse se omne humanarum passionum opus testatus esset, inclinato capite tradidit spiritum. Si hoc naturæ hominis ius relictum est, vt per se exhalans spiritum requiescat in mortem, & non dissoluto corpore labefactata anima decedat, vel abruptis aut perfossis aut collisis membris spiritus tanquam in sede sua violatus erumpat aut effluat: incidat in Dominum vitæ mortis metus, si quod emisso spiritu mortuus est, non libertatis suæ ad moriendum vsus est potestate. Quod si ex se mortuus est, & per se spiritum reddidit: non est terror mortis in potestate moriendi. Sed fortè humanæ ignorantiæ timiditate hanc ipsam suam moriendi in se timuit potestatem, vt licet ab se moriturus tamen hoc ipsum quod moriturus esset, timuerit. Et si sorte erunt, qui ita existimabunt, constituat cui rei existiment mortẽ fuisse terribilẽ. spiritui an corpori: corpori, anne ignorãt quod sancto corruptionem non visuro, intra triduum corporis sui templum esset suscitaturus? Si vero spiritui mors terribilis est: Lazarum in Abrahæ sinibus lætante, infernum chaos Christus timeret? Hæc stulta atque ridicula sunt, vt in potestate ponendæ animæ ac resumendæ mori timeret, ad Sacramentum vitæ humanæ sub voluntatis suæ libertate moriturus. Non est in voluntate morientis mors, & in potestate non diu in morte manendi timor mortis: quia & voluntas moriendi, & potestas reuiuiscendi, extra naturam timoris est, dum timeri mors non potest, & in voluntate moriendi, & in potestate viuendi. Sed forte pendulis in cruce corporis pœnæ, & colligantium funium violenta vincula & adactorum clauorum cruda vulnera sunt timori. Et videamus cuius corporis homo Christus sit, vt in suspensam & nodatam & transfossam carnem dolor inuaserit. Ea enim natura corporum est, vt ex consortio animæ in sensum quendam animæ sentientis animata, non sit hebes inanimisque materies: sed & attacta sentiat, & compuncta doleat, & algens rideat, & confota gaudeat, & inedia tabescat, & pinguescat cibo. Ex quodam enim obtinentis se penetrantisque animæ transcursu, secundum ea in quibus erit, aut oblectatur, aut læditur. Cum igitur compuncta aut effossa corpora dolent, sensum doloris transfusæ in ea animæ sensus admittit. Denique vulnus corporis vsque ad os dolet, & digiti excedentium ex carne vnguium præsegmina nesciunt. Et si quando accidente vitio pars aliqua corrupta membrorum, sensum vitæ carnis amiserit: ea cum vel desecabitur, vel vretur, dolorem quisquis esse potuisset, non manente in ea animæ permixtione, non sentiat. At cum grauis necessitas recidendi corporis manet, medicato potu consopitur vigor animæ, & in emortuam sensus sui oblitionem mens succis violentioribus occupata conficitur. Actum doloris nescia membra cæduntur, & omnem alti vulneris plagam sensus carnis emortuus, sensu animæ in serpentis cuadat. Affert itaq; dolorem per animæ infirmis admixtionem, in infirmum sensum suum corpus animatum.

Hilarij dubitatio.

Christus mori non timuit.

§. 2. Hinc etiam blasphemiæ occasionem Calumniani arripuerũt. Christum scilicet, desperasse, pœnas inferorum sustinuisse. Alioqui multos martyres eo fortiores futuros fuisse, qui sanguinem non sudarint. *Calumnia blasphemia.*

Hac de quæstione apud Matthæum dixi. Nunc vnicum obseruandum est; Christum consolationis præsidijs, quibus alios martyres Deus contra tormenta firmauit, seipse destituisse, ne animum quidem à perpetua cruciatuum meditatione abduxisse, idcirco naturam fortiter pugnantem hoc luctæ suæ indicium dedisse. Denique omnia singulatim studio considerasse, quæ mœrorem augerent. Quocunque & Deus cum natura sibi relicta esset; Angelum externa specie, quasi ad hominem purum, viatorem, afflictum misit, non enim interna consolatione eum animare voluit, verum id ostendere humanitatis hoc esse certamen, non concurrere visionem beatificam, & gaudia ex illa manantia ad cruciatus mitigandos, aut dolores.

CAPVT

CAPVT XXIII.

ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. 2. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. 3. Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es rex Iudæorum? At ille respondens ait: Tu dicis. 4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine. 5. At illi invalescebant, dicentes: Commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. 6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. 7. Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus. 8. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. 9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. 10. Stabant autem principes sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum. 11. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. 12. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem. 13. Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, 14. dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. 15. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. 16. Emendatum ergo illum dimittam. 17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum. 18. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. 19. Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem. 20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere, IESVM. 21. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. 22. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inueni in eo, corripiam ergo illum, & dimittam. 23. At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur: & invalescebant voces eorum. 24. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. 25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant, Iesum vero tradidit voluntati eorum. 26. Et cum duceret eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. 27. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum. 28. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. 29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. 30. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos. 31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? 32. Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. 33. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris. 34. IESVS autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes vero vestimenta eius, miserunt sortes. 35. Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. 36. Illudebant autem ei & milites, accedentes, & acetum offerentes ei. 37. Et dicentes: Si tues rex Iudæorum, saluum te fac. 38. Erat autem & superscriptio scripta super eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est rex Iudæorum. 39. Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es CHRISTVS saluum fac temetipsum, & nos. 40. Respondens autem alter increpabat eum, dicens. Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. 41. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. 42. Et dicebat ad IESVM: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. 43. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. 44. Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque ad horam nonam. 45. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est medium. 46. Et clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit. 47. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens. Vere hic homo iustus erat. 48. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. 49. Stabant autem omnes noti eius à longe: & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa hæc videntes. 50. Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus, & iustus: 51. Hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudæa, qui expectabat & ipse regnum DEI. 52. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus IESV: 53. Et depositum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento excisio, in quo nondum quisquam positus erat. 54. Et dies erat parasceues, & sabbathum illucescebat. 55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. 56. Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta: & sabbatho quidem siluerunt secundum mandatum.

IN CAPVT VIGESIMVM TERTIVM

ARGVMENTVM

HIstoriam passionis complectitur à matutino tempore, quo Dominum tradiderunt Pilato, vsque ad sepulturam eius. Lucæ peculiaria sunt; missio ad Herodem, ibique facta ac-

cusatio & illusio: à versu 5. vsque ad 16. Deinde planctus mulierum, & Christi de exilio Iudæorum Propheria, à versu 27. vsque 33. Tertio latronis conuersionem, pœnitentiam; & Christi de eius salute promissionem pluribus à Lucâ recenseri. Quarto turbæ spectantis pœnitentiâ, v. 48. Cœtera alij Euangelistæ habent, atque in illis exposita sunt.

VERSVS 4.

Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas Nihil inuenio causæ in hoc homine.

QVAESTIO I.

Quid sit causa?

§. 1. CAusam Erasmus vertere maluit Noxam. *cum noxa sit pœna potius, quam culpa.* Beza noxam vertit; nam differentiam quam adfert Erasmus, ait *infinitis idoneorum* scriptorum testimonijs refutari. Mihi vterque videtur à nostro recessisse interprete: nam αἴτιον quod est in Græco noster causam vertit; vtrumque æque generale est. Nec verum est latine causam sine adiuncto non significare id, quod ad rem præsentem attinet. Nam Pilatus asserit nullam se inuenire causam, cur puniri Christus debeat. Idem significatur Syro vocabulo עלתא *Chelletha*, quod causam & occasionem significat. Pilatus enim non modo crimen in Christo nullum agnoscit, sed ne vllam quidem accusationis aut traditionis occasionem. Itaque non oportet verba Spiritus sancti pro nostro ingenio, aut nouitatis amore restringere. Quod illis auctoribus nimium frequenter vsu venit. Quod si absque contentione, verum quærimus: dicet id vers. 22. οὐδὲν αἴτιον θανάτου εὗρον ἐν αὐτῷ. *Nullam causam mortis*, nugantur, qui crimen mortis vertunt, & nedum in scirpo quærunt.

αἴτιον causa, culpa.

Sine causa

VERSVS 5.

At illi inualescebant, dicentes: Commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc.

QVAESTIO I.

Cur Galilæum nominant?

Galilæum odiose vocant.

§. 1. GAlilæum inuidiose nominant, & maligne, tum vt causam Christi odiosam redderent, tum ne Pilatum accusare viderentur. Neque dubito eos pluribus verbis vsos; Christum Galilæum esse, ibi omnia turbasse, ex secta Iudæ Galilæi seditiosi exortum, moliri rebellionem. Insuper Pilato sciebant exosos Galilæos, vt quorum sanguinem miscuit sacrificijs. Denique inter Herodem & Pilatum inimicitias intercedere non ignorabant. His igitur argumentis diserti accusatores iudicem ad iracundiam prouocare studebant. Ne illi socordiam in Repub. administranda, & tumultibus cauendis obijcere viderentur, etiam à Galilæa incepisse iactant, ibi vt plurimum fuisse, tandem per Iudæam venisse in vrbem principem vsque, vbi sedes Pilati erat. Nec mirum si eius molitiones serius ad aures Pilati peruenerint, cum in Herodis territorio maxime turbas concitarit, & nunc ingressus metropolim ipsam, maxime periculosam seditionem in oculis præsidis sit moturus.

§. 2. Nec tamen his permotus est Pilatus, quo minus iudicium à se reijcere cogitaret: cum enim sciret per inuidiam accusari Dominum, maluit infame iudicium delegare Herodi Antipæ, iam Baptistæ sanguine contaminato, quam ipse facere, cum tamen insontem absoluere, & tutari oportuisset. Herodes vero cum Iudæis festum Hierosolymis agebat, cærimoniarum cultor, legis naturalis violator.

VERSVS 8.

Herodes autem viso Iesu gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.

QVAESTIO I.

Quid Herodes cum Iesu egerit?

§. 1. VIso Iesu gauisus est valde. Duæ gaudij causæ: nam à multo tempore eum videre cupiebat; & signum sperabat ab eo fieri. Non negligendū est, quod Euangelista ait videre voluisse, & tamen constat, non vidisse. Alij Herodis socordiam non immerito accusant, qua factum est, vt Prophetam tot miraculis, operibus notissimum in primarijs Tetrarchiæ ciuitatibus prædicantem, non adierit, non vocauerit, præsertim cum Baptistam familiariter & crebro audierit, & multa eo audito fecerit, nec dubium est, quin Baptistam de Messia & Rex interrogauerit, & ille responderit.

Cur Herodes Dominum non viderit.

Cum ergo vehementer videre cuperet, & videre potuerit, non modo in Galilæa, sed etiam præcedentibus festis in vrbe Ierosolymitana, mirum videri debet, cur non viderit: idque eo magis, quod Baptistam suspicarentur plurimi. Itaque vix mihi videtur hoc socordiæ, & brutо illius stupori tribuendum, sed Herodem & matrem & filiam omni studio, & muliebribus illecebris, adulterum à videndo Christo auertisse, ne Christi monitu flexus domo adulteram ejiceret. Sciebant enim impiæ mulieres, Publicanos, meretrices, omnes peccatores, inter hos Magdalenam, Matthæum, Zachæum vitijs relictis à Christo conuersos. Non poterant id ignorare, cum Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis in Christi contubernio viueret, eumque de suis aleret facultatibus. Fœminæ itaque quibus miserum in modum Herodes erat obnoxius, occasiones præueniendo, impediendoque & blandiendo effecerunt, ne Dominum Herodes videret.

§. 2. Theophyl. *Romanorum legem sequens Pilatus, mittit Dominum ad Herodem. Illa enim cauet vt vnusquisque à principe suæ religionis iudicetur, ideo & tanquam Galilæum Iesum mittit principi Galilææ.* Non id sic intelligendum, quasi cognitio ad Pilatum non pertineret: nam de delictis in sua prouincia factis præsides cognoscebant, alioqui Iudæi non apud Pilatum, sed apud Herodem accusassent.

Pilatus videtur posuisse hoc iudicium ad non pungendum.

§. 3. Alte-

§. 3. Altera gaudii causa, spes miraculi in præsens edendi nulla animi sinceritate, vel pœnitentia, sed profana curiositate, vt se quasi præstigiis, & rebus admirandis oblectaret.

Herodis gaudium sic exponit Theophylactus. *Herodes autem gaudebat, non vt animæ suæ vtile quid lucraretur ex spectaculo Iesu: sed quia audierat de eo quod sapiens esset, & mira operaretur: habuit stultum desiderium laborans curiositatis morbo etiam ipse, vt videret alienum hominem, & audiret quid ille diceret. An non etiam hodie multi morbo illo laborant? Desiderabat enim & ipse signum quoddam videre à Iesu, non vt crederet, sed vt oculos oblectaret: sicut in spectaculis videmus præstigiatores apparere, qui deuorant serpentes & gladios, ac similia. Talem enim fermè Iesum esse putabat.*

§. 4. Ambros. *Herode cupiente aliqua Christi miracula videre ipse tacuit, & nihil fecit: quia nec illius crudelitas merebatur videre diuina, & Dominus iactantiam declinabat. Et fortasse in Herode omnes impij Typicè significantur, qui si legi non crediderint & Prophetis, mirabilia Christi opera in Euangelio quoque videre non possunt. Et indutum veste alba. Non etiam quod veste alba induitur ab Herode, immaculatæ tribuens indicia passionis, quod agnus Dei sine macula peccata mundi susciperet.*

Remisit ad Pilatum. Ad Herodem mittitur, ad Pilatum remittitur. Et si vterque reum non pronuntiant, alienæ tamen crudelitatis studiis obsequuntur.

In Herodis & Pilati amicitia mysterium Ambrosius agnoscit. *In typo etiam Herodis atque Pilati, qui amici ex inimicis per Iesum Christum facti sunt, plebis Israel & populi gentilis figura seruatur, quod per Domini passionem vtriusque sit futura concordia, ita tamen vt prius populus nationum capiat Dei verbum, & ad Populum Iudæorum fidei suæ deuotionem transmittat, vt illi quoque gloria maiestatis suæ corpus vestiant Christi, quem ante despexerant.*

Theudas seu Theodas recens seditionem mouerat, tanto magis putabat Pilato insistendum, vt tranquillitati publicæ prospiceret.

§. 5. Pilati in Christo ad Herodem mittendo aperta iniquitas fuit: Ipse enim reum innocentem populi & principum furore ad necem petitum tutari, & defendere, non Iudæo & Tyranno tradere debuit.

§. 6. Spreuit cum exercitu, & illusit, ἐμπαίξας. Græcè habetur ἐξουθενήσας, &c. καὶ ἐμπαίξας, περιβαλὼν αὐτὸν ἐσθῆτα λαμπράν. *Vilipendens & illudens albâ veste remisit.* Primo contemnit, quod nihil in eo fama dignum cõspiceret, quod contemni se silentio contumaci, & fatuo arbitraretur; itaque conuitiis risu, sibilis, forte etiam lapis exceptus est. Deniq; alba veste indutus est. Græcus vocat λαμπρὰν splendidam. Hinc nonnulli purpuream fuisse arbitrantur, & supra docui c. 16. 19. Etiam albam purpuram esse. Syrus sane hoc loco vocat זהוריתא *zehuritha*, quod coccineam significat, ita enim vsurpatur Matth. 27. 28. quamuis posset fortè quispiam non immerito suspicari Syriace initio scriptum esse זהוריתא zehuritha per ה non ת. hoc est enim splendidum, seu λαμπρὸν. Vide de זהר Proverb. 4. 11. 9. & 50.

§. 7. Cum exercitu suo spreuit illum σὺν τοῖς στρατεύμασιν, cum copiis suis: Nobiles & satellites intelligit Beza, quod exercituum nomen videtur nimium militare. At non est ita visum spiritui sancto. στράτευμα magis est militare, quam exercitus. Herodem sine armatis Hierosolymis fuisse nemo crediderit, nec eum Pilatus metuit, vt obnoxium, & Cæsaris mancipium.

§. 8. Accusant eum constanter Phatisæi, & Scribæ. ἐυτόνως, *intentè* quasi omnibus, validisque neruis. est enim εὐτονία vehemens & actuosa contentio, quæ non facile remittitur.

Pertinaciam firmabat metus, ne scilicet coram Herode se tueretur, ne miracula faceret, quorum occasio in tam numerosa aula deesse non poterat: atque ab Herode absolueretur, & in Galilæam remitteretur: norant enim Herodem non nisi dominationis causa simulare religionem. Hinc sine causa rerum suarum interitum metuebant, si Christus Tetrarchæ, & Romanorum subnixus præsidio; verbo & operibus potens, docere pergeret. Maximam igitur sollicitudinem iniecit, ne Herodem sibi conciliaret, multos enim ex eius aula conuerterat, & iam Chuza eius procurator fidelis erat. Quin etiam actorum 13. 1. Manachen Herodis Tetrarchæ collactaneus dicitur. Quod si vel plures ex familiaribus, vel ipse etiam princeps fidem suscepisset, de Iudaismo conclamatum fore iudicabant, cum iam ante, vt ipsi fatentur, totus mundus curreret post eum. Et rabant tamen: non enim religionem Christianam, & professionem humilitatis splendore regum, sed ignominia crucis commendari Deus voluit, nec in regum potentia, sed illis, quæ infirma sunt mundi, Ecclesiam fundare decreuit, vt virtute Dei, non hominum armis custodiretur: alioqui non manus omnipotentis, sed brachium carnis esset eius præsidium. *Cur accusant apud Herodem.*

§. 9. Interrogat eum multis sermonibus: sermones eos captiosos arrogantiæ, curiositatisque plenos fuisse, impii regis docet ambitio, & quod eos Dominus nullo responso vnquam dignatus sit. ita Titus aliique docent. Tanquam enim histrionem quempiam in theatro spectare gestiebat.

§. 10. *Nam remisi nos ad illum.* Græca lectio variat. ἀνέπεμψα γὰρ ὑμᾶς πρὸς αὐτὸν, & ἀνέπεμψε γὰρ αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς, *& remisit illum ad nos.* Vterque sensus eodem spectat. Latini codices priorem habent, quemadmodum & Syrus.

Marcion apud Epiphan. refut. 69. quædam addit. *Apposuit post hoc, Hunc deprehendimus peruertentem gentem: & destruentem legem ac prophetas.* Cui respondit Epiphanius, & refutat.

§. 11. Ad Herodem missus est, vt prophetiæ complerentur, vt Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 42. *Nam & Herodi velut munus à Pilato missus, Osææ vocibus fidem reddidit; de Christo enim prophetauerat: & vinctum eum ducent Xenium Regi. Delectatus est denique Herodes viso Iesu, nec vocem vllam ab eo audiuit. Tanquam agnus enim coram tondente, sic non aperuit os suum; quia Dominus dederat illi linguam disciplinæ, vt sciret quomodo eum oporteret proferre sermonem. Illam scilicet linguam, quam in Psalmo adglutinatam gutturi suo tunc probabat, non loquendo.*

§. 12. Purpurea & candida vestis, affectati stultè regni erat exprobratio. Hoc enim iudicare Herodes, hominem esse stolidum, non maleficum, aut turbulentum. Quemadmodum enim milites purpuram illi iniecerunt, coronam spineam, sceptrumque dederũt, ita quoque Herodes, qui exemplo præiuit; videntur enim milites ex accusationis argumento & facto Herodis ansam crudelissimi ludibrii arripuisse. Tert. de patientia cap. 3. abiecta vestimenta arbitratur, *fœdis vestitur, fœdioribus coronatur.*

Vestis ergo splendida fuit, seu λαμπρὰ, sed vetusta & lacera, qua rideretur, non ornaretur. Albam verò vestem fuisse, quam λαμπρὰν vocat, non dubito. Nam Regibus vsitata, atque adeo felicibus erat, & magistratibus erat; est enim Magistratus *Alba vestis.*

Albus in officijs.

Quin & Deorum erat color albus: vitio datum est Camillo, quod albis equis, quasi Deorum æmulus triumpharet. Deorum filios albos appellari refert Plutarchus ex Platone, & Cæsar iam cœli incola Virgilio,

Candidum insuetum miratur lumen Olympi.

Sic Homeri θεοὶ vocantur ἐναργεῖς, *apparentes* seu nitentes, quod ille epitheton tribuere etiam soli & lunæ solet.

De candidatis Romanorum nimium iam constat. Quin & festis diebus, & conuiuiis candidiores erant. Seneca de vita beata, cap. 25. diutibus tribuit. Quid ergo est? *Malo, quid mihi animi sit ostendere, prætextatus, ac candidatus, quam nudis scapulis, ac fœtentibus.* Sunt autem alba quædam candentia, & suo modo fulgentia, candor est enim lucis portio. Vide Scaligerum exer. 142. contra Cardanum. Herodes igitur Christum seu Regem, seu Dei filium per irrisionem candore vestis notabat. Quod si quis contendat purpuream fuisse, Latinum interpretem sic intelligat necesse est, vt alia veterum.

Alba pur-pura.

Lumenque iuuentæ purpureum.
Cygnos purpureos olores,
Brachia purpureâ candidiora niue.
Purpurea, sub niue terra latet.

Vers. 32. Notanda locutio. Ducebantur & alii duo malefici, non inde concludemus Christum malefi-cum esse.

VERSVS 27.

Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum.

QVÆSTIO I.

Qui lamentati?

Mulieres plangunt.

§. 1. MVlta turba populi sequebantur, & mulierum quæ plangebant, & lamentabantur. Populus lamentatus non videtur, nisi pauci admodum; nam ad pœnam populus cum poposcit, & virorum planctus sine periculo non erat, quasi contra Magistratum, & Rempublicam vota conciperent, mulierum absque censurâ erant lachrymæ. Mulieres solas planxisse consolatoris ostendit humanitas, cum dicit; *filiæ Ierusalem, nolite flere.* Viros tamen aliquos fleuisse constat; quia stabant *noti eius à longe.*

Plangere est κόπτειν, quod verberatione & complosione manuum peragitur. Lamentari vocis est, & oculorum.

VERSVS 28.

Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

QVÆSTIO I.

An Christus flere vetuerit?

§. 1. DVbium non est, quin gratæ fuerint Christo lacrymæ, quæ sincere amantium, & de iniusta cæde dolentium erant. Signa erant fidei, & amoris, quibus & Christi innocentiam, & Principum suorum crudelitatem detestabantur. Non igitur fletum mulierum prohibebat tanquam malum, sed maiorem causam lugendi illis aperit, nempe vt seipsos, & filios defleant, qui iam ipsis extra periculum esse videbantur. Plus mali ex morte innocentis ad auctores, quam ad occisum redundat.

§. 2. Non igitur recte sentiunt, qui mortẽ Christi luctu decorari negant. Theophylactus increpitas putat: *Mulieres quidem hominum genus est facile lachrymans & plorans, quasi graue quiddam accidisset & Domino, plorant, compassionem præ se ferentes magnam, & iniustitiam lamentantes. At ille non approbat, sed magis increpat illas.* Mulieres vehementer flere possunt *Voluntariò enim patiebatur. Non decet autem lamentari eum,* Theophyl. *qui sponte & pro salute omnium patitur: sed congruum est vt laudetur ille magis laudibus efferatur & celebretur: per crucem enim & mors destructa est, & infernus captiuus factus. Lamentatio-nem his qui sponte patiuntur, nullam consolationem afferent. Proinde Dominus illas quæ ipsum lugebant, increpat. Admonet autem vt ad futura mala respiciant, & propter illa plorent, quando mulieres coctura sunt filios suos propter immisericordiam. Et venter qui portauit: ille enim iterum miserabiliter fructum suum recipiet. Si enim in me talia fecerunt Romani in me ligno humido, feraci & semper virenti, & semper vitali propter Deitatem, & per doctrinas fructuum meorum ferente omnes: in vobis, populo inquam, arido ligno, sterili ab omni vitificæ iustitiæ, & nullum fructum afferente, quid non facient? Si enim quandam vitalem operationem boni haberetis, fortassis digni essetis quibus quodammodo parceretur: nunc autem quasi lignum aridum in combustionem & corruptionem eritis.*

§. 3. Non tamen idcirco lachrymandum est, quasi Dominus imbecillitate, & dura necessitate victus tam dira patiatur, aut passus sit: Verum aliæ causæ fle-tuum sunt. Prima quod nostra cum peccata ad tam horrenda supplicia adduxerint. Deinde ipsa gratitudo exigit, vt cum dolente doleamus. Tertio, Humanæ naturæ societas, & mutua caritas omnibus qui ἀνεμώδεις, hoc est; beluinæ feritatis non sunt, lachrymas excutit, cum exquisita aliorum supplicia spectare coguntur, aut meditantur, quamuis illi fortissimo & lætissimo illa animo perferant: Quis enim adeo durus est, vt martyrum supplicio non illachrymetur, si illa spectet, quamuis illi sponte omnia patiantur? Nam vno verbo, negato Christo, & culto idolo, omnia effugere potuerunt.

Causæ fle-tuum.

VERSVS 29.

Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent. Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt & vbera quæ non lactauerunt.

QVÆSTIO I.

Quæ mala & quando futura prædicit?

Malorum.

§. 1. MAgnitudinem calamitatis ab effectu declarat, fore tantam scilicet, vt steriles beatæ sint iudicandæ, quod in miseriam, famem, cædem, liberos non genuerint, quod in opprobrium fœcunditas non fuerint, sed propria clade contentæ filiorum mortibus non crucientur, alioqui sterilitas opprobriosa fuit in gente Iudæorum & mulierum decus liberorum multitudine æstimabatur; nunc omnino fœcunditas calamitosa futura est.

§. 2. Mala autem denuntiat, in Ierosolymorum vastatione euentura, & quæ consecuta sunt, post impiorum damnationem, æterna. Magnopere timenda esse ex eo demonstrat, quod *dicunt montibus, cadite super nos, & collibus operite nos.* Malunt enim cita morte defungi, quam diuturnis cruciatibus confici, atque ita animas reddere intormentis. Mulieres quidem illæ excusationes erant; non enim in Christi mortem consenserunt, calamitatum tamen participes fuerunt, vt ipsæ, & filii eorum, ipsæ ideo dignæ fletu, quod tales posteros essent habituræ, qui eodem in Christum & Christianos odio sibi malum accerserent. De hisce vide, quæ apud Matthæum dicta sunt.

VERSVS

VERSVS 31.

Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

QVÆSTIO I.

Quod lignum viride & aridum?

§. 1. GRæcus appellat ὑγρὸν, humidum & succi plenum est; quod frondescit, germinat, & fructuosum est: quod proinde magna cura, fossione, stercoratione, putatione colitur. Aridum verò quod abscinditur, atque in ignem proiicitur. Si igitur in Christum innocentem tanta sæuitia vtuntur, quid facturus est Deus, vt Christum vlciscatur?

Lignum aridum parœmia Hebræa de re sterili atque inutili dicitur: quia vero homines improbi, & infructuosi sunt, & noxii, idcirco ligno arido comparantur, vt iustus ligno quod plantatum est secus decursus aquarum, Psal. 1. S. Hilarius in Psal. 1. per humidi ligni exemplum *nihil ariditati mortis in se obnoxium significans.* de illo ante ex Theophylacto.

VERSVS 40.

Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es.

QVÆSTIO I.

Quomodo latro pœnitentiam egerit?

§. 1. FIdem habuit, credidit enim cum Christum cruci affixum videret, esse tamen eum Redemptorem mundi, regem alterius vitæ, Messiam.

§. 2. Fidem suam professus est. Nempe Deum timendum; iure se pati crucem, Christum innocentem esse, regem esse, se ab eo posse saluari. Nihil inquit malie gerit οὐδὲν ἄτοπον. Itaque ex cruce, aduocatum Christi egit, cum eum omnes deseruerunt.

§. 3. Sperauit etiam à Christo salutem; ideo enim orat, vt meminerit cum venerit in regnum suum: spes enim orationis fundamentum est.

§. 4. Hæc præstitit, cum maxime tempus alienum videretur, cum nutarent Apostoli, Petrus negasset. Magna itaque consolatione fideles astantes, & lugentes affecit, cum Latronem confitentem, Pharisæos damnantem, & Christum illi paradisi gaudia promittentem audirent.

§. 5. Caritatem etiam demonstrauit, dum Christi innocentis dolore mouetur, dum socium sincera dilectione reprehendit, & ad timorem Dei adhortatur, quasi admiratus, eum cum iam præ foribus æternæ pœnæ essent, præsentes vrgerent non timeri ab eo Deum. Mortis enim propinquæ formidine etiam obduratorum conscientiæ solent percelli; sed hic quoque cõtra omnia pertinax blasphemabat. Aretius Latronem in gratiam Pharisæorum Christo insultasse. At non est verisimile, hominem impium in cruce pendentem hostibus suis adulatum, à quibus nihil sperabat.

§. 6. Insignis etiam patientia in tormentis elucet. Non blasphemat, non queritur, sed digna factis recipere se testatur, neque liberationem à tormentis postulat, sed vt meminerit, cum venisset in regnum suum. Quod si eorum fides laudata est, qui à cœcitate, à lepra aliisque infirmitatibus sanitatem à Christo libero & miracula faciente rogabant, quanta hic Fides, Spes, Caritas, Patientia à Christo morituro, non mitigationem summi supplicii, aut celerem à cruciatu, & ludibriis subtractionem petere, sed memoriam sui, cum esset in regno. Æterna igitur non temporalia bona petebat, & quidem in tantis positus malis. *Patientia latronis.*

Itaque mirandus est Hæreticorum stupor, crebro interrogantium, quid boni Latro fecerit; quomodo se disposuerit ad iustitiam, quomodo peruenerit ad salutem? Cum fides eius timor, spes, caritas proximi, preces, defensio Christi, professio fidei, patientia tanta nobis documento sint, qua via ad paradisum veniatur. Magnum mihi atque admirabile iterum videtur heroicæ virtutis opus. Hominem in atrocissimis constitutum tormentis, habentem præsens à Christo auxilium, credentem in redemptorem, non postulare, vel supplicii mitigationem, vel mortis accelerationem. Imo postquam promissus est illi eadem die, ingressus in paradisum, nihil tamen de pœna temporali remissum est, nec hoc ille petiit; sed alios insuper crurifragii cruciatus, quos præuidebat, patienter exspectauit. Totum igitur hoc supplicium voluntarium fuit, in cumulum pœnitentiæ, & caritatis ardorem magis magisque accendendum, atq; adeo ad iustitiæ augmentum. Nec dubitandum est, quod reliquum temporis fuit, in attentissima diuinarum rerum meditatione, & caritate consumptum fuisse. *Bona opera latronis.* *Deuotio latronis.*

De promissione Christi videatur Augustinus Ep. 57. cap. 2. & 3. ad Dardanum, de Genes. ad literam lib. 12. cap. 34. contra Felicem Arianum cap. 15. contra Cresconium Gramm. lib. 2. cap. 9. Tract. 111. in Ioan. Et Paradiso, Bellarmi. lib. de gratia primi hominis, & ego in defensione eius contra Parei calumnias.

VERSVS 48.

Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.

QVÆSTIO I.

An turba illa vere pœnitentiam egerit?

§. 1. PErcussio pectoris consilii, & peccati latentis erat detestatio: Duæ esse causæ poterant; Timor, deinde amor. Timorem incutiebat Solis deliquium, Terræmotus, vox morientis valida: itaque præsentem numinis vindictam metuebant, innocui sanguinis vltricem. Timorem amor in animis plurimorum sequebatur: cum enim plurimi zelo legis & à Phatisæis decepti Christo præsenti insultauerint, non dubium eos idem iudicasse quod Centurio; esse filium Dei, esse iustum. In illis itaque verissima fuit, & cum vera caritate Pœnitentia.

* *
*

CAPVT

CAPVT XXIV.

VNA autem Sabbathi valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant, aromata, 2. Et inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. 3. Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini IESV. 4. Et factum est, cum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 5. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas. Quid quæritis viuentem cum mortuis? 6. Non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, 7. dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. 8. Et recordatæ sunt verborum eius. 9. Et regressæ à monumento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. 10. Erant autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, qui dicebant ad Apostolos hæc. 11. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum verba ista: & non crediderunt illis. 12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abijt secum mirans quod factum fuerat. 13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus. 14. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant. 16. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse IESVS appropinquans ibat cum illis. 16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. 17. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? 18. Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? 19. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De IESV Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, & sermone DEO, omni populo: 20. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. 21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. 22. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum. 23. Et, non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. 24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non inuenerunt. 25. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! 26. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? 27. Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. 28. Et appropinquauerunt castello quo ibant: & ipse se finxit longius ire. 29. Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies Et intrauit cum illis: 30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. 31. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum. 32. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? 33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant 34. Dicentes: Quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. 35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. 36. Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. 37. Conturbati vero, & conterriti, existimabant se spiritum videre. 38. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? 39. Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. 40. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes. 41. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? 42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. 44. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me 45. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas: 46. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: 47. Et prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Ierosolyma. 48. Vos autem testes estis horum. 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto. 50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus suis benedixit eis. 51. Et factum est: dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. 52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno: 53. Et erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum, Amen.

IN CAPVT VIGINTVMQVARTVM

ARGVMENTVM.

RESVRRECTIONIS & quarundam apparitionum historiam continet; sed pluribus narrat eam quæ contigit duobus discipulis euntibus in Emaus, quæ Lucæ solius est, cætera apud Matthæum sunt exposita. à versu 36. apud Syros legitur die ascensionis.

VERSVS

VERSVS 13.

Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab Ierusalem nomine Emaus.

QVÆSTIO I.

Qui duo discipuli?

§. 1. PRobabile est esse duos illos qui Marc. 16. 12. dicuntur iuisse in villam. Negauit tamen hoc Euthymius. Ratio est non contemnenda, hi duo inueniunt discipulos vndecim, & eos qui cum eis erant, dicentes, *Surrexit Dominus vere & apparuit Simoni* v. 34. At vero duobus illis qui apud Marcum 16. 17. non crediderunt. Maldonatus respondet, alios credidisse, alios dubitasse, ideo figurate vnum dicere credidisse, alium non credidisse.

Cleophan Hieronymus Emauntinum ciuem fuisse putat, de locis Hebraicis, quod inuitent, imo cogant, eum ad hospitium. Ambrosius vocat Amaus, alii putant Lucam ipsum fuisse: sed hoc falsum esse ostendi in prolegomenis in Lucam. Epiphanius contra Saturnianos Nathanaelem fuisse putat, quod eadem ratione refellitur, Emaus nobilis ciuitas fuit à Varro ob milites Romanos ibi cæsos cremata. Ioseph. l. 17. antiq. cap. 12. Postea restaurata est, & Nicopolis dicta, vt Hieron. ad Eustoch. habet. De fonte eiusdem loci Sozom. l. 5. cap. 20. Iosephus calidas ibi aquas agnoscit l. 4. cap. 1. de bello Iudaico, easque corporibus sanandis idoneas. Plin. l. 1. cap. 14. pluribus fontibus irriguam fuisse ait. Iosephus vocat Ammaus, & interpretatur aquas calidas: alii interpretantur timens auxilium. alii matris consilium. alii gentis consilium. alii populus abiectus. in Syro nunc scribitur עמאוס *chamauas*. alii aliter legerunt, aut legi coniecerunt. Non est dubium quin Iosephus deriuaret חם *cham*, quod significat calidum, & מים *Maym* quod aquas, solet autem ח *cheth*, frequenter omitti, qui matris consilium legerunt אם *initio*, qui populum עם *cham* per ע. hanc lectionem probo, quia Syricum est, nec illam Iosephi, quia in hac re recentiorum coniecturis potior est illius, qui eo tempore vixit. Iosephus l. 7. de bello Iudaico, stadia triginta scribit, qua in re conspicuus error est.

QVÆSTIO II.

An peregrini specie apparuerit?

§. 1. CLeophas quodammodo eum reprehendit, quasi adeo sit peregrinus, vt non audierit de Christi morte. Cum res adeo magna, vulgataque fuerit. Iudæi habitu veniisse quidam negant, quod Christum commendare Iudæo præsente non auderent, parum tamen hoc firmum est. Plurimi enim Iudæorum de Christo optimè loquebantur, vt Iosephus & Nicodemus sepelierunt ipsum omni metu depositio,

§. 2. Loquebantur & disputabant de illis quæ acciderant, & de resurrectione Domini, sed tota difficultas ex eo nascebatur, quod nondum crederent. Ideo Euangelista dicit συζητεῖν *conquirere* ὁμιλεῖν Erasmus, *confabulabantur*, sed proprie est conuersari, hic vero colloqui: Variis enim modis se solabantur, nec tamen credebant, sed inter spem metumque versabantur. Ideoque tristes fuisse dicit Euangelista.

Beza tetrico vultu vertit, quod est σκυθρωποι, noster proprie causam respexit, non enim tam contractis supercilliis, & distorto vultu, quam mœstos fuisse significat.

Peregrinus παροικεῖς, quod est habitare, commorari, hospitem esse. de incola tamen etiam accipi potest.

Tertius dies est, in Græco est τρίτην, ταύτην ἡμέραν, ἄγει. noster videtur legisse ἡμέρας & ἐστί, quod etiam Syrus retinet.

VERSVS 16.

Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.

QVÆSTIO I.

Quomodo oculos eorum tenuerit ne agnosceretur?

§. 1. POtuit oculos tantummodo tenere, ne agnoscerent, vel aerem obtendendo, vel species immutando, aut ad propriam sui agnitionem non præbendo concursum, idque nulla in corpore Christi mutatione facta. Quod vero Marcus 16. 12. ait mutata effigie apparuisse, hoc ita intelligi potest, visum illis alia effigie, non quod vere mutarit corporis habitum, sed quod illis ita videretur. Alii contrario modo interpretantur, Effigiem vere mutatam, oculis discipulorum nihil obiectum, quo minus eam speciem quæ obstruebatur perfecte viderent. Aug. ep. 59. Beda. Theophyl. aliique. *Cognitio varie impediri potest.*

§. 2. Planius est, & veritati magis consentaneum, vtrumque factum. Marcus ait apparuisse alia effigie, quod nihil impedit, quo minus proprie intelligamus. Lucas ait, oculi eorum tenebantur: quod eodem modo proprie intelligendum est. Nec audiendi sunt, qui negant duo miracula facienda vbi vnum sufficit. Deum enim ad rationem nostram vocare non oportet: cui sua constat ratio: cur duo non vnum miraculum eodem tempore fecerit. Præsertim cum longius ambularit, explicarit non vnam, sed omnes scripturas quæ erant de ipso, cum aliquæ sufficientes fuerint, cum cor ardens efficeret, denique cognosci voluit in fractione panis, cum forma mutatâ, & oculis vigore reddito, potuerit agnosci. Nec difficile mihi videtur explicare, cur mistum miraculum efficere voluerit. Apparuit eâ formâ, qua ab oculis non impeditis cognosci facile potuerit, paulatim tamen mutata, vultu augustiore, qui tamen antiqua lineamenta teneret, vestitu alio, non multum dissimili consuetis. At oculos tenuit, ne similitudinem oris habitusque viderent, deinde aperuit, vt planissime perspicerent, esse Christum, mirarenturque id se ante non agnouisse. Hoc vero confirmandis trepidis idoneum fuit: nam nihil mutata formâ ab eâ, quâ in via prætulit, in hospitio agnitus fuit, solo oculorum intuitu redintegrato: si alia forma in via, alia in diuersorio apparuisset, maior suspicio fraudis subesse potuisset: Nec Christus vnquam ita apparuit, vt subito formam mutaret; nam cum specie Hortulani apparuit Magdalenæ, eam speciem retinuit, quamdiu cum ea loquebatur. Itaque sic miraculum temperauit, vt discipuli, in causa suam cæcitatem fuisse viderent, quod ante non cognouissent. *Aliâ effigie apparuit.*

§. 3. Quod vero eum alia forma apparuisse de vestitu interpretatur, & historiæ & textui repugnat. Textus appellat μορφὴν, quod de forma rei alicuius dicitur, nuquam de vestitu. Eodem modo Syrus habet apud Marcum 16. 12. בדמותא *badmutha*, in specie, similitudine.

§. 3. Historia etiam non conuenit; Nam cũ prope esset, & colloquerẽtur, non modo in vestib. sed vultu erant

erant nonnulla dissimilia; Nec Maria cum hortulanum peteret, solam vestem, sed etiam vultum aspexit.

Alia formâ apparuit.

Quod vero addit, aliam etiam formam posse dici, non qua ipse esset, sed qua appareret, id nostram causam adiuuat, & aduersariorum hæresin destruit. Sic enim Christus duobus discipulis apparuit alia forma, non vt nullam in eo formam viderent, sed vt veram non viderent. Erat igitur vera forma inuisibilis, aliam autem visibilem illis exhibuit, quod ad Eucharistiæ sacramentum explicandum accommodatum est. Si enim suam veram abscondere, aliam ostendere potuit, quis miretur inuisibilem eum se facere posse? Deinde alia ille forma circumposita propriæ, vel efficiebat, vt illa non videretur, quemadmodum si velo, aut nebula facies obueletur, vel mutatione prioris formæ est inducta. Si alia addita forma est, certe prior facta est inuisibilis, & qui ascisere aliam potuit, etiam suam potuit mutare, imo additione mutauit, si aliqua in forma mutatio fuit, id quod quærimus, concedunt.

§. 4. Beza hinc conficere conatur glorioſum corpus non esse inuisibile, nec Christum forma apparuisse diuersa. [Ex hoc autem loco, *inquit*, apparet, quam inconsiderate faciant, qui corpori Domini glorificato ea tribuunt, quæ vero corpori non possunt conuenire: veluti qui inuisibile, nulla quantitate, nullo loco circumscriptum imaginantur. Non multo minus errant, qui Christum existimant à resurrectione varios vultus induisse: quia inquiunt, corpus erat spirituale. Quanto melius Augustinus ad Consentium, corpus animale definit, quod propter mortis dissolutionem & corruptionem cæteris animantibus simile est: spirituale vero, quod iam cum spiritu est immortale? Et paulo post: Sicut, inquit, animale corpus non est anima, sed corpus: ita & spirituale corpus non spiritum debemus putare, sed corpus. Quid quod idem in Epistola ad Dardanum, ne animæ quidem Christi tribuit, nedum corpori, vt duobus simul locis existere potuerit? Quod autē ad formæ & characteris mutationem attinet, si ita est vt vultum & staturam mutarit Dominus, quid necesse fuit istorum oculos teneri? Quod igitur Theophylactus citat ex Marci 16.12. Christum duobus istis apparuisse ἑτέρᾳ μορφῇ, ita explicandum est, vt vel μορφῇ pro ipso habitu & vestitu corporis accipiatur, (apparuit enim illis tanquam & ipse ad iter accinctus: Sicut Mariæ visus hortulani specie, non ante est ab ea agnitus, quam nominatim eam compellaret) vel referatur ad eam formam qua ipsis visus est, non qua ipse esset reuera. Hactenus enim tenebantur ipsorum oculi, non vt vllam in eo formam viderent, sed vt veram non perspicerent, vnde agnosci posset: ex quo efficitur caligantibus eorum oculis diuersæ formæ imaginem fuisse obiectam, quum reuera, sicut idem erat corpus, eadem etiam esset eius forma.]

Christus eâ formâ erat, vt agnosci posset.

Respondeo: Tenebantur oculi, ne agnoscerent, cum tamē alioqui ea esset forma, vt possent agnoscere. At vero ex eo nequaquā concluditur: glorioſa corpora semper necessario aspectabilia esse, latere non posse: sed tantum posse illa quoque eam habere formam, quæ oculis corporeis conspiciatur. Non enim sequitur eum qui aliquando apparet, non posse latere, sed posse etiam apparere.

Itaque Aug. l. 3. c. 25. de consensu Euang. Non aliam in Christo effigiem fuisse, sed apparuisse, existimat, potuisse tamen expresse docet. *Pro merito, inquit, quippe mentis eorum adhuc ignorantis, quod oportebat Christum mori & resurgere, simile aliquid eorum oculi passi sunt: non veritate fallente, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, & aliud, quam res est, opinantibus: ne quisquam se Christum agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est, Ecclesia, cuius vnitatem in Sacramento panis, commendat Apostolus, dicens: vnus panis vnum corpus multi sumus: vt cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum. Aperiuntur vtique adeius cognitionem, remoto scilicet impedimento quo tenebantur ne eum agnoscerent. Neque enim clausis oculis ambulabant, sed inerat aliquid, quo non sinerentur agnoscere quod videbant, quod scilicet & caligo & aliquis humor efficere solet. Non quia Dominus non poterat transformare carnem suam, vt alia reuerà esset effigies, quam solebant illi contueri, quandoquidem & ante passionem suam transformatus est in monte, vt facies eius clarefieret sicut Sol. Quale vult enim corpus de qualicunque corpore, verum de vero facit, qui de aquâ verâ vinum fecit. Sed non ita fecerat, cum apparuit illis duobus in aliâ effigie. Non enim aliter quam erat, sed sicut erat apparuit eis, quorum oculi tenebantur ne agnoscerent eum. Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo est facta permissio vsque ad sacramentum panis: vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus posit agnosci.*

VERSVS 28.

Et appropinquauerunt castello quoibant, & ipse finxit longius ire.

QVAESTIO I.

Quo finxerit se longius ire?

§. 1. AVg. l. contra mendacium hunc locum sic exponit: *Hinc est etiam illud, ait, quod commemorasti eos dicere, Dominum Iesum posteaquam resurrexit, ambulasse in itinere cum duobus discipulis, & propinquantibus eis castello quo ibant, ille longius se ire finxit, vbi Euangelista dicens: Ipse autem se finxit longius ire: etiam ipsum verbum posuit quo mēdaces nimium delectantur, vt impune mentiantur: quasi mendacium sit omne quod fingitur, cum veraciter aliud ex alio significandi gratia tam multa fingantur. Si ergo nihil aliud significasset Iesus in eo quod longius ire se finxit, merito Mysticum iudicaretur esse mendacium. Porro autem si bene intelligatur, exuolat & ad id quod voluit significare referatur, inuenitur esse mysterium. Alioquin erunt cuncta mendacia, quæ propter quandam rerum significandarum similitudinem cum gesta non sint, tamen quam gesta narrantur. Vnde est illa de duobus vnius hominis filiis, maiore qui mansit apud patrem suum, & minore qui longius peregrinatus est, tam prolixa narratio. In quo genere fingendi, humana etiam facta vel dicta, irrationabilibus animantibus, & sensu carentibus, homines addiderunt, vt eiusmodi fictis narrationibus, sed veracibus significationibus, quod vellent commendatius intimarent. Nec apud auctores tantum sacularium literarum, vt apud Horatium, mus loquitur muri; & mustela vulpecula, vt per narrationem fictam ad id quod agitur, vera significatio referatur. Vnde & AEsopi tales fabulas ad eum finem relatas, nullus tam ineruditus fuerit, qui putaret appellanda mendacia. Sed in literis quoque sacris, sicut in libro Iudicum, ligna sibi Regem requirunt, & loquuntur ad oleam, & ad ficum, & ad vitem, & ad rubum. Quod vtique totum fingitur, vt ad rem qua intenditur, fictâ quidem narratione, non mendaci tamen, sed veraci significatione veniatur. Hac dixi propter id, quod scriptum est de Iesu, Et ipse finxit longius ire: ne quisquam ex hoc verbo sicut Priscillianista licitum volens habere mendacium, insuper etiam Christum contendat fuisse mentiri. Nonnullum. Quisquis autem vult intelligere illud fingendo quid fictum præfigurarit, attendat quid agendo perfecit. Longius namq; mendacium*

Mysticum mendacium Augustini.

posteà

postea profectus super omnes cælos, non tamen defuit discipulos suos. Propter hoc significandum futurum diuinitus factum, ad præsens illud est humanitus factum. Et ideo significatio veracis in illa est fictione præmissa, quia in hac profectione illius est significationis veritas subsecuta. Ille igitur contendat Christum mentitum esse fingendo, qui negat eum quod significauit impleuisse faciendo.

Significandi ergo gratia id fecit, non fallendi. Planè eo modo quo venit, habitu peregrino, quo interrogat quasi nescius, non fallendo sed celando aliquid quod indicare non tenebatur.

§. 2. Priscillianistæ hoc facto Christi vsi sunt, vt mentiri licitum esse probarent, quos contra ille probat, omne mendacium malum esse. Quod reuera tenendum est. Ideoque & illud statuendum est, Christum nullo modo ἐν τῷ προσποιεῖν, fingendo mentitum esse. Aliud igitur est fictio, vel simulatio, aliud vero mendacium. Augustini interpretationem sequitur D. Thomas 2.2.q.111.art.1. S. Greg. hom. 23. ideo factum dicit, vt significaret, se ab eorum fide longius abesse.

§. 3. In hac tamen expositione difficultas non exigua mouetur. Nam quamuis aliud quodcunque Dominus significare voluerit, tamen videtur simulatio illa rationem mendacii habuisse. Ad propriam enim formalemq; falsitatem pertinet, vt voluntas enunciandi falsum quod falsum esse scias, etsi non fiat voluntate fallendi, hæc enim ad perfectionem mendacii non essentiam pertinet, vt habet D. Thom. 2.2.qu. 110.a.1. Nec interesse videtur, verbo an facto falsum enunciet: verborum est mendacium, factorum simulatio. Si dixisset velle se longius ire, cum reuera decreuisset, cum illis manere, mentitus videretur, pariergo ratione cum facto idem fecit. Denique videtur hac ratione dari fallendi fraudandique potestas, adscita alicuius rei significatione: vt vbique inducatur æquiuocatio, quemadmodum Priscillianistæ docebant, non aliter Deum docuisse dicebant. Non aliter veracem ostendere suam falsitatem arbitrantes, quam si veritatem æternam dicerent esse mendacem.

§. 4. Mihi respondendum pro Christo videtur, quod in omni genere, amphibologiæ, vel simulationis fieri so et. vt Theologi docent. 2.2. quæ. 69. vbi ostendunt, Iudicem non legitimum, vel non legitime interrogantem posse ambiguo responso eludi. Nec modo hæc longius eundi fictio in Christo fuit, sed habitus peregrinus, simulatio ignorationis de illis, quæ Ierosolymis contigerunt; aliquid enim egit, vnde illi suspicarentur nescire quid egisset; quod si negetur, omnia stratagemata, simulationesque in vitio censebuntur, cum tamen contrarium omnes docent. Nec est mendacium, nisi cum verbo vel facto quispiam id neget, quod mente concipit: Christus autem simulando peregrinitatem, & factorum ignorantiam, non aliquid contra mentem significare voluit, sed alia quædam indicare, quæ menti non repugnarent. Quando vero loquendi ambiguitas, vel mentalis exceptio, & restrictio locum habeat, Theologi exponunt 2.2. quæst. 110. 111. 112. 113. & 69.

VERSVS 30.

Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit & porrigebat illis.

QVÆSTIO I.

An Eucharistiam illis dederit?

§. 1. Hieronym. in Epitaphio Paulæ ad Eustoch. ait Christum consecrasse domum Cleophæ in Ecclesiam, quo indicat Eucharistiam distribuisse. August. l. 3. de cons. Euang. cap. 25. idem docet. Chrysost. hom. 9. ex variis Matth. locis. Theoph. Beda. Strab. Stich. l. 2. in ca. 9. Leuitici. It. à Ioan. Louano. Maldonatus, alii. Iansenius tamen figuram Eucharistiæ fuisse existimat: & hoc tantummodo ex auctoribus citatis colligi. Bellarm. l. 4. cap. 24. de sacramento Eucharistiæ rem in medio relinquit.

§. 2. Vtraque sententia idonea est, vt ostendatur Eucharistiam sub vna duntaxat specie dari posse. Siue enim vere Eucharistiam, siue figuram eius esse voluit fractionem panis, satis ostenditur, in sola panis fractione eam consistere, nec deesse fructum participationis sacræ, e si vnum tantummodo symbolum adhibeatur.

Quod vero Melanchton obiicit, per figuram Intellectionis etiam calicem comprehendi, falsum est: Nam mox vt panem benedixit ac fregit, euanuit ex oculis eorum, vt calicem benedicere & distribuere non potuerit. Minus est ad rem quod Kemnitius obiicit. August. tract. 2. in Epist. Et vere qui non sibi iudicium manducat & bibit in fractione panis Christum agnoscit. Nam Augustinus non aliud significat, quam morem sui temporis, eorum, qui vtramque speciem sumebant, & ad verba Pauli 1. Corinth. 11. alludit. Nos vero fatemur indigne vna specie vtentem iudicium sibi manducare & bibere: contemptu corporis & sanguinis dominici, non vsu symbolorum.

§. 3. Rationes tamen suadent complures, vt credamus vere Eucharistiam illo loco datam, atque quod maxime aduersarios torquet, sub vna specie.

Prima. Fractio panis, Eucharistiæ confectionem, distributionem, sumptionem, in scriptura significat. Actor. cap. 2. v. 42. ita & 1. Corinth. 11. Deinde quamuis aliorum dicta Patrum accipi possint: Augustini tamen verba clara sunt tract. 2. in Epist. Ioan. Discipuli ergo eum non cognouerunt, nisi in fractione panis, & vere qui non sibi iudicium manducat & bibit in fractione panis, Christum agnoscit. Idem serm. 140. de Tempore: *Dominus ergo*, inquit, *præsentauit seipsum in fractione panis. Discite vbi Dominum quæratis, discite vbi habeatis, discite vbi agnoscatis, quando manducatis. Norunt enim fideles aliquid, quod melius intelligunt in ista lectione, quam illi non nouerunt.*

Vbi certo constat eum de manducatione Eucharistica loqui, quam soli fideles intelligebant. Sic enim catechumenis præsentibus de hoc mysterio loqui patres solent. Clarissime Augustin. l. 3. de consensu Euang. cap. 25. *Non autem*, ait, *incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnoscerentur Iesus: sed tamen à Christo est facta permissio vsque ad sacramentum panis: vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci.*

Et supra dixerat, vnitati corporis Ecclesiæ, in Sacramento panis Apostolum commendare. Denique ipse Aretius Caluinianus fatetur Augustinum de cenæ celebratione intelligere. Quin & Caluinus id sensisse Augustinum & plerosque alios fatetur in Harmonia hoc loco.

Secunda. Benedictio ciborum à Christo nunquam adhibita legitur, nisi vel Eucharistiam dedit, vel miraculum aliquod operatus in ipso cibo, vt cũ panes

multiplicaret. Aliud hoc loco miraculum fingi non potest, itaque Eucharistiam dedit. Quod adeo clarum visum est Lutheranis, vt multi id affirmarint.

Tertia. Benedictio & fractio non fuit initio mensæ, sed ἐν τῷ ἀνακλιθῆναι in recumbendo, cum scilicet iam cœna penè esset absoluta.

Quarta. Miraculum in fractione editum est. Cognouerunt enim in fractione panis, hoc est, vi fractionis, alioqui si communis diuisio panis fuisset non apparet causa miraculi ex fractione.

§. 3. Obiiciunt: Christi proprium quendam benedicendi modum fuisse, ex quo eum cognouerint.

Verum quod admodum illū attinet omnino fictio est. Nam etiam in Eucharistia benedicenda, à more Iudæorum non recessit, nec de ea singularitate à Pharisæis vnquam est accusatus. Deinde cum non ex forma, verbis, aliisque cognoscerent, quomodo ex modo benedicendi agnoscerent, quem notum, quilibet imitari potuit. Denique cognitus est in fractione, non benedictione panis.

§. 4. Christi corpus posse inuisibili modo adesse in sacramento probant Orthodoxi, & quicunque Eucharistiam veram ex Scripturis confitentur. Cum enim videri voluit, cum illis ad mensam consedit, locutus, cum voluit subito disparuit. Factus scilicet inuisibilis, vt nec illis duobus, nec hospiti, nec familiæ, eius discessus pateret, nec enim ostio exemptum viderunt, nec per viam oculis secuti sunt, sed subito sese fecit inaspectabilem. Nec vllius est momenti, quod Caluinus garrit l. 4. Instit. c. 27. §. 29. Sic Christus sui dissimilem fore, & ex carne spiritum fieri, nugatorium est.

Non enim mirum est diuersa specie Christum apparere, alia in mari, alia in monte, alia in cruce, alia in horto: alibi sese totum ostendere, alibi qualitatem, qua inuisibilis reddatur, sibi adscisere. Quis enim ignorat Christum alia forma post resurrectionem apparuisse discipulis, cum illis loquentem, & vescentem, aliâ vero animabus in paradiso.

Nec minoris imperitiæ est mox ex carne spiritum fore, si non videatur caro. Neque enim res vlla, nisi color & lux videri potest, præter communia nonnulla. Ipsa corporum substantia aliæque affectiones, quæ similitudines ad oculos non remittunt, non videntur. Non tamen ideo corpora non sunt, quia non videntur. Nec opus est in corporibus vel minimam fieri mutationem, vt non videantur; satis est enim non concurrere Deum ad species producendas, quæ ad visum necessariæ sunt. Denique ἀφανὴς ἐγένετο significat inuisibilem esse factum.

Vers. 31. Beza ablatus est à conspectu. Euanescendi vocabulum reiicit, quod spectrorum sit. Verum etiam de corporibus, vt fumo aliisque dicitur Euanescere, & *Cererem steriles vanescere in herbas*, Poëta dixit. Caluinus verbum Euanuit retinet, & ait Christum simul ac agnitus fuit, subito disparuisse. Quamuis id non recte, quod ait Deo vigorem subtrahente obtusam fuisse eorum aciem.

In Græco & Syro scribitur, Finis Euangelii Sancti, secundum Lucam Euangelistam.

COM-

COMMENTARII IN SACROSANCTVM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM.

CAPVT PRIMVM.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. 2. Hoc erat in principio apud Deum 3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factū est. 4. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: 5. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non cōprehenderunt. 6. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. 7. Hic venit in testimonium vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. 8. Non erat ille lux sed vt testimonium perhiberet de lumine. 9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 10. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. 11. In propria venit, & sui eum nō receperunt. 12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. 13. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. 14 Et verbum caro factū est, & habitauit in nobis & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis. 15. Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat: quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat. 16. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. 17. Quia lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. 18. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. 19. Et hoc est in testimonium Ioannis quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad eum vt interrogarent eum: Tu quis es? 20. Et confessus est & non negauit: & confessus est: Quia nō sum ego Christus: 21. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non. 22. Dixerunt ergo ei: Quis es vt responsum demus his, qui miserunt nos: quid dicis te ipso? 23. Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. 24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. 25. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta: 26. Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. 27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus vt solutā eius corrigiam calceamenti. 28 Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizans. 29. Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi. Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. 31. Et ego nesciebā eum, sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. 32. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. 33. Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. 34. Et ego vidi, & testimonium perhibui quia hic est Filius Dei. 35. Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. 36. Et respiciens Iesum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei. 37. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. 38. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei; Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magister) vbi habitas? 39. Dicit eis; Venite, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo; hora autem erat quasi decima. 40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum. 41. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei; Inuenimus Messiam, (quod est interpretatum Christus.) 42. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus dixit; Tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. 43. In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum.

Et dixit ei Iesus. Sequere me. 44. Erat autem Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreæ, & Petri. 45. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. 46. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. 47. Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. 48. Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. 49. Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. 50. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis; maius his videbis. 51. Et dicit ei: Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

IOANNES Christi diuinitatem præcipue asserturus, à sanctissimo, maximoque mysterio S. Trinitatis Euangelium auspicatur. Et cum diuinam personam eius ostendisset, humanitatem eius & officium describit, quod testimonio Ioannis Baptistæ comprobat, cuius legationem & publicam confessionem coram Pharisæis & populo exponit.

Denique Andreæ & Petri ad Iesum accessum, & Nathanaëlis, qui miraculo persuasus in Christum credidit. In Syriacâ Ecclesia à principio, vsque ad v. 18. legitur in festo Natiuitatis Domini nostri.

A v. 18. ad 29. in matutinis dominicæ post Epiphaniam, quam vocant דנחא *dannecha*, quod significat ἀνατολήν, seu ortum, siue quod Domini ortus tum gentibus apparuit, siue quod ab oriente venerunt Magi.

Deinde à v. 29. ad 43. ad oblationem eiusdem dominicæ. Hinc vsque ad finem ad oblationem dominicæ tertiæ post Epiphaniam. Ex quo etiam in Festis celebrandis apparet Syrorum & Latinorum consensus.

QVÆSTIO I.

Qui parentes Ioannis Euangelistæ?

§. 1. QVamuis in Apostolo & Euangelista Christi, non requiritur genus, sed adoptio, gratia, missio, quia tamen Spiritus-Sanctus crebro etiam magnorum prosapiam recensет, nō sunt ociosæ quæstiones, quæ ad scripturæ expositionem faciunt. Patrē quidem eius Zebedæum vocant Euangelistæ, matris nomen omittunt: ipse enim & Iacobus, vocari solent filii Zebedæi, Matth. 4. 21. & 10. 3. & 20. 20. & 26. 37. Marci 1. 19. & 3. 17. & 10. 35. Luc. 5. 10. Syrus appellat זבדי *zabdai*, quod videtur esse זבד *zebad* donauit, dotauit. Magnum sane donum & diuinæ bonitatis insigne documentum: tales filii, Christo adeo accepti.

Parentes Euangelistæ.

§. 2. Matrem vocatam esse Salomen nonnulli coniiciunt, ex Matth. 27. 56. & Mar. 15. 40. Matthæus ait. *Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi.* Eandem historiam Marcus recensет in hunc modum. *Inter quas erat, Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome.* Vbi cum cæteras eodem ordine recensuerit, plusquam probabile est, etiam matrem filiorum Zebedæi nominasse. Non tamen omnino certum, potuit enim alia Salome esse. Neque enim Matthæus, neque Marcus omnes nominauit.

An mater filiorum Zebedæi sit Salome.

Vterque matrem Iesu omisit, quam Ioannes nominauit, c. 19. 15. & cum ea Mariam Cleophe, & Magdalenam: omittere igitur & Marcus aliquam potuit, quam Matthæus posuit.

QVÆSTIO II.

Quando scripsit Euangelium?

§. 1. DVplex est opinio: alii in Patmo insula, cum à Domitiano esset relegatus, scripsisse arbitrātur. At Suidas, Ἰωάννης ἀπὸ τῆς ἐν πάτμῳ ἐξορίας ἐπανελθὼν σωτάγσει τὸ εὐαγγέλιον, ὢν ἐτῶν. *Ioannes ab exilio in Patmo rediens, composuit Euangelium cum centum esset annorum.* Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in eadem est sententia.

Senex Euangelium scripsit.

§. 2. In eo consentiunt omnes, postremum eum scripsisse, iam summa senectute, postquam in Syria, Asia tota, Ægypto, Æthiopia, Persida docuit.

Non mansit in Asia perpetuo, sed longius in Orientē excurrit; olim titulus Epistolæ eius præfixus fuit *Ad Parthos.* Ad eos penetrasse, eiusque ad nostra tempora ibi durasse memoriam, est in literis Indicis Patrum nostrorum, ann. 1555. Hoc vnice notandum Historiam Prochori multa fabulosa continere, inter cætera, quod Ioannis virtute dicat templum Dianæ prostratum; nam Gallieni principis tempore à Gothis spoliatum & concrematum est. Iulius Capitol. in Gallieno. *Ioannis Parthorum docuit.*

§. 3. Verum quod ad ætatem attinet, Hippolytus Epis. Portuensis apud Cedrenum in Nerua, ait fuisse 106. annorum cum vita excederet. Epiph. hæresi 51. post nonaginta vitæ annos scripsisse. Iren. l. 3. c. 1. Epist. l. 5. c. 8. Ephesi scripsisse tradunt, temporis non meminerunt.

Præcipue vero in Asia vixit & docuit, vt consensu constat. Chrys. hom. 1. Ioannem in Asia claruisse ait, *vbi Sectæ Philosophorum præcipuæ viguerunt. Corpore autem habitauit Asiam, vbi antiquitus omnes philosophorum Sectæ philosophata sunt: (idcirco locus ii dæmonibus obnoxius est, & admodum formidabilis.) In medio tamen inimicorum claruit, illorum fugata caligine, arcem euertit quam nitidissimam. Animo vero in eum secessit locum, qui idonus & accommodatus ei esset, qui eiusmodi operaretur: vt gentilium opiniones penitus aboleretur, sua autem indies fierent clariora. Ex quo enim & hic & reliqui piscatores fuerunt, & Pythagoreæ & Platonicæ siluerunt disciplinæ, quæ superiori tempore tanti nominis & authoritatis ferebantur, & ne nomine quidem à plerisque sunt cognitæ. Atqui & Plato ad tyrannos se contulit accitus, vt aiunt, & multis cum sociis in Siciliam nauigauit.* *In ea Asia conflat.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Quæ dignitas Euangelij S. Ioannis?

§. 1. EAdem est omnium Euangeliorum veritas, auctoritas, maiestas; Ioannis tamẽ Euangelium non vno modo excellit, nam tria in eo sunt, quibus alia superat. Materiæ sublimitas; in eo enim est, vt Christi diuinitatem nobis demonstret, quod ex instituto, accuratius, & copiosius, quàm alii Euangelistæ fecerunt, exequitur. Deinde tractandi ratio, conciones enim Christi, disputationesque præcipue recensет, habetque, ratiocinationes consequentiasque complures, insignes & vtilitate, & obscuritate. Cæteris enim Euangelistis multo est obscurior, non suo vitio, sed rerum, quas tracta, e conditissimâ natura. Denique auctor aliis Euangelistis à Domino prælatus est, est enim discipulus, quem diligebat Iesus.

Dignitatem huius Euangelii Basilius in hom. in hæc verba. *In principio*, ostendit. *Omnis quidem Euangelium vox, reliquis omnibus sancti spiritus præceptis eminentior esse dignoscitur: quod in aliis per Prophetas seruos, in Euangelijs autem ipse per se Dominus nos est allocutus. In ipsius autem Euangelij laudibus, & sermonis magnitudine & sententiarum grauitate, Ioannes filius tonitrui primas obtinet. Cuius proœmium iam lectum audiuimus: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

§. 2. Veterum hæreticorum error fuit, à Cerintho esse conscriptum. Epiph. hæres. 51. & 54. Philast. c. 60. Augustin. hæresi 30. Alogiani dicti sunt, qui verbum negabant, ideoque & Euangelium Ioannis. Eos ex ipso textu maxime reuincunt patres. Nullum enim scriptum adeo est Cerintho contrarium, quam Euangelium Ioannis. Cerinthus enim Christi diuinitatem negauit, Ioannes astruit. Cerinthum imitatus est Marotus in Psal. 86. edit. Genuens. diuinitatis occultus inficiator.

§. 3. Brentius queritur Euangelium Ioannis ab imperitis hypocritis ex collo gestari; Verùm *salutem non afferre, si ex collo gestetur, sed si vera fide suscipiatur.* Verissimum est, non prodesse gestationem, si fides desit; ne Christi quidem præsentia prodest infidelibus. Non tamen hoc negandum, posse Euangelium Ioannis & ex collo, & in pectore gestari. Et ad salutem quidem satis esse, si cordi impressum sit, & vita fide in eo circumferatur. non tamen facinus esse, si etiam collo gestetur. Memoriale Domini etiam corpore gestare hominis est grati. Imaginem principum domi collocant, de collo suspendunt, qui principem se amare profitentur.

Non ignoro quorundam ea in re superstitionem, à patribus reprehensam, sed eam quoque nos reiicimus. Nec abusum probamus, sed legitimum vsum tollendum negamus, ob quorundam abusus. Concilium Antiochenum, Hieronym. in 23. Matth. Chrys. hom. 73. in Matth. vt superstitiosum reprehendunt. Et forte nunc etiam est hac in re quorundam non probanda consuetudo, si periaptis aliquid tribuant quod Deo conuenit, de quibus noster Delrio in disquisitionibus magicis. Thyræus de dæmoniacis l. 2. Impium est etiam res sanctissimas, Eucharistiam, reliquias, scripturas sacras velut φυλακτήρια, *ligaturas auerruncantes* circumferre: non enim res ipsæ seruare nos possunt, nec in eum finem à Deo datæ sunt, vt sic seruent, ideoque sine promissione Dei temere in illis spem constituunt, quicunque vim aliquam hisce attribuunt. Quo sensu patres sancti locuti sunt. Ita Delrio l. 1. dis. cap. 4. quæst. 4.

Probatur Ecclesiæ Cathol. inueterato & salutari more, nec non sententia D. Thomæ, Maldon. Nauarr. Syluestri & aliorum. ratio est, quia sanctorum reliquias ita semper maiores nostri sunt veneratі: Agni illi ad hoc à solo Pont. Maximo quotannis benedicuntur: Sacræ scripturæ testimonia vt licet ore proferre, licet etiam descripta collo deferre, & narrat Leontius Episcopus, sanctum Simeonem Salem mulieri magæ amuletum in tabellâ conscripsisse, quo gestato illa non potuit amplius diuinare, nec magica amuleta facere, (Sur. t. Iul.) nec vllus sanctorum patrum hoc vnquam improbauit. Nam D. Basilius damnat φυλάκτηρια characteribus (nempe magicis) insignita. Incertus auctor in Matth. qui exstat inter Chrysostomi opera, inuehitur in duo nequam genera hominum: primum, qui ex huiusmodi ad collum suspensis ipsi sanctiores volebant videri, vt Pharisæi olim: secundum, qui ex eadem superbia, quæ ad collum alij suspenderent, ipsi de capillis vel vestimentis suis largiebantur. Ipse D. Chrysostomus mulierculas illas reprehendit, vel quod non recta, sed Pharisaica id intentione facerent; vel quod per opinionis errorem non à Dei gratia miraculosum auxilium, sed ab ipsa materiâ vel formâ Scripturæ id præstolarentur. vt faciunt hodie, qui dicunt debere esse scriptum Euangelium in membrana virginea, literis vel lineis miniatis, & cætera. Sane Chrysostomus eadem id mente reprehendit, quâ D. Hieronymus, qui satis indicat Pharisaicam illam superstitionem præsidium ab ipsis pyctatiolis, non desuper à Custode Israel, Deo Sabaoth, expectantem se reprehendere: item quod quæ extrinsecus gerebant, eorum cultum & obseruantiam intrinsecam, quæ præcipua, negligebant. Denique in vita S. Antonini infestationem quandam dæmonum, cum preces quasdam membranulæ inscripsisset, & in cubiculo ante Deiparæ virginis imaginem affigi iussisset, legimus dispuliſſe. (Surius to. 3. Fol. 43.) Vſus legitimus.

Posterior pars conclusionis probatur canonibus, qui anathema fulminant in eos qui philacterijs (hoc est, conseruatorijs) vtuntur; & si clerici ea faciant, iubent eos Ecclesijs eijci. Can. 1. & 4. 26. quæst. 5. qui canones quomodo sint intelligendi, & de quo genere philacteriorum loquantur, petendum ex alio canone, nempe vlt. eiusdem quæstionis, vbi inter cætera in hunc modum scribit B. Isidorus: ad hoc pertinent ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars non commendat medicorum, seu in præcantationibus, seu in characteribus suspendendis atque ligandis: in quibus omnibus ars dæmonum est, ex quadam pestifera societate hominum & Angelorum malorum exorta. Confirmat D. Augustin. his verbis: Fingunt spiritus maligni vmbras quasdam honoris sibimet ipsis, vt sic decipiant eos, qui sequuntur Christum. Vsque adeo fratres mei, vt illi ipsi qui seducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, misceant præcantationibus suis nomen Christi, qui iam non possunt seducere Christianos, vt dent venenum, addant mellis aliquantum. Tales sunt nefariæ illæ formulæ precum, quas contra vulnera & pericula ignis, aquæ & alia, quidam per mendacium adscribunt B. Leoni & aliis sanctis, & (proh dolor) multi hodie gestitant: quibus Diabolus semper tandem imponit, & quando sunt in statu pessimo lethalis culpæ, finit eos occidi, & deserit quos ante aliquoties defenderat. Possem nominare mihi probe notum, cui id accidit. Norunt Franci, cum superioribus annis, cum Barone Danou, hæreticorum Germanorum examina in Franciam irrupissent, & à Duce Guisiostrenue debellata fuissent, huiusmodi schediasmata collo Characteres damnati:

casorum fere omnium appensa, fuisse reperta ab ijs qui cadauera spoliauerunt.

QVÆSTIO IV.

Cur scripsit?

Contra hæreses diuinitatem Christi negantes scripsit.

§. 1. VT Cerintho aliisque hæreticis occurreret, Christi Domini diuinitatem negantibus. Irenæus l. 3. c. 11. contra hæreses. Hier. de Eccles. scriptoribus. *Nouissimum omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, aduersus Cerinthum aliosque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Vnde & compulsus est diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam causam huius scripturæ ferunt: quod cum legisset Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, probauerit quidem textum historiæ, & vera eos dixisse firmauerit, sed vnius tantum anni, in quo & passus est, post carcerem Ioannis historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cuius acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narrauit, sicut manifestum esse poterit ijs, qui diligenter quatuor Euangeliorum volumina legerint. Quæ res etiam Ἀναφωνέα, quæ videtur Ioannis esse, cum cæteris tollit. Scripsit autem & vnam epistolam, cuius exordium est: Quod fuit ab initio, quod audiuimus & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ: quæ ab vniuersis Ecclesiasticis, & eruditis viris probetur. Reliquæ autem duæ, quarum principium est: Senior electæ Domina & natis eius: & sequentia. Senior Caio carissimo, quem ego diligo in veritate: Ioannis presbyteri asseruntur, cuius & hodie alterum sepulcrum apud Ephesum ostenditur: & nonnulli putant duas memorias eiusdem Ioannis Euangelistæ esse: super quâre cum per ordinem ad Papiam auditorem eius ventum fuerit, disseremus. Quarto decimo igitur anno, secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, in Pathmos insulam relegatus, scripsit apocalypsim, quam interpretatur Iustinus martyr & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à senatu rescissis sub Nerua principe rediit Ephesum: ibique vsque ad Traianum principem perseuerans, totas Asiæ fundauit rexitque Ecclesias, & confectus senio, sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem vrbem sepultus est.*

Nec modo contra Cerinthum, sed Ebionem, Basilidem, & totam illam colluuiem Christi diuinitatem in ipso Ecclesiæ exordio, negantem disputauit.

Iussu Dei scripsit.

§. 2. Non desunt, qui eum præuidentem varias hæreses, quæ Apostolorum tempora secutæ sunt, remedia procathartica parasse arbitrentur. Etenim quæcunque causa, vel occasio fuisse putetur, mihi dubium non est, Dei imperio hoc opus aggressum; Ignorare namque non potuit, vires sibi, sapientiamq; à Spiritu sancto dati, qua infallibilem prorsus doctrinam toti Ecclesiæ traderet.

Serio admodum scripsit.

Itaque Dei imperio, rogatus ab omnibus conscripsit, solus iam Apostolus, ita Hieron. præf. in Matth. *Vltimus Ioannes Apostolus & Euangelista, quem Iesus amauit plurimum: qui supra pectus Domini recumbens, purissima doctrinarum fluenta potauit. & qui solus de cruce meruit audire: Ecce mater tua. Is cum esset in Asia, & iam tunc hæreticorum semina pullularent Cerinti, Ebionis, & cæterorum, qui negant Christum in carne venisse: quos & ipse in epistolâ suâ Antichristos vocat, & Apostolus Paulus frequenter percutit, coactus est ab omnibus pene Asiæ tunc Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris altius scribere: & ad ipsum, (vt ita dicam) Dei verbum non tam audaci quàm felici temeritate prorumpere. Vnde & Ecclesiastica narrat historia, cum à fratribus cogeretur vt scriberet: ita facturum se respondisse, si indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur: quo expleto, reuelatione saturatus, illud proœmium è cælo veniens eructauit: In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum.*

De casu balnei, quo Cerinthus est oppressus, passim historici meminerunt. q

QVAESTIO V.

Qua lingua scripserit?

§. 1. CVm in Asia ac præsertim Ephesi, vel in Patmo scripserit, consentiunt fere omnes Græca id lingua fecisse. Nam Græcis Græcè prædicasse constat. Syrus textus hoc titulo ipso indicat אנגליון קדישא דרבותאדיהבן מלל ויבדן יגאיה באפסוס Hoc est; *Euangelium Sanctum, prædicatio Ioannis quam locutus est, & prædicauit Ionice Ephesi.* Græcam linguam vocant Hebræi Ionicam, seu Iauan, sicut ipsam regionem; non enim Ionica proprie dicta, sed communi lingua scripsit. Addit vero Ecclesia Syriaca suo more: *In nomine Domini, & Dei nostri Iesu Christi, obsignamus Euangelium Sanctum, prædicationem Ioannis prædicatoris.* Epiph. hæresi 30. in Iudæorum Gazophylacio ait Hebraicum inuentum, & suo tempore, idque Tiberiade, repertum: itaque apparet in linguam Hebræam fuisse conuersum. Et credibile est non in veterem, sed recentem Hebræam, hoc est, Syriacam: Vetus enim iam tum vulgo non erat nota.

VERSVS 1.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.

QVÆSTIO I.

An aliquid de verbo Dei cognorint Gentes?

§. 1. AVgustinus lib. 7. confess. cap. 9. sub initio inquit. *Procurasti mihi per quendam hominem immanissimo typho turgidum, quosdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam versos: & ibi legi: non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis & multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: quod factum est in eo, vita est, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Et Eusebius de præparatione Euangelica l. 11. cap. 10. Bar. l. 4. cap. 3. T. Varia adducit, quæ hoc ostendere videntur, sed nullo modo. naturalis ratio eo non adducit, illi si quid cognouerunt, ex Iudæorum libris aut familiaritate hauserunt. *Naturalis ratio mysterium hoc non potuit.*

§. 2. Sed de toto genere ita sentiendum est. Sine reuelatione ne cogitari quidem potest hoc mysterium tanquam possibile, cum assensu probabili: quia nullum in rebus creatis est eius rei fundamentum aut principium. imo nihil quod mentem humanam ad hoc cogitandum excitare possit, est enim omnino supra naturam.

§. 3. Intellectus creatus non potest etiam per speciem datam tanquam per medium incognitum naturali virtute personarum multitudinem agnoscere. Ratio est, Immediata illa per speciem cognitio, non potest esse non intuitiua, ergo clara Dei intuitio est, ergo nulli naturalis.

§. 4. Mysterium Trinitatis non est contra rationem naturalem. 1. quia veritas non est contraria ve-

ritati

stari. 2. Deus est auctor luminis naturalis, ergo non potest per se inclinare ad falsum, nec ad aliud quod sit contrarium suo modo existendi. 3. Nulla ratio potest ostendere Deum esse vnum in persona, nec potest ratione alicuius principij communis ostendi, quia vel in eo non includitur, vel si includitur non potest demonstrari. Illud vero principium, *quæ sunt eadem vni &c.* in re infinita non potest demonstrari, licet in rebus finitis sit verum vniuersaliter.

§. 5. Omnis reuelatio quæ non ostendit hoc mysterium intuitiuè, nititur alicuius dicentis auctoritate, quia non potest alio modo cognosci. Potest autem hoc esse duplex; alia cum euidentia testificantis, sed obscuritate rei reuelatæ, alia cum obscuritate vtriusque.

§. 6. Hæc reuelatio, quantum in se est, ad mysterij cognitionem conducit, quia inducit etiam ad assensum, non modo ad apprehensionem: deinde hæc cognitio est supernaturalis.

§. 7. Intellectus qui fide credit hoc mysterium potest rationes inuenire, quibus probet conuenientiam huius mysterij; vt ex processionibus intellectus, generationibus hominum, quæ quodãmodo manuducunt, sed nil probant. 2. Ex Dei bonitate se communicante. 3. Ex beatitudine, quæ personarum requirit amicitiam. Sic Augustinus serm. 1. in festo Natiuit. æternam Verbi processionem non posse à nobis comprehendi docet. *Quæ est illa nostri generatio Saluatoris, qua gignenti patri coæternus est, quando hanc generationem ex virgine mundus expauit, quam pia fides agnouit & tenuit, infidelitas autem irrisit: superbia timuit superata? Quanam est illa generatio, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? Vel quod est hoc Verbum, quod dicturus antea non fuerat: quo dicto non siluit qui dicebat, quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora? Verbum quod labia nullius aperuit captum, clausitue finitum, Verbum quod initium non habet ex ore loquentium, & aperit ora mutorum, Verbum quod linguis gentium disertis non sit, & linguas infantium disertas facit? Quanam est, inquam, illa generatio, cui pater moriendo non cedit, quia non eam viuendo præcedit? Segregata ab omnibus locorum temporumque interuallis, ab omni distentione spaciorum, quam vel in diebus, vel in corporibus sentire consueuimus. Leuemus ad eum quantum ipso adiuuante animam nostram possumus, si quomodo capere valeamus & natum non præeuntem qui gignit, & gignentem non subsequentem qui gignitur, patrem & filium: nec pariter patres, nec pariter filios, sed pariter æternos. Non vtrumque generantem, nec vtrumque nascentem, sed alterum sine altero non viuentem: & patrem sempiterne genuisse, & filium sempiterne natum esse cogitemus si valemus: si non valemus, credamus.* Et serm. 38. de verbis Domini, cur non intelligatur, ipse profitetur se tantum dicere.

§. 8. Serapidi oraculum tribuunt de Trinitate. *Principio Deus est, tum Verbum, his spiritus vnus iungitur, hæc tria sunt, cuncta hæc tendentia in vnum.* Iosephum porro Serapin vocari contendunt, quod aliquando probabile existimaui, nunc reijcio, quia cito eius memoria abolita fuit.

De tribus hypostasibus Plotinus scripsit ex Platone, Clemens Alexand. 5. strom. Iustinus martyr. Apolog. 2. Eusebius. August. lib. 2. de doctrina Christiana.

§. 9. Insignis est disputatio in actis Gelasij Cyziceni de Concilio Niceno scriptis, cum philosophum conuertit Leontius Episcopus, quibus constat hoc mysterium similitudine posse adumbrari, non demonstrari. Ἀνέκφραστός ἐστι ἐπείπερ καὶ ἀπερινόητος, καὶ ἀνεπιλόγιστος, καὶ πάντη ἀνεξιχνίαστος ἡ θεία καὶ ἀόρατος ἐκείνη, ἥτις πάντα ὑπερέχουσα, καὶ τὰ πάντα περιέχουσα. πολλῷ ἄκρως πρὸς ἡμῶν ἐκ ἄλλον οἱῳθεὸν καὶ ἄλλον εἰρήκαμεν, καθάπερ ὁ ἀστεῖος ἐβλασφήμησεν Ἄρειος, ἕνα θεὸν ἄκτιστον, ὁ ἄλλον κτιστὸν εἰρηκὼς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ θεῖον ὑμοίως κτιστὸν κεκηρυχώς· μὴ γένοιτο. ἀλλὰ μίαν θεότητα νοοῦντες καὶ πιστεύοντες εἰρήκαμεν μίαν ὐσίαν, κυριότητά τε καὶ βασιλείαν μίαν τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. εἰδέναι τε τὰς τῆς ἁγίας τριάδος ὑποστάσεις ἀδιεξευνήτους, ἀόρατους, ἀπερινοήτους, ἀλλὰ πίστει μόνῃ μίαν θεότητα νοοῦντας καὶ πιστεύοντας, κατὰ τὰ καὶ πολλάκις εἰρήκαμεν, τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου καὶ προσκυνητῆς τριάδος. ἰδὰ δὲ πάντων ἔδειξεν ἡ ἀληθὴς πίστις, μηδὲν ὅλως τῆς ἁγίας τριάδος νοεῖν διαφέρειν. ὅθεν ἡ μικρόν σε τὶ νοεῖν δοῦσα ἡμῖν ἐθέλησον, καὶ πίστωθῆναι πλεῖον, δεχόμενος ὑποστάσεις, ἵνα γνῶς τῆς ἁγίας τριάδος μίαν θεότητα ἀεὶ οὖσαν καὶ ὑφεστῶσαν, τριάδα ἀληθῶς τριάδα, καὶ μηδὲν ὑστερεῖν αὐτῆς πρόσκαιρον ποτὲ, ἀλλὰ ἀεὶ καὶ ὡσαύτως οὖσαν ἀδιαίρετον καὶ ὁμοούσιον τριάδα.

Inexplicabilis, siquidem mente & cogitatione incomprehensibilis est, & inpenetrabilis diuina illa & ineffabilis substantia, quæ omnibus supereminet, atque omnia continet, tantum audi à nobis, non alium tibi Deum atque alium protulimus, sicut impius Arius blasphemauit, vnum Deum increatũ, & alterum creatum pronuncians, & Spiritum sanctum similiter creatum prædicans (absit) sed vnam diuinitatem cogitari & credi asseruimus, vnam substantiam, dominationem & sententiam vnam Patris & Filij & Spiritus sancti: scire autẽ sanctæ Trinitatis hypostases non esse disiunctas, aut locales, sed sola fide vnam diuinitatem considerari & credi, vt sæpius diximus, sanctæ & consubstantialis & adorandæ Trinitatis. Ecce per omnia Fides vera demonstrauit, non oportere in sanctæ Trinitate differentiam cogitare. Nunc autem parum animum nobis aduerte, atque amplius persuadeberis, accipiens à Spiritu sancto per nos salutifica documenta, vt agnoscas sanctæ Trinitatis vnam esse diuinitatem semper existentem & subsistentem trinitatem, & nihil in ea prius aliquando, sed semper & eodem modo existentem indiuiduam & consubstantialem Trinitatem. Hoc deinde exponit similitudine ignis, luminis, caloris, donec philosophus in ecstasin raptus, inter hæc proloquitur. *Trinitatis ratio.*

καὶ Ἀρείῳ καὶ τῇ συμμορίᾳ αὐτοῦ τῷ ἀστεῖ, βλασφημήσασιν εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, λέγουσιν, ὡς ἦν ποτὲ ὅτε ἐκ ἦν. καὶ ὅτι κτίσμα καὶ ποίημα, καὶ ἑξ ἑτέρας ὐσίας, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ μὴ τὶς αὐτῆς ὐσίας, ἧς ὁ πατὴρ εἰρηκόσι τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ μὴ τῆς αὐτῆς ὐσίας, ἧς ὁ πατὴρ εἰρηκόσιν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Ve Ario, & eius impio cœtui, blasphemantibus aduersus Filium Dei, dicentibus: Erat quando non erat, & quod creatura sit, & opus ex alia substantia Filius Dei & Spiritus sanctus, & dicentibus Filium Dei & Spiritum sanctum non esse eiusdem substantiæ, cuius est Pater.* Porro testimonia huic libro dant Photius in biblioth. Nicetas de orthod. fide l. 5. c. 6. Ioan. Cyparissiota decadis 3. c. 4. & 10. cap. 2. Metaphrastes refert ex Prochoro in vita Leonis, verba illa inter tonitrua esse audita, quemadmodum data Moysi lege, sed hæc incerta omittimus. *Arij dicta stulta.*

Amelius apud Theodor. l. 2. de curatione Græcanicarum affectionum, Barbarum hominem ait, *in principij dignitate Verbum apud Deum constitutum.* Quamuis igitur de verbo Dei nonnihil intellexerint, ex Christianorum disputationibus, & similitudinibus, non tamen naturali ratione Trinitatis mysterium assecuti sunt.

QVÆSTIO II.

Quid sit in principio?

§. 1. EOdem exordio vsus est Ioannes, quo Moses eodẽ etiã verbo, vterq; enim habet *bereschith* in prin-

Quatuor primariæ interpretationes.

in principio. Itaque quemadmodum variæ sunt in Genesi interpretationes, ita & hoc loco; sed mihi solum illæ recensendæ sunt, quæ huc pertinent. Sunt autem quatuor præcipuæ, & quidem magnorum auctorum. Verum tres priores, quamuis in modo loquendi differant, tamen si fidem spectes, & hæreseon confutationem; quodammodo sunt pares.

Esse in Deo

Esse igitur *in principio* est esse in Deo, vt interpretatur Athanas. orat. *Quod verbum ex Deo sit Deus.* Si igitur verbum erat in Deo, non est Verbum factum. Verissimè Chrysostom. homil. 1. *Contemplare quomodo ab ipso statim exordio superne aduolans, auditorum animos mentesque supra omnia, quæ sensu percipiuntur, erexit, supra terram, mare, cœlum, angelos, Cherubim, Seraphim, omnem denique creaturam: & vt eo ascenderent, persuasit. Quid igitur? Nunquid cum ad tantam nos erigeret altitudinem, ibi nos astistere potuit? Nequaquam. Sed quemadmodum si quis eum, qui ex littore ciuitates, oras portusque conspicatus sit, in medium postmodum pelagus proueheret, priorum conspectu amoto, id nullum certum obiectum, sed in infinitum eius dimittit intuitum: sic euangelista supra omnem nos creaturam ad cælestia erigens, ad supernum erectum oculum dimittit, nullo fine, vt arcana illa assequamur, nobis adhibito, quippe qui nullus est. Ascendens igitur ad Verbum, quod in principio erat, hoc inquirit principium: quo inuento, cum semper eius mentis aciem magis perstringat, non habet vbi ratione innitatur, sed intente suspiciens, cum cessare nequaquam ab inquirendo labore posit, rursum ad inferiora descendit.* Chrysostomus multa breuiter concludit.

In principio enim erat Verbum. Nihil aliud quam quod semper sit significat. Ecce veram philosophiam, & diuina dogmata, non qualia gentilium, qui tempora & deos hos antiquiores, illos iuniores posuerunt: sed nihil tale in nostra religione. Nam si Deus est, quemadmodum est, nihil eo superius: si omnium conditor, primus: si Dominus & princeps omnium, omnia post ipsum & creatura & sæcula.

§. 2. Augustinus Tract. 1. in Ioannem. *Exeat nunc nescio quis infidelis Arrianus, & dicat, quia verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri, vt verbum Dei factum sit, quando Deus per verbum fecit omnia? Si & verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud verbum factum est? Si hoc dicis, quia (hoc) est Verbum verbi, per quod factum est illud, ipsum dico ego vnicum filium Dei. Si autem non dicis Verbum verbi, concede non factum per quod facta sunt omnia. Non enim per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia: credæ ergo Euangelistæ. Poterat enim dicere. In principio fecit Deus Verbum: quomodo dixit Moyses, In principio fecit Deus cœlum & terram, & omnia sic enumerat, Dixit Deus, Fiat, & factum est. Si dixit, quis dixit? Vtique Deus. Et quid factum est? Creatura aliqua. Inter dicentem Deum & factam creaturam quid est per quod factum est, nisi verbum? quia dixit Deus, Fiat & factum est. Hoc verbum incommutabile: quamuis mutabilia per verbum fiant, ipsum incommutabile est. Noli ergo credere factum, per quod facta sunt omnia: ne non reficiaris per Verbum, per quod reficiuntur omnia.*

Obijciebant Arianis nostri, vt est apud Augustinũ l. 6. c. 1. de Trinit. filium esse sapientiam patris, ideoque æternum. *Sed inter disputationes quas habebant nostri aduersum eos qui dicebant, erat tempus quando non erat filius, hanc etiam nonnulli ratiocinationem inferebant. Si Dei filius virtus & sapientia Dei est, nec vnquam Deus sine virtute & sapientia fuit, coæternus est Deo patri filius. Dicit autem Apostolus, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam, & Deum aliquando non habuisse virtutem aut sapientiam, dementis est dicere. Non igitur erat tempus quando non erat filius. Quæ ratiocinatio ad id cogit, vt dicamus Deum patrem non esse sapientem, nisi habendo sapientiam quam genuit non existendo per se pater ipsa patientia. Deinde si ita est, filius quoque ipse sicut dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, videndum est vtrum possit sapientia de sapientia dici, si non est Deus pater ipsa sapientia, sed tantum genitor sapientiæ. Quod si tenemus, cur non & magnitudinis suæ, & bonitatis, & æternitatis, & omnipotentiæ suæ generator sit, vt non ipse sit sua magnitudo, & sua bonitas, & sua æternitas, & sua omnipotentia. sed ea magnitudine magnus sit quam genuit, & ea bonitate bonus, & ea æternitate æternus, & ea omniporentia omnipotens quæ de illo nata est, sicut non ipse sua sapientia est, sed ea sapientia sapiens est quæ de illo nata est. Nam illud non est formidandum, ne cogamur multos filios Dei dicere, præter adoptionem creaturæ coæternos patri, si magnitudinis suæ genitor est, & bonitatis, & æternitatis, & omnipotentiæ. Huic enim calumniæ facile respondetur, sic non effici, quia multa nominata sunt, vt ille multorum filiorum coæternorum sit pater, quemadmodum non efficitur, vt duorum sit, cum dicitur Christus Dei virtus, & Dei sapientia. Eadem quippe virtus qua sapientia, & eadem sapientia quæ virtus est. Itane igitur etiam de cæteris, vt eadem sit magnitudo quæ virtus, & si qua alia, quæ vel supra commemorata sunt, vel commemorari adhuc possunt.*

Epiph. ait Arium Christum dixisse πρὸ χρόνων, καὶ πρὸ αἰώνων, & vocasse πλήρη θεὸν μονογενῆ, sed appellatione sola. Hæc sententia non differt ab ea, si mentem spectes Patrum, quæ nomine principij patrem intelligit, quæ est altera interpretatio, & quidem multorum. Ita interpretantur, Clemens Alexand. adhort. ad Gentes. Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 1. Nyssen. orat. ad Simplicium. Augustin. lib. 6. de Trinit. cap. 2. Theophylact. Antiochen. lib. 4. Allegor. Beda. Idacius lib 3. contra Varimadum. Tertia sententia est In principio esse, idem significare quod esse in æternitate. ita sentit Nazianzen. orat. de filio. Ambros. de incarnat. cap. 3. Basilius, & Chrysost. in hunc locum. *Principium æternitas.*

§. 3. Veræ sunt illæ sententiæ, si rem spectes: Nam verbum erat in patre, & pater, in ipso, ideoque & in Deo, & Deus in ipso; quia autem filius in Deo est, & Deus in filio, idcirco hac in locutione nomine Dei intelligo patrem, nam alius in alio dicitur esse potius, quam idem in seipso. Hoc ita esse ex Athanasio doceo. Ille enim *orat. contra omnes hæreses*, ex his verbis Euangelistæ concludit Deum esse. Resque manifesta est, eum in patre semper fuisse. Qui in æternitate fuisse dicunt: in eandem sententiam incidunt, scilicet, in Dei æternitate, & ideo Deum. Non enim ambiguum est, Ioannem dicere voluisse, verbum semper fuisse, nunquam factum, atque ideo concludere Deum esse. Sic Eccles. 24. *Ab initio & ante sæcula.* Mich. 1. *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.*

Verbum cum creatura non creatum.

§. 4. Non tamen hoc loco aliud dici existimo quam in principio cum Deus crearet cœlum & terram; non esse etiam factum verbum, sed tantum fuisse, atque adeo ab omni æternitate. ita Hil. l. 2. de Trinit. Auguſt. Tract. 1. in Ioan.

Itaque Ioannes altius omnem creaturam supergressus, sanctissimam Trinitatem nobis indicauit, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Postea vero ad creationem, à qua Moses incepit, progreditur. Fundamentum Basilius, in his verbis ponit. *Si quis hanc vocem rectè tenueris, nihil à viris contentiosis ac capitis principio sis grauè patieris. Si enim ille dixerit: Si genitus est, non erat: erat, non tu dic: In principio erat. Sed inquit, prius quam genitus est, ipse filius non esset, quomodo Erat? Tu ne dimittas illud erat, non item relinquas, In principio. Principij namque summitas nequaquam deprenditur. Quod autem extra principium sit, non innotescitur.*

§. 5. Minus proprie loquuntur, qui principium putant significare Filium, aut Dei Sapientiam; nam Filius est in principio, ipsaque Sapientia

pientia, quamuis autem in seipso sit, vt est quælibet res sibi ipsi intima, non tamen hoc dicere attinebat. Quod quamuis non dicatur, necessario est intelligendum.

QVAESTIO III.

Quid est, Erat?

§. 1. VTitur hoc argumento contra Arianos S. Athanasius orat. contra omnes hæreses, vt probet Christi diuinitatem sempiternam. *Istis igitur adimpletis, dicit filius tonitrui : In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & cætera deinceps. Si ergo per eum omnia facta sunt: nimirum ipse extra ea est quæ facta sunt: resque manifestæ sunt, eum in Patre semper fuisse. Miseri profecto Arij, furiosi Iudæi, qui neque recte legunt, neque exacte rem perueſtigant, quippe qui obcæcatos habeant mentis oculos, arbitrantes creatorem & opificem omnium, creaturam esse: Audite hæc Euangelistæ verba: In principio erat. Quod si dixisset : In principio factus est, haberes quod diceres ex Euangelista, eum factum esse. Excute diligenter verba, & deprehendes veritatem, atque deinde percunctare Euangelistam, & dicet: Relege conditi mundi originem, & statim tibi loquetur : In principio fecit Deus cœlum & terram : sint igitur ea quæ non sunt, vt fiant quæ futura sunt. Erat Deus Verbum apud Patrem, per quem omnia facta sunt. Recte igitur Euangelista dixit : In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce triplicatam hanc vocem, Erat, & neutiquam illam alteram, Non erat.*

Et lib. 3. De assumptione Photinum oppugnat. *Interrogabo & te, Photine, qui Christum Deum verum abnegas, & hominem purum tantummodo confiteris. Nunquid causa hominis cautum inuenitur: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum : Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil ? Nunquid homo in hoc principio fuit, Homuncionita, & non Deus Dei Filius ante omne omnino principium semper vnà cum patre fuit?*

Et lib. 5. De Vnita substantia Trinitat. *Sed ad hæc piscator Euangelista Ioannes dilectus à Deo testatus est : In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Considera quia semper erat apud Deum patrem Deus filius, per quem omnino principium factum est. Vnde iam oportuit nos paulisper ad stulta dicta stulte respondere, vt vel sic de sua stultitia reuicti atque confusi, erubescerent. Vtique si erat pater antequam generaret filium, sine dubio non erat Pater, si non habebat filium. Sed ne vel hoc præsumant blasphemantes : Erat filius antequam nasceretur, qui si natus non fuerat, euidenter non erat filius. Stulte, quid ergo oportet dicere ? Elige tibi vnum de duobus : Si erat Pater antequam generaret filium, aut erat Pater qui iam vere genuerat filium : Vel si hoc significas : Erat filius antequam nasceretur, aut erat natus filius, qui iam vere natus fuerat de patre, sicut scriptum est : Qui erat, & qui est, & qui venturus est. Ideo non intelligis, Ariane, quia tota falsa introducis : vt dicas Patrem qui non genuerat, & nomines filium, qui necdum fuerat natus. Rogo si pater erat, vt asseueras, qui non genuerat, & filius erat, qui non erat natus à Patre, quæro à te quid tunc fecerint ? Ne forte dicas, ambo ingeniti, quod absit. Verum Patrem sempiternum, Verus filius declarat sempiternus, qui de eo natus fuerat, & verum filium sempiternum, verus demonstrat pater sempiternus, qui cum genuerat, ac per hoc vt dixi, sicut verus pater, qui de semetipso genuerat filium, vnà cum eo erat semper ante omnia anterior, sic verus filius, qui iam inenarrabiliter natus fuerat de patre, vna cum eo fuit semper, ante omnia anterior. Hæc est, inquam, in his interior sempiternitas, quæ ante omne omnino principium fuit, & erat. Ideo nunquam pater sine filio, quia semper filius fuit cum patre dum nullo modo potest pater hic dici sine filio.* Natus de patre semper cum patre.

Hoc ergo telum est inuictum contra nouitiam Arianorum sobolem, Seruetum, alioſque.

§. 2. Porro verbum Erat, seu ἦν, indicat, iam tum cum Deus initio mundum crearet fuisse. Interdum noster vertit, Fuit, 1. Ioan. 1. 1. nam solet ἦν pro præterito interdum sumi. Monet autem Basilius. Cyrillus l. 1. in Ioan. c. 1. Verbum Erat ἦν perennitatem significare minus vsitate *fuisse*, vt illud.

Fuit Ilium.

Exodi cap. 3. vers. 14. dicitur, *Ego sum, qui sum.* Quocirca non fuisse, aut futurus dicitur, sunt enim temporis differentiæ, vt Nazianzenus orat. 2. de Pascha, & Theodor. lib. 2. de curandis Græcorum affectionibus. Hoc vero ita intelligendum est, vt sciamus posse de Deo illa tempora enunciari, sed non ad vnum eum restringi, vt Basilius de Spiritu sancto ca. 6. docet. Quin etiam gentiles verbo εἶμι, vel εἰ, sum vel es, æternitatem signabant, vt habet Plutarchus libello de hac re scripto, & inscriptio apud Delphos erat. εἶ es, quæ ex Mose sumpta esse nihil dubito. Licet in eo sit Ero, Augustin. de diuersis serm. 24. *Quid quæris quid ante te erat ? In principio erat Verbum. Si factum esset verbum, (non est enim factum per quod facta sunt omnia:) Scriptura diceret, In principio fecit Deus verbum, quomodo dixit in Genesi, In principio fecit Deus cœlum & terram. Non ergo in principio fecit Deus Verbum: quia in principio erat Verbum. Hoc Verbum quod in principio erat, vbi erat? Sequere: Et verbum erat apud Deum.* Non igitur factum est Verbum quia dicitur Erat. *Quid* Græcis. *Erat, signũ* æternitatis

Quomodo fuerit sermo, & quo sensu acute exponit Tertullian. aduersus Praxean. cap. 5. *Sed quia Duos vnum volunt esse, vt idem pater & filius habeatur, oportet & totum de filio examinari, an sit, & qui sit, & quomodo sit : & ita res ipsa formam suam scripturis & interpretationibus earum patrocinantibus vindicabit. Aiunt quidem & Genesim in Hebraico ita incipere : In principio Deus fecit sibi filium. Hoc vt firmum non sit, alia me argumenta deducunt ab ipsa Dei dispositione, qua fuit ante mundi constitutionem, adusque filij generationem. Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Ceterum ne tunc quidem solus: habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & ratio in ipso prius : & ita ab ipso omnia. Quæ ratio, sensus ipsius est, hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque iam in vsu est nostrorum per simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi : quia non sermonalis à principio, sed rationalis Deus etiam ante principium : & quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam vt substantiam suam ostendat. Tamen & sic, nihil interest. Nam etsi Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa & in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando & disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans atque disponens sermonem, eam efficiebat, quam sermone tractabat. Idque quo facilius intelligas ex teipso, à me recognosce, vt ex imagine & similitudine Dei, quo habeas & tu in temetipso rationem, qui es animal rationale, à rationali scilicet artifice non tantum factus, sed etiam ex substantia ipsius animatus. Vide cum tacitus tecum ipse congrederis ratione, hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, & ad omnem sensus tui pulsum. Quodcunque* λόγος ratio. Dei ratio intra ipsum.

cogitaueris,

cogitaueris, sermo est, quodcunque senseris, ratio est. Vide eundem c. 13.

QVAESTIO IV.

Quid Verbum?

Verbum est Dei filius.

§. 1. GRæcè λόγος dicitur, quod Verbum, rationē definitionem, orationem significat. Quodnam ex his præcipue designet, magna est difficultas. Constat quidem Dei filium appellari verbum; neque id multi hęreticorum negarunt; Nam quod verbū ille vocauit, idem etiam, vnigenitum, & verbum caro factum dixit. Sic 1. Epist. c. 1. 1. & c. 5, 7. & Apoc. 13 Sed qua λόγος, aut verbi significatione ita dicatur, quæstio est.

Verbum immutabiliter à Deo procedit.

Prima interpretatio, ideo λόγον vocari, quod à Deo ἀπαθῶς, & sine vlla mutatione procedat, sicut cognitio & intellectio ex animo. Basilius hom. in Ioan. Nazianzenus orat. 4. Theolog. Ambros. l. 1. de fide cap. 2. Aug. l. 7. de Trin. c. 1. Chrys. hom. 2.

Dei verbū imperfectione caret.

Hinc filius est patris perfecta similitudo, sine motu procedens, & ideo patri consubstantialis. Necessarium porro est verbum procedere ex omni & tota cognitione Dei: alioqui enim esset imperfectum, patte scilicet cognitionis genitum.

§. 2. Quod Porphyrius blasphemat verbum non dici proprie, nec enim mentale esse, nec etiam prolatiuum, facile soluitur ex Basilio in c. 1. Ioannis initio. Nos quidem verbum ex rebus notis & vulgaribus dicimus, quæ suos habent defectus atque imperfectiones, in Deo tamen omnia sunt bona vere proprie & vt aiunt formaliter sunt, in quibus nulla imperfectio includitur. Verbum enim genitum est, sine mutatione, inceptione, vel sui vel generantis. Aretas in 19. Apoc.

Secunda. Quod verbum Deo patri intimum sit, vt intellectui sua notitia. Ita Nazianz. & Basilius.

Tertia, quod definitionis instar naturam patris exprimat, ita enim vocatur *Splendor gloriæ*; Heb. 1. 3.

Quarta, quod omnia complectatur, quasi quædam definitio. Nazianz. Elias Cretensis, Victorinus.

Quinta Quod nobis paternæ voluntatis sit interpres, & verbo Dei obtemperantes faciat. Origenes lib. 1. in Ioannem, Clemens Alexandrinus orat. ad gentes.

Sexta. Quod sit res realis & existens, hoc enim דבר *dabar*, Hebræis significat. ita Cyrill. Catech. 11. ἐγέννησεν ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν, οὐχ ὡς ὲν ἀνθρώποις γεννᾷ νοῦς λόγον. ὁ μὲν γὰρ νοῦς ὲν ἡμῖν ἐνυπόστατός ἐστιν, ὁ δὲ λόγος, λαληθεὶς, καὶ εἰς ἀέρα διαχυθεὶς, ἀπόλλυται. ἡμεῖς δὲ ὕσαμεν τὸν χρηστὸν γεννηθέντα, λόγον οὐ προφορικὸν. ἀλλὰ λόγον ἐνυπόστατον ζῶντα. οὐ χείλεσι λαληθέντα. ὲν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. ὲν δεξιᾷ καθεζόμενος λόγος νοῶν τῶν πατρὸς τὸ βούλημα, καὶ δημιουργῶν τὰ πάντα τῷ ἐκείνου νεύματι. λόγος ὁ καταβὰς, καὶ ἀναβὰς. ὁ γὰρ προφορικῶς λαλούμενος οὐ καταβαίνει, οὐδὲ ἀναβαίνει. λόγος ἐξουσιαστικὸς, καὶ βασιλεύων τῶν πάντων. πάντα γὰρ τῶν υἱῷ παραδέδωκεν ὁ πατήρ. ἐγέννησεν τοίνυν αὐτὸν, οὐχ ὥτως ὡς ἄντις νοήσειεν ἀνθρώπων, ἀλλ' ὡς οἶδεν αὐτὸς μόνος, οὐχ ὡς τὸ πᾶς ἐγέννησεν εἰπεῖν ἐπαγγελλόμεθα ἀλλὰ τὸ οὐχ ὥτως διαβεβαιούμεθα. *Genuit pater filium, non sicut in hominibus mens generat Verbum. Mens enim subsistens in nobis est: Verbum autem prolatum, & dissolutum, sed ex patre perpetuo, ineffabili modo & in subsistentia natum. In principio enim erat verbum, in dextra sedens, Verbum intelligens patris voluntatem, & illius nutu omnia gubernans. Verbum quod descendit & ascendit: nam illud quod enunciando profertur, non descendit, neque ascendit. Verbum loquens & dicens: Quæ vidi apud patrem meum, hæc loquor. Verbum potens, & imperans omnibus: omnia enim filio tradidit pater. Genuit igitur ipsum pater, non ita vt aliquis intellexerit, sed vt ipse solus nouit. Neque enim quomodo genuerit, dicere promittimus: sed quod non ita genuerit, confirmamus.*

Septima. Ideo filium dici verbum, quod patris sit cognitio. Ita plerique auctores, quos Maldonatus citat.

§. 3. Syrus interpres vertit מלתא *melletha*, estque notandum Chaldæum paraphrasten frequenter vti verbi nomine, cum de Deo agit. Hæ interpretationes omnes suo modo ad mysterium altissimum intelligendum adiuuant, quamuis nonnullæ propriæ non sint. Vsitatum in Ecclesia Iudæorum certe fuit, vt Deus verbum vocaretur.

Chaldæi verbum pro Deo usurpant.

Obseruandum porro pro voce יהוה quod essentiam, seu *Erit*, ideoque diuinitatem maxime significat, Chaldæum ponere crebro מימרא *meimar* Verbū, superstitione, quod nomen iudicarent ἀνεκφώνητον ineffabile, quocirca etiam Rabbini posuere nomen: sic Christo Psal. 109. dedit hoc nomen. *Dixit Dominus verbo suo*: Idcirco Ioannem vsitata phrasi vsum putant.

§. 4. Rationem non ita propriè dici docet S. Augustinus l. 83 q. 9. c. 63. quod illa processionem minus quam verbum designet, & sit illa quoque in eo qui nihil actu intelligit.

Philosophi de verbo.

§. 5. Tertull. Apolog. c. 21. Processionem hunc in modum describit. *Iam ediximus Deum vniuersitatem hanc mundi verbo & ratione & virtute molitum. Apud vestros quoque sapientes λόγον, id est sermonem atque rationem constat artificem videri vniuersitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formauerit, eundem & fatum vocari, & Deum & animum Iouis, & necessitatem omnium rerum. Hæc Cleanthes in spiritum congerit, quem permeatorem vniuersitatis affirmat: & nostrum sermoni atque rationi, itemque virtuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam substantiam spiritum inscribimus, cui & sermo insit pronuncianti, & ratio adsit disponenti, & virtus præsit perficienti. Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco filium Dei & Deum dictum ex vnitate substantiæ: nam & Deus spiritus. Etiam cum radius ex sole porrigitur portio ex summa, sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur. Ita de spiritu spiritus, & de Deo Deus, vt lumen de lumine accensum, manet integra & indefecta materia matrix, & si plures inde traduces qualitatis mutuerit: ita & quod de Deo profectum est, Deus est & Dei filius, & vnus ambo. Ita de spiritu spiritus, & de Deo Deus modulo alternum numerum gradu non statu fecit, & à matrice non recessit, sed excessit.*

Iustinus ex Orpheo testimonium producit, Cyprianus de vanitate Idol. rationem & sermonem vocat.

Perbus

Hoc quoque Tertullianus monuit Apol. cap. 21. *Huius igitur gratiæ disciplinæque arbiter & magister, illuminator atque deductor generis humani filius Dei annunciatur, non quidem ita genitus, vt erubescat in filij nomine, aut ex illo de patris semine non de sororis incesto, non de stupro filia, aut quia coniugis alienæ Deum patrem passus est, quamatum aut innutum aut plumatum amatorem aut in auro conuersum Danaidis. Iouis istæ sunt, & numina vestra. Ceterum Dei filius nulla de impudicitia habet matrem, etiam quam videtur habere non nupserat. Sed prius substantiam edisseram, ita natiuitatis qualitas intelligetur.*

* *
*

QVÆ-

QVAESTIO V.

Quomodo conueniat verbum nostrum & diuinum?

§. 1. VErbum mentis seu intellectio, ita à potentia intelligente animaque procedit, vt in ea recipiatur, in eaque permaneat, quocirca Theologis & Philosophis dicitur actio immanens. Dei verbum à Deo Patre procedit, vt maneat in patre, eiusdem cum patre substantiæ & diuinitatis, non enim potest fieri, vt intellectio Dei inhæreat ei veluti accidens.

§. 2. Quale sit verbum Dei, etiam ex verbo humano vtcunque intelligimus. Verbum nostrum, aut cogitatio qua rem quampiam apprehendimus, tanta est, quanta est cognitio & perspectio rei quam cogitamus, ita quidem, vt si mente plura complectamur magna sit & late patens cognitio; Deus autem cum seipse perfectissimè, omniumque rerum non modo factarum, sed etiam possibilium naturas modosque infinitissimo que actu semper intueatur, necesse est eius verbum seu cognitionem intelligendo expressam esse infinitam, ac proinde Deum.

§. 3. Eunomius verbum diuinum diuidebat: Vnum enim Deo internum & consubstantiale affirmabat, alterum externum, quod ideo verbum appellari asserebat, quia patris verba nobis annũciaret. Primas duas periodos interpretabatur de filio Dei, qua Deus. Tertiam, *& Deus erat verbum*, de creatura. Respondeo satis superque illam blasphemiam retundi, eo quod postea subiungitur, *& verbum caro factum est.*

QVAESTIO VI.

Cur potius verbum quam filium appellet?

§. 1. CAusæ variæ, vt in obscuris, & vbi de arcanis coniectura vtimur, adferuntur. Nomen filij Dei apud Hebræos vsitatissimum fuisse aiunt, vt verbum diceretur. Id ex Chaldæo interprete probant, qui frequentissime illo vtitur, itemque Philo λόγον vocat. Trismegistus etiam, & Plato apud Eusebium de præparat. Euang. l. 7. c. 5. Verbum sic vsurpant. Hoc à Iudæis habere eos conijciunt. Itaque Ioannem aiunt vsitato vti vocabulo, quo Iudæis gratior esset lectio.

Ratio forte in speciem melior, quam reipsa. Nã interludęos nó nisi inter illuminatissimos fuit sanctissimæ Trinitatis cognitio. Deinde Trinitatem hodie Iudæi inficiantur. Auctores vero Chaldaicæ editionis Aquilam esse putant, qui Onckelos dicitur, is Pẽtateuchum vertit. Deinde Prophetas priores & posteriores Ionatham, Denique Psalmos & alia R. Iosephcæcus. Omnes illi infesti Christianis, atque adeo filij Dei negatores, vt probabile mihi non videtur, eos verbi nomine Dei filium significare voluisse. Et Onckelos quidem post Christum scripsit, Ionatham ante, Iosephi incerta est ætas. De Christo multa illa paraphrasis aperte habet, vt Porchetus, Galatinus, alij demonstrant, sed nos de filio Dei, qui Deus est loquimur. *Id vero mihi manifestum videtur.* Nam Psal. 2. 7. Vbi Hebræi habent, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, non ponit verbum aut filium, sed maligne vel imperite, *Dilectus, sicut filius patri, tu mihi.* Vbi comparatur cum filio dilecto, non dicitur filius. Sed de his alias, & alibi.

§. 2. Alij vero ideo vocati verbum, quia mox additur, *omnia per ipsum facta sunt.* Verbo autem Deus firmauit cœlos. *Dixit & facta sunt.* Hac etiam in ratione hæreo. Non enim Deus verbo absoluto seu essentiali quo cœlos fecit, filium genuit. *Dicta & facta sunt, mandauit & creata sunt*, sed hoc dictum hoc mandatum non est filius. Ante hæc enim erat filius. Quamuis autem omnia facta sint per filium, ideoque per verbum, non tamen intelligi potest, quomodo Imperium creantis sit verbum? *Verbo absoluto non genuit Deus filiũ.*

§. 3. Mirandum igitur magnopere, cur, cum alij Euangelistæ nunquam, nec ipse quidem Ioannes, nisi hoc capite, & Apoc. 19. 13. Vocet Verbum, cur ita hoc loco nominet. Consideranti mihi tempora, quibus hæc scripta sunt, nempe anno Christi 100. & hæreses quæ eodem tempore inceperunt, & paulo post violentissimè grassatæ sunt, ratio probabilis occurrit. Saturnini discipulus, & Basilidis condiscipulus fuit Valentinus; hæreses quas illi inceperunt, ipse ad summum blasphemiæ eduxit. Valentinus Deum infinitum, immensum, æternum genuisse fabulabatur, sed generationes more humano fingebat. *Illic enim*, inquit Tertull. contra Valentin. cap. 7. *Valentinianorum Deus ad summas regulas habitat. Hunc substantialiter αἰῶνα τέλειον appellant, personaliter vero πρόαρχὴν & πρὼ ἀρχήν, etiam Bython, quod in sublimibus habitanti minime congruebat. Innatum, immensum, infinitum, inuisibilem, æternumque definiunt: quasi statim probent esse, si talem definiant qualem scimus esse debere, vt sic & ante omnia fuisse dicatur. Sed vt sit expostulo, nec aliud magis in huiusmodi denoto, quam quod post omnia inueniuntur, qui ante omnia fuisse dicuntur, & quidem non sua. Sit itaque Bythos iste infinitis retro ævis, in maxima & altissima quiete, in otio plurimo, placida, & (vt ita dixerim) stupentis diuinitatis, qualem iussit Epicurus. Et tamen quem solum volunt, dant ei secundam in ipso & cum ipso personam, Ennœan, quam & Charin & Sigen insuper nominant. Et forte accedunt in illa commendatissima quiete mouere eum, de proferendo tandem initio rerum à semetipso. Hoc vice seminis in Sigæ suæ velut in genitalibus vuluæ locis collocat. Suscipit illa statim & prægnans efficitur, & parit vtique silentio Sige, & quem parit Nus est, simillimum patri, & parem per omnia. Denique solus hic capere sufficit immensam illam & incomprehensibilem magnitudinem patris. Ita & ipse pater dicitur & initium omnium, & proprie Monogenes. At quin non proprie, siquidem non solus agnascitur. Nam cum illo processit & fœmina, cui Veritas. Monogenes, quia prior genitus, quanto conuenientius Prologenes vocaretur? Ergo Bythos & Sige, Nus & Veritas, prima quadriga defenditur Valentinianæ factionis, matrix & origo cunctorum.* Et ca. 8. Æonas ex coniugationibus masculorum & fœminarum ex delirijs eorundem recensет, quæ eadem sunt apud Iren. Epiph. Theodoretum, addit: *& fraterna connubia.* Quin & c. 9. est Enthymesis abortiua, seu ἔκτρωμα, vide Iren. lib. 2. cap. 9. & cap. 11. nouam copulationem fingi ait, quam impuritatis fugiendæ causa omitto. *Hæreticorum Theogoniæ.*

Arianos autem in generatione filij Dei mentem non sustulisse supra corporum terminos, testatur Cyrillus Alexand. homil. 15. in festis Paschal. probat vero eadem homilia. πατὴρ γὰρ ὄντως ἀεὶ τοῦ πατρὸς, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ κατὰ δύναμιν ἐν χρόνῳ προήκοντος εἰς τὸ τεκεῖν κατ' ἐνέργειαν, ἀεὶ συνυπάρχειν ἀνάγκη τὸν δι' οὗ ἐστι πατήρ. ἐν ἀρχῇ γὰρ ἦν ὁ λόγος, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, κατὰ τὰς γραφάς. ἔδει τὸ ἦν ὀνομάζεται, προεπινοουμένης μηδενὸς, ὧν τῆς ἐννοίας ὁ ὅρος στήσεται, καὶ πρὸς ποῖον ἡμῖν καταντήσῃ τέλος: ὡς ἐν ἰδέαις φαντασίαις ὁ νοῦς εἰ διάκειν ἔλοιτο τὸ ἦν; οὐκοῦν γεγέννηται μὲν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. γεγέννηται δὲ, οὐ κατὰ σώματος φύσιν, ὡς ἑτεροότητα τὴν εἰς ἄπειρον ὑπάρξαι νοεῖν τῷ γεννωμένῳ πρὸς τὸ γεννῶν. κεκρώμεθα δὲ ἀναγκαίως ἐκ τοῦ καθ' ἡμᾶς τὸ τῆς γεννήσεως ὄνομα κατα-

καταδημαίνοντες ὅτι τῆς θεοῦ πατρὸς οὐσίας ὁ μονογενὴς, φωτὸς ἀνέλαμψε νόμῳ. καὶ ὑφέηκε μᾶλλον ἰδικῶς. καὶ ἐν ὑπάρξει νοεῖται τῇ καθ' ἑαυτόν. λογικὸν δὲ πανταχῶς ὁ υἱὸς τῷ δὲ λόγῳ. ἐ γὰρ τοι τῆς τε πεκόντος οὐσίας εἰς ἄπερ ἐξεγένετο, ἀλλ' αὐτός τε ὑπάρχων ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ἐν ἰδίᾳ φύσει καταδεικνὺς τὸν γεννήσαντα συμπροσνεῖται καὶ συνδοξάζεται. ἐπειδὴ δέ ἐστιν ὁμώνυμος καὶ ἰσοκλεὴς, ἀναγκαίως ἰσχυρός τε ἅμα καὶ ἰσοσθενής. *Cum namque Pater semper fuerit Pater, neque de potentia in tempore ad actum generandi progressus sit, semper illi coexistere necesse fuit per quem est pater. In principio enim erat Verbum, & Deus erat Verbum. Cum autem verbum, Enerat, effertur, nullo prius alio prolato, vbi iam se cursus cogitationis sistet? quem vero tandem nobis exitum inueniet, si per contemplationum subtilitatem, Illud erat, mens nostra persequi velit? Igitur genitum quidem est, & Deus erat Verbum, genitum vero non iuxta corporum naturam, vt alterum omnino esse à generante genitum intelligamus. Vtimur vero necessario, ducto ex ijs quæ apud nos fiunt, generationis vocabulo, significantes ex Dei Patris substantia Vnigenitum luminis modo effulsisse, proprieque subsistere, & in peculiari sua subsistentia seorsum intelligi. Inexplicabilius est autem penitus hac de re oratio. Nec enim à patris substantia omnino diuisus, sed ipsemet in Patre existens, & in propria natura genitorem ostendens, simul adoratur & conglorificatur. Cum vero consubstantialis sit & aqualis gloria, potentia quoque & virtute æqualem esse necesse est.*

Verbum non est genitū more corporū.

Veriſſimum porro hoc eſſe docet Iren. libro 1. ca. 1. [Ioannem præterea Domini diſcipulum, primam Ogdoadem indicaſſe docent, hiſmet verbis vtentes. Ioannes Domini diſcipulus, rerum omnium ortum exponere cupiens, iuxta quem Pater omnia produxit, principium quoddã ponit, id nempe quod primo à Deo genitum eſt, quem & Nun, & vnigenitum Filium, ac Deum appellauit, in qua Pater omnia ſeminali ratione procreauit. Ab eo autem Sermonem productum eſſe, & in eo omnem Æonum eſſentiam quam poſtea ſermo ipſe formauit. Quoniam igitur de primo rerũ ortu verba facit, recte à principio, hoc eſt à Deo, & Sermone ſuam doctrinam inſtituit. Ad hunc porro modum loquitur: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. In quibus Verbis cum primo hæc tria diſtinxiſſet, Deum, principium, & Verbum, rurſus ea copulat: vt & horum vtriuſque productionem oſtendat, hoc eſt Filij, & Verbi, ac ſimul & horum interſe, & cum Patre cõiunctionem. In patre enim, & ex patre eſt principium: In principio autem, & ex principio Verbum, erat enim in Filio. Et Verbum erat apud Deum (principium etenim) & Deus erat Verbum. Hoc enim conſequitur: id quippe Deus eſt, quod de Deo genitum eſt. Hoc erat in principio apud Deum.] *Hæc Ireneus.*

Ogdoadũ generatio.

Reuera enim corporali modo iſta fieri imaginabantur, nec filium ſine illis quæ apud homines ſunt, gigni putabant.

QVAESTIO VII.

An Verbum ſit potius dicendum quam Sermo?

§. 1. VEteres nunc Verbum, nunc Sermonem vertunt. Eraſmus contendit ſermonem potius dicendum, quem plerique Nouatorum ſequuntur. Miratur ille Latinis magis placuiſſe Verbum, quàm ſermonem, eodem modo Caluinus, Beza. Citat ille Cyprianum l. 2. cont. Iudæos c. 3. Auguſt. in Ioan. 17. Lact. l. 4. cap. 8. Prudentium in hymnis. Claudianum, qui vocẽ dedit. Ambroſium de fide c. 2. Deinde Sap. 18. 15. Quem locum D. Thomas, Hugo Cardinalis, Gloſſa ordinaria, Beda, Remigius, Anſelmus de filio Dei interpretantur. Itaque nec damnandi ſunt, qui ſermonem vertunt, nec qui verbum. Verbum tamen melius dicimus, quam ſermonem. Nam λόγος etiam verbum, dictum, ſignificat, & λογίδιον, ſeu λογάριον verbulum, dictiuncula, apud Iſocratem.

Verbum Patris.

Deinde λόγος eſt conceptus mentis, quod verbum mentis vocare ſolemus, ſeu ratio etiam ipſa, quorum vtrumque non ſatis commode ſermone dixeris. Plato certe in Parmenide ita loquitur, λόγῳ λαβεῖν, mente, ratione, cogitatione percipere, itaque τὸν λόγον ponit ἀντὶ τῆς διανοίας, pro mentis conceptu. Filio autem Dei hoc omnino conuenit, per intellectum enim patris procedit, non autem externam locutionem.

Accedit & ipſa filij Dei ſumma vnitas, ac naturæ ſimplicitas, quam rectius verbum, quàm ſermo explicat. Vt plurimi Catholicorum notarſit, probant inulti etiam Sectarij, qui ne Serueto alijſque detur occaſio, per ſermonem intelligendi doctrinam, verbum retinere malunt, vt Lutherus, Bucerus, Muſculus, Brentius, Philippus, Illyricus, Bullingerus, alij.

§. 1. Imo etiam cum Dei interpretem dicimus, melius verbi, quàm Sermonis appellatio conuenit. Analogia hoc ipſum demõſtrat, Ioannes vocem ſe appellat, clamantis in deſerto. Vox effectus eſt verbi; quam enim ſententiam intelligentia genuit, vox enunciat.

Denique patres qui aliquando ſermonem dicunt, ijdem ordinarie verbum appellant. Cyprianus tamen videtur legiſſe *Sermo*, ſed ille biblia vt in Græco vertere ſolet, vt & Tertullianus nude dicere ſolet κατὰ Matthæum &c.

Germani hæretici. Fateor ſane mirari me cum in libris Germanorum hæreticorum latinis lego *Sermonem*, in Germanicis vero das Wordt/ hoc eſt, verbum. Nam ſermo eſt ein Red. A ſe igitur omnino differunt, cum Germanice & Latine loquuntur. Magis tamen in ea ſententia ſunt Caluiniani, quàm Lutherani, licet illi quoque Germanico idiomate, verbum, non Sermonem effectant.

VERSVS 2.

Hoc erat in principio apud Deum.

QVAESTIO I.

Quomodo Verbum erat apud Deum?

§. 1. NOn deſunt rationes multæ quibus fuiſſe apud Patrem dicatur; ſed difficile eſt ex his, quæ optima ſit, atque adeo literalis, à ſpiritu ſancto propoſita, cognoſcere. Tota obſcuritas eſt duabus in vocabulis. *Apud* & *Deum*. Deus duas tantummodo ſignificationes habere poteſt, vt vel ſit Deus abſolute, vel Pater. Itaque verbum dici poteſt, vel apud Deum abſolute poſitum, vel ayud Patrem fuiſſe: diuerſo prorſus ſignificatu apud Deum, & apud Patrem nonnulli dicunt. Imo etiam apud Patrem diuerſo modo eſſe intelligitur: qua de re quærendum eſt.

Verbum erat apud Deum, eſt, vel erat Deus.

§ 2. Auguſtinus l. 6. de Trin. c. 2. Deum interpretatur abſolute pro tribus perſonis: eo modo quo animus dicitur apud ſeipſum. Vt ille: præ iracundia non ſum apud me.

Verùm obſcurior eſt, & inuſitata illa propoſitio,

sitio. Vt dicatur Verbum esse apud Deum, hoc est, esse Deus. Id inquam non modo obscurum est, verum etiam, plane idem cum eo quod subdit. *Et Deus erat Verbum.* Augustini Verba sunt. *Quod vero adiungitur, & Verbum erat apud Deum: multum est, vt sic intelligatur, Verbum, quod solus est filius, erat apud Deum, quod non solus est pater, sed pater & filius simul Deus. Sed quid mirum, si in duabus quibusdam rebus longè inter se diuersis potest hoc dici? Quid enim tam diuersum, quam animus & corpus? Potest tamen dici animus erat apud hominem, id est in homine, cum animus non sit corpus, homo autem animus simul & corpus sit. Vt etiam quod consequenter scriptum est. Et Deus erat Verbum: sic intelligatur, Verbum quod non est pater, Deus erat simul cum patre. Itane ergo dicimus, vt pater sit generator magnitudinis, hoc est, generator virtutis, vel generator sapientiæ suæ: Filius autem magnitudo, virtus & sapientia: Deus vero magnus, omnipotens, sapiens ambo simul?*

§. 3. Plurium igitur interpretatio est, Dei nomine hic indicari primam personam, nempe Patrem. Hil. l. 2. de Trinit. Chrysost. hom. 2. Basil. in expos. horum verborum, Athanas. quod Deus de Deo sit Verbum. Theophyl. Maldonatus. Nam commodissimè persona diuersa apud aliam esse dicitur. Cur vero non dixerit esse apud patrem, causa eadem est, quam ante dixi, cur non vocarit filium, sed Verbum.

§. 4. Verbum igitur apud Deum erat, vti Filius apud Patrem, siue in domo patris. Non enim ingenitus erat, sed originem ducebat à patre. Hilar. Chrysostom. alij, Verbum fuisse apud Deum, hoc est, in Deo affirmant, ex eo quod dicat ipsum, Pater in me est, & ego in Patre. Sic docet Iren. l. 3. cap. 8. Augustin l. 6. de Trinit. cap. 2. Fulgentius l. 3. ad Monimum. Qui auctores hinc etiam probant, Verbum esse Deum. Hi itaque in eo sunt, vt τὸ ὁμοούσιον probent. At vero alij auctores diuerso modo interpretantur, vt scilicet, contra Sabellianos personarum distinctionem asserant, vt Chrysost. Theophyl. Cyrillus, alijque.

Etenim non dubito, quin summa cum Patre coniunctio significetur, quæ alijs etiam locutionibus exprimitur, vt esse in sinu patris, esse in patre. Quia tamen particula *Apud* non modo coniunctionem, sed etiam coniunctionem diuersorum indicat, mihi videtur & substantiarum vnitas, & personarum diuersitas clarissimè indicari. Apud patrem est eadem res substantialiter, diuersa personaliter. Intelligens enim seu intellectus & intellectio, coniuncta sunt maximè. Diuinus intellectus & intellectio cum accidentia non sint, maxime iunguntur, & per intellectum procedit Verbum.

§. 5. An vero eodem modo Pater dici possit esse apud Filium controuertitur, sed ad modum loquendi pertinet. Filius est apud patrem, vt originem, & principium, pater apud filium vt origo & principium apud personam à se procedentem.

§. 6. S. Gregor. lib. 5. Mor. cap. 19. Apud Deum fuisse interpretatur, fuisse inuisibilem, nobis non apparuisse, ita 1. Ep. cap. 1. 2. *Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis.* Hanc Maldonatus noster probat, & alteram Ambrosius de Incarn. Sacramento cap. 3. & Nyssen. l. de fide ad Simplicium. Apud Deum esse, hoc est, iuxta Deum sedisse, ad dextram Dei, patem Deo patri fuisse. Hoc est enim πρὸς τὸν θεὸν, apud Deum, vel ad Deum.

Nam de relationibus accipere nimis est argutum: nec magnopere quicquam efficit contra hæreses. Relationem enim filij esse ad patrem, nemo dubitarit: sumpta est occasio huius sententiæ ex præpositione πρὸς. Intellectio duplici modo consideratur, vel vt est actio, & conceptio rei quæ intelligendo percipitur: vel vt est actionis illius terminus, ille autem dici solet, mentis Verbum. Cogitationes autem scriptura Verbum appellat, vt docet Augustinus l. 15. de Trinit. cap. 10. & Sap. 2. Sic igitur filius sapientia patris, est in patre & apud patrem.

Hanc rem explicat, quod Theophylactus ait, dici filium apud patrem, ne quis putet eum aduersum esse, aut insurgere contra patrem. Tales enim Deos non gentiles modò, sed etiam Valentiniani comminiscebantur, amores, odia, pugnas, lacrymas, exilia, reditus, reconciliationes *Filius concors patri.*

§. 7. Obijciebant Ariani. Si Verbum apud Deum, non ergo Deus. Fulgentius lib. 3. contra Monimum. Arrianus enim byrro Catholici arrepto, quærebat; Hic byrrus estne in me, an apud me? Tum Catholicus. est apud te: cui ille. Sic filius est apud patrem, non consubstantialis patri, sed externus. Verum esse apud patrem, alio modo dicitur esse in patre. Hinc illud Transyluanorum soluitur. Si Verbum est idem Deus, qui est pater, ergo Verbum est pater, & hic tamen dicitur esse apud patrem. *Arianorum argumentum.*

Respondeo ex Sabellianâ pharetra hoc telum esse, sed imbelle. Verbum est idem Deus qui est pater, sed non est pater, non enim Verbum est Deus, quatenus ille est pater, sed quatenus est Deus.

§. 8. Diuersitatem personarum eleganter Tertullianus expressit, aduersus Praxeam. 21. *In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo. Hic erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Nam si hæc non aliter accipi licet, quàm quomodo scripta sunt, indubitanter alius ostenditur, qui fuerit à principio, alius apud quem fuit: Alium sermonem Dei, alium Dominum: licet & Deus sermo, sed quâ Dei filius, non quâ pater: Alium per quem omnia, alium à quo omnia. Alium autem quomodo prædicamus, sæpe iam edidimus, quo alium dicamus necesse est, non eundem autem, non quasi separatum, dispositione alium, non diuisione alium.* *Personarũ diuersitas.*

Hinc igitur apparet, quomodo S. Patres pugnarint contra Arianos, & Semiarianos, dum Verba distinguunt, vt docet Epiphan. l. 3. contra hæreses, vbi eius blasphemiæ in Basilij, Eustachij, Hyperechij, Letoij, Heortici, Gymnasij, Memnonij, Eutychetis, Seuerini, Eutychij, Alcimedis, Alexandri Semiarianorum confessionem refutat. *Essentia nomen nudo modo in Veteri ac nouo Testamento non habetur, sensus autem & significatio eius vbiq; habetur. Et primum in his quæ Deus Mosem mittens, dixit: Sic dices ad filios Israel. Qui est, & velut de eo qui primario pater intelligitur, ex quo omnis patrum familia in cælo & in terra nominatur, qui neque ex aliquo est, & his quæ sunt, vt sint, causa est. Quandoquidem verò & filius est qui est, accepit hoc ex Euangelio secundum Ioannem dicentem. In principio erat Verbum: & occasionem reperit Paulus Samosatensis, & Marcellus, non amplius dicentes filium Dei filium vere, sed prætextu ex voce Verbum arrepto, Verbum & sermonem ex ore voluerunt dicere filium Dei, ideoque coacti sunt patres qui Paulum Samosatensem condemnarunt ob talem opinionem, quo ostenderent quod filius substantiam habet, & existens est, & est quiest, non autem Verbum ex ore est, essentiam dicere etiam filium, differentiam eius quod per seipsum existit, & eius quod non existit, essentiæ nomine ostendentes. Nam Verbum per seipsum nullam substantiam habet, & non Samosatene potest esse filius Dei, alioqui multi sic erunt filij Dei. Multa niani daenim confitetur pater loquens ad filium: quum dicat, Fiat mnati. firmamentum, fiant luminaria, producat terra, & faciamus hominem. Quare pater ad filium loquitur & Verba quidem Dei, quæ loquitur ad filium, non sunt filij. Verum filius ad quem loquitur pater, cum alijs pie appellatur panis, & vita, & resurrectio. Insuper & Verbum nominatur, quo-* *Patres Ario antiquiores eius blasphemiæ in alijs refutarunt.*

niam interpres est voluntatum Dei. Itaque vt ne hæretici decipientes simpliciores, dicerent filium idem cum Verbis, quæ loquitur Deus, patres differentiam filij Dei, ad Verba Dei ostendentes, filium essentiam vocauerunt, ita differentiam declarantes, quod Deus est qui est, & Verba quæ loquitur sunt, sed non essentia Dei, verum vocales actiones. At filius Verbum existens, non est vocalis actio Dei, sed filius existens, essentia est. Si enim pater est qui est, & filius est qui est, est autem sic filius, velut qui ex Deo ingenuè ipsum esse habet: Verbum intelligetur filius, non velut Verba quæ Deus loquitur. Illa enim ipsum esse in loquente habent, hic verò eo quod ex patre genitus est, & patrem audit, & patri ministrat, ipsum esse habet. Hanc igitur substantiam patres vocauerunt essentiam.

Tertulliani dura loquutio.

§. 9. Quod vero Tertullianus cap. 21. Apologetici, *Modulo alterum numerum gradu, non statu fecit*: quod alij vt Zephyrus inuertit, statu non gradu, obscurum est: Sed prior lectio retinenda est. Videtur autem Tertullianus aliquando improprie loqui, vt contra Praxeam cap. 30. Vbi Spiritum *tertium numen diuinitatis* appellat, & tertium nomen Maiestatis. Vbi sane *tertium numen* de personâ intelligi debet, non de diuinitate, quæ vnica tantum est. Ita & hic, per statum subsistentiam & personam; per gradum, substantiam gradu diuersam accipere necesse est; nam inter pararadoxa Tertulliani, nisi quoad modum loquendi non puto referendum.

Verbū hominis non est Homo.

§. 10. Athanasius de æternâ Filij & Spiritus substantiâ, ostendit Verbum subsistens esse, quia sic apud Deum. *Si enim Deus Verbum in mente habet, non autem reuerà ex ipso genitum, vt Deum ex Deo, quomodo esse poterit apud Deum Verbum? aut quomodo Deus fuerit? Non enim Verbum in mente hominis conceptum, homo est apud hominem, cum nec viuat, nec subsistat, sed viui duntaxat, & subsistentis pectoris modus sit, quod mox vt enunciatum est, non subsistit.* Item lib. 1. contra Arianos, inquit. *Erat*, non factum est. & lib. 3. contra Arianos. *Ita quoque Ioannes de filio Theologicans, agnoscensque vocum discrimina, non dixit. In principio factus est, aut conditus est: sed, In principio erat Verbum, vt per geniti naturam hac vox (erat) subaudiretur: id cauens, ne quis interuallum temporis interesse cogitaret, sed semper & æternaliter filium existere crederet. Istis ad istum modum probatu, qui fit, ô Ariani, vt non intellectis Deuteronomij Verbis, etiam illic denuo vos impios in Dominum exhibeatis, dicentes illum vel opus, vel creaturam, vel denique quiddam genitum existere? Idem enim genitum & factum affirmatis significare, etiam isthic non minus quam alibi indocti & impij deprehendendi.* Et paulo ante. *Natiuitatem suam ex patre absolutè exprimens: statim subiunxit; Ante omnes colles genuit me: non, cur genitus esset, quemadmodum in hoc dicto (creauit) subiunxit ad opera sua, sed simpliciter & absolutè, genuit me: quemadmodum & hoc In principio erat Verbum. Nam etiamsi opera condita non fuissent, æque tamen erat Verbum Dei, & Deus erat Verbum. Cæterum vt fieret Homo, nunquam destinatum fuisset, nisi hominum necessitas, eius rei causam præbuisset. Non igitur creatura Filius haberi poterit. Si enim creatura esset, nunquam dixisset, genuit me, nam creaturæ nihil ex essentia creatoris habent, quippe, quæ duntaxat sint opera externa creatoris. Verum, genitum esse, non extrarium quiddam quale opus est, denotat: sed quiddam proprium, quod ex substantia Patris emersit, ideoque hæc opera, nimirum inter res conditas numeres: Verbum contra Dei vnigenitum Filium esse censeas. Imo in mundi creatione, non dixit Moses; In principio genuit Deus, neque in principio erat: sed, In principio fecit Deus cœlum & terram.*

Arianorum.

§. 11. Ariani quidem cum Arimini similem filium patri dixissent, postea dissimilem dixere, vnde dicti sunt ἀνομοῖοι, quibus additum cognomen, vt vocarentur ἐξ οὐκ ὄντων, Ex non entes, vel essentes, quod ex non ente filium factum dicerent, vt est in Epistol. Athanasij de Synodo Arimincnsi & Selcuciana, horum Constantinus & Euzoius antesignani fuerunt lib. 6. de beatit. Seruetus etiam, Valentinus Gentilis, Franciscus Dauid, Georgius Blandrata sunt impugnatores S. Trinitatis. Franciscus Dauid libr. 2. cap. 11. Georgius Blandrata action. 13. Albanâ, fuisse apud Patrem interpretantur cognitum à patre, non à mundo. Verum hoc modo omnia *erant in principio apud Deum*, non modò Verbum, sed etiam creaturæ.

Qvæstio II.

An Deus erat Verbum?

§. 1. HOc est illud, quo veterum hæreticorum, vt Marcionis, Gnosticorum, Arianorum error subruitur. Exponendum est enim ordine Verborum commutato, nempe *Verbum erat Deus*. Græce enim scribitur καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Et hoc Verbum erat Deus, articulus enim subiecto non prædicato additur. ita & in Syro חר מלתא *hu melletha, hoc Verbum*, vt significetur, Verbum esse λόγον ὑποστάτον, ἔμφυτον, ἐνυπόστατον, ὕπαρξιν ἔχοντα, *esse Verbum substantiale, insitum, subsistens*, existentiam habens. *Verbum erat Deus.*

§. 2. Arianorum hæc distinctio erat. *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat.* Deinde incipiebant alteram periodum. *Verbum hoc erat in principio apud Deum, scilicet.* Hoc confutatur multis modis. Non enim necesse erat affirmare Deum esse, quod nemo negabat, aut dubitabat. Quod si hoc docere voluisset, principium sumendum erat ab ipso Deo, dicendumque. *Deus erat, & Verbum, erat apud Deum.* Nunc cum Verbum in principiò dicit fuisse apud Deum, vt statuat Deum esse necesse est. *Ariani distrahunt pranam periodum.*

Denique hoc insigne est documentum scripturam ab Ecclesiâ, earumque intelligentiam accipiendam esse. Ante Arianos ne Sabellius quidem & Noëtus scripturam sic deprauarant, sed lectionem in Ecclesiâ probatam sequebantur, Ariani nouâ arte Verba tenent, sensum eludunt.

§. 3. Obijciunt Ariani. Cur non dixit igitur diserte. Verbum erat Deus? Respondent nostri, Ioannem figurâ Hebræorum delectatum, quibus cerebro finis sententiæ præcedentis, est initium insequentis, ita Maldonatus alijque, quod verum esse censeo. *Hebræi subiectum cum articulo solent postponere.*

Obseruo tamen aliam etiam rationem: Hebræam scilicet elegantiam esse, subiectum propositionis cum articulo prædicato postponere, sic Gen. 15. 3. ובן משק בתי הר דמשק אליעזר *Vben meschek bethi hu damascbek eliezer. Et filius procuratoris domus meæ Damascus iste Eliezer*, vbi epitheton præponitur. Et cum pronomen ponunt vt subiectum, eleganter postponunt, sic Genes. 12. 13. אמתי את *Achothi ath, soror mea tu*, pro, *Tu soror mea*, & eodem capite v. 18. Sic 13. 8. אנשים אחים אנחנו *Anaschim achim anachnu, Viri fratres nos*, & 23. 6. & 24. 34. Et nescio quomodo magis emphaticum est, cum prædicatum præponitur, vt Genes. 49. 9. גור אריה יהודה *Gur arie iehuda, Catulus Leonis Iuda.* Et ibidem v. 22. בן פורת יוסף *Ben phorath Ioseph, filius accrescens Ioseph.* Plurima sunt tota scriptura similia, quæ omitto. Itaque sensui nihil decedit, sed potius accedit. Si enim Deus est ὁ λόγος, hoc Verbum, vt Deus pro subiecto ponatur, quemadmodū volunt Ariani: Certe & hoc Verbum est Deus, ex necessariâ conuersione. Si Deus est hic omnipotens, hic omnipotens est Deus. *Ariani ob suā interpretationem vincuntur.*

Pie & prudenter in Concilio Francofurtensi, confessio illa concepta est. *Confitetur quin potius sanctam & ineffabilem Trinitatem in vnitate, salua scilicet inconfusibiliter proprietate personarum: inseparabilem substantiam confitetur, ita sane, vt alius credatur pater, quia pater est, qui genuit coaternum sibi sine tempore & omni initio filium: & alius credatur filius, quia filius est, qui genitus est sine initio à patre, non putative, sed vere: & alius credatur Spiritus sanctus, quia Spiritus sanctus est, & à patre filioq; procedit: & non est aliud pater, & aliud filius, & aliud Spiritus sanctus: sed vnum sunt inseparabiliter Pater & Filius & Spiritus sanctus: non vnus, sed vnum: quia alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: Sed vna & aqualis, & consubstantialis & coaterna est Patris, Filijq; & Spiritus sancti, inenarrabilis diuinitatis maiestas, quia vnus est Deus. Vnionem namq; in essentia confitemur, Trinitatem vero in personarum discretione predicamus. Dominum igitur nostrum Iesum Christum Dei filium verum Deum, semper in patre, semper cum patre, semper credimus apud patrem.*

Ita etiam ex Concil. Nicæno cap. 2. contrariis illis, quæ in pseudosynodis Constantinop. Antioch. alijsq; hæretici concluserunt. Sed hoc de pluribus Dijs iam olim sexta Synodus refutauit.

Nos enim vnum principium vnius nouimus Deitatis, vnum imperium, vnam potestatem, vnam virtutem, vnam operationem, vnum consilium, vnam voluntatem, vnam dominationem, vnum motum, tam omnium, quæ postea sunt, creatricem, quamq; prouidam, & stabilitentem, atq; conseruatricem, vnam Dominationem, vnam sempiternitatem, & quæq; sunt talia singularia, & incomposita vnius essentiæ, atq; naturæ in tribus personalibus subsistentijs; neq; subsistentias confundentes, & in vnam eas subsistentiam deducentes; neq; vnam eandemq; essentiam partientes, & in tres eam essentias discerpentes, & vnam ex hoc diuidentes Deitatem; sed est vnus Deus, vna Deitas in tribus subsistentijs fulgens, & tres subsistentiæ & persona in Deitate vna cognoscuntur. Propterea perfectus Deus est pater, perfectus Deus est filius, perfectus Deus est Spiritus sanctus, idcirco quod vnam eandemq; singula quæq; personam inseparabilem, indiminutam, atq; perfectam habet Deitatem. Et iuxta quod Deus quidem est, ipsum existit vnumquodq;, dum seorsum consideratur, ipsa intelligentia, quod non separabile, separante: vt Pater tamen, & Filius, & Spiritus sanctus, aliud, & aliud, & aliud non dicuntur. Et idcirco hæc à Dei capacibus prædicantur, Deus, & Deus & Deus; sed vnus est hæc tria Deus. Non enim alius Deus pater, nec alius Deus Filius, neq; alius iterum Deus Spiritus sanctus, quia nec alia natura est pater, nec alia natura est Filius, neq; alia iterum natura est Spiritus sanctus. Hoc enim multos & diuersos Deos opinatur, multasq; & varias generat Deitates sed Deus quidem est Pater, Deus vero est Filius, similiter Deus est & Spiritus sanctus, eo quod indiuisè & indiminute eadem tres personæ vna impleantur Deitate, & in vnaquaq; earum funditus tota sit. Nam Deitas diuisionem non sustinet, & in tribus ipsis personis plenissime, atq; perfectè, non partiabiliter, siue ex parte eadem implens personas, sed in vnaquaq; existens plenissima & vna permanens, licet in tribus personis monstretur, & ad Deorum multitudinem non excurrens, licet in tribus sit subsistentijs, vt non corporalem quandam sustineat sectionem, quæ certe est impassibilis, & incorporea, & pati nescius, quæ creaturæ sunt propria.

Et 5. Synod. collat. 8. & Lateranensi sub Martino I. consult. 5. Florent. sess. 25.

§. 4. Obijciebant & illud, non dicit, verbum erat ὁ θεός; non igitur Deum verum, sed aliâ significatione Deum dixerunt. Hoc vanum esse Chrysostomus ostendit: Innumera enim sunt loca, quibus non apponitur articulus, vt hic v. 6. Prædicato autem non solet articulus adjungi, nec exemplis opus est omnibus linguis consentientibus.

QVÆSTIO III.

Cur dicit à principio fuisse apud Deum?

§. 1. A principio fuisse dicit, deinde apud Deum, denique Deum, ex quo constat à principio fuisse apud Deum, vtpote Dei naturalem filium. Reperit vero à principio fuisse apud Deum, ne quis ex eo quod Deum dixerat, personarum distinctionem tolleret, vt hæretici veteres. Personam enim negabant Sabell. Samosat. Arianorum quidam, Epiph. Ἀσυγκλήτῳ vocat, Euseb. l. 7. ex Greg. Neocæs.

§. 2. Confutat etiam Seruetum, qui negat Christum æternum. Non enim potuisse esse sermonem, nisi Deus loquatur. At hic à principio dicitur fuisse sermo, & apud Deum, Deus enim ab omni æternitate verbum dicendo produxit. Nec præcessit pater sapientiam suam, intelligentiamque.

VERSVS 3.

Omnia per ipsum facta sit, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.

QVÆSTIO I.

Quomodo omnia per ipsum facta sunt?

§. 1. DVo Verbo tribuit, nempe omnium esse creatorem, deindè non esse creaturam. Cum autem solus Deus creator sit, verbum esse Deum, constat, non autem creaturam. Augustin. Tract. 1. in Ioan. & Athanasius crebro hæc argumento vtuntur. Vbi enim de Deitate loquitur, causam non esse insertam, docet Athanas. lib. 3. contra Arianos. *Vbi enim innuit Verbi ortum in carne, substituere solet causam, cur homo sit factus: è diuerso, quum ipsum de sua Deitate loquentem introducit, aut cum eius famuli, de ea renunciant, omnia simplici dictione absolutaque sententia nulla inserta causa promulgantur. Patru enim est splendor: iam autem vt Pater non ob aliquam causam Pater est: ita neq; splendoris, cur splendor sit, causa requirenda est:* In principio igitur, *inquit*, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: *neq; adiungitur isthic, cur verbum factum sit. Caterum vbi verbum caro factum erat, tunc causa apponitur, ob quam homo sit factus, quum dicit.* Et habitauit in nobis. *Filius Dei creator increatus.* *In filij generatione non est mentio causæ.*

§. 2. Verbo mentis omnia fiunt, quæcunque humano more agimus; nam rem animo concipimus, deindè definimus faciendam esse, accedit deinde voluntatis impetium, & instrumenta ad eius nutum mouentur. Deus autem cum sit Spiritus, suaq; intelligentia, & voluntas, nihil nisi verbo suo efficit. Clemens in Orat. ad Gentes. Basilius hom. in Ioannem. Nec agendo mutatur, quemadmodum neque nostra intellectio mutationem recipit vllam. etiamsi actiones multæ ab eo principio promanent, vt voluntatis, affectuum, sensuum, motuum. Firmum porrò argumentum est; cui tribuitur creatio rerum, Deus est, Christus creator est, ergo Deus. Vide Isa. 44. 10. Ier. 10. 11. Psal 8. & 18. Deus enim verus ab Idolis se distinguit, quod crearit cœlum & terram, at omnia per verbum facta sunt, *& sine eo factum est nihil, quod factum est*, & v. 10. *Et mundus per ipsum factus est.* & cap. 5 19 *Quæcunq; Pater facit, eadem pariter filius facit.* Sic 1. Cor. 8 6. Heb. 1. 2. & 10. *Verbo omnia fiunt.* *Deus immobilis mouet.*

§. 3. Arrianorum obiectio: omnia per verbum facta sunt, sed non verbum, hoc enim à patre factum est. Respondeo: iam supra dictum est, fuisse in principio, non factum esse. Et hic additum *sine ipso factum est nihil, quod factum est.* *Arianorum argutiæ.*

§. 4. Obiectio altera plurium fuit; nempe omnia facta per Christum, vt seruum & instrumentum, non

Διὰ etiam causam principem significat.

vt Dominum. Διὰ enim contendebant, non de principe agente, sed instrumentaria causa accipiendum, quod multis refutatur à patribus. Cyrill. l. 1. in Ioann. c. 5. & lib. 5. Thesaur. c. 3. Idacius l. 1. de Trinit. Athan. de communi essentiâ Patris & Filij & Spiritus sancti. Basilius de Spiritu sancto.

Porrò interpretatio de particulâ διὰ falsa est; etenim primarias & secundarias causas significat Gen. 4. v. 1. Prov. 8. 15. 1. Cor. 11. 2. Cor. 11. Nec audiendus Tertull. qui lib. contra Hermogenem manifestum errorem habet. *Adoro scripturæ plenitudinem, qua mihi & factorem minístrat & facta. In Euangelio vero amplius & minístrum atq; arbitrum rectoris inuenio sermonem.* & lib. contra Praxeam c. 13. *Sermoni Christo assistente & minístrante.* Multò melius fidei propugnator Athan. lib. de incarnat. Christi. *Patrem igitur & Filium & Spiritum sanctum, Dominum Sabaoth esse credendum est. Et quamuis scriptura de Patre referat eum omnia condidisse, tum visibilia tum inuisibilia: alibi tamen nos docet eadem per filium omnia esse condita. Non seorsum alia à Patre, alia à Filio sunt condita, sed quæ Pater facit, ea per suam potentiam ipsum quoq; filium facere, intelligendum est. Omnia enim per ipsum facta sunt.*

Tertulliani error.

§. 5. Impugnat tamen ex his ipsis verbis veritatem
„ Christoph. Ostorod. [Ex eo, quod Deus omnia per
Ostorodij blasphemia.
„ Christum condidisse dicitur, necessariò sequi Christũ
„ minimè verum Deum esse, cum ille hac ratione tan-
„ tum secunda, nõ autem prima creationis causam con-
„ stituatur.] Christum enim non creatorem dici aut factorem affirmat, sed patrem facere, aut condere per eum; itaq; secundariam, nõ primariã causam appellat. Verum particulæ διὰ & ἐκ, non semper diuersæ genus causæ indicat, vt Rom. 11. 33. & 36. 1. Cor. 1. 9. Eph. 4. 16. Col. 2. 19. Christum verò dici creasse tum alijs locis, tum vero Is. 45. 12. dicitur. *Ego feci terram, & homĩnẽ super eam creaui ego: manus meæ tetenderunt, & omni militiæ eorum mandaui. Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam: ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in pretio, neq; in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.* Hæc ad Christum pertinere constat ex v. 23. *In memetipso iuraui: egredietur de ore meo iustitia Verbum, & non reuertetur: quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Ergo in Domino, dicet, mea sunt iustitiæ & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes, qui repugnant ei. In Domino iustificabitur, & laudabitur omne semen Israël.*

Quod vni personæ tributur in efficientiâ rerũ, omnibus tribuitur.

Ad eundem hæc, & superiora pertinent verba: ad hæc posteriora de Christo dicta esse testatur Paulus, Rom. 1. 10. 11. Omnia Christo igitur, etiam illa tribuuntur. Quod verò Patri creatio tribuatur in Symbolo, non eò dicitur, vt cæteræ personæ excludantur, sed vt ordo originũ, & proprietatũ personaliũ cognoscatur.

§ 6. Vltro tamen procedit Ostorodius. [Quamuis illæ particulæ etiam de Deo Patre enuntientur, aliter tamen de Deo, quam de Christo intelligendas esse, cum nemo per Deum quicquam fecisse, aut creasse legatur, quod etiam sit impossibile quia ipso nemo alius superior existat, per Christum verò à Deo omnia, & ipsa secula facta esse perhibeantur.]

Resp. Non est hic alia difficultas, quam vt ostendatur, cur pater per filium, verũ Deum æqualemq; agere dicatur, filius per patrem non dicatur quicquã facere. Sin. pater est auctoritas, potentia, efficentia vtriusq;, nõ apparet; cur non & filius per patrem operari dicatur? Hæc quæstio hominis imperiti est. Nam primo posset forte & dici, filium condidisse mundũ per patrẽ sensu aliquo vero, nẽpe vt pariter operantẽ, seu cooperantẽ. Verum ita loqui non solemus. Patre per filium dicimus omnia fecisse, quia filium genuit, suam illi essentiam, sapientiam, potentiam communicauit, per quam filius operatur: ideo pater per filium operari dicitur, vt subsistendi ordo ostendatur, non operandi diuersitas. Nam & de Christo dicitur Hebr. 1. 10. *Tu autem Domine ab initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.*

Pater per filium operans dicitur.

§. 4. Incredibili porrò malitiâ ille hunc locum corrumpit. [In illis locis in quibus omnia per Christum facta esse dicuntur, nihil de terræ aut cœli creatione agi, illamq; vocem, Omnia, necessario restringendam esse ad illa, quæ per Euangelii prædicationem, sint à Deo condita: quia nihil ipsorum sine Christo sit factum. Vocem enim illã Omnia ad rem, de quâ agitur restringendam esse, præter alia plurima scripturæ dicta, locum illum Pauli 2. Cor. 5. v. 17. manifestari. Siquis inquit, in Christo noua creatura est, vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia. Vbi tamen non omnia in vniuersum, sed tantum ea, quæ per Christum sunt renouata, intelliguntur.]

Spiritualem restaurationem non minus est Deus, quam corporum creator.

Respon. De verbis Apostoli suo loco agam. Nunc locum qui præmanibus est vindicabo. Principio quidem, si Christo secunda creatio, seu restauratio tribuitur, seu conditio cœli, noui, & terræ Christus, non minus Deus erit, & conditor, quam si mundum corporalem condidisset. Nam maius opus est, conditare restaurare, lapsos erigere, perditos redimere, quã mundum creare: & Deo vtiq; hæc sæpius in scripturâ tribuuntur, quam aspectabilis machinæ structura. Quis enim dat cor nouum, nisi solus Deus? Hoc in horum verborum expositione vrgeo: ex eo enim, quod gratiâ suâ hominum pectora perfundit, renouat, firmat, Christi diuinitatem probant S. Patres.

Hoc in confesso est, de primâ rerum creatione Ioannẽ loqui, & cõseruatione, atq; adeo restauratione: omnia enim facta per eum dixit, & ne quis generaliẽ particulam restringere auderet, impedimentum ponit: *Et sine illo factum est nihil quod factum est:* vbi creaturarum vniuersitatem complexus est. Ne vero dubium esse posset v. 10. sese exponit. *Et mundus per ipsum factus est.* Ne vero de mundo spirituali, & renouato Socinus coniungit: *& mundus eum non cognouit.* Is ergo mundus per ipsum factus est, qui factorem ignorauit, ideoq; renouatus non erat.

§. 5. Tertull. aduersus Hermog. c. 20. & 21. Hinc probat, non factum ex materia mundũ, & obiectioni respõdet. Verum audire ipsum præstat. *In principio erat sermo. In quo principio sc. Deus fecit cælum & terrã. Et sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Cum igitur & hic manifestetur & factor, id est Deus, & facta id est omnia, & per quem id est sermo, nonne & vnde omnia facta essent à Deo per sermonem, exegisset ordo profiteri, si ex aliquo facta essent? Ita quod non fuit, non potuit scriptura profiteri. Et non profitendo, satis probauit non fuisse: quia profiteretur si fuisset. Ergo, inquit, si tu ideo præsumis ex nihilo facta omnia, quia non sit manifestè relatum de materiâ præcedenti factum quid, videat diuersa pars: idò contendat ex materiâ omnia facta quia proindè non apertè significatum sit, ex nihilo quid factum. Planè retorqueri quædã facilè possunt: non statim & ex æquo admitti, vbi diuersitas causæ est. Dico n., etsi nõ apertè scriptura pronuntiauit ex nihilo facta omnia, sicut nec ex materiâ, non tãtam fuisse necessitatem: apertè significandi de nihilo facta omnia, quanta esset si ex materiâ facta fuisset. Quoniam quod fit ex nihilo, ex ipso dum non ostenditur ex aliquo factum manifestatur ex nihilo factum: & nõ periclitatur ne ex aliquo factũ existimetur, quando non demonstretur ex quo sit factũ. Quod a. ex aliquo fit, nisi hoc ipsum apertè declaratur, ex aliquo factũ, illud dum ex quo factũ sit ostenditur, periclitabitur primo videri ex nihilo factum, quia non editur ex quo sit factũ. De hinc etsi ea sit conditione vt non possit videri ex aliquo proindè periclitabitur, ex alio longè factum videri, quã ex quo factũ est, dũ non proponitur, vndè sit factum. Ita si ex nihilo Deus cuncta fecisse non potuit, scriptura non adiecisset illũ ex nihilo fecisse: ex materia eum fecisse omnimodo debuit edixisse, licet ex materia*

fecisse

feciſſet: quia illud in toto habebat intelligi, etſi non ſignificaretur: at iſtud in dubio, niſi ſignificaretur.

§. 6. Macedoniani diuinitatem Spiritus ſancti hinc oppugnabant: ergo & Spiritus ſanctus factus eſt, dicebant: Ambr. lib de Spiritu ſancto cap. 2. Greg. Orat. 5. Theol. Cyrill. lib. 1. in Ioannem. cap. 5. Chryſ. hom. 4. Reſp. non abſolutè omnia, alioquin & pater. Euangeliſta excepit cum dixit, Quæ facta ſunt. Vide Pſal. 32.

Alij ſenſibilia, alij inſenſibilia interpretantur, Tol. not. 12.

QVÆSTIO II.

Quæ lectio?

§. 1. TRiplex eſt lectio. Prima: *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Vt punctum ſit poſt voculam, *Nihil.* Deindè ſequatur. Quod factum eſt in ipſo vita erat. Hanc ſequitur Tertull. contra Hermogenem. Cypr. lib 2. q. contra Ind. cap. 3. Ambr. lib. 3. de fide c. 3. Aug. hoc loco. Imò Athanaſ. Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 5. Nazianz. de fide. Auguſt. lib. 5. de geneſi ad literam. cap. 14. etiam vitam accipit, pro Dei verbo, quia verò accurate diſtinguit, verba illius tranſcribenda eſſe iudicaui. *Non ergo ita pronuntiari oportet, quod factum eſt in illo, vita eſt, vt ſubdiſtinguamus quod factum eſt in illo, & deindè inferamus, vita eſt. Quid enim non in illo factum; cum commemoratis etiam multis creaturæ dicatur in Pſalmo: Omnia in ſapientiâ feciſti. Dicat & Apoſtolus: Quoniam in ipſo condita ſunt omnia in cœlo, & in terra, viſibilia & inuiſibilia. Conſequens ergo erit, ſi ita diſtinxerimus, vt & ipſa terra, & quæcunq; in ea ſunt, vita ſint. Quæ tam abſurdè dicantur omnia viuere, quanto abſurdius vt etiam vita ſint? præſertim quia diſtinguit de quali vita loquatur, cum addit: Et vita erat lux hominum. Si ergo diſtinguendum eſt, vt cum dixerimus; quod factum eſt, deindè inferamus, in illo vita eſt; non in ſe ſcilicet, hoc eſt, in ſua natura, qua factum eſt vt conditio creaturæ ſit: ſed in illo vita eſt, quia omnia quæ per ipſum facta ſunt, nouerat antequam fierent. Ac per hoc in illo erat, non ſicut creatura quam fecit, ſed ſicut vita & lux hominum quod eſt ipſa ſapientia, & ipſum verbum vnigenitus Dei filius. Eo modo ergo in illo vita eſt, quod factum eſt, quomodo dictum eſt: Sicut habet pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit filio habere vitam in ſemetipſo: Nec prætermittendum eſt quod emendatiores codices habent: Quod factum eſt, in illo vita erat: vt ſic intelligatur, vita erat, quomodo in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Quod ergo factum eſt, iam vita erat in illo, & vita non qualiscunque: nam & pecora dicuntur viuere, quæ frui non poſſunt participatione ſapientiæ: ſed vita erat lux hominum. Mentes quippe rationales purgatæ gratia eius, poſſunt peruenire ad eiuſmodi viſionem, qua nec ſuperius quicquam ſit, nec beatius.*

Altera: Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Hanc multis modis hom. 4. Chryſoſtomus tuetur. Hanc ſequitur Euthym. Theophyl. Grauiter autem aliam lectionem reprehendunt, quod eâ Hæretici vterentur, qui Spiritus ſancti diuinitatem negabant. Etenim cum Orthodoxis obijcerent Eunomiani, & Macedoniani; omnia per ipſum facta ſunt. Igitur factus eſt per ipſum & Spiritus ſanctus. Continuò ex hâc lectione occurrebant, *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*: at Spiritus ſanctus factus non eſt.

Tertia expoſitio eſt: *Et ſine ipſo factum eſt, nihil quod factum eſt in ipſo.* Ita Epiph. in Ancorato. Hil. 2. de Trinit. Idcircò verò arbitrantur poſitum, In ipſo, ne putaretur duntaxat conditio eſſe, ſine quâ non, cuius opinionis occaſio dari potuit ex verbis, quibus dicitur: *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Secunda interpretatio magis textui conuenit, & hodie pleriq; eam ſequuntur. Deinde libri Græci, Latini, Syri eam referunt, magis eſt ad hæreſes refutandas idonea, ſenſus multo planior.

§. 2. Ariani omnia per ipſum facta non de verbo, ſed de Deo interpretati ſunt, quo ſubterfugio alterum argumentum tollunt; nempè dum per verbum vt inſtrumentum facta contendunt omnia; ſi enim Deus fecit, non fecit vt inſtrumentum, ſed vt primus auctor. Deinde de verbo hic agit, & ad proximum referendum eſt. Deniq; omnia hic de verbo dicuntur, in illo enim vita dicitur, quæ erat lux hominum: Firma igitur eſt gradatio ex Arianorum quorundam conceſſione, omnia per ipſum, hoc eſt Deum facta ſunt, in ipſo, hoc eſt, Deo vita erat; hæc vita erat lux hominum, lux illa venit in mundum: Deus ergo erat lux, & vita, & Deus venit in mundum, Chriſtus igitur Deus. *Ariani.* *Ariani ſibi repugnant.*

§. 3. *Nihil* malitiam interpretati ſunt Manichæi. Aug. lib. de natura boni. cap. 25. Alij Diabolum interpretantur, vt ijdem Manichæi, imò & mundum viſibilem. Aug. de natura boni cap. 75. De Diabolo quidem eſt apud Orig. & Baſilium, ſed de eius malitiâ, & peccato intelligendi ſunt boni auctores. Id enim ſolum affirmare volunt, Deum non eſſe auctorem peccati. Angelum Deus fecit, ſua ipſe malitia in Diabolum ſe transformauit. Nec enim diuinæ potentiæ opus eſt, Apoſtaſia Spirituum rebellantium, ſed creaturarum mutabilium defectus. *Nihil.* *Diabolus vnde.*

VERSVS 4.

In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.

QVÆSTIO I.

Quæ vita?

§. 1. HÆc verba ad duo principia bonum & malum Manichæi detorquebant. Dictum enim ſic accipiebant, vt dicerent id *quod factum in ipſo fuit*, vitam fuiſſe, quod in alio, malo ſcilicet principio, fuiſſe mortem. Ita Ambr. refert lib. 3. de fide c. 3. Quod tamen ſine vllâ veriſimilitudine dictum eſt. Nonnè ſi in verbo vita tantum modo facta eſt, ideò per malum principium alia facta ſunt: Nam bona potius duo, quam malum ponere alterum principiũ, minoris eſt erroris. Nam binarius principiorũ vnicam habet repugnantiam, ſeu contradictionem, malitia plures. *Quæ in Deo facta ſint.*

§. 2. Poſtellus & Seruetus Dei eſſentiam rebus creatis permiſceri, & eâ communicatione res viuere, aquâ ratione olim nos diuinæ particulam auræ trahere veteri errore dictum eſt. Impia eſt planè hæreſis diuinitatem incommutabilem, ac impartibilem in ſingulos diuidere. Quaſi non ipſa in ſe viuere, & noſtra vita dici valeat, efficientia, conſeruationeq; non autem commiſtione. Tantæ autem blaſphemiæ occaſionem verba iſta nequaquam dederunt: quamuis enim in ipſo vita fuerit, ea tamen eſt in illo: vt potentia, iuſtitia, bonitas, intelligentia, quæ omnia complent, non tamen in creaturarum compoſitionem veniunt. Alioqui periclitabimur, ne Deum quoque, aut Dei partem, in hominum flagitijs verſari dicam⁹. Verum hac de quæſtione alibi diſputaui. Non diſſimilis eorum error, qui eſſentiali Dei iuſtitiâ nos iuſtificari tradunt. *Dei eſſentia non miſcetur creaturis.*

§. 3. Hinc olim Marcionitæ etiam Æonas ſuos probare nitebantur, vitam enim non per ipſum, ſed in eo factam, ideoq; proximiorem eſſe, & in eo fructifi care. Αὐτὸ γὰρ ἦν ἐν αὐτῷ γενόμενον, οἰκειότερόν ἐστιν ἐν αὐτῷ, πολὺ δὲ μᾶλλον γενόμενον, σύνεστι γὰρ αὐτῷ, καὶ δὲ ἀνὴκ καρποφορεῖ. *Ipſa etiam vita quæ in ipſo facta eſt, magis propria, & quaſi domeſtica eſt in illo, quam ea qua per ipſum facta ſunt;* *Æones Marcionitarum.*

est enim cum illo, & per illum fructificat. Vbi impiè vitam eius, quæ est in illo, factam nugantur. Illi quidem vitam seperatim, & verbo iunctam aguouerunt, quasi domesticam, alia esse extra verbum, quorum monstra Irenæus refutat, quæ cum sint absurdissima, reprehensione non indigent.

§. 4. Quorundam est expositio: Quod factum est, non in se, sed in ipso vita erat. Sic etiam Manichæi omnia, quæ in ipso facta erant, viuere asseuerabant, Aliter Augustinus hoc loco: Qui ideas rerum in Deo esse & viuere docet. Cum enim Deus omnium rerum perfectissimam habeat cognitionem, conceptumq;, *Idea.* isq; sit Dei cognitio, adeoq; Deus ipse, Idea illa vita erat, & ita res in Deo viuere dicitur.

Quod autem Caluinus Augustinum velut nimis Platonicum accusat, quia ad Ideas rapiatur, imperitè & malitiosè facit. Imperitè; Ideæ enim ab Augustino & Christianis agnitæ, nullo modo sunt Platonis imagines separatæ, res quædam factæ, sed diuinæ *Augustinus defensus.* cognitionis conceptus formalis, seu species expressæ, quas cognoscere est necesse, si Deo vitam & intelligentiam tribuamus. Quod si Platonicæ Ideæ separatæ fingantur, eas Augustinus penitus reijcit. *Si verò* Plato eas in mente diuinâ collocauit, & Deum esse docuit, reprehendere nemo vel Platonem auctorem, *Platonis Ideæ.* vel Augustinum Platonis imitatorem debuit. Aristoteles Platonem posuisse separatas existimauit, eum multi vt Cœlius Rodiginus lib. 16. cap. 18. antiq. lectionum calumniæ accusat. Mihi tamen nequaquam probarit rectè Platonem sensisse, vel de Dei filio, vel Ideis; nam ex illis, quæ ipse eruditè, non satis tamen magno iudicio recenset, Cælius redarguitur.

„ [Siquidem ante hunc (quem videmus) solem, Pla-
„ to alterum in mundo cogitat inuisibili, imaginem
„ Dei patris primam, verumq; filium Hoc, ne quis for-
„ tè malè feriatus risu, & quidem Megarico, per insci-
„ entiam excipiendum putet, ceu in hoc Philosopho
„ probabilia hæc non sint, de patre ac filio reconditè,
Plato de filio Dei. „ ac diuinitus in Epistolâ ad Hermiam Plato sic prope-
„ modum scribit: Vtendum est nobis pacto & lege cer-
„ tâ, testando Deum rerum omnium ducem præsentiũ
„ & futurorum ac ducis & causæ patrem Dominum.
„ Qua in parte doctissimorum sententia est. Per omni-
„ um ducem, mundi animam intelligi; quæ quia sit mo-
„ tus principium, per triplicem temporum gradum o-
„ mnia explicet. Vbi verò patrem dicit, & Dominum,
„ summum Deum ipsumq; bonum significari. Mediam
„ verò inter hæc diuinam mentem inseri, quoniam ita
„ repetat, ducis, & subnectat etiam causæ. Nam apud
„ Platonẽ sæpè regis nomine ipsum indicatur bonum:
„ causæ verò appellatione, mens: ducis deniq; anima.
Plato de Dei filio. „ Et quoniam causa mentem signet, ideò astruunt Pla-
„ tonici, intellectum ipsius boni: filium mundi architec-
„ tum proximum extitisse. Proindè in Epinomide Pla-
„ to: Diuinissimum verbũ mundum visibilem exorna-
„ uit. Sed & Platonicus Philon in libro de causis: Co-
„ nandũ, inquit, est in primis ad ipsum ens, id est de quo
„ dicitur. Ego sum qui sum, ascendere; aut saltem ad i-
„ psius imaginem sacratissimamq; rationem, verbumq;
„ primogenitum. Portò per eiusmodi rationẽ atq; ver-
„ bum fieri omnia, secundum Heraclidũ & Platonem,
„ Amelius item Platonicus asserit. Quanquam Alogij
„ hæretici verbum negant esse Deum, Spreto Ioannis
„ Apostoli Euangelio & Apocalypsi. In ijs verò moni-
„ tos omnes velim, Platonicorũ nonnullos Dei patris
„ filium Deum per substantiã à patre, quod Arriani faci-
„ unt secernere. Sed enim Iamblichus Ægyptiorum ad-
„ uocat mysteria, in quibus patris & filij ratio constitui-
„ tur diuersa, sed eadem conceditur substantia. Extat &
Mercurius de Deo. „ Mercurij mysteriũ nobile: primus Deus & vnus, pri-
„ mi pater est Dei, quẽ gignit in solitaria sui permanens
ipsius vnitate. Est autem Exemplar filij, quo nomina- „
tur suimet filius, & sui pater, atq; vnipater, Deus verè „
bonus. Ille enim fons est idearum, à quo vtiq; vno per „
se sufficiens Deus se ipsum explicauit in lucẽ, propte- „
rea per se sufficiens nominatur, suiq; pater: est enim „
principium, Deus deorum, vnus ex vno, super essenti- „
amomnem, principiumq; essentiæ. Deus præterea „
qui omnipotens est & dicitur, in mente sibi inhæ- „
rente creandarum rerum naturas effingit, ac pingit „
quodammodo, quæ in corporibus istis sentimus, o- „
mnia: illic cœlorum globi, ac elementorum moles, „
omnium deniq; etiam animalium gignuntur formæ, „
quas in diuina conceptas mente Dei fomenta esse ac „
dici ideas, non ambigunt Platonici. Quin indè au- „
tumant factum, vti cœlorum ideam, Deum cœlum „
sæpius pronuntiârint veteres: sic & Saturni for- „
mam, Saturnum Deum, ignis, Vulcanum: aëris, „
Iouem atque Iunonem: ac modo eodem deinceps. „
Quod si quis nasutior ridendos arbitratur Plalonis „
hæresim sequutos, sciat Augustinũ in libro octaginta „
trium quæstionum non spreuisse ideas, vbi ait: Tanta „ *Ideæ necessariæ.*
vis in ideis constituitur, vt nisi his intellectis, sapiens „
esse nemo possit. Porrò Beatus Thomas quæst. deci- „
ma quinta, articulo primo: Necessarium ait ideas in „
diuina constituere, per quas intelligantur rerum alia- „
rum formæ præter ipsas existentes. Forma verò rei cu- „
iuspiam præter ipsam existens ad duo pertinet, velut „
exemplar sit eius cuius creditur forma, velut sit cogni- „
tionis principium, prout cognobilium formæ in co- „
gnitionis principium, prout cognobilium formæ in „
cognoscente dicuntur. Quo autem ad vtrunq; ideas „
constituere videtur necessariũ. In omnibus siquidem, „
quæ non fortuitò generantur, formã esse finem gene- „
rationis necesse est, neq; n. agens ageret propter for- „
mã, nisi quatenus in ipso est formæ similitudo. Quod „
bifariam contingit: quippe in agentibus quibusdam „
præexistit forma rei faciendæ ex naturali essentia, vt in „
ijs quæ per naturam agunt, veluti hominem generat „
homo. In quibusdam verò per intellectum, vt in his „
quæ per eũ agunt, nam domus similitudo in architec- „
ti præexistit mente, quæ domus idea est. Quia igitur à „
Deo factus est mundus per agentẽ intellectũ, in men- „
te diuina formã esse oportet, ex cuius simulachro cõ- „
pactus sit mundus. Qua in re ideæ constituitur ratio.] „

Pleraq; tamen in his improbo. Nam primo Deum facit, ducis ac causæ, hoc est filij patrem Dominum, at *Platonicorum error.* pater est filij, non Dominus, non tres Domini, sed vnus est Dominus, vt Symbolo docemur. Deindè non rectè animam mundo tribuit. Tertio substantiam filij seperat à patre. Nec illud rectè: *Primi pater est Dei, & sui pater est.* Multo minus probo, quod illi tribuat mentem inhærentẽ, quod ait *effingere, & pingere Ideas. Ea fomenta Dei esse.* Longius verò aberrant, cum ideam cœli, Deum cœli, ideam ignis vulcanum &c. appellant, hic enim idololatriæ fomenta, & prætextus suggerentur.

Malitiosè etiam Augustinum accusat, cum clarissimum sit, eum à Platonicis Ideis plurimum abhorrere. Imò verò, vt ostendam, ipsæ Ideæ sunt ipsamet Dei essentia creaturas repræsentans, non res creatæ.

§ 5. Alij vitæ nomine, ipsum esse, seu substistentiam *Vita est ipsum esse.* rerum indicari concludunt, vt Paulus ait, *in ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Itaq; aliud non dici per illum fieri, quam vt in suo vigore res quæuis permaneat, & sese propaget. Est quidem rerum omnium in Christo substantia, vigor & tua cuiq; indoles, ex eoq; facilè Deum esse concludimus, à quo rerum essentiæ manãt, ac conseruantur Quod aliter intelligi non potest, nisi vt in verbo res omnes eminenter contineri dicantur, vel quod à verbo habeant, vitam, motum, vigorem, propagationem, conseruationem sui. Vel quod omnis omnium rerum perfectio virtusq; etiam sit in Deo.

§. 6.

§. 6. Maldonatus vitam spiritualem interpretatur ex Epist. Ioan. 1. cap. 1. 2. *Annunciamus vobis vitam, quæ erat apud Patrem.* Omninò de illa vita loqui Ioannem putant, Primo verbi diuinitatem asseri, deindè per illud omnia condita, tertio in eo vitam æternam esse; de illa enim agere instituerat. Ita & Ioan. Epistol. 1.

§. 7. Mihi tamen vita hoc loco videtur aliud non esse quam Dei filii essentia viuens, vt, *in ipso vita erat*, aliud non sit quam ipse erat Deus verus, & viuus. Ratio probabilis est, quod ita vocetur Christus in Scriptutis, sed & hoc loco alia necessaria apparet. Vita quæ in ipso erat, erat lux hominum, at lux erat Christus, vita ergo erat Christus. Lucem porrò ipsum Dei verbum appellari constabit ex sequentibus. Nam Ioannes Baptista testimonium perhibuit *de lumine, non erat ille lux, sed erat lux vera quæ illuminat omnem hominem.* His locis lucem esse ipsum Christum clarissimè eluceſcit, non modo, quia de ipso dicitur, sed etiam quia Ioannes dicitur non esse lux, hoc est non esse Christus. Nam Baptistam non esse vitam æternam nihil attinebat dicere.

Noster Barradius etiam verbum vitam esse. Et reuera vitam in ipso esse, & eum vitæ fontem esse, sed ita vt ipse sit sua vita creatrix increata, vita æterna, immensa, omnia viuificans. Hic de verbo vt nondum incarnato loquitur, seu vt Nazianzenus ait ἀσυνθέτως, nondum composito cum carne.

Vita igitur in æterno verbo erat, deindè hominibus allexit.

§. 8. Vitam de personâ verbi dici, esse ipsum verbum, Chrysostomus expresè docet. Homil. 4. *Quemadmodum, inquam, lux quantumuis hominum multitudinem illuminaret, nihil sui splendoris remitteret: itidem Deus & antequam mundum condidit, & postquam conderet, idem perfectus atque integer permanet, nihil tanto & admirabili opificio minor, nihil imbecillior. Quod si innumeros huiusmodi mundos esset conditurus, omnibus tamen sufficeret, non modo ad creandos, sed & ad gubernandos. Vita enim nomen hoc in loco non modò creationis est, sed prouidentiæ ad perpetuitatem. Nec non & resurrectionis rationem iam afferre incipit, & admiranda hæc Euangelia exorditur: adueniente autem ad nos vitâ, vis mortis periit: & luce nos illuminante, tenebræ euanuerunt: sed manet semper in nobis vita, & mors ei dominari non potest. Itaq; quod de patre dictum est, de hoc propriè dicetur, quod in ipso viuimus, & mouemur, & sumus. Quod & Paulus his verbis significauit: quia in ipso condita sunt vniuersa, & omnia ipso constant: quapropter & radix dicitur, & fundamentum. Verum cum audis, quod in ipso vita erat: noli suspicari compositum: alibi enim de patre dicit. Sicut pater habet vitam in se, sic dedit & filio vitam habere: sed vt patrem idcirco non dixeris compositum, quia vitam habeat, ita nec filium. Etenim alibi, inquit, quod lux est Deus: & iterum, quod lucem habitat inaccessibilem. Hæc autem omnia singillatim prosecuti sumus, non quod compositionem vllam in Deo suspicemur, sed vt paulatim ad doctrinæ altitudinem euehamur. Cum enim non facilè à multitudine intelligi posset, quânam ratione in eius persona vita sit, primum id quod humilius est, tetigit, cum inquit, dedit ei vitam habere. Inde eruditos altius erigit his verbis: Ego sum vita: & iterum. Ego sum lux.*

Et Theophylact. Vitam Euangelista nominat Dominum, eo quod contineat vitam omnium in se, & quod *spiritalis vitæ conciliator fuerit, omnibus ratione vtentibus.* Ambros. loco citato & Arianos & Manichæos simul refutat. *Vnde nec illud verendum est quod solent Ariani nō viani seu a interpretatione componere, dicentes factum esse Dei verbum: quia scriptum est inquiunt: Quod factum est in ipso, vita erat. Primum intelligunt si ad substantiam diuinam referant, quod factum est, Manichæorum se quæstionibus implicari. Obiiciunt enim Manichæi: si quod in ipso factum est, vita est: est ergo aliquid quod in ipso factum non sit, & mors sit, vt duo impiè inducant principia. Sed hoc damnat Ecclesia. Deinde vnde possunt docere sic pronunciasse Euangelistam? Plerique enim docti & fideles sic pronunciant: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Alii sic: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Deinde: Quod factum est pronuntiant, & subiungunt: In ipso, hoc est: quidquid autem factum est, est in ipso. Quid est, in ipso? Apostolus docet dicens: In ipso sumus, & viuimus, & mouemur.*

Vitam itaq; & ille de Christo interpretatur. ita & Francisc. Lucas, dum vitam interpretatur verbum. Distinctionem vehementer vrget Theophylactus. *Pneumatomachi, qui spiritum negant Deum, hanc particulam Christus sic legunt: Et sine ipso factum est nihil: deinde hoc loco facto ipse vita puncto, legunt, quasi ab altero principio: Quod factum est in est. ipso, vita erat: & interpretantur locum iuxta suam mentem, dicentes quod hoc loco de Spiritu sancto Euāgelista disserat, dicens: Quod factum est in ipso, hoc est Spiritus sanctus, vita erat. Hæc autem dicunt Macedoniani, conantes ostendere Spiritum sanctum esse creaturam, & annumerare eum his quæ facta sunt. Nos autem non sic, sed puncto facto postquam dixit, quod factum est, nouum principium legimus: In ipso vita erat. Postquam enim dixit, de opificio quod omnia per ipsum facta sint, dicit postea de eius prouidentia, quod non solum condiderit, sed etiam ipse sit is qui vitam omnium creaturarum conseruet. Etenim in ipso vita erat. Non enim inquit suspiceris, quod expers vitæ sit verbum hoc, sed in ipso vita erat, scio autem à Sanctorum quorundam particulam hanc sic lectam, Et sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso. Deinde posito signo, cæpta quæ sequuntur, Vita erat. Opinorq; etiam hanc lectionem non malam, sed rectam habere sententiam. Sanctus enim iste Orthodoxe intellexit: quia sine verbo nihil factum est quod factum est in ipso. Omnia enim quæcunque facta sunt, & condita sunt in ipso verbo inquam, sine ipso non facta sunt. Deinde aliud initium erat: Vita erat, & vita erat lux hominum.* Et Suarez noster lib. 2. de attribut. Dei. cap. 25. hoc de *esse eminenti* intelligi, quod est in Deo, sed non creatura, sed creatrix essentia. Vita igitur, quæ in eo est, siue eo respectu dicatur, quo ille viuit, siue quo in eo omnia eminenter existunt, diuina essentia est. Res ipsa hoc declarat. Nam quemadmodum in principio erat verbum & verbum erat apud Deum, ita in ipso vita erat, non facta est, sed erat. Ipsa vita erat lux, à principio lux erat, quę hominibus creatis luceret.

Vita eminens in Deo.

§. 9. Brentius in huius loci expositione vitam interpretatur Christi iustitiam, quâ legem Dei impleuit impleuit accuratissimè, vt ne Iota quidem, aut apicē vnum neglexerit. Verum ostendo Christum esse lucē, & non rectè de Christi iustitiâ, quâ legem impleuit, dicitur vita fuisse hoc loco. Nam postea demum ait eum in mundum venisse, carnem factum: ordinis autem magna turbatio esset, si primum legē impleuisse diceret, deinde venisse in mundum, & carnē factum.

Vita non est iustitia Christi.

QVÆSTIO II.

Quomodo vita erat lux hominum?

§. 1. GRæcus textus habet. καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. *Hæc vita erat illa lux hominum.* vtriq; nomini articulus iungitur, vt prorsus idem esse vitam & Lucem ostenderet.

Duplici modo vita, hoc est, verbum erat Lux hominum. Rationem naturalem intelligentiamq; tribuendo, & fidem, & cognitionem supernaturalem. vtrumq; enim Dei munus est. Dedit omnia, cum hominem fecit rectum, in prima creatione, postea vero reparauit.

Duplex lux in homine.

Tenebræ sunt mali.

§. 2. Tenebras vocari homines non est dubium, vti lux est Christus. Luci venienti magno se molimine tenebræ opposuerunt. Hilar. lib. de Trinit. *Creatorem enim suum Deum ex Deo disit: verbum Deum, & apud Deum in principio esse audit: mundi lumen in mundo manens, & à mundo non recognitum intelligit. Venientem quoque in sua, à suis non receptum.* Tenebras autem vocari ipsos peccatores in scripturis visitatum est.

VERSVS 6.

Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.

QVÆSTIO I.

Quo modo missus Ioannes?

§. 1. GRæcus textus habet: ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος, *fuit, vel factus est homo missus à Deo, & in Syro* חוא בר נשא ראשחרר *hauabar nascha deschthaddar, fuit filius hominis qui missus fuit.* quia igitur non dixit ἦν ἀπεσταλμένος, *fuit missus*: sed propriè *factus est missus.* Variæ interpretationes ortæ sunt. Latini pleriq; coniungunt *fuit* cum *missus*: id non fecit Syrus, & fortè nec Græcæ linguæ proprietati conuenire videri posset. Itaq; doctiores sic interpretantur. ἐγένετο ἄνθρωπος, *extitit homo, seu natus est homo, qui missus est à Deo.* Ex vtero enim matris Ioannes fuit Nazaræus, segregatus, vt esset præcursor Domini. Chrysostomus tamen homil. 5. in Ioannem, ἐγένετο ait non esse transitum ad esse, sed ipsius Apostolatus esse significatiuum. Fuit missus à Deo, pro missus est. ἐγένετο ἀπεσταλμένος, ἀπεσταλμένος ἦν. Debuit autem, cum solem venturum denunciaret, etiam de præeunte Lucifero mentionem inferre. Lucem enim patefactam, & mundo ostensam prædicat, quæ ante apud Patrem erat. Cum autem ante lux promissa seipsum exhiberet, à Ioanne demonstrata est.

Ioannes missus.

Ioannes nō est Angelus.

§. 2. Origenes ex Malach. 3. Angelum fuisse coniicit. Et si missus est, aliquo ex loco missus est. Hoc tamen friuolum est, ad parandam viam Domini missus est, cum ante desertum incoluisset. Nec de loco magis vnde venit, quam de cæteris, aut Prophetis, aut Apostolis quærendum est. Quod si Angelus fuisset, non vocaretur homo, nec filius Zachariæ. Quod vero ad nænias, de animabus ante in cœlo creatis attinet, huc non pertinet. Homo enim missus est, non anima duntaxat.

Ioannis testimonium authenticum.

§. 3. Ioannis testimonium, velut maximi Prophetæ, & fide dignissimi producit. Hoc enim indicant verba, cum dicit: *non erat ille lux.* Si enim ipsum admirati Messiam, & regem Israelis, ex magnitudine virtutum existimabant, & id dicenti credituri videbantur, multo magis de Christo testificanti. *Postquam*, inquit Theophylactus, *dictum est nobis de subsistentiâ verbi Dei ante sæcula: quia & de incarnatione verbi dicturus: sermonem de præcursore interserit. Et quis alius, quam Ioannes præcursor haberet sermonem de suâ natiuitate, qui præcurrit & antenatiuitatem Domini.*

Opus auctoritate diuinâ.

§. 4. Missus dicitur à Deo, vt auctoritas illi diuinitus data significetur: non enim humano more venit. *Nunc tenendum est*, inquit Caluinus, *quod de Ioanne prædicatur, in omnibus Ecclesiæ doctoribus requiri, vt à Deo vocati sint:* Ne alibi quam in solo Deo fundata sit docendi auctoritas. rectè ille in caput suum scripturam isto loco interpretatur. Quis enim Caluinum, quis Zuinglium vocauit? Si à Deo solo se missum profiteatur, vocationis signa edat, oracula pandat, alioqui non est docendi auctoritas diuina. Ita Theophylact. *Dicit igitur de præcursore Euangelista, quod fuit homo missus à Deo, hoc est, missus à Deo: Pseudoprophetæ enim non à Deo missi erant. Cæterum cum audieris, quod missus fuerit à Deo, nihil priuatam vel humanum dicere putes sed diuina omnia. Et idcirco etiam Angelus dicitur. Angeli enim virtus est, nihil proprium dicere. Item cum Angelum audieris, ne putes quod natura sit Angelus, vel ex cœlo descenderit: sed propter opus & ministerium vocatur Angelus. Quia enim ministrauit prædicationi, & prænuncius fuit Domini, eius gratiâ dictus est Angelus.*

§. 5. Irenæus libro 3. aduersus hæreses c. 11. Ioannem à Deo mundi conditore missum esse probat. *Fuit homo missus à Deo, erat ei nomen Ioannes: hic venit in testimonium, vt testaretur de lumine. Præcursor igitur Ioannes, qui testatur de lumine, à (quo) Deo missus est: vtique ab eo (cuius) Gabriel est Angelus, qui etiam euangelizauit generationem eius, qui & per Prophetas promisit Angelum suum missurum ante faciem Filii sui, & præparaturum viam eius. hoc est, testificaturum de lumine, in spiritu & virtute Heliæ. Helias autem rursus cuius Dei seruus & Propheta fuit? eius qui fecit cœlum & terram, quemadmodum & ipse confitetur. A conditore igitur, & fabricatore huius mundi missus Ioannes, quemadmodum poterat testificari de eo lumine, quod ex his quæ sunt innominabilia & inuisibilia descenderet? Omnes enim hæretici decreuerunt, Demiurgum ignorare eam quæ sit super eum virtutem, cuius testis & ostensor inuenitur Ioannes.*

A Deo missus, dicitur ratione conditoris.

VERSVS 7.

Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.

QVÆSTIO I.

Cur venit?

§. 1. FInem ponit remotum & proximum. Remotus est, *vt omnes crederent per illum.* Proximus, *vt testimonium perhiberet de lumine.* Signanter verò venisse in testimonium dicit, ne quis eum lucem esse putaret: nec enim redemptor mundi, sed testis creatoris est constitutus.

Ioannes venit vt testimonium perhiberet.

§. 2. *Vt omnes crederent:* finis enim testimonii est fides, non scientia. Non enim philosophiam, aliasq; scientias tradere, sed fide illustrare mundum Deus per suos voluit.

§. 3. *Omnium* nomine, quidam intelligunt Iudæos, sed auditores tantum. Alij *omnes homines*, etiam gentes & posteros interpretantur. Nam ad omnes illos testimonium Ioannis manauit, & omnes saluos fieri voluit.

Omnibus possum est testimonium ipsum.

§. 4. Quod vero per illum dicitur διʼ αὐτοῦ, Caietanus interpretatus est δι᾽ αὐτό, quasi per lucem credere dicatur, non per Ioannem. Cæteri consensu de Ioanne interpretantur. Syrus habet loco *omnes omnis homo.* & deinde, *crederent per illum* בירה *bideh, per manum eius*, hoc est operâ & præconio Ioannis, non autem per manum lucis. Retinenda itaq; est communis interpretatio: quam etiam Bullingerus homo hæreticus sequitur, addita causa illa, *quod nemo Ecclesiasticorum Scriptorum aliter intellexerit.* Quod si in cæteris obseruarent, non turbaretur tot nouitiis interpretationibus Ecclesia. Non solet autem scriptura dicere nos per Christum credere, sed in Christum.

Per illum.

§. 5. Lux non egebat alieno testimonio, sed splendore insito præsentiam satis testabatur, verum infirmis animis, & ad insuetam claritatem stupentibus, opus fuit inductione testimonii. Testimonium tamen Christi aduentus in carne passibili requirebat, & vt per Prophetam certum & magnum scripturæ infallibili

bili, auctoritate explicarentur. Augustinus tractat. 35. in Ioannem. *Homo venit contemnendus & honorandus, venit negandus & confitendus: contemnendus & negandus à Iudæis, honorandus & confitendus à nobis: iudicandus iniustè, iudicaturus iustè. Talis ergo venit, vt oporteret ei lucernam testimonium perhibere. Nunquid opus erat, vt Ioannes tanquam lucerna perhiberet testimonium diei, si dies ipse ab infirmitate nostrâ posset videri? Sed non poteramus. Infirmus factus est infirmis, per infirmitatem sanauit infirmitatem: per mortalem carnem carnis abstulit mortem: de corpore suo collyrium fecit luminibus nostris. Quia ergo Dominus venit, & in nocte sæculi adhuc sumus, oportet vt & prophetias audiamus: nam de prophetia conuincimus contradicentes Paganos. Quis est Christus? dicit Paganus. Cui respondemus: Quem prænunciauerunt propheta. Et ille: Qui Prophetæ? Recitamus Isaiam, Danielem, Hieremiam, alios sanctos Prophetas: dicimus quam longè ante illum venerint, quanto tempore aduentum eius præcesserint. Hoc ergo respondemus: Præuenerunt eum Propheta, prædixerunt eum esse venturum.*

Itaq; dicendum est, Ioannis testimonium non ideo necessarium, quasi Christi opera non sufficientissima fuerint: Lucerna enim opus non erat, vt sol, aut dies videretur. Cyrillus libro 2. in Ioannem cap. 14. Chrysost. homil. 5. eo sensu affirmant, non fuisse opus vllius hominis testimonio. Sed vt omnibus modis etiam initiis Christi prospectum esset, testem Deus præmisit. Deniq; Prophetæ prædixerunt, itaq; implerì oracula oportuit.

Qvæstio II.

An omnes Ioanni credere tenerentur?

§. 1. TAntam fuisse in hoc teste grauitatem atq; auctoritatem, vt sine reprehensione & suspitione leuitatis credere Iudæi prophetanti possent, non est dubium. Illud magis controuertitur. An peccarint illi qui non crediderunt. Excusare nonnulli Iudæos conantur. Quamuis enim in Ioanne erat summa rerum diuinarum scientia: deinde in testimonio ferendo religio ac sanctitas, & prima apud gentem Iudæorum auctoritas, probabile tamen eius testimonium hæc faciebant, non necessarium, quo ad testimonio credendum cogerentur. Quomodo enim singulis cõstare de tantâ cognitione rerum cœlestium potuit, aut sanctitate? cum solus Deus sit verus, omnis autem homo mendax? Hoc vero maiore verisimilitudine dicitur, quod Ioannes signum nullum fecit, quo doctrinam suam firmaret.

§. 2. Primo quidem testimonium Ioannis tale erat, vt esset euidenter credibile: Itaq; prudentiæ regulam secuti credere poterant, & tantæ auctoritati non cedere erat peruicaciæ. Cum enim tantâ sanctitate præfulgeret, vt Christus ipse putaretur, non erat causa, cur de Christo testificanti fides non haberetur. Non poterat suspectum esse testimonium eius, qui nullum mentiendi sperare præmium potuit, qui pro veritate mortuus est.

Deinde quemadmodum Apostoli & Prophetæ à Deo ita missi sunt, vt credere & parere illis esset necesse; talia enim habebant indicia suæ missionis, vt sine scelere resisti illis non posset: ita Ioannes quoq; sui Apostolatus infallibilia signa habuit, non modo probabilia ex vitæ sanctitate: sed firma ex Prophetis, & ortu, & miraculis, tum factis: ita vt Ioannes à primo conceptu perpetuum miraculum fuerit. Quocirca potius monendi fuerunt, ipsum non fuisse lucem, ne pro Christo coleretur, quam excitandi, vt illi crederent.

VERSVS 8.

Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.

Qvæstio I.

Cur Ioannem dicat non fuisse lucem?

§. 1. IVdæos cogitasse de Ioanne, an ipse Christus esset, ex legatione eorum est manifestum. Opinionem illam abolere Ioannes voluit, cum tantum lucernam, non solem, non lucẽ illam primogeniam, & æternam fuisse docet. Fideles omnes lux vocantur, Eph. 5. 8. *Vos omnes lux in Domino:* impii è contrario tenebræ: Apostoli vero & doctores singulari prærogatiuâ lux appellantur, quia orbi salutaris doctrinæ facem circumferunt. *Ne Christus videretur, monet lucem non fuisse.*

Ioannes lux erat inter doctores primaria, sed ex primâ luce procedens. Quoniam autem crebro contingere solet, vt maior ille sit, qui testatur, quam cui testimonium perhibetur, vt monet hoc loco Chrysostom. & ex eo Theophylact. id omnino tollere nititur, ne Ioanni testi plus auctoritatis tribuant, quam Christo. Lux erat, sed non à se, sed à Christo lucebat, nec stella matutina ideo sole fulgentior est, quia ortus secuturi est indicium, omne enim lumen à sole mutuatur, & eius prima virtus est non vt mundum illuminet, sed vt de sole testetur. Addendum autem est ex antecedentibus: *venit aut missus*, vt sic sensus: integretur: *Non erat ille lux, sed venit vt testimonium perhiberet de luce.*

§. 2. Brentius hoc loco contra Sanctorum inuocationem abutitur. [Cæterum, ex hoc loco discendus est verus vsus Sanctorum, ne de ipsis plus quam par est sentiamus. Etsi enim Apostoli dicuntur aliàs, Lux mundi, & Ioannes, Lucerna ardens, adeoq; oẽs in Christum credentes vocantur Luminaria. Lucete inquit tanquam luminaria in mundo. Et lux est is in Domino, tamen ex hoc loco interpretandum est, q Sancti non sint vera lux, nec sit ipsis tribuenda maiestas Messiæ, sed quod tantũ sint indices, & testes veræ lucis, ac ministri & doctores veri Messię. Nã, si de Baptista, quo tamen non est maior exortus inter natos mulierum, scriptum est. Non erat ille lux, sed missus est vt testaretur de luce, & vt oẽs crederent per ipsum, hoc est, vt testimonio eius excitati, fidem Christo adhiberẽt, multo magis de aliis Sanctis sentiendum est, quod non sint vera lux, nec transferendum sit in ipsos proprium officium, & maiestas veri Messiæ. Maiestas autem Messiæ, quod sit patronus noster coram Deo, quod sit recõciliator noster, quod sit seruator in morte, adeoq; adiutor in summis dolorum inferni necessitatibus. Nullus igitur Sanctorum inuocandus est, vt patronus, vt reconciliator vt seruator & adiutor in morte, sed quicquid hoc est bonorum, à solo Iesu vera luce & Messia expectandum est.] *Brentii delirium.* *Sancti non sunt Christus.*

Respondeo: Verba Euangelistæ vel mediocriter perpendenti, aliud potius ostendere. Non sunt Sancti lux, nec illis maiestas Messiæ tribui debet. Lux tamen crebro dicũtur, vt ostẽdi, ex quo apparet, cum dicitur: *Non erat ille lux*, tantum de luce increatâ, fonte omnis illuminationis intelligi, nec inde concludi, non esse Ioannem lucem, cum Apostoli sint lux mundi, & Ioannes fulgentior erat Apostolis. Quod si igitur & Deo & creaturis conueniat, vt lux dicantur, nec obstat, quod alibi alio sensu lux esse negentur, alia quoq; cõmunia esse possunt. Christus lux est increata, Ioannes non est lux increata, sed lux tamen creata, & æternæ lucis administra. Ita Christus Patronus, reconciliator, seruator, adiutor, æterna, increata, inde- *Christus lux primogenia, Sancti secundaria.*

independente, naturali potentia, iure, auctoritate, dominio: sancti vero si ita nominentur, aliena gratiâ, prece, intercessione, id quod vel pueris notum est. Cyrillus ideo articulum additum existimat. Non erat τὸ φῶς, non erat illa lux: lux erat, sed non illa omnium rerum origo. sed vt testaretur ἦν φωτὸς, vt de illa luce, quamuis Syrus vtrobiq; omittat articulum, & ponat tantum נהרא *nuhara*. Lux erat: Apostoli & communi etiam consuetudine viri clari φωστῆρες appellantur.

§. 3. Athanasius l. 5. contra Arrianos insigni discursu, etiam hic Christi diuinitatem probat. *Et quamdiu versatus est, per humanitatem assumptam, Lux erat in mundo, vt ipse testatur: Quamdiu lucem habetis, credite in eum, vt filii lucis efficiamini. Ego enim lux veni in mundum. Hoc ita adistum modum demonstrato clarum fuerit, filium esse Verbum: & quia filius est Lux est, quæ in mundum venit, sine omni contradictione relinquitur, mundum per filium conditum esse, vt Ioannis Euangelistæ verba apertè demonstrant, vbi de Ioanne Baptista loquitur: Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de luce. Erat enim, vt iam antea diximus, ipse Christus vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: in mundo erat, & mundus per eum factus est. Necessum igitur, ipsum esse Verbum Dei, de quo testatus Ioannes est, omnia per ipsum facta esse. Aut enim cogentur duos mundos statuere, vt alter per filium, alter per Verbum habeatur conditus: aut si vnus est mundus, & vna rerum natura, ex consequio patet, vnum eundemque & filium & Verbum ante conditam naturam extitisse: siquidem per eum conditus sit. Ergo, si vt per Verbum, ita quoque per filium omnia sunt condita, nihil contrarii apparebit, si idem dicas, vt in principio erat Verbum, ita in principio erat filius: sin autem, quia non dictum est à Ioanne. In principio erat filius, nihil ea quæ Verbi sunt, filio competere asseuerabunt, restat scilicet vt asseuerent, quæ filii sunt non competere Verbo.* Itaq; Verbum & filium idem esse docet, & mundum per Verbum conditum, atq; adeo Verbum esse lucem.

Mundus per filium conditus est.

§. 4. Interim felicissimum Ecclesiæ suæ statum lucis nomine indicasse Christus voluit, lux enim veniens in mundum omnia fouet, ac reficit. Sic Isa. 26. v. 19. quia ros lucis, ros tuus, vt noster, Chaldæus, Forerius, Montanus, Procopius interpretantur: nam est אוֹרוֹת *oroth*, quod non rectè olerum interpretantur Leo Iudæus, Clarius, Pagninus. Vide Tertullianum de resurrectione cap. 31. Augustinum lib. 20. de ciuit. cap. 21. Hieronym. in Isaiæ c. 26.

VERSVS 9.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

QVÆSTIO I.

Quæ lux vera erat?

§. 1. VErba Euangelistę triplicem patiuntur interpretationem, si absolutè spectes. Prima: *Ioannes erat lux vera*, cui obsistit ipse textus, qui negat Ioannem fuisse lucem, sed aliam esse tradit. Altera: *Verbum erat lux vera*. Tertia: Hæc lux erat illa vera lux, quæ illuminat omnem hominem. Vt ea verba, *Quæ illuminat omnem hominem*, potius rationem subiecti quam prędicati habeant. Atq; hoc indicat geminatus articulus τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, *lux vera*. Vera naturâ, & ex se necesse esse. Verum hic est id quod sentiâ, non creatione aut participatione. Nonnus ἐπήτυμον, & αὐτοφυὲς φῶς appellat. Atq; hoc est quod Theophylactus ait: *Erat antequam incarnaretur*, & Euthymius ἀεὶ ἦν *semper erat*, ἐξ ἀπ' αἰῶνος *& ab æterno*. Veritas enim non falsitati, aut vmbræ, sed mutabilitati opponitur, vt verum sit, quod est immutabile, necessarium, independens.

§. 2. Quo etiam hoc indicat: lucem etiam hanc quam oculis haurimus, non esse lucem, si Deo comparetur. Simul refutat Peripateticos, qui cœlum & mundum æternũ cum Dei creatoris iniuria faciebant. Quos patres olim magno labore, & insigni veritatis profectu deuicerunt. Sed nostro tempore hocidem Vorstius dubitando reuocauit? Ille enim antapod. l. pag 127. & 128. *Quid tandem absurdi est, inquit, præter creatorem, aliquid esse increatum?* Nempe immensum illud spacium, quod diuina maiestas, quam certè alicubi esse necesse est, ab æterno pro naturæ suæ modo ac conditione occupauit? ac deinceps ab æterno occupabit. Impiè prorsus. Cur enim Deus egeat spacio increato in quo sit, spacium ipsum non egeat alio loco? Spacii immensitas esse potest in seipsa, diuina infinitudo non potest? Verum de his alibi & aliàs.

Nihil increatum præter Deum. Vorstius error.

§. 3. Scientiam Deo conuenire cum summa excellentiâ hoc ipsum docet, quod lux dicitur. Lux ipsa Deus est, ipsa scientia lux est. Quâ de re egregiè, & piè Dionys. de diuinis nominibus. Lumen enim Deus est, & lumen cognoscendo seipsum, & cognitum, perfectissimâ etiam omnium possibilium cognitione. Cuius natura admirabili luminis claritudine, celeritate, vigore elegantissimè exprimitur.

§. 4. Theophylactus tres hæreses hoc versu refutari docet. *Dicturus est de incarnatione vnigeniti, quod venerit in propria, quod caro factus sit: ne igitur quis suspicetur, quod non fuerit antequam incarnaretur, eius gratia subuehit mentem nostram in substantiam, quæ vltra omne principium est, & inquit: Erat etiam antequam incarnaretur lux vera. Et per hoc Photini & Pauli Samosateni subuertit hæresim, qui docent in suis dogmatis, vnigenitum tunc cœpisse, quando de Mariâ natus est, & ante hoc non fuisse. Audi & tu Ariane, qui negas verum Deum filium Dei, quid dicat Euangelista: Erat lux illa vera. Et tu quoq; Manichæe qui dicis, quod simus creatura opificis diaboli, audi: quia lux illa vera illum nat omnem hominem. Si igitur malignus ille opifex tenebræ est, nullum vtiq; illuminat, atq; ita vera lucis creaturæ esse non sumus.*

Christus æternus. Christus Deus. Homo non est creatura diaboli.

Quia namq; erat lux, ab æterno fuit. Quia homines illuminat, non sunt illi creaturæ dæmonis, quia suprema lux, & vita, & verbum, etiam Deus erat, multo ante lux, quam de virgine nasceretur.

QVÆSTIO II.

Quomodo illuminat omnem hominem?

§. 1. QVandoquidem magna pars hominum in tenebris & mortis caligine iacet: Necesse est restrictè & certo modo, illuminationem intelligere. Quidam itaq; illuminare hanc lucem aiunt, non effectu, & sparsis radiis, qui in omnium animis fulgeant, sed naturâ, sed potẽtia, affectu. Natura enim lucis est, se diffundere, illustrare omnia, vbi non obsistunt opaca corpora. Sic Martinus Delrio in Isa. 2. v. 3. exponens illa verba: *Gentes apostatrices*, naturam, habitum, officium significari ait. Ita etiam Bullingerus hæreticus, ex Chrysost. aliisq;.

Lucis vera officium.

Aliorum est sententia, Particulam vniuersalem restringendam: *Omnem hominem* accipi pro generibus singulorum. Omnibus enim ex statibus, generibusq; illuminari aliquos. Nullum qui illuminatur, alia luce, quam hac ipsa illuminari. Ita Rupertus in Psal. 144. ex Augustino Enchirid. cap. 102. libro 1. de peccat. meritis & remissione cap. 25. *Itaq; non Iudæum, vt Chrysostom. ait, non Græcum, non Schytam præterit, aut dedignatur, omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnem pari honore adiocat, qui autem eius dono frui negligit,*

gunt, suam hanc sibi cœcitatem imputent. Quâ ex re apparet, Chrysostomum vtramq; coniungere, nempe eam esse naturam lucis, & eos qui non illuminentur, suâ culpâ in tenebris hærere. Quod magis mirêre etiam hæreticos, alioqui omnia læua de Deo sentientes, non negare.

§. 2. Minus probo eos, qui de luce naturali accipiunt. Nam lucem hanc omnem accipiunt, at illam de quâ Ioannes loquitur, tenebrę non receperunt. Ita tamen Cyrillus interpretatur. Alioqui Caluinus de naturali ratione intelligi mauult, ne cogatur dicere omnibus lucem illam offerri, eos vero qui ita sentiunt, fanaticos appellat, tanto conuitio tot patres insectatus.

Quamuis enim aliter alii interpretentur, non tamen tanta censura perstringi debent, qui omnib. offerri aiunt lumen cœleste. Theoph. de naturali ratione interpretatur. *Et quomodo, inquit, illuminat omnem hominem, cum videamus tam multos obtenebratos? Quantum ad ipsum attinet, illuminati omnes. Dic enim obsecro, Nonne omnes rationales sunt? nonne omnes naturâ scientes bonum? num secus habet res? nonne omnes habent virtutem ex creaturis cognoscendi creatorem? Et ita ratio data nobis, & natura nos instruens, quæ & naturalis lex vocatur. Hæc vocata est lux nobis à Deo data. Quod autem quidam ratione vsi sunt, hi seipsos obtenebrarunt. Nonnulli hanc dubitationem ita soluunt: Illuminat (inquiunt) Dominus omnem hominem venientem in mundum: hoc est eos qui sunt in statu meliori, & dantes operam vt illuminetur anima sua, neq; illam inornatam & turpem esse sinentes.*

Nam reuera Deus omni homini gratiam offert, vt docet Bellarm. de gratia & lib. arbitrio lib. 2. c. 5. Nam Cyril. Chrysostom. Theophylactus etiam de spiritali & supernaturali illuminatione accipiunt, docentq; eos qui non illuminantur, suam sibi cœcitatem imputare debere: idcirco omnes, quantum ad Deum dona sua offerentem, illuminari.

» §. 3. Obiicit Bellarmino Pareus. [Videatur c. 3.
» argumentum secundum Pelagianorum, & apparebit
» aduersarii futilitas, ex eodē ore calidum & frigidum
» spirantis. Fassus est ibi, dictum Iohannis loqui de lu-
» mine naturæ omnibus communi, à Chrysostomo ta-
» men & Cyrillo intelligi etiam de lumine gratiæ non
» vniuersaliter, quasi nemo sit, qui eo non illuminetur,
» sed restrictè, quod nemo nisi per Christum illumine-
» tur: Verba Bellarmini fuerunt: Non quod omnes il-
» luminentur, cum multi in infidelitate remaneant, sed
» quoniam nemo illuminatur, nisi per ipsum (Christū.)
» Mendacium est igitur, Chrysostomum & Cyrillum
» velle, neminem omninò lumine gratiæ priuari.]

Respondeo. Constantem esse Bellarmini sine vllo mendacio doctrinam: non enim contraria sunt, vt ipse suspicatur. Multos permanere in infidelitate, &, nullum gratiæ luce priuari. Priuatur enim, cui petenti negatur, aut cui inuito eripitur, non autem qui oblatam repellit. Illi enim se ipsi priuant, non priuantur à Deo, qui nolunt: explicuit hoc adeo disertè Bellarminus, vt calumniæ omnem occasionem præciderit.

Illud item Ioan. 1. Illuminat omnem hominem supra diximus ex commentario Chrysostomi, & Cyrilli, referri ad lumen gratiæ, quo nemo omnino priuatur. Illud quoq; 1. Tim. 2. Vult omnes saluos fieri. & ad agnitionem veritatis venire. Et 2. Petr. 3. Non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti. Exponitur quidem variis modis à Sancto Augustino, sed illa expositio videtur maximè congruere Apostolicæ sententiæ, quam habet in libro de spiritu, & litera, c. 33. vbi exponit quæstionem, cur Deus non det omnibus velle credere, cum velit homines omnes saluos fieri. Et respondet Deum velle omnes saluos fieri, sic tamen, vt non adimat eis liberum arbitrium, quo vel bene, vel male viuentes iustissimè iudicentur, & addit, infideles contra Dei voluntatem facere, cum non credunt Euangelio, tamen non vincere Dei voluntatem, quoniam experientur in supplicijs potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. Et ponit similitudinem Domini, qui vult, vt omnes serui laborent in vinea sic tamen, vt si qui operari noluerint, detrudantur in pistrinum. Deus omnes vult credere sed liberè.

Ex his intelligimus hanc fuisse Augustini sententiam de hoc loco Apostoli, Deum velle omnes saluos fieri, quia dat omnibus, vnde possint velle credere & saluari, sic tamen vt si ipsi noluerint, non saluentur, sed ad supplicia destinentur æterna, quæ fuit etiam expositio Sancti Prosperi libro 2. de vocatione gentium cap. 23. 25. & 28. Item commentariorum qui tribuuntur Ambrosio, item Chrysostomo, Theophylact. & Oecumenii, qui dicunt Deum velle omnes saluos fieri, si & ipsi velint, nimirum si velint cooperari diuinæ gratiæ præuenienti.

Perurget tamen malam causam Pareus libro 2. c. 3. de hoc eodem loco. [Si enim sufficiens auxilium «
est, posse velle credere: & hoc omnibus datur: Ergo «
stat æqualitas gratiæ, saltem quantum ad hanc possi- «
bilitatem: quam Pelagius vocabat gratiam creatoris «
omnibus insitam: Bellar. vocat auxilium sufficiens o- «
mnibus datum: quod sensu idem esse, verbis tantum «
differre, nemo non videt.]

Respondeo. Toto cœlo differre Bellarminum & Pelagium. Nam Pelagiani dona naturalia insita esse docebant, Adamum enim seipsum solum, non cæteros læsisse. Infantes eo statu nasci dicebant, quo ante peccatum erat Adamus, habere vitam æternam sine Baptismo, hinc alia deducebant, quæ contra calumnias Petrus Bertius olim Caluinianus, nunc orthodoxus habet præfat. de apostasia Sanctorum. 7. *Gratia Dei non datur ad singulos actus, sed in libero arbitrio est, vel in lege atq; doctrina.* 8. *Gratia Dei secundum merita nostra datur.* 9. *Filii Dei non possunt vocari, nisi sint omninò absq; peccato.* 10. *Non est liberum arbitrium, si Dei inde gratia auxilio, quoniam in propria voluntate habet quisque, facere aliquid, vel non facere.* 11. *Victoria nostra non est ex adiutorio Dei, sed ex libero arbitrio.* 12. *Pœnitentibus non datur venia secundum gratiam Dei, sed secundum meritum cuiusq;.* Bellarmin. longe abest à Pelagianis.

Omnes autem vi liberi arbitrii, quod nascentes acceperunt, esse illuminatos, nec alia egere gratiâ ad bene viuendum, docent Pelagiani, at Bellarminus negat vlli sufficere liberum arbitrium, omnibus necessariam esse supernaturalem gratiam, eam ex Dei misericordiâ omnibus dari sufficientem, inæqualem tamen. atq; hactenus constat esse pares, quia omnes sufficientem acceperunt. Quid autem eâ de re senserit Arminius vide artic. 9. Omnes sufficientem gratiam accipiunt.

§. 4. Illyricus suo more, cum diuisset, solum Christum illuminare, conuitia in Apostolos, & sanctos patres iacit. [Hoc vno discrimine probè considera- «
to, ruit tota idololatria sanctorum, opinio iustitiæ «
operum, merita, sacrificiorum & sacrificorum, & de- «
niq; Antichristi abominanda tyrannis. Ille enim so- «
lus est vera lux, veraq; vita, seu vnicus omnium ho- «
rum bonorum viuus fons, vt mox dicetur: isti sunt „ Sancti
tantum ministri ac monstratores illius lucis, & eate- „ non sunt
nus sunt etiam ipsi quasi lucernulæ quędam splendo- „ lux.
ris cœlestis. Quod si illi ad hunc vnum solem non o- «
mnes auditores dirigunt, sunt infernales tenebræ, aut «
obscuræ eius flammæ.] «

Turpe mendacium; quasi vero nos sanctos alio loco quam ministrorum, & Lucernularum habeamus. aut quasi ideo quia Sol lucet, non sit cæteris astris etiam sua lux.

§. 5. Beza longius processit. [Malo igitur significari, nullum hominem nasci huius lucis experrem.

Nam

Beza de luce naturali interpretatur.

„ Nam infantes etsi vsum rationis non habent, aut certè perexiguum, tamen animo ipso sunt præditi, qui „ suapte natura iam tum facultate aptus est ad intel„ ligendum ac ratiocinandum, vt alicubi rectè docet Lactantius: quamuis quominus ἐνέργεια, id est „ actu, vt loquuntur, officium faciat, instrumentorum corporis infirmitas impediat. Apparet enim „ omnino ex iis quæ sequuntur, & vi horum verborum propria, hoc esse accipiendũ de beneficio Chri„ sti toti humanæ genti communi, ante lapsum, vt mi„ nimè necesse fuerit nodum hunc nectere. Qua ratio„ ne dicatur omnem hominem illuminare Christus, „ quum tam multi in tenebris maneant: quasi de rege„ nerationis gratia hic agatur, quæ filiis Dei pecu„ liariter est destinata. Est enim hic versiculus cum „ proximè consequente ἐπεξεργασία vers. quarti & quinti.]

Hæc lux nõ est gratia originalis.

Non potest illa interpretatio consistere: nam lux de qua loquitur est illa lux, de qua Ioannes testimonium perhibuit, vt per eum crederent in lucem; lux est quam tenebræ non receperunt, lux est quam mundus non cognouit. Non igitur illa illuminatio qua Adam illuminatus est in paradiso: Nemo enim præter primos homines talem consecutus est lucem. Atq; ita omnis homo, solos duos protoplastas significaret, quod cum absurdum sit, alio etiam argumẽto premitur. Dicitur: lux est, φωτίζειν, iam nunc illuminare, aut eius efficaciam esse, vt illuminet, non autem πεφωτικέναι illuminasse: & omnem hominem ἐρχόμενον. venientem, non priscos illos tantummodo, sed posteros, atq; adeo ipsum suum testem Ioan. Baptistam. Augu. tract. 1. in Ioan. & ep. 120. ad Honoratum, præstantiam lucis veræ à Ioanne ex eo demonstrat, quod cum illuminet omnem hominem, etiam ipsum Ioannem illuminet.

§. 6. Pelagiani hoc loco probare conabantur omnes nasci sanctos, & spiritualiter illuminatos: venientes enim in hunc mundum illuminari. Alii idcirco infantibus natis vsum rationis attribuebant, apud Aug. l. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 25.

Infantes nõ illuminãtur ante baptismũ.

Lutherani etiam qui infantibus dum baptizantur actualem fidem inesse affirmant, non dissimili errore tenentur.

Animæ non sunt creatæ ante corpora.

§. 7. Insaniunt, qui ex eo quod homo venire dicatur in mundum, deducebant animas ante in cœlo creatas, in corpora delapsas esse, quod Origeni tribuunt. Venire enim in mundum, est nasci, sicut exire, est mori. Vide Origen. lib. 1. c. 3. de principiis, & l. 2. c. 8. Epiph. hæres. 64.

QVÆSTIO III.

Quis dicatur veniens in hunc mundum?

§. LAtinus textus non est ambiguus, Græcus vero duplicem sensum efficit: ὁ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, vbi ἐρχόμενον referri potest ad ἄνθρωπον hominem, & sic efficit nostri interpretis sententiam: Vel ad φῶς, vt sit sensus: *Quæ illuminat omnem hominem veniens in hunc mundum.* Syrus etiam ad hominem retulit ܐܬܐ *dathe* venientem. Hæc communior est veterum & recentiorum interpretatio. Monet tamen Augustinus in Græco etiam alterum sensum haberi. Quin & Paulus ait, Christum venisse in mundum, & c. 3. 13. infrà. v. 13. *Lux venit in mundum.* Tolerus venire in mundum intelligit de hominibus qui in mundo versantur. Sed cap. 18. v. 37. Christus ipse hoc dicendi genus exponit.

Homo dicitur venire in mundum.

VERSVS 10.

In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.

QVÆSTIO I.

Quando erat in mundo?

§. 1. MAgno veteres consensu de verbo nondum incarnato Euangelistam sunt interpretati: aliud sentiunt viri nonnulli docti. De Aduentu Christi in carnem, & præsentia corporali sermonem esse, vt etiam noster Maldonatus. Mihi potior est veterum sententia: Primo quidem auctoritate: ita enim Augu. tract. 2. in Ioan. Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 10. Chrysost. hom. 7. Prima igitur est sententia: secundum diuinitatem, qua æqualis est Patri, in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. August. serm. 39. de verbis Domini. Deinde ratio loquendi ἦν, *erat* quo verbo antecedentia hactenus Ioannes indicauit. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, in ipso vita erat, erat lux hominum. *Secundo tempore. erat. mundo.*

Nec satis hoc soluitur, cum dicitur ἦν, & imperfectum & perfectum significare: etsi enim illud nemo negat, omnes tamen consentiunt: toto contextu, *erat* accipi pro eo, quod semper fuit, nunquam incepit, quocirca hic quoq; analogia seruata sic exponẽdum esse. Idq; cum dicat, *in mundo erat, & mundus per ipsum factus est.* Ipse autem non dicitur, *caro factus* postquam mundus factus est, sed cum mundum fecisset, vt factor in opere erat.

Tertio instituto Ioannis hoc ipsum conuenit: Verbum enim in mundo erat, operabatur, omnibus reb. actionibus, cogitationibus intererat, omnia gubernabat, & conseruabat. Cum enim dixisset: *esse apud Deum*, ne quis ociosum, aut mundi negligentem putaret. In mundo fuisse non per solam præsentiam, & immensitatem, sed etiam bonitatem, efficientiamq; demonstrat. Non separatum à suo opere, quod sine creatoris influxu, ne ad breue quidem momentum perdurare posset, sed in illo existens. *Matth. 6. non posset.*

Denique; id quod addit: *& mundus per ipsum factus est*, ad verbum nondum incarnatum pertinet, igitur & id quod ait, *in mundo erat.* Clarus enim sensus est, & sibi cohærens. Dei verbum nondum incarnatum in mundo erat, & mundus per illud factus, multis annis antequam incarnaretur, & mundus factorem & præsentem, non cognouit. Minimè verò ita cohærent; Verbum incarnatum erat in mundo, & mundus per ipsum, hoc est, verbum non incarnatum factus est. Nam particula διὰ ipsum non totum Christum referret, quin incommodè Christi aduentus in mundum poneretur post aliquot annorum millia ab eius conditu, ac tum diceretur mundus per ipsum factus est.

§. 2. Rationes discedendi à priscis, etsi speciem habeant, non tamen firmæ sunt. Idem aiunt, esse, *In mundo erat*, & *In propria venit*: hic de aduentu incarnati agitur, igitur & illic. At ego cum videam Patres tam accuratè, & Theologicè in hac materia verba distinguere, non dubito vel ex hac diuersitate sermonis, ad diuersas naturas omnia verba relaturos. Quod vel ex eo confirmo, quod cum diceret, verbum in mundo fuisse, mundum creasse, & non agnitum à mundo: tandem inquit; in propria venit, carne scilicet vestitus, vt vel sic cognosceretur, & tamen sui non cognouerunt eum. Aliud igitur est in propria venit formam serui accipiens; aliud vero, In mundo erat, eumque fecerat, gubernans.

§. 3. Plus

§. 3. Plus difficultatis in alio argumento est. Mundus idcirco reprehenditur, quod verbum non cognouit. Hoc de verbo incarnato intelligi non potest: neq; enim mundo patefactum est Trinitatis mysterium, quocirca nec illius ignoratione deliquit. At quod verbum incarnatum à prophetis prædictum, tot miraculis operibusq; commendatum non agnouerit, id vero magnę superbiæ ac peruicaciæ fuit. Si opera non feciſſem inquit ipse Dominus, peccatum non haberent.

Respondeo. Mihi etiam hanc rationem videri à nobis esse, & Patribus. Quis enim dicit: Et mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Eodem modo accipienda sunt, δι' αὐτοῦ, & αὐτὸν *per ipsum*, & *Eum*, nempe verbi personam, loquitur enim de verbo genere masculino, quia vt de persona. Nec puto interpretem nostrum inaduertentiæ accusandum, vt facit Ianſenius: quomodo enim non aduertit, *Eum*, non posse ad lucem, vel verbum referri? cum præcessissent: sed personam respicit, non autem voces. Ille verò hoc in errore Erasmum sequitur, qui contendit, legendum esse, *Illud non cognouit*. Rectius Syrus personam non lumen intellexit, cum dicit: *Mundus per manum eius fuit*. At cum dicit, Mundum esse per ipsum factum non intelligit per Christum compositum, seu subsistentem in duabus naturis, ergo etiam cum dicit: *Eum non cognouit*, de eadem personâ intelligitur. Quod attinet ad cognitionem Sanctæ Trinitatis ea obscura fuit, paucis veterum data. Verum hic non est sermo de personalium proprietatum distinctione: sed reprehenditur mundus, quod Deum creatorem non cognouerit, amauerit, nec obtemperauerit. Non nouit Deum, qui in personis tribus subsistit, ideo non nouit filium, nec Spiritum sanctum. Non tamen ideò damnatur, quod illa mysteria ignoret, sed quod Deum, Dei sapientiam, bonitatem, potentiam ex operibus non consideret, nec cognoscat. Perindè enim est ac si dicat creatorem non cognouit: nam filius hic creator dicitur, quod commune est tribus personis, vt creatorem igitur, Dominumq; agnoscere debuerunt: in eadem est etiam sententiâ Vincentius noster.

§. 4. Peccatum igitur mundi est, Deum qui vnus est in essentiâ, trinus in personis non agnouisse, coluisse, vt Deum creatorem, factorem, Dominum, finem omnium. Non tamen trinitatem personarum ignorando deliquit. Hæc enim ex operibus colligi non potest.

§. 5. Nouatianus hinc etiam Christi diuinitatem rectè probat libro de Trinitat. *Ac si de cœlo descendit verbum hoc tanquam sponsus ad carnem, vt per carnis assumptionem filius hominis illuc posset ascendere, vnde Dei filius verbum descenderat: merito dum per connexionem mutuam & caro verbum Dei gerit, & filius Dei fragilitatem carnis assumit, cum sponsa carne conscendens, illuc vnde sine carne descenderat, recipit iam claritatem illam, quam dum ante mundi institutionem habuisse ostenditur, Deus manifestè comprobatur. Et nihilominus dum mundus ipse post illum institutus refertur, per ipsum creatus esse reperitur, quo ipso diuinitatis in ipso per quem factus est mundus, & claritas & auctoritas comprobetur.* Et pari ratione Chrysost. *Quibus verbis iterum te ad æternam vnigeniti reducis essentiam. Qui enim audit hunc mundum esse eius opus, nisi penitus insanit, nisi inimicus gloriæ Dei atq; hostis sit, omnino velit nolit, ante opera sua eorum conditorem fuisse confiteatur necesse est. Quocirca magis magisq; indies admiratus sum Pauli Samosatensis insaniam, quo vultu tam manifestæ audeat repugnare veritati, & se ipsum sponte sua in errorem præcipitem dare. Non enim ignoratione, sed consulto errauit, non secus ac Iudæi. Nam quemadmodum hi hominum gratia, fidei firmitudini inprodiderunt, & Christum vnigenitum, & Dei filium intelligentes, principium tamen gratia fateri noluerunt, ne è synagoga eiicerentur, ita & illum vt muliercula quædam rem gratam faceret, salutem suam inquiunt contempsisse.* Creare autem esse infinitæ potentiæ, ideoq; solius Dei, tum multis modis Theologi, tum verò lib. 2. Metaph. accuratè Soarez noster probat. Deus enim necesse est vt sit, quisquis ex nihilo condit aliquid. Cum infinita sit inter nihil & res distantia. Interim Deus ita in mundo est, vt & extra sit, vbiq; enim est: ὅτι παντα χῦ θεὸς, ἰσμὲν inquit Chrysost. πᾶς ὑπὲρ νοῦμ ὢν, quod Deus vbiq; sit nouimus, quomodo autem nescimus. Est enim τὸ θεῖον ἀμιγὲς, ἄκρατον, καὶ ἀμερίστατον, diuinitas est sine mistione, secreta, & impartibilis. Et Sanctus Iren. lib. 2. contra hæreses cap. 1. Neq; super Deum, neq; post Deum est aliquid. Et Theophylactus lib. 1. ad Antolycum: ὁ θεὸς δόξῃ μὴ ἐστιν ἀχώρητος, μεγέθει ἀπερίληπτος, ὄψει ἀπεινόητος, cognitione receptibilis, magnitudine incomprehensibilis, altitudine incogitabilis. addit: ὅπου δὲ μηδὲ τὸ ἐν τόπῳ χωρεῖσθαι, εἰ ἄμεινον μείζων ὁ χωρῶν τοῦ αὐτὸ δύνησεται, μείζων γὰρ ἐστὶ τὸ χωρῶν τοῦ χωρουμένου, θεὸς γὰρ οὐ χωρεῖται, ἀλλ' αὐτὸς ἐστὶ τόπος τῶν ὅλων: *Dei altissimi qui omnia regit, reuerag; existit, hoc quasi proprium est, vt non solum vbiq; sit, verum omnia præsens inspiciat, & audiat. Præterea nec loco capitur: alioqui locus, qui ipsum capit, eo maior inueniretur. Nam id quod capit, eo quod capitur, maius est. Deus enim loco nequaquam circumscribitur, verum ipse est omnium locus.* Hinc locum illum multi negant, scil. quo circumscribatur. Quemadmodum idem Theophylus, ὁ θεὸς αὐτὸς ἑαυτῷ τόπος ἐστί: & Macarius hom. 7. οἱ λέγει τις (τὸν θεὸν) ἴδιον τόπον ἔχειν, ποιεῖ αὐτὸν ἐν περιγραπτὸν, &c. *Si quis dicat proprium locum habere Deum, circumscriptum eum facit Iterum homil. 11.* ὁ θεότης πάντα τὰ κτίσματα τὰ ὑπερέχει καὶ πανταχοῦ πεπλήρωται, ἐν τῇ κτίσει, εἰ καὶ ἐξωτέρω τῶν κτισμάτων ἐστὶ, ὅσα τὸ ἀμέτρητον καὶ ἀπερίληπτον: *Deitas omnes creaturas tum cœlestes tum quæ subtus abyssum sunt continet, & vbiq; plenè est, in creaturis, quamuis extra creaturas sit, eo quod sit dimensione, & comprehensione libera. Alibi hom. 16.* ὁ θεὸς ἀπερίγραπτος ἐστι καὶ ἀκατάληπτος πανταχοῦ ὢν Φαινόμενος, ἐν τοῖς ὄρεσι, καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ, καὶ ὑποκάτω τῆς ἀβύσσου καὶ οὐκ ἔχει μεταβάσιν ὁ τόπος τοὺς ἀγγέλους καταρχόμενος ἐξ ἑτέρου εἰς ἕτερον ἀπὸ τόπου εἰς τόπον. ἐστὶ γὰρ ἐνταῦθα καὶ ἐστὶν ὧδε. *Deus incircumscriptus est, & incomprehensus, vbiq; apparens, in montibus, & in mari, & subter abyssum, non ratione migrationis, sicut Angeli: descendum è cœlo in terram: est enim in cœlo, est quoq; hic.*

Deus incircumscriptus.

Itaq; & Isidorus Peluſiota vocat ἀχώρητον *illocabile*, & ἐπέκεινα πάσης, *vltra omnem naturam*. Sic Theodoretus in Psal. 70 103. Nazianz. de fide orthod. l. 1. c. 4; vide comment. Clichtouii.

QVÆSTIO II.

Quomodo mundus per ipsum factus est?

§. 1. IAm supra cum dixit omnia per ipsum facta, causam principem esse, non instrumentariam significauit. Ne quis eum mundo incluſum, aut mundi partem arbitraretur. in quocunque enim fuit, hoc per ipsum factum: in eo igitur vt factor in opere suo & conseruator fuit. Quapropter damnatur his ipsis verbis Augustini, Steuchi, Vorstij, & omnium eorum error, qui aliquid non coæternum Deo fecerunt: & præsertim Vorstij, qui falsum esse ait nihil ante mundum fuisse.

Nihil factum Deo coæternum est.

se. Magnâ blasphemia in Deum, aliquid, quod creator, nec creatura sit, in mundum inducitur, quod ideo nec à Deo dependeat, quod æternum sit, increatumq; Verissimè Iusti. Mart. quæst. & resp. ad Græcos. Εἰ ἀγένητος ὁ θεὸς, καὶ ἀγένητος ὁ θεὸς, καὶ οἰκεῖ ἐν τῷ θεῷ, ὁ θεὸς. πῶς κατοικῶν ἐν τοῖς ἴδιοις αὐτὸ ὁ θεὸς ἐκ ὠφελήσεται: ὃν, δὲ ἐκ ἐποίησεν, θεῷ ὄντος ἀκέσιν αὐτῷ. *Si cœlum ingenitum est, atq; Deus etiam ingenitus est, & in cœlo Deus habitat: quomodo Deus in his quæ sua non sunt habitans, non contumeliâ afficitur? quod enim non fecit cœlum, id eius non est.*

Solum increata natura est adoranda.

Consequitur enim Deum in illis habitare, quæ sua non sunt. Imò & illa increata, vel adoranda, vel Deum non adorandum: μόνην γὰρ τὴν ἄκτιστον φύσιν λατρεύειν καὶ σέβεσθαι, ait Nyss. apud Maxim. in Melis. Nihil autem extra Deum vel absq; Deo esse potest, docet nos Iren. libro 2. cap 1. Solus sine origine Deus est. Tertul. lib. 5. contra Marcionitho. *Deus enim sibi mundus ante mundum fuit*, vt ait Minucius Felix. Omnis in Deo locus erat, ante mundum, & nullus locus, nisi Deus.

Deus non est extra quem est aliquid.

Certè Augustin. libro 8. de gen. ad lit. cap. 23. Deum ita vocat æternum, vt ei coæternum nihil esse possit. Philo idem etiam intellexit, πρὸ γενέσεως ἦν τὸ σὺν θεῷ ante creationem nihil erat cum Deo. Audire lubet Iren. libro 2. cap. 1. *Si autem extra illum est aliquid, iam non omnium est pleroma, neque continet omnia. Deerit enim pleromati, aut ei qui sit super omnia Deo, hoc quod extra eum dicunt. Quod autem deest, & delibatum est ab aliquo, hoc non est omnium pleroma: & terminum autem & medietatem, & finem habebit, ad eos qui sunt extra eum. Si autem finis est in ea quæ sunt deorsum, initium est & in ea quæ sunt sursum. Similiter autem & ex reliquis partibus necessitas est omnis id ipsum experiri, & ab eis qui foris sunt contineri, & determinari, & includi. Is enim qui est deorsum finis, necessario omni modo circumscribit & circumdat eum, qui firmatur in eum. Et iterum secundum eos, Pater omnium, quem videlicet & Paroonta, & Propatorem vocant cum pleromate ipsorum. Et Marcionis bonus Deus in aliquo conditus, & reclusus, & à foris circundatus ab altera principalitate, quam necesse est maiorem esse: quoniam id quod continet, eo quod continetur, maius est: quod autem maius est id & firmius est, & magis Dominus: & quod maius est, & firmius, & magis Dominus, hoc erit Deus.*

Et Tertullianus lib. 1. cap. 15. contra Marcionem. *Si Dominum cepit hic mundus, cur substantiam capere non potuit, nisi Domino fortasse maiorem? iam nunc de loco quæstio est, pertinens & ad mundum illum superiorem, & ad ipsum Deum esse. Ecce enim si & ille habet mundum suum infra se super creatorem, in loco vtique fecit eum, cuius spatium vacabat inter pedes suos & caput creatoris. Ergo & Deus ipse in loco erat, & mundum in loco faciebat. Et erit iam locus ille maior & Deo & mundo. Nihil enim non maius est id quod capit, eo quod capitur. Et videndum ne qua adhuc illic vacent subiecta, in quibus & tertius aliquis stipare Deus se cum mundo suo posit. Ergo iam incipe Deos cõputare. Erit enim & locus Deus, non tantum qua Deo maior, sed & quâ innatus & infectus, ac per hoc æternus, & Deo par, in quo semper Deus fuerit.* Mundus igitur totus, & locus mundi per ipsum factus est. nihil in illo coæternum, nihil non certæ originis est præter Deum.

Materia nõ est æterna.

§. 2. Impij etiam pariter sunt, qui materiam æternam constituunt, vt Marcion, & Hermogenes, Quin & Vorstius in Θεολογ. Διατριβαῖς per pag. 225. materiæ æternitatem statuit, & pag. 245. *Nulla entia ait simpliciter æterna esse præter Deum, & materiam primam.*

Quæ quidem hæresis ipsam materiam, quæ *pars est vilissima rerum,* in Dei throno collocat, vtpote increatam. Ita Tertullianus libro contra Hermogenem cap. 1. *Instruens aut Dominum de semetipso fecisse cuncta, aut de nihilo aut de aliquo: vt cum extenderit neque ex semetipso fecisse potuisse, neque ex nihilo, quod super est exinde confirmat, ex aliquo eum fecisse, atque ita aliquid illud Materiem fuisse. Negat illum ex semetipso facere potuisse: quia partes ipsius fuissent, quæcunque ex semetipso fecisset Dominus. Verò in partes non deuenire, vt indiuisibilem & indemutabilem & eundem semper qua Dominus. Caterum si de semetipso fecisset aliquid, ipsius fuisset aliquid. Omne autem & quod fieret: & quod faceret, imperfectum habendum: quia ex parte fieret & ex parte faceret: aut si totus totum fecisset, oportuisset illum simul & totum esse, & non totum: quia oporteret & totum esse, vt faceret semetipsum, & totum non esse, vt fieret de semetipso. Porrò difficillimum. Si enim esset, non fieret, esset enim: si verò non esset, non faceret: quia nihil esset. Eum autem qui semper sit non fieri, sed esse illum in æuum auorum. Igitur non de semetipso fecisse illum qui non eius fuerit conditionis, vt de semetipso facere potuisset. Proindè ex nihilo non potuisse eum facere sic contendit, bonum & optimum definiens Dominum qui bona atq; optima tam velit facere quam sit, immo nihil non bonum atq; optimum & velle eum & facere. Igitur omnia ab eo bona & optima, oportuisse fieri secundum conditionem ipsius. Inueniri autem & mala ab eo facta, vtiq; non ex arbitrio, nec ex voluntate: quia si ex arbitrio & voluntate, nihil incongruens & indignum sibi faceret. Quod ergo non arbitrio suo fecerit, intelligi oportere ex vitio alicuius rei factum, ex materia esse sine dubio.*

Quæ omnia illo libro refutat Tertullianus, ostenditq; ab eo materiam cum Deo æquari. Verè autem Pammelius indicat, eos qui apud Augustinum hæres. 54. dicuntur Hermiani, esse Hermogenianos, eadem est enim hæresis vtrorumq;. De his Isidorus Etymol. libro 8. cap. 5. Rabanus libro 2. institution. Cleric. cap. 58. Gratianus Canon.

Hæresis Hermiana. Deo materiam coæternam.

§. 3. In confesso est, mundum hoc loco non pro machinâ huius vniuersi, sed pro hominibus accipi, in paucis verbis enim crebro illa significationum fit, & eleganter mutatio. Vt cum dicimus, mundus non est mundus. Quod alibi explicui, in illis verbis: *sine mortuos sepelire mortuos suos.* Quamuis cum dicitur mundus per eum factus præcipuè etiam homines intelliguntur. vt Augustinus Epistol. 120. cap. 3. ad Honorat. *In hoc mundo, inquit, erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognouit. Non mundus qui per eum factus est, eum non cognouit. Neq; enim habet vim cognoscendi eum, nisi rationalis creatura. Quamuis etiam mundus ipse visibilis per eum factus sit, hoc est cœlum & terra: sed mundum non cognoscentem increpando, significauit infidelis constitutos in mundo.*

Mundus dupliciter accipitur. Mundus corpus improborum.

Mundus igitur homines impios, seu potius totum Systema, & corpus improborum significat, vt Augustinus Cyrillus, Chrysostom. non enim omnes ignorarunt Deum, sed quidam cognouerunt, quibus dedit potestatem Filios Dei fieri. Ita Chrysostom. *Hoc loco mundum peccantium multitudinem, & terrenis rebus deditam, stultumq; & abiectum, & omnibus omnium perturbationibus vulgus appellat. Nam Dei amici & venerabiles illi viri, etiam ante Christi incarnationem ipsum cognouerunt, & Patriarcham eius præuidisse aduentum ipse Christus nominatim testatur. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum vidit, & gauisus est. Et quod de Dauid Iudeos arguens inquit: Quomodo Dauid in spiritu Dominum ipsum vocat, dicens: dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.*

Quidam nomine mundi omnes homines significari contendunt, non quod omnes ignorarint, sed quod pars maxima. Verum ita de mundo loquitur Scriptura, vt eum Ecclesiæ sanctæ opponat, & cœtum impiorum designet.

VER-

VERSVS 11.

In propria venit, & sui eum non receperunt.

QVÆSTIO I.

Quæ sint propria, in quæ venit?

§. 1. Εἰς τὰ ἴδια, in suam propriam aulam, & possessiones, in quibus familia propria versabatur; quod Syrus expressit לבירלה *ledilech, ad suos, & ובידלה vedilech, & sui.* Hoc enim grauissimum crimen, à suis regem non agnosci, suis etiam esse contemptui. Suos illi non credere, nam non recipi, est illi non credi. Augustinus legit alibi, *In sua propria*; sic etiam Irenæus. Quos vocet suos, & quæ propria nonnulla disceptatio est. Verum res clara est consideranti. Totus mundus illi est ἴδιος, *proprius*, omnes homines seruitillius, singulari tamen modo Iudæi ad quos primum missus est, peculiares illi fuerunt. Itaq; PP. de Iudæis ista & toto mundo intelligunt. Initium reiiciendi Saluatorem gens illa apostatatrix dedit; deinde secuta est gentilitas. Huncin modum intelligo Cyprian. libro 1. contra Iudæos. Cyril. Chrysostom. August. Bedam, & plerosq; etiam Clement. l. 7. strom.

Hebræi dicere consueuerunt לעמו *leghamo, ad populum suum* לארצו *learzo, ad terram suam*, & infra cap. 19. 27. *In domum suam*: quæ in scripturâ de Israelitis, & terrâ promissionis accipi solent. Verum hoc loco nihilominus pro toto mundo accipio. Cum enim dicit, In mundo fuisse & mundum esse per eum factum, in sua venisse dicit εἰς τὰ ἴδια in propria, quia mundum per eum esse factum dixerat, non quia Israelem in populum peculiarem elegerat. Venit ergo in mundum à se factum, de quo Psalm. 23. 1. *Domini est terra & plenitudo eius.* Imò verò iam olim Nouatianus adhuc Catholicus, Christum ideo Deum esse asserit, quia mundus dicitur ipsius proprius. *Et tamen adhuc dubitat hæreticus Christum dicere esse Deum, quem Deum tot & rebus animaduertit, & vocibus adprobatum. Si homo tantummodò Christus: quomodo veniens in hunc mundum in sua venit, cum homo nullum fecerit mundum? Si homo tantummodo Christus: quomodo mundus per ipsum factus esse refertur, cum non per hominem mundus, sed post mundum homo institutus referatur? Si homo tantummodo Christus: quomodo non ex femine tantum Dauid Christus: sed verbum caro factum est, & habitauit in nobis?* Ex quo apparet antiquissimam fuisse hanc scripturæ interpretationem, & contra vetustissimos hæreticos Christi Domini diuinitatem negantes vsurparam. Eleganter hoc etiam expressit ἐν γλαφύροις Cyrillus Alexandrinus lib. 1. αὐτὸς ὁ καθ' ὁμοιότητα τῷ Ἰακὼβ καθάπερ τινὰ παιδεύων ἔσοπτον μονογυὴς ἀποτελειπὼς τὴν ἀρχαίαν, καὶ πρὸς Λάβαν ἀφιγμένος, ἐν τῷ κόσμῳ παραγέγονε τῷ μὴ εἰδότι ποτὲ τὸν ὁ φύσει θεὸς κατηρᾳσηκότι ἢ ὥσπερ ἄγαν τῷ πολύθεον πλάνησιν. εἰδωλολάτρης γὰρ καὶ ὁ Λάβαν. ἴδιος μὲν ἦν καὶ ὁ κόσμος, κτίσει καθὸ καὶ φύσει νοεῖται θεὸς. καὶ τῶν ὅλων κύριος καὶ δημιουργός. ἀλλ' ἴδιος ἦ πάλιν Δι' αὐτὸν ἐσώσατο. καὶ τὸ ἤδη πῶς δόκειν ἑτέρᾳ γενέσθαι Δι' αὐτὸν ἁμαρτίαν: ἐπεχράφθη γὰρ βασιλέα τὸν Σατανᾶν. ἐκεῖθεν καταβέβηκεν ὁ λόγος ἐξ ἕρανοῦ τῷ παραγέγονε ὥσπερ καταλελοιπὼς ἔσοπτον. τοῦτο γὰρ ἔφην ἀρτίως. καὶ εἰς ὡς ξένος ἐν ἰδίῳ τῷ κόσμῳ. καὶ μαρτυρήσει λέγων ὁ σοφὸς Ἰωάννης, ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως ἐρμόσειεν ἂν εἰκότως τοῖς τῆς ἐπιδημίας καιροῖς. ὅτι ἦ καὶ πρὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως ἐν ἰδίοις εἶν ὡς θεὸς· ἀγνοεῖσθαι ἦ τῷ κόσμῳ τῶν καθ' ἡμᾶς ἐποιεῖτο πρόνοιαν, ἐξ ἐμφύτου καλοκαγαθίας καὶ θεοπρεποῦς ἡμερότητος ἐπιδείξεσιν ἂν εὐθὺς ὁ θεαγέσιος Ἰακὼβ ὡς ἐν τύπῳ τῷ καθ' ἑαυτὸν. *Ipse ad similitudinem Iacob veluti paternam domum tantum non deserens cœlum, ad Laban se contulit, qui mundo comparandus est ne cienti quis esset naturaliter Deus: & potius vehementer errore de pluralitate Deorum laboranti. Idololatra enim etiam erat Laban. Proprius igitur erat etiam mundus Christi, quantum naturaliter intelligitur Deus, & totius vniuersi Dominus atque opifex. Non proprius autem rursus, ob defectionem, & quia videtur alterius esse factus propter peccatum. Satanam enim regem habebat. Descendit itaque verbum ex cœlo, paterna quodammodo domo relicta (hoc enim modò dixi) eratque veluti hospes in proprio ac suo mundo. quod & sapiens Ioannes testabatur, dicens. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Sed hæc fortasse conueniant ipsius aduentus temporibus. Quod vero etiam ante incarnationem in propriis erat, vt Deus: ignotus autem mundo, nostri curam habuerit ex innatâ ipsi bonitate, diuinaque benignitate, Iacob in se veluti in typo nobis declarat.*

Deum igitur in mundo fuisse secundum diuinitatem, & tandem venisse secundum humanitatem Cyrillus censet. Augustinus vtramq; quasi vsitatam refert. Ep. 120. cap. 3. ad Honorat. *Deinde adiungit: In sua propria venit, & sui eum non receperunt: siue quia & ipsi infideles: in quantum homines sunt, eius sunt per quem creati sunt: siue suos propriè Iudæos intelligi voluit, ex quibus naturam carnis assumpsit.*

§. 2. Venit per carnem, vt Augustinus Tractat. 2. in Ioannem, Hic erat per diuinitatem, huc venit per carnem, quia cum esset per carnem à stellis & cœris videri non poterat. Venit autem, vt Chrysostomus monet, non suæ necessitatis causâ, sibi enim sufficiens est diuinitas, sed nostræ salutis & vtilitatis.

Hæc etiam eo pertinet narratio, vt scandalum tollat, quod ex eo nascebatur, quod nec Iudæi, nec gentes eum reciperent. Nam neque per tot retro annorum centurias eum mundus, in quo erat, & qui per ipsum factus est, agnouit, non mirum igitur etiam nunc à filiis sceleratis eum repudiari.

§. 3. Nec modo non receperunt, sed etiam occiderunt. Rupertus in hunc locum. Vide Matth. 21. παραλαβεῖν est excipere recipere, ab alio traditum, vt cum dicitur Sponsus παραλαμβάνειν, accipere sponsam à parentibus. Quamuis vers. 12. dicat ἔλαβον acceperunt. Sed Latinus eodem verbo vsus est, quemadmodum & Syrus קבלוהי *Kabbeluhi. acceperunt.* Sui autem, seu proprii eum non receperunt; nam in Græco repetitur, καὶ οἱ ἴδιοι *& proprii.*

VERSVS 12.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

QVÆSTIO I.

Quibus dedit potestatem filios Dei fieri?

§.1. Significanter admodum dicit ὅσοι ϑ *quotquot*, quod etiam Syrus expressit אילין *ilen, illi.* Et ostendit adoptionem filiorum non ex genealogiâ & maioribus esse, sed ex Deo, ideo enim quotquot acceperint, siue Hebræi, siue Græci, siue Barbari, filios Dei fieri. Quod Chrys. hom. 9. Cyril. l. 1. c. 13. cæteriq; notarunt, quod magno est argumento, de omnibus hominibus agi, ad quos venit, cum in propriâ venit, quotquot enim eum recipiunt, tanquam proprij recipiunt, non autem alieni regni inuasorem. Tertul. de orat. c. 1. ita vertit: scriptum est: *Qui in eum crediderint, dedit eis potestatem, vt filii Dei vocentur.*

Omnes Christum recipientes fiunt filii Dei.

§. 2. Proponunt quæstionē interpretes, quomodo det potestatem illis, qui credunt in nomine eius, τοῖς πιστεύουσιν εἰς ὄνομα αὐτοῦ, *credentibus in nomen eius.* Si, n. credunt, iam filii Dei sunt, non igitur tum demum potestas, vt fiant filii, datur. Deinde difficilius est, quod subiungitur, *sed ex Deo nati sunt.* Si enim ex Deo nati sunt, filii Dei sunt. Quomodo igitur ex Deo natis, hoc est, Dei filiis datur potestas, vt fiant filii Dei? Stapletonius in antidotis decem expositiones esse asserit horum verborum, duabus ipse principatum tribuit, sed ex illis vnam ipse retinet, alteram repudiat.

§. 3. Facilis videtur esse quibusdam solutio: nempè verbum γενέσθαι significare non fieri, sed esse. ἐξουσίαν dignitatē, honorem, ac sensum esse: Credētibus, & ex Deo natis data est potestas, vt Dei filii essent. Hoc est honore filiorū Dei fruerētur. Huic interpretationi obstare videtur, quod γενέσθαι & ἐξουσία à ꝓpria significatione moueantur. Nam ἐξουσία ꝓpriè est potestas, ab ἔξεστι licet, conceditur, hinc dicitur potestas, auctoritas, ius, imperium, magistratꝰ, quas res honor sequitur, dignitasq; Id ēt est in Syriaco שולטנא *Schultena.* Deinde non tollitur penitus difficultas, ne sic quidā. Nam credentes, & ex Deo nati iam habent hoc ipso honorem, & ius filiorum Dei, natis ex Deo, cum nascēdo ex Deo sint filii Dei. Porro ἐξουσία Luc. 9. Ioā 10. Act. 1. & 5. Rom. 9. 1. Cor. 7. significat potestatē. Portò nec Caluinus, nec Beza, nec Illyricus qui Calu. præiuit, qui etiam quæritur Lutheranos quosdam hinc probare libertatem arbitrij, qui hanc expositionē vrgent, vllo exemplo ostēdunt, ἐξουσίαν cum infinitiuo, vt hic fit, positam, ꝓ ζῳόσιν significare. Nam ἐξουσία & γενέσθαι est potestas, vt ita dicam, fiendi. Sic 1. Cor. 9. 5. μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν & φαγεῖν, ϰ πιεῖν, μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν: *an non habemus potestatem manducandi, & bibendi? an non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi?* Hoc modo positum græcum verbum nego vnquam aliud significare, quam potestatem id agendi, vel obtinendi, de quo agitur. ita hic ἐξουσία & γενέσθαι, potestas fieri, seu vt fiant, aut si mauult, vt sint. Quod Beza citat 2. Thessal. 1. 5 non est ibi vlla mentio τῆς ἐξουσίας. Quocirca Cyrill. Chrysost. Euthym. de potestate intellexerunt.

ἐξουσία nō est honor tantum.

§. 4 Calu. obiicit: Potestatē Euēgelista pronunciat iis dari, qui credant, at certum est reipsâ iam esse filios Dei, qui credunt. Cui respondetur, etiam dignitatem iam illis datam, qui credunt. Alii respondent, dari potestatem vt fiant filii Dei quoad omnem perfectionem & cultum: alii quoad perfectionem possidendæ hæreditatis, quam interpretationem sequi malo. Caluinum etiam sui refellunt. Aretius interpretatur, *Licentiam vt filii Dei fierent.*

S. Gregorio hom. 6. in Ezech. hanc sententiam tribuit, sed non habet hoc ille. Verba eius sunt: *Habet quippe rota interior flaturam suam, cum per sanctum Euangelium ad terrena desideria incuruare nos prohibet, redemptoris nostri vocibus, dicens: Attendite, vt non grauentur corda vestra in crapulâ & ebrietate, aut in curis huius vitæ. Habet altitudinem cum do eodem redemptore promittit, dicens: Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quid enim hac potestate altius, quia hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisq; efficitur filius creatoris?*

Gregorii sententia.

Non dicit Gregor. potestatem esse dignitatem tantum, non enim potestatem propriè dictam, sed nihil ea potestate esse sublimius, nihil altius. Si quis nihil regū potestate altius in terris esse dicat, non negat esse potestatem, sed potestatis dignitatem asserit.

Lonicerus sententia.

Corn. Ianſen. ex Catholicis eam sentētiam secutus est, sed ratio qua probat ἐξουσίαν esse dignitatē, non potestatē seu licentiam faciendę aut acquirēdę rei, planè contrarium conuincit. Exempla. n. ex Epist. Rom. 13. ꝓducit; Omnis, anima potestatib. sublimioribus subdita sit. Et: non est potestas nisi à Deo, quo loco nō dignitatē solam aut eminentiam, sed verum imperium, atq; in alios ordinaria magistratꝰ potestas indicatur, qualē tamen nos potestatē hoc loco non agnoscimꝰ, sed eam qua aliquid pmittitur, agendiq; facultas cōceditur, vti ante ostendi huius verbi significatū, nunc verò ēt addo apud veteres ἐξουσίαν accipi pro potestate propriè dicta. Hinc ἐξουσιάζειν τινὸς, *imperare alicui, seu potestatē in eum exercere.* Hinc apud Polybium est ἐξουσιαστικώτερον, imperiosius, licentius. & αὐτεξουσίους *potestate libera, sui iuris.* & ὑπεξουσίους, *ꝙ sub aliena potestate.* Deniq; ad biblia prouoco, nullo loco vel apud Septuaginta, vel alios Scriptores accipitur ἐξουσία aliter, quam pro hac, quā definiui, potestate, vel imperio vel facultate. Sic 4. 20. 13. ϰ ἐν πάσῃ τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ. *in omni potestate eius.* Ps. 135. 8. ἥλιον εἰς ἐξουσίαν τῆς ἡμέρας. & v. 9 ϰ μέσους εἰς ἐξουσίαν τῆς νυκτός. Et Dan. 11. 5. κυριεύσει κυρείας πολλῆς ὑπὲρ ἐξουσίας αὐτοῦ. *dominabitur dominatione multa in potestate sua.* Vbi in Hebræo est ממשל *mimschal.* Sic Dan. 4. 23. & 31. & c. 7. 6. & v. 17. & 27. vbi est שלטין *schultin, potestas.* Sic Syr. 9. 16. ἐξουσία ϑ φονεύειν. & c. 10 4. c. 17. 2. c. 24. 12. 30. 11. 1. Macc. c. 1. 15. 6. 10. 6. & 36. Sic & Ioan. 19. 21. ἐξουσία σταυρῶσαι & ἐξουσία ἀπολύσαι *potestas crucifigendi, & potestas absoluendi.* Cum igitur nusquam in scriptura aliter accipiatur verbum ἐξουσία, non est hoc loco noua eius significatio.

Quid ἐξουσία?

§. 5. Cyrilli expositio est, gentibus datum, vt crederent, atq; ita populus Dei censeretur, quod antea Israelitarum tantum exaxat erat. Paciani l. de pœnit. fieri filios Dei cum baptizantur. Aug. Chrys. per fidem dari ius, & potestatem, per charitatem & opera vero vt sint filii Dei. Theophylactus, eos filios vocari, qui in Cœlo fruuntur hæreditate filiorum.

Oēs illæ interpretationes & rationem habēt, & ad fidei dogmata explicanda cōducunt. Tota cōtrouersia in eo consistit, vt explicetur, quomodo, quotquot Christū receperunt, qui credūt, qui nati sunt ex Deo, dicantur accipere potestatē, vt fiant filii Dei, cum iam sint filii. Hinc inter ista aliquod discrimen inuenien-dum est. Quod clarissimum est, omniaq; dissoluit. Si dicamus: *filios Dei fieri*, esse ipso facto adire hæreditatē, ea frui, cætera ad iustificationē pertinere. Illa est enim *Perfecta* pfecta adoptio, cū ius in re & possessio datur; Apost. *sinus filii* Rom. 8. 23. dicit *eos sperare υἱοθεσίαν adoptionem filiorum, scilicet* & interpretatur *redemptionem corporis nostri.* Quod sit re- *hereditas,* demptio corporis, hoc est, resurrectio, dicitur ado- *in.* ptio à Paulo, quāto magis tota beatitudo & corporis & animi? Præsertim cum instituta, gratia, cætera inchoatio quædam sit, & semen futuræ filiationis, gloriæ autem possessio absolutissima sit υἱοθεσία, adoptio.

Theophylactus licet duas alias interpretationes habet, han men etiam adiungit: *Quia non sufficit,* inquit, *ad custodiam puritatis, baptizari: sed & multo studio est opus, vt imago adoptionis in filium Dei, figurata in baptismate, incontaminata seruetur. Idcirco multi quidem in baptismo gratiam receperunt adoptionis, per ignauiam autem*

non

nes fuerunt filii Dei vsq; ad finem. Fortasis autem quis etiam hoc dixerit, quod multi recipiunt eum per hoc quod solum credunt: quales sunt qui dicuntur catechumeni, nondum autem facti sunt filii Dei: potestatem autem tunc habent, quum voluerint baptizari, & hanc gratiam consequi, adoptionem, inquam, in filios. Dicet autem quis & hoc: Quamuis in baptismo adoptionis beneficium accipiamus, sed perfectam in resurrectione accepturi sumus, & perfectissimam adoptionem tunc recepturos nos speramus, sicut & Paulus inquit: Qui ad adoptionem filiorum accipimus. Quapropter & hic Euangelista non dixit, Quotquot receperunt feci eos filios Dei, sed, dedit eis potestatem filios Dei fieri: hoc est, dedit vt in futuro seculo gratiam illam suscipiant.

Aliud porro est filios esse, aliud est perfectum filiorum statum obtinere, libertatem, & hæreditatem.

§. 6. Qui per baptismum filios Dei fieri saltem in voto sentiunt, vera quidem illi dicunt: sed quicunq; Christum recipit, ex Deo nascitur, credit, ille baptismum in voto habet, etiam ante baptismum iustificatus est. Multi quidem credunt ante baptismum, sed in eo iustificantur, & fiunt filii Dei, neq; enim non credentes baptizantur: non tamen loquitur hic de illis qui nondùm iustificati ad lauacrum regenerationis veniunt, sed de regeneratis, hoc est, renatis ex Deo; quiq; Christum receperunt, alioqui multi catechumeni fide Christum receperunt, sed extra Ecclesiam manent.

§. 7. Barradius noster sic exponit, vt Euangelistæ sensus sit, Quotquot eũ recipiunt per fidẽ & gratiam, dedit illis potestatẽ, vt hoc ipso, seu recipiendo fiant filii Dei. Quod & Aug. alibi habet. Quod probabile est, nisi quis dicat. *Quotquot receperunt, illis datã potestatẽ, vt fierent filii Dei.* Et sanè qui per fidem viuam cum caritate operantem recipiunt, hoc ipso fiunt filii Dei. Verum de potestate dixit Euangelista, vt Chrysosto. & multi recentiores, præcipuè Franciscus Lucas notauit. Firma igitur maneat ea sententia, quæ credentibus, & ex Deo natis, ait dari potestatem, vt filii Dei absoluto iure & hæreditatis aditu fiant.

§. 8. Pelagiani contra diuinam gratiam verba Euangelistæ torquebant *Quotquot receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri.* Ergo Deus expectat, vt recipiatur, vt tum demũ his, q se receperunt, det gratiam, per quam filii Dei fieri possint. Contra eos Bellar. l. 2. c. 2. propositionẽ orthodoxam probat. Nempe: Auxilium gratiæ Dei non ita offertur omnib. hominibus, vt Deus expectet hoc, si illud desiderẽt, vel postulẽt, sed præuenit oĩa desideria, & oẽm inuocationem. Huic vero argumẽto hunc in modum respondet: *Vere Deus expectat, vt recipiatur, vt det suscipientib. se potestatẽ filios Dei fieri. Caterum, quia recipere Deum in hoc loco Euang. lii nihil est aliud, nisi credere, vt ibidem declaratur, cum subditur, his qui credunt in nomine eius: nemo a. potest credere, nisi Deus fidem illi donauerit, dicente Apost. Philip. 3. Vobis donatum est, vt in illum credatis. Ideo nemo potest eum recipere, nisi gratia eum diuina præuenerit. Gratia estis saluati (inquit Apost. Ephes. 2.) per fidem, & hoc non ex vobis, Dei. n. donum est. Ac si diceret, gratia potestatem accepistis, vt filii Dei efficeremini, quoniam per fidem recepistis Deum, quæ fides donum ipsius est.* vide August. lib. 1. ad Bonifacium c. 3. Nam reuera nemo recipit, nisi Deus veniat, pulset, aperiat.

Hic iterum Pelagianos adiuuat Pareus, vt ostendat, nõ bene respõderi illis posse nisi à Manichæis arbitriũ tollentib. l. 2. c. 3. de grat. & lib. arb. *Quod posterius quidem, ait, verissimum est: sed cum priore ἀσύγκλυτον: si enim Deus expectat, donec recipiamus: ergo aut est in potestate nostra recipere, nec opus est præueniente gratiâ: aut frustra Deus expectat. Si enim non est in nostra potestate, cur quæso Deus expectat? An ignorat nos recipere non posse? An stultus non esset qui alium expectaret, quem venturum nõ esse certo sciret.* Repono aduersario suam stropham, qua supra ex loco Apoc. 3. *Ecce sto & pulso: pro Pelagio ludebat. Hunc laqueum ipse sibi induit, nec dissoluere potest, donec in sua hypothesi de expectatione Dei ἀνθρωποπαθείαν non agnoscit. Adde, quod manifestè sibi contradicit. Quod in prima propositione negabat, hic palam asserit, Deum expectare, vt recipiatur à nobis.*

Res. Deum expectare Isa. 5. v. 2. 4. 7. & 2. Macc. 6. 14. Itaq; cum scriptura eum expectare doceat, & tamen eadem etiam asseueret, neminem sine gratiâ præueniente eum recipere posse: nõ sunt ista ἀσύγκλυτα, nec sibi contradicunt. Nam Isaiam, imo Spiritũ S. arguere eodem modo posset. Verba Dei sunt; *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Et v. 7. *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas.* Quid hîc blasphemia hæretica? Vel est in potestate vineæ vt faceret vuas, vel non est in potestate eius. Si non est in eius potestate, stultus es, qui expectas id quod proferre vineam scis non posse. Si es in eius potestate, non est opus tuâ gratiâ, sufficit vineæ proprius vigor. *Deus expectat.*

Verum errat nesciens scripturam. In potestate nostrâ est recipere, sed in potestate quam gratia præueniens facit. Itaq; quod ait: *aut est in potestate nostra recipere, nec opus est gratia præueniente*, falsum est, & prorsus hæreticum. Deus cùm gratiâ nos præuenit, etiam voluntatem nostram excitatam cooperari vult. Hoc est, quod de vineâ illâ queritur Isa. 5. 1. *Cantabo dilecto meo canticũ patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eã electam, & adificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea: & expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas.* *Gratia præueniens non tollit cooperationem voluntatis.*

Ecce non reliquit vineam sibi, sed omnia fecit, quæ facere debuit, imo quæ non facere poterat, & tum demum expectauit, vt faceret vuas. Pelagiani verò vuas posse ferre sine illâ gratiâ docebant. Esse autem in nostrâ potestate, per gratiam Dei, docet Chrys. hom. 9. *In vostra enim potestate est*, ait, *filios Dei fieri. Quippe nisi primũ ad eam accipiendam promptum animum exhibeamus, neq; diuinum ad nos munus accedit, neq; quicquam in nobis operatur. Vbiq; igitur non violentum, non coactum sed voluntariũ penitus & liberum nobis ostendit arbitrium, quod in hoc loco significauit. In ipsis enim arcanis & supernis bonis, Dei quidem est, dare gratiam: hominis autem, fidem exhibere.* *Chrysosto. liberum arbitrium asserit.*

Et Aug. l. 1. retract. c. 22. *Alio loco*, inquit, *Nisi quisq; inquam voluntatem mutauerit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum, alio loco Dominus docet, vbi ait. Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut arborem malam, & fructum eius malum. Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus. In potestate quippe hominis est mutare voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

Deniq; idem Augustinus de Spiritu & litera c. 30. *Liberum ergo arbitrium*, ait, *euacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem sic liberum arbitrium per gratiam, non euacuatur, sed statuitur. Neq; enim lex impletur, nisi libero arbitrio, sed per legẽ cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iustitiæ dilectio, per iustitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc sicut lex non euacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua iustitia libere diligatur.*

§. 10. De sententiâ, quam Chrysostomi & Augustini esse dixi, grauis est cum hæreticis contentio, nam eorũ iustificationem euertit Bellarm. l. 1. de Iust. c. 13. Hoc ex loco sic argumentatur. *Sanctus etiam Ioannes cũ ait: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ioan. 1. apertè docuit, eos qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse filios Dei, sed posse fieri si pergant vlterius, vt etiam sperare, & diligere incipiant. Dilectio enim propriè filios Dei facit, vt patet ex c. 2. 1. epist. eiusdẽ Ioan.* 13

Cui Pareus iracundè respondet. [Hæc est, *inquit*, impudens deprauatio scripturæ, & manifesta hæresis, quam à Pighio didicit, contra scripturam. Deprauatio duplex est: vna, quia pro eo, quod S. Ioan. dicit: Dedit eis potestatē fieri vel esse (δοῦναι enim vtrūq; significare potest) filios Dei: iste deprauat: dedit eis potestatē posse fieri filios Dei: Altera, quia pro eo (q̄ S. Iohan. dicit: iis, qui credunt in nomen eius: iste deprauat: si pergant vlteriꝰ, vt etiam sperare & diligere incipiant. Vtraq; deprauatio nefaria. Posterior vertiginosa ipsam elidit: Fatetur enim prius membrum: quotquot receperunt eum, esse idem cum posteriore: qui credunt in nomen eius: quia reddit: qui per fidem Christum recipiunt, & tamen posterius membrum à fide ad spem & dilectionem detorquendo deprauat: qui sperare & diligere incipiunt. Etiam prior est hæretica: eos qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse filios Dei. Nam huic hæreticæ assertioni apertè cōtradicit Apost. Oēs estis filii Dei per fidē in Christo Iesu. Falsum igitur, q̄ qui per fidē Christum recipiunt, nondū sint filii Dei. Quidniverò essent? An fide iustificatos, fide habētes vitā ęternā, filios Dei esse homo iste negabit? Certè tam impudentem hęresin Iesuitæ nunquā nobis obtrudent, nec inultā ferent in Dei iudicio.

Pari impudentiâ affingit B. Iohanni: quod dilectio nos faciat filios Dei. [Atqui hoc nusquam dicit B. Iohannes, sed totâ epistolâ vrget dilectionem Dei & proximi, non vt causam efficientem, sed vt propriam affectionem & notam adoptionis nostræ.]

Respondeo. Furor iraq; mentem eripuêre obliuioso seni Pareo. Non didicit ista Bellarminus à Pighio, (quanquam ab eo didicisse, cōtumelia non est) sed aliorum est ille discipulus. Primo Augustini; qui retract. l. 1. c. 22. & Chrys. hom. 10. cæterorumq;, qui fidem sine caritate negant ad salutem aut iustificationem quicquam prodesse, nisi quod initium est.

Deinde, quā apertè & veritatis & sui obliuiscitur. [Deprauatio duplex est, inquit, vna, quia pro eo q̄ S. Ioan. dicit: dedit eis potestatē fieri vel esse filios Dei: iste deprauat: dedit eis potestatē posse filios Dei fieri.]

Parei calumnia.

Primo quidē cum Bellar. correctū exemplar vltimę editionis cōsulerē, suspicari cœpi fortè in priorib. ita esse, sed curâ me liberauit citatio Pareana. Nam Bellar. citat: posse filios Dei fieri: non autē, dedit eis potestatē posse filios Dei fieri. q̄ nusquam habet Bellar. nec ex eo citat Pareus, sed vt ostendat sibi se ius mentiendi cōtulisse. Audacter ait, Bellar. textū deprauasse, dicendo, dedit eis potestatē posse fieri filios Dei: & tamen citatis verbis Bellarmini, se mentiri profitetur.

Nam Bellar. dicit, *datum posse fieri filios Dei: non datam potestatem posse fieri filios*: dare a. potestatem fieri filios Dei, est dare posse fieri: non igitur Bellar. est deprauatio nefaria: sed aduersarij calumnia improba.

Altera deprauatio ēt nulla est. Nusquam. n. Bellar. pro eo, quod Iohan. habet: *iis, qui credunt in nomen eius*, substituit illa: *si pergant vlterius, vt sperare & diligere incipiunt*. Itaq; & illa calumnia vertiginosa est. Bellarm. vult eis qui receperunt eum, hoc est, qui credunt in eum, potestatem datam, filios Dei fieri; si pergant sperare; amare, dilectio enim filios Dei facit. 1. Ioan. c. 2. Hæc Bellar. ex Aug. Chrys. Theoph. Paciano, aliisq;.

§. 11 Quod vero hæresin vocat, cum dicitur: *Eos qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse filios Dei.* Causam contra Euangelistam suscipit: Nam ille dicit, datā illis potestatē fieri filios Dei, hoc est datū posse fieri filios Dei, non dicit esse filios Dei. Ex prudenti igitur interpretatione verba Ioannis perpendenda sunt. Alioqui qui solâ fide recipiunt, nondum sunt filii, nisi adsit & caritas, nec ad rem facit locus ad Gal. 3. 26. *Omnes estis filii Dei, per fidem in Christo Iesu.* Nam Apost. de viua fide per caritatem animatâ loquitur, atq; adeo de fide baptizatorum, prob at enim per fidem esse filios Dei, quia Christum induerent, in Christo baptizati. Quod si quis catechumenus fidem habet, sed caritatem nondum habet, is postquam etiam sperare & diligere incipit, per fidem tanquam initium & originem filius Dei efficitur: initium, n. regenerationis est fides. Qui fide iustificati sunt, oēs sunt filii Dei, sed sunt nōnulli qui fidem habent, sed nondum iustificati sunt, quia deest pœnitentia caritasq;, quam sequitur iustificatio.

Multi fidē habent, caritate carentes.

VERSVS 13.

Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

QVÆSTIO I.

Quid nasci ex sanguinibus?

§. 1. REgenerationis sanctitatem, integritatem, & dignitatē astruit, ex dissimilitudine natiuitatis humanæ: alio enim modo filij Dei, alio hominum filij nascuntur. Hoc Chrys. Cyrill. Euthy. Iudęorum ēt inanem iactantiam retundit, in carne gloriantium, quod essent filii Abrahæ; at Ioannes, sanguines, voluntatem carnis, voluntatem viri Deo opponit. Qui per sanguines continuam sanguinis successionem intelligunt, in quâ Iudæi gloriabantur, & nobilitatis iactationem arbitrabantur, repudiari, ideo non probo, quia si Deum spectemus, nemo ducit

Genus alto à sanguine Diuum.

Nec hoc agitur, vt discamus magnates non præferri plebeis, sed vt oēs cognoscant, se ex ortu suo non nisi lutū esse. Ideoq; nec id ad rem prinet, q̄ ex voluntate carnis de illegitimo, ex volūtate viri de legitimo concubitu interpretātur. Quorsū. n. diceret: eos q̄ nō ex matrimonio, sed ex fornicatione nati sint, sed ex Deo, filios Dei esse? stultissimè Illyricus hæc accommodat ad eos, q̄ virorū præstantiū leges, ac institutū sequūtur; cū Christꝰ iubeat imitari sanctos, quorū ēt filii sumus. Non est vlla mentio hîc de imitatione sanctorū, q̄ laudari solet: clamante Domino: *opera Abrahæ facite.*

§. 2. Nonnulli relatiuum *Qui* ad filios referunt in hunc modū. Dedit eis potestatē filios Dei fieri, q̄ filii non ex sanguinibus, nec ex volūtate carnis, &c. sed ex Deo nati sunt. Eos Cornel. Ianſen. Maldon. refutant, quod cum præcesserit τέκνα, dicendum fuisset ἅ, nō ὅ. Quod probabile est. Si quis tamen contēdat, generis pmutationē esse vsitatam, nō magnopere laborandū esset, cum his in reb. sensus, non a. verborum ratio tenen soleat. Malo tamen vt versū superiore interpretatus sum, ad eos qui receperunt, referre, etiāsi in græco scriptum esset οἱ οἱ filii. Nā reuera, qui receperūt, & acceperunt potestatē, vt fierent filii Dei, nequaquam ad hoc ex sanguinib. & parentū voluntatibus, aut carnis impetu, in quo nihil diuinū est, sed ex Deo nati sunt.

§. 3. Nāsci ex sanguinibus q̄ humano more nasci, ex corruptâ naturâ, vti solēt homines carnales, & oēs ita nascuntur filii iræ. Nam Matth. 16. 17. 1. Cor. 15. 50. Gal. 1. 16. Eph. 1. 16. caro & sanguis de carnalib, hominib. dicūtur. his opponitur natiuitas q̄ ex Deo est. Nō quod non & ex sanguinibus parentū nati sint illi, sed quod eâ natiuitate non sint filii Dei, sed filii iræ.

Sanguines significat carnales.

Sanguines, siue vt est apud Aug. sanguina, honestè vocat, semina genitalia, ex quib. fœtꝰ oritur & formatur דמים *damim* apud Rabbinos numero plurali, preciū & ęstimationē significat. In scripturâ vero sanguines, & pœnas sanguinū. Crebro a. ponuntur plurale pro singulari. Sic Exo. 22. 2. *Sponsus sanguinū.* Ps. 57. & 1. Par. 28. 3. & 24. 25. & Os. 4. 2. & 2. Reg. 16 & 9. 7. Ps. 51. 16. Mich. 7. 2. Clarissimè Gen. 4. 10. *Vbi vox sanguinum*, pro, vox sanguinis. Hebraismū itaq; retinuit Ioannes, præsertim cum ex vtriusq; parētis sanguine oriatur filius,

lius, dicaturq; *sanguis parentum*. Sic & pfani loquuntur. Virg. 6. Æn. *Proiicet tela manu sanguis meus.* Hor. carm. sic: *Clarus Anchisæ, Venerisq; sanguis.* Virgil. 7. *Tu sanguinis vltimus auctor.*

Eodem modo loquuntur & Græci. Homerus Iliad. π.

εἰ ἔτεον γ' ἐμὸς ἐσσὶ, καὶ αἵματος ἠμὲ γάλακτος.

Si reuera meus es, aut nostri sanguinis.

At in adoptione non generis, nec hominum, sed diuinæ electionis & virtutis à Deo datæ, res agitur.

§. 4. Mirum videtur, apud Athanasium diuersam esse lectionem. Nam l. 2. ad Theophylum legit, sed ex Deo natus est. Nec mendum censeri licet, verba eius hanc lectionem exposcunt. *Sed ex Deo nati sunt. Nec non. Et Baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi. Et alio in loco. Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Sed ex Deo natum esse Ioannes testatur: In sua venit, & sui eum non receperunt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius: qui non ex sanguine, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

Eo verò id mirabilius est, quod paulo ante citat eadem verba ex communi lectione. *Sed ex Deo nati sunt.* Constanter autem legisse, plurali numero ex l. 3. contra Arrianos eluescit. *In summa*, ait, *vbicunq; scriptura filium significare proponit, non per creauit, sed omnino per vocabulum (genuit) denotare solet. Et hoc ipsum Ioannes videtur ostendere, dum inquit, Dedit ijs potestatem filios Dei fieri qui credunt in nomen ipsius, qui non ex sanguine, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, etiam hic pulchrè se tuente vocabulorum obseruatione. Nam illud gigni significat hic non naturales, sed adoptatitios nominibus filiorum appellari: illud porrò Verbum geniti sunt, ideò vsurpatum est, quod panè illis nomen, filij, esset indutum.*

Eodem modo citat l. de incarnatione Christi. Vbi habet *sanguine*, non *sanguinibus*. Tertull. c. 19. de carne legit etiam *sanguine*, & *natus est*, vt etiam legerunt Valentiniani. Sed constat ex Tertulliano loco citato, ita textum à Valentinianis corruptum: *Quid est ergo*? ait, *Non ex sanguine, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo natus est*? *Hoc quidem capitulo ego potius vtar, quam adulteratores eius obduxero. Sic enim scriptum esse contendunt: Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo natus est. Quasi suprà dictos credentes in nomine eius designet, vt ostendat esse semen illud arcanum electorum, & spirtualium, quod sibi imbuunt. Quomodo autem ita erit, quum omnes qui credunt in nomine Domini, communi lege generis humani ex sanguine, & ex carnis, & ex viri voluntate nascantur: etiam Valentinus ipse; adeò singulariter, vt de Domino scriptum est: Et ex Deo natus est. Merito, quia Verbum Dei, & cum Verbo Dei Spiritus, & in Spiritu Dei virtus, & quicquid Dei est, Christus. Qua caro autem, non ex sanguine, nec ex carnis & viri voluntate: quia ex Dei voluntate Verbum caro factum est. Ad carnem enim, non ad Verbum pertinet negatio formalis nostræ natiuitatis, quia caro sic habebat nasci, non Verbum. Negans autem ex carnis quoq; voluntate natum, cur non negauit etiam ex substantia carnis: neq; enim quia ex sanguine negauit, substantiam carnis renuit, sed materiam seminis, quam constat sanguinis esse calorem: vt despumatione mutatum in coagulum sanguinis fœmina. Nam ex coagulo in caseo vis est substantiæ; quam mediando constringit, id est, lactis. Intelligimus ergo ex concubitu natiuitatem Domini negatam, quod sapit voluntas viri, & carnis, non ex vulvæ participatione. Et quid vtiq; tam exaggeranter inculcauit, non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, aut viri natum: nisi quia ea erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubitaret? Negans porrò ex concubitu, non negauit ex carne, immò confirmauit ex carne: quia non proinde negauit ex carne, sicut ex concubitu negauit.*

Tertullianus autem ex lectione adulteratâ ipsos adulteratores obducit, hoc est, conuincit. Et eodem modo c. 24. ex eadem lectione Ebioni respondetur, ex quo intelligimus, etiam Ebionitas sic legisse, vt in Christo veritatem carnis negarent.

Mihi Athanasij lectio suspecta est multas ob causas. Prima quod vir doctissimus non ignorauit Valentinianorum corruptelas, nec probabile videtur, ex eorum fœcibus scripturam haurire testimonia voluisse. Altera causa est, quod eadem in eadem vix tribus versibus, interpositis aliter citat, sed ex Deo nati sunt: quod sine dubio nec hæreticum audientem, nec Athanasium, vel pronunciantem vel scribentem latuit. Tertia, quod alijs locis aliter citet. Quarta, quod illius lectionis apud nullum veterum sit vestigium, nisi ex Valentinianis, quos corrupisse testatur Tertullianus. Quin & Syrum exemplar habet אתילדו *Ethiledu, nati sunt.* Nam libri titulus est, De proprijs personis, & vnito nomine Deitatis. Probat autem tres personas in Deitate vniri, idq; ex scripturis. Nam cum attulisset verba illa: *Et vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus Deus omnipotens; addit & illud. Sed ex Deo nati sunt.* Deinde subiungit: *Nec non, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi:* quod idem esse iudicat, quod nasci ex Deo. Deinde citat 1. Corinth. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Deinde subdit, *sed ex Deo natum esse Ioannes testatur. In sua venit, & sui eum non receperunt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius: qui non ex sanguine, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.*

Hic illa loca: iustificari in nomine Domini nostri Iesu Christi, & nasci ex Deo, tanquam parallela proponit, vt probet; Eos qui sic abluuntur, sanctificantur, iustificantur in nomine Domini Dei nostri; ex Deo nasci, atque hæc eadem esse, ideo Christum Dei esse. Quod non eâdem firmitate probaret, si legeret, *sed ex Deo natus est.* Has ob causas vitiatum esse locum Athanasij nihil omnino dubito. Quod ideo moneo, qa Cardinalis Toletus, & Barradius, eos auctores ita legisse existimat, & lectionẽ putat consonã textui, & mysterio plenam, cum sit à Valentinianis adulterata.

QVÆSTIO II.

Quid voluntas Carnis & Viri?

§. 1. EVthymius expositionem putat esse eius, quod dixerat, *non ex sanguinibus.* Id tamẽ duobus modis exponunt. Quidam nomine carnis fœminam indicari putant, Viri enim mentio etiam adiungitur. Vt sensus sit, hos nõ consensu vel libidine parentum, sed ex Deo genitos. ita Augustinus alij negant eo argumento, quod fœmina in scripturâ caro vocari non soleat. *Caro Homo carnalis.*

§. 2. Voluntatem carnis interpretor, cupiditatem hominis carnalis; caro solet dici homo carnalis, cum Deo opponitur, & eius voluntas aliud esse nõ potest, quam affectus & inclinatio. Marc. 10. 35. θέλειν est ὀρέγεσθαι, velle est appetere. Nec tamen opus erat Bezam delere voluntatem, & ponere libidinem; nam hoc loco libido vitium intemperantiæ significare videretur. Hîc vero non de solâ illâ vehementissimâ affectione agitur. Addo etiam alios hæreticos id reijcere: in Germanicis certe habent, von dem Willen / & in Syro est, צבינא *Zbinæ*, quod est *voluntas, beneplacitum.* Caro autem in filijs gignendis, non solum libidinem spectat, sed alia etiam, vt solatium à filijs, generis propagationem, honores, opes, existimationem, ex hac ergo voluntate filij Dei non nascuntur, sed ex Deo. Mihi sanè consideranti verecundiam Euangelistæ in ipso exordio doctrinæ, nullo modo honestum videtur, pro voluntate libidinem ponere, si non aliâ de causâ, certè hæc legitima est, ne in alias linguas libidinis nomen indecenter conuertatur. *Caro non est libido hoc loco.*

Beza à suis reprehensus.

Præceptorem suum Bezam Daniel Tossanus reprehendit. Etenim monet præstare voluntatem potius, quam libidinem vertere, ne nuptijs aliqua macula aspergatur. Pluris enim Calvinum fecit, qui l. 2. c. 2. §. 19. nostram lectionem retinet. Quin Bullingerus cæteriq; honestius loqui maluerunt.

Voluntas viri nihil ad regenerationem facit.

§. 3. Voluntatem viri hîc aliquantum â voluntate carnis distinguere oportet. Nam quamuis filios Dei ex carnis cupiditate nasci negemus, posset tamen quispiam existimare, ad sacram generationem aliquid facere voluntatem viri, quemadmodum ex Abraham orti, prærogatiuâ singulari donati sunt; illam etiam gloriationem excludit; opus est enim ex Deo nasci, in Abrahamo filij non spectantur ex semine, nec voluntate viri, sed promissione gratiæ. Voluntas Abrahæ erat in Ismaelem propensa, cum eum domo eijcere iuberet Sara, durum illi visum pro filio suo, & oratio eius erat: *Vtinam viuat Ismaël coram te*: Quin & Isaac diligebat Esau, & benedictionem illi parabat, sed Iacob ex Deo natus erat, Esau profanus. Renouatione ergo opus est. Eph. 4. 23. & 2. Cor. 4. 16. Coloss. 3. 10.

Cur Deus spurcitiei nostræ regenerationem comparet.

§. 4. Nec nouum, nec mirum est ἀναγέννησιν regenerationem ex Deo, cum impurâ obscenâq; generatione carnis conferri; hoc enim ad æternæ benignitatis pertinet commendationem, luteam nostrâ spurcitiem, ex quâ coagulati sumus, ad tantam dignitatem regenerare. Semper enim Dominus animis nostris inculcat, quid simus ex nobis, quo euehamur per gratiam Dei. Huc pertinet illud Ezechiel. 16. 3. *Radix tua & generatio tua de terrâ Chanaan: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis. Non pepercit super te oculus vt faceret tibi vnum de his, misertus tui: sed proiecta es super faciem terræ, in abiectione animæ tuæ, in die, qua nata es. Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo: & dixi tibi cum esses in sanguine tuo. Viue: dixi, inquam, tibi: in sanguine tuo viue.* Cùm vero in sanguine nostro viuere nobis graue sit, venit Christus, & iussit nos viuere in sanguine suo, in sanguine agni immaculati, vt & nos à spurcitia emundaret, & puros Deo patri sisteret.

VERSVS 14.

Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam, gloriam eius quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis.

QVÆSTIO I.

Quæ connexio est cum præcedentibus?

§. 1. QVidam cum his verbis: *In ipso vita erat*, cætera quasi per parenthesin putant interiecta. Non dubium est illa recte sic cohærere; verum nollem alia diuellere. Nam multo commodius videntur hæc connexa. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* August. Ep. ad Honoratum quæ est 120. & l. 2. de cons. Euang. alio modo iungit. Nempe ne quispiam miretur, quod illi qui sunt alioqui caro & sanguis, possint fieri filij Dei, pronunciasse id quod est multo maius atq; admirabilius. *Verbum scilicet carnem factum*, ideoq; hos fieri filios Dei. *Factus est enim*, inquit, Chrysost. hom. 10 *filius hominis dilectissimus filius Dei, vt filios hominum faceret filios Dei.*

QVÆSTIO II.

Quomodo Verbum caro factum est?

Vna in Christo persona.

§. 1. SEcunda persona seu Verbum, assumptâ ad Vnionem hypostaseos humanâ naturâ, dicitur caro factum, quia vnitâ humanitate, homo est verus, *Vna, vna, vnusq;* Deus. Vna persona, duæ naturæ, persona diuina tantum, natura humana & diuina.

Tropitarum hæresis.

Apollinaristarum pars quos Tropitas vocant. Verbum dicebant in carnem mutatum, ita ex Epist. Athanasij ad Epictetum. *Et quis iam vos, ait, vltra tolleret, si vel sola ista dicatis? recidistis enim in impietatem omni hæresi grauiorem. Si enim consubstantiale est verbum corpori, superfluum est, vt Mariæ vel mentio, vel vsus habeatur, cum corpus illud antè Mariam ab æterno consliterit, quemadmodum & Verbum, si modo illud est coæternum corpori secundum veram disciplinam. Quorsum igitur necessarius fuit Verbi aduentus? an ideo scilicet, vt sibi consubstantiale corpus induceret, vel mutatus alienatusq; à sua ipsius natura, in corpus, degenerares? Non enim seipsam Deitas assumit, vt sibi quod consubstantiale sit, induat, sed neq; peccauit verbum, quod aliorum peccata redimit, vt degenerans in corpus, ipsum proseipso in sacrificium offerat, atq; ita redimat.*

Vbiquitarij.

Quorum errorem ex contrario nostri Vbiquitarij pertinaciter sequuntur, dum humanitatem vocant infinitam, immensam, omnipotentem; si est enim omnipotens humanitas, reali communicatione, etiam humanitas est Deus, & Deitas, ac proinde non iam humanitas.

Verum.

§. 2. Verbum autem caro factum, eo modo, quo dicimus hominem factum Regem, aut consulem, & quidem sine vllâ immutatione sui caro factum est, vt ostendit Theodor. Dial. 1. Et Athan. l. quod Christus sit verus homo, & vnus Deus, contra Samosatenses: *Nam etsi vtrunque*, inquit, *diuersa sit natura, tamen non ita intelligendum, quasi Verbum à Christo sit diuisum, & separatum, quum D. Ioannes dicat, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quod igitur rectè & probè dictum est à Petro, quum malè & peruersè intelligant Samosatenses, inuitate non fleterunt: Christus enim id esse, quod ex ambobus constat, in sacra scriptura intelligitur, vt quum dicitur, Christus Dei virtus, & Dei sapientia: Quapropter quum dicit Petrus, Verbum per Iesum Christum filijs Israëlis esse missum, hoc indicare voluit, Verbum incarnatum filijs Israël manifestatum esse, vt concentus esset cum hoc dicto, Verbum caro factum est. Quod si aliam inde mentem capiunt, & Verbum quemadmodum est, Deum agnoscunt, sed tamen illud ab eo quem assumpsit, & cui coadunitus est homine, diuungunt, ipsi sibi in sua ista sententia, contraria dicunt. Quem enim hic separantes à diuina incarnatione Deum esse sentiunt, eundem eleuant, quia audiunt eum carnem esse factum, & qua Ethnicorum sunt, sapiunt, nimirum vt & illi, qui sapiunt incarnationem esse mutationem verbi in carnem.*

§. 3. Verbum esse factum carnem qui negant, ex Philosophiâ solent nonnulla obijcere, à quo sit facta, quæ actio in Verbum recepta? Verum vt hæc dere cuique ratio constet, breuissime, quæ fides, & Theologia nos docet, proponam.

§. 4. SS. Trinitas est causa efficiens princeps, imo & repugnat creaturam vt causam principem concurrere; nam si haberet vim, quâ faceret subsistere in humanitate, aliquo modo sibi Deum subijceret, dein nulli creaturæ naturale esse potest ita subsistere, multo minus facere illum modum, imo nec si vna persona creata alienam naturam posset terminare, ideo etiam id creatura poterit efficere. Posset Deus ad hunc effectum vti creaturæ instrumentariæ virtute, vsus verò non videtur.

§. 5. Incarnationem non præcessit dispositio, imò nec potuit, nam iucta est diuina natura, quo momento suæ fuerat iungenda, at illa omnem aliam dispositionem præcedebat, nec in corpore potuit esse dispositio, nam quid illud fingi posset?

§. 6. Eius prædestinationem non potuit, vt nemo potest totam suam prædestinationē mereri: nam meritum hoc, nec re potest antecedere præmium, nec in

diuina scientiâ, cum voluntas dandi gratiam sit prior scientia meriti, nec ad hoc sufficit scientia conditionata; nam licet ad causam finalem sufficiat, non tamen ad meritoriam sufficit, deniq; humanitas meriti capax non est, sed homo.

§. 2. Nec potuit etiam absolutâ potentiâ, vt nunc est facta, cum enim sine vllâ subsistentiâ existere non possit, & omni operatione naturâ sit prior subsistentia, non potest is ordo à Deo mutari.

§. 7. Incarnatio necessario habet aliquem terminum, quia actio est realis, at de eius ratione intrinseca est habere terminum qui fiat. Terminus autem ille nõ potest esse Verbum secundum se, sic enim non potest produci. Adæquatus vero terminus est Christus, seu homo Deus: est fidei, quia omnis vnionis terminus est Vnio ex illâ resultans. Itaq; est substantia, nec dicendum humanitatem esse adæquatum terminum, licet sola immutetur, cum actio vnitrix intendat totum.

§. 8. Non est facta naturarum mixtio confusioue, vt Polemius, Iacobitæ, Acephali; nec conuersa humanitas in Deitatem, vt Eutyches; nec diuinitas in humanitatem, vt Apollinaris docuit.

§. 9. Post incarnationem manserunt vtraq; natura integra. nam Deus fuit & homo.

§. 10 Non est facta aliqua natura tertia ex diuinitate & humanitate. Nam aut non esset homo, aut non Deus, imo neutrum. 2 natura diuina fuisset mutata. 3. Mortuus fuisset in illâ Naturâ, atq; adeo in diuinitate, 4. etiam pater & Spiritus sanctus essent incarnati; nam illa mixtio esset facta in naturâ tribus personis communi. 5. Humanitas debuisset esse ante Vnionem. Verbum itaq; caro factum est, quia sibi carnem copulauit: Similitudo est coniunctionis inter corpus & animam, quia illa in vnâ personâ conueniunt, & corpus est animæ instrumentum.

§. 11. In Christo est vna persona, & in duabus naturis existens. 1 sic Deus homo. 2. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* 3. si nõ propriè est Deus, ergo omnes sancti sic erunt Dei, & nõ dicerur Deus apprehendisse semen Abrahæ. 4 hic n. denominatio substantialis est.

§. 12. Terminus est persona, Luc. 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum: vocabitur filius Dei.* 2. Terminus est substantia, non natura ergo persona. 3 Ex hac vnione fit Christus; eadem enim persona quæ per se constituta est, & præsupponitur, hic vt terminans aliam naturam accipitur.

§. 13. Non est omnino simplex, quia non est persona secundum se. 2. incepit esse in tempore. 3 Est ex Vnione plurium. 4. Hic homo Christus includit diuinitatem & humanitatem.

§. 14. Omnino composita est persona, Syn. 5. Act. 8. c. 29. nam est amplius quã humanitas, aut sola diuinitas, & nõ solũ personæ, sed & naturarũ est coniunctio.

§. 11. Consultum hanc compositionem cum aliquo addito vocari: ineffabilem.

§. 15. Non est omnino ex nihilo factus ille Terminus, est tamen quid productum in tempore: nam hoc compositum est factum vera & reali actione. 2. potest dissolui Vnio huius compositi.

§. 16. Potius totum compositum dicitur creatum, quã increatũ, quia increatũ negat omnẽ dependentiã.

§. 17. Incarnatio est compositio ex natura & persona, nõ vt quidam ex humana essentia, diuina existentia, cum interdum patres aiunt, esse secundum essentiam, aut ὑπόστασιν tantum indicant non esse accidentalẽ Nic. l. 3 Th. c. 3. coniunctionem essentialem dicimus, hoc est, veram & non phantasticam seu commentitiam. Bellar. similia adfert. 1. Ath. Aug. animæ cum corpore. 2 Orig. ferri igniti. 3. Aug. duabus partibus confert in vno homine. 4. insitioni: omnes tamen dissimiles sunt hæ similitudines. Probatur vero, vna est in Christo persona, non humana, ergo diuina. 2 Syn. 5. Act vlt. c 4. & Syn. 6. 3. Solus filius est incarnatus, ergo est facta incarnatio per id, q̃ soli filio cõuenit. ita Tol. 6. 4 Pater omnia omnino, excepta personâ filio cõmunicauit, & ideo nõ sunt vniti hypostaticè. Sane ex ratione hæreticorũ sequitur tota SS Trinit. incarnatam. *Similitudines ne nõ possẽt exponi incarnatio.*

§. 18. Vnitio vera est actio SS. Trinitatis à terminatione distincta, nam duo nõ vnita, esse vnita nõ poterunt, nisi aliquâ facta mutatione, nec dici potest esse circa essentiã creatã, cui det existẽtiã increatã, q̃a in ea nõ potest actio terminari. Etiã qui fieri aiunt humanitatẽ, & q̃ nihil, nec in humanitate vt nec in verbo, nã ũi sit vnitio actio & passio, in humanitate, intelligi nõ potest quomodo ea fiat, nihil in subiecto recepto.

§ 19. Nec dici potest fieri actione priuatiua, cũ hic sit positiua, & ideo necessario habeat terminũ positiuũ.

§. 20. Nec aliqua supernaturalis qualitas est vinculũ Vnionis, nam sic vnio esset accidentalis. 2. quomodo aliqua qualitas erit incompossibilis cum propria substantia? & eo magis, quia supponit illã, & quomodo formaliter constituet rem vnitam Deo formaliter? dein qualitas absoluta respicit, subiectum in quo est.

§. 21. Non est sola relatio, vt Scotus, cum sit vinculũ actione vera factum inter humanã diuinamq; naturã. Factus est modus quidã substantialis, quo res intelligitur existere in verbo, sicut in resurrectione modo iunctionis corporis & animæ. 2. Subsistẽtia naturalis exclusa est, ergo alio modo incompossibili. Hæc contra varias hæreses obseruanda. Petulantius alij in arcanis Dei mysterijs ludunt. Ideo n. aiunt Verbum carnẽ factũ, q̃ Deus filium suũ miserit homminẽ, sicut animo decreuerat. Verbum autẽ ideam appellant. Sed rectè factum caro dicitur, vt & homo factus, quod illi non, nisi ratione ἀνυποστάσιας seu incarnationis conuenit, vt docet S. Athanas. l. 3. contra Arrianos: *Et quum ex placito patris, inquit, Verbum homo factum erat, tum non iniuria de eo dictum fuisse, à Ioanne quidem: Verbum caro factum est: à Petro verò: Dominum & Christum eum fecit: Et per Salomonem sub persona Domini: Dominus creauit me initium viarum suarum, ad opera sua.*

§. 22. Quæstiones plurimæ ex alijs aliæ oriuntur, dũ ratio in rebus obscurissimis q̃ritur. In Symb. dicimus, *& homo factus est*, hic, *Verbũ caro factũ est.* Cur nõ hic hominẽ nominat, si Verbũ homo factũ est, nõ caro tã ũ.

Resp. Vsitato Hebræis loquendi modo vsum, quibus בָּשָׂר *basar*, est homo, frequentissima Synechdoche, Gen. 6. 12. Ps. 55. 5. & 64. 2. & 144. 22. Is 40. 7. & 49. 26. & 66. 16. & v. 23. Iere. 12. 12. & 32. 27. & 45. 5. Ezech. 20. 48. & 21. 4. Ioel. 2. 28. Zech. 2. 13. Ioan. 10. & 12. Matth. 27. Carnem ergo hominem vocat. Quare argumentum Apollinaris soluitur. Potius autem carnem, quam hominem dixit: vt ostenderet summam filij Dei caritatem, qui caro fieri dignatus est; Diuina enim potentia, sapientiaq; carni opponitur, quæ rerum omnium est maximè fragilis. *Caro Hebraïs homo.*

Hoc igitur immensæ caritatis fuit, nostram carnem induere, & potentiæ, vt eam soli Deo omnipotenti coniungeret. Finis etiã huius coniunctionis notatur, quod nempè caro quæ peccato obnoxia fuit, quæq; solet accipi pro homine peccatore ad immortalẽ personã, glorificanda tandem in cœlo assumatur. Quemadmodũ igitur, cum alios homines carnè in scriptura nominari audimus, nõ cadauera seu corpus examine imaginamur, ita neq; hic de Dei filio cogitãdũ est. alio prorsus significatu de verbo dici: *Verbum caro factũ est.* & de aqua: *aqua vinum factum est.* Non enim mutationẽ in natura factam, sed aliud esse cæpisse signficat, quod ante non erat: Sic, qui consul, Dictator, Imperator factus est, nõ transiuit in aliam naturam, sed in dignitate Dominic. incarn. c. 6. Chrysost. hoc loco. Nazianz ad te esse cæpit, qua antea carebat, Ambros. de Sacram. *Nomine carnis peccatores solent accipi.*

Chelic

Chelidonium. Hinc igitur & nostri hæretici refutantur, dum Eutychetem imitati, diuinitatem passam blasphemant. Vide Sander. Lindan. Prateolum.

Vbiquitarij humanitas fit Deitas.

§.24. Vbiquitarij, qui veteres hæreses renouarunt, Verbum filium Dei interpretantur, & carnem in abstracto accipiunt, vt sit *humanitas*, seu humana natura

„ in Colloq. Mompelg. pag. 229 [Sic, *aiunt*, vocabulum
„ (caro) non est vocabulum concretum, sed significat
„ humanitatem, seu humanam naturam, quæ sunt ab-
„ stracta vocabula, quod nemo sanus negare potest. Nã
„ Verbum, hoc est, assumpsit carnem in suæ personæ v-
„ nitatem, quâ prius caruerat. Ideoq; in hac enunciati-
„ one: Verbum caro factum est; Verbum significat Fi-
„ lium Dei sine carne: & caro significat Humanam Na-
„ turam sine Verbo: adeoq; Solum Naturam Huma-
„ nam. Nam Verbum, quod nihil, nisi Verbum erat, fa-
„ ctum est caro, hoc est, verus Homo.]

Quam autem id sit absurdum, ex eo patet, quod si ita dicas: Verbum factum est humana natura, seu humanitas, continuo naturas confundes, non est enim Verbum factum humanitas, nec Verbum est humanitas. Quemadmodum falsum est & ridiculũ, si quis dicat: Cicero factus est Consulatus. Itaq; posteriores Vbiquitarij, vt Albertus Grauerus in Anthitheſi, *carnem*, ait, *nihil aliud esse, quam hominem.* Non tamen id-

Posteriores Vbiquitarios pudet priorum.

„ circo errorem ponit, sed auget, cum ait: [Sola huma-
„ nitas est natura, & non persona. Ergo sola natura, &
„ non persona est passa. Si sola natura est passa, filius
„ Dei non est passus: quia filius Dei non est natura, sed
„ persona: Si filius Dei non est passus, passio illa nudæ
„ fuit creaturæ. Ideoq; nos liberare non poterit.]

Sola natura humana, non diuina est passa.

Passio enim nudæ creaturæ fuit, non enim Deitas doluit, nisi quatenus natura humana in eâ subsistens passa est. Verum hac de re videantur tum alij, tum verò noster Gregor. de Valentia l. 2. contra Vbiquitar. capit. 1. quo loco manifesti etiam mendacij reuincit Schmidelinum dicentes veteres Patres vocare humanitatem omnipotentem.

Veterũ hæreticorum confutatio.

§ 25. Valentinianis, Marcionitis, Manichæis veritatem corporis Christi negantibus, hæc verba Iren. l. 3. c. 15. & Tertull. l. de carne Christi obijciunt. Valentinus enim humanã carnem minime assumpsisse dixit, Epiph hæres. 31. August. hæres. 11. Eodem modo nos hoc testimonio Suenckfeldianos, Musculum, Anabaptistas reuincemus. Vide Staphilum de Concordia discipuli Lutheri & Io. Cochæum de erroribus Monasterienſiũ Anabaptistarũ. Castrium verbo *peccatum.*

Eunomiani

Eunominiani *Verbum* interpretabantur, quo Deus carni loquitur: Verbum enim carni, seu ad carnem factum dicebant. Ambr. cap. 6. de incarn. Sacramenti. Cyrill. l. 1. Thesauri.

Filium non dixit, sed Verbum factum esse carnem, ne inter filiũ & verbum distinctio aliqua fingeretur.

Vbiquitarij Eutychiani.

§.26. Eutichianissmum inducunt omnes Lutherani, qui diuinæ naturæ proprietates naturæ humanæ in abstracto tribuunt, & cõtrario, humanas diuinæ. Deitatem, aiunt, passam, humanitatẽ omnipotentẽ. Vide Colloq. Mompelg. thes. Wirtenb. 8. 9. 10. 12. & toto tractatu, quẽ Iacobus Andreæ cũ Beza habuit. Monstra autẽ omniũ errorum in eo continentur, quod ait:

„ [Itaq; (propter vnionem personalem & proprietatũ
„ communicationem) credimus, Christum etiam secũ-
„ dum humanitatẽ suam esse omnipotentem, seu (quod
„ est) humanã in Christo naturã esse omnipotentem.]

QVÆSTIO III.

An Verbum Animam susceperit?

Christum sumpsisse animam.

§.1. ARianorum quorundam secta fuit, quæ docebat. Animâ humanâ Christum non fuisse præditum, sed animæ in vicem Verbum substitutum esse, vt auctores docent, sed propriè ille fuit Apollinaris vt Socrat. l. 1. c. 36. Epiph. hæres. 77. Aug. hæres. 55. Prateolus verbo, *Apollinaristæ*, Nazianz. ad Cledouiũ. Vide Hier. an. 379. Adonem Viennensem. Sigebertũ an. 383. Onuphrium an. 379. Viguerium an. 370. Deniq; Baronium an. 373. Eundem porrò Errorem, & Pater, & Filius, vterq; dictus Apollinaris docuerunt, sed in partes tamen hæreses eorum scissæ sunt. Quidam dixerunt carnem accepisse, & animam, mentem autem non accepisse, alij corpus ex supernis attulisse, alij corpus Deitati coessentiale sumpsisse. Contra eos exstat Epist. S. Athanasij ad Epictetum Episcopum Corinth. & Paulinum. Inter reliqua sunt Athanasij ista præclara: *Ex scripturis enim, ait, non potest hoc inueniri, Deum enim in humano corpore fuisse dicunt. Sed & Patres in Nicæa congregati, non corpus, sed ipsum filium dixerunt coessentialem patri: & hunc quidem ex essentia patris, corpus verò ex Mariâ esse, rursus confessæ sunt scripturæ. Aut igitur negate Synodum Nicænam, & velut hæretici hæc falsò inducite: aut si vultis filij patrum esse, ne sentiatis præter illa, quæ ipsi scripserunt, nã ex hoc absurditatem speculari vobis licet. Si coessentiale est Verbũ corpori, ex terra naturã habenti, coessentiale autem est Verbum patri iuxta patrum confessionem, coessentialis erit etiam ipse pater corpori ex terra facto.*

Non defuerunt tantæ impietati successores, nam Staphylus ostendit Lutherum docuisse Deitatem passam in cruce.

Hos porro Epiphanius Διμοιρίτας dicit: *Ab hæ Dimœritarum à quibusdam, inquit, appellata hæresi, hoc est, quæ duas tertias partes humanæ naturæ in Christo confitetur: corpus videlicet & animam, & tertiam partem, ipsam mentem in Aduentu Christi in carne negat.* Dimœritæ.

§.2. Corpus è cœlo delatum Mennon in Wismarienſi Colloquio dixit, alijq; permulti. Vid Canis. l. 1. de corruptelis verbi Dei. Sequuntur hi ex parte Apollonistarum errorem, qui negant corpus Christi eiusdem naturæ, cuius nostrum est. Quamuis propriũ fuit Dioscori Archiepiscopi Alexandrini, vt diceret; ita Verbum carnem esse factũ, vt desierit esse consubstantiale patri, & hominem ita mutatum, vt non fuerit consors humanæ naturæ: ex quo turpissimam hæresin conflauit. Vt Christum diceret, nec Deum esse, nec hominem, cum vtramq; naturã illi scripturæ tribuant. Exposuit hoc loculenter S. Athan. Epist. contra hæreticos: *Rebus ipsis, ait, igitur hæc argumenta præferentibus superfluum est alia attingere, aut in istis laboriosius satagere, cum & corpus, in quo erat Verbum, non fuerit consubstantiale Deitati, sed ex Mariâ vere genitum, & Verbum non fuerit conuersum in ossa & in carnem, sed in carne extiterit. Idenim quod à Ioanne dicitur, Verbum caro factum est, hunc habet intellectũ, quatenus ex re simili deprehendere licet ex verbis Pauli, Christus pro nobis factus est execratio, nõ quod ex se ipso in execrationem transmutatus sit, sed quia pro nobis execrationem in se suscepit, inde est quod execratio factus dicitur. Ita quoq; factus est caro, non conuersus in carnem, sed quod carnem vuentem pro nobis assumpserit, & homo factus sit. Quodcum dixit, Verbum caro factum est, perinde est rursus, ac si diceret, Verbum factum est homo, secundum id quod in Ioele, dictum est, Effundam de Spiritu meo in omnem carnem: non vtiq; ad bruta pecora ista sese promissio extendit, sed in solos duntaxat homines, quorum gratia Deus homo factus. Cum igitur dictum illud talem complectatur sententiã, meritò seipsos damnant, quicunq; arbitrantur, ante Mariã Verbo aut carnẽ, aut humanã animã fuisse, in qua & Christus ante Aduentũ suũ ab æterno extiterit.* Prateolus verbo, *Apollinaristæ*, Nazianz. ad Cledouiũ. Vide Hier. an. 379. Adonem Viennensem. Sigebertũ an. 383. Onuphrium an. 379. Viguerium an. 370. Deniq; Baronium an. 373. Eundem porrò Errorem, & Pater, & Filius, vterq; dictus Apollinaris docuerunt, sed in partes tamen hæreses eorum scissæ sunt. Quidam dixerunt carnem accepisse, & animam, mentem autem non accepisse, alij corpus ex supernis attulisse, alij corpus Deitati coessentiale sumpsisse. Contra eos exstat Epist. S. Athanasij ad Epictetum Episcopum Corinth. & Paulinum. Inter reliqua sunt Athanasij ista præclara: *Ex scripturis enim, ait, non potest hoc inueniri, Deum enim in humano corpore fuisse dicunt. Sed & Patres in Nicæa congregati, non corpus, sed ipsum filium dixerunt coessentialem patri: & hunc quidem ex essentia patris, corpus verò ex Mariâ esse, rursus confessæ sunt scripturæ. Aut igitur negate Synodum Nicænam, & velut hæretici hæc falsò inducite: aut si vultis filij patrum esse, ne sentiatis præter illa, quæ ipsi scripserunt, nã ex hoc absurditatem speculari vobis licet. Si coessentiale est Verbũ corpori, ex terra naturã habenti, coessentiale autem est Verbum patri iuxta patrum confessionem, coessentialis erit etiam ipse pater corpori ex terra facto.*

Non defuerunt tantæ impietati successores, nam Staphylus ostendit Lutherum docuisse Deitatem passam in cruce.

Hos porro Epiphanius Διμοιρίτας dicit: *Ab hæ Dimœritarum à quibusdam, inquit, appellata hæresi, hoc est, quæ duas tertias partes humanæ naturæ in Christo confitetur: corpus videlicet & animam, & tertiam partem, ipsam mentem in Aduentu Christi in carne negat.* Dimœritæ.

§.2. Corpus è cœlo delatum Mennon in Wismarienſi Colloquio dixit, alijq; permulti. Vid Canis. l. 1. de corruptelis verbi Dei. Sequuntur hi ex parte Apollonistarum errorem, qui negant corpus Christi eiusdem naturæ, cuius nostrum est. Quamuis propriũ fuit Dioscori Archiepiscopi Alexandrini, vt diceret; ita Verbum carnem esse factũ, vt desierit esse consubstantiale patri, & hominem ita mutatum, vt non fuerit consors humanæ naturæ: ex quo turpissimam hæresin conflauit. Vt Christum diceret, nec Deum esse, nec hominem, cum vtramq; naturã illi scripturæ tribuant. Exposuit hoc loculenter S. Athan. Epist. contra hæreticos: *Rebus ipsis, ait, igitur hæc argumenta præferentibus superfluum est alia attingere, aut in istis laboriosius satagere, cum & corpus, in quo erat Verbum, non fuerit consubstantiale Deitati, sed ex Mariâ vere genitum, & Verbum non fuerit conuersum in ossa & in carnem, sed in carne extiterit. Idenim quod à Ioanne dicitur, Verbum caro factum est, hunc habet intellectũ, quatenus ex re simili deprehendere licet ex verbis Pauli, Christus pro nobis factus est execratio, nõ quod ex se ipso in execrationem transmutatus sit, sed quia pro nobis execrationem in se suscepit, inde est quod execratio factus dicitur. Ita quoq; factus est caro, non conuersus in carnem, sed quod carnem vuentem pro nobis assumpserit, & homo factus sit. Quodcum dixit, Verbum caro factum est, perinde est rursus, ac si diceret, Verbum factum est homo, secundum id quod in Ioele, dictum est, Effundam de Spiritu meo in omnem carnem: non vtiq; ad bruta pecora ista sese promissio extendit, sed in solos duntaxat homines, quorum gratia Deus homo factus. Cum igitur dictum illud talem complectatur sententiã, meritò seipsos damnant, quicunq; arbitrantur, ante Mariã Verbo aut carnẽ, aut humanã animã fuisse, in qua & Christus ante Aduentũ suũ ab æterno extiterit.*

Et de salutari aduentu Christi, contra Apollinariũ, initio. *Qui Dominum nostrum Iesum Christum, inquit, non ex Deo & homine vnum esse confitentur, vt scriptum est in Euangelio, ex homine (nquam) oriundo ex Adam, ac deinde ex Deo, dicant mihi, quid de Deo in forma Dei sed accipiente formam serui, opinantur: vel quomodo illud, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, intelligunt: Quia enim dixit caro factum est, idem dixit, ipse animam suam posuit pro nobis. Nam ita, quum Verbum esset mutationem sustinuit, vt in carnem transf-*

Christi è

transformaretur, aut anima similitudinem? an vt imaginariam speciem humanæ formæ præ se ferret, quemadmodum nõnulli errabundi hæretici dictitare solent? At qui hoc non admittit Apostolus, cuius verba diserta & expressa sunt: Qui quum in forma Dei esset &c. Sicuti enim forma Dei integritas Deitatis verbi intelligitur: ita quoq; & forma serui, intellectualis natura hominum substantia cum instrumentali substantia agnoscitur, ideoq; vt ex altero Verbum significetur, ex altero itidem, quum dicitur, Et caro factum est, animam quoq; adiunctam fuisse intelligatur, quæ nimirum forma serui appellatur, quam animaduertimus esse intellectualem substantiam, ideoq; fit, vt homo mortuus, amissa cum animâ forma, informis nominetur, & totus soluatur, anima, quæ corporis naturã continebat, recedente. Vnde Paulus de intellectuali natura testimoniũ perhibet.

§. 3. Si Verbum caro factum est, antè carnem assumptam fuit. Præclare Athanas. Epist. contra hæreticos. *Cum igitur*, ait, *dictum illud talem complectatur sententiam, merito seipsos damnant, quicunq; arbitrantur, antè Mariam verbo aut carnem, aut humanam animam fuisse, in qua & Christus antè aduentum suum ab æterno extiterit.*

Et paulo post: *Iam de reliquis omnibus id tantum dicitur, quod vel creati, vel geniti sunt: de solo autem Mariæ filio scriptum est, Et Verbum caro factum est. Ex quibus ostenditur, ad reliquos quidem sanctos Verbum factum esse Prophetandi gratia: ex Maria autem, ipsum Verbum carne assumpta hominem prodiisse: ita tamen, vt Natura substantiaq; Verbum Dei remanserit, secundum carnem vero ex semine Dauidis, & ex carne Mariæ, homo genitus prodierit, vt à Paulo dictum est, quem pater declarauit in Iordane, atq; itidem in monte per hæc verba: Hic est filius meus ille dilectus, in quo mihi gratulor.*

§. 4. Nestorij etiam hæresin hæc verba confutant; Sienim Verbum caro factum, vt Dauid rex, vt Cæsar Dictator, non possunt duæ esse personæ: altera Dauidis, altera regis, sed vna eademque. Idem enim homo & Dauid, & rex est, itaq; errabat Nestorius dum Christum non Θεὸν sed Θεοφόρον, non Deum, sed hominem qui Deum ferret, blasphemè nominat.

QVÆSTIO IV.

Quomodo habitauit in nobis?

§. 1. HAbitauit Græcè dicitur ἐσκήνωσε, quod est commorari, seu quasi in Tabernaculo habitare nobiscum. Nam, habitatio illa temporaria fuit, sicut etiam vetus tabernaculum. *In nobis* à quibusdam intelligitur. In corpore quod nostro sit simile, alij simplicius interpretantur, *Inter nos habitauit.* Nam additur, & vidimus gloriam eius: quod habitatione inter nos constituta factum est. Mihi ad rem intelligendam videtur vtraque interpretatio coniungenda. Habitauit inter nos nõ quouis modo, sed longè præstantissimo, nempe Christus in quo omnis diuinitas erat corporaliter, habitauit ergo Deus ipse aspectabilis, viuens, loquens, & conuersans nobiscum in humanitate assumpta, non sicut in deserto fuit cum patribus nostris, aut in tabernaculo Mosaico, vel templo Salomonico, sed formã serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, nostro amore, nostrâ lege, & iure nobiscum homo vixit, hac enim in re apparuit humanitas & benignitas Saluatoris nostri Dei. Atq; hæc sunt ex Chrysost. & Bedæ sententiâ. Quin eadem etiam interpretor quod ait ἐσκήνωσε tentorium suum posuit inter nos, in eâdem Ecclesiâ nobiscum militaturus, eadem pericula & incommoda subiturus: hæc est enim lex militantium, & quoquisq; maior est, hoc est propior periculo. Hilar. l. 11. de Trinit. vtrumque coniungit. *Verbum autem, ait, Deus neq; Verbum esse desiit, neq; caro non fuit: Nam Verbum quod caro factum est, & habitauit in nobis, neq; dum habitat non vere verbum est, neq; dum Verbum caro est, non verè Deus homo est: quia & habitare eius necesse sit esse qui maneat, & carnem fieri eius intelligendum sit esse qui nascitur. Et quod in nobis habitat, nostra carnis assumptio est: quia per id in nobis habitat Verbum caro factum, dum Deus est in nostri corporis veritate.*

QVÆSTIO V.

Cur vocet gloriam vnigeniti?

§. 1. GLoriam filij naturalis Christus obtinuit, non vt Moses, Dauid, Esaias qui in domo Dei serui fideles fuerunt. Nec mòdo filij, sed vnigeniti, qui ex asse omnia patris bona possideat, ipsam diuinitatem, sapientiam, potentiã nec enim hæc in plures diuiditur, ita Basilius Oration. de fide. *Manens igitur in essentia filius omnia est, quæ pater est. Secundum ipsius Domini vocem, dicentis: cuncta quæ habet pater mea sunt. Reuera namq; imaginis sunt omnia, quæ in prototypo siue exemplari existunt: Videmus, inquit Euangelium, gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre: Hoc est, non ex munere aut ex gratia, hæc ei mirãda data sunt: sed ex naturali communitate patriæ, diuinitatis dignitatem obtinente filio. Accipere namq; commune quiddam cum creatione est: habere autem ex natura, proprium geniti. Vt ergo filius naturaliter ea quæ sunt patris possidet: vt autem vnigenitus, omnia in se ipso comprehendit, nihil cum altero diuidens. Ex ipsa igitur filij appellatione dicimus, quod naturæ socius est, non nasci ipsius, sed ex potestate splendens: sine interuallo, sine tempore, cum patre coniunctus: æqualis in bonitate, æqualis in potentia, eiusdem socius gloriæ, quid enim aliud est, quam splendor & imago, totum in se patrem ostendens?* Non est gloria nisi vnigeniti, Particula enim ὡς & ὥσπερ, & Syrum ܐܝܟ *Aich*, non ita similitudinem semper designant, vt negent veritatem. sic Paulus Ephes. 8. *tanquam filij lucis ambulate*, non vult nos impropriè filios lucis esse, sed id agere quod credimus, apparere quod simus. Erasmus particulam, à *Patre*, ad gloriam refert. *Laurentius mauult, tanquam vnigeniti: quod verè esset vnigenitus. Et in hoc verbo philosophatur nonnihil Chrysostomus ac Theophylactus, interpretans ancipitem apud Græcus vocem ὡς, quæ tamen hic non sonet assimilationem, sed speciem viri exhibitam, veluti si de scripto regio apparata subijcias, incessit tanquam rex, id est apparatu regio. Et vnigeniti, non est hic participiũ, sed nomen: μονογενοῦς, vnici. Vnde quod sequitur, à patre: magis pertinet ad gloriam, quam ad vnigenitum. Spectat ergo gloriam eius: gloriam, inquã, non quamlibet, sed gloriam à patre exhibitam, quæ declaret eum esse vnicum filium. Sentit enim, opinor, de baptismo Iesu & transfiguratione, quũ audita est vox patris. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite. Verum non ex his tantum eluxit vnigeniti gloria. Moses habebat gloriam, vt seruus à Domino: Christus, vt filius vnicus à patre Deo.*

Non est hoc firmum: nam & nomina sortiuntur interdum casus verborum. Quid tibi hoc factio est? Quamuis male ad Hebraismum referre, nam in Syro est, *qui à patre, qui plenus est.* Athan. l. dicitur communi essentiã patris & filij, gloriã eius vocat ipsum Christũ. Id quod alij repudiant ex eo quod non diceretur eius gloria, si Christus ipse esset. Sed sic accipi potest, sicut illud ἰσπεύμενος, *virtus Catonis pro ipso Priamo & Catone.*

Vnigenitus Dei filius Deus.

§. 2. Hilarius l. 12. de Trin. Christi diuinitatem probat ex eo, quod *vnigenitus* dicitur; ex patris enim substantiâ natus, & consubstantialis est, nõ diceretur autem vnigenitus, si creaturas haberet consortes, adeoq; à Deo creatus esset. sic & Ambros. l. 1. de fide c. 4. Obijcit apud Basilium Eunomius. Vnigenitum dici Christum, quod omnes creaturas dignitate exuperet, & in omnes acceperit dominatũ. Verum nulla in scriptura ideo Christus vnigenitus aut vnicus dicitur, ꝙ dignitate præstet; hinc n. Domin⁹ vniuersorũ, rex regũ, Domin⁹ dominantiũ appellatur nõ vnicus, aut μονογενὴς.

Creaturas consortes nõ habet.

Necideo vnigenitus, qui solus à solo patre creatus sit, vt Basilius & Cyrillus notarunt, sed quia vnicus est, & ab vno natus, eiusdem cum patre naturæ, supra omnẽ ordinem creaturarum. Athan. l. 3. contra Arianos. *Quod autem primogenitus naturæ, id non ideo sit, quasi*

ipsa

Primogenitus.

ipse cæteris creaturis coexæquetur, aut quod primus illarum ratione sit temporis: quis enim id fieri queat, quum vnigenitus sit Dei? sed ob verbi ad nostram humilitatem demissionem, id nomen illi inditur, qua ratione etiam plurimorum efficitur frater. Siquidem vn genitus, eo quod nulli alij sunt fratres, vnigenitus nominatur: primogenitus autem contrà, quia plures supersunt fratres. Ideoq; nunquam in Scripturis appellatur primogenitus Dei, neq; creatura Dei, sed ista omnia vnigenitus, & Filius & Verbum, & sapientia ad Patrem referuntur, ibiq; suam proprietatem habent. Vidimus enim gloriam eius, vt gloriam vnigeniti patris sui. Et misit filium suum vnigenitum: &, in æternum Domine Verbum tuum permanet: &, Verbum erat apud Deum: &, Christus Dei virtus, Dei sapientia: &, Hic est filius meus: &, Tu es Christus filius Dei viuentis. Et oratione contra Gregales Sabellij: *Vnigenitum igitur Verbum in mundo vides manifestatum, & in hominibus habitantem, gloriamq; illi attribui, vt vnigeniti à patre? non quod ipse pater sit, aut pater vnà cum verbo sese manifestauerit, quemadmodum homo suo ipsius verbo manifestatur, quod nulla ratione apparere potest, nisi is, qui illud loquitur, in præsentiâ adsit. Quibus ergo potius crediderimus? illis ne qui filium à patre non aduenisse prædicant, an ijs qui vnam personam Verbum cum Patre existere asseuerant? si enim vna persona est, cur altera emittitur, & per carnem conspicitur? quum Deum nemo viderit vnquam, sed vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauerit, & accesserit ad nos, suisq; verbis sui conspectum exhibuerit: quiq; ob istam ex sese Patris cognitionem interloquendum subiunxerit. Qui videt me, videt & Patrem meum, non seipsum Patrem dicens: qui enim id fieri posset cum Pater sit inuisibilis, sed talem se dicit, qualis Pater est: Nam superius dixerat, si cognouissetis me, etiam Patrem cognouissetis, dualitatem personarum expressis verbis nobis declarans, quæ ex Deitate per omnia simili agnosci poterit. Quocirca qui dignus habetur conspectu filij, non fraudatur conspectu Patris. Non enim genitor alienum dissimilemq; de se genuit, sed sibi consimilem.*

Personæ nõ sunt cõfundendæ.

§. 3. Vnicum alij repudiant, nam & ille est vnicus qui ex multis fratribus supereſt: qui tamen vnigenitus non est. Adiungitur autem *vnigeniti à patre*, quod nonnulli additione explent; *vnigeniti exuntis, procedentis, orti à patre*, alij vero gloriam à patre datam, vt 2. Petr. 1. 17. Mihi dubium non est, nouâ locutione vtrumq; à Spiritu sancto significatum esse, & gloriam à patre, & vnigenitum ab eodem patre esse.

QVÆSTIO VI.

Quomodo vidimus gloriam eius?

Gloriam verbi incarnati.

§. 1. GRæcus textus aliquid habet magis Emphaticum, καὶ ἐθεασάμεθα, *spectauimus* seu *contemplati sumus.* Ideo autem Verbum caro factum est, vt gloriam eius videamus; gloria enim verbi incarnati tum prius apparuit.

Non solus splendor in monte.

Quidam restringunt ad solam apparionem in monte, de quâ Petrus 2. Epist. c. 1. 17. & 10. ibi enim *resplenduit facies eius & vestimenta alba facta sunt.* Castellio hæreticus ex eo quod de splendore in monte intellexit, etiam versionem mutauit, nempe *splendorem eius?* quasi non splendor, vel Angeli, vel homines sancti etiam esse potuerit: sed à suis quoq; fraudis & imperitiæ in vertendâ scripturâ arguitur. Malo ad omnia quæ glorioſe ab eo facta sunt extendere. Omnibus enim miraculis manifestauit gloriam suam, quod satis indicat idem Ioannes cap. 2. vers. 11. Et Lucæ 13. 17. populus de vniuersis gaudet, *quæ glorioſe fiebant ab eo.* Admiranda enim facta, cum morbos sanaret, mortuos excitaret, dæmones eijceret, non minus gloriam eius, quam lux cœlitus missa illustrant. Christum vero in omni vitâ suâ gloriam suam manifestasse dicit

Gloria Christi sunt omnia facta.

Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius, gloriam igitur non Angelorum, vt Moses, alijque, sed ipsius Dei filij viderunt. Recte Theophylact. *Postquam dixit quod caro factum fit, subdit nunc. Et spectauimus gloriam eius, quum videlicet esset in carne. Etenim quum faciem Mosi ex colloquio Dei factam clariorem Israëlitæ videre nequiuerunt, multo magis Apostoli nudæ Deitatis vnigeniti capaces non fuissent, nisi per carnem apparuisset, spectauimus autem gloriam non talem, qualem habebat Moses, vel cum qua gloria Cherubim, & Seraphim Prophetæ apparuerunt: sed talem gloriam, qualem docuit esse vnigeniti à patre, qua illi naturaliter inest. Nam, velut, hic non similitudinis, sed confirmationis & determinationis indubitatæ Verbum est: sicut quum regem videmus cum gloria magna venientem, dicimus quod velut rex prodeat, hoc est, quod vere sit rex: ita etiam hoc loco intelligere debes, velut vnigeniti, quod gloriam quam spectauimus, reuera fuerit gloria filij. Subtilior est aliorum interpretatio, vidisse non gloriam ipsam essentialem quæ hac in vita videri nequaquam potest; sed quasi gloriam, seu vmbram quandam illius maiestatis, quam vnigenitus habet à patre.* Nec obstat quod vox similitudinis non coniungatur cum dictione, *gloria* sed vnigeniti, ὡσεὶ enim ficte soluenda est propositio: *Vidimus gloriam eius, quasi gloriam vnigeniti.* Quamuis videtur nulla ratio, vt similitudinis nota sit particula, *quasi*, Christus enim de suâ gloriâ loqui solet; si credideris videbis gloriam Dei.

QVÆSTIO VII.

Quomodo plenum gratiæ & veritatis?

Christus plenus gratiâ.

§. 1. OMnium consensu illa verba; *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre*, quasi parenthesis interponuntur. Hæc autem *plenum gratiæ & veritatis*, cum superioribus connectuntur, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, plenum gratiæ & veritatis. Omnium dico consensu: nam vix eos nominandos arbitror, qui ad Ioannem referunt hunc in modum. *Plenus gratiæ & veritatis* Ioannes *testimonium perhibet.* Christum enim plenum gratiæ dixit, *de cuius plenitudine nos omnes accepisse asserit.* Denique nemo veterum aut recentiorum sic interpretatus est aut nostrum interpretem reprehendit. Syrus eodem modo habet מלא *qui plenus*, vel pleni, quod ad מלתא *mellitha* verbum, sicut πλήρης, Græce ad λόγος. Nec enim audiendi qui πλήρη legunt accusandi casum cum optime per parenthesin cætera verba interijciantur.

Christus gratiæ origo.

§. 2. Plenus dicitur gratiâ, vt fons & origo, seu ipsum mare gratiarum, non vt aliqui sanctorum. Gratiam vocamus & illam quâ humanitas Christi donata est, & quam vobis ille attulit; Veritas est figurarum & legis pleniſſima impletio.

VERSVS 16.

Et de plenitudine eius nos omnes accepimus & gratiam pro gratia.

QVÆSTIO I.

Quomodo de plenitudine eius omnes accepimus?

Partes Baptistæ & Euangelistæ.

§. 1. IOannis Baptistæ, an Euangelistæ illa verba sint, dubium est. Ad rem tamen, & auctoritatem parum interest; Baptistæ enim clamanti, & Euangelistæ docenti, par fides adhibenda est.

Baptistæ verba esse, series & contextus videtur significare ex professo enim recitare Baptistæ verba se pronunciat, sic Origin. Chrysost. Auguſt. Quamuis

Chry-

Chrysostomus tandem probabilius putat, ad Euangelistam pertinere, vtcumq; accipiantur, latissimè accipienda sunt. Nempe nos omnes in veteri & nouo fœdere accepimus, omnes etiam posteri accepturi sunt. Nam & sub lege Mosis, gratia tamen per Christum dabatur. Siue enim Baptista, siue Euangelista loquitur, se cum omnibus fidelibus, de plenitudine Christi accepisse profitetur.

§. 2. Illyricus, homo bardus & maledicus etiam hic indulgentias impugnat: *At Papa*, inquit, *contrà cum suis seductoribus thesauros suorum sanctorum, bullarum & operum supererogationis monasticorum iactat & venditat, suis cultoribus tanquam sit tanta sit ibi spiritualium opum ac meritorum iustitiarumq; copia, vt si cuipiam illa à se applicentur aut attribuantur, citra omne dubium sit protinus saluus futurus.*

Quo quidem discursu nihil stolidius. Ex Christi gratia hauriuntur omnia, etiam sanctorum merita, & coronæ, sunt enim Dei munera gratuita. Non tamen bullæ aut indulgentiæ gratiam conferunt, aut iustum faciunt, multo minus saluum, sed temporarias pœnas remittunt illis, qui iam Christi gratia salui sunt. Sed hæc ille ex Brentio Vbiquitariorum parente, qui multò copiosius omnes calumnias prosequitur.

QVÆSTIO II.

Quid sit, Gratiam pro Gratia?

§. 1. ET gratiam pro gratia. Multis in codicibus non legitur coniunctio *Et* teste Beda. Sed tempore Augustini, & nunc omnibus non modo Latinis & Græcis, sed etiam Syriacis inuenitur: nec memini qui diuersam notaret lectionem. Difficultas in eo versatur, quod cum dixisset: Nos omnes de eius plenitudine accepisse, non videtur posse aliud dici, nos accepisse, quam gratiam, cur igitur adiungit, *& gratiam pro gratia.* Hinc quidam *Et* interpretantur exegetice pro *scilicet*, alii emphatice, alii aduersatiue. Mihi dubium non est, accipi posse propriè, vt prioribus dicat accepisse, posterioribus modum exponat. Quemadmodum in hisce loquendi modis, Donauit, & hilari vultu, accepimus, & à lubenti. Vbi & donum, & modus donandi significatur. Vsitatè adiungi solet *Quidem*, quod frequenter tamen omittitur.

§. 2. Illud gratiam pro gratia variè interpretantur. Zacharias Chrysopolitanus, gratiam ad mensuram pro gratia Christi infinitâ. Id quidem verum est, sed an huius loci sensus sit incertum est. Quod tamen certo sensu probabile iudico. Si, vt paulo post dicã, præpositio causaliter accipiatur. Posset sic explicari quod habet Athanasius de incarnatione Christi: *In Christo*, ait, *enim (inquit) inhabitat, hoc est, in carne eius omnis plenitudo deitatis eius corporaliter, sicut & Ioannes Baptista dicit. Nos omnes ex plenitudine eius accepimus, siquidem corporali specie, hoc est, sub imagine columbæ visus est Spiritus sanctus descendere, & manere super eum. In nobis enim duntaxat primitiæ & arrha diuinitatis inhabitat: in Christo verò omnis plenitudo diuinitatis.*

Totus ergo in Christo Spiritus, pars donorum in nobis.

§. 3. Alii gratiam cumulatam, vt illud pellem pro pelle Iob. 2. 4. Sic חן על חן *chen ghal chen, gratiam super gratiam.* hoc est, omnem gratiam. Verum repugnat particula *pro*, & ἀντὶ, quorum neutra significat *super*, quin & Syriacè חלפ *chalap*, quod in commutationibus locum habet, quando vnum alterius loco accipitur. Bullingero video hanc placuisse; similem enim putat locutionem quâ Germani vtuntur, Recht vmb Recht/ wann Recht für Recht gehet. Ius pro iure, id est, summum & absolutissimum ius. Sed hic planè omnia alia sunt; nec Germana dialectus ad Græcas locutiones trahenda est.

§. 4. Supersunt duæ interpretationes maximè illustres. Prima Cyrilli, Chrysostomi, & eorum qui illum sequi solent, Theoph. Euth. Rupert. Nonni. Gratiam nouæ legis, pro gratia veteris legis. Erat enim gratia etiam veteris legis, & multi apud Deum gratiam inuenisse dicuntur. Et confirmatur, eo quod additur, Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Sed melius hoc eo refertur, vt probat, De plenitudine eius nos omnes accepisse: non autem accepisse gratiam pro gratia. Et cum hic ex professo gratiam opponat legi, non videtur debuisse legem veterem gratiam nominare, vt Maldonatus nostro notauit. Si quis tamen sequi tantos auctores malit, facile respondebit: Sensum esse, De Christi plenitudine omnes accepisse, veteres Patriarchas, & eos qui tum viuebant. Ne quis verò obiiceret; olim per Mosen & legẽ esse datam gratiã; respondet; Etsi lex data sit per Mosen, tamen omnes, & illi Mosis æquales, & nos gratiã de plenitudine Christi, non de ministerio legislatoris accepimus: & quidem accepimus gratiã, nos nostram gratiam pro gratia veterum; gratiam Euangelii pro gratia Legis, maiorem pro minore. Ità non vocatur Lex Mosis gratia, sed comparatio inter gratiam, quæ olim sub lege dabatur propter Christi passuri merita, cum eâ quæ post mortem eius confertur.

Gratia veteris Testamenti pro gratia noui.

Augustinus lib. de cor. & grat. c. 13. & de gratia & lib. arbitr. & tractat. 3. in Ioann. Gratiam huius vitæ, pro gratia vitæ æternæ, quæ est gloria. Ita Bern. & Beda. Altera est Maldonati, accepimus gratiam pro gratia, hoc est, diuersi diuersam. vt 1. Corinth. 12. vers. 4. 8. 9. 10. Rom. 12. vers. 3. 4. 5. 6. 7. Itaque putat solum indicari, non ipsam nos plenitudinem accepisse, sed alios aliam gratiam pro ea, quam habet Petrus, aliam accepit Paulus. Verissimum est ita fieri, multiplicia sunt enim dona Spiritus sancti, qui diuidit singulis prout vult. Hoc fortasse inusitatum fuerit; quod dicit, ἀντὶ, vnum pro alio dono. Nec enim videtur vnus propriè accipere donum loco alterius, cum multi plurima habeant, nec loco eorum quæ aliis donata sunt.

Gratia pro gloria.

§. 5. Harum alterutram eligendam arbitraret, nisi commodior tertia videretur. Nempe pro Christi gratia, hoc est, propter eius gratiam, nos quoque gratiam accepisse. Equidem verba sic accipi possunt, Latina, Græca, Hebræa; valde consentaneum est ἀντὶ accipi pro לַ֫ seu Hebræo חחת *thachath, propter*, ita loqui Græci solent. Demosth. Ἐγὼ μὰ τοὺς θεοὺς οὐκ οἶδα ἀνθ' ὅτῳ *Ego per Deos nescio propter quid.* & pro corona: εἶτα μ' ἐρωτᾶς ἀντὶ ποίας ἀρετῆς ἀξιῶ τιμᾶσθαι. *Demum me regas propter quam virtutem me honore dignandum putem.* Sic ἀνθ' ὧν ἔπραξας. *Propter ea quæ fecisti.* & Latini quoque sic vtuntur pronomine Pro. Æneid. 3.

Gratia propter gratiã.

DI tibi pro scelere, exclamat, *pro talibus ausis*
Persoluant grates.

Et Terent. Eunuch.

Ego pol te pro istis dictis ac factis
Vlciscar.

Ex illo itaque Oceano immenso omnes accepimus, & quidem gratiam propter eius gratiam, quæ sine mensura illi data est, in eo enim patri bene complacuit. Matth. cap. 3. vers. 17. & cap. 17. vers. 5. Ephes. 1. vers. 6. Rom. 5. v. 15. Sic Thom. Stapletonus. & Franciscus Lucas.

Itaque haud rectè Toletus reprehendit, & negat חחת *thachath*, esse *propter*. Ierem. 5. v. 19. חחת מה *thachathme, propter quid*? Cum igitur verba commendant, sensus ille verò sit significantissimus. Nos non modo ex infinito thesauro Christi accepisse, ipso donante,

Hebræa locutionis vis.

sed etiam gratiam hanc accepisse, pro gratia, hoc est, propter gratiam illius, non video cur alius quærendus sit sensus.

§.6. Quod apud Eurypidem eiusmodi locutio inuenitur, χάρις ἀντὶ χάριτος, alium sensum habet, miror vero à quibusdam huc adduci. ita Tragicus habet:

Θεο. πιστὰ γὰρ ἐστὶ σῷ πόσει, φεύγουσά με.
Ἑλ. ἀλλ' οὐκέτ', ἤδη δ' ἄρχε τῶν ἐμῶν γάμων.
Θεο. χαρίεντα μὴν ἦλθες, ἀλλ' ὅμως αἴνῳ τάδε.
Ἑλ. οἷά γ' ἂν ὄφασιν; ἢ παρῳχλαθείμεθα.
Θεο. τῶν; χάρις γὰρ ἀντὶ χάριτος ἐλήλυθε.
Ἑλ. σπουδὰς πέμψω μὴν, καὶ διαλλάχθητί μοι.
Θεο. μεθίημι νεῖκος· τὸ σὸν δ' ἴτω δι' ἱστόπτερον.

Id est:

Theoclymenus. Fida enim es viro tuo, me fugiens.
Helena. Sed non amplius, iam incipe mecum matrimonium.
Theocl. Sera quidem venis, laudo tamen illa.
Helena. Scin quid facias? priora obliuiscamur.
Theocl. Quare? Gratia enim pro gratia veniat.
Helena. Fœdera ineamus, & reconciliare mihi.
Theocl. Remitto litem, auole pennista.

Vbi enim Helena ficta nuptias promittit, & obliuionem pristinæ litis, seu recusationis. Respondet Tyrannus, sed amans, διὰ τῷ, cur, *aut quomodo? Gratia enim pro gratiâ veniat*; hoc est, mutuâ beneuolentiâ respondere me tibi æquum est. Ista huc non spectant. Non enim venit nobis gratia pro gratiâ, quam nos exhibuerimus Deo. cum nihil tale creatura creatori possit tribuere.

§.6. Quidam scholastici interpretantur gratiam non accepisse pro gratiâ, seu prout est gratia, siue vt illi loquuntur, in ratione gratiæ. Quæ etiam vera est sententia non enim quasi natura, sed gratia data est. Id videtur voluisse Leontius, cum ait, pro eo flatu, quos Deus in Adam insufflauit spiraculum vitæ, Gen. 2.v.7. meliorem gratiam in Apostolos & fideles spirasse.

Gratia pro dono interno.

§.7. Manifestum vel ex hoc loco est, gratiam non solum externum Dei fauorem, sed dona etiam significare, quæ nos de plenitudine CHRISTI accepimus.

Gratia fautor, & dona ex fauore.

Brentij interpretatio.

Brentius homil. 19. in Ioan. Fauorem interdum „ vocat: [Olim, *ait*, dedit Deus populo nostro legem „ & cultum diuinum, ex qua consecuti sunt iustitiam „ externam & carnalem. Et contulit in eos hanc gratiam propter CHRISTVM, vt ex lege agnoscerentur peccata, quo cogerentur Christum inquirere, & „ vt Christus sacris Leuiticis adumbraretur, quo in ipsum crederent. Nunc hæc gratia ablata est. Lex „ Mosaica, & sacra Leuitica, expulsis Iudæis est Hierusalem, abrogata sunt, sed pro hac gratia accepimus „ multò maiorem & præstantiorem gratiam, nimirum, „ Christum ipsum, veram iustitiam, accepimus & in „ CHRISTO verum DEI cultum, quia adoramus „ nunc Patrem in Spiritu & veritate; & clamamus Abba Pater, qui cultus Dei longè omnium maximus est, „ & D● gratissimus. Olim dedit Deus maioribus „ nostris regnum terrenum, & victoriam super hostes „ finitimos, idque ex gratiâ, propter Christum. Nunc „ ablata est hæc gratia, quia Romani dominantur in „ terra nostra, & hostes nostri potiuntur victoria, sed „ pro hac gratia, reddidit Dominus nobis in Christo „ multò maiorem gratiam, videlicet, victoriam in mor„ te & inferno, ac regnum ipsum cœleste. Quid hac „ commutatione melius? quid ea fœlicius? Quod „ autem Ioannes de beneficiis olim genti Israeliticæ „ præstitis, & nunc per Christum compensatis, con„ cionatur, hoc idem nobis, qui ex gentibus sumus, „ pro nostra conditione optandum erit. Deus dat nobis gratiam vitæ, opum, dignitatis, & aliorum donorum, siue corporis siue animi, & ea dat nobis propter Christum, vt hunc per fidem cognoscamus, & ei seruiamus, sed paulò post aufert hanc gratiam, & nunc adimit quidem opes, nunc dignitatem, nunc sanitatem, nunc etiam vitam ipsam.]

Hæc dona sunt, & gratiæ, Quæ ille contra eos, qui multo post, dona gratiæ negarunt, vocauit gratiam. Vt crebro mirer esse, qui adhuc negant gratiam in Scriptura accipi pro charisinatis.

VERSVS 17.

Quia lex per Moysen data est gratia & veritas per Iesum Christum facta est.

QVÆSTIO I.

An nulla lex per Christum, nulla gratia per Mosen data?

Lex Mosis est gratia Christi.

§.1. INstitutum Euangelistæ est ostendere; Cur dixerit omnes de eius plenitudine accepisse. neque enim gratia est per Moysen facta, sed Lex data. Alium enim neminem potuit quisquam nominare, cui gratiæ collatio tribui posset. Legis igitur lator est Moses, non autem donator gratiæ, vt Romanor. 5.v. 20. & capit. 7. vers. 7. 2. Corinth. 3. vers. 6. Christus gratiam dedit, quæ ad seruandam legem adiuuat, sed tamen & legem seruari voluit, & violatoribus pœnas imponit; vsque adeò, vt etiam crebro præsentes inferat.

Christus legislator.

§.2. Lutherus, Illyricus, alii, suo more, hinc negant à Christo legem vllam latam. [Refutantur igitur hîc Papistæ, inquit Illyricus, & alii seductores, qui Christum pro legislatore habent, cum ille non nouam legem attulerit, sed veterem implendo iustissimumque Deum Mundi totius Dominum aciudicem placando, nobis ab eo gratiam iustitiam & vitam acquisiuerit.]

At Christum non esse legislatorem ex eo non sequitur, *quia gratia & veritas per eum facta est*, reconciliauit peccatores, Deum placauit, cærimonias sustulit, figuras impleuit: nec sine lege tamen & conditione iustitiæ. Ideo enim nos regenerauit in spem viuam. Ideo de plenitudine eius accepimus, vt gratia vtamur, ideo vnigenitus qui est in sinu Patris enarrauit, quid autem? voluntatem Patris. Caluinus libro tertio, institutio. capite decimo nono. §. 2. Iubet fideles *se supra legem efferre atque erigere*: quod aliud non est, quam contra altissimum impie insurgere, & dæmonis instar exlegem esse velle, cum Christus Matth. capit. septimo, vers. vigesimo primo. neget vllum seruiens *Legi Christi* uari posse nisi qui voluntatem Patris fecerit. Verum *deum be-* non est mirum CHRISTI legem ab ipsis refigi, & *neficia* conculcari, cum legem Dei impossibilem iudicent. In Lucæ cap. 10. vers. 26. *Lex nihil aliud*, inquit Caluinus, *quam damnare potest; quia impossibile est nobis præstare, quod iubet.*

Caluinista Manichæus

Legi Christi tenendam docet Caluinianus

Quæ quidem ratione Tyrannidis Deum non obscure accusat. Consule, quæ in anatomia Caluini part. 3. dilem. 136. dicta sunt. Hactenus quidem Manichæis conueniunt, quod illi auctorem legis malum; hi verò crudelem, ideoque insignirent malum faciunt. Contra eos Ioannes Scharpius Caluinianus in cursu suo Theologico pro veritate, disputat. [Errant ergo Primo Flacciani qui in Euangelio nullum præceptum esse volunt, cum manifestè *iniusta*, præcipia-

præcipiatur, vt credamus & pœnitentiam agamus: "
"hides autem est tantum ex Euangelio, vt & pœniten- "
"tia quæ μετάνοια dicitur, licet μεταμέλεια sit ex lege "
"quæ non est vera pœnitentia, qui Euangelio omnino "
"legm Mosis, imò & ipsas promissiones tolli volunt, "
"idque primò quia tantum ceremonialia Christi ad- "
"uentu tolluntur, & tantum qua figuratè Christum "
"præfigurabant. Hebr. 9. vers. 10. Iohan. 1. vers. 17.

Secundo, Lex moralis tantum tollitur, quoad ma- "
led ctionem. Rom. 8. 1. & obedientiæ rigidam exa- "
ctionem, Rom. 6. 14. 1. Tim. 2. 12.

Tertio, Euangelium legi maximè consentaneum "
est, quia idipsum exigit, quod Lex, nempe vt sobriè, "
piè, & iustè viuamus, Tit. 2. 12.

Quarto, Lex iudicialis adhuc manet, quatenus "
cum naturali conuenit, quia naturalis æterna est. De- "
nique non aliter fimus Christi participes, quam vt "
promissionibus vestitus apprehenditur.] Quæ idcir- "
co Caluiniani hominis verbis retuli, vt lectores vi- "
deant de nimia suorum patriarcharum contumacia "
nonnihil posteros remittere: & quamuis noua error- "
um monstra indies pareant, vetera tamen suorum sci- "
ta sensim deserere. Vide Titulum de Euangelio co- "
lumn. 654.

§. 3. Christus legem igitur tulit, Moses gratiam nullam contulit. Non quod in veteri Testamento non aliqui, & magna quidem gratia fulserunt, sed quod ea non nisi per Christum, non ex Mose, non ex lege. Itaque Deus & legislator est, & quo illa seruari possit donator auxilii. Hinc Mosi sola lex tribuitur, Christo & gratia & veritas vt vni legi duo respondeant. Lex enim præcepta continet, & cærimonias, quas vmbra futurorum comitatur. Præceptorum obligationi auxiliatrice gratia satisfit, figuras veritas implet.

Lex magnum erat toti Reipublicæ & singulis datum beneficium, velut diploma seu Epistola omnipotentis, qua gentem Israelitarum sibi fœderauit. Gratia autem fœderis illius fructus; quia data est ad implendam legem, & hæreditatem adeundam.

§. 4. Hinc etiam Clemens Alexandrinus libro 1. pædag. cap. 7. Legis auctoritatem, & Deum eius auctorem asserit. Moses enim legis & Dei legislatoris administrator fuit. Necinanem cærimoniam, aut spectacula lex continebat, vti ritus gentium, sed Christi & redemptionis illius in ea promissiones monstrabantur. Ideoque his reipsa repræsentatis, abolita lex est. Veritatis enim aduentu imagines euanescere iustum erat.

Ex Clemente sumpsisse videtur: & Theophylactus Deum per *factum esse* auctoritatem ferentis, per *datum* verò ministerium tradentis intelligit.

Et Augustinus contra Faustum Manichæum lib. 15. Imò ipsam legem impletam, vocat gratiam. *Eadem quippe lex quæ per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est: cum accessit literæ Spiritus, vt inciperet impleri iustitia legis, quæ enim impleta, reos etiam præuaricatione faciebat.*

§. 5. Opponitur Christus Mosi, Dominus seruo, Moses fidelis seruus in domo Domini, Christus filius vnigenitus, rem præclare exposuit Cyrillus Alexandrinus in Glaphyrorum lib. 5. de electione Iosue. Ὁ μὲν οὖν σοφὸς Ἰωάννης καὶ τὸ Χριστοῦ μυστήριον καὶ τῆς Μωσέως διακονίας τὸ μέτρον ἀκριβῶς ἐφώνησε λέγων, ὅτι ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη· ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. Ἀλλ' ἵνα μὴ ὁ νόμος ἐπιμιμος εἰς ὀργὴν, ἐπὶ τοῖς ἁμαρτάνουσιν ὀφθῇ ἐλαφρὰ καὶ ἐπιπόνη δίκας ἀπόδοσις καὶ κατηγόρει ἡ φαυλότης· ἐπεὶ ἁμαρτίας πιεῖται κατέρρησιν ἁμαρτία γὰρ φησὶν οὐκ ἐλογεῖτο μὴ ὄντος νόμου. Καὶ πάλιν τὸν ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνω εἰ μὴ διὰ νόμου πλημμελημάτων ἡμᾶς ἀνίησιν ὁ Χριστός. διηκριβωμένως δὲ ἐν τοῖς

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

ἑλληνικοῖς ἀγιάζει οὖν πεπιστευκότας, καὶ τοῖς πάλαι τοῖς πατράσιν ἐπηγγελμένων εἰσομίζει τὸ πρᾶγμα, ὅτι ἦν ἐπ' ἀμφοῖν ἀληθῶς σαφῶς εἰ πάλιν ὁ Παῦλος. ὡδὶ γὰρ γέγραφε· τὸ μὲν γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. γράμμα μὲν δὲ ὀνομάζει τὸν ἐν νόμῳ σκιὰν· πνεῦμα δὲ αὖ· τὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ λατρείαν, φημὶ δὴ τὸν εὐαγγελικόν· ὃν τοῖς ἀνὰ πάσαν τὴν οἰκουμένην κεκηρύχηκεν ὁ Χριστός. ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἦν ἄμεμπτος ἡ πρώτη παῦτη λοιπὸν ἀναγκαίως καὶ ὁ τῆς δευτέρας ἐζητεῖτο τόπος. καὶ τὸν μὲν ἐπαλαίεθεὸς καινὸν ἐπεισαγόμενος. σωτὴρ γὰρ ἡμῶν ὥσπερ Μωσῆς καὶ οὗτος μέσος λοιπὸν γεγονὼς, ἀνέφυ τέρπον τινὰ, καὶ καθηγητὴς ἐφ' ἡμῶν ἀνεδείχθη Χριστός. δι' οὗ καὶ ἐν ᾧ, καὶ εἰς τὴν τῶν ἐργῶν βασιλείαν εἰσκεκομισμένοι τὴν τοῖς ἀπεργάντοις αἰῶσι σωτηρίαν ἐχόμεν δικαιοσύνην ἀπολαμβάνομεθα, τὴν δικαιοσύνην καὶ ὁσίαν· καὶ πάσης αἰτίας ἀπηλλαγμένην. Μαθόντες ζωὴν, id est, Cum sapiens ille Ioannes optimè intelligeret & Christi mysterium, & Mosaici ministerii mensuram, exclamauit, dicens: Lex per Mosen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta sunt. Verum enimuerò lex quidem erat prompta ad iram, & de transgressoribus ilico graues pœnas sumebat, continuoque accusabat de malitia, & peccati damnationem inducebat. Peccatum enim, non imputatur cùm lex non est. Et rursus: Peccatum non cognoui, nisi per legem. Christus autem contra peccata nobis remittit. Iustificat enim in gratia, & sanctificat eos, qui crediderunt quæque Patribus olim promissa sunt, ad finem perduxit. Quod autem hæc de vtroque vera sint, declarabit nobis rursus sanctus Paulus qui ita scripsit: Littera occidit, Spiritus autem viuificat. Nam litteram vocat vmbram legis, quemadmodum Spiritum vocat cultum in Spiritu & veritate, hoc est; Euangelicum, quem per totum orbem prædicauit CHRISTVS. Cum enim primus non esset omninò irreprehensibilis, necessariò deinceps huic secundo quæsitus est locus, atque hunc quidem antiquauit DEVS, nouum pollicitus. Mosi igitur quasi remoto & è medio sublato, exortus est quodammodo ac dux noster declaratus CHRISTVS, per quem & in quo translati in regnum cœlorum, sempiternam felicitatem consequamur, synceram & sanctam, omnique culpa vacuam degentes vitam.

Distinctio gratiæ, & legis.

§. 6. Gratia CHRISTI est, Lex Mosis, gratia lex seruatur per legem sine gratia peccatum augetur. Christus autem gratiam fecit, dum iudicium Dei in se transtulit, & in corpore suo expiauit peccatum nostrum: vt docet Athanasius libro 3. contra Arianos. *Tum enim veluti obnoxius iudicabatur mundus à lege: nunc autem verbum iudicio in se translato, & corpore pro nobis excruciato, salutem omnibus comparauit. Id respiciens exclamauit Ioannes, Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum obuenit. Melior porro gratia, quam Lex: & veritas præstantior quam vmbra. Illa autem melioritas, non poterat per alium nisi per filium, qui sedet ad dextram Patris effici. Quid autem id significat, nisi germanitatem Filij: ac Deitatem Patris, eandem quoque esse Deitatem Filij: Filius enim in regno Patris regnans in eodem solio cum Patre consideret: & quia Deitate Patris æstimatur & expenditur, ideò verbum Deus habetur: & qui vidit filium, vidit Patrem, vt qui vnus idemque sit Deus.*

Gratiâ lex seruatur.

Quomodo verò seruetur explicat Augustinus contra Faustum libro decimo quinto, capite octauo. *Eadem quippe Lex, quæ per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est: cum accessit literæ Spiritus, vt inciperet impleri iustitia Legis, quæ non impleta, reos etiam præuaricatione faciebat.*

Lex impleta est, cum accessit literæ Spiritus.

Ita Augustinus quoque vnius legis duplici parti opponit duo, libro decimo nono, contra Faustum capite decimo octauo. *Hæc præcepta sunt morum, illa Sacramenta sunt promissorum: hæc implentur per adiuuantem*

Gratiam, illa per redditam veritatem: vtraque per Christum & illam semper gratiam donantem, nunc etiam reuelantem, & hanc veritatem tunc promittentem, nunc exhibentem: quia Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Denique ista, quæ in rectè viuente conscientia conseruantur, fide per dilectionem operante complentur: illa verò quæ in promittente significatione versata sunt, rebus redditis transierunt. Ita & ipsa non soluta, sed impleta sunt, quia ea non irrita, nec fallacia Christus ostendit, cum id, quod eorum significatione promittebatur, exhibuit.

Veritas porrò dicitur, quia omnes promissiones in Christo sunt impletæ, vt Augustinus libro vigesimo secundo, contra Faustum cap. 6. Factam veritatem & gratiam. Clemens Alexand. Pædag. lib. 1. cap. 7. arbitratur, quod Moyses non sit legislator, seu conditor, sed minister, Christus verò gratiæ auctor. Verum non auctor modo & factor secundum diuinitatem, sed redemptor, reconciliator, qui remissionem peccatorum, gratiamq; meritus est.

§. 7. Magnopere hic consideranda est Caluini interpretatio, cuius verba ponam. [Veritas, *inquit*, pro firma & solida rerum stabilitate capitur: Per nomen gratiæ spirituale eorum complementum intelligo, quorum nuda litera in lege continebatur. Ac possunt duæ istę voces per hypallagen eodem referri: ac si dixisset, gratiam, qua constat legis veritas in Christo, demum exhibitam fuisse. Verum quia idem manebit sensus, connectasne an distinguas, parum interest. Hoc quidem certum est, Euangelistam velle in Lege adumbratam duntaxat fuisse spiritualium bonorum imaginem, in Christo verò solidè præstari: vndè sequitur, si Legem à Christo separes, nihil illic restare præter inanes figuras. Qua ratione dicit Paulus ad Colosſ. illic esse vmbras, in Christo corpus. Neque tamen imaginandum est quicquam fallaciter in Lege fuisse ostensum: Christus enim anima est quæ viuificat, quod alioqui esset in Lege mortuum. Sed hic aliud agitur, quid scilicet Lex per se & absque Christo valeat. Negat autem Euangelista quicquam in ea solidũ inueniri, donec ad Christum ventum fuerit. Porrò veritas hæc in eo consistit quod per Christum obtinemus gratiam, quam Lex minimè potuit conferre. Itaque gratiæ nomen generaliter accipio tam pro gratuita peccatorum remissione quam pro renouatione cordis. Nam cum hic discrimen veteris & noui Testamenti breuiter notet Euangelista (quod fusius describitur à Ier.) quicquid ad spiritualem iustitiam spectat, hoc verbo complectitur. Eius autem duæ sunt partes, quod gratis se nobis Deus reconciliat, peccata non imputando: & quod Legem suam cordibus insculpit, ac intus per Spiritum suum in illius obedientiam homines reformat: vndè apparet Legem perperam ac falsò exponi, si quos in se retineat, vel impediat, quominus ad Christum accedant.]

Ex quibus multa Caluinianorum refutare procliuè fuerit. Primò gratiam non esse solum intrinsecum fauorem. Nam est etiam veritas, & rerum stabilitas. Deinde spirituale complementum, quod de solo fauore non dicitur, esse id quod in Christo præstatur. denique esse renouationem, at Pareus aliique contendunt gratiam non vocati dona, seu Charismata, expressè contradicente Caluino.

§. 8. Veteres Lutherani, cum mendaciis hæresim suam ornarunt initio, ex eo quod gratia per Christum data sit concludebant, nec intercessionem sanctorum, nec operum vlla merita esse. Brentius homil. decimâ tertiâ. [Hypocritæ autem & monachi faciunt ex Christo Deum ipsum inaccessum, ex Maria autem virgine, ex sanctis demortuis, & ex bonis suis operibus, faciunt Christos, hoc est, tales, per quos liceat accedere ad sæuum illum, quem fingunt & truculentum Christum, prius nobis inaccessum. Sentiunt enim se vel sanctorum vel suorum operum meritis impetrare à Deo remissionem peccatorum & vitam sempiternam. Hæc est magna impietas, quæ & manifestè hic refutatur.]

Intercessio sanctorum.

Est profectò magna impietas non tamen Catholicorum, sed impostoris nobis illam affingentis. Nemo Catholicus Christum inaccessum imaginatur & sæuum. In singulos dies canimus aut legimus Psalm. 94. vers. 1. *Venite, exultemus Domino: iubilemus Deo salutari nostro. Præoccupemus faciem eius in confessione: & in Psalmis iubilemus ei. Et vers. 2. quoniam non repellet. & v. 3. Venite adoremus, & procidamus.*

Accedimus igitur ad Christum aliquando associati sanctorum intercessionibus, quos non facimus Christos, sed Christi adoratores; hoc enim petimus, vt pro nobis ipsi orent.

Iam verò neminem vel suis, vel alienis meritis posse impetrare remissionem peccatorum omnium concors est sententia. vt certissimum sit deploratæ esse imperitiæ vel nequitiæ hæresin tam manifestis calumniis tueri.

VERSVS 18.

Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

QVÆSTIO I.

Quomodo Deum nemo vnquam viderit?

Christus de Deo cælo egressus tractat.

§. 1. QVo illa pertineant, non est obscurum. Cum enim de mysteriis altissimis, & ab humano sensu atque intelligentia remotissimis, quasi ipse de cœlo egressus tractat, ne præsumptione aliqua, *sed* id agere videatur, originem & fontem doctrinæ suæ in Christum reducit. Ego enim, inquit, ista non vidi, non eram in principio, non vidi Verbum apud Deum, nemo enim Deum vidit vnquam, sed vnigenitus nobis enarrauit. Non itaque causam reddit, cur gratia & veritas per Mosen facta non sit; sed obiectioni occurrit eorum, qui interrogare poterant; quam pridem è diuino consilio rediisset, & quo die arcana ille conspexisset. Syrus interpres suo loquendi modo vtitur: אלהא לא חזא אנש מן מיתוהי *Alaha la chaza enoſch men metum. Deum non vidit homo ab vnquam.*

Deum nemo vnquam vidit.

Proprium vero est eorum, qui iam Deo fruuntur, Deum videre. Sic Irenæus libro quarto, capite trigesimo sexto. ὥσπερ οἱ βλέποντες τὸ φῶς, ἐντὸς εἰσὶ τοῦ φωτὸς, καὶ τῆς λαμπρότητος αὐτοῦ μετέχουσιν: οὕτω καὶ οἱ βλέποντες τὸν θεὸν ἐντὸς γίνονται τοῦ θεοῦ, μετέχοντες αὐτοῦ τῆς λαμπρότητος. ζωὴς ἐστὶν οἱ ὁρῶντες θεόν. *Quemadmodum enim videntes lumen intra lumen sunt, & claritatem eius [percipiunt:] sic & qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes eius claritatem.*

Deum videre.

Armenorum erroribus obsistit.

§. 2. Non fauere hunc locum Armenorum erroribus docet Armacanus libro decimo quarto. decoguntur rum erroribus. Eundem tamen renouauit Almericus, vt constat ex Prateolo, & Turre cremata libro quarto, de Ecclesiastic. capite trigesimo quinto. Contra eos Catholica definit Ecclesia veritatem;

Bene-

Benedict. 11. in Extrauag. *Benedictus.* Vide Maiorem 4. quæstio. vltim. Gabriel. distinct. 49. quæstio. 2. art. 3. dub. 3. Idem definitum est in Concilio Florent. vt est in literis vnionis Græcorum & Latinorum. Vide Epiphan. hæres. 70. Martial. Epistol. ad Tolos. capit. 37.

§. 3. Nemo hominum aut Angelorum Deum vidit, vt eius immensam essentiam comprehenderet, vt Chrysostomus homil. 3. Euthymius, Theophylactus interpretantur. Quo sensu verba accipienda sunt, quasi dicat, *Nemo Deum vnquam videre potest*, hoc est, vt Theologi dicunt, comprehendere. De comprehensione illa Euangelistam loqui non arbitror; non enim ad docendum necessaria est. Hoc enim agitur, vt demonstret, non esse hominem, qui illa mysteria, voluntatemque Dei, & Oeconomiam cognorit, sicut filius, qui est in sinu Patris, à quo omnia accepta sunt, ad quem omnia referenda. Quomodo simplicissimæ naturæ Deus clarè videri possit, nec tamen comprehendi, docent Scholastici. pag. 1. quæstio. 12. Fides autem nos docet esse Deum incomprehensibilem. ita habet Concil. Lateran. cap. Firmiter. Theophylactus Antioh. ad antolyc. Tertull. in apol. cap. 17. Minutius Felix in Octauio. Theodor. lib. 4. hæret. fab. Alii, qui contra Anomæos scripserunt.

§. 4. Nec Moses, nec alii Deum propriè, eiusque essentiam viderunt, sed vel per Angelum, vel in aliqua similitudine loquentem audierunt, aut aspexerunt, qua de re alio loco egi. Id certè vel in Mose ipso constat, cui dicitur Exod. trigesimo tertio. *Non videbit me homo & viuet.* Hoc est, quoad vixerit, me videre non poterit. Non quod moriendum ei statim esset, si quis eum vidisset, vt nonnulli putabant. Iudic. decimo tertio. Mosi Numer. duodecimo: facie ad faciem locutus est, hoc est, reuelatione exactissima, præsentia & familiaritate summa, non tamen clarè demonstrata essentia sua. Vide Augustinus lib. 2. & 3. de Trinit. Ep. 111. & tract. de videndo Deo, quæ est Epistol. 119. ad Paulinam. Ea enim causa ista dici non ambigo, vt Mosis auctoritas infrà Christi maiestatem esse demonstretur. Locutus est Deus Mosi στόμα κατὰ στόμα, vt Septuaginta interpretantur, seu vt Chald. verbum ad verbum: quod fieri solet etiam inter homines, qui sibi mutuo loquuntur, non visa essentia. Quis enim animam amici, ad quam verba dirigit, intuetur? Verum hac de re videatur Dionys. Areopag. Irenæus, Molina noster. in 1. pag. quæstio. 12. articul. vndecimo. Vasquez. disp. 55. art. 1. cæterique Scholastici.

Adeò verò Deum videri non posse Iudæi existimabant, vt Isaiæ causa mortis fuerit, quod vidisse se Deum dixerit. cap. 6. Hilarius lib. 5. de Trinitat. *Loquitur*, inquit, *Isaias: præter hunc se nemihem Deum vidisse. Vidit enim gloriam Dei, cuius præuncciauerat mysterium incorporationis ex virgine. Hoc si tu hæretice ignoras quod in gloria vnigenitum Deum viderit, audi Ioannem Euangelistam dicentem: Hæc autem dixit Esaias quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Hinc Apostolicis, hinc Euangelicis, hinc Propheticis dictis impie hæreticè concluderis. Esaias enim Deum vidit, & cum scriptum sit, Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarrauit: Deum tamen Propheta vidit, & gloriam eius vsque ad inuisiam Propheticæ dignitatis aspexit. Nam in iudicium mortis ob hanc causam à Iudæis actus est. DEVM itaque nemini visum, vnigenitus filius qui in sinu Patris est, enarrauit.*

§. 5. Clarum, præsentem, & intuitiuam visionem Euangelista negat hominibus adhuc in hoc æuo degentibus, non autem beatis. Hoc enim ad eius institutum satis erat, vt quærentibus, vnde illi Patris & Filii tanta cognitio, responderet. Sibi Deum non esse clare visum, non se raptum in cœlum: Cum nemo hominum viderit, sed à Christo didicisse; de sacro pectoris dominici fonte hausisse. Hinc non repugnat Euangelista Isaiæ, qui corporali modo Deum vidit.

§. 6. Socinus sola enarratione, seu annunciatione nos à Christo seruatos impiè docuit: Prophetas negat Christum annunciasse, quia prædixerunt venturum.

Respondi. De Prophetis quidem errorem ex ipsis confutari Isa. cap. 52. vers. 7. Ierem. 42. vers. 52. Ezech. 3. 21. vers. 40. 10. At non seruari nos ostensione iustitiæ totum Scripturæ corpus nos edocet. Frustra enim Christus mortuus est, si non sanguine sed doctrina saluamur sola. Vide Matthæi 26. 28. & 20. 28. Romanor. 5. 8. & 10. Hebr. 9. 26. & Galat. 3. 13. Filius verò non modo omnia enarrat, sed omnia disponit. Irenæus lib. 4. cap. 37. *Enarrat ergo*, ait, *Filius ab initio Patris, quippe qui ab initio est cum Patre, qui & visiones Prophetarum, & diuisiones charismatum, & ministeria sua, & Patris glorificationem consequenter & composite ostenderit humano generi, apto tempore ad vtilitatem. Vbi est enim consequentia, illic & constantia. & vbi est constantia, illic & pro tempore. & vbi pro tempore, illic & vtilitas, & propterea verbum dispensator paternæ gratiæ factus est ad vtilitatem hominum, propter quos fecit tantas dispositiones, hominibus quidem ostendens Deum, Deum autem exhibens hominem, & inuisibilitatem quidem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei, & vt semper haberet ad quod proficeret.*

Quomodo vero omnia cauillarentur, colligimus ex Epiphanio lib. 3. cap. 1. *Nos autem*, ait, *verè Deum verum scimus, & esse verè in substantia regem incomprehensibilem, creatorem vniuersorum vnum Deum: & ex ipso vnigenitum Deum, in nulla re differentem à Patre, & sanctum ipsius Spiritum, nihil à Patre & Filio euariantem. Quemadmodum etiam in omni hæresi de fide in Deum, per longum verba fecimus. Et quod quidem visus est Deus hominibus, sæpe diximus, & non negamus. Si enim negauerimus diuinas Scripturas, veri non sumus, & à veritate excidere comperimur. Aut si vetus Testamentum reijcimus, non amplius sumus Catholicæ Ecclesiæ. At Euangelium dicit, Deum nemo vnquam vidit, vnigenitus filius ipse exposuit. Et rursus eadem diuina Scriptura dicit, visus est Deus ipsi Abraham cum esset in Mesopotamia, & ipse Dominus in Euangelio ait, Angeli ipsorum vident faciem Patris mei, qui est in cœlo. At omninò dixerit aliquis diuinam Scripturam dixisse, Prophetas vidisse Deum in mente, ex hoc dicto: Angeli eorum vident faciem Patris mei, qui est in cœlo: & rursus ex hoc; Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Qui verò hoc dixerit, & in cogitatione sua dictiones ipsas copulauerit, is vtiq; dicere poterit, quod vnusquisque in mente Deum videt, & non oculis. Verum huic resistit diuina Scriptura dicens per Esaiam Prophetam; Miser ego quoniam compunctus sum, quoniam homo immunda labia habens, in populo immunda labia habente habito, & Dominum Sabaoth vidi oculis meis, & non dixit mente, neq; in cogitatione, sed oculis, veritatem ac firmitatem fidei corroborans. Quid igitur dicimus, cùm Euangelium dicat, Deum neminem vnquam vidisse: Propheta verò & Apostoli, atque ipse adeo Dominus id asserunt? Nunquid oppositum est quid in diuina Scriptura sibi ipsi? absit. Sed videbant Prophetæ & Apostoli, & verum est, videbant autem prout poterant ipsi, & sicut licebat, & visus est ipsis sicut voluit. Omnia enim ipsi possibilia sunt. Et quod quidem inuisibilis est Deus, & incomprehensibilis, hoc manifestum est, & confessum. At rursus potens est facere quod vult. Neque enim quisquam opponit se ipsius voluntati: Non enim passionis affectu tenetur Deus, vt quod vult, non faciat, aut faciat, quod non vult, potens enim est facere quod vult, sed facit quæ decent ipsius*

Epiphanij confessio.

Deus visus.

Deus quomodo visus?

ipsius Deitatem. Nihil est omnino, quod voluntati ipsius resistat, vt non posit facere quod vult, velut decet ipsius Deitatem. Et impossibile est videre Deum humanam naturam. Et non datur vt visibile videat inuisibile. At inuisibilis Deus in benignitate suâ ac potentiâ, potens fecit, quod impotens erat, & dignatus est suâ potentiâ, vt inuisibile videret. Et quod vidit inuisibile & infinitum, non velut habet infinitum vidit, sed velut natura comprehendere potest potens effecta, vt quod impotens esset, ad potens se extenderet. Et nihil discors est in diuinâ Scripturâ, neque opposita dictio aduersus dictionem reperietur. Est autem ita, velut sæpè rei huius exemplum narraui, nimirum, sicut si quis per tenuissimum foramen cœlum conspicaretur, & diceret; Video Cœlum, & sanè non mentitur talis, videt enim cœlum reuerà. Dicit autem ad ipsum aliquis; Non vidisti cœlum; & sane neg, hic mentitur. Qui enim dicit, se vidisse, non mentitur: & qui dixit ad ipsum quod non viderit, idem vere dicit. Neque enim vidit extensionem, neque latitudinem. Et qui quidem vidit, verum dixit. Qui vero contradixit, non vidisse, non mentitus est, sed ipse verum dixit. Sæpè enim & in summitate montis stantes videmus ipsum mare, & si dicamus vidisse nos mare, non mentimur. Si verò quis contradicat, ac dicat, non vidisti, & ipse non mentitur.

QVÆSTIO II.

Quid sit esse in sinu Patris?

In sinu Patris est, qui consubstantialis.

§. 1. AVgustinus libro 4. de vnita ac sempiterna subst. Trinit. his verbis vrget Polentinum Vrbicum, qui Spiritum sanctum negabat Patrem, quia Pater est ex quo omnia. Negabat & filium esse, quia vnigenitus est CHRISTVS, inde concludebat esse creaturam.

Respondet; Paracletum non esse Filium, quia eum Ioannes dixit Vnigenitum. Esset men Deum, sed aliam personam, Deum autem esse probat ex Scripturis. Hæresin autem tum fuisse nouellam docet, titulus libro quarto Athanasii præscriptus.

§. 2. Esse in sinu Patris, est Patri esse intimum, ac coniunctissimum, ac planè consubstantialem. Ita Augustinus tractat. 3. in Iohan. Cyrillus libro primo, cap. quinto, vers. vigesimo secundo. Victorinus libro primo. contra Arium. Idem est esse apud Patrem esse in Patre. ὁ ὤν, qui est, non enim vllo vnquam tempore à Patre recessit, non effectu, & assumptione humanæ naturæ.

Cyrillus libro primo, in Ioannem, in sinu Patris, in ipso Deo. Augustinus Tractatu 3. *Quid est*, inquit, *in sinu Patris? In secreto Patris. Non enim Deus habet sinum, sicut nos habemus in vestibus, aut cogitandus est sic sedere, quomodo nos, aut forte cinctus est, vt sinum haberet: sed quia sinus noster intus est. secretum Patris sinus Patris vocatur. In secreto Patris, qui Patrem nouit, ipse narrauit.*

Summorum secretorum esse participem filium hoc modo ostendit. Sic Cicero ad Quintum Frat. Mihi crede in sinu est, nec d fingor. Hoc est, secretum non efferam. Syrus paulo aliter vertit: Vnigenitus Deus ille qui est in sinu Patris sui.

יחידיא אלהא הו דאיתוהי בעבא דאבוהי

§. 3. Ariani ex eo concludebant, CHRISTVM alterius esse naturæ, quam sit Pater. Lazarus enim sinu Abrahæ erat, non Abraham ipse, amoris ergo, non coniunctionem naturarum esse contendebant. Extra nos enim esse, quæ sunt in sinu nostro.

Distinctio personarū.

Respondeo. Alterum perspicuè hinc colligi, personarum scilicet distinctionem. Alterum verò cum aliis locis collatione, naturæ vnitatem. Si enim reuera est in sinu Patris, alius est à Patre, neque enim quisquam suo in sinu, aut gestari in suo sinu dicitur. Atque id contra eos, qui diuersitatem personarum infiantiantur clarum est. Alterum ex aliis locis colligitur, quibus dicit, Patrem in Filio esse, Filium in Patre. Augustin. lib. de fide & Symbolo vtrumque complexus est. cap. 4.

Vna persona plus aliis non cognoscit.

Nazianzenus coniunctionem seu vnitatem naturæ pulchrè exponit. Sermon. de sacro baptisma φήσω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τελειοτέροις προσλάμπομαι. ὁ φήσω τὸ θεῖον διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι, *id est*: Non valeo adeò celeriter vnum cognoscere, quin trium luce circumfundar; Non valeo adeò citò tria distinguere, quin ad vnum referar. Quia sine aliis, vna persona non potest intelligi, eiusdem cum aliis substantiæ existens. Filius autem non tum primum receptus est in sinum Patris, cum nobis illa enarrauit, sed ab æterno fuit in sinu Patris. Nec Patres antiqui cognitione illâ destituti fuerunt, sed sub vmbris obscurius intellexerunt, locutus est illis in Prophetis, sed clarius in Filio.

Non est negandum arctissimum etiam amoris vinculum significari inter personas, sed hîc præcipuè de veritate agitur naturæ. Quomodo autem hic situs alludio ad decubitum conuiuarum, vide Delrio in cap. 3. v. 6. Deuteron.

QVÆSTIO III.

Vnde cognitio SS. Trinitatis?

Vnigenitus.

§. 1. VNigenitus inquit Filius, ipse enarrauit. Pleonasmo emphatico nominat, & filium, & vnigenitum, vt ostendat, nec esse adoptatum, nec fratrum consortio minoris æstimandum. Cum enim vnigenitus sit, totam Patris scientiam, omniaque possidet. Hinc factum vt ipse dicatur: ἐξηγήσασθαι exposuisse, nemo enim aut vidit, sicut ipse, aut ita exposuit. Omnes sub vmbrâ fuerunt. Deum poni sine articulo notauit Erasmus, quod hoc loco τὸ θεῖον, seu Deitatem significaret, quod verum est, sed hic ita accipitur deitas, vt omnia complectatur, personas, essentiam, hanc nulli visam constat, ideo nec Trinitatem.

Filius igitur, ille, ἐκεῖνος, ille scilicet, qui vidit, comprehendit que omnia, ille annunciauit. Quod si ille solus omnia intuitus est, nobisque præstantissimam diuinorum cognitionem attulit, consectarium est, vt omnia cætera etiam esse ab ipso & emanare credamus. Cognitio enim DEI vera & certa, introductio est in veram vitam ac Beatam.

Aliud dicitur ἐξηγήσασθαι.

Non est admittenda illa lectio, quæ habet: ἐκεῖνον ἐξηγήσατο, *illum enarrauit*; etsi enim Filius Patrem annuntiauit, hic tamen omnia exemplaria aliter habent, & Patrum commentarii.

ἐξήγησις.

Hoc potius notandū, ἐξήγησιν rerum esse occultarum, & magnarum, adduntalii, vt Sophoclis interpres, ἐξηγήσεως esse vulgarium, quod non esse perpetuum tota Græcia satis docet. Nam apud Apostolos Hebr. cap. quinto. est λόγος δυσμήνυτος, *difficilis ad interpretandum.* Et interpretes, erant non modo vulgaribus in rebus, sed maximi etiam difficillimisque. Vnde illud magnificum, *Interpres Diuum.* ex Xenoph. lib. 1. Pœdag. ὅπως μὴ δι' ἄλλων ἐρμηνέων τὰς τῶν θεῶν συμβολὰς σύνιμεν. *Ne per alios interpretes DEORVM consilia cognoscas.* ἐξήγησιν quidem pertinet ad religionem interpretationum & legum. Demosthen. περὶ παραπρεσβείας. Xenoph. pæd. 7. Plato de legibus. Pausan.

Pausan. Alij. Sed ad communia aliquando accommodatur.

§. 2. Ridicule faciunt, qui ex his verbis, *Filius qui est in sinu patris*, Vbiquitatem, seu Immensitatem corporis Dominici colligunt, quod nunc pudore faciunt timidius, olim multi fecerunt, adeo, vt etiam Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. §. 30. ea causa rideat. Quamuis enim sinus patris sit vbique, immensus, infinitus, sitque in Deo Dei filius, immensus, infinitus, non tamen secundum omne id, quod habet, etiam est vbique. Nam filius secundum humanitatem est comprehensibilis & visibilis, vt est apud Iren. lib. 3. cap. 11. *Et gratiam*, ait, *potus, in nouissimis temporibus per filium suum donat humano generi, incomprehensibilis per comprehensibilem, & inuisibilis per visibilem; cum extra eum non sit, sed in sinu patris existat. Deum enim, inquit, nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius Dei, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Patrem enim inuisibilem existentem, ille qui in sinu eius est, filius, omnibus enarrat. Propter hoc cognoscunt eum hi quibus reuelauerit filius, & iterum pater per filium, filij sui dat agnitionem, his qui diligunt eum.*

VERSVS 19.

Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad eum vt interrogarent eum: Tu quis es?

QVÆSTIO I.

Quale est testimonium Ioannis?

§. 1. DE teste iam ante dixerat, nunc testimonij ordinem, & rationem exequitur. Præsides religionis, & pontifices publicam legationem adornant, & interrogant, quisnam sit, putabat enim populus Christum esse. Cognorant etiam hebdomadas Danielis finem accipere, iam translatum sceptrum, antecesserant miracula & prædictiones, infanticidia, aliaque. Honestissimam fuisse legationem missis sacerdotibus & Leuitis, res ipsa docet; dubitabant enim an Christus esset. Non credidisse tamen illi testatur Christus ipse. Itaque ne sincere quidem misisse videntur, si principes spectes, sed vt populo satisfacerent.

§. 2. Quod Vocem se dicit, pleriq; ad Ioannis modestiam referunt, qui tam magna de illo opinantibus, se vocem clamantis esse dicat. Nec ego dubito animo demisso & humili ista professum esse. Sed tamen testimonij sui auctoritatem voluisse hac professione astruere, certissimum est. Testimonium enim Isa. 40. 3. profert ipse in deserto, atque eadem ratione, & se præcursorem, & iam aduenientem Messiam declarat. Simul prudentissime & efficacissime eos horratur, vt Messiæ iam aduenienti viam præparent.

§. 3. Ille confessus est, & non negauit, hoc liberè ac publice, sollemni protestatione, non esse se Christum. Id enim præcipue quæri sciebat, etsi illi tantum quærerent: Tu quis es? Compendio Euangelistæ res narare solent, alioqui pluribus verbis legatos egisse, salutasse, documenta, quibus legationis fidem facerent, exhibuisse; constat Ioannem quoque plura de Christo annunciasse, cur enim cum omnes baptizaret, cum Pharisæi etiam & Scribæ venirent, non hos etiam instrueret, legatos præsertim, & publice venientes?

QVÆSTIO II.

Cur se negat Prophetam?

§. 1. CHristus pluspuam Prophetam appellat? Zacharias nominat Prophetam altissimi. Ipse se Prophetam negat. Varie respondent. Veriissima videtur illa, qua dicitur interrogatus, an ipse esset magnus ille propheta, quem Moses promiserat. Nam reuera sic interrogant. ὁ προφήτης εἶ σύ; *Tun es ille propheta?* multi in hac sententia sunt. Nec aliud obstat, quam prima responsio. Etenim iam se Christum esse negarat. Ille autem Propheta Christus erat. *Messiam iterum se negat.*

Cui obiectioni respondeo. Iudæos captiose interrogasse. Cum enim ὀνόματος & præcise viderent, titulum Messiæ Ioannem non admittere, alio modo eum eo reducere moliuntur. Quærunt enim an sit magnus ille propheta, quem audiendum esse Moses prædixerat. Cum tantam hominum multitudinem traheret, cum baptizaret, quorum neutrum prophetæ minores præstiterunt. Fieri potuit, vt vel ipsi dubitarent, an Moses de Messia locutus esset, vel arbitrarentur Ioannem id latere, itaque alio modo eandem iterant quæstionem. Erant adhuc, aut proxime fuerant prophetæ & prophetiæ, Simeon, Zacharias, Anna, Elisabeth, at tale, quale Baptista, nihil instituerant agere. De singulari igitur propheta interrogant, cui peculiaris esset in regno potestas. Cur igitur aliis verbis eandem quæstionem iterauerint causam existimo; quod Ioannem Messiæ, seu Christi nomen velut regis vncti non admittere viderent, tum quod nondum rex esset, nondum vnctus, tum quod Romanos eum timere suspicarentur, ideo quærunt, an sit ille propheta, magnus scilicet, quod nomen non tam inuisum erat regnantibus, quam Christi.

QVÆSTIO III.

Cur quærunt an sit Elias?

§. 1. REgum lib. 4. cap. 2. vers. 11. Elias igneo curru in cœlum ascendit, eum rediturum constans erat Iudæorum sententia. Ideo hoc ipsum quærunt, Spiritus enim & virtus, virum simile m Eliæ exhibebant: nec tantam abstinentiam in homine æui sui esse posse credebant, Eliam coruus pauerat, deinde dies quadraginta ieiunarat. Hinc facilis erat de Elia suspicio.

Ioannes negat se Eliam, nempe in persona, Christus asserit, esse Eliam, scilicet officio, qua de re vide quæ in Matth. & Luc. dicta sunt. *Cur Eliam putarint?*

VERSVS 28.

Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizans.

QVÆSTIO I.

Vbi Ioannes baptizauit?

§. 1. IN re nec difficili, nec summi momenti, grauiter concertant doctissimi Interpretes; sed & exemplaria Latina & Syra omnia habent *Bethania*, multa Græca *Bethabara*. Si *Bethania* legendum est, alia ad Iordanem ponenda est, præter eam quæ Ierosolymis vicina est: quod vt fieri potest, ita auctorem non habent, qui sic sentiunt. Alij Bartaneã lege e malunt. *Bethaniã & Bethabera.*

Trans Iordanem alij censent esse eam partem, quæ ex Ægypto venientibus erat trans Iordanem, adeoque terram, in qua Ierosolyma; Alij obiectam ripam Iudææ contrariam.

Veteribus codicibus res decidenda.

Mihi codicum veterum fides potius videtur, quos consensu habere Bethaniam fatentur illi, qui nouam lectionem sequuntur. Nec aliud mouet, quam quod duæ Bethaniæ concedendæ essent, quod cum in pluribus contingat, non video cur hoc loco timeamus: Præsertim cum illi, qui aliter sentiunt, Bethabaram pro Bethania sine auctore ponant.

VERSVS 29.

Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

QVÆSTIO I.

Cur agnum Dei vocet tollentem peccata mundi?

Testimonium Christo sæpius dedit Ioannes.

§. 1. ALtera iam die postquam legatio Iudæorum audita & remissa est, vidit Ioannes Iesum venientem, & cœlesti eum præconio decorauit & dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quod testimonium Ioannes Christo sæpius dedit; Nam etiam ante baptismum sic Christum appellauit Matth. 3 16. & hic vers. 36. eodem plane modo. Hic autem dies non est quo baptizatus est Dominus, vt Origen. & Optatus Mileuitanus lib. 4. contra Parm. existimauit, neque etiam ille, quo ex deserto redijt; Nam quarto post die nuptijs interest, in Galilæa, idque cum discipulis suis, quos ex deserto regressus, non simul, sed aliquo interuallo collegit.

§. 2. Agnus autem Dei, non hominum, agnus immaculatus, cuius typus ille erat, de quo Moyses Numer. 28. versic. 3. *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis, Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: vnum offeretis manè, & alterum ad vesperum.* Exodi 12. 3. & 29. 39. Iuge sacrificium mane & vespere offerri solitum, cuius sanguis emundare à peccatis non poterat, agnum illum figurabat, agnum Dei, agnum cœlestem, adeoque Deum, agnum offerendum Deo, ad consummationem sanctorum. Agnum Ioannes inter Euangelistas Christum solus appellat; raro sic vocatur ab alijs Apostolis, Petrus 1. Epist. 1. 19. precioso sanguine quasi agni immaculati nos redemptos ait. In Apocalypsi Euangelistæ sub figura agni sæpius apparet: agnus enim est qui sigillum aperit, qui impijs irascitur, cuius nuptiæ venerunt. Quod si philosophari lubeat, plurima quæ agno pariter & Christo conueniant colligere proclive fuerit. Et passim in homilijs egregiæ exstant comparationes. Mihi dubium non est, mansuetudinis & tantæ patientiæ virtutem in Christo præcipue spectari à Propheta Isaia, & Baptista. Fuit olim Fabius ille, qui Romanam cunctando restituit rem ex modestia, facilitate, & miti ingenio dictus ouicula, vt in eius vita Plutarchus. Iunium Syllanum Caligula pecudem auream appellabat, Dio lib. 56. virtutem enim & grauitatem homo nequissimus exprobrabat. Alioqui etiam stolidi προβάτα dicuntur, quia scilicet homines simplices, ac innocentes pro fatuis habentur. Diogenes diuitem indoctum vocabat χρυσόμαλλον, quod est *aurei velleris*, alij legunt χρυσόμηλον, *auream ouem*, quæ omnia in Christum iactata sunt, & Christianos, quos tanquam oues misit in medio luporum, quos tanquam oues ad dexteram constituet.

Christo & agno multa similia.

Agnus mansuetudinis symbolum.

§. 3. Agnum Dei vocat Christum, quia sic Isaiæ 53. 7. nominatur, *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et Ierem. vers. 19. *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

Hic igitur etiam prophetiæ insistit, & quem prophetam agnum promisit, ipse manu ostendit, vt habet Nonnus Christianus Poeta. Vide Cyprianum Testim. lib. 2. ad Quirinum cap. 15. Quod ipse sit dictus ouis, & agnus, qui occidi haberet: atque hoc est quod aiunt articulum O non modo Emphaseos, sed etiam relationis vim habere, perinde enim est ac si dicat hunc esse agnum à Prophetis prædictum. Sic Athanasius orat. contra omnes hæreses. *Cum aduenisset ad nos iste ita pronunciatus, eumque ad se accedere conspexisset Baptista Ioannes, adimplens quod prædictum fuit ab Esaia propheta, in hæc verba erupit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: vides confirmari Propheticam vocem à Baptista.* *Christum ostendit.*

Adeo vero vsitatum fuit oues, aut agnos offerre, *Agnis ipsis* vt nulla apud gentes crebrior hostia. Virg. lib. 5. *offerimus tempestatibus agnus.* Et apud Aristophanem in Ranis. *quemus.*

Ἀρν' ἄρνα μέλαινα παῖδες ἐξενέγκατε
Τυφὼς γὰρ ἐκφαίνειν παρασκευάζεται.
Agnum, Agnum nigrum pueri efferte,
Erumpere enim typho paratus est.

Sic Latinus rex sollicitus de filiæ nuptiis; Velleribus incubat ouium cæsarum.

QVÆSTIO II.

Quomodo tollit peccata mundi?

Lam rigida tollebantur.

§. 1. ὁ αἴρων, qui iam præsens tollit; iam enim mysterium redemptionis operabatur, & multorum remiserat peccata. Quamuis de virtute & potestate tollendorum peccatorum interpretari malint, vtrumque coniungendum censeo, esse agnum qui absolutissimam peccatorum tollendorum potestatem iam reipsa exerat, sanctitatem conferat, quod nulla legis victima præstare potuit. Græca exemplaria hodierna fere habent *peccatum* singulari numero. Ita legit Cyprian. lib. de duplici martyrio. Ambr. l. 3. de fide, c. 5. Augustin. l. 12. contra Faustum c. 30. Theophyl. etiam. Cyprianus tamen lib. 2. contra Iudæos cap. 15. & l. de Baptismo legit in plurali. Chrysostom. homil. 16. imo etiam Origenes in 24. Num. Ecce in Græcis, Syris, & multis latinis libris non reperitur, in correctis tamen relictum est: itaque multa & meliora exemplaria repetitionem habuerunt, parui momenti est, quare in medio relinquo.

Hoc valde repetendum; agnum hunc natura sua, fine, & officio esse ἀληθινόν, qui omnia mala auertat, omne mundi peccatum deleat, iamque ipso tempore cum Ioanne loqueretur, cum baptizaret, cum magna turba pœnitentiam ageret, agnus in cordibus operabatur, & dolentium peccata auferebat.

§. 2. Et primum quidem ipse rem serio æstimans, admiratur esse agnum qui tollat peccata mundi: Eum enim esse, qui saluum faciat populum suum à peccatis eorum, se vero tantum vocem esse, & monstratorem Saluatoris, quo quidem testimonio pridianam confessionem mirifice confirmat. Deinde finem cur Messias aduenerit ostendit, non vt regnum temporale institueret, sed peccata mundi tolleret, quæ lucra apportentur, quæ voluptatum blandimenta, quos honores mundus inquirit. Legati pontificum ad Messiam velut regem futurum proficiscuntur, delecti ipsi de multis, commodis quisque suis inhiabat, & gaudia sibi de nouo propheta spondebant; de remissione peccatorum ob quæ iugo Romanorum pressi cruciabantur nullam cogitationem suscipiebant. at Ioannes mala & malorum causam intuitus, peccata scilicet, ad ea tollenda Messiam venisse pronunciat. Hoc vnicum & solidum esse beneficium, absque illo mundum stare non posse.

§. 3. Non tollit peccata relinquendo, & tolerando, so-

deo, solum non imputando, vt Caluinus impie docet. Mundum enim liberat à peccato, non iudicat mundum esse cum adhuc in mediis sordibus hæret. Ioannes Emphatico vsus est ὁ αἴρων tollens, auferens, est enim sursum tollere, de medio tollere, vt etiam Syrus רטיל qui tollit, qui gerit. Quod si & præterita & præsentia non imputat, sed tamen totam fœditatem relinquit, etiam eorum qui in medio sunt peccandi feruore, non tollit peccata, sed peccandi præbet, & licentiam, & irritamenta scelerum. Perinde enim est ac diceret. Ecce agnus Dei, qui nullum peccatum tollit à vobis, sed nullum vobis imputat, qui vos plenos omni iniquitate, & spurcitie iustos æstimat.

Itaque Bullingerus Zwinglianus nondum intima eorum probans, Erasmi interpretationem sequitur. „ [Annotandum vero illud in primis videtur, quod & „ Erasmus Roterodamus annotauit, à quo mutuaui, „ αἴρει, id est, Tollit, dictum esse, & non remittit: idque „ duplicem ob causam. Vel quia penitus tollit, id est, „ ad plenum expiat, nulla labe aut culpâ relictâ, quæ „ vlla alia expurgetur ratione. Vel quia peccata nostra „ in se recipit. Tollimus enim onera quæ nobis ipsis „ imponimus. Tollimus quæ natura nobis desunt, in„ terim vt nostra recipimus. Certe Paulus, Christus, in„ quit, qui peccatum non fecit, factus est pro nobis pec„ catum. Denique Isaias 53. cap. quò Ioannem alluisse „ omnino arbitror, dicit, Profecto ipse labores nostros „ tulit. Vel, Et tamen infirmitates nostras ipse portauit: „ & dolores nostros ipse baiulauit. Nos autem existi„ mabamus eum ipsum tactum percussione Dei (plaga) „ & afflictum, ipse vero vulneratus est propter trans„ gressiones nostras, & attritus est propter iniquitates „ nostras, &c.] Nondum impia mysteria prodiderant passim posterorum illud impudentiæ seruatum est. „ [Tollit, *inquit Aretius*, non vt non sit in nobis iam su„ perstes peccatum, sed vt non damnet, item vt non re„ gnet. Deinde peccatum simpliciter tollit, hoc est, „ colluuiem omnium malorum, originale, actuale et„ iam, vt commissum, non damnet sanctos, iners est, „ hebes redditum est.] Ecce tibi in Caluinianis est originale, actuale, omnium malorum colluuies, idololatria, infidelitas, adulteria, homicidia, sed inertia sunt, hebetia sunt illa scelera, illos non damnant, alios condemnant. O fidem in lupanaribus prostitutam. Beza alioqui scripturarum vbicunque libertin suam hæresin adulterator, hunc locum corrumpere „ ausus non est, sed tolli peccata concedit: [Quoniam „ igitur externo baptismate, in quo occupatus erat „ Ioannes cum hæc diceret, abluuntur corporis sordes, „ vocabulo Agni & Tollendi sacrificium, cuius sangui„ ne deleto chirographo expiamur ab omnibus pecca„ tis acetiam naturalis illius labis ac maculæ sublatio, „ designatur, qua fit vt Christo per internũ baptismum „ insiti nobis, vetus homo sensim in nobis moriatur, „ & nouus adolescat, donec vltimo illo die plenâ im„ mortalitate induamur. Illud ergo ad iustificationem „ imputatam, hoc autẽ ad sanctificationem inchoatam „ pertinet, in quæ, velut membra, distribuere licet omne „ Christi in nos collatum beneficium. Itaque iis non „ assentior qui peccatum accipiunt angustius pro pec„ cati pœna, & αἴρειν interpretantur in sese veluti pon„ dus attollere & recipere, sicut dicit Petrus Christum „ portasse omnia nostra peccata super lignum.] Nam vere quidem hoc dicitur: sed ita duntaxat significatur expiationis beneficium.

„ §. 4. [Vnus inquiunt Caluiniani Christus tollit „ peccata mundi, omnes ergo satisfactiones concidunt, „ omnium sanctorum intercessiones. Ne Baptista quidem peccata tollebat.]

Respondeo. Nulla satisfactione tolli vllum peccatum. Nulla enim est satisfactio nisi à iustificato, nisi ab amico. Nemo peccator pro peccato suo satisfacere vnquam potuit. Peccatum enim agnus ille tulit. satisfactio ad tollendam minuendamue temporariam pœnam à Deo instituta est. Christus omnia tollit, nec tamen sine nostra fide, pœnitentia, caritate. Qua de re alibi satis dictum est, sunt enim causæ sibi mutuo subordinatæ.

§. 5. Vrgent tamen: [Sacramentorum ergo, vt « Baptismi, aliorum, nulla est in remissione peccato- « rum potestas. Quod enim solus agnus tollit, non tol- « lit Baptismus.] «

Respondeo. Efficaciam sacramentorum sententia Baptistæ non tolli, sed confirmari. Agnus enim ipse peccatorum sublator, baptizari nos iussit, atque mundari lauacro regenerationis. Agnus hoc agit, vt causa prima, princeps, æterna, sacramentorum operâ instrumentaria vtitur: non indigens alieno adiutorio, sed nostram ruditatem corporeo symbolo erudit, & torporem excitat. Beza quidem in resp. ad acta Colloq. Mompelgartenses antithesi 5. negat sacramenta signa nuda esse: [Neque nos sacramenta do- « cemus « nuda esse signa, sed externæ tamen actioni negamus « tribuendum esse, quod est vnius Spiritus sancti. Sic- « ut à Ioanne, Matth. 3. vers. 11. & à Paulo 1. Ep. 3. v. 2. « ista non separantur quidem, sed distinguuntur: di- « cente etiam Apostolo de vniuerso Ministerio, cum « qui plantat & rigat nihil esse.] Sed tamen eo delabi- « tur, vt nuda signa esse velit. [Aliquam, *inquit*, laten- « tem virtutem, aliam aquæ (licet sacramentali) at- « tribuere, quam sacramentalis significationis, nun- « quam (quod ad Deum promittentem attinet) vanæ « & inanis, existimamus manifestum esse idololatriam, « qua (quod ne ipsorum quidem angelorum est, nem- « pe remittendorum peccatorum & renouandi, cordis « hominum vis,) ad aquam, quantumuis sacramenta- « lem, transfertur.] «

Turpis omnino error, non enim dicimus aquæ vires inditas, quibus regeneret, sed à Deo ordinatum Baptismum, vt virtute Spiritus sancti baptizati mundentur, aqua est organum spiritus, seu physicum, seu morale, ad hunc producendum effectum, quemadmodum sputum Christi cum puluere commistum instrumentum quo oculos cæci aperuit: sicut igitur luto tribuitur illa actio, sic & τῷ ῥαντισμῷ seu aspersioni. At Beza negat esse subordinata ista, aquam & Baptizationem & Dei actionem gratiam conferentis, in sola enim repræsentatione, & significatione vim baptismi consistere.

Denique manifeste ipse se prodit, loco citato. Vbi negat posse vti instrumentis in hoc actionum genere.

Blasphemia manifesta est. Negat enim Deum posse creaturæ suæ opera ad aliquid in alia creatura faciendum vti: negat inquam potentiam obedientialem creaturæ, quod omnipotenti maiestati repugnat. Diuina enim omnipotentia quemadmodum igne ad calefaciendum, sole ad illuminandum vtitur, naturæ illius indita efficacia: sic qualibet creatura tanquam instrumento suæ omnipotentiæ vti potest, ad efficientiam rerum quæ longe naturas rerum superant. Igne enim ad frigefaciendum vti potest, & glacie ad calefaciendum. Luto ad restitutionem visus, ablutione ad gratiam, aliamue in anima producendam qualitatem. Nec ideo Deus non operatur, sed vel maxime id agit, ad quod agendum creaturam supra naturæ propriæ vires erigit. Hinc Aug. dixit l. 19. c. 11. contra Faustum. Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum. Cyrillus Alex. lib. 7. in Ioan. c. 47. Quemadmodum viribus ignis intensiuis aqua calefacta non aliter vrit, quam ipse ignis, sic Spiritus sancti

opera-

operatione aquæ, quâ baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem, & potentiam. Vide Scholasticos 3. p. q. 62. Kemnit. in examine canon. 7. & 8. sess. 7. Tridentini vocat causas gratiæ instrumentales. Quocirca grauiter in eum Beza inuehitur Responsione ad acta Mompelgartensia. Sociorum enim errores fucare quasi illito pigmento, non detegere & arguere queritur. At Kemnitius sane multo-
» rum stultitias reijcit, in can. 5. de baptismo. [Qui-
» dam sentiunt ipsis externis sacramentorum elemen-
» tis, per verbum externum conferri virtutem quan-
» dam supernaturalem, quæ non sit relatio Dei, seu or-
» dinatio quod per sacramenta, tanquam per causas
» instrumentales, Deus efficaciâ spiritus velit conferre
» gratiam, sed quæ sit virtus spiritualis absolute hærens
» in corporalibus sacramentorum elementis per quam
» influant & agant in animam, siue effectiue, siue dispo-
» sitiue.

» Alij constituerunt in ipsis elementis gratiam conti-
» neri essentialiter, sicut medicina in pixide.

» Alij sacramenta volunt esse tantum signa & notas
» Christianæ societatis, quibus à paganis discerni amur,
» & ad mutua officia excitemur, & obstringamur.

» Alij volunt tantum esse allegorias & significatio-
» nes Christianæ mortificationis.

» Alij esse tantum signa gratiæ, iam antea & extra v-
» sum sacramentorum collatæ & exhibitæ. His errori-
» bus opponuntur hæc testimonia ad Titum 3. laua-
» crum regenerationis, &c.]

Verum hæc alibi copiosius. Nunc hoc lectori considerandum relinquo, vt videat quam harum diuinæ omnipotentiæ relinquant, qui negant eam ad effectus suos posse vti instrumentis alioqui non idoneis, imo etiam contrariis. Deus autem non modo omnipotest, sed etiam ad actiones suas vsurpare potest instrumenta quæ ex se nihil possunt. Quod dicere non est idololatria, sed negare est in Dei potentiam iniuriosa temeritas.

Illyricus sibi contrarius est, tollere, & tegere dicit; » sublata sic docet: [αἴρω tollo duplicem habet signi-
» ficationem, tum in se recipiendi, ferendique aut le-
» uandi, tum etiam perdendi, quam ambiguitatem et-
» iam illud Scopticum epigramma in Neronem dictum
» exprimit:

» *Quis neget Æneæ magni de stirpe Neronem?*
» *Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.*

» Sic tollit Christus peccata (vt perspicuitatis causa
» hisce ferme ineptis aut etiam ridiculis exemplis vta-
» mur) gestando ea sibi impurata in corpore suo, dum
» reatum pœnasque pro eis patitur, vt Æneas patrem:
» & tollit ea etiam perdendo & abolendo, sicut Nero
» matrem interficiendo. Non est dubium Baptistam
» hoc suum dictum sumpsisse ex Isaiæ 53. Vbi ista ipsa
» peccati portatio copiose describitur, vtiturque Pro-
» pheta duobus verbis Nasa & Sabal, prius vtramque
» notionem habet, Sabal tantum molestam laborio-
» samque gestationem.]

VERSVS 34.

Et ego vidi & testimonium perhibui quia hic est filius Dei.

QVÆSTIO I.

Quod testimonium Ioannis?

§. 1. IOannes crebro & eisdem & aliis auditoribus aduenientibus de Christo testificatur, ea etiam causa Christus accedit, vt eo teste facilior detur Euangelij progressus: solent enim in rebus nouis & magnis identidem testimonium postulare. Itaque Ioannes etiam variis modis illis Christum demonstrat, vt describit, nempe esse agnum tollentem peccata mundi, super eum descendisse Spiritum sanctum & mansisse, hic in memoriam reuocat auditoribus, se testatum esse, quod sit filius, quod vbi fecerit, non est scriptum, fecisse tamen certum est ipso testante, & apud eos qui audierant. Sæpius id inculcasse, ex prophetis ostendisse, dubitare non licet; præsertim eo tempore, quo legationem Iudæorum excepit, tum enim publice fidem suam professus est, & doctores Israelis instruxit.

Quamuis nonnulli præteritum pro præsenti positum arbitrentur. Cyrillus Alexandrinus dum ista exponit.

Hanc anallogen alij etiam probant, ita Syrus: נאסרת *naschareth*, potest etiam intelligi de officio, *testis sum constitutus*.

VERSVS 37.

Et audierunt eum discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.

QVÆSTIO I.

Qui primum vocati?

§. 1. CHristus iam duos Ioannis testimonio permotos abducit. Andream & alium, quem Euangelista non nominat. Ioannis autem discipulos esse constat, quod Syrus expressit: תלמידותי *talmidauhi*, *discipuli eius*. Nullo autem hortatu, sed solo auditu secuti sunt, vt S. Chrysostomus notat, ita etiam Cyrillus & Beda, non despectu præceptoris, sed electione melioris. Institutum quippe Ioannis erat, discipulos non retinere, sed ad Christum dirigere. Andreas igitur, & socius vocati sunt, & ille quidem ad Apostolatum, hic vero vt tantummodo discipulus esset.

§. 2. Magistrum appellant vers. 8. vt profiteantur in posterum se eius dictis audientes fore, viam salutis ab eo velle discere. De sola habitatione inquirunt, cætera opportunius cognituri: Magistrum autem appellant nondum experientia illius doctrinæ, sed Ioannis testimonio. Messiam autem omnia annunciaturum sciebant, vt cap. 4. 25. Samaritana mulier profitetur.

Rabbi magister meus, vel dominus meus, de hominibus in magistratu, aut dignitate constitutis dicebatur, peculiari autem modo diuinarum scripturarum interpretibus solebat attribui. Ioannes græce interpretatur διδάσκαλος. Syrus habet רבן Rabban *magister noster*, & interpretamentum omisit. Discipuli autem hebraice loquuntur, cum dicunt Rhabbi, non Syriace, quod ea vox vsitata etiam Syris.

§. 3. Manserunt vers. 39. autem apud eum illa die, partem doctrinæ audientes; erat autem hora decima, hoc est, duæ horæ ad occasum solis supererant. Sed quæ fuerit horarum ratio apud Iudæos, non omnino certum, nisi quod dici sint horæ duodecim, nec magna varietas fuisse horarum videtur, cum non admodum magna sit dierum diuersitas. Christus vsus est ea occasione, vt instrueret secum ea die permanentes.

Noctem etiam totam cum eo manserunt, sine dubio partim precibus, partim Christo audiendo impendentes.

VER-

VERSVS 41.

Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam quod est interpretatum Christus.

QVÆSTIO I.

Quomodo vocatus Petrus?

§. 1. Nueniſſe Meſſiam profitetur Petrus, tum quia à Ioanne audierat, tum vero quia pleniſſime inſtructus didicerat. Solus Ioannes Chriſtus Meſſiam appellat hoc loco, & cap. 4. 25. Hic ex ore Andreæ, ibi in ſermone mulieris Samaritanæ. Syrus habet אשבחניהי למשיחא *eschachnachi lammeschiha.*

Eſt vero à משח maſchach quod eſt vngere, vt Chriſtus à χρίειν. Eraſmus vnctum maluit vertere, ſed Chriſti nomen, vnde Chriſtiani dicuntur, ita tritum eſt omnibus linguis, vt nullo modo eius loco vnctum, & vnctos ſubſtituere liceat. Syrus habet חזא *chaza, vidit.*

Andreas v. 42. inuenit Petrum πρῶτος, vel πρῶτον primus vel primum, vtraque enim lectio inuenitur. Primus ſeu prior inuenit, quam diſcipulus ille, qui cum ipſo erat. Primum inuenit, antequam vllum alium, cui tantum bonum communicaret, iam pene Apoſtolus, antequam diſcipulus.

Chryſoſtom. Epiphan. hæreſ. 51. Euthym. legunt πρῶτος. Cyrillus, Theophylactus, cæteri, πρῶτον. Alij quoque teſtantur ſic habere vetuſtos codices.

Intuitus v. 42. eum Dominus miraculo fidem eius confirmat, cum nomen eius & patrem edicit, vt oſtendat ibi ſibi notum eſſe. Et fidem conciliet Andreæ dictis.

§. 2. Tu vocaberis Cephas, inquit Dominus, quod eſt interpretatum Petrus. Beza reprehendit. [Vulgata, *ait*, primum, id eſt, πρῶτον, vt ſcriptum erat in duobus vetuſtis codicibus, & Theophylacto Romano. Chriſtus, ὁ χριστός. Eraſmus, vnctus, recte quidem: ſed nomen illud, quamuis Græcum, tamen magis in omnibus idiomatibus vſitatum, malui retinere.

43. Iona Ἰωνᾶ. In vno codice ſcriptum legimus Ἰωάννης. vid. Matth. 16. 17. Vocaberis, κληθήσῃ. Alibi ſæpe καλεῖσθαι pro εἶναι. Id eſt, vocari pro eſſe accipitur. Sed hoc loco ſeruatur propria huius vocabuli notatio (re nimirum ipſa nomini reſponſura) & præterea futuri temporis ſignificatio obſeruanda. Nam hoc nomen non tam illi nunc imponit, quam ſe impoſiturum pollicetur. Petra, πέτρα. Vulg. Petrus: quæ interpretatio propterea non conuenit, quia Petrus latinis nomen eſt proprium duntaxat, Græcis vero πέτρα, etiam appellatiuum eſt, vt diximus Matth. 16. 17.]

Reſpondeo: Etſi πέτρος & πέτρα Græcis ſit appellatiuum, non tamen obſtare, quo minus Cephas dicatur, & πέτρος, & πέτρα: & magis πέτρος, quam πέτρα, quia vir eſt. Deinde cum Simon dicitur Cephas & Petrus, tam Syrum כאפא *Kipha*; quam πέτρος græcum, iam ex appellatiuo proprium efficitur. Denique improba eſt hæc nouitatis affectatio, textui repugnans. Chriſtus promittit nouum illi nomen, quod poſtea in ſacris literis & Eccleſia vſurpatum eſt. Nomen vſitatum, quo primus Apoſtolus honoratur, non eſt Petra, ſed Petrus: Centies & amplius appellatur Petrus; datum eſt illi hoc nomen, promiſſum igitur eſt. Conuenientiſſime igitur noſter interpres poſuit, quod inuenit. Nemo Petrum vnquam, nemo ne hæreticorum cum de vertice Apoſtolorum loquitur, aliter quam Petrum appellat, cum poſſent vocare Petram ea forma, qua Sulla, Cinna, Cæcina, Aquila nonnulli vocantur.

QVÆSTIO II.

Quomodo Nathanael vocatur?

§. 1. Altera die venit in Galilæam, tertia à legatione; nam Ænon vbi Ioannes baptizabat, erat ad initium Galilææ, & Cana eodem pene loco. Eodem autem & Galilæam ingreſſus eſt, & Philippum inuenit vocauitque facile ſequentem, quod interna gratiæ occulta vi traheretur, quodque ab Andrea, aliiſque de Chriſto iam edoctus eſſet, cuius vel hoc indicium eſt, quod mox Nathanaelem adduxerit. *Ioannes in finitimis Galilææ locis baptizat.*

§. 2. Philippus v. 45. Nathanaelem amicum vel eadem, vel poſtera die adduxit, probabilius eſt eadem mox die factum, omnes enim interpretes zelum Nathanaelis hoc in facto commendant.

§. 3. Citat Philippus Moſen & prophetas, non quod vel ille, vel Nathanael eruditus eſſet, de quo nihil hoc loco probari poteſt, ſed quod ſingulis ſabbathis prophetæ legerentur, & Meſſias aduenturus diceretur, *filium Ioſeph* appellat, & à Nazareth eſſe aſſerit, vt rem certam adferre ſe oſtendat. An vero filium Ioſeph putarit ignorans myſterium Natiuitatis, an vero Ioſephi filium ex communi conſuetudine appellet, diſputari poteſt. Mihi placet ſententia, quæ in optimam partem verba Philippi interpretatur.

§. 4. Quare nimium rigidus eſt in Philippum cenſor Caluinus. [Quam tenuis, *inquit*, fuerit modulus fidei in Philippo, hinc patet, quod de Chriſto quatuor verba profari nequit, quin duos craſſos errores permiſceat. Facit illum filium Ioſeph, & patriam Nazareth falſo illi aſſignat: & tamen quia ſyncere fratri ſuo prodeſſe cupit, & Chriſtum patefacere. Deo probatur hæc eius ſedulitas, & proſperum etiam ſucceſſum habet. Danda quidem opera eſt, vt ſe quiſque intra fines ſuos ſobrie contineat, nec ſane Euangeliſta hoc quaſi laude dignum in Philippo commemorat, quod Chriſtum bis deformet, ſed eius doctrinam, vtcunque vitioſa eſſet ac errore implicita, vtilem fuiſſe refert: quia ad hunc ſcopum nihilominus tendebat, vt Chriſtus vere cognoſceretur. Ieſum ſtulte dicit filium Ioſeph, imperite Nazarenum facit: ſed interea non adducit niſi ad filium Dei qui ex Bethlehem natus eſt: nec adulterinum Chriſtum fabricat, ſed tantum vult cognoſci qualis à Moſe & prophetis traditus eſt.] *Caluinus cenſor ſanctorum iniquus.*

Dicit eſſe à Nazareth, nec errat, eo ſenſu dicit, quo Ieſus Nazarenus vocatur, etiam à fidelibus. Luc. 24. 19. & à Petro Actor. 2. 22. & 3. 6. Et ipſe ſe ita appellat. Actor. 22. 8. Si igitur Chriſtum deformat Philippus, idem poſtea Petrus, & Chriſtus ipſe facit, dum ſe Nazarenum appellat. Nec magnus error, eum vocari filium Ioſeph: Eo enim modo fieri potuit, quo B. Virgo dixit: Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. *Chriſtus à Nazareth vero ſenſu dici poteſt. Ioſeph Chriſti pater, quia nutritius.*

Denique queritur, *nos fictitium Chriſtum inducere, melius eſſe cum Philippo craſſe balbutire.* Atque vtinam id illi faciant, Philippus errare non docuit, ſed veram edidit confeſſionem, quam recte expoſitam Catholici ſequimur, Chriſtum Dei filium, Deum confitentes, non auctorem, non impulſorem ad peccatum, ſed reconciliatorem Dei, expiatorem totius mundi

mundi delictorum. Sed visitatum est Caluino Apostolorum & discipulorum Domini omnia peccata exaggerare, & vbi nulla sunt, noua fingere.

§. 5. Miratur Nathanael cum audit, Messiam à Nazareth. Per interrogationem plerique legunt: ideo quærit an ex ea aliquid boni prodire possit? Galilæi omnes ob impietatem erant apud Ierosolymitanos infames, forte inter eos nequiores erant Nazareni, certe proteruius contra Dominum, quam vlla ciuitas egerunt, cogitabant enim eum de monte præcipitare. Causam dubitandi habuit, quam omnes Iudæi, c. 7. 41. & v. 52. Ex Bethlehem enim erat oriundus, promissus erat de castello Dauid.

§. 6. Cur Nathanaelem non elegerit in numerum Apostolorum, etiam quærunt, alij putant ideo factum, quod doctus esset, Christo autem erat propositum, huius mundi contemptibilia eligere; alij Bartholomæum fuisse arbitrantur, omnia coniecturis nituntur. Hoc certum est, virum sanctum fuisse. Sine dolo dicitur, non sine peccato. Verus Israelita, simplex, rectus, non autem absque omni peccato. Testimonium hoc Christus illi dat venienti, & audienti.

§. 7. A Christo nos vbique conspici discimus, omnia nuda esse in eius conspectu, etiam tenebras ipsas pellucere. Ideo nihil in occulto agendum, quod non omnium oculis expositum reprehensione careat.

Nathanael dubitasse videtur, an Philippus, aut alius de se Christo quicquam dixisset; ideo quærit vnde norit? cui Christus respondet; illum à se, cum sub ficu esset, notum. Solus autem sine arbitris, ne Philippo quidem conscio sub ficu egerat; itaque à solo Deo videri potuit.

Caluini de Nathanaele iudicium.

§. 8. Caluinus, & Nathanaeli, & nobis iniuriam facit: [Tenet, *ait*, etiam aliud principium, non esse venturum filium Dei, nisi vt se Dei populo Regem „ præstet, merito itaque Regem Israelis fatetur, qui fi„ lius Dei est. Et certe fides non in sola Christi essentia „ (vt ita loquar) hærere debet, sed eius virtutem & offi„ cium attendere, parum enim prodesset scire quisnam „ sit Christus, nisi hoc secundum accederet, qualis erga nos esse velit, & in quem finem missus fuerit à pa„ tre. Hinc factum est, vt Papistæ nonnisi vmbratilem „ Christum habeant: quia nudam essentiam apprehen„ dere illis curæ fuit: regnum vero eius, quod seruandi „ virtute constat, neglexerunt. Porro quod Regem I„ sraelis prædicat Nathanael, cuius tamen regnum ad „ extremos vsque mundi fines extenditur, confessio est „ ad fidei mensuram finita, necdum enim eo progressus „ erat, vt sciret toti mundo destinatum esse regem: vel „ potius vndique colligendos esse Abrahæ filios, vt to„ tus mundus esset Israel Dei.]

Messias peculiariter rex Israelis.

Nathanaeli quidem iniuriam facit, cum fingit, eum nescisse Christum toti mundo destinatum Regem, quia prædicat Regem Israelis. At qui sic appellat, non negat Regem mundi. Angelus in domo Iacob regnaturum prædicit, non tamen negat esse regem mundi totius. Sic Matth. 2. 6. & 27. 9. Luc. 1. 5. & Ioan. 12. 13. Rex Israel dicitur, quia ex Israele natus, Israeli promissus fuit, sessurus in throno Dauid. Hoc modo Nathanael vocat Regem Israeli promissum, qui tamen omnia regna subiecturus sit, vt si quis Romanorum Imperatorem, totius mundi Dominum vocaret.

VERSVS 49.

Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi tu es filius Dei, tu es rex Israel.

QVÆSTIO I.

An Christum filium Dei naturalem confiteatur Nathanael?

§. 1. CHrysostom. aliique confessionem eius finis norem putant, quam fuerit Petri: Nathanaelem de filio adoptiuo: Petrum de naturali locutum. Cyrill. Aug. alij: Confessionem Nathanaelis plenam & absolutã existimant. Christum esse filium Dei naturalem, tegem Israelis, non quemuis, sed magnum illum Messiam, quem Prophetæ prædixerunt: *Nathanaelis confessio plena.*

Rationibus firmis hæc nititur interpretatio. Nathanael enim eum Dei filium, regemque Israelis agnoscit, quem Moses & Prophetæ prædixerunt, ad scripturã enim cum Philippus relegat; Illi vero Messiam Deum, Dei filium prædicarunt, dominum etiam Dauidis, hoc etiam indicat articulus additus, singularem scilicet & vnicum filium indicant. Itaque nolim omnino assentiri illis, qui hanc confessionem arguunt, quasi imperfecta sit. Etsi enim in commune mysterium Trinitatis incognitum fuit, non tamen omnibus ex æquo. Veteres multi sic interpretantur, *Patrem enim inuisibilem existentem, ille qui in sinu eius est filius, omnibus enarrat. Propter hoc cognoscunt eum hi quibus reuelauerit filius. & iterum pater per filium, filij sui dat agnitionem his qui diligunt eum. A quo & Nathanael dicens cognouit, cui & testimonium reddidit Dominus, quoniam verus Israelita est, in quo dolus non est. Cognouit Israelites tum regem, in quo & ait ei. Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel. A quo & Petrus edoctus, cognouit Christum filium Dei viui dicentu: Ecce filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus annunciabit: non contendet, neq; clamabit, neq; qui audiet vocem eius in plateis: calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet, vsquequo emittat in contentionem iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt. Et has quidem sunt principia Euangelij, vnum Deum fabricatorem huius vniuersitatis, cum (&) per prophetas sit annunciatus, & qui per Moysem legis dispositionem fecerit, Patrem Domini nostri Iesu Christi annunciantia, & prater hunc alterum Deum nescientia, neq; alterum Patrem.* *Nathanaelis confessio.*

Et pari modo Tertullianus, non seiungit Petri & Nathanaelis confessionem, contra Praxean. cap. 21. *Inde, ait, etsi agnus Dei ab Ioanne designatur, non ipse cuius est dilectus. Certe filius Dei semper, sed non ipse cuius est filius. Hoc cum Nathanael statim sensit: sicut & alibi Petrus: Tu es filius Dei. Hoc & ipse recte sensisse illos confirmat: Nathanaeli quidem respondens: Quia dixi, vidi te sub ficu, ideo credu; Petrum vero beatum adfirmans, cui non caro, neq; sanguis reuelasset (quod & Patrem senserat) sed pater qui in cœlis est. Quo dicto vtriusq; personæ constituit distinctionem, & filij in terris, quem Petrus agnouerat Dei filium, & patris qui in cœlis, qui Petro reuelauerat quod Petrus agnouerat Dei filium Christum.* *Tertullianus.*

Fides igitur Nathanaelis, quæ & Petri, eum eodem modo Filium appellent. Filium Dei naturalem & regem Israelis, qui tamen regnaturus sit à mari vsque ad mare, & vsque ad terminos orbis terræ.

§. 2. Filium Dei vocat, naturalem, non adoptiuum. Alioqui nihil singulare de Christo testificatur; Ioannes enim ipse & prophetæ filij Dei erant adoptione. In Christo ergo filiationem agnoscit, quam prophetis omnibusque iustis negat, illa igitur non per adoptionem, sed per naturam. Tollere enim peccatum mundi, nonnisi diuinæ virtutis est. Ioannes autem hic in mentione baptismi filium Dei nominat, quia illo tempore vox audita est de cœlo, qua filius Dei appellatus est. Miracula igitur Elisæi non ostendebant eum Messiam; è contrario id miracula Christi præstiterunt. Miracula enim de doctrinæ veritate sunt testimonia: opera supra naturæ vires, solius omnipotentiæ æternæ effecta. Elisæus se non esse Messiam, sed Prophetam à Deo missum, de Messia prædicantem, & hanc doctrinam admirabilium rerum effectione Deus confirmauit, obsignauitque. Christum probat Ioan- *Non adoptiuum Christum.*

Ioannes Baptista, & ipse Dominus, Messiam, filium Dei, verbum Dei, vnigenitum Dei esse sæpe protestatus est, & ad hoc firmandum miracula fecit. Miracula igitur Christi omnia eo tendebant, vt fidem dictis & doctrinæ suæ conciliaret, cuius hoc præcipuum caput erat, filium Dei ad mundi redemptionem missum esse: Hoc igitur in animis eorum qui contumacia & perfidia non resistebant, efficiebant, vt crederent Christum esse Messiam. Non enim Deus mendacia, miraculorum sigillo vnquam muniuit, nec vera vlla miracula falsitatem persuaserunt. Deus enim negaret seipsum, si tanta auctoritate & potentia homines in errorem impelleret.

§. 3. Nathanael insigne exemplum est, ne facile & temere ex scripturis aliquem damnemus, sed serio diligenterque non modo verba, sed etiam sensum vestigemus. Clarum erat Messiam è Bethlehem oriturum, Philippus eum à Nazareth esse affirmat, audit, & inquirit Nathanael, nec Christo scripturam obijcit, sed facile cogitat, posse aliquem Bethlehemi natum, vocari Nazarenum.

VERSVS 50. & 51.

Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis maius hoc videbis. Et dicit ei: Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.

QVÆSTIO I.

Quomodo ascenderint & descenderint Angeli?

§. 1. Fidem celerem, & promptam confessionem Christus laudat, & maiora promittit miracula. Vnum ponit loco instar plurium, ministeria nempe angelorum, quo ostenderet se verum naturalem Dei filium, cui angeli filij Dei adoptiui ministrarent. Nam certissimum est deitatis argumentum, angelos qui in Dei conspectu semper astant, descendere & ascendere, & ministrare filio hominis.

Interpretationes variæ: Chrysostom. Theoph. Euthym. referunt ad passionis & resurrectionis tempus. Luc. 22. 43. constat quidem angelos tum descendisse, confortasse, seruiisse, sed an istos Nathanael viderit, non immerito dubitarit quispiam. Nam hic de eo ascensu & descensu loqui videtur, qui viuente Christo, videntibus discipulis creber erat, angelum in horto nemo vidit, angeli post resurrectionem non descenderunt supra filium hominis, dicunt enim: *Surrexit, non est hic.*

Chrysostomus etiam ad ascensionem pertinere putat. Visi sunt tum Angeli in vestibus albis, non tamen supra filium hominis descenderunt, quem iam nubes receperat in cœlos.

Multo minus ad extremum iudicium pertinet. Veniet quidem cum ministris angelis Matth. 26. de ea tamen gloria apud Nathanaelem sermo non est. Christus enim agit de signo, quo ad credendum firmius fideles inducerentur. Maius his videbis, tu ipse viuens, aliique fideles, non post multa sæcula cum à mortuis resurrexeris.

§. 2. Dicendum est itaque angelos Christo Domino semper astitisse, frequenter forma aspectabili ministrasse, idque etiam fidelibus videntibus: de ministerio Matth. 3. 16. & 4. 11. constat. Hoc tantum modo obijcitur; Scriptum non esse; Verum inter tam multa ἄγραφα hoc quoque recensen debet. Ita nos sentire verba cogunt amodo, ἀπάρτι ab hoc tempore, מִבְּעֵן חָשָׁא *demen chascha*, à modo, quod significat tempus proxime insequens, ἐφεξῆς, *deinceps.* *Angeli visibili forma ministrarunt.*

QVÆSTIO II.

An Angeli non sint inuocandi?

§. 1. Caluinus multus est in eo vt ostendat, angelos à nobis non inuocandos: l. 1. c. 14. §. 12. [Quam igitur, *ait*, præposterum est, ab Angelis nos abduci à Deo, qui in hoc sunt constituti, vt præsentiorem eius opem nobis testentur? Abducunt autem, si non recta ad ipsum manu ducunt, vt solum auxiliatorem spectemus, inuocemus, ac prædicemus: si non vt eius manus à nobis considerantur, quæ nullum ad opus nisi ipso dirigente se moueant: si non in vno mediatore Christo nos retinent, vt ab eo prorsus pendeamus, in eo recumbamus, ad eum feramur, & ipso acquiescamus. Quod enim in visione Iacob describitur, hærere ac pendere animis nostris debet, Angelos in terram ad homines descendere, & ab hominibus in cœlum ascendere per scalam, cui insidet Dominus exercituum: quo indicatur sola Christi intercessione fieri vt Angelorum ministeria ad nos perueniant, sicut ipse affirmat. Posthac videbitis cœlos apertos & angelos descendentes ad filium hominis. Itaq; seruus Abrahæ, Angeli custodiæ commendatus, non propterea ipsum inuocat vt sibi adsit, sed ea commendatione fretus preces fundit coram Domino, petitque vt misericordiam suam erga Abrahamum exerat. Quemadmodum enim non ideo potentiæ bonitatisque suæ ministros facit eos Deus, vt suam cum illis gloriam partiatur: ita non opem suam ideo in ipsorum ministerio nobis promittit, vt nostram inter ipsos & eum fiduciam diuidamus. Valeat ergo Platonica illa philosophia de quærendo per angelos ad Deum aditu, & ipsis in hunc finem colendis, quo Deum faciliorem nobis reddant: quam superstitiosi curiosique homines conati sunt in religionem nostram ab initio inuehere, & ad hunc vsque diem perseuerant.] *Angeli nos ad Deum ducunt.*

Tota res verborum inanem pugnam cõtinet. Nos in fiducia inter Deum & angelos diuidenda, nequaquam deliquimus. Christi meritum est, quod angeli nobis ministrant, Deus illis gloriam suam non partitur, non inuocandi sunt igitur angeli? Ad eum modum, non modo ministri regij rogandi non essent, sed ne fratres quidem, & proximi, vt auxilio suo nobis adsistant, vbi res exegerit. Periculum enim Caluino videtur, ne nostram fiduciam inter Deum & proximum diuidamus: cur angelum assistentem rogare non liceat, fratrem liceat?

Tobias iunior cap. 6. inuocat socium, quem Azariam putabat, non id licuisset, si Raphaelem esse sciuisset? An Daniel cap. 7. 16. peccauit, cum videret antiquum dierum, nec ad eum tamen, sed ad vnum ex assistentibus accessit, & quæsiuit visionis interpretationem? Auxilia itaque humana & angelica, precesque, sine Dei contumelia petuntur; his enim mediis Deus munera sua largitur.

Totum igitur hoc futile, non esse rogandum ministrum alterius, vt suam nobis operam præstet, illam inuocationem in contumeliam Domini cedere: cum gloria Domini sit minister honoratus, & qui suos etiam, sed sub domini imperio ministros habeat.

CAPVT II.

ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. 2. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. 3. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. 4. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. 5. Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite. 6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singula metretas binas, vel ternas. 7. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. 8. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. 9. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat, vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, 10. & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. 11. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. 12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus. 13. Et prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam: 14. Et inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes. 15. Et cum feciſſet quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit. 16. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. 17. Recordati sunt vero discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. 18. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? 19. Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud? 20. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis? 21. Ille autem dicebat de templo corporis sui. 22. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus. 23. Cum autem esset Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat. 24. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. 25. Et quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.

IN CAPVT SECVNDVM ARGVMENTVM.

PRIMVM Christi in nuptiis miraculum recenset, quâ aquam in vinũm mutauit. Deinde eius profectionem in vrbem, eius loci principem, Capernaum, ac Ierosolymam ad Pascha, vbi templo eijcit mercatores, & signum postulatus respondet. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* Multa ibi signa fecit, multos ad fidem adduxit, quibus seipsum tamen non credidit. Pars illa, de nuptiis legitur apud Syros, *Matutinis Dominicæ*, vel *hebdomadæ, quâ ingreditur ieiunium*, vsque ad v. 12. Inde ad v. 23. *Ad oblationem sabbati, suscitationis Lazari*, quod, credo, eodem fere tempore putarint vtrumque factum, sed obseruandum est, initio prædicationis, seu primo sabbato factum esse, bis enim vendentes eiecit è templo, vt apud Matthæum docui.

AV. 23. *Dominica post Epiphaniam, & de Baptismo.* Quia vero hic primum est miraculum factum, admodum consideratione dignum est, hoc caput. Multa enim habet ad Catholicam doctrinam idonea, & multa ab hæreticis, in controuersiam vocata sunt.

QVÆSTIO I.

Quæ Cana Galilæa?

Cana duplex.

§. 1. HIeronymus in locis Hebraicis duplicem distinguit, in hunc modum. *Cana in tribu Ephraim*, Iosue 15. 18. & paulo post: *Cana in tribu Manasse*, Ios. 16. Et paulo post: *Cana vsque ad Sidonem maiorem: Est quippe & altera minor, ad cuius distinctionem hæc maior dicitur. Fuit autem Cana in tribu Aser, vbi Dominus, & Saluator noster aquam conuertit in vinum.*

Cana zelus.

Hoc tamen obserua, Canam dicit à Syro ܩܛܢܐ *Catne*, interposito ט *t*. At altera Cana, vnde dicitur mulier Chananæa, aliter omnino scribitur, dicitur mulier ܟܢܥܢܝܬܐ *Cechanita*, nec in Syro præter א finale, & ב quicquam commune habent. Canam Ios. 19. 28. constat, scribitur autem ܩܢܐ *Kana*, erat enim in tribu Aser. Hæc autem vt dixi scribitur à Syro ܩܛܢܐ nisi forte mendum quis dixerit. Quod vix dubitandum, cum veteres verbum Cana ܩܢܐ interpretentur zelum, ܩܛܢܐ potius paruam significat, cuius significationis cum nemo meminerit, etiam certum est neminem legisse, nisi quis ex Hieronymo conijciat legendum Cana. Catne. Vtcunque sit Canam, non procul à Nazareth abfuisse probabile est. Trium horarum itinere abfuisse Hieronymus scribit.

QVÆSTIO II.

Quo die?

§. 1. VNde tertia dies dicatur, in quæstione est. Euthymius ab egressu ex deserto, quod fieri nõ potest. Nam postquam egressus est, legatio venit; altera die Ioannes testimonium iterum dedit, altera deinde iuit in Galilæam. Ita necessario plures dies sunt. Tertia ab Itaque vel tertia est à vocatione Petri, vel ab ingressu ingressu in Galilæam. Posteriorem sententiam plures sequuntur, Franciscus Lucas, aliique. Qui diem hebdomadis venit. tertium esse volunt, non aduertunt, non dici diem tertium sabbati, sed tertium absolute. Itaque vel cum discessit à Ioanne, vel iuit in Galilæam. Epiphanium vide contra Anoëtos.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Cur mater erat ibi?

§. 1. ERat mater Iesu ibi, iam ante scilicet inuitata: Syrus non vocat nuptias, sed משתתא *Meschtheta*, *conuiuium*. Græcus tamen γάμον. Itaque nuptiale conuiuium fuit, forte ex consanguineis quispiam. Vocata enim fuit vt cognata, vel saltem familiaris, nec aspernata est nuptias pauperum, à filio suo humilitatis mutuata exemplum, qui in illis non suæ dignitati, sed nostræ vtilitati consuluit, vt Chrysostomus notauit.

Præuenisse matrem ad nuptias probabile est, vt cognatis familiaribusue solita caritate adesset, ac ministraret.

QVÆSTIO IV.

Cur vocatus Christus ad nuptias?

§. 1. QVidam vocatum eum putant propter matrem, & discipulos propter ipsum. Causæ plane diuersæ esse potuerunt. Christus vocari voluit, vt nouo & gratioso miraculo gloriam suam ostenderet, & crederent in eum discipuli illius, quod etiam consecutus est. Merito autem nuptias honorare venerat, qui eas condiderat, vt notauit Augustinus.

Neque etiam vanum est, voluisse matrimonij sanctitatem ac dignitatem præsentia tueri, contra tot impugnatores, qui posteà futuri erant, ita Theodoret. & Beda. Et graui de causa opus fuit coniugij approbatione, non modo contra Gentium & Iudæorum, eo tempore spurcitiem, sed etiam contra secutos deinde Nicolaitas, Eucratitas, Tatianos, alios que nuptiarum damnatores.

Cyrillus in Ioan. l. 2. c. 16. *Multa*, inquit, *& magna eodem signo peragebantur. Sanctificabantur nuptiæ. Maledictio mulierum, initio nostri ortus benedictæ, destruebatur. Gloria Saluatoris quasi solis radius effulgebat: discipulorum animi, fides roborabatur.*

Natiuitatis etiam nostræ principium sanctificat, addit vero, miraculi non conuiuij causa venisse.

§. 2. Omnes igitur Christiani nuptias sanctas asserunt, etiam illi, qui se castrarunt propter regnum Dei. Itaque vt etiam catholicis constet, quam impudenter nos hæretici traducant, ponam hic verba Brentij, homil. 22. [Deinde, *inquit*, consideranda est æditi miraculi circumstantia. Iesus enim ædidit hoc miraculum in legitimis nuptiis, quo haud obscure significauit, se approbare coniugium. Necessarium autem fuit, vt Christus testificaretur, se coniugium in Ecclesia sua approbare. Satan enim vt est hostis omnium diuinarum ordinationum, ita etiam maxime insidiatur ordinationi & institutioni coniugij. Quare miros semper excogitauit æstus, quibus legitimum coniugium in Ecclesia Christi aboleat. Et Paulus ad Timotheum scribens, doctrinam prohibentem contrahere matrimonium, vocat doctrinam dæmoniorum, & spiritum impostorem. Itaque postquam Euangelion Christi vulgatum est in orbem terræ, excitauit Satan initio turpissimam sectam, in qua promiscue & communiter vtebantur mulieribus. Hos vocabant Nicolaitas. Post hos oriebantur instinctu Satanæ, qui palam damnabant nuptias, ac sentiebant eas esse pares fœtationibus, ideoque nullum recipiebant in communionem Ecclesiæ suæ, vtentem coniugio. Hi dicti faerunt Tatiani, & Encratitæ. Deinde introducta est in Ecclesiam Christi professio Monachorum & sacrificulorum, qui vouerunt perpetuum cælibatum, & abstinentiam à legitimis nuptijs. Hi etsi vtcunque permiserunt alijs coniugium, tamen vt deterrerent suos à coniugio, dixerunt virginitatem replere paradisum, nuptias autem terram, perinde ac si hi, qui in legitimo coniugio viuunt, non pertinerent ad paradisum. Et definierunt coniugium, quod in coniugio esse, sit in carne esse, & cubilibus ac immunditiis seruire, adeoque procul à castitate & sanctitate abesse. Qua definitione, quid, obsecro, aliud significarunt, quam se sentire quod coniugium sit impurum genus vitæ, in quo nemo possit Deo placere? Hæc certe ipsissima est doctrina dæmoniorum, vt Paulus ait.] *Calumnia.*

Increpet te Deus Satan. Nemo negat pios coniuges implere paradisum. Si quis dicit, coniugium esse impurum genus vitæ, in quo nemo possit placere Deo, Anathema sit.

QVÆSTIO V.

An ideo nuptiæ æquandæ virginitati, quia Christus interfuit?

§. 1. HOc argumento olim vsus est Iouinianus apud Hier. l. 1. contra Iou. cui accurate respondet.

Magna insania ille omnia pro matrimonio congerebat, quasi non legisset, Christum de virgine non de nuptiis conceptum, & natum. *Christus nuptias honorat, sed de virgine concipi voluit.*

Argumentum tamen nullius est momenti: non enim si Deus matrimonium probat, idcirco etiam virginitati præfert. Discipulus Christi litem decidit; *cum* ait, *eum qui matrimonio iungit virginem suam, bene facere*, qui non iungit, melius facere, cætera apud Hieronymum legi possunt.

QVÆSTIO VI.

An matris Dei honorem minuendum Christus docuerit?

§. 1. CAluinus fideliter sane: [Hac Christi, *ait*, voce palam constat denuntiari hominibus, ne nominis materni honorem superstitiose in Maria euehendo, quæ Deo propria sunt, in ipsam transferant. Sic ergo matrem Christus alloquitur, vt perpetuam ac communem seculis omnibus doctrinam tradat, ne immodicus matris honor diuinam suam gloriam obscuret. Porro quam necessaria hæc admonitio fuerit, ex crassis fœdisque superstitionibus, quæ postea secutæ sunt, plus satis notum est. Facta est enim Maria Regina cœli, spes, vita, & mundi salus. Deniq; eo progressus est vesanus furor vt Christi propemodum nudati spoliis eam ornarent. Cùmque has execrabiles in filium Dei blasphemias damnatus, maligni & inuidi vocamur à Papistis. imo improbe calumniantur sanctæ virginis honorem hostiliter à nobis impugnari. Quasi vero non habeat quantum illi honoris debetur, nisi Dea fiat: aut hoc illi sit honorificum, sacrilegis titulis ornatam in Christi locum subrogari. Atrocem ergo illi Mariæ iniuriam faciunt, quando, vt mentitis eam laudibus deforment, Deo eripiunt quod suum est.] *Crimina-tur Mariæ à nobis superstitiose coli.* *Calumnia.*

Responsione nihil hic opus est, si ex Maria deam quis faciat; eum nos idololatram dicimus, cum sit creatura, humilis ancilla Dei. Aliud nemo Catholicus docet, aut sane aliud docendo iam non est Catholicus. Reginam cœli dicimus, quia maior est cæteris cœlestibus, Regis mater, sed infinitis modis filio minor. Sancti omnes in throno sedent & regnant, hoc commune est & matri, sed modo excellentiore, quia mater Dei est. Spes, vita, salus est, non seipsa, sed quæ Christum peperit; hæc enim omnia & principi causæ, & instrumentis conueniunt. Spem, vitam, salutem vocamus eos, qui nobis spem, vitam, salutem præbent, quod Deus præstat, & à Deo ordinatæ causæ secundæ, quas agnoscendo Deas nemo facit. S. Bernardus eo pertinuisse Christi admonitionem existimat, vt doceret; Eos qui ad officia ecclesiastica vocati sunt, *Mariæ non est Dea.* *Eadem nomina diuerso modo conueniunt Deo & homini.*

non oportere ex affectu parentum, aut cognatorum illa administrare. S. Augustinus valde multus est in eo, vt ostendat, Christum cum veniret honoratum nuptias, non contempsisse matrem. Tract. 8. in Ioan.

Christus matrem nō contempsit.

Certi, ait, sacramenti gratia, videtur matrem de qua sponsus processit, non agnoscere, & dicere illi: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Quid est hoc: ideone venit ad nuptias, vt doceret matres contemni? Vtique ad cuius nuptias venerat, ideo ducebat vxorem, vt filios procrearet: & ab eis quos vt procrearet, optabat, vtique honorari cupiebat. Ille ergo venerat ad nuptias, vt exhonoraret matrem; cum & propter filios habendos, quibus reddere honorem parentibus imperat Deus, ipsæ nuptiæ celebrentur, & ducantur vxores? Proculdubio, fratres, latet ibi aliquid.

Gentiles Christum de contempta matre accusant.

§. 2. Gentiles olim Christo crimen contemptæ matris obijciebant. Quasi iam grandior eam abdicasset. Illis respondit olim Iustinus Martyr, resp. 136. *Verba non esse contemnentis:* nec vero dæmones, cum clamarent, *Quid nobis & tibi?* Christum spernebant, sed horrebant, Christus ipse se excusat. Non esse Dei ordinationem, vt statim succurrat, nondum venisse horam, quod non est contemnentis, sed instruentis. Hoc admodum notandum est: Hæreticos qui hic matrem à Christo reprehensam aiunt, id à paganis sumpsisse.

§. 3. Manichæi olim, Mariam Christi matrem negabant. Quod dicat: Quid mihi & tibi mulier? Augustin. tract. 8. in Ioan. Quos ille copiose & eleganter confutat. Eodem enim hoc capite, non semel, sed crebro, matrem appellat.

§. 4. Heluidius virginem negauit, quia Christus mulierem vocat. Respondet Hieron. Nomen esse sexus, non corruptionis. ita Tertullian. lib. de veland. virg. Epiphan. hæresi 51. de qua re alibi disputaui.

VERSVS 4.

Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.

QVÆSTIO I.

An matrem Christus reprehendat?

Reprehensio nulla, vbi non est culpa.

§. 1. SI in ea culpa fuit, reprehensam esse, mirum non est: si nihil delicti admisit, species reprehensionis esse potuit, nulla autem reprehensio. Neque enim diuinæ iustitiæ est, non culpanda reprehendere. Nullum in eius petitione peccatum, nisi suspicione mera inueniri potest, vt Cyrillus docet, & Bernard. Rupert. Petere enim vinum pro conuiuis malum non fuit, quandoquidem nec dare malum fuit. Malo autem animo virginem petiisse nemo potest, nisi suspicionosus & sinister alienæ mentis interpres iudicare. Cur enim non caritatis potius affectu dicam Virginem rogasse, quam vanitatis? Deinde, nihil tale in ea Christus reprehendit, cur nos suspicemur?

Caluini censura.

„ Caluinus quærit: [Sed cur, *inquit*, tam duriter à
„ Christo repellitur? Respondeo, quamuis neque am-
„ bitio, neque alius carnis affectus ipsam ageret, in eo
„ tamen peccasse quod fines suos excessit. Quod soli-
„ cita est de aliorū incommodo, & mederi quoquo mo-
„ do cupit, hoc humanitatis est, ac virtuti dandum: sed
„ interea se ingerendo, Christi gloriam obscurare pote-
„ rat. Quanquam simul notandum est, Christum non
„ tam eius, quam aliorum causa sic locutum esse, maior
„ eius erat modestia, & pietas, quam vt adeo seuera ca-
„ stigatione opus haberet, deinde non peccabat illa
„ sciens & volens. Sed Christus periculo tantum occur-
„ rit, ne alio quam oportet trahatur matris dictum, quasi
„ ex eius præscripto miraculum postea ediderit.]

Respondeo: Periculum hic nullum apparet gloriæ Christi obscurandæ, non enim peccat ingerendo se, cum pro aliis intercedit. Cur enim non pro consanguineo, & mater apud filium intercederet? Christus ipse curam vini suscipit, & vt Caluinus ait, *suarum esse partium testatur.*

Si filius Dei ex miserationis affectu dedit, cur non petere mater potuit?

Certum est B. Virginem misericordia adductam à Christo petiisse pro sponsis vinum; vnde vero factum vt deesset, incertum, quidam inopinato Christi, & discipulorum aduentu, alij ob paupertatem sponsorum.

Cur vinum deficeret defuerit.

At causas cur vinum deficeret frustra inquirimus. Diuina prouidentia sic ordinauit, quo medio vsus sit ignoratur; quid culpæ vel erroris contigerit in nuptiis, aut quo casu acciderit, nescitur. Non mirum sæpe falli calculatorem, aliquorum inopinato accessu, ministri alicuius infidelitate, maiore aliquorum ex inuitatis vel siti, vel auiditate, vini etiam vilitate, quo fieret, vt minus aquæ misceretur, effusione vini, aliisq; modis, vel singulis vel omnibus contingere defectus potuit.

§. 2. Constituendum est B. Virginem etsi nondum multa miracula viderat, omnia tamen quæ ad Christum pertinebant, cognouisse; *Beata* enim dicitur, *qua credidit*, cum filio etiam tot annis versata, non ignorabat Deum esse. Itaq; non tanquam ignorantirem proponit, hoc enim blasphemum fuisset, sed intercedit; Ex quo & hoc doceo, fidem B. Virginis veram fuisse, nec in eo errasse, quod sibi existimaret licitū pro sponsis orare. Accedit igitur eum cui vniuersa possibilia esse nouerat, vt Cyrill. Alexand. Atque ita respondetur quæstioni quam Chrysostomus proponit; cur nunc miraculum petat, cum ante non vidisset? Mater enim scripturæ, & secretorum conscia, iam adesse tempus sciebat, quo gloriam suam esset manifestaturus.

Cur iam petat miraculum.

§. 3. Falsum itaque est, quod comminiscitur Caluinus non miraculum petiisse, sed monuisse, vt aliqua conuiuas exhortatione solaretur. Sed verba Christi, & virginis ad ministros contrarium indicant. Cur enim ministris præciperet, vt facerent, quicquid dixerit, si non vinum petebat, sed exhortationem? Quid enim ad ministros pertinebat exhortatio? aut cur hortando magis oneraret verecundiam sponsi, solent discedere taciti, si deesse aliquid aduertant, & dissimulare.

Non petit exhortationem.

§. 4. Multi speciem reprehensionis esse existimant, non reprehensionem. Aug. hic. & tract. 119. l. de fide. Theophil. Antioch. l. 4. alleg. Gaud. tract. 9. de lectione Euang.

Speciem reprehensionis in eo esse, vt indicaret, se tanquam Deum operari miracula, non vt hominem. Deus autem ἀμήτωρ sine matre, qua quidem Deus est. Non ignorabat ista mater, sed tamen tali occasione dici solent etiam illa, quæ notissima sunt, vt considerentur.

S. Bernardus Christum vt hominem locutum arbitratur, nam significare iam se ea ætate esse, eoque in officio, in quo ex carnis & sanguinis affectu operari nihil oporteat.

Hoc etiam placuisse Bullingero Zvingliano constat, sed minus quam Caluinus sit, deprauato: [Compellat autem filium, *dicit*, mater ex commiseratione quadam, cupiens inopiæ sponsi subuenire filij humanitate & omnipotentia: quam multis iam argumentis experta fuerat in filio. Ideo reuerenter ipsum appellat, nec præscribit quicquam, sed admonet tantum. Quasi dicat, Scio quanta polleas virtute atq; potentia, scio quam beneficus & propenso animo sis, in omnes homines, proinde nil tibi præcipio, moneo tantum & indico vinum defecisse. Sunt qui putent matrem humano laborasse affectu, virtuteque filij sibi gratiam

Bullingerus. Mariam excusat.

» gratiam voluisse hominum conciliare, filiique gratia
» clariorem reddere: quocirca dominus ipsam excepe-
» rit acerbius. Nam respondens dicit, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι:
» Quid mihi & tibi mulier? Quod tamen sic exponi
» poterat, Nihil hoc vel mea vel tua retulerit mulier.
» Nam architriclini est conuiuio prospicere. Verum sic
» non vsquequaque cohæret quod mox sequitur, Non-
» dum venit hora mea. Vnde videtur duriuscule exci-
» pere dominus matris admonitionem ac dicere, Quid
» mihi tecum rei est mulier? Quod locutionis genus ab
» Hebræis petitum repulsam cum quadam obiurgatio-
» ne habet. Nam 2. Samuel 16. dicit Dauid ad Abisai,
» Quid mihi & vobis filii Zeruia? Pro quo germanus
» diceret, Was gehts dich an? Was hab ich mit dir zu
» thun? Quod autem durius excipit admonitionem
» matris Dominus, non in hunc finem facit, vt doceat
» filios liberosue parentes obiurgare sæuius: qui vbique
» alias præcipit parentibus debitum deferre honorem:
» sed sic voluit Dei assererе gloriam: quam tametsi ma-
» ter minime cuperet infirmatam, noluit tamen ille re-
» bus diuinis vel tantillum immiscerі rerum humana-
» rum. Syncera oportet esse diuina opera ac libera: vn-
» de dicit, Nondum adest hora mea, ipsa scilicet agendi
» oportunitas, quæ à diuina pendet potentia & prouі-
» dentia, non à cuiusquam creaturæ iussu, admonitio-
» ne, suggestione, aut voluntate. Hactenus tuæ volun-
» tati me præbui morigerum: quod nunc restat (verbis
» iam vtor Paraphrastæ) ex arbitrio patris gerendum
» est, non ex humano præscripto. Alibi mater fuisti,
» posthac mihi nihil aliud eris quam mulier, quoties
» versor in patris negotio. Huius gloriæ quoties erit ser-
» uiendum, nihil opus erit tua interpellatione: vltro fa-
» ciam quod res ipsa postulabit. Habeo tempus à pa-
» tre præscriptum. Atque eam expositionem agnoscit
» & S. Augustinus.]

§. 5. Multo grauius Lutheranos confundit Bren-
tius hom. 21. qui quamuis alium errorem habeat, Ma-
riam tamen defendit. Cum docuisset affectum carita-
tis in Maria fuisse quo intercederet, deinde fidē com-
» mendat. [Confidit ergo fore, *inquit*, vt cū Iesus qui
» sit verus Messias, videat necessitatem, luctum, & mi-
» seriam pauperum coniugum, subueniat ac opituletur
» eis. Hæc est magna & memorabilis Mariæ fides. Sed
» audiamus nunc, quomodo Iesus excipiat preces Ma-
» riæ. Dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? Non-
» dum venit hora mea. Hæc siue sic intelligantur, Quid
» mihi tecum est negotij? siue aliter, Quid vel ad me,
» vel ad te, quod vinum deficiat? certe non solum dura
» est responsio, sed etiam manifesta recusatio. Nihil mi-
» hi est negotij cum hac re. Nondum est tempus, vt ædi-
» dam miracula, Abi igitur cum precibus tuis. Ad me
» nihil pertinet, quod non habeant vinum. Hoc quid
» aliud est, quam si perspicue diceret: Nolo facere quod
» petis? Quid ergo ad hæc dicemus? Quid sibi vult tam
» dura filij responsio erga matrem, in negotio admodū
» honesto? Num docet Christus liberos contemnere,
» fastidire, ac duriter tractare matres suas? Nihil certe
» minus. Nam & ipse fuit subditus parentibus suis, &
» tanta cura complexus est matrem suam, vt de cruce
» commendaret eam Ioanni. Sed quod hoc loco inue-
» hitur in matrem tanta duritia, suas habet causas, quas
» operæ precium est cognoscere. Ac primum docet vni-
» uersam ecclesiam, quomodo soleant diuinitus tracta-
» ri hi, qui inuocant nomen Domini. Nam quod Chri-
» stus respondet Mariæ, videtur quidem esse recusatio,
» sed non est nisi fidei eius tentatio. Solent enim his qui
» ex fide inuocant Deum, obijci initio aduersa quædā,
» & contraria diuinis promissionibus, idq; non ob hanc
» causam, quod Deus non velit inuocantes ex fide ser-
» uare iuxta suas promissiones. Quomodo enim posset
» Deus esse mendax? Sed vt fidem inuocantiū probet,
& illustret, ac etiam promissam salutem augeat. Nam «
quo diutius differtur beneficij collatio, eo auctius & «
cumulatius redditur. Quod vt apertè videas, conside- «
ra, obsecro, mihi exemplum mulieris Cananææ, cuius «
fit mentio apud Matthæum c. 15. Hæc enim rogabat «
Iesum pro filia sua à dæmonio exagitata. Rogabat au- «
tem ex fide earum promissionum, quæ de Messia, filio «
Dauidis extabant, id quod ipsa haud obscure signifi- «
cat, cum vocat Iesum, filium Dauidis: Miserere mei, «
inquiens, Domine fili Dauid. Sed Iesus initio nihil re- «
spondet, mox aperte recusat, postremo repellit, eam «
etiam contumelioſe, Non est honestum, inquiens, su- «
mere panem filiorum, & dare canibus. Quid hoccine «
est rei? An non scriptum est de Messia, quod medea- «
tur contritis corde, & consoletur omnes lugentes? An «
non Iesus, qui erat verus Messias, receperat publice, «
exoneraturum se oneratos, & refocillaturū afflictos? «
An non misera mulier inuocabat nomen eius ex fide? «
Quid huic inuocationi deest? Nihil certe. Hic est af- «
flictio mulieris, hic est promissio Dei, hic fides, hic in- «
uocatio ex fide. Sed Christus simulat se abominari «
preces mulieris, non quod repulerit eas, sed vt fidem «
mulieris illustriorem reddat, & maius beneficium in «
eam conferat. Quod mulieri huic priuatæ accidit, hoc «
solet omnibus pijs in inuocatione nominis Dei acci- «
dere.] «

Non indiget hac defensione B. Virgo, nec lector quidem catholicus; sed adferenda tamen ista sunt, vt appareat, quomodo veritas etiam ex hostium castris testimonia sua habeat. *Non est species reprehensionis.*

§. 6. Eorum sententia, qui nullam hic speciem reprehensionis agnoscunt, vera videtur, optimeque defendi. Phrasis enim illa, *Quid mihi & tibi*, non est abominantis, amicitia abdicantis, aut alioqui significantis nihil sibi cum alio plane commune fore. Sed certa in re de qua agitur suo se iudicio vsurum, non ab alieno dependere indicat, aut in ea re sibi non passurum leges poni. Ita 2. Reg. 19. 22. *Quid mihi & vobis filij Saruiæ?* non reijcit ille filios Saruiæ, quorum strenua opera vsus fuerat, & vtebatur, sed vlciscendi cupidinem retundit. Nec Abisai peccasse facile dixerim, cum intulit, *Ergo non morietur Semei? &c.* Reuera enim morte dignus erat; nam & Dauid testamento vltionem filio mandauit. Non autem expediebat rebus adhuc fluctuantibus animos ad rebellionem pronos seueritate iusta exacerbare. Species illa reprehensionis fuit, non reprehensio, æqua enim erat postulatio Abisai, sed temporibus aduersa.

Quid Iehu 4. Reg. 9. 18. 19. respondet nuncijs, *quid tibi & paci, Transi, sequere me.* Potest sine reprehensione intelligi, vt & quod vxor Pilati viro nunciat, Matth. 8. 29. *Nihil tibi, & iusto illi.* Hoc est, nec eum lædas, nec calumnias contra eum audias. Vbi nec est reprehensio, nec species reprehensionis. Docere enim virum suum voluit, Christum esse innocentem, id se per quietem intellexisse, ideo caueret, ne de iusto grauius statueret. Monuit igitur, non reprehendit.

§. 7. Standum illa interpretatione videtur, quam Christus ipse adducit: *Nondum venit hora mea.* Quo considerato clarissimum euadit, nullam esse reprehensionem, imo si quis benignus velit esse interpres, nec speciem eius. Mater cum iam videret ad fundum ventum, & non sine sponsi erubescentia vinum defore, id monet, respondet Christus: *Quid mihi & tibi mulier*, in hoc negocio scilicet, vt statim miraculo vinum sufficiam, non tuo iudicio hoc faciendum, sed meo. Non tu male verecundiæ sponsorum consultum vis, sed melius ego diuinam gloriam iudico quærendam ex miraculo manifesto. Itaque, nondum venit hora, exspectandum enim est, dum omnibus constet, quid desit, vt cognoscant vnde suppletum sit, manifestan- *Nulla reprehensio.* *Cur nō statim vinum datum.*

da est mea gloria, non igitur tuo iudicio fient, sed meo. Hoc enim signo discipulorum fides confirmabitur, & satis conuiuis consuletur. Non igitur inter matrem & Christum vlla est lis, mater mature occurrendum necessitati existimat, antequam conuiuis innotescat defectus, idque benefica, & amica caritate, filius hoc non culpat, sed exspectandum esse docet, donec omnibus constet, aquam in vinum mutatam esse. Hoc ita intellexisse matrem ipsa demonstrat, cum iubet ministros facere quicquid dixerit: illorum enim opera & testimonio vsurum sciebat. Monet autem vt impigre pareant, causas nullas exquirendo, cur aquam ferre iubeantur, cum vinum desit.

Non curiose petiuit.

§. 8. Obijciunt, curiose, aut intempestiue miraculum petiisse. Verum hoc sola coniectura comprobant, melius potius de Dei matre sentiendum, Christus nec Iudæorum (Matth. 12. 39.) nec Herodis (Luc. 29. 8.) curiositati miraculum indulsit, cur curiosam matris importunitatem miraculo foueret?

Denique mater se non reprehensam, sed exauditam indicat, cũ monet ministros, vt Christo pareant. Etiam hic ex suis confutare Caluinianos operæ precium est. [Porro, (*inquit Bullingerus*) in matre relucet „ nobile illustris fidei exemplum. Iubet enim vnice respicere ad præcepta filij. Nihil enim offensa duriore „ eius responso, nec diffidens eius bonitati virtutique, „ iubet ministros accinctos præstolari mandata filij, spe„ rans ipsum pro bonitate solita beneficium aliquod „ præsturum indigentibus.]

Irenæus lib. 3. cap. 18. intempestiuam eius repulisse ait festinationem: *Nihil enim*, ait, *incomptum atque intempestiuum apud eum, quomodo nec incongruens est apud patrem. Præcognita sunt enim hæc omnia à patre, perficiuntur autem à filio, sicut congruum & consequens est apto tempore. Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare compendij poculo: Dominus repellens eius intempestiuam festinationem dixit. Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea: exspectans eam horam quæ est à patre præcognita.*

Mater nescia decreti diuini festinando non peccat.

At non reprehendit mature monentem, sed sibi tempora reseruat, ob jciendum igitur nostris hæreticis, quod hunc in locum doctissimus Pammelius habet: *Non est*, inquit, *quod ex hoc loco putent Gnostici posteriores Irenæum B. Virginem Mariam alicuius vitij arguere; cuius integritatis, pietatis, & fidei tantus assertor & vindex esse apparet infra lib. 3. cap. 24. 25. 26. 27. 32. 33. & lib. 4. cap. 40. & lib. 5. Nec enim culpat illius humanitatem, qua egentibus subuentum cupiebat; nec matrem esse abnegat filius, cui subijci & parere non detrectauit. Sed ille singulariter natus de patre sine matre, de matre sine patre: miraculum quod facturus erat, secundum diuinitatem quam non genuerat mater, facturus erat, non secundum infirmitatem: ideo operaturus facta diuina, ait Augustinus, non agnoscit viscera humana. Et Iustinus Martyr responsione ad 136. quæst. orth. ait. Illud, quid tibi & mihi est mulier? non ad obiurgationem dictum est matri à Seruatore, sed quasi hoc demonstrare vellet. Non nos ij sumus qui curam suscepimus vini, quod in nuptijs consumitur: tamen præamore si vñ ne deficiat eos vinum, dic ministris vt faciant quæ ego eis dixero, & videbis eis non defuisse vinum: id quod etiam accidit. Non ergo verbis matrem obiurgauit, cum eam factis honorarit.*

„ §. 9. Nemo hic Beza petulantior est: [Est enim, „ *ait*, longe asperrima hæc obiurgatio, quasi non modo „ diuersa, sed etiam prorsus repugnantia inter se com„ mittantur, veluti cum diceret Paulus, velut istiusmodi ellipsin supplens, *nis μετοχὴ, συμφώνησις, κοινωνία, μεζὸς*, 2. Corinth. 6. 14. & 15. Aliter tamen aliquid locutum Christum aut asperius, quam & persona matris, & res ipsa ferret, nemo sine impietate dixerit. „ Hinc igitur discendum est quam graue sit peccatum, „ Deo præire & præscribere aliquid quod etiam ex Petri reprehensione asperrima liquet, Matth. 16. 23. Deinde dubium non est, quin sic Dominus occurrere voluerit secuturis illis horrendis superstitionibus, quibus ex maternæ in filios auctoritatis iure arrepta occasione, tam fœde contaminatum Dei cultum videmus. Maria eo vsque euecta, vt etiam publice illi acclinatur: ROGA PATREM, IVBE NATVM, ET IVRE MATRIS IMPERA.]

Beza matrem Deo præire voluisse.

Non modo reprehensionem, sed etiam acerrimam esse censet. Deinde grauissimum matris Dei peccatum esse blasphemat. Hic mihi lector consideret, an ita sui oblita virgo sacra esse potuerit, vt non modo Dei mandata violare, sed etiam illi imperare sit conata. Nesciebat scilicet fuisse angelorum summum crimen, velle similes esse altissimo. Præire & præscribere Deo voluit? atqui si hoc fecit, Deo se antetulit, Deum sibi obtemperare voluit, hoc qui de Christi matre fingere potuit, Christianus non est. Hoc Pharaonis est, hoc Nabuchodonosoris, hoc Antiochi, hoc Neronis, qui tamen etsi Deo obedire noluerint, eo tamen dementiæ non venerunt, vt etiam imperare & præscribere vellent. At accinitur illi, *iube natum, iure matris impera.* Non vtitur quidem Ecclesia hoc loquendi modo, sed priuati est hymni, in quo iubere & imperare, non nisi de oratione cum magna fiducia, qualis est matris erga filium, accipi potest. Non diuersa ratione dicuntur se viri sancti iræ diuinæ opponere. Sic Deus Mosi Deut. 9. 14. *dimitte me vt conteram eum.* Sane Moses omnipotentem Dei manum tenere non poterat, quo minus populum rebellem contereret, sed oratione tamen Mosis teneri se pronunciat, cùm tamen ipse orandi spiritum, & caritatem Mosi dedisset.

Matri non præire.

Matri non præire.

§. 10. Sæpius monui Euangelistas compendiose res, gesta, & dicta personarum recensere. Hic insignis locus est, qui id indicet. Mater enim non modo de miraculo certa est, sed etiam de modo miraculi, cognouerat enim futurum, vt in eo ministrorum opera vteretur, & quidem laboriosa, quocirca hortatur eos, vt imperanti obtemperent. Alia certe ratione etiam inscijs ministris supplere defectum potuit, si effecisset, ne vasa & pocula vacuarentur, sicut Lecythus olei non defecit. Itaque matri dixit, quid facturus esset, nec illa ministros monuisset, nisi scisset fore, vt illis filius aliquid imperaret, credo vero & hoc matrem, Christi iussu fecisse. Nam certe multum aquæ, hoc est pene integrum dolium hauriendum fuit, multum enim ex hydriis depletum fuit.

§. 11. Caluinus perperam hic matrem denuo accusat: [Fateor quidem, *inquit*, ex circumstantia præsenti virginem sic locutam esse, ac si negaret hac in parte quicquam sibi esse iuris, Christum suo vnius arbitrio facturum quod placuerit: sed si eius consilium spectes, latius patet hæc sententia. Potestate enim, quam sibi perperam sumpsisse videri poterat, se abdicat primum & exuit; deinde totam vni Christo assignat, cùm sequendum præcipit eius imperium. Ergo generaliter hinc docemur, si quid expetimus à Christo, non aliter nos votorum fore compotes nisi ab ipso toti pendemus, in eum respicimus, facimus denique quicquid iubet. Atqui nos ad matrem non ablegat, sed ad se inuitat potius.]

Mariæ non præripiendum imperium.

Mater ad Christi obedientiam optime ac sanctissime inuitat. Nulla tamen potestate se abdicat. Nam dicendo: *vinum non habent*; non sumpsit sibi imperium in filium, sed pro egentibus orauit. cur vero ille vel hoc suspicatur aut indicat, cum nullum eius rei sit in scriptura indicium?

§. 12. Quale porro est, quod ait matri precise negatum, quod aliis liberaliter est concessum? Nihil enim distulit.

Matri non negauit, sed

ſanè matri negat, ſed nondum tempus ſuum eſſe aſſerens, differendum docet, & dilatio non multò maior fuit, quam vt miniſtri hydrias implerent. Multò aliter viri Pij & docti cenſuerunt, qui ad Mariæ interceſſionem citius factum eſſe ſcripſerunt.

Falſum etiam eſt, aliis hoc conceſſum; quando enim alias aquam in vinum mutauit? aut ſimile quid aliis ad alienam interceſſionem dedit? Hîc autem matrem continuò exaudiuit, & cum momentum à Patre præſcriptum aduenit, vinum dedit, cum omnibus iam conuiuis de inopia vini conſtaret, non frementibus vt imaginatur Caluinus; quis enim ſponſi inopiam fremitu & indignatione, non miſericordia & ſilentio verecundiam proſequitur, niſi fortè barbarus & ſcytha, aut his deterior nepos aliquis & Cynicus Caluinaſter.

§. 13. Chryſoſtomi auctoritate hîc abutuntur. Verum ille hunc in locum, non accuſat Mariam peccati. Verba eius ſunt: *Optabat enim vt iam hominum gratiam conciliaret, & ipſa clarior filij gratiâ efficeretur, & fortaſſe aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres eius cum dixerunt: Oſtende teipſum mundo: cupidi eius miraculis ſibi famam comparare, idcirco aſperius reſpondit: Quid mihi & tibi mulier: nondum venit hora mea. Nam quod matrem reuereretur, teſtatur Lucas, quod ſubditus erat parentibus, & hic Euangeliſta quantam paßionis tempore matris curam habuerit. Vbi enim parentes nihil diuina impedirent myſteria, nihil offenderent, æquum & neceſſarium eſt filio parere, neque negare ſine magno periculo poteſt. Contra verò cum intempeſtiuè aliquid petunt, & ſpiritalem ſermonem impediunt, illis obtemperare non eſt tutum. Propterea & hic ita reſpondet, & alibi rurſum. Quæ eſt mater mea, & fratres mei aiebat. Siquidem non adhuc debitam de ipſo opinionem habebant, ſed more matrum, Maria iure omnia filio ſe præcepturam cenſebat, cum tanquam Dominum colere & reuereri deceret, ideo in hunc modum reſpondit.*

Et paulò poſt: *Alia præterea cauſa afferri poteſt, non minus neceſſaria, ne qua in miraculo ſuſpicio oriretur: ab indignantibus enim, non à matre id quærendum erat. Quid tandem? Quoniam quæ familiarium precibus impetrantur, quamuis magna, rarò tamen eorum prædicationibus augentur: indigentium laudes, cum quid impetrarint, omni vacant ſuſpicione, nihil ab his ſimulatur, & multa inde vtilitas prouenit. Etenim ſi vel optimus medicus, qui cum multos ægrotos viſitauerit, neque ab ipſis, neque eorum familiaribus, ſed à ſua tantum matre laudaretur, ſuſpecta ſanè eſſet laus illa & moleſta, nec præſentium quiſpiam magnum de eo aliquod vel egregium opinaretur: propterea aſperius locutus: Quid mihi, inquit, & tibi mulier? eam admonens, ne idem amplius tentaret. Curæ enim ipſi erat maternus honor, ſed longè magis animarum ſalus, & commune in multos beneficium, cuius gratiâ humanam carnem accepit. Non ſunt igitur hæc liberius ad matrem loquentis, ſed diuinæ diſpenſationis verba, vt admoneret pro dignitate miracula facienda.*

Potuit ſanè abſque peccato, & filio, & ſibi gratiam optare; ſciebat enim fore, vt beata ab omnibus generationibus diceretur, idq; etiam humano affectu, ſed ad Deum relato.

Intempeſtiuè rogare non eſt peccare, ſed à tempore aberrare; alioqui peccaret, ſi quis gratiam peteret, quæ poſt horam danda eſſet, non ſciebat nec præſciebat momenta mater. Itaque nondum hîc eam Chryſoſtomus peccati accuſat. Ne quidem cum ait offendere; impedire ab aliis negociis: hæc enim ab inſciis ſine peccato fieri aſſolent.

Nec Auguſtinus Tractat. 8. in Ioan. Mariam accuſat; ſed rationem reddit, cur ſic reſponderit. *Cur ergo ait Matri filius? quid mihi & tibi eſt mulier: nondum venit hora mea? Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus erat & homo. Secundum quod Deus erat, matrem non habebat: ſecundum quod homo erat, habebat matrem. Mater ergo erat carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis, quam ſuſcepit propter nos. Miraculum autem quod facturus erat, ſecundum diuinitatem facturus erat, non ſecundum infirmitatem: ſecundum quod Deus erat, non ſecundum id quod infirmus natus erat. Sed infirmum Dei fortius eſt hominibus. Miraculum ergo exigebat mater, et ille tanquam non agnoſcit viſcera humana, operaturus facta diuina, tanquam dicens: Quod de me facit miraculum, non tu genuiſti, diuinitatem meam non tu genuiſti. Sed quia genuiſti infirmitatem meam, tunc te agnoſcam, cum ipſa infirmitas pendebit in cruce: hoc eſt enim, nondum venit hora mea.* *Mulierem vocat, mater enim nō erat, ſecundum id quo miracula faciebat.*

Denique Chryſoſtomus dubitando loquitur. Euthymius & Theophylactus ea auctoritate non ſunt, qua moueamur, vt contra B. Virginem aliquid pronunciemus.

QVÆSTIO II.

Quantum vini dedit?

§. 1. HOc ex hydriarū magnitudine colligendū eſt: quarum ſingulæ metretas binas aut ternas capiebant. Metreta Hebræis eſt בַּת *cad*, vnde Latinum, *cadus*. Epiphan. de menſuris metretæ tribuit duodecim congios. Congius ſenos ſextarios continet. itaque metreta eſt 72. ſextariorum. Sextarius autem duodecim cyathus continebat, metreta igitur cyathos 764. hydria quæ duas metretas continet ſextarios 144. cyathos 1528. Hydria trium metretarum ſextarios continet 216. cyathos 2592. Si igitur ſtatuas tres hydrias habuiſſe binas metretas, tres vero ternas, efficiemus metretas 15. hoc eſt 1080. ſextarios, cyathos verò 12961. *Multum vini dedit.*

Romani ſextarium pro ordinaria menſura potus virilis habebant, tot igitur hominibus vinum ſufficiebat, quod CHRISTVS dedit. Sed hîc duo ſpectanda ſunt; Primum vinum Palæſtinæ fuiſſe nobiliſſimum, & inter vina illius Regionis, Galilæum fuiſſe eximium. Deinde vinum quod CHRISTVS fecit, communi vino fuiſſe præſtantius; cum autem omne vinum aqua miſceatur, multò copioſius hoc miſcendum erat, merum autem vinum Palæſtinę ad ſedandam ſitim non bibebatur. Ex quo conſtat inſigne fuiſſe miraculum & illuſtre, dum in longum tempus paupertati ſponſorum proſpectum eſt, non modo multitudine, ſed etiam generoſitate vini, quam omnes mirarentur. Nec dubito quin diebus multis vinum hoc expetitum, & conſeruatum fuerit. *Palæſtinæ vinum ſine aquâ bibi non poteſt.*

Nicander metretæ tribuit 12. choas, de his Plinius, Dioſcorides. Agricol. de menſuris. Rup. Budæus lib. de aſſ.

Franciſcus Lucas hunc in modum menſuras deſcribit: *Si ponas*, ait, *hydriarum illarum tres, cepiſſe duas metretas, tres alias cepiſſe tres metretas, continuerint in vniuerſum quindecim metretas, id eſt, mille ſexcentas viginti libras, ſiue 6480. oua communia, quod eſt noſtro modo loquendi, duos vini modios plus minus, conſtante modio nonaginta ſex lotis. Vaſorum numerus & capacitas expoſita, eo pertinent, vt Quæ libra miraculi ſubſequentis veritas & magnitudo cognoſcatur. vini.* *Non enim parum aliquid vini dedit IESVS, quod vel oblutione relictum, vel aliunde ſubuectum credi poſſet. Verum amplius multò, quam conſumi potuiſſet illo conuiuio nuptiali, etiamſi ab initio conuiuij, ex eo bibitum ſum lenius fuiſſet, vini copiâ, miraculi & commendante dignitatem, eſſ.* *Vinū precio & irrefragabilem probante veritatem. Non enim ad*

abusum largitus est tantam copiam magister frugalitatis, sed ad gloriam Dei.

Non fuisse amplo & pando orificio, vt haurisi ex illis posset, duo conuincunt; Primum quod vasa de se sine operculo immunda erant.

Alterum, quod aqua haurienda à minoribus vasculis, quæ immergenda erat, pollueretur: itaque ἀντλεῖν est etiam *effundere, promere.*

Solia fuisse aiunt. Quidam suspicantur fuisse vasa in quibus sedentes lauabant, quæ Latini solia appellare solent, quorum sententia si vera est, admodum capacia fuisse necesse est. Alioqui cum de mensuris non facile conueniant, non potest omnino certa magnitudo cognosci.

Metretæ Syriacæ maiores erant, vt Agricola docet lib. 1. de mensuris.

Hic Syricas fuisse credibile est, etsi enim Ioannes Græcè loquebatur, tamen Syras non Græcas habebant in Palæstina, & hæ quidem publicè vsurpabantur.

Syrus etiam Metretas vertit; תרין תרין רבעין או תלתא *Theren theren rabechin au thelatha: duo duo quadrantalia aut tria.*

Hydrias aqua repleri voluit, cum ex nihilo creare, vel ex aere vinum facere potuisset, vt ministris, cæterisque constaret, ideo vsque ad summum impleuerunt, & mox hauserunt, & tulerunt Architriclino, vt ille pro officio gustaret ac distribueret, nec dubium est ministros cum præter consuetum officium tantum aquæ haurire iuberentur, varios sermones miscuisse, nonnullos etiam risisse; vinum enim deesse sciebant, quasi aquam daturus esset. ideo illos iussit ferre architriclino.

Architriclinus arbiter conuiuij.

Hoc denique notandum est, cum dicit aquam vinum factam gustasse architriclinum, non significare iam aquam esse, sed immediatè fuisse, quemadmodum Eucharistia panis dicitur, etsi iam corpus dominicum sit.

Hydriæ non erant in vitio.

» §. 2. Caluinus reprehendit vsum hydriarum: [Porro, *inquit*, hoc ex superstitione natum erat, vt tot ac tam ampla vasa illic prostarent. Abluendi quidam ritum habebant ex lege Dei: sed (vt mundus semper nimius est in rebus externis) Iudæi præscripta à Deo simplicitate non contenti, continuis aspersionibus lu-debant. atque (vt ambitiosa est superstitio) non dubium est, quin hoc etiam pompæ seruiret: quemadmodum hodie in Papatu videmus, quæcunq; ad Dei cultum pertinere dicuntur, ad meram ostentationem esse composita. Duplex ergo vitium erat, quod absq; Dei mandato in fictitia & superuacanea cæremonia temerè se occupabant: deinde quod Religionis prætextu ambitio in illo apparatu regnabat.]

Ritus abluendi.

Mira in homine moroso prauitas: Ritum abluendi habebant, opus igitur aqua, non agitur in ea re peccabant. At quid opus sex hydriis? quid tanta pompa? vt nimirum in multos vsus sufficeret, in magnis conuiuiis, ad instrumenta mensæ eluenda, ad cætera plurimam aquam insumebant. Cur sex? Quasi verò si binæ essent, aut ternæ, non eâdem impudentia possent in numeros inquirere, & superstitioni deputare.

In lotionibus superstitiosos fuisse Pharisæos constat, non tamen omnia superstitiosa, quæcunque vulgo adhibebant, iudicanda sunt.

Quod Caluinus impostoram putat eorum qui hydrias obtruserunt inæquales, & minores. Ipse quoque eos punire vellem. Non enim nebulonum, & vagabundorum, reliquias temere venditantium, improbitatem probamus. Alioqui æquales fuisse nemo docuit, imo aliquas duas, aliquas tres metretas habuisse probabile est. nec Caluini versionem probo, *continentes singulæ metretas binas vel ternas.*

§. 3. Triclinia dicebant, quod tribus lectis accumberent, ita vocabant, etiamsi essent conclauia, πεντάκλινα vel δεκάκλινα.

Architriclinus conuiuio quasi Oeconomus præerat, vt res sibi à Domino conuiuii traditas dispensaret. Nomen ex aula & magnatum œconomia ad pauperum conuiuiola translatum. Erant in aulis Principum quos vocabant אשר על בית *aschur chal baith, qui super domum.* Erant apud Latinos magistri, reges, modiperatores conuiuiorum, quos omnino diuersos fuisse constat. Gaza lib. de senect. συμποσίαρχον, appellat. Qui etiam πρωτογάστωρ & πρωτογάστης præstator, & πρωτόγαστρις erat, ciborum propositor.

§. 2. Bonum καλὸν οἶνον appon t, τῷ ἐλάσσονι, minori, tenuiori, Syrus רבציר *dabbezir, tenue seu parum vocat.*

Inebriatos putant hîc vocari, qui largius, intra modum tamen sobrietatis biberunt. Sic Genes. cap. nono, vers. vigesimo primo. שבר *schachar*, accipitur. vix tamen sic μεθύω accipitur, sed de eo qui vini plus sumpsit, siue ratio sopiatur, siue paulum turbetur. Semper enim in vitio ponitur; Architriclinus de eo quod fieri consueuit in nuptiis, non quod rectè fit admonet.

VERSVS II.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

QVÆSTIO I.

An hoc initium signorum?

§. 1. PRimum inter omnia fuisse aliqui volunt: alii primum quod in Cana Galilææ fecit. Hoc secundo modo Chrysostomus, Euthymius interpretantur.

Cæteri primum esse arbitrantur inter omnia. Exploratissimum est, non esse primum omnium quod fecit. Nam quadraginta dies ieiunauit, nec esuriit, quod magnum fuit signum. Deinde puer duodennis sapientiam miraculosam ostendit; & capit. primo. Nathanaelem vidit sub ficu, quod signum tale fuit, vt ille crederet. An alia antecesserint, dubitari potest, hæc præcessisse constat.

§. 2. Probabile est de primo, quod in Cana fecit, Euang listam loqui; propter eorum, qui ita sentiunt, auctoritatem. Obiiciunt nonnulli; causam fuisse nullam, cur de primo miraculo in Cana facto mentionem faceret, præsertim cum de nullo alio loco hoc dicatur, fuisse primum Capernaum, vel alio loco factum. Responderi tamen potest: Causam fuisse spiritui cur hîc diceret, alibi omitteret. Cana non procul Nazaretho fuit, ibi frequenter versatus est, notos & amicos habuit, nec tamen hactenus vllo signo se Messiam ostendit: hoc ergo primum fuisse Euangelista docet.

§. 3. Probabilius est, Euangelistam non de quouis signo loqui, sed de illis quæ publicè ad manifestandam gloriam suam effecit, hoc enim signum in nuptiis & loco celebri, tanta vini copia post nuptias perdurante magnam famam conciliauit.

Tempus igitur annotare voluit, quo quasi priuatus esse

esse desierat, & publicè gloriam ostendit. Alii de signo cum rerum aspectabilium immutatione interpretantur.

QVÆSTIO II.

An discipuli soli crediderint, & tum primum?

§. 1. NOmen discipulorum accipio latissimè, non modo pro Apostolis, aut 72. qui nondum erant separati, sed eo modo quo cæcus loquitur, cum dicit: Nunquid & vos discipuli eius vultis fieri? Horum aliqui iam Ioanne testante in eum credere cæperant, alii iam miraculo vocati erant, alii adhuc hæsitabant, alii Prophetam credebant, an vero Messias esset, dubitabant. Hos credidisse in eum dicit: Quidam aucta fide, alii abiecta dubitatione, plurimi plus de eo crediderunt quam initio.

QVÆSTIO III.

Cur descendit Capharnaum cum Matre & propinquis?

§. 1. IAm sese manifestaturus celebritatem loci quæsiuit, vbi plurimi erant indigenæ, & externi, eo venit autem cum matre & fratribus, vt de familia constaret. Iosephum fuisse mortuum ex his constat, fratres etiam & matrem Capernaumi manere maluit, quam Nazarethi, ob ciuium improbitatem. Prædicasse autem & signa fecisse dubium non est, idcirco enim venerat. Plurima enim facta silentio præteruntur Euangelistæ.

VERSVS 18.

Responderunt ergo Iudæi & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hoc facis?

QVÆSTIO I.

Cur templo eiecit?

§. 1. ZElum domus Dei comedisse CHRISTVM ex Psalm. 68. vers. 10. est. אבלחני *achalthani*, quasi ignis scilicet me deuorauit, amor ergo Patris eo Christum impulit, vt contumeliæ, quæ in templo irrogabatur, se opponeret.

Contumacia Christi mira-tur.

§. 2. Versu 18. Signum quærunt Iudæi à Christo, Mira inuidia & indignatione, cum reprehendi & castigari suam impietatem & socordiam suam aduertebant, cum tantum honoris diuini zelum præ se ferrent, & illa tamen quasi parua negligerent, quæ tam abominanda Christus pronunciat. Perindè ac si quis nunc etiam in hac temporum colluuie clerum moneat, ne de rebus profanis in templo fabulentur, multò minus spacientur, & ne eam domum, ex qua victum habent, inhonorent.

Christus ad templum suum veniens tanquam verus Deus, illius possessionem cepit, ideo eos qui prætextu diuini cultus illud profanabant, violenter eiecit. Hoc sane genus hominum contra admonitiones obsurdescit, & auaritiæ numen prætendit, flagello non verbo expellendum est, memini olim quibusdam in Ecclesia, vbi mercatorum concuentus agebantur, mercimonia, aliaque tractari solita, à magistratibus sublatos: Vtinam in aliis, vbi adhuc templum Dei, profanatur, etiam Clericorum ambulationibus, idem zelus Episcopos comedat.

Lutherus ab hæreticis exigit miracula.

§. 3. Miracula iure ac merito à nouis Euangelistis requirere nos satis ipsi docent; Extra ordinem ie missos comminiscuntur, suo ingenio & arbitrio veteres leges refigunt, nouas condunt, documentum vocationis eorum exposcimus, tot centuriæ sibi pugnantium hæreseon veritatem vendicant, nulli nos credimus nisi vocationem suam miraculis nobis approbent. Id adeo ipsis consentientibus faciemus. Lutherus 7. 2. operum Germ. Ienæ edit. fol. 455. b. & 456. a. Senatui Mulhusiano scribit, *vt prædicantem clandestinum accersat, atque etiam præsente omni populo, si fieri potest, & quæratur ex eo, quis eum miserit, aut ad dicendum vocauerit? id procul dubio senatus non fecit. Quod si tum dicat se à Deo, atque ipsius Spiritu missum esse sicut Apostoli, probet hoc signis & miraculis editis. Vel nolite pati vt concionetur. Nam vbicunque Deus ordinariam viam mutare vult, ibi semper miracula facit.*

Magno examine hæreticorum multitudo Patrum æuo prorupit, à nullo vocati sunt, à Deo ie missos iactitant, nos rem incertissimam, vbi inter centum falsos doctores nullus verus est, certè non nisi vnus esse potest, sine miraculis non suscipimus.

Vagum hæreticum sinegna facere oportet.

§. 4. Caluinus hinc suos à miraculis faciendis excusari fas putat: [Sic hodie, *ait*, Papistæ miracula « flagitant, non quod locum daturi sint DEI potentiæ: (nam illis fixum est homines præferre Deo, nec vnguem vnum ab eo deflectere, quod vsu & consuetudine receptum habent) sed ne absque ratione « videantur Deo esse rebelles, colorem hunc prætexunt « suæ pertinaciæ. Ita cæco impetu infidelium animi se- « cum tumultuantur, vt Dei manum sibi ostendi cupi- « ant, nec tamen diuinam esse velint.] «

Atqui nobis in promptu responsio est: Christus antè in Cana, & deinde Ierosolymis multis miraculis fidē sibi conciliat. Zwingliani iam centum annos miranda scelera, nulla miracula ediderunt: ea causa Scripturæ sacræ, & priscis doctoribus, quorum multa sunt miracula, præferre non possumus, crediturí si vel vnicum miraculum edant verum. Dei manum ostendant, & diuinam credemus. Hactenus non ostenderunt nisi seditiones, bella, incendia, sacrilegia diuina manu facta videri velint.

VERSVS 19.

Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.

QVÆSTIO I.

Cur Christus ambigua locutione vtatur?

Contumaces ambitioso responso suspendit.

§. 1. SIgnum quærunt improbi, bono operi, quod ipsi neglexerant, CHRISTVS fecit, potestatem siue auctoritatem deesse calumniabantur. Miraculum poscebant, non crediturí, etiamsi facerent.

Christus neque tacere voluit, ne videretur legitima auctoritate destitutus, nec tamen sine ænigmate calumniantibus respondere. Soluite igitur, inquit, templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

De

De templo Salomonio sunt interpretati, quod dissolutum vnico momento reædificare potuit, sed ille de eo miraculo, quid reuera futurum erat, loquitur. Templum corporis eius destruxerunt, & die tertia restaurauit.

Porrò indignis pariter & contumacibus ita locutus est, vt & auctoritatem tueretur, nec tamen quod calumniarentur obtruderet. Contumaciam suam produnt, quod miraculi promissione audita ipsi ad humana conuertuntur. Quasi verò miraculum non posset triduo fieri, quod tot annis inter aduersarios exstrui vix potuit.

QVÆSTIO II.

Cur corpus suum templum Dei Christus appellat?

Corpus Christi templum Spiritus.

§. 1. TEmplum corpus appellat, quod in eo Spiritus sanctus inhabitet. Sancti vocantur templa 1. Cor. 3. 16. 17. & 6. 19. & 2. Corin. 6. 16. nec opus monere, aliter sanctos, aliter Christum dici templum Dei. In nobis per gratiam, in Christo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

Apollinaris.

§. 2. Appollinaris hoc loco abusus est, vt probaret Christum animam non habuisse. Templa enim inanima sunt.

Nestorius.

Respondeo futilem esse argutiam: Eo enim argumento conficeretur, Ne sanctos quidem animas habere, Apostolus enim eos templa vocat. Quod si etiam propriè templa intelligit, corpus Christi & sanctorum ex trabibus, saxo & cæmento coagmentatum dicat necesse est.

§. 3. Nestoriani duas personas in Christo esse hinc probare. Non enim dicit; soluite me, sed soluite templum hoc, loquitur de humanitate, alius autem est qui templum inhabitat, aliud quod inhabitatur, duæ igitur personæ sunt. Ita Cyrillus in reprehen. articul. Cyrilli.

Responsio tamen facilis est: Diuersitatem enim naturarum duntaxat, non personæ indicari in confesso est. Deus in corpore illo habitat, non vt & Deus, & corpus sint duæ personæ, sed vna persona diuinitatis est. Dicitur habitare in corpore anima, nec tamen non vna persona est homo ex anima & corpore compositus.

Nunquam animam talem dextrâ hac, abstiste moueri,
Amittes, habitet tecum, & sit corpore in isto.

Sanè duas personas in Drance esse non venerat in mentem Turno. Imo homo interdum dicitur habitare in corpore, velut in tabernaculo. Iob 4. domos luteas habitare homines dicuntur. Et 2. Corinth. 5. 2. Petri 1.

Christus Deus & homo.

§. 4. S. Athanasius, *de assumptione hominis.* lib. 3. & *de incarnatione*, vtramque Christi naturam hic probat, & Cyrill. lib. 1. Gluph. Eum verè Deum esse, qui seipsum excitarit. Τὶς ἐν αὐτὸν ἐγερεῖ, φησὶ. ὅμοιον ὡς εἰ λέγοι, κἂν πεκλιῇ μὴ δύνωμαι, πλεῖόν μοι τῆς παρ' ἑτέρου δεήσεται συνεργίας, εἰς ἀνάστασιν. παναλκὴς γὰρ αὐτὸς, ὡς δυνάμεις ἅπαντος. καὶ ἓν ἀνικάνως ἔχων εἰς ἐγερσιν δύναται καὶ μάλα ῥᾳδίως, πλὴν ἑαυτῦ ζωοποιῆσαι ναόν. τοῦτό τοι καὶ ἔφασκεν Ἰουδαίοις πρόσλαλῶν, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. ὅπ πλέον ἂν δεὶς ἂν γένοιτο πρὸς τοῦτο αὐτοῦ συνεργὸς, ἀρκέσθη μόνος αὐτὸς ὡς ἰσχὺς καὶ δυνηνήστος, ὑποδηλώσειεν ἂν ἓν ἀσυμφανῶς ὁ λόγος, *id est*: Quis igitur ipsum excitabit? inquit; quasi dicat: Decubuit quidem volens, ita tamen, vt nullius operâ indigeret ad resurgendum: quippe qui in se omne robur contineat, tanquam Dei Patris potentia. neque quicquam in ipso desideratur, quominus possit, & quidem facile admodum, suum ipsius templum viuificare. Idcirco

Christus à seipso excitatus.

dicebat ad Iudæos: soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod igitur nullius adminiculo ad hoc sit vsus, sed ipse solus sufficerit, tanquam fortitudo Patris, haud obscurè demonstrauerit historiæ textus.

Nam reuera tribuit sibi ipsi virtutem, qua se excitat. ἐγερῶ, *suscitabo.* Deus est suscitator, homo suscitatus, in vna persona duæ naturæ.

VERSVS 20.

Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?

QVÆSTIO I.

Cur dicit annis quadraginta sex ædificatum?

Ædificatio impræparatione necessariorum.

§. 1. MOris est, vt ædificia dicantur tot annis ædificata, quot à iactis fundamentis, vsq; ad fastigium absolutum intercurrunt, quamuis aliquando intermittatur ædificatio. Hoc quoq; ad rem præsentem faciebat: nam in maximis substructionibus mutata impedimenta intercurrunt, quæ nunc quoque accidere poterant, Iudæis sub Romana ditione constitutis. Hoc quidem de templo nos scriptura docet. Qui enim Babylone reduces erant, toto illo tempore, aut ædificabant, aut aliqua ad ædificationem necessaria parabant. Iosue filii Iosedec, & Zorobabel, in omnem occasionem intenti. Toto enim Cyri tempore ædificare conabantur, sed alii impedierunt. 1. Esd. 4. 4. *Factum est igitur vt populus terræ impediret manus populi Iudæ, & turbaret eos in ædificando. Conduxerunt autem aduersus eos consiliatores, vt destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri Regis Persarum, & vsq; ad regnum Darij Regis Persarum.*

Templi ædificatum pedita.

Cyro mortuo mox ædificare cæperunt in regno Assueri. 1. Esd. 4. 6. *In regno autem Assueri in principio regni eius scripserunt accusationem aduersus habitatores Iuda & Ierusalem.*

Artaxerxe quoq; defuncto, sub Dario de integro ad ædificandum se accinxerunt. 1. Esd. 5. 2. *Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedec: & cæperunt ædificare templum Dei in Ierusalem, & cum eis Prophetæ Dei adiuuantes eos.*

Eos autem tunc quoque Satrapæ prohibere conati sunt, vt fecerant sub Artaxerxe, cum prohiberent eos in brachio & robore. Sæpe etiam animum despondet populus; vt constat ex Aggæo 1. 2. *Hæc ait Dominus exercituum, dicens, populus iste dicit, Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens, Nunquid tempus vobis est vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?*

Prophetia diuersa.

Prophetæ tamen & principes semper vrgebant; idcirco Seniores Iudæorum respondent ministris Regis, tempore Darii, à Cyri tempore semper ædificatum. 1. Esdr. 5. 16. *Tunc ita q; Hassabasar ille venit: & posuit fundamenta templi Dei in Ierusalem, & ex eo tempore vsq; nunc ædificatur, & necdum completum est.*

Eadem ratione Iudæis nunc quod ad Esdræ verba alludentes respondent. ædificatum annos quadraginta sex, quibus semper aliquid moliti sunt, sæpè prohibiti, sæpè incipientes, semper aliqua præparantes.

§. 2. Magna interim difficultas est in annis 46. conquirendis. A Salomone ædificatum est annis septem, 3. Reg. 6. 37. *Anno quarto fundata est domus Domini in mense*

Zio-

Zio: & in anno vndecimo mense Bul (ipse est mensis octauus) perfecta est domus in omni opere suo, & in vniuersis vtensilibus suis: ædificauit q; eam annis septem.

Nonnulli eo refugiunt, vt templi inchoationem ab eo tempore auspicentur, quo Dauid id statuit. 2. Reg. 7. 2. & 1. Par. 17. 12. Verum ne sic quidem ille annorum numerus potest inueniri. Nam tum demum hoc cogitauit, cum Dominus illi dedisset requiem ab omnibus inimicis suis, quod ante octennium regni non contigit; itaque cum Dauid regnarit annos quadraginta, si his detrahas octo, addas vndecim Salomonis, non erunt nisi anni quadraginta tres, non autem quadraginta sex.

Neque potest ad instaurationem & amplificationem Herodianam referri, de qua libr. 15. ant. capit. 14. Iosephus. Nouem enim annis & dimidio ædificatum est.

§. 3. De secunda igitur ædificatione intelligendum est. Anni verò in hunc colliguntur modum. Anno secundo aduentus in patriam, Iosue filii Iosedec, & Zorobabel cæperunt fundare templum mense secundo, qui etiam fuit annus secundus Cyri. Esd. 3. 8. Perfectum est autem anno sexto Darii, vt habetur 1. Esdr. 6. 14. Totum hoc tempus ex vulgata chronologia annos complectitur quadraginta sex. Nam Cyrus regnauit annos 30. ita 29. anni sunt. Cambyses 7. Magi septem menses. Darii anno 6. absolutum. Summa est ergo annorum 42. & desunt anni quatuor. Quos vt inueniant, auctores laborant. Vnum facile addunt, vt anno primo cepisse dicant, quo diploma acceperunt à Cyro 1. Esdræ 1. 1. quo anno & altare ædificarunt, & templi ædificationem præparant, nam cum anno secundo, mense secundo fundarint, opus fuit non modo materiam anno primo præparare, sed & rudera remouere, fodere fundamenta. addo etiam omnia vasa restituta anno primo Cyri, vt est 1. Esd. 1. Alii anni vnde habeantur minus certũ est. Alii Cambysi dant plures annos, quidam Cyro, alii alios interponunt. 1. Esdr. 4. 6. *In regno autem Assueri in principio regni eius scripserunt accusationem aduersus habitatores Iudæ & Ierusalem. Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselan Mitridates, & Thabeel, & reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem Regem Persarum.*

Hic inter Darium & Cyrum duo interponuntur: Assuerus & Artaxerxes, quos alii diuersos, alii eosdem arbitrantur. Si diuersi sunt, omnis historia sæcularis de primorum Regum Persicorum temporibus suspecta est. Artaxerxes sanè cum primum venerit, postea adiuuit. 1. Esd. 7. 9. *Et iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe Regibus Persarum.* Cum ergo de regno Cambysis ipsi dubitent; Ioseph. illi annos 6. libr. 11. ant. cap. 3. Herod. 7. & mens. 5. Lyranus 10. tribuit, magis credendum est Iudæorum annalibus. Verum de his annis alibi agendum est.

Aliis visum est Iudæorum impudentia numerum falsum esse relatum, quod credibile non est, cum essent ibi sacerdotes & scribæ. Deinde quid opus erat, si mentiri volebant, signanter dicere 46. annos, cur non rotundè quadraginta aut triginta nominassent.

§. 4. Quod si quispiam Cyri 27. Cambysis 7. Darii 6. numeret, deinde addat annos octo quibus Herodes exstruxit augendo, facilè inueniet 46. Nam 27. & 7. & 6. & 8. faciunt 48. Hinc si annus Cyri vicesimus septimus completus non fuit; nec Cambysis septimus; nec Darii sextus, facilè conficietur, annis quadraginta sex completam fuisse structuram. Hæc est sententia Ariæ Montani.

§. 5. Baronii sententia est primo annalium tomo, Herodianum templum fuisse tot annis exstructum, anno Christi 31. *Pari consensione,* inquit, *omnes interpretes in tam abierunt sententiã, vt de templo, quod sub Zorobabel est ædificatum, Iudæi intellexerint; quod licet aliquo interposito spatio, tamen tot annorum numero & paulò maiori constat ædificatum. Sed his mirum in modum contradicere videntur quæ Iosephus testatur, Herodem vetus illud templum sub Zorobabel erectum, fuisse demolitum fundamentis & nouum desuper ab eo ædificatum, idemque octo annis esse absolutum: sunt hæc eius verba: sublatis deinde veteribus fundamentis, & nouis repositis, desuper templum extruebat, &c. ostendit pluribus, tam exteriores, quam interiores templi porticus, & tam quod foris in atrio, quam quod erat intrinsecus, ipsa penetralia, ac tandem, (vt vno dicam verbo) integrum ipsum templum à fundamentis per Herodem esse excitatum. Quæ ergo causa vt Iudæi ab ædificatione sub Zorobabel facta deducere argumentum voluerint, cum illud amplius non extaret? Vel quomodo de templo quod tunc extabat, dicere potuerunt: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, quod scilicet præ oculis erat: cum illud ipsum (vt idem Iosephus testatur) annis octo, & nonnihil supra extruxisset Herodes?* Baronius Herodianũ putat.

Certè adeò res in angusto posita esse videtur, vt dicere alterum de duobus sit opus: vel Iosephum mentitum esse, vel Iudæos esse hallucinatos: quos quidem, cum de rebus omnibus notis agerent, & eo argumento CHRISTI verba redarguere vellent, nulla potest esse suspicio, tam nota atque patentia esse locutos mendacia, adeo, vt non à Christo tantum, vel à discipulis eius, sed à quouis è vulgo homine redargui erroris potuissent. In Iosepho ergo vacillat fides historica; atque eo magis, quod sua ipsius sententia redarguitur; quippe qui prius dixerit, cum de templo ab Herode exstructo ageret, vetus templum integrum esse demolitum, & aliud nouiter constructum: alibi autem, cum agit de rebus Iudæorum sub Nerone gestis, porticum Orientalem, Salomonis maximum opus, adhuc integrum permansisse testetur: & certò quidem: habetur enim eiusdem mentio in Euangelio, & in Actis Apostolorum. Sed non patitur ratio, vt illi de templo Salomonis voluerint intelligere, quod longè minori annorum numero est ædificatum, scilicet annis septem, vt testatur diuina Scriptura. Nos autem verius existimamus, Iudæos de templo ab Herode restituto esse locutos; fuisseque veram eorum sententiam hoc sensu acceptam, vt cum dixerunt: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc; tempus respexerint, à quo ab Herode cœptum est ædificari, ac inde vsque ad præsentem annum numerauerint annos Quadraginta sex. Nam quantumlibet Iosephus affirmet ipsum templum octo annis fuisse ab Herode absolutum; tamen eiusdem assertione certissimum est, perseuerasse ipsam templi structuram vsque ad tempus Neronis, operantibus in eo circiter octodecim millibus opificum. Sicque illos facere voluisse, concludendum est: Hoc opus, quod oculis cernitur, quadraginta & sex annis absolutum est; & tu in tribus diebus excitabis illud?

Iosephum mendacii argui ipse existimat. Iosephus sic recensuit. libro decimotertio. Ant. capite decimoquarto. *Quod vbi animaduertit Rex, iussit eos bono animo esse mansurum enim vetus templum integrum, nec demoliendum tantisper dum omnis materia comparetur, quæ sit ad futuram fabricam necessaria, neque eos fefellit. Mille enim plaustra parauit, quæ lapides conueherent: & ex omni artificum copia peritissimos selegit ad decem millia, & insuper mille sacerdotes stolis sacerdotalibus suo sumptu vestitos, partim cæmentariæ, partim lignariæ fabricæ non imperitos: hosque omnes adhibuit operi, materia iam antè conuecta. Sublatis deinde veteribus fundamentis, & nouis repositis, desuper templum exstruebat, longitudine centum cubitorum, altitudine totidem & viginti amplius. qui viginti cubiti aliquantò post fidentibus fundamentis deceſſerunt, eosque denuò addere decreuerũt nostri Neronis temporibus. Cõstabat autẽ structura lapidib. candidis firmissimis, magnitudine viginti quinq; cubitorum in lõgũ, octo in altũ, latitudine verò cubitorũ duodecim, habebatq; Basilicæ similitudinem, hinc & inde humilius; media sui parte excel-* Iosephus erat.

excelsum, à multis stadiis conspicuum, maximè ex aduerso habitantibus aut aduentantibus. Ianua verò penè ipsi templo par, & superliminare auleis variegatis, ornabatur, floribus purpureis distinctis, & habentibus columnas intextas, sub quarum capitibus vitis expandebatur aurea dependentibus botryonibus, mirandum sanè opus tam manus, quam materiæ precio. Cinxit etiam totum templum amplissimis porticibus, quæ responderent reliquæ magnificentiæ, & priores illas pulchritudine vincerent, harum duæ validis muris fulciebantur, opere vel in primis memorabili.

§. 6. Equidem mirum est alioqui de templo ab Herode exstructo silentium apud alios. Deinde Iosephum ignorasse ista vix credibile videtur, cum à viuentibus argui posset ædificij nouitate testante.

Templum quod Christus adiuit à Zorobabele conditum est.

Alia parte constat. Templum quod Christus adiuit fuisse illud Zorobabelis. Nam de illo dicitur Aggæi 2.8. *Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria: dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quam primæ; dicit Dominus exercituum; & in loco isto dabo pacem dicit Dominus exercituum.*

Non igitur illud templum omnino aliud factum est. Ideoque illud de nouis fundamentis falsum esse non dubito, nisi fortè quibusdam locis ea sunt renouata.

§. 7. Quin etiam illud non modo falsum, sed etiam imperitissimæ vanitatis videtur esse, cum ait viginti cubitos fidentibus fundamentis altitudine decessisse: Cum enim Herodes ex artificibus dena millia ex sacerdotibus præstantissimos selegerit, tantaq; cura materiam præparârit, quæ fuit tanta eorum imperitia & negligentia rege præsente & instante, vt futuro ædificio fundamento necessaria non ponerent?

Templum inæqualiter subsidit.

Imo verò cum templum ipsum in petra positum esset, vertex erat petricosus, non apparet, quomodo fidere viginti cubitis templum potuerit. Deniq; cum fundamentis fidentibus domus aliqua concutitur, nunquam ab omni parte æqualiter subsidit, quod hic fingitur, nisi soli mollitiem omni modo æqualem esse asserat, & totius muri pondus æquale, quod propter fenestras, angulos, aliaque ne fingi quidem potest: nec hoc modo, sed eodem tempore subsedisse dicendum esset, ne murus rumperetur, alia pars emineret, alia deprimeretur. Quis verò vnquam fundo audiuit structuram aliquam viginti cubitos subsedisse, non potius corruisse?

§. 8. Herodes non omnia quæ ad arcam pertinebant, exstruxit: non enim circumdedit totam arcam de qua loquitur, neque enim destructus erat ille murus Salomonis, qui, si addas aquæductus, & alia, non minore sumptu exstructus est, quam murus templi. Deinde vt monet Baronius, Porticum Salomonis opus integrum fuisse Neronis tempore fatetur. Magis mihi mirum videtur, quod idem habet libro 20. ant. cap. 8. Ioseph. *Iam absolutum*, ait, *erat & templi ædificium: Populus igitur cum videret esse in otio circiter octodecim opificum millia, solitorum hactenus in templo ex operarum mercedibus victum quærere, nolensque sacram pecuniam repositam habere, ne quando præda Romanis fieret, simulque opificibus, inde prouisum cupiens: quod vel vna hora operato statim merces repræsentaretur, suasit Regi vt Orientalem instauraret porticum, ea templi extima claudebat profundæ valli & angustæ imminens, ac proinde subnixa muro quadringentos alto cubitos, saxis constructo quadratis valdè candidis: eratque cuiusque saxi longitudo cubitorum viginti, sex vero altitudo: opus Salomonis Regis qui primus integrum templum condidit. Rex autem cuius curæ Claudius Cæs. fabricam, templi commiserat, reputans quod cunque opus demoliri facilè, reparari difficile, maximè talem porticum egentem & tempore longo, & pecuniis plurimis, non annuit populi precibus, sed vrbem candido saxo consternere si liberet, non voluit.*

Opificum 18000.

Quid sibi vult, cum dicit Nerone Cæsare, Albino præside, templum absolutum, hoc est anno Christi 64. circiter, & vacasse opificum 18000. quid illi egerunt, si templum ab Herode iam ante annos plurimos absolutum fuit, quid illa tot millia, cum Herodes tantum vndecim millia selegisset? Neque verò responderi potest, pictores, sculptores, alioqui fuisse artifices, qui ornarent, non qui ædificarent. Nam per hos populus restaurari porticum Orientalem petebat, quod Rex negauit, quod tempore longo, & plurimis pecuniis res egeret. Quâ ex re apparet, Herodem porticum Orientalem non exstruxisse; non enim opus esset eum demoliri & restaurari. Hinc mihi tota de templo Herodiano historia falsis missa videtur. Iosepho autem non facilè credendum tota eius antiquitas demonstrat, Scripturæ sacræ frequentissimè repugnans. Cum ille autem non vixerit Herodis tempore, res omnes eius gestas structuraſque ab adulatoribus conscriptas accepit, quoc rca mirum non est in maius omnia extulisse.

VERSVS 24.

Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes.

QVÆSTIO I.

Cur Christus se non crederet eis?

Infidelium fides.

§. 1. CHrysostomus simulatè credidisse arbitratur, sed intelligi potest, quod eorum feruorem refrigescere cognoscebat.

Veritas dictum.

Verè eos credidisse alii existimant, sed fidem fuisse temporariam, idque dominum vidisse, ideo non credidisse se illis. Vere credidisse ex eo probatur, quod miracula facientem viderunt, & ideo crediderunt. Ad simulandam fidem nihil miraculis opus erat. Confirmatur idem etiam ex loci & temporis conditione, Multi inprimis sacerdotes infesti Christo erant, non igitur hominibus impiis, auaris, ambitiosis causa erat, vt homini inuiso sese simulatè coniungerent. Bullingerus fidem hypocritarum fuisse ait, sed sine fiducia. Verum frustra; non enim miraculis docebantur credere omnia sibi scelera fore impunia, quam illi fiduciam fingunt.

Temeritas hæreticum.

§. 2. Sincerè igitur crediderunt, sed fides temporaria fuit, veniente persecutione euanuit.

Quare miratus sum Pareum affirmare multos in eum credidisse, hoc est, fiduciam habuisse. l. 1. de iustit. c. 6. [Si, *inquit*, credere non est etiam fidere, sed tantum assentiri; aduersarius cogitur plurima loca absurdissimè atque ineptissimè explicare: omnia videlicet ea loca, quæ iubent nos credere in Deum, in filium Dei, in Christum, in nomen Christi, &c. vt: Creditis in Deum, & in me credite. Item: Quis est, Domine, vt credamus in eum. Item: Multi crediderunt in nomen eius. Item: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, &c. Hæc & similia loca innumera non possunt nisi ineptissimè accipi pro solo assensu. Nam Scriptura non tantum iubet nos credere Deo, Christo, Prophetis, Euangelio, quod etiã mali, & dæmones faciunt; sed & iubet credere in Deum, in Christum, &c. Illud est assentiri tantum: hoc assentiri & fidere simul. Vndè apparet Bellarminum veram fidem iustificantem oppugnare: pro sola fide historicâ, mortuâ, quã & dæmones habent, pugnare.] Respon-

Eiusdem sensus.

Respondeo ad hunc locum: multi crediderunt in nomen eius. Consensu omnium Caluinianorum aliorum non significare fiduciam, seu quam illi vocant fidem iustificantem, vt ex Caluino docēt. Si enim est fiducia iustificans, ergo ex sententia Parei indelebilis, ergo electorum; cur ergo se Dominus non credebat eis?

Ex quo apparet quam malitiose & imperite scripturam allegent, suisque repugnent. Pareus absurdissimè & ineptissime hæc verba de solo assensu interpretari vult, & de speciali fiducia intelligi. At Caluinus in hunc locum omnino aliud sentit. [Nunc, *ait*, » quæritur quum dicit Euangelista Christum nouisse » omnes, eosne solos designet, de quibus nuper loquu» tus est, an pertineat hoc ad vniuersum hominum ge» nus. Extendunt hoc multi ad communem hominū » naturam, ac putant hic damnari totum mundum im» piæ ac perfidæ simulationis. Et certe vera est senten» tia, nihil posse inueniri in hominibus cur illos Chri» stus dignetur suorum numero. Sed ego contextui » non video quadrare, restringo igitur ad eos quorum » prius facta fuit mentio. Verum quia dubitari poterat » vnde hæc Christo notitia, hanc quæstionem antici» pans Euangelista, respondet perspectum fuisse Chri» sto quicquid in hominibus nos latet, vt posset iure » suo inter homines discernere. Christus ergo, qui » cordium est cognitor, monitore opus non habuit vt » scient quales essent isti. Eo autem ingenio præditos, » & eo animi affectu esse nouerat, vt merito à se alienos » deduceret. Quod quidam rogant an non exemplo » Christi suspectos etiam habere possimus qui suæ pro» bitatis specimen nobis non dederunt, nihil ad præ» sentem locum facit, nostra enim ratio longe diuersa » est: quia Christus ipsas arborum radices notas habe» bat: nos vero non nisi ex fructibus qui palam appa» rent, cognoscimus qualis sit vnaquæque arbor. Por» ro quum charitas (teste Paulo) suspicax non sit, de » hominibus ignotis sinistre absque causa suspicari fas » non est.]

Verum aduersarij modo veritatem oppugnant, quam id consequenter faciant, non attendunt, cretro sortiuntur, quid loquantur. Interim Pareo Caluinum oppono. Ille lib. 3. Instit. c. 2. §. 12. Eos nec veram fidem habuisse, nec simulasse ait.

[His, *inquit*, quidem constat, quosdam non simulare fidem, qui tamen vera fide carent. Sed dum subito zeli impetu feruntur, seipsos falsa opinione decipiunt. Nec dubium est quin ipsos occupet socordia, ne cor suum probe, vt par erat, examinent. Tales fuisse probabile est, quibus (teste Ioanne) Christus seipsum non credebat, quum tamen in ipsum crederent: quia nouerat omnes, & sciebat quid esset in homine. Quod nisi à communi fide multi exciderent (communem appello, quia magna est similitudo & affinitas fidei temporalis cum viua & perpetua) non dixisset Christus discipulis; si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis: & cognoscetis veritatem: & veritas vos liberos reddet.]

VERSVS 25.

Et quia opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine.

QVAESTIO I.

An ex eo quod non erat opus, vt quis testimonium de Domino perhiberet, Christi diuinitas probatur?

§. 1. AVgust. hoc loco, & Chrysost. & Cyrill. cæteri que omnes, nullo ferme excepto sic probant.

Proprium est enim Dei, corda scrutari. 3. Reg. 8. 39. Iob. 24. 2. Sic gentiles etiam Ioui suo tribuerunt, πάντα ἰδὼν διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας. Omnia videns Iouis oculus, omniaque cognoscens. Deus certe καρδιογνώστης est. Creator hominis multo melius scit, quid sit in opere suo, quam opus quid sit in se, Anima nostra tam multa extra se cognoscens, seipsam ignorat, non autem animæ artifex, qui in omnia eius penetrat.

CAPVT III.

ERAT autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. 2. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit DEVS cum eo. 3. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum DEI. 4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci: cum sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci? 5. Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnū Dei. 6. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. 7. Non mireris, quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo. 8. Spiritus vbi vult spirat: & vocē eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu. 9. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? 10. Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? 11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur: & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. 12. Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis? 13. Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. 14. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis: 15. Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 16. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 17. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. 18. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filii Dei. 19. Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, &

dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum opera mala. 20. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: 21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. 22. Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. 23. Erat autem & Ioannes baptizans in Aenon, iuxta Salim: quia aqua multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur. 24. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. 25. Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de Purificatione. 26. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. 27. Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. 28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego CHRISTVS: Sed quia missus sum ante illum. 29. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. 30. illum oportet crescere, me autem minui. 31. Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est. 32. Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur: & testimonium eius nemo accipit. 33. Qui accepit eius testimonium, signauit quia Deus verax est. 34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat DEVS spiritum. 35. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu eius, 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

DVarum disputationum compendium complectitur hoc quod præ manibus est caput. Christi cum Nicodemo, in qua ostenditur, quam sit necessaria spiritalis regeneratio, & doctrinæ Christi præstantia explicatur. Simul significatur non esse nisi in Christo salutem, & quidem per fidem, eum exaltandum, ad hoc datum à Deo mundum diligente, vt filio proprio non parceret, & quidem vnigenito.

Altera Disputatio est Ioannis & discipulorum eius, quos ille de suo officio, & Christima-iestate instruit; se non esse Christum, sed illum, cui dederat testimonium; eum esse ipsum sponsum, illum augendum, eum Deum esse; in illum credendum.

A versu 13. vsque ad 21. legitur in Ecclesia Syra matutinis medij ieiunij. רפלגה *dephelgeth; diuisionis ieiunij*, scilicet quadragesimalis. Inde ad finem, *in oblationem encæniorum* Ecclesiæ, דקורבא רחורה שרתא, *decurba dechudath chedtha*; quo ex titulo constat, in illa etiam Ecclesia encæniorum seu dedicationis Ecclesiæ festa celebrata fuisse. Constat ex Nicodemo viro primario & sincero, quanta fuerit ciuium in rebus ad salutem pertinentibus ruditas. Ex discipulorum Ioannis controuersia quanta in æstimatione ille fuerit, quamque humanæ prauitatis præiudicium obstet agnitioni veritatis, cum Ioannem tanti facerent, nec tamen eius se humiliantis testimonium reciperent.

Magnas autem vires habuisse doctrinam Christi miraculis consignatam probat vnico; sed insigni exemplo. Nicodemus enim ex principibus Iudæorum, & quidem secta Pharisæus, impulsu veritatis venit ad Iesum, & Messiam esse confitetur, sed ne collegas offenderet, neue in odium occurreret, noctu venit. Opes, honor, nobilitas fidei impedimento sunt: maximè cum aduersa timentur, hic occultus est propter metum, at aliorum tot millia palam sequuntur, & baptizantur. Nicodemi nomen græcum est, qualia tum plurimi Iudæorum habebant; & omen in nomine fuisse videtur, vicit enim non populum modo, sed etiam principes, nunc quidem clam Christum accedens, postea palam sepeliens. Syris vocatur ניקודימוס *Nicadimaus.*

VERSVS 1.

Hic venit ad Iesum nocte & dixit ei: Rabbi scimus quia à Deo veniisti Magister: Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

QVÆSTIO I.

An signa probent à Deo venisse?

Signa sunt argumen- §. 1. NOn temere se venisse vir grauis & doctus ostendit. A Deo enim venisse magistrum ex eo concludit, quod signa illa non nisi Dei adiutorio amissa facere posset. Manet vero etiam inter Iudæos dissentientes semper id firmum, ac fixum, non esse doctorem, aut Prophetam nisi à Deo missum, quod nunc etiam Nicodemus tanquam certum statuit. Cyrillus & Chrysostomus eumque secuti Ammonius, & Theophylactus imperfectam Nicodemi fidem existimant, solum enim magistrum à Deo venisse pronunciat.

Hoc etiam probabile est; non enim dicit, venisti Filius Dei, ὁ διδάσκαλος singularis ille magister, Messias scilicet, *eodem qualis* sed absolute magister.

Id vero notandum est: quod numero plurali vsus, dicat; *Scimus*; Euidentia enim rerum conuicti Iudæi, quod contradicerent non habebant, netamen se

Christo

Christo darent, vitiis suis retardabantur. Omnes itaque collegas ad Christum non venientes hac sententia condemnat.

§. 2. Quærit Caluinus quomodo ex miraculis pendeat fides, cum & pseudoprophetæ miracula mendacia faciant? *Respondet, fieri quidem iusto Dei permissu vt fallantur Satanæ præstigijs qui digni sunt: verum id non obstare dico quin electis appareat Dei virtus in miraculis, quæ illis sit veræ sanæque doctrinæ non spernenda approbatio. Sic Paulus gloriatur Apostolatum suum signis & virtutibus sanctum fuisse. Ergo vtcunque in tenebris se pro Dei filijs iactet Satan, vbi tamen aperti sunt oculi, & lux spiritualis prudentiæ affulget, miracula Dei, præsentiam qualem hic prædicat Nicodemus, satis solide testantur.*

Addendum etiam, non difficile esse, si modo animus præiudicijs præstrictus non sit, inter vera & falsa miracula discrimen, Satanæ præstigiæ vocantur signa mendacia, sanctorum vera sunt signa.

Hoc denique notandum, doctrinam Catholicam tot signis & virtutibus indubitatis comprobatam, vt homo esse non videatur, si quis eorum veritatem neget. Hæreticos nullum hactenus suorum vidisse miraculum, quod vèl speciem haberet; Nam miracula fieri non possunt, nisi manu Dei, vt recte sentit Nicodemus, & probat Christus. Deus cum illis esse dicitur, in quibus singularis aliqua præstantia relucet, vel ingenij, vel dignitatis, vel etiam gratiæ spiritalis.

§. 3. Signa Christi, si finem spectes, probant Deum esse vt supra ostendi, Gentiles calumniabantur miracula apud Augustinum l b. 21. ciuit. cap. 8. & Origen. lib. 2. contra Celsum. Distinguuntur à signis dæmonum, quod illa rerum agentium in se mutuo, & actionem recipientium efficientiam non superent, aut saltem sensibus illudant. Vera miracula aut modo aut re ipsa fieri non possunt, nisi solius Dei adiutorio. Nicodemus etiam tanquam indubitatum statuit, vera signa non n si diuino auxilio fieri, & certa esse vocationis & orthodoxiæ argumenta. Deus enim cùm miraculis doctrinam obsignet, nunquam sigillum omnipotentiæ falsæ affigit, etrantique doctrinæ. Hoc etiam Caluinus fatetur; duo autem requirit. Primo vt à Deo mittantur: Deinde vt miraculis probent se missos esse. Quorum neutrum cum Nouatores ostendere possint, certissimo constat, eos non à Deo missos venire, sed cucurrisse non vocatos. Ideoque in vanum laborasse.

VERSVS 3.

Respondit Iesus & dixit: Amen amen dico vobis nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre regnum Dei.

QVÆSTIO I.

Quid sit nasci denuo?

§. 1. REspondet Christus ad hoc quod vel Nicodemus rogauerat vel mente voluebat, & rogaturus erat; Nempe quid faciendum esset, vt vitam æternam consequeretur. Ita accipio respondendi verbum; quamuis apud Hebræos sæpe absolute pro loqui ponatur. Quod alibi demonstraui. Cæterum non est existimandum Iudæos de renouatione, & gratia ignorasse doctrinam, cum Dauid clamat; *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis*; verum cum illa renouatio sub metaphora regenerationis proponitur, tanquam ad insuetam doctrinam Nicodemus obstupescit.

§. 2. Caluinus non fuisse vnius hominis ait vitium, sed omnes neglexisse doctrinam de gratiate generationis. [Quale hodie exemplum Papatus in suis Theologis nobis præbet. Nam cum tota vita se in reconditis speculationibus fatigent, quicquid proprie ad cultum Dei, ad salutis nostræ fiduciam, ad pietatis exercitia spectat, nihilo illis notius est quàm sutori vel bubulco, astrorum cursus: imo sibi in exoticis mysterijs placentes, genuinam scripturæ doctrinam, quasi magistrali gradu indignam, ex professo contemnunt. Non est ergo quod miremur Nicodemum hic velut ad festucam impingere, est enim hæc iusta Dei vltio, vt qui sibi præstantissimi ac summi videntur Doctores, quibus sordet ac vilis est communis Doctrinæ simplicitas, in minutis articulis obstupescant.] Respondeo: Theologos quidem in reconditis speculationibus versari, sed tamen inter eas hanc de renouatione hominis doctrinam censeri. Scripturam non modo non contemnere, sed dignã iudicare pro cuiusvel minimo apice plane omnes Doctores Christiani, mortẽ oppetere sunt parati, nec fictam vt illi, sed seriam renouationem ac mutationẽ animorum exigimus, vt peccato gratia, vitijs expulsis virtutes succedant. Qua de re tum alios tum vero nostrum Gregorium de Valentia lib. de gratia diuina consulere lector poterit. *Calumnia Caluini.*

§. 3. In Græco est ἄνωθεν, quod est iterum seu denuo, & desuper, seu desursum: Nazianzenus, Theophylactus, Elias Cretensis posteriore modo interpretantur. Chrysostom. vtrumque recensет, posteriorem eligit. Ita etiam Maldonatus, & Latinus interpres, & sententiam ipse Nicodemus confirmat vers. 4. cum quærit, quomodo possit δεύτερον, *secundo ventrem matris introire, & sic nasci*: Sic etiam Syrus interpres intellexit ἄνωθεν, conuertit בן דרישׁ *men derisch, à principio*, hic & vers. 7. & vers. 4. דתרתין *detharthen*, secundo vt Græcus δεύτερον, Erasmus itaque hac in parte corrigendus est, cum vertit, è supernis. Libri veteres habent natus non renatus, in Græco est γεννηθῇ. Aug. lib. 24. c. 1. contra Faustum habet *natus*. Et multi veterum. ἄνωθεν.

QVAESTIO II.

Quid sit regnum Dei?

§. 1. QVamuis disceptent de sensu, in eo tamen conuenire videntur. Regnum Dei Chrysostom. hom. 23. Euth. Ipsum Christum. Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 40. | Beatitudinem. Cyprian. Epist. 72. Ecclesiam. Tertullian. lib. de anima cap. 20. De sanctitate, intelligit, *non introibit in regnum Dei.* non erit Sanctus. Dei vero regnum non modo de Ecclesia, sanctitateque, sed etiam cælestibus gaudijs accipiendum docet & textus & circumstantiæ. Textus quidem: nam ad regni Dei ingressum regeneratio requiritur, in Ecclesia autem sunt, qui regenerati non sunt. eo modo vt ius regni cœlorum habeant. Circumstantiæ autem; quia Nicodemus anxius de salute æterna Christum accessit, in Ecclesia erat, & esse se non dubitabat. Ad mentem igitur interrogantis responsio Christi directa est. Cogitationes enim & æstus pectoris dubitantis, ac solliciti intuebatur. Denique vocat hic regnum cœlorum, quod paulo post vers. 15. *vt qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aternam;* *Regnum cælorum.* *Nicodemus de regno cælorum quærit.*

æternam; fidei & regenerationis idem præmium ponitur. Vita æterna, regnum cœlorum.

VERSVS 4.

Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire & renasci?

QVAESTIO I.

Quid sit renasci ex aqua?

Aquam negant esse aquam.

§. 1. CAluinus aquam hoc loco negat aquam esse, sed affirmat esse Spiritum sanctum. Et lib. 4. instit. cap. 16. *per aquam & Spiritum, hoc est per Spiritum*, qui purgando & irrigando fideles animas vice aquæ fungitur. Bullingerus non reijcit expositionem eorum qui per aquam intelligunt Baptismum: Beza dubitat: Hinc Caluini amore, inde veritatis viâ proferenda sententia impeditur. Scharpius asserit, si aquam significat, aquam tum homonymiam esse in regno Dei, non enim significare vitam æternam, sed Ecclesiam. Verum soluendo nodum stringit, si enim Ecclesia arcetur, multo magis regno cœlesti. Nemo enim extra arcam, nemo extra Ecclesiam saluatur. Et iam ante demonstraui, regnum cœlorum & vitam æternam eodem modo hic accipi.

Aqua Baptismum significat Lutherani.

§. 2. Magis ingenue Lutherani veteres veram aquam interpretantur. Brentius homil. 25. cum ait, *Baptismum per aquam intelligi.* Quamuis nomine Baptismi totam Euangelij doctrinam accipiendam putet; quod falsum est; aliud est Baptismus, aliud doctrina Euangelij. Quemadmodum aliud baptizare, aliud euangelizare. Paulus se non ad baptizandum sed euangelizandum missum à Deo protestetur. 1. Cor. 1. 27.

Causa tam nouæ quam absurdæ opinionis, est Caluinianis, ne concedere cogantur agi de baptismo, si enim concedant sermonem esse de baptismo, eius etiam necessitatem iudicare fatendum est. Hic tamen aquam proprie & baptismum accipiunt veteres omnes. Nullo omnino excepto, vt ex sequenti disputatione plenius intelligetur. Ratio id ipsum suadet: alius enim in scriptura locus nullus est firmus, quo pædobaptismum probemus, nisi ille quem hic tractamus, sed de necessitate alia est disputatio.

VERSVS 5.

Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

QVAESTIO I.

An necessarius sit baptismus?

Quid ad iustificationem requiratur.

§. 1. MVlto apertius Scriptura ad iustificationem baptismum quam fidem exigit: nisi quis renatus fuerit. Respondet Pareus lib. 1. de iustif. cap. 16. [Scripturas requirere pœnitentiam & sacramenta ad conuersionem, regenerationem, & salutem peccatoris (licet dispari necessitatis gradu) Verum est & hoc allegata docent. Requirere vero ad iustificationem peccatoris, quæ est remissio peccatorum, alleg. ta non docent, & est falsum. Hanc enim accipere est solius fidei proprium.]

Respondeo: peruersam & impiam doctrinam esse, & sibi repugnantem. Si enim pœnitentia & sacramenta ad iustificationem necessaria non sunt, nec ergo ad conuersionem, regenerationem & salutem. Adhæc enim omnia sufficit iustificatio. Si iustus es ex peccatore factus ante pœnitentiam, certissime saluus eris ex Caluiniana hæresi, quæ iustitiam ita indelebilem esse docet, vt nulla scelerum atrocitate, nulla multitudine amitti possit. Deinde iustificatio, quam illi falso sola non imputatione definiunt, sine regeneratione esse non potest, regeneratio sine pœnitentia esse non potest. Ergo nec sine pœnitentia iustificatio. Quod vero necessarium est ad tertium, necessarium est ad id, quod sine tertio esse non potest. Si Sol necessarius est ad florem, etiam necessarius est ad fructum, qui sine flore nasci non potest. Baptismum autem esse necessarium ad remissionem ex eo constat, quod act. 22. 16. dicitur: *Baptizare & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius.* Vana igitur illa est distinctio. Verum ex ipso facile ostendo ipsum sibi contradicere. Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 4. probat gratia habituali vos iustificari. *Præterea*, inquit, *Baptismus non quomodocunque iustificat, sed per modum regenerationis, sic enim legimus Ioannis tertio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. & ad Titum tertio: saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. At regenerari non est aliquid agere, sed nouam naturam, & diuinam ac supernaturalem formam accipere, vnde filij Dei nominemur & simus: iustitia igitur, quæ per Baptismum acquiritur, non est actualis, sed habitualis, quæ per modum formæ in anima inhæreat, eamque ad esse quoddam diuinum & supernaturale euehat.* Hinc ipse apponit: *Rursus propositio falsa, quia præter actualem & habitualem iustitiam datur tertia sine actu vel habitu, imputata seu fidei: ideo nihil sequitur.*

Sine pœnitentia est iustificatio.

Baptismus quomodo iustificat.

Regeneratione Baptismi vt ille sentit, non acquiritur iustitia actualis, nec habitualis, sed tertia imputata seu fidei; Baptismus igitur requiritur non ad gratiam aliquam infusam, sed gratiam fidei, seu non imputationem peccatorum, hoc est, remissionem.

Baptismus non.

Beza dubitat an de Baptismo agatur, & respondet tamen ad Catholicorum argumentum. [Si aqua nomine Baptismus specialiter intelligatur, vt qui peculiare sit nostræ regenerationis sacramentum, sic accipienda est hæc sententia, vt respexerit Christus communem Ecclesiæ ordinem, neque tamen simpliciter gratiam Dei adstrinxerit baptismi Sacramento, quasi sit absolute & sine exceptione necessarium, quum mox regeneratio spiritui, nulla facta aquæ mentione, attribuatur, & idem alioqui sit statuendum de manducatione carnis, & potu sanguinis Christi infra 6. 53. idem etiam multo magis de fide actuali dicendum esset, ex Marc. 16. 16. & Heb. 11. 6. Sic quoque fides omnis erit ex anditu ex Rom. 10. 17. quæ omnia cum absurdissima sint, omnino extra metas excurrit alicubi Augustinus defendendæ aduersus Pelagianos veritatis studio abreptus: quod est etiam postea distinctionibus aliquot ab ipsis Scholasticis mitigatum.]

Baptismus necessarius.

At verba Christi clariora sunt, quam vt fucum illum patiantur. Regenerationem ex aqua & Spiritu sancto Christus requirit, ideo baptismum necessarium ponit.

Recen-

Recentiores Caluiniani eas consequentias habent, vt inde facile deducere liceat baptismum eos necessarium putare, licet alioqui negare soleant. Scharpius in cursu Theolog. de baptismo controuers. 1. infantes probat baptizandos hisce verbis, argumento 8. [Si infantes possunt saluari Matth. 19. 14. & si nihil impurum ingreditur regnum cælorum Iohann. 3. 5. & 5. Apocal. 21. 27. & si infantes sunt polluti. Psalm. 51. 7. Rom. 1. 14. tum infantibus non debet denegari purgationis & regenerationis symbolum: at prius locis citatis, Ergo.]

Itaque sine baptismo impuros putat infantes, si impuri, igitur cœlum ingredi non possunt. Quod si nostrum argumentum firmum non est, labascit & caluiniani hominis, & ostium aperitur Anabaptismo.

§. 2. Aquam autem ad regenerationem pertinere nos Petrus docet, dum vocat lauacrum regenerationis. Regeneratio autem iustificationem complectitur. Ratio vero nulla erat, cur aquam nominaret, si de baptismo non agebat. Cur autem Spiritum sanctum nominaret, & eundem aquam diceret?

§. 3. Olim quoque contra necessitatem baptismi disputabant apud Cyprian. Epist. 72. ad Iubaianum. *Quo in loco quidam quasi euacuare posſint humana argumentatione, prædicationis Euangelicæ veritatem, catechumenos nobis opponunt, si quis ex his antequam in Ecclesia baptizetur in confessione nominis apprehensus fuerit & occisus. an spem salutis & præmium confessionis amittat, eo quod ex aqua prius non sit renatus. Sciant igitur huiusmodi homines suffragatores & fautores hæreticorum, catechumenos illos primo integram fidem & Ecclesiæ vnitatem tenere, & ad debellandum diabolum de diuinis castris cum plena & sincera Dei patris, & Christi, & Spiritus sancti cognitione procedere: deinde nec priuari baptismi sacramento, vtpote qui baptizentur gloriosissimo & maximo sanguinis baptismo, de quo & Dominus dicebat, habere se aliud baptisma baptisari. Sanguine autem suo baptizatos, & passione sanctificatos consummari, & diuinæ pollicitationis gratiam consequi, declarat in Euangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem & confitentem loquitur, & quod secum futurus sit in paradiso pollicetur.*

Eadem est aliorum etiam sententia, Tertullian. lib. de baptismo. Hild. Psalm. 118. Augustin. lib. 13. de Ciuit. capite 7. Retract. 2. cap. 18. vbi tamen exemplum Latronis non satis idoneum putat. Fulg. libro de fide ad Petrum cap. 3. Rabanus libro quarto de vniuerso. cap. 10. Bernard. Epist. 72. ad Hugonem.

Tertulliani hoc vetustissimo tempore ea erat Ecclesiæ sententia vt ex hoc loco baptismi necessitatem probarent. *Quum vero præscribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam, suboriuntur scrupulosi immo temerarij tractatus quorundam, quomodo, ex ista præscriptione Apostolis salus competat, quos tinctos non inuenimus in Domino, præter Paulum. Immo quum Paulus solus ex illis baptismum Christi induerit, aut præiudicatum esse de cæterorum periculo, qui careant aqua Christi, vt præscriptio salua sit, aut rescindi præscriptionem, si etiam non tinctis salus statuta est. Audiui, Domino teste, eiusmodi, ne quis tam peruersum existimet, vt vltro exagitem libidinem stylis, quæ aliis scrupulum incutiat. Et nunc illis, vt potero respondebo, qui negant Apostolos tinctos. Nam si humanum Ioannis baptismum inierant, & dominicum desiderabant, quatenus vnum baptismum definierat ipse Dominus, dicens Petro perfundi nolenti, Qui semel lauit, non habet necesse rursum, quod vtique non tincto non omnino dixisset: & hæc est probatio exerta aduersus illos, qui adimunt Apostolis etiam Ioannis baptismum, vt destruant aquæ sacramentum. An credibile videri potest, in his personis viam tunc Domini non præparatam, id est, baptismum Ioannis, qua ad viam Domini per totum orbem aperiendam destinabantur? Ipse Dominus nullius pœnitentiæ debitor tinctus est, peccatoribus non fuit necesse? Quid ergo alij tincti non sunt? Non tamen comites Christi, sed æmuli fidei, legis Doctores & Pharisæi. Vnde & suggeritur, quum aduersantes Domino tingui noluerint, eos qui Dominum sequebantur, tinctos fuisse, nec cum æmulis suis sapuisse, maxime quando Dominus cui adhærebant, testimonio Ioannem extulisset.* Idem docet Augustinus Epistol. 108. Augustinus hanc per aquam regenerationis necessitatem demonstrat. lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. capite 16. *Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati & mortis, quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritaliter opus habet, vt non solum ad regnum Dei perducatur, verumetiam à peccati damnatione liberetur. Simul itaque peccato & morti primi hominis obnoxij nascuntur in carne, & simul iniustitiæ, vitæque æternæ secundi hominis sociati renascuntur in baptismo.* Cyrillus catech. 3. Per aquam dari gratiam ait, in eo etiam sacramento remissionem peccatorum constituit. Anastasius Sinaita libro 5. Ex aquis genitas gentes per baptismum regeneratas.

§. 4. Porro perire sine baptismo paruulos ex serpentis similitudine docet Augustin. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione. capite 27. *Oportet autem vt si natus fuerit, renascatur, quia nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Oportet igitur vt sacramento regenerationis, ne siue illo male de hac vita exeat, etiam paruulus imbuatur. Quod non fit nisi in remissione peccatorum: quod etiam ipso loco Christus ostendit, cum interrogatus quomodo possent ista fieri, commemorauit quid Moyses fecerit in exaltatione serpentis. Cum igitur itaque per baptismi sacramentum morti Christi conformentur infantes, eos à serpentis morsu fatendum est liberari, si à Christianæ fidei regula nolumus aberrare. Quem tamen morsum non in sua vita propria, sed in illo cui primitus inflictus est, acceperunt.* Eandem sententiam probat etiam ex Cyprian lib. 3. de peccatorum meritis & remiss. capite 5. *Quantum vero, inquit, ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem, quo nati, sunt constitutos, baptizari non oportere, & considerandum esse legem circumcisionis antiquæ, vt intra octauum diem eum qui natus est baptizandum & sanctificandum non putares; longe aliud in concilio nostro visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed vniuersi potius iudicauimus, nulli hominum nato, misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Euangelio suo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare: quantum in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdenda est.* Subdit Augustinus. *Aduertisne quid dicat, quemadmodum sentiat, non tantum carni, sed animæ quoque infantis exitiabile esse atque mortiferum sine illo salutari sacramento exire de hac vita. Vnde si iam nihil aliud diceret, intelligere nostrum fuit, sine peccato animam perire non posse. Sed vide paulo post defendens innocentiam paruulorum, quid tamen de illis apertissimè fateatur.*

Nemini negandum baptisma

Paruuli sine sacramento regenerationis pereunt.

Valde autem vrget Augustinus Cyprianum male addit ille nunquam se audisse in Ecclesia sine peccato nasci eant.

Augustini sententia.

to nasci paruulos, ex quo & illud vt indubitatum infert, sine sacramento regenerationis perire.

§. 5. Obijcit Caluinus. [Etiamsi demus Christum hic loqui de baptismo, non tamen sic virgenda sunt verba, vt salutem in externo signo includat: sed ideo potius aquam spiritui adiungit, quia sub illo visibili symbolo quam Deus Spiritu suo vitæ nouitatem solus in nobis efficit, testatur atque obsignat.]

Respondeo. Salutem nostram non includi signo, sine signo tamen non conferri, per ipsum signum, vt causam instrumentariam dari. Non includit, non alligat virtutem suam rebus ipse creator, sed quod sua sola potentia pollet, id opera creaturæ efficit.

Ex aqua renascimur & Spiritu sancto. Aqua igitur etiam causa est renascendi. Iacobus Andreas Lutheranus ita definit. [Est, *inquit*, organum & instrumentum per quod in sanguine Christi virtute Spiritus sancti à peccatis absoluimur, regeneramur, renouamur.] Neque id negare se Beza in respons. ad acta profitetur. [Deus bone, quo tandem homines abripit rixandi libido: Num enim, quæso, organum siue instrumentum esse negamus aquam baptismi, quum illam esse dicimus signum visibile diuinitus ordinatum, quo menti nostræ repræsentatur verus ille pro nobis effusus sanguis, non vt inane spectaculum, sed vt eius per fidem apprehensione, & spirituali applicatione, tum remissio peccatorum, tum imaginis Dei renouatio in nobis reipsa sanciatur.]

Beza instrumentum agnoscit.

§. 6. Occurrit tamen Caluinus apud Matth. 3. 11. dici baptizaturum Christum Spiritu sancto & igni. *Non est ibi verus ignis, nec ergo hic aqua. Sed ignis qui ibi vocatur, non est ipsum Elementum, sed Spiritus Sanctus.*

Retorqueri hoc argumentum validissimè potest. Cum enim promittit fore vt baptizentur Spiritu sancto, & igni, de solenni Spiritus sancti aduentu intelligit, vbi in igne datus est Spiritus Sanctus. Quemadmodum igitur eo tempore, & Spiritus Sanctus & symbolum eius dictum est, ita & hic de Spiritu sancto, & aqua agitur. Ignis ille seu Lux externum symbolum fuit, ita & hoc loco aqua, hoc est elementum cum Spiritu Sancto coniungitur.

Multa hæreses contra baptismum.

§. 7. Mira est Sathanæ ad baptismum oppugnandum astutia; iam olim eius necessitatem Cerinthiani negarunt. Epiph. hæres. 18. Archontici hoc sacramentum prorsus contempserunt, idem Epiph. hæres. 40. in sola cognitione etenim redemptionis, & iustitiæ perfectione collocarunt. Secuti sunt deinde Manichæi, Massaliani, & deinceps Pelagiani, Theopassitæ, Machometani, Albanenses, Petrobussiani, Pseudoapostolici, Albigenses, Flagellantes, Wicleffitæ, alijque, vt mihi impudentes videantur Hæretici, qui tali, tamque infami societate in errorum suorum colluuie gaudent, ex quorum condemnatione totius Ecclesiæ sententia per seriem omnium sæculorum ad nos deuenit. Non tamen in omnibus par sacramenti contemptus fuit.

Pelagiani paruulos renasci non liberari peccato.

Pelagianorum quidam paruulos egere baptismo fatebantur, non vt à peccato liberarentur, sed in Christo renascerentur. ita Augustin. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 18. *Sed illi mouent, & aliquid consideratione ac discussione dignum videntur afferre, qui dicunt paruulos recenti vitæ aditos viscerius matrum, non propter remittendum peccatum percipere baptismum; sed vt spiritalem procreationem non habentes creentur in Christo, & ipsius regni cœlorum participes fiant, eo modo filij & hæredes Dei, cohæredes autem Christi.* Quos Augustinus refutat, quod sequeretur non esse Christum pro illis mortuum; nam pro solis impijs est mortuus. Illis ægritudine carentibus non esse opus medico. Quæ apud eum legi possunt.

Contra eandem hæresin disputat idem Augustinus de verbis Apost. serm. 14. probatque inter beatos & damnatos non esse medium infantium statum.

Qvæstio II.

An votum baptismi sit dispositio ad iustificationem?

§. 1. Bellarmin. lib. 1. cap. 14. de Iustific. probat desiderium Baptismi esse dispositionem ad iustificationem. Cum enim illud sit medium ad salutem necessarium, voluntas eius suscipiendi in eo, qui saluari velit, sit necesse est. Pareus concedit posse esse dispositionem ad conuersionem, & salutem, non ad iustificationem. At conuersio ad Deum est ipsa Iustificatio, aut si aliter accipias, est actus quem iustificatio consequitur.

Votum baptismi dispositio ad iustificationem.

Friuolum porro est, quod obijcit Simonem Magum baptismum petijsse, nec tamen dispositum ad iustificationem: cum Petrus eum baptizatum execretur. *Non est tibi pars in verbo hoc, quia cor tuum non est rectum, &c. Et Iudæus ille veterator apud Socratem, qui Christianam fidem simulans pecuniæ conflandæ gratia sæpius desiderauit & accepit baptismum, num dici potest fuisse dispositus ad iustificationem?* Simonem non modo dispositum, sed etiam iustificatum credimus. *Credidit enim & baptizatus est.* Certe dispositus fuit ad iustificationem cum credidit. Iudæus ille apud Socr. lib. 7. cap. 17. desiderio baptismi ad maiorem nequitiam dispositus fuit. Nos de eius desiderio loquimur, qui sincere, ex lege Christiani, & fide baptismum suscipit, non de illorum improba impostura, qui baptismi profanatione auaritiæ seruiunt. Nequior autem Iudæo impostore est, qui ideo rectam voluntatem Cathechumenorum ad baptismum anhelantium, atque in Ecclesiam ingredi cupientium, negat dispositionem esse ad iustificationem: quia hypocrisis & simulatio sacramento abutentium, non sit dispositio. Iudæi fallacia, ne ad conuersionem quidem & salutem dispositio fuit: quod tamen sincero desiderio mediorum aduersarius concedit.

Simonis desiderium baptismi baptismum.

Qvaestio III.

An hinc Hæreticorum baptisma damnetur?

§. 1. Nemesianus baptisma hæreticorum damnari à Christo existimauit: sed respondet Augustin. lib. 6. de baptismo contra Donatistas. cap. 25. 12. *Iam vero quod Dominus ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei, quid eum adiuues ad id quod putat, omnino non video. Aliud est enim omnis qui intrabit in regnum cœlorum prius nascitur ex aqua & spiritu, quia nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum: quod vtique falsum est. Nam & Simon ille magus natus erat ex aqua & Spiritu, & tamen non intrauit in regnum cœlorum. Sic fieri ingrediatur potest vt hæreticis etiam contingat. Aut si non nascitur ex spiritu, nisi qui veraci conuersione mutatur, omnes catechumini*

Nemesiani error.

non omnes renascuntur in regnum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quis sæculo verbis & non factis renunciant, non vtique de spiritu sed ex aqua sola nascuntur, qui tamen & intus Teste Cypriano sum. Necesse est enim vt vnum de duobus concedatur: aut illi qui fallaciter sæculo renunciant, nascuntur de spiritu, quamuis ad perniciem, non ad salutem; atque possunt & haretici: aut si illud quod scriptum est: Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum, etiam ad hoc valet vt fallaciter sæculo renuntiantes, non nascantur de spiritu, poterit quis baptizari aqua, & non nasci de spiritu.

Qui igitur lubens volens hæreticorum consortio, & baptismo sese ablui permiserit, spiritu non renascitur repugnante peccato. Si quis inscius, vel infans baptismum eorum susceperit, Spiritu renascitur. Quia sacramentum Domini non euacuat infidelitas ministri.

QVÆSTIO IV.

An animæ per aquam regeneratio, eam ostendat esse corpoream?

§. 1. NEcdum peruersarum interpretationum. Tertul. lib. de anima; animam corpoream docuit. & Vincentius Victor, ideo baptismo probare conabatur, vt est apud August. lib. 2. de anima & eius orig. ad Petrum Presbyterum: *Non vis, inquit, animam ex carne peccati contrahere valetudinem, ad quam vicissim sanctificationem videas transire per carnem, vt per ipsam reparet statum, per quam perdiderat meritum? Aut nunquid quia baptismo corpus abluitur, non transit ad animam vel spiritum, quod creditur conferri per baptismum? Merito ergo per carnem, priscam reparat habitudinem, quam visa fuerat paulisper amisisse per carnem, vt per eam incipiat renasci, per quam meruerat inquinari.*

Plures tamen victor ille cumulat errores. Nam animam ante corpus habuisse *statum aliquem & meritum*, arbitratur. Deinde habuisse habitudinem antiquam, seu statum laudabilem.

Vt verbo breuiter respondeamus: constituendum est, eadem prorsus argumentandi ratione consequi, nec sanguine Christi, nec passione illius animam nostram expiari, cum Spiritus sit, sanguis autem corporeus. Non possunt corpora suapte vi & efficientia in spiritum agere, possunt autem Dei omnipotentia illis vtente. Quemadmodum alio loco contra Caluinistas dictum est.

QVÆSTIO V.

An baptizatus sit de salute certus?

§. 1. ALius etiam error est Lutheranorum. Qui ex eo quod baptizati sunt, certitudinem fiducia specialem habere se putant: ita in colloq. Mompel. p. 471. Iacobus Andreæ. Argumentum est. *Nisi quis renatus sit ex aqua & spiritu Sancto non intrabit in regnum cœlorum, ego renatus sum. Intrabo igitur.*

Respondeo. Hoc in discursu diligentissime quædam esse perpendenda. Primum Lutheranum illum, vt se vocabat Papam, in hoc toto pectore incumbere, vt consoletur suos, hoc est, ita concionetur, vt certo illis persuadeat, ipsos fore saluos, nulla peccata obstare posse. Secundum, tam Lutheranos quam Caluinianos contra illam certitudinem grauissimas habere dubitationes, vt constabit ex illis, quæ ex Beza mox adferam. Tertium. Lutheranos alio vti argumento ad certitudinem securitatemque stabiliendam, alio Caluinianos. Quartum. Vnicum & solum argumentum Lutheranorum esse. Baptizatus es, electus es ergo, igitur & saluus eris. Nam vt Dauid omnem consolationem ponit, & spem certissimam in circumcisione, nullam in vllo alio: ita & Lutherani. Deinde concludit: *Nullam in eo nobis consolationem relictam esse, & relinqui; si vera est vestra doctrina de baptismo, quod non omnes baptizati in filios Dei adoptentur.*

Omnes igitur consolationes, omnia argumenta excludit. hic, & pagina 473. hoc argumento dæmoni insultat. *Recede à me Satan, nullam partem in me habes, quia in nomine Sanctæ Trinitatis baptizatus, & vere in filium Dei adoptatus sum. Quod firmissima fide credendum mihi est, nisi totam Trinitatem mendacij arguere, & acceptum Baptismum ociosam cæremoniam, & ludibrium fuisse, dicere velim.*

Idem vrget pag. 480. & pag. 481. profitetur, Caluinistas, qui tantum probabilem salutis spem ex baptismo concipi posse docent, manifeste ad desperationem, perturbatis conscientiis, fenestram aperire.

Quintum. Lutheranos argumentum Caluinianorum omnino reiicere. argumentum Caluinianorum est. Bonos motus, sensi aut sentiam electus igitur sum, & consors salutis æternæ. Hoc desperationem adferre docet Iacobus Andreas pag. 471. *Quomodo igitur talis conscientia erigi potest? Si enim ad illos motus interuos Spiritus Sancti remittatur, quos in se non sentit, sed contrarios: desperatio augetur, non minuitur.* Et pag. 481. Pios ait ex motibus bonis *nihil posse statuere, quia non modo nullos sed etiam contrarios sentiunt.* Et pag. 482. firmissime demonstrat, dubium esse homini qui nullos bonos motus senserit, *an sensurus sis*, ideo inanem esse illam consolationem. *Bonis motus an signum prædestinationis. Cur Lutherani certi non sint.*

§. 2. Quod ad Caluinianos attinet, eos nunc mitto. Lutheranos constat ex baptismo certos esse non posse. Ideo quicquid clamitent de certitudine; omnia illa certa, cum ad veri normam ventum est, reddi incertissima. Nam primo dicitur; neminem, qui non renatus fuerit ex aqua & spiritu posse introire in regnum cœlorum: non autem omnes qui sic renati fuerunt, intraturos; concedunt enim multos à nouitate Spiritus deficere, & in carnis vetustatem relabi. Quin ipsi fatentur, Saulem circumcisum egregiis Spiritus Sancti donis exornatum, sed recessisse ab eo Spiritum Domini bonum, exagitatum à malo. p. 475. Simon Magus credidit & baptizatus est. nec tamen de salute certus fuit, quam nunquam consecutus est. Recte August. Tract. 6. in Ioann. *Baptisma, quid illi (Simoni mago) proderat? Noli ergo gloriari de baptismate, quasi ex ipso salus tibi sufficiat.* Nonne quotidie Lutherani vident à se baptizatos in Caluinismum prolabi, aut etiam ad Orthodoxam Catholicam fidem accedere, quos tamen perire illi iudicant? Non est ergo hominis nisi incogitantissimi, ex ea re securitatem sibi promittere, cum qua tot alii in exitium præcipitati sunt, non culpa baptismi, sed quia bene loti, & candidati ad antiquum spurcitiarum suarum volutabrum redierunt. Fortiter Beza in respon. ad acta Momp. p. 65. hunc illis torporem excutit. [Sed hoc etiam omisso & concesso quod in baptismo postulat D. Andreas tentatus quispiam, auctore Satana, annon egregium consolatorem suo ipsius argumento repulerint? Esto D. Andrea, quod tu dicis, Fuerim baptizatus, & tunc adoptatus, quum tamen dicas firmam hanc non esse gratiam, sed ab ea excidere me potuisse, vel sane excidisse me sentio, annon quod vna manu mihi videris tribuere, altera mihi tutemet eripis? Quorsum igitur hæc? tu mihi suggeris, quæ me non modo non subleuent, verum è contrario detestandam meam ingratitudinem mihi magis ac magis spectandam proponant?] *Beza conuincit Lutheranos.*

Cum igitur vnum illud vnicuique fiduciationis & certitudinis fundamentum omnino nullum sit. Constat inani confidentia Lutheranos inflari, cum homines sint, & quotidie labi possint gratiamque amittere.

Impostura ministrorum.

§. 3. Lubet hic conuenire aliquem ex istis, qui sub omni cubito puluillos collocant, & quærere. An tu hunc puerum, quem vere & vt tu putas, sanctè baptizasti, saluum fore credas? Respondebit sine dubio: *Diabolo insultandum, ideo quod vere in filium Dei adoptatus sit.* Ita enim ministrum sincerum loquentem induxit Iacobus pag. 483. [Tu es (*inquit*) syncerus Ecclesiæ minister in nomine Sanctæ Trinitatis baptizatus infans, & in filium Dei verè adoptatus. Qui Deus verax est, & promissionum suarum seruans, vt si nos negauerimus, ipse se ipsum negare non potest. Quapropter non dubites, baptismum acceptum, esse obsignationem veram adoptionis, quæ non per aquam significetur, sed verè tibi in infantia collata est. Quare nihil dubites, te iam esse filium Dei electum & Christo insertum per Baptismum, qui te in tentationibus non relinquet, sed ex illis omnibus te certo eruet, de quo tu minime dubites. Non enim tibi mentietur sancta Trinitas, quæ in Baptismo tibi suam gratiam promisit, obtulit, exhibuit, & obsignauit. Quare dicas Diabolo: Vade post me Satan, nullam partem in me habes. Scio mihi affuturum Christum Saluatorem, cuius sanguine in Baptismo ablutus ab omnibus meis peccatis.] Hinc igitur à te baptizato olim, & in adulto, & tentato sic baptismi gratiam inculcas. Verum hoc quæro, an tu quoque sic existimes, eum verè filium Dei electum, non deserendum, ideo quod Deus se negare non possit, quod SS. Trinitas quæ salutem illi promisit, mentiri non possit? An inquam tu, qui hæc illi dicis, & credere iubes, idem etiam sentias illum electum esse? an forte dubites? Dubitare te certo scio: nec enim de aliena fide, aut mente quicquam tibi constare potest. Deus solus rex animorum est, & cognitor; quod si etiam certis signis præsentem in eius animo gratiam cõiectas, de futura perseuerantia certus esse non potes. Dices igitur quod Beza de puero recens baptizato, pag. 484. *Ego quidem omnes bene sperare iubeo; sed non sum Propheta, vt possim prædicere, hunc puerum fore virum bonum.* Nam Iacobus respondet. *Neque opus est. Quoniam gratiam Dei in Sacramento perceptam,* &c. Quod si igitur ipse de exitu pueri baptizati, & salute dubitas, cum plures videas ambulare per vias dealbatas sæculi, cur illi persuades verum esse, quod tibi dubium est? cur illis blandiris, cum aliter sentias? Hoc est homines ex stultis insanos reddere.

Concio confidentialis.

Iubent alium credere, de quo ipsi dubitant.

Prauitas ministrorum.

Solent parasiti diuitum arrosores, & irrisores, inflare homines superbos, vt de se credant magna & splendida, quare maxime eos ridiculos faciunt; Alexandro persuadebant Deum esse, ipsi stolidum iuuenem esse sciebant. Quin eo ventum est, vt non deessent, qui aliquos in cœlum euntes à se visos peierarent.

Multo fortius: Pseudoeuangelici Gnathones miserrimis hominibus illudunt. Accedunt, consolantur, filios Dei electos esse prædicant, si ex illis quæras; Verane censeant, quæ tanto conatu, & ambitione narrant: Respondent nescire se ater an albus sit, Dei, an dæmonis, sed consolari eos, & dubia pro veris adferre. quod proprium est adulatorum. Perinde ac si alicui persuadere aggrederer eum Romanum esse antiqua Scipionum aut Fabiorum gente oriundum ad Sceptra etiam Romani Imperii euehendũ. Interim ignorarem, Wandalusne, an Indus esset? Rutilus an Pœnus? Crœsus, an Irus moriturus sit? Quis ambigat indignis modis homini misero me illudere, nec illo quicquam fore vanius, aut stolidius, si mihi dubitanti, & coniectanti credat? Et hæc tamen fabula à tot Centuriis ministrorum grauiter peragitur; vt mirer ministrum, si alium videat ministrum, non ridere impostturarum & nequitiarum conscium.

QVÆSTIO VI.

An Spiritus Sanctus sit pars Baptismi?

§. 1. ALia quoque hæresis Iacobi Andreæ eiſdem Spiritum refellitur verbis. Nam pag. 439. contra Bezam Spiritum Sanctum facit, partem baptismi. *Substantia baptismi constat aqua & Spiritu.* & pagina 440. *Aquam & Spiritum Sanctum vocat substantialia baptismi.* & pag. 441. liberius elemento Spiritum includit. *Spiritus Sanctus tanquam principalis & substantialis pars (si ita loqui licet) in verbo comprehensus & inclusus est.*

an pars substantia baptismi constat aqua & Spiritu.

Respondeo: Nunquam ita loqui licet. Est enim Deum blasphemia; partem sacramenti dicere Deum, qui est auctor est sacramenti institutor, in illo principalis factor, *principalis* Ex spiritu Sancto regeneramur, sicut ex Deo generamur, tanquam auctore naturæ & gratiæ.

Organo vti voluit baptismo, non potest ille esse baptismi pars. Manichæorum deliramenta sunt, creatorem facere partem alicuius creaturæ. Et propriè quidem ille Spiritum Sanctum accipit, & propriè partem substantialem, seu integrantem. Nam pag. 439. *Effectum, qui est regeneratio, docet, non esse cum substantia baptismi, quæ aquâ & spiritu constat, confundendum.*

VERSVS 7.

Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo.

QVÆSTIO I.

An baptismus sit absolute necessarius adulto?

§. 1. TEmpore Bernhardi (Ep. 77. ad Hugonem) hæc verba eum in modum quidam interpretatus est, vt sine baptismo negaret quenquam saluari, quantumuis fidem, charitatem, contritionem, voluntatem baptismi haberet. Quam hæresin etiam Tridentinum damnauit. Alii quoque obligationem baptismi iam tum, non post resurrectionem, incepisse dixerunt. Pelagiani apud Augustin. lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 30. ne paruulos concederent habere peccatum, & tamen baptismum illis necessarium esse non inficiarentur, illos consequi vitam æternam concedebant, non regnum Dei, sine causa inter ista distinguentes. de quibus supra dixi. Itaque recte Bellarminus lib. 4. cap. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati, hinc probat peccatum originale: manet enim quia semper fuit; ita Augustin. 6. in Ioan. cap. 12. consentiunt etiam hæretici, ex hoc loco probari hoc ipsum. Pareus lib. 4. cap. 7. de amissione gratiæ, &c. [Qui necessario debent baptizari, ii sunt peccato inquinati & immundi. Omnes Christiani infantes vel adulti necessario debent baptizari. Omnes igitur Christiani infantes vel adulti sunt peccato inquinati & immundi. Infantes igitur habent vel actuale vel originale peccatum. Non actuale: originale igitur. Propositio argumenti nititur sine baptismi: quia baptismus datur in remissionem peccatorum: Mar. 1. 4. & 16.

Baptismus quam necessarius.

& 16.16. Item: Qui baptizantur, moriuntur peccato & resurgunt, vt in nouitate vitæ ambulent Rom. 6.4. Sepulti cum Christo per baptismum in mortem, &c. Item: Qui baptizantur, mundantur & lauantur à peccatis, & regenerantur in nouam vitam. Ephes.5.26. Christus mundauit Ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo. Tit.3.5. Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti. Act.22.16. Surge, baptizare, & ablue peccata tua, &c.] Minorem Bellarminus probat auctoritatem. Dionys. Orig. Cyprian. Hieron. Augustini, Siricii. Deinde hoc loco: Nisi quis renatus fuerit. Nam si omnes regenerandi sunt, etiam infantes regenerandi sunt, omnium enim nomine continentur.

In peccato igitur sunt; regenerationis autem modus præscribitur, ex *aqua* & *Spiritu Sancto*.

Quod si sacramentum petentibus ob causam aliquam non potest administrari, in voto saltem esse oportet. Quod votum cum infantibus desit, sine baptismo non regenerantur. Adultorum baptismus, cum vel impossibilitas, vel articulus necessitatis excludit, si voto non desit, vt Theologi docent, à vita non excludit.

Quædam exemplaria habent, oportet, ὑμᾶς, *nos* nasci denuo, quod nullo modo probandum est, Christus enim ipsa generatione sanctus fuit, & regeneratione non egebat.

VERSVS 6.

Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.

QVÆSTIO I.

Quid caro?

§. 1. NIcodemus, quæ Christus de παλιγγενεσίᾳ seu regeneratione, locutus est, propriè de generatione carnali accipiebat, Christus eam illi opinionem eximit: se de spirituali generatione locutum. Nam quod nascitur ex carne seu homine carnali, nascitur ex lege & more humani generis peccato inquinatum, ideo caro est: homo carnalis, peccator à Deo alienus, exors regni cœlestis, quod caro & sanguis non possidebunt. 1. Corint. 15.50. Qui autem ex spiritu, seu ex Deo nascuntur, illi spirituales sunt, regeniti, veterem hominem exuti, de hac regeneratione se loqui Dominus asserit, non de carnali. alioqui & Christus ex carne natus est, & ipse caro, sed propriè & physicè accepta significatione carnis: non pro homine peccatore.

§. 2. Calumnia est Caluini, Theologos Catholicos, per carnem tantum vnicam partem, hoc est, sensualem intelligere. Totum enim hominem interpretantur, in Adamo corruptum, cui proinde opus sit noua genitura. Quod vero ipse ait: [Notitia enim Dei, qualis nunc hominibus restat, nihil aliud est quam horrenda idololatriæ & superstitionum omnium scaturigo: iudicium in rerum delectu & discrimine partim cæcum ac præposterum, partim mutilum & confusum: quicquid industriæ habemus, in vanitatem & nugas defluit: voluntas autem ipsa furioso impetu præcox, tota ad malum rapitur. Itaque in tota natura nulla rectitudinis gutta supereſt.] Hoc inquam falsum est, & Manichæum. Non enim ita mali sunt homines vt nihil sit in illis boni; damnatorum & dæmonum est ille furor, non eorum, qui adhuc ad pietatem crudiri possunt. Hinc originem habet horrendus eorum error, qui omnia in homine peccata esse, & facultates, & opera censent; quorum etiam nonnulli, vt Flaccus Illyricus, ipsam substantiam appellant peccatum originale.

Tertullianus lib. de carne Christi & contra Praxeam legit, *In carne*, at hoc nec rei præsenti, nec Tertulliani instituto conuenit. Caro vero dicitur homo carnalis, & Spiritus, spiritualis.

§. 3. Augustinus lib.1.Retract. cap. 22. Non caro & sanguis secundum corruptionem carnalem dictum est non futurum, non secundum substantiam. Ita hic quoque quod ex carne natum est, caro est. *Caro autem & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Triste est hoc, sed verum æterni iudicis elogium: omnes nasci contaminatos, ex carne enim nascimur, ideoque caro, quocirca ad regnum spiritale nisi renascamur, introitus præclusus est. Totum autem corruptum est, ideo totum etiam intellectus & voluntas, regeneranda est. Apparet autem ex Tertull. lib. de carne Christi cap. 18. veteres hæreticos his Christi carnem oppugnasse. *Etiam voluntas corrupta est.*

VERSVS 8.

Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde venit aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.

QVÆSTIO I.

Quid Spiritus hoc loco sit?

§.1. TRiplex est interpretatio. Prima Spiritum hic significare Spiritum Sanctum, spirantem, renouantem, sanctificantem, vt non intelligatur quomodo, aut vnde aduenerit. Ita Nazianzen. Stapletonus in antid. plures in hanc sententiam citat. *Caterum de Spiritu S. hunc locum exponunt alij Patres Græci, iique grauissimi: Athan. lib.1.& 5. de vnicâ Deit. Trinit. Greg. Nazianz. orat.5 Theolog. Basil. lib.5. contra Eunomium cap. penult. Greg. Nyssen. orat. de S. baptismo. Latini autem Patres fere omnes hanc sententiam sequuntur. Augustin. in hunc locum Tract.12. non solum eam tenet, sed & alteram de vento refutare contendit. Hilar lib.2. de Trinit. Hieronym, ad Hedibiam quæst.9. Ambros. lib.2. de fide cap.3. & de Spiritu sancto. lib.3. cap.11. Gregor. Mag. moral. lib.27. cap.13. Assimilat ergo Christus omnem natum de Spiritu, id est, quemlibet vere Christianum Spiritui S. de quo renascitur, in tribus. Primum quod sicut Spiritus Sanctus vbi vult spirat, & sua dona vbi vult & cui vult distribuit; sic natus de Spiritu liber est in suis operationibus. vnde Paulus, Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Ex hac libertate spirituali quilibet verus Christianus legem implet, (Plenitudo enim legis dilectio, quæ est proprium & primarium donum natorum de Spiritu) tentationes superat & peccata deuitat, (peccatum enim vobis non dominabitur, quia non estis sub lege, vt serui sed sub gratia vt liberi) diabolum vincit. (Maior enim est, qui in vobis est, quam qui in mundo.) Denique omne bonum quod vult operatur, & à Deo charitate nunquam inuitus separatur. Sic vbi vult spirat. Secundo assimilatur Spiritui Sancto omnis: quia sicut Spiritus Sancti vox auditur quidem exterius per Prophetas per Christum, per Apostolos, & alios quos perpetuo mittit, etsi ipse sit inuisibilis; sic hominum spiritualium opera bona & admirabilia foris videntur, vt glorificetur Pater eorum qui in cœlis est, sed dona gratiarum, vnde hæc opera profluunt, interna sunt & inuisibilia.* Probabilis est eius ratio, non autem recte aliam sententiam indicat absurdam: exposita enim non minus sensum exhibet clarum, & tam textui, quam fidei consentaneum, quam ipsius. *Spiritus est Spiritus Sanctus, vt aliqui.* *Stapletonus durus in aliam sententiam.*

Deinde

Prior sententia minus commoda.

Deinde comparationes eius, non nimis cohærent. Non enim institutum erat Christo docere, piorum operationes liberas esse, sicut spiritus Sancti, influxus est liber. Hoc enim non mirabatur Nicodemus, sed de regeneratione quærebat.

Pari modo illud de voce Spiritus sancti per Prophetas sonant, ad dubitationem Nicodemi parum accommodatur. Quorsum attinebat de regeneratione quærenti; dicere impios nescire, quo tendant piorum operationes, & vita? Simili igitur aliquo eum erudit, ne miretur id, quod non comprehendit.

Spiritus anima.

§. 2. ALTERA Maldonati: Spiritum esse animam, hoc sensu. Quid mirum si non intelligas spiritalem generationem cum carnalem animationem non percipias?

Spiritus est ventus.

§. 3. TERTIA. Spiritum esse ventum: Chrysost. Cyrillus. Nec vno tamē modo hanc exponunt. Quidam enim aiunt; quemadmodum liberrimus est vēti flatus, ita nos per spiritum sanctum restitui in libertatem. Alii verò à re naturali duci argumentum putant; miratur quæ de generatione spiritali audit Nicodemus, mirandi occasio est causæ ignoratio. Latebat enim modus nouæ genituræ. Christus infert: non esse hoc mirum: Ventum spirare vbi vult libere, audiri vocem eius. Causas esse abditas, penitusque latentes, ortum & exitum ignorari, hauriri in respiratione, & sentiri dum impellitur atque impellit, ita se quoq; rem habere hominem renouari, occulta, admiranda, & inuisibiliter effectrice Dei virtute. Hunc idcirco sensū esse existimo, quod similitudine Christus vtarur, & à rebus fere notis eas dicat. Qualis est igitur libera ventorum, aërisque agitatio, cuius causam & peritissimi ignorant, solus ille nouit, qui de thesauris *suis promit ventos*, talis est in homine spiritali regeneratio. Deique efficientia. De modo autem Nicodemus inquirit: *quomodo possint hæc fieri?* Suæ etiam rationis modo comprehendere satagit. quod fieri non potest. Itaque nonnulli eum arrogantiæ accusant. Alii modestè quæsiuisse volunt, vt iustum decebat. Responsio Christi subindicat eum cum aliqua diffidentia, & fastu interrogasse. Quin etiā adeo vsitatus ille loquendi modus est, vt nonnulli animam esse ventum putarent; imo ipsam animam pro exspirato vento acciperent. Hinc Virgil.

Similitudines ex rebus notis.

Anima quibusdā ventus videtur.

Vt regem aquæum crudeli vulnere vidi
Exhalantem animam. Sic expiare
Ἐκπνεῖν. Syn. Ep. 44. ἕως ἐμπνεῖ ζῶν
Καὶ δύναται, quamdiu spirat & potest.

Hic Græci dicunt, ἐκπνεῖν τὸν βίον, τῷ ψυχῷ. Prouerbium Pythagoræ veteres recensent. ἀνέμων τῶν πνεόντων τὴν ἠχὼ προσκύνει. Ventorum flantium sonum adora. Quod Iamblichus interpretatur, vt audito ventorum auxilio, Deos adorarent. Alii ad instinctus cælestes referunt, vt mirum non sit, Christum ea similitudine vsum, quæ iam trita erat.

Spiritus nō est anima.

§. 3. Non videtur hoc loco animam Spiritus significare; quamuis enim comparatio tolerabilis sit, verba tamen non conueniunt. Nam spiritus vbi vult spirat: anima non vbi vult animat, sed vbi creatur, vel educitur è potentia materiæ. Ideoque ab eo quē animat suo modo dependet. Nec hoc præteundum est, spirare, pro animare, admodum peregrine sumi, vocem etiam animæ tribuit, cum multa animantia muta sint, & potius alia vitæ signa nominasset, vnde adesse animam cognoscimus.

Præferenda est igitur S. Chrysostomi, aliorumque sententia; & noster vsus est verbo Spiritus pro vento & aëre. Cicer. in Catil. *Potestne tibi huius vitæ lux Catilina, aut huius cœli Spiritus esse iucundus?* Vitales ergo auræ, & νηφυτὸν ἀέρος, in quo & ventus, sic appellat.

§. 4. Venti originem incertam, vt teneri, & regi non possit, prouerbio indicatur, *manu tenere ventum*, de re impossibili. Naturali enim vi fertur ἀκαθέκτως, καὶ ἀκώλυτως. Chrysostom. hom. 25. in Ioan. τὸ ἀπὸ φύσεως φορᾶν τὸ ἀκώλυτον, καὶ μετ' ἐξουσίας γινομένην δηλῶν.

Nec minus prudentiores Philosophi, nam quæ in Meteoris Aristoteles, aliique scribunt, parum examinati omnia satisfaciunt.

VERSVS 10. & 11.

Respondit Iesus & dixit ei: Tu es magister in Israel & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.

QVÆSTIO I.

Cur hanc protestationem Christus adiungat?

§. 1. MIranti Nicodemo Christus aliam haud minorem admirandi rationem opponit. Magistrum scilicet Israelis ignorare eam, quæ est ex spiritu generationem. Syrus vocat מלפנה ריסראל *Melphanech disrael, Doctor Israelis.* Est verò hoc ab אלם illeph docere, & Hebræis אלוף alluph dicitur, qui primarius est, & ductor ὁδηγὸς, seu consilio, seu robore. Frequentissime duces sic appellantur. Amici etiam intimi, quorum de sententia facere pleraque solemus, sic vocantur. Interim nimium Nicodemo infensus est Caluinus. [Sed interea ridiculus "Caluinus est Nicodemus cum suo magistrali supercilio, quod "diuersis in primis elementis magis quàm pueriliter hæsitat. "Nicodemus Tales certè dubitatio turpis ac pudenda est, qualis "manet enim religio, qualis Dei notitia, qualis regula benè "viuendi, qualis spes vitæ æternæ, nisi tenemus homi- "nem spiritu Dei renouari? Est ergo emphasis in vo- "ce Hæc. Quia enim hanc doctrinæ partem scriptu- "ra identidem inculcat, ne postremis quidem tyronibus "ignota esse debet. Nullo itaque modo ferendum "est, vt eius ignarus sit, ac rudis qui doctorem se in Ec- "clesia profiteatur.] "

Errat magister in Israel.

Nicodemus magistrum se esse, vt crederet hominem sine Dei Spiritu posse renouari, iustum & saluum fieri. Hoc enim non minus veteri Testamento, quam nouo repugnat. Nec causa est cur Nicodemo Pelagianismum impingamus.

Pelagianismus.

§. 2. Nicodemus miraculorum multitudine motus Prophetam & diuinum esse virum fatebatur, nec tamen doctrinæ rationē tenebat: Christus eum erigit, & auctoritate sua ad credendum, quæ minus intellectu perspiceret, impellit. Visa enim cognita, penitusq; perspecta se docere profitetur: vt Chrys. docet. Cum res suapte natura sit obscurior, non potest in auctoritate asserentis fidem certam facere. Monet itaq; nec rerum magnitudine, nec intelligēdi imbecillitate doctrinam, sed auctoritate docentis esse censendam. Deinde non opinionibus, sed certa atque ineuitabili veritate doctrinam suam constare. Neque illius dignitati obesse, quod pauci eam amplectuntur. Magnaerat enim imbecillium animorum tentatio, cum suam paucitatem, paupertatem, cum ingenti turba totius fere mundi conferrent; seque viderent tot sapientum disputationibus, potentium violentiæ, populariumirrisioni obiectos.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Cur plurali numero vtatur?

§. 1. NOn solet id Christus facere. Causam cur faciat aliquando, triplicem reddunt. Prima est, quod non ipse solus, sed cum patre & Spiritu sancto testetur; vt cum dicit Deus ipse: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hoc Chrysost. Cyrillo, Ruperto, aliisque visum. Nec maior hic mirandi occasio, quam olim cum in Genesi ita loqueretur Deus, cuius ibi rationem reddidi, ostendique, cur auctoritatem haberet, quod Dei nomina pluralia pleraque essent, ob multitudinem personarum, ex quo fonte manauit, vt pluralis numerus etiam dignitatis esset, & auctoritatis. Nec male illi, qui Christum non modo de se, verum de Baptista, omnibusque prophetis testatoribus loqui censent. Omnium enim prædictiones in hoc vnum conueniunt: ex nobis nos Dei esse inimicos, ex Deo regenerandos. His enim opponit auditorum peruicaciam, cum exprobrat, *& testimonium non accipitis*; Nicodemus enim dixerat: *Scimus*, de se & collegis verba faciens. Quamuis Chrysostomus legit: *Nemo recipit.*

VERSVS 12.

Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si cœlestia dixero vobis, credetis.

QVÆSTIO I.

Quæ Terrena, quæ Cælestia?

§. 1. MAgna prorsus difficultas. Nihil enim Christus nisi cœlestia docuit, de regeneratione, de baptismo, de cæteris, quæ certe spiritualia fuerunt.

Augustinus terrenum vocat illud: *soluite templum hoc.* Nec sane extra rem: publice miraculum postularunt, forte præsente Nicodemo; Publice Christus respondit: *Soluite templum*, contra quod illi multis disputantes, se non credere demonstrarunt. At templi illa celeris restauratio terrena fuit, maius opus est gratiæ infusio, hominis regeneratio. Atque hanc sententiam quæ etiam Bedæ & Strabo placuit, admodum probabilem arbitror. Syrus *terrena* vocat רבארעא *debercha*; *quæ in terra*, & *cælestia* רבשמיא debaschemaia, *quæ in cœlo.* Quasi dicat, si capere non potestis, quomodo lapides coagmentari possim, quomodo de creatore omnium intelligetis? Syrus addit, *mihi* תחימינבני *thehaimenunani*, *creditu mihi.* Proprie ergo terrena accipit, non quæ Deo seruientibus impedimento sunt; & quorum amor à Deo abducit, sed quorum est imago in cælestibus. Si namque nemo hactenus inuentus, qui millesimam partem rerum mathematicarum intellexerit, si in punctis & lineis nostram ignorantiam quotidie fatemur, quid mirum nos ignorare cælestia? Terrena itaque ἐπίγεια, quæ hic videri & fieri solent. Quædam exemplaria habent: οὐκ ἐπιστεύσατε non credidistis, quod sine dubio retulerunt ad miraculum promissum; de templo restaurando.

Chrysost. Cyrill. & Græci alii, de baptismo sermonem esse aiunt: Eum vocari terrenum, quod hominibus detur, vel regenerationem hominum, cum æterna filii Dei generatione conferri. Imo totum hoc de renouatione rudimentum esse & tirocinium doctrinæ sacræ; De gratia, de renouatione, & peccatorum remissione magnum est, multis difficultatibus implicitum mysterium; cuius obscuritate, & olim multæ & nunc plurimæ hæreses exortæ sunt. Quia tamen de rebus creatis, earumque immutationibus agitur, nullam habet cum mysteriis, quæ ad diuinam essentiam aut personas pertinent, comparationem.

§. 1. Aliis visum est non de rebus ipsis, sed de modo explicandi Christum loqui: sed non intelligi res spiritales & arduas similitudine rerum humanarum explicantem, multo minus si res spiritales nude & prout in se constitutæ sunt explicaret. ad formâ itaque & loquendi modum referunt. Caluinus contra eos esse qui argute & subtiliter doceri volunt, aut magniloquentiam petunt: cui non cohæret, quod adiungit: *Quomodo si dixero vobis cœlestia credetis?* Non enim dicere cœlestia, est argute, subtiliter, eloquenter, aut abstrusas speculationes docere, sed res magnas, sublimes, rationem & intelligentiam nostram multis modis superantes.

VERSVS 13.

Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.

QVAESTIO I.

Quæ est connexio cum præcedentibus?

§. 1. EVangelista breuissime recenset quæ plurimis acta sunt, & fere fundamenta disputationis tantummodo ponit, deductiones & consequentias relinquit indagandas. Ideoque obscura sunt omnia. Cur difficilis Euangelista.
Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 31. hanc argumentionem conficit. Nemo potest ascendere in cœlum, nisi filius hominis, qui descendit, opus est igitur ascensuro vt sit membrum eius, at membrum Christi non nisi regeneratione fieri potest vllus. Augustini sententia.
Chrysostomus & qui eum sequuntur, monent Christum se hoc loco Deum, & filium Dei professi, omnibus Prophetis maiorem. Ideo esse in cœlo, descendere, ascendere, nullâ essentiæ vel loci mutatione. Interim Nicodemum admonet, non posse eum res cælestes percipere, nisi duce filio hominis, cui omnia arcana sunt perspecta. Chrysostomus.

QVÆSTIO II.

Quomodo ascendit in cœlum?

§. 1. AScendit in cœlum præterito tempore dicitur: Ἀναβέβηκεν, nec tamen tum facta fuit resurrectio.

Respondemus humanitatem Christi ascendisse, dum assumpta est ad diuinam hypostasin, visionemque beatam. Hic enim ascensus in cœlum.

Porro cum dicat neminem ascendisse in cœlum, eodem modo Ascendendi verbum accipio, & cum de omnibus negatur, & cum soli tribuitur Christo. Nemo ascendit aut corpore, aut mente, vt omnia peruideret. De secundo etiam ascendendi modo accipio, vt ascendere mente, sit res cœlestes contueri. Non enim quisquam humanas, nedum diuinas res plane percepit; sic facilime intelligitur, quomodo Christus ascenderit, vel vnione hypostatica, vel etiam cognitione perfectissima rerum diuinarum. Tertul. aduersus Praxeam Deum ostendit patrem Christi, non enim alius filius alterius Dei. Idem enim qui descendit, ascendit, est in cœlo, verum habet patrem in cœlo, in cum credendum est. Hinc recte Maldonatus docere Christum, omnino opus esse, vt credant, nec aliter tamen posse, quam per filium doceri. Nemo enim alius in cœlum ascendit. Quomodo ascendit. Duplex ascensus Christi.

§. 2. De-

Descensus. §. 2. Descendit de cœlo per affectum, & præcipue, quia homo Christus, non erat in cœlo, Deus autem in cœlo non in terra videbatur. at post in terra fuit. Deinde per incarnationem cum se humiliauit vsque ad mortem, nec hic opus est aliud de descensu Deitatis quam alibi dictum est comminisci.

Arianifikum & verbum distinguūt. Athanasius lib. 5. contra Arianos, verba hæc esse docet; non alterius, sed vnigeniti filii. *Forsitan hic igitur impudentissime dixerint, Non filij, sed verbi hanc vocem esse. Atqui ex superioribus dictis clarum est, filium fuisse, qui ista loqueretur. Cum enim hic dicat; Non veni iudicare mundum, sed seruare, in confesso est, non alium esse, quam vnigenitum filium Dei. Dicit enim superius Ioannes: Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum traderet, vt quisquis in eum credat, non pereat, sed habeat vitam æternam: Non enim misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt seruetur mundus per ipsum: qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: eo quod non crediderit in nomen vnigeniti filij Dei. Hoc autem iudicium est, quoniam lux venit in mundum, & homines dilexerunt magis tenebras quam lucem: erant enim opera eorum mala. Si is, qui dicit, Non veni, vt iudicem mundum, sed vt seruem ipsum, idem est, qui dicit, Qui videt me, videt & eum qui misit me: is autem qui venit, vt mundum seruet, non vt eum iudicet, Filius est Dei vnigenitus: manifestum est, eundem esse, qui dicit: Qui videt me, videt & eum qui misit me: nam qui dicit, Qui credit in me: &, & si quis audierit verba mea, ego non iudico eum: de eo qui filius est, ista loquitur: Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, eo quod non crediderit in nomen vnigeniti filij Dei. Ac rursum, hoc iudicium eius qui non credit in filium, eo quod Lux in mundum venerit, & non crediderunt ei, filio scilicet.*

Etiam homo ascendit, & descendit. §. 3. Athanasius idem etiam lib. de incarnat. verbi contra Paulum Samosatenum, ascensum & descensum filii hominis de idiomatum communicatione exponit.

§. 4. Additur, qui est in cœlo, ne putetur reliquisse cœlum, sed omni modo Deus significetur. Quomodo in cœlo & in terra Augustinus clarissime exposuit de peccat. mer. & remiss. libr. 1. capite 31. *Quamuis enim in terra factus sit filius hominis diuinitatem*

Semper in cœlo manet. *tamen suam qua in cœlo manens descendit in terram, non indignam censuit nomine filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine filij Dei, ne quasi duo Christi accipiantur, vnus Deus, & alter homo: Deus quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; homo quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ac per hoc per distantiam diuinitatis & infirmitatis filius Dei manebat in cœlo, filius hominis ambulabat in terra: per vnitatem vero personæ, qua vtraque substantia vnus Christus est, & filius Dei ambulabat in terra, & idem ipse filius hominis manebat in cœlo. Fit ergo credibilior fides ex incredibilioribus creditis. Si enim diuina substantia longe distantior atque incomparabili diuersitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, vt vna persona fieret, ac sic filius hominis, qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipse esset in cœlo per participatam carni diuinitatem: quanto credibilius alij homines sancti & fideles eius fiunt cum homine Christo vnus Christus, vt omnibus per eius hanc gratiam societatemque ascendentibus, ipse vnus Christus ascendat in cœlum, qui de cœlo descendit?*

Quibus omnibus manifeste conuincuntur Vbiquitarii, dum omnipotentem, omnipræsentem humanitatem fingunt.

Vbiquitarij. §. 5. Qui iam humanitatem Christi in cœlo fuisse finxerunt, & deificatam, Germanice Vergöttet/ *longè à vero* abeunt. Damascenus vtitur quidem deificationis nomine, sed eam non mutatione, sed assumptione, & per communicationem idiomatum factam censet. *Lib. 3. cap. 17. de Fide orthodoxa. Scire refert ait, quod non secundum transmutationem naturæ aut versionem aut alienationem, aut confusionem caro domini deificata dicitur, simul Deus, & Deus facta, aut diminoquus inquit Gregorius: quorum hoc quidem deificauit, illud vero deificatum est, ausim dicere ὁμόθεον, id est simul Deum.*

§. 6. Nihil ergo hic Apollinari aut Schvvenckfeldio fauet, hic enim modus loquendi, non indicat carnem de cœlesti sumptam natura, sed communicatione idiomatum; vnam personam, duas naturas, Homo est in cœlo, homo est in terra; quemadmodum homo Deus, omnipotens, nō tamen humanitas erat in cœlo, cum Christus versaretur in terra, homo enim qua Deus erat in cœlo, non qua homo.

VERSVS 14.

Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportuit Filium hominis.

QVÆSTIO I.

Quæ similitudo serpentis & Christi?

§. 1. NIcodemum ex figura testamenti veteris instruit, & passionem suam prædicit. Ideo enim descendis, vt exaltaretur. Deinde fidei in Christum necessitatem & præstantiam declarat: Quemadmodum enim morsis ab ignitis serpentibus Num. 21. 6. nullum remedium nisi serpentis ænei aspectus erat. Ita etiam nemo nisi fide in Christum à peccatis liberatur. *Nemini nisi in Christo salus.*

Similitudo autem Christi & serpentis erat, quod sicut serpens ille formam venenatæ & maleficæ bestiæ præferebat, nec tamen virus vllum; sed æs purum, eique aërem innoxium incluſum gerebat, ita Christus quoque habitum hominis peccatoris, sed ipse sine peccato tamen assumpsit; Imo contra omnia peccata salutare remedium præbuit, omniaque expiauit. *Serpentis similitudo Christo.*

§. 2. Ophitæ etiam hic de serpentis similitudine verbis abusi sunt, vt serpentem colendum susciperent, ita testatur Tertull. præscriptione aduersus Hæreticos cap. 47. *Accesserunt his Hæretici etiam illi, qui Ophita nuncupantur. Nam serpentem manificant in tantum, vt illum etiam, ipsi Christo præferant. Ipse enim, inquiunt, scientiæ nobis boni & mali originem dedit. Huius animaduertens potentiam & maiestatem Moyses, inquiunt, æreum posuit serpentem: & quicunque ipsum aspexerunt, sanitatem consecuti sunt. Ipse, aiunt præterea, Christus in Euangelio suo imitatur serpentis ipsius sacram poreſtatem, dicendo: Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Ipsum introducunt ad benedicendam Eucharistiæ sua.* Originem erroris & ridiculam & pudendam recenſet; Christum imitari aiunt sacram serpentis potestatem. Augustinus in eorum hæresi sic exponit. *Ophitæ à Colubro nominati sunt, coluber enim Græce Ophis dicitur. Hunc autem colubrum qui decepit Adam & Euam, Christum arbitrantur, sed habent etiam verum colubrum, quem nutriant & venerantur.* Qui & incantante sacerdote egreditur de spelunca, & ascendit super altare, innixum spelunce, & oblationes eorum lambit, & inuoluens se circa eas, regreditur ad spelunca: & ita confringunt oblationes in Eucharistiam, quasi à serpente Christo, vt illi putant, sanctificatas. Tradunt huius serpentis cultum à Nicolaitis siue Gnosticis ad istos deductum. Clemens Alexandrinus 7. strom. vocat Ophianos. eorum mentio est apud Iren. l. 1. cap. 36. Epiphanium, Isidorum, Baronium, Rabanum, alios. Vt mira sit humani ingenii peruersitas, ex tam leui argumento Christo serpentem præ- *Ophitæ cultores serpentis. Illusiones Ophitarū.*

ferre,

ferre, sed hos Magos fuisse satis incantationes, arguunt.

§. 3. Caluinus exaltationem filii hominis de prædicatione Euangelii, non de crucifixione praue interpretatur. Nam de crucifixione Ioannes & hic, & semper intelligit, cap. 8. 28. *Cum exaltaueritis filium hominis*, non laudando, sed in crucem agendo. & Christus 12. 32. *Ego cum exaltatus fuero.* Sic etiam v. 34. Iudæi intelligunt. *Nos audimus ex lege quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis oportet exaltari filium hominis?* Quo loco exaltatio opponitur immortalitati, quo non repugnat prædicationi. Equidem Christus forte vsus est verbo תלא *thala* seu תל *thal*, quod est תלל *thalal extollere*, suspendere. hinc תל *thel* cumulus, collis, & Iosue 8. 28. χῶμα *tumulus*, & Ierem. 30. 18. ὕψος, *altitudo*. Itaque exaltare, erat in cruce suspendere, quod ex Iudæorum etiam patet responso.

VERSVS 15. & 16.

Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

QVÆSTIO I.

Quomodo Deus mundum dilexerit?

§. 1. AD tollendam Nicodemi admirationem, quod Deus filium exaltari voluerit, eximiam charitatem eius exponit. Mundum enim, hoc est, inimicos ita dilexit, vt filium, & quidem vnigenitum, daret, & quidem in mortem crucis. Vide Rom. 5. 8. 1. Ioan. 2. 2.

QVÆSTIO II.

An omnis qui credit, habeat vitam æternam?

§. 1. SI vera, viua, fide credit, atque in ea ad finem vitæ perseueret. Alioqui 1. Cor. 13. 2. nihil iuuat fides, si charitatem non habeant. Nec enim sola fide, sed etiam operibus iustificatur homo, vt Iacobus docet c. 2. 24.

§. 2. Obiiciunt. Solus serpentis aspectus veneno liberabat, ille fidei soli respondit, non operibus.

Respondeo. Aspectum viuum, & fidem viuam iuisse. Imo vero aspectum illum sine fide non fuisse: quienim serpētem æneum intuebantur, Mosi credebant, sperabant. Itaq; erat eo loco & aspectus & fides, minimum ergo si omnia similia constituunt, fidei fidem respondere dicendum est, & aliud visioni. Verum abest vt quis homines illos solo aspectu, non etiam fide & caritate liberatos censeat. Si quis enim animo infideli, vel rebelli aspiceret, non liberabatur. Alioqui si omnia vrgeant in similitudine pari modo concludere oportere, Impios in Christum credentes à peccatis saluari.

QVAESTIO II.

An omnes & singuli credentes de sua salute certi sint?

§. 1. VNus hic est è locis quos passim occinunt hæretici, ad stabiliendam suam fiduciam specialem. Quamuis nunc doctiores in Hollandia ab ea recesserint. Singulatim igitur examinandus est.

Stultissimè hæc verba depraua re conatur Pareus l. 1. de iustificat. c. 8. [Quin stupor est Theologo indignus sic argutari: Fidei iustificantis obiectum sunt omnia, quæ Deus verbo suo reuelauit. Ergo non promissio specialis misericordiæ est fidei obiectum. Contra enim sequitur: Si omnia reuelata: ergo etiam promissio specialis misericordiæ est fidei obiectum. Inter omnia enim reuelata est etiam, & quidem præcipue promissio generalis & specialis misericordiæ: vt supra ostendimus: Ero Deus tuus & seminis tui. Beati omnes qui timent Deum: Propè est Iehoua omnibus inuocantib. eum in veritate: Custodit Iehoua omnes diligentes se: Vt omnis qui credit non pereat, &c. Vniuersalis includit singularia. Ergo singulis inuocantibus, diligentibus, credentibus promissa est specialis misericordia.] *Pareī error.*

Respondeo. Breui fic res comprehenditur. Omnis qui credit, non peribit, ego credo, non peribo igitur. Vera est maior & in Scriptura Sacra. At sub illa generali non continetur ista particularis. *Petrus credit.* Sed alia, *Petrus credens non peribit*: quæ conditionibus multis innititur. Vt Petrus credit, viua fide, caritatem habet, & bona opera, semper fidem, & charitatem retinebit. Quorum nihil est in sacris literis. Scriptura dicit, *qui credit in filium Dei*: nusquam: qui dicit sibi remissa peccata, & manenti peccatori, & ante pœnitentiam, ille habet vitam æternam. *Argumentum Caluinianū.* *Fallacia argumenti.*

§ 2. Obiicit Pareus l. 1. de iustific. c. 10. [Secundo. Quod credere in filium, & credere sibi esse remissa peccata propter filium, sint idem, saltem reductiue, probatur. Credere, filium esse mortuum pro nostris, pro meis, pro tuis, est credere nobis, mihi, tibi, remitti peccata propter mortem filii. At credere in filium, est credere, filium esse mortuum pro nostris, pro meis, pro tuis peccatis. Ergo credere in filium, & credere sibi peccata remitti propter mortem filii, sunt idem. Illud autem Scriptura dicit: Igitur & hoc. Minor est manifesta, nec potest negari: quia omnium consensu credere in filium, est credere, natiuitatem, passionem, mortem filii nostram & pro nobis esse. Maior probatur: Mors filii Dei pro nobis est causa remissionis peccatorum nostrorum: vicissim, remissio peccatorum nostrorum est effectus mortis Christi pro nobis. Est autem, inter hanc causam & inter hunc effectum nexus omnino necessarius. Ergo credere causam, filium pro tuis peccatis esse mortuum, necessario etiam est credere effectum, propter mortem filii tibi esse remissa peccata.] *Credere in filium.*

Respondeo. Hic omnia falsa, vertiginosa, stolida esse. Primo. Credere in filium est, credere Iesum Christum esse filium Dei, vt habetur in Symbolo: *Et in Iesum Christum filium eius, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto.* Eum mortuum pro nobis, & remissionem peccatorum esse, alius est articulus. Ioan. epi. c. 1. 5. 11. exponit, quid sit, *in filium credere.* Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus ex Deo natus est. & v. 5. Quis est qui vicit mundū, *nisi qui credit quia Iesus est Christus.* Sic Ro. 10. 9. Nusquam autem in symbolo vel scripturis est; credo mihi mea peccata remissa esse. *Quid sit credere in filium Dei.*

§. 3. Hoc etiam stolidū est, *Credere filium Dei mortuum esse pro peccatis meis, tuis*, idē esse quod credere, mihi mea, tibi tua remissa. Hac enim ratione cogar credere toti mundo peccata remissa, Herodi, & Iudæ. Mortuus est enim pro peccatis totius mundi. Negant quidem diuinæ misericordiæ obtrectatores Caluiniani, Christum pro omnibus esse mortuum, asserunt autē nobiscum & Lutherani, & Arminiani. Qui idcirco hanc eorum propositionem necessario condemnant. *Credere in filium Dei, non est credere remissa peccata.*

§. 4. Aggreditur tamen rem manifesto absurdam probare. *Mors est causa, remissio effectus, ergo si causam credo effectus etiam credendus est.* Noua philosophia, sed Caluiniana:

Causa quomodo sit sine effectu.

niana. Non enim causa & effectus necessario sunt cõnexa: nec consequens est effectum esse, si sit causa: quamuis si effectus est, causam esse, vel fuisse necesse. Causa sæpè est, sed in particularibus effectus impeditur. Sol calefacit, multa tamen ob causas singulares frigore torpent. Nonne erat causa salutis, cum Christus vellet filios Israel congregare, vt solet gallina pullos? cum Deus tota die expanderet manus ad populum non credentem. Effectus non est secutus; Ratio quia effectus non constat nisi generalium & singularium causarum concursu, remotis obstaculis.

Non tollit actu omnia peccata.

Fateor causam in actu, seu actu agentem esse simul cum effectu. verum credere in filium Dei non est credere filium Dei iam actu tollere totius mundi, etiam futura peccata. Nusquam porro Scriptura dicit: Credendum est tibi remissa peccata, sed credenti perseueranter, cum charitate, remissa. Addit ille calumnias, *Nihil aliud nos credere, quam Dæmones.* Alio loco ad hoc respondeo. Solum moneo, fidem veram impiorum esse supernaturalem, donum Dei Dæmones euidentia signorum conuictos credere. Obiectum tamen idem est; fides impiorum non magis saluat eos, quam Dæmones sua.

§. 5. Non constare autem vnicuique certo & infallibiliter se credere eo modo quo oportet, manifestum est. Quia motus illi in reprobis fatente Caluino sim illimi sunt; & pars maxima hominum decipitur.

Cur nulla sit certitudo.

Deinde hæc requirit, vt sit actio supernaturalis, habeat adiunctam charitatem, certissimò credat, se non amissurum fidem, aut si amiserit recuperaturum, quod sentire ille non potest, qui dicitur credere: nec enim propheta est, nec in sacris literis est eum perseueraturum. Imo concedunt Lutheriani fidem amitti posse, inde concludunt Arminiani ex scriptura doceri non posse, vnumquemque de sua salute securum & certum esse. Quod etiam confirmant Arminiani Hagiensi collatione & eius coronide cap. 1. & ex statu controuersiæ pag. 503. quem Batauis exhibuerunt.

Multos in eadem fuisse sententia ostendunt Remõstrantes apud eosdem. *Varias confessiones aliarum Ecclesiarum, nihil disertè de hac re definire, alias reijcere diserte sententiam nostrorum*; quæ tamen inter se concordes permanent in fidei harmonia. Vnde concludunt, *licere ipsis libere suis fratribus in hoc articulo contradicere fidei veritate ac vnitate necessariâ retentâ*; 2. *Confessionis Belgicæ definitionem sit tale quid definiens, esse recentem, priuatam, & contra consensum Ecclesiarum reformatarum inter se, & ex diametro contra scopum, in quem omnes Confessiones conscriptæ sunt.* Vide totam Coronidem de perseuerantia.

Hic agitur de assensu fidei.

Pareus ex hac fide specialem suam fiduciam fabricat. Absurdissime enim, & ineptissime hæc agit de fide quæ in assensu consistit intelligi. l. 1. cap. 6. de iustificatione, sed è contrario non potest homini textum consideranti venire in mentem, hic non agi de assensu fidei. Nicodemus in Christum credidit, miraculorum argumento impulsus. Audit de regeneratione & miratur, Christus è contrario ignorationem reprehendit, tandem protestatur certa se visa referre. De fiducia illa qua se Nicodemus per omnia flagitia iustitiam retinere posse confideret, verbum nullum. Quid vero al is opus erat si fiducia sola salutem adfert? Quid est aliud dicere, quàm Fac quicquid libuerit, & sanctus, iustus, saluus eris, si credideris tibi nullum crimen impurabitur.

§. 6. Hincalia omnia concidunt, quæ habet l. 1. cap. 11. Responderat Bellarminus promissiones generales loqui de sufficientia, non de efficacia meriti Christi. Cui Pareus occurrit, sed nihil ad Bellarminum respondet. Obiiciunt illi specialim salutem singulis promitti, & varias scripturas producunt.

Ad hæc loca Bellarminus respondet. *Denique, quod dicunt de promissionum generalium applicatione, propter illa pronomina nobis, me; & similibus: rectè dicunt, posse vnumquemque promissiones generales sibi applicare per fidem. Nam quemadmodum fide Catholicâ credo, Christum mortuum esse pro omnibus, ita eadem fide credo mortuum esse pro me, qui sum vnus ex omnibus. At illæ promissiones quæ absolute reperiuntur in Scripturis, testantur sufficientiam pretij nostri, id est, meritorum Christi. Fuit enim Christi passio, quoad sufficientiam, propitiatio pro peccatis, non solum nostris, sed etiam totius mundi. Nulla autem est promissio generalis, qua testetur Christi mortem in omnibus sortiri suum effectum, absque vllâ conditione ex parte ipsorum sed omnes conditionales sunt, quod attinet ad efficaciam, cum fidem & sacramenta requirant. Legant aduersarij nobis ex libro Dei talem aliquam generalem promissionem, & tunc suo iure poterunt eam sibi ratione pronominum applicare.* Applicatio promissionum.

§. 7. Pareus obiicit: [Pro Quarto: falsum est, promissiones generales loqui tantum de sufficientia, non etiam de efficacia, meriti Christi. Expresse enim promittunt efficaciam omnibus & singulis credentibus: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Per hunc accipit remissionem peccatorum quiuis qui credit in eum. Hæc & similia innumera loquuntur de efficacia meriti Christi, non absolute in omnibus, sed in omnibus credentibus. Ita verum quidem, exigi conditionem fidei ad remissionem peccatorum: sed falsum, non posse quenquam credere, sibi remissa peccata: quia quod hic vel ille credat, ex nullo verbo Dei discatur. Quodnim omnis credens, proinde & hic vel ille credens habeat remissionem peccatorum, debet discere verbo Dei. Quod vero hic vel ille credat, non debet disci ex verbo Dei, sed debet sentiri in huius vel illius corde: vti supra de discrimine fidei quæ creditur, & qua creditur est explicatum, illa scripta est in verbo Dei: Hæc scripta esse debet in corde cuiusque credentis ex verbo Dei. Fidem, inquit Augustinus, quisque videt in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit. *Et rursus.* Fidem in corde; in quo est, quisque tenet certissima scientia, clamatq; conscientia: *Et posteà:* Suam igitur quisque fidem apud seipsum videt: in altero autem credit eam esse, non videt. Nimis igitur vel crassa inscitia laborat, vel proterua Sophistica ex æquiuocatione fidei ludit aduersarius.] Promissiones.

Respondeo eodem in errore aduersarium hærere pertinaciter, & studiosè fallere. Primo enim non demonstrat loca, quæ Bellarminus exponit, de efficacia meriti agere, sed manus dat, & arma sociorum, vt vidi. Pareus futilia proiicit. Deinde alia substituit vt præsentem locum, suos igitur necrecte probare concedit, ne quod promisit audet defendere. Nunc igitur de verbis quæ exponenda suscepimus agendum est. Hos fatemur vltro merita Christi efficacia esse in omnibus vere, & vt oportet, credentibus; nam iustificando efficacia fuerunt. Sed inde concludi negamus constare singulis: ego credo vt oportet, semper crediturus sum, habeo bona opera, charitatem, &c. Hoc ille ex Augustino probat. Locum Augustini integrum referam, *Fidem porro ipsam quam videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit, aliter nouimus: non sicut corpora quæ videmus oculis corporeis, & per ipsorum imagines quas memoriæ tenemus, etiam absentia cogitamus, nec sicut ea quæ non vidimus, & ex iis quæ vidimus cogitatione vtcunque formamus & memoriæ commendamus, quo recurramus cum volumus, vt illic ea vel potius qualescunque imagines eorum quas ibi fiximus similiter recordatione cernamus: nec sicut hominem viuum, cuius animam etiam si non videmus, ex motibus corporalibus hominem viuum, sic conijcimus, & ex motibus corporalibus hominem viuum, intuemur etiam cogitando. Non sic sicut videndo didicimus,* Pareus fuit fassus non videt.

videtur fides in corde in quo est, ab eo cuius est: sed eam tenet certissima scientia, clamatque conscientia. Cum itaque propterea credere iubeamur, quia id quod credere iubemur, videre non possumus, ipsam tamen fidem quando inest in nobis, videmus in nobis: quia & rerum absentium præsens est fides, & rerum quæ foris sunt intus est fides, & rerum quæ non videntur videtur fides, & ipsa tamen temporaliter sit in cordibus hominum: Et si ex fidelibus, infideles fiunt, perit ab eis.

Nihil illa verba obsunt veritati. Fidem nos habere scimus. Nam certo scimus nos assentiri reuelatæ veritati, etiam pro ea mori paratos. Certe etiam norunt illi, qui non credunt se non credere. non est hoc obscurum, sicut obiectum fidei, Trinitas, missio filii atque alia, cum his enim S. Augustinus comparat fidei visionem. Deinde fidem quæ in vnoquoque est, & quam quisque certo se habere non cum ea, quæ in alio est, cófert, quam ex signis eum habere coniiciunt. At vero non docet; vnicuique clarum esse; fidem eam esse supernaturalem, cum caritate, indelebilem. Imo quod satis est ad aduersarium conuincendum posse fidem posse diserte dicit: *Et si ex fidelibus infideles fiant, perit ab eis.*

§. 8. Consentiunt illi cæteri orthodoxi Ignat. Epistola 2. ad Ephes. Iustin. quæst. 22. 23. 98. Clemens Alex. l. 11. strom. Iren. l. 4. aduersus hæreses. Cypr. de vnitate Ecclesiæ. Basil. ad Chil. Athan. orat. 4. contra Arian. Hieron. l. 2. aduersus Pelagian. Ambros. sermone 47. Prosp. l. 11. cap. 37. de vocat. gentium. Greg. l. 6. in primum Regum. Liran. in 1. Isaiæ. Imo etiam Hæretici: Melanchthon in 1. Corinth. cap. 10. [Quod autem in aliquibus qui initia fidei habuerunt, & postea lapsi non redeunt, fides. illa priusquam excutitur, vera sit, dictum illud Petri testatur.] Et locis communibus de fide. [Exempla cognitus Saulis & Dauidis, qui & beneficia quæ recensui (illa sunt creatio, patefactio Dei, missio filii, donatio verbi & Euangelii, donatio Spiritus Sancti, promissio vitæ æternæ, nutritio & defensio corporis & animæ, depulsio Diaboli, literarum & veræ doctrinæ ostensio, gubernatio diuina in moribus & consiliis, felicitas consiliorum, &c.) tenuerunt ante lapsum, & post lapsum exuti tantis bonis, pœnas senserunt quas recitaui. Hæ sunt ira Dei, pœna æterna, mors, calamitates præsentes publicæ & priuatæ, amissio donorum, inopia, morbi, infamia, infelicitas consiliorum, infelicitas studiorum, errores & furores, infelicitas liberorum, Diaboli tyrannis, impellens in plura peccata, & maiores miserias.] Confessio Augustana artic. 11. de Pœnitentia. [Damnant Anabaptistas, qui dicunt, homines semel iustificatos non amittere Spiritum Sanctum.] Confessio Bohemica cap. 7. [Quo loco S. Petrus manifeste ostendit, bonis operibus exercendis operam dandam, ob causam vnam, ne quæ adest nobis gratia fidei & bonæ conscientiæ, vel amittatur, vel polluatur, sed vt hæc potius conseruetur. Spiritus enim Sanctus fugit idololatras, & recedit à prophanis, & malus impurusque Spiritus reuertitur in vacuam & otiosam domum. Quicunque etiam conscientiam bonam vel amittit, vel polluit, quid is laudabile Deóve gratiaur pretiosi operis præstare poterit? quo modo precibus operam dabit?] Et Angli anno 1562. artic. 16. [Postquam recepimus Spiritum Sanctum, possumus recedere à gratia.] Item Wigando & Matthæo iudice testantibus Eccles. Lubecenses.

§. 9. Vrget amplius Pareus. [Tertio falsum quoque, particulares propositiones non esse scriptas in vniuersalibus. Ista enim vniuersalis scripta. Omnis qui credit in eum, accipit remissionem peccatorum, irrefragabiliter has particulares quasi scriptas includit. Petrus, Paulus, Lutherus, Caluinus credens in eum, accipit remissionem peccatorum: seu, quod idem est, Luthero, Caluino credenti in eum remissa sunt peccata: Sicut contra hæc vniuersalis: Qui non credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eo: has particulares quasi scriptas includit: Iudas, Bellarminus, & quidam Iesuita non credens in filium, sed tantum credens filium sicut hypocritæ & Dæmones credunt, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eo.] *Particulares vniuersalib. inclusæ.*

Est vero aduersarius hic nimium insulsus, vel potius miser, non credens, ad se particulariter pertinere promissiones: nisi particulariter de se sit scriptum, Tu Cardinalis Bellarmine habes remissionem peccatorum. Nemo enim sanus Homo nescit, leges necessario vniuersaliter scribi, eo quod particularia sunt infinita: particularia vero sub vniuersalibus contineri. Par ratio est promissionum Euangelii, quæ ita vniuersales sunt, vt particulares & singulares omnes sub se contineant. Istæ igitur in illis scriptæ necessario intelliguntur, & creduntur: alioqui ad Bellarminum, ad Paulum V. mœchantem, furantem, mentientem, non pertinebit lex: Non mœchaberis: Non furaberis: Non dices falsum testimonium: quia non expresse est scriptum: Tu Bellarmine, tu Paule V. non mœchaberis; &c. Intelligitis istorum hominum insulsitatem, vbi maxime arguti videri volunt, cauteriatæ conscientiæ manifestum argumentum.] *Leges vniuersaliter scribuntur.*

Respondeo de causa desperantis est irasci. Sed rem ipsam spectemus. Hoc non modò non negamus, sed dogma Catholicæ fidei esse docemus. Hanc particularem. Petrus credens accipit remissionem, continerii in hac generali: Omnis credēs accipit remissionem peccatorum. Subalterna enim sunt: sed negamus Petro certam esse hanc: Ego sum credens. Hæc enim non est in Scriptura, sed opinione hominum nimis, quam facile errantium. Quod vero ait Bellarminum putare ad se non pertinere particulares promissiones, nisi sit particulariter de se scriptum. *Tu Cardinalis Bellarmine habes remissionem.* recte facit Cardinalis, iniquè aduersarius Cardinalis. Hæc enim particularis non est in vniuersali. Cur ergo eam credat? Ipse Pareus fatetur. *Neque enim nos absolutam particularem hanc: Ego credo in filium Dei, colligimus, vt conclusionem: sed subsumimus vt minorem propositionem sub vniuersali: omnis qui credit in eum, habet remissionem peccatorum, & vitam æternam.* Si hanc non colligis, quid molestus es Cardinali? Si subsumis vt Minorem, nos eam in Scripturis esse negamus. Ipse fateris. §. 3. [Nostra enim fides non est in opinione, sed in corde nostro radicata: quia credens scit se credere, & dicit cum Dauide: Credidi, propterea locutus sum. Et: Scio cui crediderim. Nec refert, quod assumptio absoluta, hoc est, fides mea, tua, non est scripta in verbo Dei, nec est verbum Dei. Non enim fides mea, tua debet esse scripta in verbo Dei, sed debet ex verbo Dei à Spiritu Sancto scripta esse in meo, & tuo corde. Et prodit hîc aduersarius vel insciciam, vel sophisticam pudendam, quod fidem, quæ creditur, & qua creditur, perpetuo confundit. Fides quæ creditur, seu doctrina fidei, necessario debet scripta esse in verbo Dei: sed fides, qua creditur seu cordis, debet ex verbo Dei in cordibus nostris scripta, sculpta, radicata esse: sicut præclarè docet Augustinus loco sæpius allegato.] *Particularis quæ non sit in Scriptura.* *Fides quâ creditur; & quæ creditur.*

Huic stultitiæ par non potest inueniri. Quærimus an certum sit; Ego credo in filium Dei: Negamus esse in scriptura; Pareus ait esse fidem *quâ creditur*

ditur, non qua creditur. Deinde eum qui credit, scire se credere.

Respondeo. Fidem qua credimus, aut actum aut habitum esse, qui in scriptura non sunt, sed in animo inhærent, habitus quidam à Deo infusus, actus ab animo Dei auxilio, & habitu concurrente elicitus. At nos cum dicimus: Hanc sententiam: Credo in filium Dei, non esse in scriptura, non dicimus actum aut habitum non esse in sacris literis; hoc enim vt affirmare stultissimum est, ita negare superuacaneum. Hoc vrgemus, hanc propositionem, hoc obiectum, hanc fidem qua creditur. *Ego credo in filium Dei* non esse in scriptura, non deduci inde euidenter, non esse igitur actum, vel habitum fidei qua credatur. Vbi enim non est obiectum fidei, ibi nec actus, nec habitus materiam, circa quam versetur, habet. Cum ergo in Dei verbo nusquam sit scriptum; *Petrus credit, certum est Petrum credere*, non etiam ex verbo Dei inscriptum est animo vt credat, quod in Dei verbo non est.

Itaque quod de legibus fabulatur contra ipsum est. Lex enim *Non mœchaberis. non furaberis, non dices falsum testimonium*, generalis est. Sensus est. Nemo mœchabitur, nemo furabitur, Nemo dicet falsum testimonium. Hinc ad Caluinum mœchantem, Bezam prædicantem, Pareum mentientem lex pertinet. Tu Caluine non mœchabere, &c. Non tamen inde colligere possumus, vel Bellarminum mœchari, furari, vel Caluinum non furari. Nec sub illa maiore: Nemo furabitur, hæc minor includitur. Beza furatur, vel Beza non furatur. Sed Beza non furabitur, hoc est, furari non debet. Lex enim non quid Beza agat, sed quid agere, vel non agere debeat, imperat.

§. 10. Hinc manifestissimæ conuincitur insaniæ, si quis dicat in lege contineri singulorum facta, v.g. *Pareus mentitur*, quod ille millies facit, nec semel tamen in Scriptura positum est. Sed hoc solum, *Pareum mentiri non oportet*, continetur in generali mandato. *Neminem mentiri, oportet*, ex eo enim sequitur singularis Pareum mentiri non oportet. Quemadmodum ex hac generali. *Omnis credens in filium Dei, habet vitam æternam.* Ergo Bellarminus credens in filium Deo habet vitam æternam. Non autem illa; *Bellarminus credit in filium Dei.*

Nota res est, si absit pertinacia. Omnis qui ciuem in prælio seruarit, ciuica corona donetur: sub hac continetur singularis illa. Ergo Sicinnius, qui ciuem seruauit, coronetur quercu, &c. Minor vero: Sicinnius ciuem seruauit, aliunde probanda est, in lege non continetur. Fidem ergo facere oportet à Sicinnio ciuem seruatum. Hæc autem est fides quæ creditur, sed obiectum fidei, *Sicinnius seruauit ciuem*, illa creditur actu fidei à Romanis, fidei inquam humanæ.

§. 11. Christum Deum esse docent Cyrillus. Hilar. l. 6. de Trin. Idacius l. 3. contra Varimadum; nam vocatur vnigenitus, & parum erat, si pro nostra redemptione solum creaturam Deus dedisset.

Ambrosius l. 1. *de pœnitentia, contra Nouatianos*, pœnitentiam probat, cum Deus tantum dilexerit peccatores. Etiam contra Montanistas, & Tertullianum, qui de pudic. c. 19. *Cui enim dubium est hæreticum institutione deceptum, cognito postmodum casu, & pœnitentia expiato, & veniam consequi, & in Ecclesiam redigi? Vnde & apud nos vt ethnico par, immo & super ethnicum hæreticus etiam per baptisma veritatis vtroque homine purgatus admittitur. Aut si certus est mulierem illam post fidem viuam in hæresi postea expirasse, vt non quasi hæreticæ, sed quasi fidei peccatrici, veniam expœnitentiâ vendicet, sanè agat pœnitentiam, sed in fidem mœchia, non tamen & restitutionem consecutura. Hæc enim erit pœnitentia, quam & nos deberi quidem agnoscimus multo magis, sed de veniâ Deo reseruamus.* Denique ea *apocalypsis in posterioribus propudiosos & fornicatores, sicut timidos & incredulos & homicidas & veneficos & idololatras, quitale quid in fide fuerit in stagnum ignis sine vlla conditionali damnatione decreuit. Non enim de ethnicis videbitur sapere, cum de fidelibus pronuntiauit: Qui viderint, hæreditate habebunt ista, & ero illis Deus, & illi mihi in filios: Et ita subiunxerit: Timidis autem & incredulis & propudiosis & fornicatoribus & homicidis, & veneficis, & idololatris particula in stagno ignis & sulphuris; quod est mors secunda. Sic & rursus: Beati qui ex præceptis agunt, vt in lignum vitæ habeant potestatem, & in portas ad introeundum in Sanctam ciuitatem. Canis, veneficus, fornicator, homicida foras, vtique qui non ex præceptis agunt. Illorum est enim foras dari qui intus fuerunt. Caterum quid mihi eos qui foris sunt iudicare? præsciverat.* Dilectio enim Christi omnia tollit.

§. 12. Probant etiam hinc nonnulli Christum venturum non fuisse, si Adam non peccasset; quod vt verum sit, non est tamen ex hoc loco certius, agitur enim hic non de solo & nudo Christi aduentu, sed de passione, & exaltatione in crucem, quæ sine peccato futura non fuisset.

VERSVS 17.

Non enim misit Deus Filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.

QVAESTIO I.

An filius Dei non iudicet mundum?

§. 1. NE mireris inquit de tanta Dei benignitate, nec verearis iudicis ora; filius enim non venit vindex paternæ iniuriæ, sed expiator, & reconciliator. Venit enim vt ministret, & moriatur, postea venturus est Iudex. Interpres Syriaci testamenti pro *iudicat* vertit *condemnat*, quod tamen non est in Syro, sed דנרנגירהי *danuniuhi*, à דין *iudicauit*. Verum sensum magis quam verba respexit. *Quid ignauis. damnatio.*

Beza omnino iudicandi verbum repudiandum censet, quia Christus omnes iudicabit. Verum eâdem censura perstringit Euangelistam, & ipsum Christum, qui verbo κρίνειν vtitur, non κατακρίνειν. quod iudicare, non damnare est: licet hic pro damnare accipi possit; Quod si Euangelista sic Græcum verbum accipit, cur non Latinus latinum?

§. 2. Ingenti contumelia Brentius homilia 28. *Brentius.* Deum Mosen, & othodoxos afficit. Decalogum & Mosen vocat spiritualem carnificem, Christum neminem iudicare, omnes Monachos, sacerdotesque ipse condemnat. [Quod vt recte intelligamus, considerandum erit officium Moysi. Sic enim cognoscetur etiam Christi officium. Duplex igitur est officium Mosi, Alterum est politicum seu ciuile. Moses enim missus fuit à Deo, vt iudicaret Israelitas ciuiliter, hoc est, cur instituerent inter Israelitas politeian externam, & ferret ciuiles leges, quibus scelerati iudicarentur ac punirentur, vt publica honestas ac tranquillitas in populo conseruaretur. Alterum est spirituale. Moses enim missus fuit, vt iudicaret Israelitas, non solum ciuiliter, sed etiam spiritualiter: hoc est, vt ferret talem legem, quæ omnes homines iudicaret spiritualiter, & condemnaret eos pec-

" eos peccatorum. Lex enim, vt Paulus ait, spiritualis
" est, propterea quod exigat non tantum ciuilem ho-
" nestatem, sed perfectam iustitiam. Cum autem in-
" ueniat homines carnales, qui natura sua propter pec-
" catum ita corrupti sunt, vt non possint perfectam
" iustitiam facere, idcirco lex primum ostendit pec-
" catum, deinde reuelat iram Dei propter peccatum,
" & iudicat, hoc est, pronunciat omnes homines pro-
" pter peccatum reos æternæ damnationis, & occi-
" dit eos perpetua morte. Iudicare enim vulgari phra-
" si, non solum significat consilia inter se conferre,
" sed etiam significat innocentem morte condemna-
" tum occidere. Sic Lex Moysi, cuius epitome est De-
" calogus, iudicat omnes homines quia est spiritualis
" Carnifex, quo omnes homines propter peccatum
" traduntur igni infernali. Habes Officium Moysi.
" Conferamus nunc cum eo officium Christi. Deus
" (inquit) non misit filium suum in mundum, vt iu-
" dicet mundum. Quid hoc aliud est, quam si dicat:
" Officium Christi filii Dei longe aliud est quam offi-
" cium Mosi serui Dei? Nam Deus misit Mosen, pri-
" mum vt iudicet mundum ciuiliter, hoc est, vt esset
" externus & politicus magistratus ac Monarcha in suo
" populo. Vnigenitũ autem filium suum, Iesum Chri-
" stum, non misit vt iudicet mundum ciuiliter, vt do-
" minetur politice in populo, sed vt sit rex spiritualis
" & cœlestis. Deinde Deus misit Mosen, vt iudicet
" mundum spiritualiter, hoc est, vt ferat spiritualem
" legem, qua hominibus peccatum reuelaretur, & ho-
" mines propter peccatum condemnarentur, ac perpe-
" tua morte trucidarentur. Vnigenitum autem filium
" suum misit, non vt iudicet mundum spirituali-
" ter, sed vt seruet mundum, qui sunt homines, vt
" omnis, qui credit in ipsum, non pereat æternâ mor-
" te, sed habeat æternam vitam. Ac breuiter, Mo-
" ses venit, vt author peccati. Peccatum, inquit, ge-
" nuit per præceptum in me omnem concupiscen-
" tiam. Et mox, vt fieret maiorem in modum peccans
" peccatum per præceptum. Christus autem venit
" vt iustificator à peccato. Omnis enim qui credit in
" ipsum, reputatur coram Deo iustus. Moses venit
" vt præco iræ Dei. Lex enim iram operatur. Chri-
" stus autem venit, vt autor gratiæ Dei. Qui enim
" credit in Christum, is tantam gratiam inuenit, pro-
" pter ipsum apud Deum, vt adoptetur in filium
" Dei. Moses venit, vt iudex, seu spiritualis carni-
" fex, Christus autem venit, vt iudicatos à carnifi-
" ce eripiat, & æterna morte condemnatos seruet, at-
" que ad æternam vitam ac fœlicitatem perducat.
" Hoc illud est, quod Christus ait: Non misit Deus
" filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed
" vt seruetur mundus per eum. Quo Christi officio,
" quid nobis aut iucundius, aut etiam magis necessa-
" rium? Qua etiam cognitione, quid plus est nobis
" salutare? qua ignoratione, quid perniciosius? Et-
" enim, si quis veram huius officii Christi cognitio-
" nem non habuerit, vt versatur in summo errore, &
" in maximarum rerum ignoratione, ita fieri non po-
" test, quin in iudicio Dei pereat, & vera sua salute
" destituatur. Neque enim tueri se potest, vel aduer-
" sus impietates aliarum religionum, vel aduersus hor-
" ribiles illas accusationes legis in iudicio Dei. Ac ni-
" hil quidem dicemus nunc de his religionibus, quæ
" Christum aut ignorant, vt quondam Ethnici, aut
" condemnant, vt nunc Iudæi, sed dicamus pauca de il-
" lis, quæ videntur aliquam Christo tribuere authorita-
" tem. Monachi & Sacrificuli in Christianismo, re-
" citant symbolum fidei de Christo, laudant Chri-
" stum, commemorant historiam passionis & resur-
" rectionis eius à morte, dicunt eum ascendisse in
" Cœlum, & sedere ad dextram Dei, ac venturum ad
" iudicandum viuos & mortuos. Quid ergo est quod
" condemnentur impietatis? quid iubemur eos vt
" pseudoprophetas, & impostores fugere? Quid, ob-
" secro, deest eis? Hoc videlicet deest doctrinæ seu re-
" religioni eorum; quod non intelligant verum offi-
" cium Christi. Faciunt enim ex Christo legislatorem,
" & respectorem ac remuneratorem humanorum
" meritorum. Hoc certe non est verum Christum a-
" gnoscere, sed nouum sibi Christum fingere, adeo-
" que nullum prorsus Christum, hoc est, seruatorem
" habere.]

Respondeo. Quomodo non cognoscimus verum Christi officium? Nonne Dominum redemptorem cognoscimus? Nonne dicimus eum venisse, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum? Duplex Christi aduentus est, Prior redemptoris, alter iudicis. Et quomodo damnabimur, si legislatorem dicamus Christum? Si remuneratorem? cum Dominus sit *legifer, cum sit bonorum operum remunerator.*

Christi officium cognoscimus.

§. 2. Pro omnibus mortuum esse Christum serio inculcat, cum toti mundo datum asserit, Prosper. *Qui dicit quod non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem, cum sanguis Iesu Christi pretium totius mundi sit. A quo precio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt seruitutem reuersi.* Et alio loco: *Quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi est redemptio totius mundi: sed qui hoc sæculum sine fide Christi & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt.*

Christus pro omnibus est mortuus.

Venit enim vt saluet mundum: & precium obtulit sufficientissimum, pro infinitorum mundorum peccatis; sed hominum malitia obstat, quo minus effectum consequatur.

QVÆSTIO II.

Quod iudicium mundi est?

§. 1. COndemnationis causam generatim explicat, cõtemptum ac odium veritatis, quod ortum est ex peccandi licentia. Lucem Prophetæ, Ioannes, Christus, Apostoli intulerunt, homines magis tenebras amarunt, opera enim eorum mala erant. Contra Deum expostulare solent homines impii & profani: in Christum credere difficile esse, graue iugum imponi, damnationis nimium rigorem esse. Christus causam veritatis & æquitatis agit; nam indignos esse venia coarguit ex hoc ipso, quod luce refulgente vndique ipsi se in tenebras abdant.

Odium veritatis

§. 2. Beza reprehendit quod noster vertit. [Vulgata & Erasmus, Magis: quæ interpretatio sic posset accipi quasi & lucem & tenebras quam lucem, cum potius declaret Christus homines contempta luce tenebras esse amplexos. Non dissimilem errorem annotauimus Luc. cap. 18. v. 14.] Duplex error Bezæ. Nullum enim putat Lucem amasse, cum multi illa afficerentur, & gaudio reciperent ad tempus, sed tandem luce relicta in suas se tenebras abdiderunt; lucis ergo fuit aliquis, sed breuis & inconstans amor, quem vitiorum impetus excussit. Videbant & probabant meliora, sequebantur detetiora.

Beza deficiens in Graninis.

Hodie videas innumeros alienæ virtutis laudatores, admiratores, etiam amatores, sed in suis tamen vitiis ipsi conabescunt. Atque hic error Theologicus est, alter Graminaticus. Vtuntur enim hac vocc, et-

Lucem amarit inconstanter.

ce etiam cum altera partem excludunt. Vt cum in *Andria* dicitur seruulus *habere aliud magis ex sese, & maius*: hic excludit alteram partem. Cicero de amicitia, *Vereor ne magis inuidi, quam amici sit.* Hic Tullium Beza sine dubio corriget, dicetque. *Potius inuidi quam amici dicendum fuisse.* Ne & inuidi, & amici opus esse dicamus, cum inuidus, eius cui inuidet, non sit amicus. Sic 2. de Oratore. Magis mea facilitate, quam vlla alia culpa.

VERSVS 18.

Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti.

QVÆSTIO I.

Quomodo credens non iudicatur, incredulus iudicatus est?

Iudicari est damnari.

§. 1. IVdicari hoc loco est condemnari. Fidelis non damnatur, quia causam salutis in se retinet, Incredulus iam damnatus est, non solum quia damnationis causas habet, sed etiam quia Iudicis misericordiam aspernatur. Syriace est דיין, vt dixi, sed interpres, hic etiam vertit *damnari*. Qui autem credit non ideo securus est. fieri enim potest, vt incipiat non credere, vt fidem viuam amittat.

§. 2. Iam damnati sunt; quia causas damnationis in seipsis habent, improbitatem perseuerantem. Nam Christus vita & salus, non est causa mortis & exitii.

S. Hilarij sententia.

Hilarius medios quosdam inter pios & impios facit quos putat iudicandos, & hos peccatores esse, sed non impios tamen, eo modo quo alios vocat impios, in Psal. 1. Verum omnes constat iudicandos etiam bonos, iudicio quo præmiorum magnitudo, & proportio designatur.

Duplices qui credūt. quique nō credunt.

§. 3. Iudicium appellat sententiam damnationis, quæ iam concepta est, & dicta in eos qui non credunt. Duplex est autem non credentium status. Primus eorum qui non credunt, aliquando credituri: alter eorum qui non credunt, & in infidelitate sunt perseueraturi, quod discrimen in illis quoque, qui credunt, locum habet. Qui non credunt credituri, damnati sunt secundum præsentem infidelitatem, absoluendi cum crediderint; cæteri vero damnati nunquam absoluendi, nam sententia iam dictata, legis vigore reos supplicio tradet.

Non soli infideles iudicati.

Nec discrimen facit Christus inter infidelitatem & alia peccata, quod falso multi sunt interpretes suspicati: Nam etiam homicidæ, adulteri, quique aliis criminibus tenentur, iudicati sunt. De infidelitate ideo Christus Nicodemum instruit quod ille se alienum à damnabilibus culpis putaret, & necessarium esset, de fide vt salute per filium Dei consequenda, eum edocere. Tantum igitur abest, vt diuersam infidelitatis causam & aliorum peccatorum statuat, vt potius ex paritate Nicodemo, quid exspectandum illi sit, nisi credat, ostendat. Nam, quemadmodum, inquit, qui in legem Moysis delinquunt, iam tum cum scelus concipiunt damnati sunt: causam enim damnationis habent, Dei etiam decreto pœna & modus pœnæ statutus, & nisi resipiscant momento tantum executio differetur, ita etiam incredulis futurum, qui si perseuerant quamuis mundo, vel iusti, vel honorati videntur, damnati sunt. Sic Roman. cap. 14. v. 25. *Qui autem discernit, si manducauit, damnatus est.*

QVÆSTIO II.

An omnis, qui male agit, oderit lucem?

Publicè & manifestè peccare.

§. 1. ALiquando perditissimi homines clara luce, palam scelera committunt, vt de legibus victis se triumphare demonstrent, alii etiam peccatorum vulnera reuelant, vt sanentur. Veritatem facere Hebræis est rectè, sincere agere.

Ad lucem venire est velle in publico esse, nolle celare facta. Natura autem ita comparati sunt, vt turpia facta celare pudor iubeat, præclara autem opera in Deo facta ad eius gloriam, aliorum salutem vulgari conueniat; neque enim hic agitur de hominum vanitate sua opera laudantium, aut ad ostentationem laborantium, alioqui *ex Deo non essent*, sed arrogantia humana. Syrus habet דסגיתא *dsaniatha*, quod odiosa, inimica, & quasi dicat, *abominata*, significat. Porro hic de hominum hypocrisi agitur, scelera sua celare satagentium, remedia odientium.

Vt non arguantur opera eius, quædam Græca exemplaria habent: ὅτι πονηρά ἐστι, *quod mala sunt.*

§. 2. Qui opera bona facit, ad lucem venit, Deo enim probare se conatur, Deo enim laborat. Non quod rectè agat ante lucem acceptam ex natura, sed quod aliqua luce aspersus, porro in eam se insinuet, magisque & magis illustretur.

VERSVS 22.

Post hæc venit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.

QVÆSTIO I.

Vnde venit in Iudæam?

Ierosolymis.

§. 1. NOnnulli ex Galilæa venisse, plures Ierosolymis; hoc enim indicat orationis contextus. *In Iudæam.* Moris autem est, vt qui in vrbe aliqua celebri sunt, *rom.* cum exeunt, in regionem illam ire dicantur, in qua ciuitas est; & qui in arce sunt, quæ intra vrbis mœnia sita est, in vrbem ire dicuntur. Alii malunt ideo dici, quod Ierusalem esset in tribu Beniamin, exea in tribum Iuda profectus sit. Alii in territorium Iudææ, seu agrum.

Vincentius noster Iudæam à Beniamin distingui docet: Toletus sensum esse, quasi dicat, non est reuersus in Galilæam, sed mansit in Iudæa.

VERSVS 23.

Erat autem & Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic & veniebant & baptizabantur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Vbi Ioannes baptizabat?

§. 1. IN Ænon iuxta Salim. Alia enim Ænon erat prope Damascum, Ezechiel. 47. 17. Syrus ait בעין יון *bekin Iauan, in fonte Iauan.* Apud Ezechielem vero est צדרון *ghenu*, ita vt voce etiam differunt, Syrum interpretari possis, *in fonte Iauan*, vel, *fonte Ionis.* Falluntur itaque interpretes, qui eundem locum faciunt, eo quod idem nomen existiment. Ænon Hieronymus de locis Hebraicis inter Ierusalem, & Diospolim, id est, Zyddam collocat. Salim ait esse in Sichem.

Aqua multæ, riui scilicet, & fontes, non autem Iordanis inundationes.

VERSVS 25.

Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis, de purificatione.

QVÆSTIO I.

De qua purificatione facta est quæstio?

§. 1. NOn de Iudaico ritu, sed baptismo; hoc enim mouit Discipulos, cur veniant & Ioannem moneant, zelo peruerso impulsi. Syrus habet; *quæstionem vni* לחד *lechad* ex discipulis ortam esse, cum vno Iudæo, ab vno videlicet incepit, ad plures deinde est prorogata contentio. Ne vero parui faciat querelas Magister, augent etiam v. 26. *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Omnes ad illum venire hyperbolice dicunt, qui enim pro baptismo zelabant non veniebant. Syrus pro πάντες vertit: סגיאא *sagie multi.*

Christum baptizare asserunt; nam Apostolos baptizarat, saltem ex illis aliquos, per quos cæteros deinde baptizabat. Ordinariè Dominus euangelizabat, miracula faciebat, baptizandi officium per discipulos exercebat.

§. 2. Ioannes respondet v. 27. *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo*; & accusationem retundit. Hoc autem Ioannis dictum de Christo dici communiter consentiunt. Alij indignantis exclamationem esse arbitrantur. Non mirum eos tot suis exhortationibus tam parum profeciisse, Deum non dedisse. Sed melior est prior expositio. Non enim Deus causa dubitationis & ambitionis erat, sed discipulorum vitiositas tarditasque.

Syrus addit, non posse hominem accipere quidquam מן זבוה נפשה *Men Zebuth naphschech, ex voluntate animæ suæ.* Hoc est electione proprij arbitrij, non enim humanæ industriæ est venire, miracula facere, sed muneris diuini. Hęc autem verba cum in Latinis, & Græcis codicibus non sint, ex glossemate inserta non dubito.

VERSVS 29.

Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.

QVÆSTIO I.

Quo similitudo sponsi pertineat?

Quis sponsus.

§. 1. SPonsus est cuius honori omnes seruiunt, & propter quem ad nuptias veniunt. Christum esse sponsum Ecclesiæ ad quem omnes confluunt, ad quem & ipsos suos discipulos ire desiderat, se amicũ sponsi duntaxat esse. Gaudio gaudere ad vocem spõsi, Syrus gaudio magno gaudere, ita sane fuit, gaudium enim suum dicit impletum.

Sponsi similitudo etiam eo facit, vt ostendat, soli Christo adhærendum, eius sponsas esse animas fidelium, cæteros amicos sponsi esse, quos ille ad nuptias inuitat, vt coniugium honorent, non vt sponsam illis prostituat.

§. 2. Bullingerus furiose oppugnat Romani Pontificis primatum ex eo, quod Ioannes se sponsum negarit. *Monstrum esse* ait *eam Ecclesiam, quale illud Horatianum.*

cum
Humanò capiti ceruicem pictor equinam
Iungeret.

At vero non Petrus ipse, non Pontifex vllus sponsum Ecclesiæ se dixit, sed vicarium, & administratorem Ecclesiæ visibilis, in hac terra pugnantis; amicum sponsi. Quod si sponsi interdum nomine in spiritualibus vtuntur, aliud nihil nisi amorem & curam indicant.

VERSVS 30.

Illum oportet crescere, me autem minui.

QVÆSTIO I.

Quomodo Ioannem minui, Christum crescere oportet?

Ioannes minutus.

§. 1. ALlegoricæ interpretationes sunt: Ioannem capitis abscissione minutum Christum in cruce extensum. Ioannem se minuisse fatendo peccatorem, Christum creuisse summa innocentia. Alij sic factum opinione hominum. Quæ omnia omitto. Nam verum incrementum Christi decrementum sui vir Sanctus intelligit, quod non in eo consistebat, vt Ioannis Sanctitas, vel hominum de illo opinio minueretur, hæc enim aucta sunt, sed cum magna turba ad Ioannem confluere soleret, Christo docente, ad eum venirent, Ioanne deserto, vt quos ipse ad Christum mitteret: crescebat igitur familia Christi, decrescebat Ioannis. Hoc quod vrebat discipulos Ioannis, vt clamarent: *& omnes veniunt ad illum.* Suam solitudinem cum frequentia gloriaque Christi inuidiose comparantes. Ioannes respondet: sic à Deo ordinatum esse, vt ille crescat, populosque trahat, ipse vero Ioannes minuatur, ac tandem in carcerem compingatur.

Crescendi autem verbo de gloria & frequentia & profani, & sacri scriptores vtuntur, vt Genes. 26, vers. 3.

VERSVS 31.

Qui desursum venit super omnes est, qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cælo venit super omnes est.

QVAESTIO I.

Quid sit de sursum esse?

§. 1. NOn modo Christum esse maiorem se, nec cũ illo de gloria contendẽdum denunciat. Sed super omnes esse, nullum esse illi parem, quod de sursum sit. De sursum non est, quod ex cœlesti aliqua materia factus sit, vt Ariani blasphemant, est enim ex Maria natus. Sed duas ob causas de sursum esse dicitur. Primum quia origo illius non terrena, sed ex Spiritu sancto conceptus, & de virgine natiuitas.

Deinde de sursum est ex patris æterni substantia, vt Cyrillus Alexandrinus interpretatur.

§. 2. Porro generaliter intelligendum est, quod dicitur ἐπάνω πάντων. Supra omnes etiam angelos, qui etiam de sursum sunt, sed alio modo ministri, alio filius vnigenitus. Christi enim mundus proprius erat, vt Cyrillus habet.

QVAESTIO II.

Quomodo Ioannes de terra?

§. 1. IOannes originem suam Christi generationi opponit, se esse ex terra, cæterorum more hominum conceptum, & natum, ideo se constare etiam materia vitiosa, terrena. Christum de Cœlo esse, origine alia nihil in eius natura terrenę fęcis admistum? etsi enim corpus eius terrenum fuit, omni tamen inordinatione & vitio caruit.

Non tamen hoc doctrinæ auctoritatem imminuit, hanc enim à Deo habuit gratiæ, cœlesti debiturus quicquid habuit, aut potuit.

§. 2. Hoc vero magnopere obseruandum est; Ioannem non locutum de terra, quasi materia concionum eius terrena fuerit. Sed quia homo terrenus vt dictum ex terra locutus sit; dicitur enim ἐκ τῆς γῆς Ex terra, non ὠφ' ἑτῆς γῆς, quam super re terrena sermonem faceret.

VERSVS 33.

Qui accepit eius testimonium, signauit quia Deus verax est.

QVAESTIO I.

Quomodo is, qui accipit testimonium, signauit, quia Deus est verax?

Deum vocari Christum putet hic Cyrillus.

§. 1. QVid Dei nomine significetur, controuersum est. Ariani Deum Patrem dicebant hoc loco intelligi, quos contra Cyrillus disputat, ostenditque Christum hic Deum nominari. Quod tamen ex hoc loco non nimis firmiter probatur, cum in probatione propositionis, Deus Patrem significet. Verba sunt: *Quem enim misit Deus verba Dei loquitur: Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.*

§. 2. Caluinus tamen lib. 3. instit. cap. 2. Dei virtutem, ait, à credentibus obsignari. *Qua ratione obedientia vocatur fidei, cui nullum aliud obsequium præfert Dominus, & merito, quando illi sua veritate nihil est pretiosius: quam à credentibus, quasi subscriptione facta, obsignari, Ioannes Baptista est testis. Verum disserte Apostolus dixit:* Credentes obsignare, quod Deus verax sit, non autem eos obsignari, ἐσφάγισεν hoc est, sigillo oppresso signauit. Syriacè חתם *chatham* quod est signare, claudere, concludere.

VERSVS 34.

Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum.

QVÆSTIO I.

Quid sit dare spiritum ad mensuram?

§. 1. NEgat Ioannes Christo spiritum datum ad mensuram. Chrysost. Cyrillus August. adsunt, *huic*, quod nunc abest. Ex eo vero probat eum loqui verba Dei, quia non dedit illi Deus spiritum ad mensuram. Totum enim spiritum habet, Deus, & Homo. Ideo nunquam aliud nisi Dei verba proferre potest, at cœteri quibus est datus Spiritus ad mensuram aliquando sua, non Dei verba loquitur. At Christus ita vera, firma, certa loquitur, vt personæ eius repugnet, quicquam falso loqui. Est enim impeccabilis.

Sine mensura dare spiritum est Dei.

Christus impeccabilis.

§. 2. Vbiquitarij hunc locum vrgent; Non dat ex mensura Deus Christo Spiritum, ergo infinitum, ergo humanitas Christi habet infinitam sapientiam, ergo potentiam: immensitatem.

Respondet Beza, non dici infinitum dare spiritum, non ad mensuram, sed totum. Sed vrgent illi. Totum hoc infinitum est. Spiritus Dei infinitus est. Deinde si finitum est, quod datur, ad mensuram ergo definitum est. Alia igitur ratione occurrendum est. Totum infinitum, ipsam diuinitatem esse communicatam humanitati per assumptionem ad eandẽ hypostasin. Atque hac ratione infinitam dignitatem sortitus est Homo, vt Deus diceretur.

Vbiquitarij.

Deinde dona gratiæ, sapientiæ, aliaque omnia finita fuere, sed talia, vnde hominibus omnia darentur. Maxima dedit, multo maiora quam totus mundus habeat, finita tamen, quæ omnem mensurã contineat, ideo sine mensura. Sic ἄμετρα dicuntur, non quæ simpliciter sunt infinita, sed magna, excedentia τὸ μέτρον, vel etiam τὴν μετριότητα, mediocritatem. Quomodo gratia vnionis sit infinita, & merita Christi precij infinita, scientia etiam infinita, opera enim æstimatione morali infiniti valoris fuerunt, scientia sua perceperit infinita alio loco ostendi.

VERSVS 35.

Pater diligit filium & omnia dedit in manu eius.

QVÆSTIO I.

Quomodo omnia dedit pater in manu filij?

Omnia data filio.

§. 1. FIlium filium dixit, non seruum. ideo datum illi spiritum non ad mensuram: ἐκ μέτρου, ex certa & definita mensura. Seruis demensum datur, & peculium cuique relinquitur, filius totius hæreditatis est particeps.

Pater vero dirigendo filium omnia dedit in manus eius, idque generando filium Deum, æqualem sibi, vt August. Deinde filium hominem diligit, illi etiam

etiã omnia in manus dedit. Nonnulli interpretantur, ὁ χεὶρ αὐτοῦ, *per manus eius*: quæ phrasis est Hebræa, & hic habetur בידוהי *bidaubi, in manus eius.* quod tamen plerique improbant, idcirco, quod ait δέδωκεν, *dedit*, cum det quotidie. Verum potest intelligi hactenus per manum filij omnia data, multo magis in posterum danda.

VERSVS 36.

Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

QVÆSTIO I.

An omnis qui credit in filium habeat vitam æternam?

§. 1. GEnerali sententia disputationem concludit Christus. Cum pater omnia filio dederit, eos qui in illum credunt habere vitam æternam, qui non credunt, manere iram Dei super eos. *Fidei datur vita æterna.*

Habent vitam æternam qui Christum habent, qui est vita æterna. Deinde ius habet ad vitam æternam, iam quasi possessione inchoata, spe enim saluus factus est. Syrus dubijs verbis hoc loco vsus est. Primo dicit רמהימן *damhaimen, qui credit*, paulo post autem: דלא מטפיס *delã Mathephis, cui non est satisfactũ de filio.* seu, *qui non acquiescit in filio, non contentus filio.*

§. 2. *Ira Dei manet*; nam reuera filij iræ sunt, nec nisi per fidem efficiuntur filij. Itaque non de integro venit, sed manet vetus ira, & manet in omnem æternitatem.

CAPVT IV.

VT ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes, 2. (Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) 3. Reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam. 4. Oportebat autem eum transire per Samariam. 5. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. 6. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. (8. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent.) 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana. Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. 10. Respondit Iesus, & dixit ei. Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. 11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam? 12. Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? 13. Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: 14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire. 16. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. 17. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum: 18. Quinque enim viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti. 19. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. 20. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet. 21. Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. 22. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. 23. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. 24. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare. 25. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, (qui dicitur Christus) cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. 26. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum. 27. Et continuo venerunt discipuli eius: & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? 28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus. 29. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci, nunquid ipse est Christus? 30. Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum. 31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. 31. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. 33. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? 34. Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius 35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem. 36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. 37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat: & alius est qui metit. 38. Ego misi vos, metere, quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. 39. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. 40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. 41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius. 42. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est vere Saluator mundi. 43. Post duos autem dies exyt inde: & abijt in Galilæam. 44. Ipse enim Iesus testimoniũ perhibuit, quia Propheta in sua patria honorẽ non habet. 45. Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Ierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. 46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquã vinum. Et erat quidam

quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. 47. Hic cum audisset quia Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam abijt ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. 48. Dixit ergo Iesus ad eum: nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. 49. Dicit ad eum regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus. 50. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. 51. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. 52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. 53. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota. 54. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset à Iudæa in Galilæam.

IN CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM.

HIstoriam disputationis cum muliere Samaritana, & conuersionem Samaritanorũ continet. Deinde profectionem in Galilæam, & sanationem filij reguli à v. 46. Non connectitur hoc caput cum præcedente; Nam à sermone Ioannis, quem cum discipulis habuit, intercessit non exiguum tempus, crescente numero discipulorum, & Pharisæorum æmulatione. A versu 4. vsque ad 43. in Syriacâ Ecclesiâ legitur. *Nocte diei genuflexionis pentecostes.* Hoc est enim quod scribitur: רלא ריום בורבא דפנטיקוסטי *delela derom burecha depenticausti.* Quod intelligo de ferijs ieiunij cum quatuor tempora recurrunt, in quibus occini solebat in illa Ecclesia *flectamus genua.* Quod etiam in ferijs pentecosten sequentibus Syri obseruasse videntur. A deo vt *dies* vocarint *genuflexionis.*

A v. 43. vsque ad finem legitur, *vesperæ feriæ tertiæ hebdomadis quintæ ieiunij.* Præter egregiã doctrinam quæ hoc capite continetur, gentium etiam vocatio quasi in typo & per transennam ostenditur, Iudæorum que derelictio. Multi Samaritanorum credunt, & facile credunt, rogant Christum secum vt maneat, Iudæi post plurima miracula eum persequuntur. Nec minus admirabilis gratiæ vocantis & adiuuantis efficacia, sine vlla hominum cogitatione, aut præparatione cernitur, & prædestinationis executio.

VERSVS 1.

Vt ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes.

QVAESTIO I.

Cur Pharisæos audiuisse cognouit?

§. 1. BEza verba Spiritus sancti correxit. Græcus habet, & noster interpres. *Vt ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat quàm Ioannes,* Beza autem: *Vt ergo cognouit Dominus Pharisæos audisse, ipsum plures discipulos facere & baptizare quàm Ioannem.*

Interpres noster defensus.

Quid vero opus erat vel hoc ipsum facere, vt in infinitum resolueretur, & pro antecedente relatiuũ poneretur? Non reprehendo versionem, sed annotatio inutilis est, & non erat causa, cur à vetere recederet interprete.

Multi quidem libri habent κύριος, sed plures ἰησοῦς, consentientibus Latinis & Syris.

Sic vero audierant vt sanguinario superstitionis zelo insidiari, & è medio tollere cogitarent: nam Ioannis Baptistæ tollendi auctores fuisse constat.

Odium Pharisæorum.

§. 2. Odio & inuidia flagrantes, & supercilio Pharisaico concionem & baptismum non accedebant ipsi. Particula ὡς *vt*, non est in Syro, nam habet absolutè ירע ריך *Iiddach den, cognouit igitur.* Itaq; minus sensus cohæret, quam in Græco & Latino, simul etiam ne populo ansam audiendi Euangelij præberent, congressum vitabãt, ne, si auctoritate eũ munirent, plures accederent. Offensio autem ex eo nata, quod Ierosolymis ementes & vendentes eiecit, quos illi mox restituerunt. Quamuis autem omnes ex æquo infestos haberet, plus tamen Pharisæi poterant opinione sanctitatis, potentes, & zelo præpostero feruidi. Quod Brentius arbitratur, eosideo indignatos, quod Baptismo circumcisionem, & sacrificia tolli viderent, & sibi quæstum decedere, falsum est: Legem enim seruabant, & Ioannis & Christi discipuli: ita, vt ex eorum syncera pietate plus sibi possent lucri promittere, qui in cultu Dei nihil præter lucrum quærebant. Nondum enim sciebant legem abolendam esse. Vitia igitur sua demonstrari, atque taxari, homines arrogantes, obstinatique fremebant. Quemadmodum nunc etiam nonnulli Symoniaci, Concubinarij, plurium beneficiorum iniqui possessores, diuini cultus contemptores Ecclesiastici, ne mentionem quidem istorum scelerum ferre possunt: solis assentatoribus assueti.

Nonnu pericula præsentia damnis.

§. 3. Magis vero à Christo, quam à Ioanne timebant, quod Ioannes ad Iordanis ripas resideret, atque agro, vrbem non ingrederetur: Ideo enim ad eum exibant. Deinde quod Christo ille testimonium dedisset, & morte obsignasset. Denique miracula Christi attonitos eos reddebant.

VERSVS 2.

Quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.

QVAE-

QVAESTIO I.

Cur non baptizat Iesus?

§. 1. TErtulliani opinio est l. de Baptismo. c. 11. discipulos Christi Ioannis baptismo baptizasse: *Sed ne moueat quosdam*, ait, *quod non ipse tingebat. In quem enim tingueret? in pœnitentiam, quo ergo illi præcursorem? in peccatorum remissionem, quam verbo dabat? in semetipsum, quem humilitate celabat? in spiritum sanctum qui nondum à Patre descenderat? in Ecclesiam, quam nondum Apostoli struxerant? Itaque tinguebant discipuli eius vt ministri, vt Ioannes ante præcursor eodem baptismo Ioannis, ne qui alio putet, quia nec exstat alius nisi postea Christi, qui tunc vtique à discentibus dari non poterat, itaque adimpleta nondum gloria Domini, nec instructa efficacia lauacri per passionem & resurrectionem: quia nec Mors nostra dissolui posset nisi Domini passione, nec vita restitui sine surrectione ipsius.*

Chrysostomus & Ioannis & Christi baptismum ait fuisse expertem gratiæ.

Vnde nouatoribus occasio data est, vt dicerent eundem fuisse, & Christi & Ioannis baptismum, quod tamen Tertullianus non dixit, sed eodem loco penitus contrarium ostendit, cum ait, *Christi baptismum non nisi post mortem valuisse.* Imo nec fuisse necessarium ad salutem, eo tempore consequendam.

§. 2. Rectius Augustinus tract. 13. & 15. & epist. 108. Cyrill. lib. 2. vnum eundemque facit, est enim baptismus idem ille, de quo Nicodemus instituitur, quo renascimur ex aqua & Spiritu Sancto. Baptisma Ioannis necessarium ad salutem non fuit, nec eo baptizabantur infantes.

Lyranus ideo negat Ioannis baptisma fuisse, quod contentio inter discipulos orta non esset, si eundem baptismum Christus vsurpasset; non aduertit ille, vel maxime ad homines nondum humilitatis spiritu subactos, irritandos valuisse, si Christus Ioannis baptisma ita vulgaret, vt non per se, sed discipulos administraret, quasi rudes piscatores, homines sine literis, atque adeo peccatores Ioanni exæquaret. Quod Leo habet Epist. 4. cap. 3. ad Episcopos Siciliæ, id explicat Soarez t. 3. d. 19. sect. 1. de quo eundem lege.

§. 3. Augustinus etiam q. 62. l. 83. qq. datum spiritum sanctum docet, & quidem per baptisma datum.

Caluinus lib. 4. inst. c. 15. §. 6. Apostolos baptismo pœnitētiæ baptizasse, & verbo *pœnitentiæ* regenerationem intelligit. Ita etiam Augustinum secutus Bullingerus. Nam discipulis baptizantibus, ipsum arcano maiestatis adiutorio corda mundasse censet Augustinus. Sic Bulling. *S. Augustinus id paucis expediens, baptizabat, inquit, Dominus & non baptizabat. Baptizabat enim quia ipse mundabat: non baptizabat, quia non tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ipse adiutorium manifestatis. Ergo Iesus adhuc baptizat, & quousque baptizandi sumus, Iesus baptizat. Securus homo accedat ad inferiorem ministrum: habet enim superiorem magistrum. &c.*

Verum quomodo illi sententiam Augustini corrumpant, alibi dicendum est.

§. 4. Chrysost. & Theophylactus baptismum, quem Christo viuo discipuli contulerunt, ab eo qui post mortem eius datus est distinguit, neq; enim per hunc gratiam esse datam, sed similem fuisse baptismo Ioannis, vt Ioan. 7. *Necdum spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Verum hoc alij de visibili & solemni missione Spiritus sancti interpretantur; Nam quos Christus recepit, illis iustitiam & gratiam contulit.

§. 5. Ad inuidiam concitandam perinde erat siue ipse siue discipuli baptizarent, quamuis maioris auctoritatis erat alijs hoc munus delegare: vt D. Thomas. Et alij vere iudicant. *Inuidiam quocumq; modo baptizaret fugere non potuit.*

§. 6. Baptismus igitur Christi per sacerdotes administratus, non minus in precio habendus est, quàm si Christus ipse baptizaret.

VERSVS 3.

Reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam.

QVAESTIO I.

Cur deserit Iudæam?

Fugit, ne mal. det occasionē.

§. 1. COgnouit se apud Pharisæos delatum, cedit inuidiæ. Nec enim vi obsistere, nec alio modo declinare impetum voluit: vt nobis temeritatis fugiendæ, & temporibus cedendi documentum daret. Ita prudenter obseruat Theophylactus, duo nos doceri, vt parcamus inimicis, & in tentationem nos non conijciamus imprudenter.

§. 2. Notat etiam non transisse inuisibilem, ne phantasticum habere corpus videretur, vt Phantasiodocitæ. Manichæi, Valentiniani, alij docebant.

In Galilæa ortus Euangelij.

§. 3. Christus vero nec terrore, nec alio affectu fugam meditatus est aut officium deseruit, sed omnia sibi momenta agendi temperans, dedit nobis exemplum, vt ne temerariè in pericula ruamus. Præcipua vero causa fuit vt cessante Ioanne Euangelium totis viribus & palam publicaret, quod in Galilæa inchoandum Prophetiæ prædixerunt.

VERSVS 4.

Oportebat autem eum transire per Samariam.

QVÆSTIO I.

Quæ Samaria?

§. 1. SYrus habet, opus erat ei, vt veniens transiret super domum Samaritanorum, itaque addit רגאתא *denithe, veniens*, & pro Samaria ponit שמרית *beth schamraie, domus Samaritarum.*

Samaria est regio.

§. 2. Non est ipsa ciuitas, olim sedes regni, sed regio ipsa sic à prisca metropoli sortita nomen. Samaritani autem, Chaldæi, Assyrij, aliæque gentes, quæ 4. Reg. 17. 26. 27. 28. adductæ sunt à Rege Salmanasar. *Nunciatumque est Regi Assyriorum, & dictum: Gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. Præcepit autem Rex Assyriorum, dicens: ducite illuc vnum de sacerdotibus, quos inde captiuos adduxisti, & vadat & habitet cum eis: & doceat eos legitima Dei terræ. Igitur cum venisset vnus de sacerdotibus his, qui captiui ducti fuerant de Samaria, habitauit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum.* Verum ille Dei cultum impios colonos docuit, sed suam illi admiscuerunt idololatriam.

Odia inter Iudæos, & Samaritas

§. 3. Maiore eos odio Iudæi, quam gentes prosequebantur. Nam hoc ipso, quod fratrum suorum Israelitarum terras violenter occupassent, graue & turpe sibi Iudæi existimabant, omnemque occasionem eos vexandi pellendique quærebant: Ad hoc etiam quotidianis Samaritanorum iniurijs, conuitijs, maximeque Religionis contemptu, cuius veritatem Samaritani sibi vendicabant, inflammabantur.

Quan-

Quanquam autem homines improbi religionem susque deque haberent, sacerdotibus tamen abominabiles erant, quod docerent, in isto monte, non Ierosolymis adorandum, quæ doctrina & falsa, & sacerdotibus auaritiâ occupatis grauissima vita est, sua nimirum stipendia hostibus impendi. Diuersis igitur affectibus ducebantur, pios zelus sanctus inflammabat, cupidos, pecuniæ, victimæque auersæ vrebant.

VERSVS 5.

Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.

QVÆSTIO I.

Quæ Sichar?

Sichar est Sichem.

§. 1. Hieronymus, cæterique Sichem, seu Sichimã, quæ & Sichimę plurali numero dicitur, esse consentiunt. Fuit regia Ieroboami 3. Reg. 11. 25. locus celeberrimus, de quo Gen. 12. 6. Syrus nisi in punctis erratum est, habet שבר *schechar* pro *Sichar*. Hieron. in epitaphio Paulæ corruptum nomen putat, alij mutatum aiunt, constat Hieronymi æuo Neapolin vocatam: Abimelech olim deleuit, sed restaurata est.

Hieronymi de locis Hebr. verba sunt: *Sichem & Salem, quæ latine & Græce Sichima vocatu est ciuitas Iacob, nunc deserta est, ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos iuxta sepulchrum Ioseph, quam subuertit Abimelech, & seminauit in ea salem, sicut in libris Iudicum scriptum est.*

Non sunt duo Sichimæ.

Andreas Masius in Ios. 10. *Eusebius*, inquit, *diuersam esse putat hanc Sichem, (loquitur autem de hac fugitiuorum in monte Ephraim) ab illa Dinæ stupro, Ioseph sepulchro, aliisque multis rebus nobilitatâ vrbe, quam posteritas dixit Neapolim, vulgo nunc Naplozam vocat: sed veteres Iudæi in commentarijs scriptis Tamhuma, siue Ielam Medena, Neapolim fuisse Asylum censent, idque ego esse credibilius opinor, cum de duabus Sichem nil certi proditum sacris literis esse videatur. Fuit quidem vt apparet, Sichem apud montem potius, quam super montem posita, sed satis fuisse puto, vt vrbis indicium mons procul visus facere posset.*

Fons Iacob

Brochardus de diuisione terræ sanctæ: *Inter montes*, inquit, *Bethel & Dan, sita est Vrbs Sichem, hodie Neapolis dicta, incredibili amenitate & delicijs abundans, non tamen munita. Nec enim munitionis capax, ob idque incursionibus hostium obnoxia, hanc reædificauit Ieroboam, fuitque prima sedes regni eius à porta Sichem australi, quantum bis iacere posset arcus, est fons Iacob, super quem fatigatus ex itinere sedit Iesus Ioan. 4. Fons ipse effossus est in via, qua tendimus Hierusalem.*

Samaria inter Ierosolymas, & Galilæam erat posita. Sichima ab Ierosolymis 1030. passus est apud Bullingerum.

§. 2. Mentionem eximiæ & singularis donationis habemus Genes. 33. 19. 48. 22. Ios. 24. 32. vbi res expositæ est. Syrus vocat גבע קריתא *genbe Keritha* tumulum agri. Verum hæc res ad citatum Geneſis locum pertinet.

VERSVS 6.

Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedit supra fontem. Hora erat quasi sexta.

QVÆSTIO I.

Quis Fons Iacob?

Fons Iacob

§. 1. Fontis à Iacobo fossi in Genesi mentio non est: consentaneum tamen vero est, eum cum eo loci habitarit, plures etiam puteos fodisse. Syrus appellat *fontem aquarum Iacob*, addit enim de suo מריא *demaia, aquarum*, in siticulosa namque regione non facile aqua haberi, nisi diligenti scrutatione, & fossionibus, potest.

QVAESTIO II.

Cur fatigatus?

Meridie fatigatus ipse.

§. 1. Iam sexta hora, seu meridiana erat, postquibus iter fecerat, vt autem verum se hominem, famem & sitim tolerando, sic etiam fatigationis ærumnas sustinendis ostendebat. Quocirca etiam hoc loco Iren. lib. 3. c. 32. contra Marcionitas, Valentinianos, Manichæos, Christi humanitatem asserit. Syrus habet ex labore viæ מן עמלא *men chamla.*

Christus passibilis.

§. 2. Ariani ex eodem diuinitatem Domini oppugnabant. Arianis respondet Cyrillus: *Quid autem, ait, dicent Ariani? Fatigatus ex itinere sedit? Virum ergo virtutum omnium Dominum propter hæc verba infirmum putabitis? Laboremque itineris vnigenito patri filio accommodabitis, vt passibili iuxta vos inueniatur, qui patri minime potest? An hæc quidem tanquam impia recusabitis, & naturæ humanæ quam assumpsit atque corpori recte sentientes hæc attribuetis? Nam quoniam in vnam personam duæ natura conuenerunt, iccirco non in duos filius vnus scinditur, & omnia posse vt Deus dicitur. Cumque impassibilis sit, hominis tamen dolores sibi attribuit, quos non vt DEVS, sed vt homo perpessus est. Caueamus igitur, ne quando artificio quodam ac acie mentis ad consequendam pietatem nobis maxime opus sit, tunc quasi rudes atque agrestes, rationem incarnationis, assumptionemque hominis longè abijciamus, & maiora quam ferre possumus onera humeris nostris imponamus. Si enim homo factus non esset, si serui formam non accepisset, conturbari iure posset eu quando seruile aliquid de ipso dicitur. Sin vero firmiter credimus, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, cum ea dixisse, aut perpessus fuisse dicitur, quæ naturæ nostræ conueniunt, humanitati hac eius attribuas. Non enim poteramus aliter verbum Dei hominem factum esse cognoscere, nisi & loquutus & perpessus aliqua vt homo fuisset.*

QVAESTIO III.

Cur ait sic sedisse?

Cur sic sederit

§. 1. Exigua controuersia, multæ interpretationes. Chrysost. Euthym. *sic* vt casus tulit, seu humi: Alij, sic vt erat fatigatus, vt gestum fatigati hominis exprimat, quasi dicat: sedet vti fatigatus. Ita Caietan. Vincentius. Alij. Maldonatus causalem seu illatiuam putat, ex Tuscul. 4. Sic tot simul virtutes continentiæ, grauitatis, iustitiæ defecerunt. Itaq; sensum esse venit fatigatus, & sic, siue ideo sedit.

§. 2. Irenæus hominem esse ex fame & fatigatione demonstrat: omittit vero particulã οὕτως: sic enim ait:

ait: ὁ δὲ ἰησοῦς κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας ἐκαθέζετο. *Iesus verò fatigatus ex itinere sedebat.* Syrus etiam omittit particulam ὕτως. Sed liberi cæteri conueniunt. Irenæus autem satis habuit dicere, fatigatum fuisse, vt hominem probaret.

QVÆSTIO III.

Quæ mulier Samaritana?

§.1. Ἐκ τῆς σαμαρείας, regione scilicet, non Vrbe Samariæ, sed Sichar, quæ ad Samariam pertinebat. Secretum sed iustum Dei iudicium, qui relictis tot magnis in Iudeâ, Samariâ, Galileâ viris, totam Euangelij gratiam vili scorto impertit, & gentium omnium conditionem, & suam in eas misericordiam, in salute vnius mulierculæ obsignat. Documentum insigne, quomodo nos misericordia Domini præueniat, & nihil tale cogitantes gratia vocantis anticipet.

QVÆSTIO IV.

An serio petierit aquam Christus?

§.1. VErsu octauo, ait, discipulos abijsse, additâ particulâ *enim*, quærunt, cuius rei causam reddat? Non videtur alia, quam ideo ipsum petiuisse à muliere, quia discipuli aberant, qui vel petere, vel haurire poterant, si præsentes essent. Syrus vertit: *da mihi aquam bibendam*, eam מיא *Maia*, hic quoque addit. Deinde venisse eam dicit, *ad implendum*, vas scilicet.

§.2. Vere sitijsse non est vllum dubium, cum forte æstus esset fatigatusq; esset, ex itinere: quamuis de tempore quæstio esse posset.

§.3. Hæc facta sunt discipulis absentibus, vt sibi cibos emerent. Syrus enim addit לחין *Lehun, sibi.* Quæ ex re Brentius occasionem accepit sanctissimum Franciscanorum ordinem calumniandi: ait enim meram hypocrisin esse, non attingere pecuniam, cum Apostoli habuerint: nec institutum monachorum sanctius sit quàm Apostolorum.

Mira mentis peruersitas in culpandâ innocentum vitâ. Quid enim alienæ mentis scrutator hæreticus non diceret, contra eos, si malis artibus opes congererent, qui ferre non potest diuitiarum contemptores? Non illi quidem sanctiores se Apostolis existimant, imitari tamen Christum desiderant, quem attigisse pecuniam non legimus, nisi fortè cum ostenderetur nummus, quem si attigit, mysterij, non emptionis causa factum est. Sed neq; Apostolos attigisse pecuniam, nisi Iudam, scriptura dicit, nisi cum staterem soluerit Petrus. Nihil autem illi asserendum docent, quod inscripturâ non est. Esse verò hypocrisin suspicari ille non debet, cum toti mundo constet, eos omni rerum Dominio exutos, summâ in paupertate, victus vestitusq; vilitate, nuditate, fame etiam sitiq;, & frigore vitam ducere; multos verò esse inter eos, qui luculentis patrimonijs præbendisque pro gloriâ Domini relictis, contemptibiles in domo Dei viuere voluerunt. Nom mirum autem tam esse multos paupertatis voluntariæ sectatores in Ecclesiâ, cum tanta præmia Deus promiserit, cum multi pro gloria terrena opes abiecerint. Non quærunt Franciscani gloriam ex paupertate terrenam, cum sciant eam per opes, non indigentiam, quæri. Nec se extollunt, cum sciant multos pro gloria hominum, aut patria terrena fecisse, quod ipsi faciunt pro æterna: & hunc in modum cum August. l. 5. de ciu. c. 18. ratiocinantur.

VERSVS 9.

Dicit ergo & mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cum sis habere á me poscis quæsum mulier Samaritana; non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.

QVÆSTIO I.

Quomodo intelligendum, quod non coterentur Iudæi Samaritanis?

§.1. Οὐ γὰρ συγχῶνται: Non coutuntur. Apud Polybium συγχρᾶσθαι est, *commodato petere, vnà cum alio vti.* Hoc loco est, commercio, consuetudine, amicitiâ vti, mutuo officia beneuolentiæ exhibendo, iuuando. Syrus valdè intelligenter מתחשחין *Methchaschechin*, non esse familiares, non aptos, aut accommodatos esse Samaritanis. Act. 27. De Centurione dicitur φιλανθρώπως πρὸς τὸν παῦλον χρησάμενος. *Iulius humaniter Paulum tractabat.* Syriace אתחשח *Et. haschach* significat idem Verbum vti: quali, Iudæos non præstare se commodos, vtiles, aut vllâ in re officiosos erga Samaritanos. *Couti quid sit.*

Causa cur mutuo commercio abstinerent, odium erat, de quo dixi. Suberant tamen & aliæ, quod verebantur Iudæi, ne sensim in mores alienigenarum migrarent Ideo fœdera gentium illis vetita fuerunt, Deut. 7. 2. Sed gentium Chananæorum, quas delere iubebantur. Samaritani ex illis non erant; veruntamen ex illis par periculum peruersionis exspectandum erat: ideo pari cura vitabant. Itaq; mulier contemni suam gentem à Iudæis non ignara, quasi quadam vltione se solatur, non deberi petere à se Iudæum. *Fœdera gentium prohibita Iudæis.*

§.2. Christus autem legem de communicatione cum Samaritanis non violauit. Non enim veritum erat in necessitate à Samaritano petere auxilium, aut ea quorum indigebat vsus. A colloquijs quidem & commercio non prorsus abstinebant, communi tamen mensa non vtebantur. Contaminari enim se Iudæi illis conuiuijs existimabant. ita Act. 11. 3 Gal. 2. 12. mirantur Christiani ex Iudæis Apostolos cum gentibus ad fidem conuersis edere & bibere. Nam eos immundos putabant, vasa etiam omnia eorum immunda. Cum enim facilè ex contactu hominis, vel rei immundæ redderentur immunda, nec mundare ethnici curarent, hinc omnia immunda ducebant. Ex lingua autem & cultu Iudæum agnoscebant. *Amicitia cum Iudæis & Samaritanis.*

§.3. Mulier suæ eum religionis admonet. Quomodo tu, Iudæus cum sis, ab immunda muliere, ex immunda hydria potum flagitas, an tibi sitis memoriam legis excussit?

In ipsum culpam reijcit, quod non coutantur. Neque enim vicissim Samaritani Iudæos fugiebant: sed potius exagitabant. De Samaritanorum erroribus Hieronymus contra Luciferianos.

§. 4. Erasmus interpretem nostrum reprehendit, dicentem *couti*. Beza Erasmum sequitur: *Vulgata*, ait, *Coutuntur, quod vocabulum planè est barbarum & obscurum. Erasmus, commercium habent, recedens à Græcis vbi minimè necesse est. Nam Vtendi verbum simili prorsus significatione vsurpant Latini, vt vel ex illo Ciceronis loco apparet, Sextum, inquit, Alphenum propinquum nostrum, quo iste vtebatur plurimum.* *Couti.*

Mihi semper temerarium visum est, & ambitiosum, Verbum aliquod reijcere, velut barbarum, cum interpres noster antiquus tanquam suis temporibus vsitato vti potuerit, certè apud Augustinum sic legitur, ille tamen vt Latinæ linguæ ignarus haberi non debet, nec mihi placet, quod maluit simplex *Vti*, pro composito *Couti*, substituere. Nam eadem audacia Euangelistam corrigere poterant, qui dixit συγχῶνται con-

coutuntur, non χρῶνται vtuntur. Nec barbarum censendum, si vel noſter noto & conſueto vſus eſt, vel ad Græcum exprimendum inuenit.

Maioris momenti alterum videtur. *Forſitan* enim dubitantis eſt, Chriſtus verò non dubitauit. Sed reſpond. Particula ἄν modi potentialis eſt, perinde enim eſt, ac ſi dicat, petere potuiſſes. De quâ re alibi dixi.

VERSVS 10.

Reſpondit Jeſus & dixit ei: ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi. Da mihi bibere tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.

QVÆSTIO I.

Quæ aqua viua? & donum Dei?

§. 1. DOnum Dei Chryſ. Theoph. generaliter de omni bono quod procedit à patre luminum interpretantur. Alij preſſius de Meſſiâ, plerique adhuc preſſius de præſenti occaſione colloquij, quod veriſſimum eſt; nam adiungit: *Et quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere.* Hoc eſt, ſi Meſſiam præſentem tibi miſſum definito Dei conſilio, ac tantũ donum in te collatum noſſes, peteres ab eo aquam viuam. Anagoge inſigni eam ad ſpiritualia ſenſim educit. Aug. tract. 15. in Ioan. aquam viuam de gratiâ interpretatur; ſic ait: *Si ſcires*, inquit, *donum Dei. Donum Dei eſt Spiritus ſanctus. Sed adhuc mulieri rectè loquitur, & paulatim intrat in cor. Fortaſis iam docet. Quid enim iſtâ hortatione ſuauius & benignius? Si ſcires donum Dei, & ſcires quis eſt qui dicit tibi, da mihi bibere, tu peteres, & daret tibi aquam viuam. Huc vſq; ſuſpendit. Viua aqua dicitur vulgo illa quæ de fonte exit. Illa enim quæ colligitur de pluuiâ in lacunas aut ciſternas, aqua viua non dicitur. Et ſi de fonte manauerit, & in loco aliquo collecta ſteterit, nec ad ſe illud vnde manabat admiſerit, ſed interrupto meatu, tanquam à fontis tramite ſeparata fuerit: non dicitur aqua viua. Sed illa aqua, viua dicitur, quæ manans ex ipſitur. Talis aqua erat in illo fonte. Quid ergo promittebat quod petebat? Tamen mulier ſuſpenſa ait, Domine, neq; in quo haurias habes, & puteus altus eſt. Videte quomodo intellexerit aquam viuam, aquam ſcilicet, quæ erat in illo fonte. Tu mihi vis dare aquam viuam, & ego fero vnde hauriam, & tu non fers. Aqua viua hic eſt, quomodo mihi daturus es? Aliud intelligens & carnaliter ſapiens quodammodo pulſat, vt aperiat magiſter quod clauſum eſt. Pulſabat ignorantia, non ſtudio: adhuc miſeranda, nondum inſtruenda.*

Aqua gratiæ Baptiſmus.

§. 2. Aqua viua etiam Irenæo l. 3. c. 9. eſt Spiritus ſancti gratia, ita enim interpretatur, & ita Chryſ. Baſil. in Pſ. 45. Ammon. Euthym. doctrinam Euangelij vocant. Cyprian. Aug. Serm. de temp 29. baptiſmum interpretantur. Mihi ea placet ſententia quæ omnes iungit: Nam Spiritus ſanctus, Chriſtus ipſe, omnia eius dona gratiæ, ſacramento aqua viua & viuificante ſignificantur, & aqua baptiſmi materialis Symbolum eſt aquæ viuificatricis. Aqua enim viua eſt, quidquid promiſit, & dedit Deus. Video Bezam ita vocare caritatem Dei in nos effuſam, quod ſi de gratiæ donis intelligit, rectè omnino ſentit. Alioqui Deus fons eſt, vnde aqua illa ſcaturit.

Aquam igitur vocat gratiam regenerantem & vegetantem, ſine illa enim aridi prorſus & exſucci ſumus, vt nullus boni operis viror enaſci poſſit.

§. 3. Amat Spiritus ſanctus rerum humanarum in tradenda doctrinâ ſimilitudines. Itaque Spiritus ſanctus gratiam & dona aquis comparat. Aquam rebus humanis vtiliſſimam, & maximè neceſſariam eſſe conſtat, itaque & Pindarus cum vellet Ludorum dignitatem & magnificentiam oſtendere, aquæ comparatione vtitur.

Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

Optima quidem aqua. *Aqua pro ſapientia.*

Ex aqua enim omnia producta aiunt, ita Thales, Xenophanes, Plato, Homerus, Nemeſius l. 2. de phyl. c. 1. Cum igitur aqua tanti ſit, voluit Spiritus vitam Spiritalem, vegetationem q; aquæ aſſimulari. Neceſſaria eſt aqua, ſed igni & aqua magis neceſſarius amicus, vt Plut. l. de differ. amici & adult. & Ariſtot. l. 5. ethic. & Cic. in Lælio.

Aquam illam elementarem & liquentem veteres etſi viliſſimam faterentur. *Venit viliſſima rerum hic aqua*, inquit Hor. l. 2. ſerm. ſat. 5. Deum tamen facere, Deum inquã εὐάνυσον; nam ita Plato appellat, vendi facilem. Hinc Doridem nympharum matrem, quaſi δῶρον donum dixerit, Seneca l. 4. natur. c. 2. Ægyptios pro Deâ coluiſſe, idem de Perſis teſtatur, Laertius, Strabo, Vitrunus. Cauſam reddit Proclus, quod aqua alimẽtum, fomentum, augmentum cæteris naturis præſtet. Sed abſit, vt donum Dei pro Deo colamus, aut adoremus. Nos id teneamus, hoc eſſe Spiritum gratiæ in cordibus fidelium, quod eſt aqua mundo.

VERSVS 12.

Dicit ei mulier: Domine neq; in quo haurias habes & puteus altus eſt, vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre noſtro Jacob, qui dedit nobis puteũ & ipſe ex eo bibit & filij eius & pecora eius.

QVÆSTIO I.

Cur Iacob vocet Patrem ſuum?

§. 1. NOn poſſe Chriſtum aquam viuam dare mulier probare aggreditur. Nec enim ex puteo, cum non habeat quo hauriat, & ille altus ſit: *Neq; in quo haurias habes*, Syrus exprimit דולא *daula*, non eſt tibi ſitula. Nec aliunde, cum enim Iacob eum foderit, ipſe & filij ex eo biberint & pecora, non poteſt ſubito aliũ fodere, niſi maior illo ſit. Nam tanquã certũ ſtatuit, Chriſtum nõ dicturum ſe Iacobo maiorẽ eſſe, θρέμματα noſter vocat pecora. Syus עבה oues eius. At Græca dictio ad omnia animalia domeſtica pertinet. *Aqua mala.*

§. 2. Patrem Iacobum appellat, quia eius ſe religionem amplecti profitebantur: à Sacerdotibus n. Leuiticis inſtituti fuerunt, ſed integrè fidem nõ tenuerunt. *Iacob pater Samarit. non quo.*

§. 3. Chryſ. Euthym. Theoph. ideo vocare patrem, quod Iudæis miſti pro Iudæis ſeſe gererent, & eodem genere gloriarẽtur, quamuis Chaldæi eſſent, & quidẽ ex fœce vulgi, tales n. ferè ſolent in Colonias deduci.

§. 4. Crediderim eos initio Iſraëlitarum gentem & nomen exoſos, vti ſolent victores aſpernare victos. Deinde cum à Sacerdote Leuitico erudirentur, quoſdam eorũ verè Deum colere cœpiſſe, & alios pœnis edomitos Deum Iſraëlis magni feciſſe, cum Iudæis etiam connubia miſcuiſſe, Iſraëlitas captiuas vel vxores duxiſſe, vel pro pellicibus habuiſſe. Præſertim cum formâ eſſent, quam Aſſyriæ, venuſtiore, & hominibus voluptarijs hæc vna eſſet illecebra vxorem ducendi. Addo etiam multos Iſraëlitarum profugos, qui Salmanaſaris manus effugerant, ſenſim rediiſſe, ſeq; iunxiſſe, vt cum miſti eſſent, omnes Iacobũ patrẽ ſuum appellarent. Itaq; conſuetudine valdè vſitatâ & ridiculâ, ad gentem aliquam, cuius vetus eſſet memoriâ originẽ referebant. Sic Romani ſunt Tronigenæ, & nunc quoq; ſcriptores nõ deſunt, qui nobilium & priſ-

principum stemmata ad Pyramidas vsque deducant, malim ipsos qui talium adulationum patientes sunt, Spiritus gratiæ ad Deum trahat. Vbi vera est nobilis, nouæ regenerationis, vt filij Dei nominemur & simus. Satis nobilis est, quem mansione suâ dignati sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

§. 5. Caluinus occasione Samaritidis nobis calumniam impingit: *Notandum*, inquit, *etiam quod Samaritæ falso gloriabantur, se progeniem esse sanctorum Patrum. Ita hodie Papistæ, cum spurij sint, & semen adulterinum, plusquam superbè iactant Patres, ac legitimis Dei filijs insultant.* Etiamsi *ex Iacob secundum carnem orti fuissent Samaritæ, quia tamen prorsus erant degeneres, & à verâ pietate alieni, propostera fuisset hac gloriatio. Nunc quum Cuthæi sint origine, vel saltem ex profanis gentibus collecti, non tamen sancti Patriarchæ falso nomen obtendere desinunt, verum id sine profectu. Ita scilicet omnibus accidere necesse est, qui per eram in luce hominum exultant, vt Dei luce priuentur, nec quicquam societatis habeant cum sanctis patribus, quorum titulo sunt abusi.*

Respond. Nullis nos Dei filijs insultare, eos & viuos & defunctos honore prosequimur. Eos qui se tales iactant, quando conuertere non possumus, vitandos docemus. Legitimos filios eos agnoscimus, qui eâdem matris Ecclesiâ nati sunt. Qui patriam, sacra religionemq; tuentur. Spurios qui ab eâ recesserunt. Legitimos esse illos docemus, quos testamenta patrum, & possessio religionis tales esse probat. Nobis porrò patrum scripta, & Ecclesiarum possessiones, adeoq; orbis testimonium ius filiorum addicit.

VERSVS 14.

Sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

QVÆSTIO I.

Qualis aqua qualem Christus daturum promittit?

§. 1. NOn continuò respondet Iacobo se memorem esse. Istâ enim professione mulierem præindicio occupatam plane alienarat, sed nouâ & inusitatâ pollicitatione mulierem excitat, vt ad fidem idoneam redeat.

Athanasius de Incarn. apud patrem ait filium esse fontem Spiritus sancti.

Greg. Nissen. hom. 9. in cantic. *aquam viuam* vocat diuinam naturam. *Cum ergo*, ait, *diuina natura vbiq; intelligatur per aquam viuam, hoc verum scriptura testimonium statuit sponsam esse puteum aquæ viuæ, qui cum impetu fertur ex Libano. Hoc autem est omnium maximè admirabile. Nam cum omnes putei aquam simul habeant consistentem, sola sponsa aquam in se habet permeantem, adeò vt putei profundum habeat, fluuij verò perennem motionem.*

Cyprian. Ep. 62. ad Cæcilium de Baptismo interpretatur, quem probat non iterari ex hoc loco: *Quo & ipso*, inquit, *baptisma salutaris aquæ significatur, quod semel sciliet sumitur nec rursus iteratur: cæterum calix Domini in Ecclesiâ semper & sititur & bibitur.*

Imitatus Tertullian. de Baptis. Augustinus causam reddit contra Epist Pam. c. 23. quod Baptismus characterem aliquem imprimat indelebilem.

§. 2. Aquæ prima dos, vt qui eam biberit, *non sitiat iterum.* Altera prioris causa, *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Nam si quis bibendo id consequatur, vt in eo fons saliens scaturiat, sitire amplius non poterit.

Aqua igitur spiritalis & fides, spes, caritas, gratia Dei, quæ æterna sunt, animumq; satiant, vt qui semel ex eo biberit, donante Christo, non egeat repetitione bibendi. Et quamuis aliqui aquam illam sumpto peccatorum veneno euomant, ideoq; iterum pœnitentia ducti sitiant, bibantque, natura nihilominus aquæ constans & æterna est: neq; enim stomacho consumitur, nec calore dissipatur, nec per sudores extruditur. Augetur tamen fons ille in animo bibentis, & bonorum operum meritis quotidie increscit; non tamen sitire dicitur, quod externo nõ egeat ad salutem auxilio, sed animo conceptum habeat fontem, qui adiutorio Dei assistentis saliat in vitã æternam. Quod Eccles. c. 24. 29. dicitur. *Qui bibunt me adhuc sitiunt*, de amore sapientiæ intelligitur, qui illâ gustatâ crescit magis magisque. At qui hanc aquam hausit, etsi augeri eam desiderat, eoque modo sitire dicitur, non tamen aliâ indiget, aut iterum Spiritum accipit.

§. 3. *In vitam æternam*, in ipsos vsq; cœlos, grandis igitur, & largæ scaturiginis fons, qui tam altè

Limpidus æternas eiaculatur aquas.

Fontem aquæ salientis in vitam æternam pollicetur, nam quales erant cisternæ dissipatæ λάκκοι συντετριμμένοι, quos fodiebant Iudæi, & magis Samaritani: Erant enim ritus cæremoniæq; prorsus inutiles, quæ per cisternas intelligebantur, vt docet R. Ionathan, & illi consentiunt Hebræi. S. Iustinus dialogo contra Tryphonem, vocat baptismum Christi fontem viuum, Lotiones traditionis Pharisaicæ, cisternas dissipatas: Διὰ τοῦτο δύνασθαι λέγει ὑπὸ τῆς θεοῦ ζώσης πηγῆς πιεῖν, ἀλλὰ ὑπὸ τῶν συντετριμμένων λάκκων, ἃ ὕδωρ μὴ δυναμένων σωζειν, ὡς ἡ γραφὴ λέγει. εἰσὶ δὲ λάκκοι συντετριμμένοι, ἃ ὕδωρ μὴ σωζουσιν, ἃς ὤρυξαν ὑμῖν οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν αὐτῶν, ὡς καὶ ἡ γραφὴ διαρρήδην λέγει, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων. *Eos non posse ex fonte viuo bibere, sed ex dissipatis cisternis, & aquam continere non valentibus aquari. Cisternas enim has esse quas illis foderunt ipsi Rabbini & magistri eorum, prout apertis verbis sacra scriptura dicit, docentes doctrinas, mandata hominum.* Perennis aqua.

§. 4. Gratiæ diuinæ efficaciter operantis vim, dignitatemq; ostendit. Τὸ ὕδωρ aqua illa fit fons aquæ salientis in vitam æternam: vt etiam Caluinus interpretatur. & ante Caluinum Bulling. Zuinglianus. *Profert*, inquit, *fides ac Spiritus Christi fructus se dignissimos, studia videlicet pietatis, & opera iustitiæ, innocentiæ & charitatis, quæ exprimunt tam dictis quam factis, quicunq; Christum rectè imbiberunt. De fructibus fidei & Spiritus alibi copiosius est dictum. Hos fructus non temerè appellat fontes aquæ salientis in vitam æternam. Nam Christus qui verus est fons aquæ viuæ, per fidem habitat in cordibus fidelium, & animat vegetatq; palmites sibi insertos, siue eos quos inhabitat, & in quorum animis viuit, vt viuos profundant latices, riuos bonorum operum, proximos refrigerantes, & honestare omnes sanctos reficientes, in primis autem glorificantes Deum sanctissimum. Saliunt isti fontes tandem etiam in vitam æternam. Postea quam enim sancti in præsenti sæculo satis fuerint decorati virtutibus, satisq; glorificarunt Deum, refocillarunt proximos, migrant ex hoc sæculo ad Christum salientes euolantesq; virtute Spiritus & fide in dexteram patris.* Fructus ex fonte.

Vbi igitur immanis illa & portentosa hæresis blasphematrix Christi, & donorum cælestium contemptrix, quæ omnia etiam piorum opera, quantumuis benè facta, docet esse crimina mortalia. An aqua illa saliens in vitam æternam, est opus dignũ morte æterna. An ideò fons perennis, vt non nisi morte digna operetur. Siue enim fons est gratia & dona animæ infusa, siue Christus ipse, certè fons ille non operatur, ea quæ natura sunt morte digna: Anima est corporis vegetatrix, vitæ fons & principiũ, ideoq; opera eius vitalia sunt; stultissime philosopharetur, si quispiam actiones vitales, vt Intelligere, Velle, Meminisse, Sentire,

tite, mortui hominis ac cadaueris effectus indicaret; ita etiam Dei beneficentiæ ingratus est, qui fontis illius scaturiginem viuificã, in cœlos penetrantem mortuas aquas & venenatas, amaritudine peccati letiferas esse fingit. Verum è contrario gratiæ energiam, vigorem, impetumque, more fontium ex alto per terras labentium, deindè altè salientium, erumpentis pulcherrimâ anagoge suboculos ponit. Quanto enim aqua ex altiore descendit, in scaturiginem delabitur, eo altius, & maiore impetu ascendit

§. 5. Experennitate fontis, Scholastici donum permanens in nobis esse tradunt, quo iustificemur ita Bellarm. l. 1. de gratiâ & lib. arbit. c. 4. *Fons iste*, ait, *Spiritus sanctus est, per gratiam inhabitans, siue gratiâ à Spiritu sancto inhabitante diffusa*; *vt colligitur tum ex c. 7. Ioannis, vbi cum Dominus dixisset: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: subiunxit Euangelista: Hoc autem dixit de Spiritu, quem acceperi erant credentes in eum: tum ex Patribus, qui hæc loca communiter exponunt de Spiritu sancto, siue de gratia eius viuificante: hæc enim duo in idem recidunt, cum Spiritus sanctus non inhabiter, nisi per effectum aliquem creatum, id est, per gratiam & caritatem. neq; caritas & gratia sine Spiritu sancto inhabitante esse possit.* *Gratia permanens.*

Porrò dubitari non potest, quin per fontem intelligatur aliquid permanens, ac fixum, ac per hoc significetur, gratia inhærens animæ per modum habitus permanentis, vnde fluant rami bonorum operum, qui saliant in vitam æternam, aqua enim tam altè ascendit, quam est altus locus, vnde descendit: & quoniam fons iste de cœlo descendit, ideò aquæ eius ad cœlum vsque perueniunt, hoc est, merentur opera iusta regnum cœleste, quoniam ex gratia cœlesti & diuina proueniunt.

Obijcit Parens. *Nemo*, inquit, *non videt esse quatuor terminos ex ὁμωνυμίᾳ fontis: & nihil sequi mutato genere prædicationis proprio in figuratum. Maior de fonte propriè dicto est vera: assumptio de fonte metaphorico loquitur: & est falsa. Vt maximè enim detur, fontem aquæ viuæ esse gratiam Spiritus inhabitantem, falsum tamen est esse gratiam gratum facientem. Necesse enim est, nos prius (saltem naturæ ordine) Deo fieri gratos seu reconciliari in Christo, quam fons aquæ viuæ in nobis scaturiat. Vocat autem Christus fontem aquæ salientis &c. metaphoricè tum charismata miraculosa Spiritus sancti Apostolis & fidelibus alijs collata, tum perennem consolationem ex πληροφορίᾳ & sensu beneuolentiæ Dei, qua fideles sitim gratia Dei restinguunt, ab æstu iræ Dei reuocillantur. Quòd verò aquas salientes in vitam æternam Bellarm trahit ad bona opera regnum cæleste merentia, est impia scripturæ depravatio. Iis enim verbis promittitur fidelibus perseuerantia in fide & consolatione verâ, quæ vsq; in vitam æternam durabit.*

Respondeo. Malâ fide argumentum Bellarmini ab aduersario citari, pessimè vero responderi. Argumentum tale fingit. Fons est quiddam permanens fixum. Fons ille est gratia Spiritus, gratia gratum faciens, permanens: Ergo gratia gratum faciens est quid permanens fixum. Ideo verò Bellarmini verba deprauat; vt cauillari de homonomiâ vocis possit. Bellarminus per fontem intelligi aliquid permanens. Sic ergo argumentum concinnandum est. Per fontem propriè dictum perpetuò scaturire intelligitur aliquid permanens ac fixum; at per fontem de quo Christus loquitur, significatur gratia Spiritus sancti; Est ergo aliquid permanens. Nam vis collationis est in æternitate fontis & gratiæ. Mulieri enim aqua promittebatur, quâ porâ non sitiret amplius, causam autem perpetuæ scaturiginis reddit, quia fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Cauillari antem illum constat. Nam reuera concedit fontem esse gratiam. *Vt*, ait, *maximè enim detur, fontem aquæ viuæ esse gratiam Spiritus inhabitantem, falsum tamen est esse gratiam gratum facientem. Necesse enim est, nos prius (saltem naturæ ordine) Deo fieri gratos seu reconciliari in Christo, quam fons aquæ viuæ in nobis scaturiat.*

Cur verò non potest gratia gratum faciens esse? nonne hoc ipso quod datur facit gratos?

§. 6. Quod verò ad πληροφορίαν refert scaturiginem fontis in vitam æternam, in gratiam Spiritus sancti, blasphemus est. Aquæ enim salientes in vitam æternam significarent impiam iactationem, qua scirent nulla peccata sibi imputari; vt si mulier illa alios sex viros adscisceret, quorum neuter esset eius vir, crederet tamen nihil horum imputari, quis non diceret, eam ludibrio Christum & gratiam illius habere. Si enim Dauidi inhærebat gratia & iustitia, cum adulteraretur, & occideret, cur non & huic mulieri? *Aqua non est fiducia sceleratum.*

§. 7. Porro aquas salientis in vitam æternam esse bona opera, non est impium. Ex fonte enim gratiæ procedunt, & exiliunt in vitam æternam. Chrysostomus aquæ & ignis nomine operationes designari. Spiritus, inquit, *sancti gratiam, nunc ignem, nunc aquam scriptura appellat, vt non substantiæ, sed & operationis has intelligentias esse demonstret. Non enim Spiritus ex differentibus constat substantijs, cum inuisibilis & vnius generis sit.* *Aqua, bona opera.*

Pulcherrimum Cyrilli locum catech. 16. huc adscribere visum est. Ἀλλὰ τὸ ὕδωρ, ὁ δώσω αὐτῷ, γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἁλλομένης εἰς ζωὴν αἰώνιον. καμνότερον ὕδωρ ζῶν καὶ ἀλλόμενον. ἀλλόμενον δὲ διὰ τοὺς ἁγίους, καὶ διὰ τί ἄρα τῷ πνεύματι καὶ χάριν ὕδωρ ὠνόμασεν; ἐπειδὴ δι' ὕδατος ἡ σύστασις τῶν ἁπάντων. ἐπειδὴ χλοοποιόν, καὶ ζωοποιόν ἐστι τὸ ὕδωρ. ἐπειδὴ ἐξ ὑετοῦ ἑρανῶν κατέρχεται τὰ τῶν ὁμβρων ὕδατα. ἐπειδὴ μονοειδὲς μὲν κατέρχεται, πολυειδῶς δὲ ἐνεργεῖ. μία μὲν ἡ πηγὴ ὅλον περιέδευσεν ἐπέρυσι, καὶ αὖτος ὑετὸς κατέρχεται ἐν πᾶσι τῶ κόσμῳ. καὶ γίνεται, λάκκοις μὲν, ἐν κεύνῳ, ἐρυθρὸς δὲ ἐν ῥόδῳ. παρφυρεῖ δὲ ἐν ἴοις καὶ ὑακίνθοις. καὶ διάφορ δὲ καὶ ποικίλ ἐν παντοίαις εἴδεσι. καὶ ἐν φοίνικι μὲν, ἀλλ ἐν καὶ ἐν πάσῃ πάλῃ, μονοειδὴς ὤν, καὶ ἐκ ὢν, ἄλλος αὐτὸς ἑαυτῷ. ἃ δὲ μεταβάλλων ἑαυτὸν ὁ ὑετὸς ἄλλ ἄλλ κατέρχεται, ἀλλὰ τῇ τῶν ὑπο δεχομένων κατασκευῇ συμπεριφέρεται ἑκάστῳ τὸ συμφορον γίνεται. ἕτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἓν ὂν καὶ μονοειδὲς καὶ ἀδιαίρετον ἑκάστῳ διαιροῦσι τὴν χάριν καθὼς βέλεται. καὶ ὥσπερ ἡ ξηρὸν ξύλον ὕδατι κοινωνῆσον, βλαστὸς ἐκβάλλωσιν. ἕτω καὶ ἡ ἐν ἁμαρτίαις ψυχὴ διὰ μετανοίας ἁγίου πνεύματος καρπὸν θείου, βότρυας ἐκφέρει δικαιοσύνης. μονοειδὴς δὲ ὄν, πολλὰς νόμαλι θεὸς καὶ ἐν ὀνόματι χεῖρ ἁγίας ἐνεργεῖ. ἄλλος μὲν διὰ σωκέχεται γλῶσσα σοφίαν. ἄλλῳ φωτίζεται τῷ ψυχῇ ἐν προφητείᾳ. ἄλλῳ δὲ δίδωσι δύναμιν ἐπελάσαι δαίμονας. ἄλλῳ δὲ δίδωσιν ἐμπιστεύσαι ἄλλοις θείας γραφάς. ἄλλο τῷ σωφροσύνῃ ἐνισχύει. ἄλλον διδάσκει τὰ τοῦ ἐλεημοσύνης. ἄλλον διδάσκει νηστεύειν καὶ ἀσκεῖν. ἄλλον διδάσκει καταφρονεῖν τῶν τοῦ σώματος πραγμάτων. ἄλλον ἑτοιμάζει πρὸς μαρτύριον. ἄλλον ἐν ἄλλοις. *Sed aqua, quam ego dabo ipsi, erit fons in ipso aquæ viuentis, salientis in vitam æternam.* Nouum aquæ genus, quæ viuit & salit: salit autem tantum indignos. Quid ita? nunquid spiritalem gratiam, aquam nominauit? Quandoquidem per aquam omnium est consistentia: quandoquidem herba, & animan-

animantia fiunt ex aqua: quod aqua est causa auri, quod de cœlo descendit imbrium aqua: quoniam cum ipsa quidem vna in specie descendit, multas autem species efficit. Nam & paradysum totum fons vnus irrigat, & vna pluuia in vniuersum descendit mundum, quæ alba quidem fit in spinis rubra autem in rosis, purpurea verò in hyacinthis, ac in diuersis speciebus diuersa, & in omnibus fit omnia: cum ipsa nihilominus eadem, eiusdemq; sit speciei. Neq; enim seipsam transmutans pluuia, alia & alia descendit, sed cuicunq; naturæ sese adiunxerit, illi fit incrementum. Sic & Spiritus sanctus, cum sit vnus & idem, & non diuisibilis, vnicuiq; diuidit gratiam prout vult, Et quemadmodum aridum lignum aqua participans, flores emittit: sic & anima peccatrix, per panitentiam Spiritu sancto digna reddita, iustitiæ racemos progenerat. Et cum ipsa sit vniformis, multas nutu Dei, & in nomine Christi virtutes operatur. Nam alterius quidem linguæ sese accommodat ad sapientiam: alterius autem animam illuminat in Prophetiâ. Alij datur potestas eijciendi dæmones, alij verò datur facultas interpretandi scripturas diuinas: alius temperantiam corroborat: alium instituit ad eleemosinam: alium docet ieiunare, & exercet ad pietatem, ad res corporeas contemnere: alium præparat ad martyrium: atq; sic alia in aliis operatur.

Quâ ex re apparet, quam impropè Pareus vocet scripturæ deprauationem, cum sit vera & veterum interpretatio.

§. 8. De perseuerantia pluribus agit Bellarminus lib. 3. cap. 15. de iustificatione. Fontem fatetur æternum esse natura sua, sed posse tamen siccari & obstrui, sicut siccatus est in Galatis, cap. 5. 4. à gratia excidistis.

Objcit Pareus, *Verum est*, ait, *manente gratia Dei, fideles non sitire vnquam. Sed hoc non totum est, quod vult Christus. Bibentibus ex aqua sua promittit, quod non sitient in æternum. At fideles, qua tales, non obstantibus infirmitatibus, perpetuo bibunt ex aqua Christi, hoc est, vegetantur Spiritu Dei, ne in æstu tentationum sitiant, deficiant. Hoc enim est, quod hic eis Christus promittit. Ergo fons ille viuus nunquam penitus in eis exsiccatur & obstruitur: licet absolutè, si infirmitates eorum spectes, exsiccari & obstrui possit. De Galatis responsum est cap. præcedente. Nec omnes fuerunt verè fideles: nec comminatio est categorica (vt Bellarmin. fingit) sed conditionalis: si circumdamini: & velitis iustificari operibus: tunc euacuati eritis à Christo. Inde sic pro nostra veritate: In quibus fons vitæ nunquam penitus exsiccatur, in iis fides nunquam penitus emoritur. In vtrè fidelibus fons vitæ nunquam exsiccatur penitus, iuxta promissionem seruatoris. Ergo fides eorum nunquam penitus emoritur.*

Respondeo. Vniuersam obiectionem in eo versari, vt probet, fideles non deficere. An fideles & iusti, qua tales sunt, semper bibant ex Christo, non est controuersum; sed an fideles aliquando bibere desinant, & fontem obstruant. Hoc nos asserimus exemplo Galatarum, qui Gratia non excidissent, si nunquam in ea stetissent.

Non dicitur aruisse fons, vbi nunquam scaturiuit. Christus igitur fontem dedit æternum, per omnia sæculorum manaturum, nisi venas eius voluntaria malitia incidat aut obstruat. Sunt enim eiusmodi promissiones hypotheticæ, liberamque cooperationem requirunt. Hinc enim hoc solum consequitur posse perseuerare sanctos, non omnes reipsa perseueraturos: vt qui fonti assidet, possit bibere, posse tamen & non bibere, quemadmodum ea fuit obstinatio moriendi, vt inter fercula se inedia conficerent. Quid mirum igitur, si ille cui adest gratia, eius contempru septiuare possit? Si militi demantur arma, nulli telo peruia, ille verò sit ἔκλασις & λειποτάκτης, si armaturam abijciat, ordines deserat, iam sua culpa in prædam cat. Data sunt arma ad pugnam, ille inermis vulneri dat locum. Optimè monuit Petrus Bertius dum adhuc in via esset ad fidem Catholicam de Apostasia sanctorum. p. 5. *Dona*, inquit, *ista Spiritus eius instrumenta sufficere quidem ad victoriam, si quis iis vtatur: si quis verò ea vel negligat vel spernat, non sequi euentum illis donis respondentem. Sicut gladij in vagina reconditi nullus est vsus in prælio, ita neq; bonorum cœlestium, si intra potentiam animi conclusa teneantur. Producenda sunt in harenam, & ad luctam euocanda, vt sequatur Victoria. Quod qui non facit, deserit officij sui partes, & sua culpa succumbit. Id verò quo pacto quibusq; gradibus fiat, operæ est pretium explicare. Primò pio fides est de bono æterno, & habet de peccato conceptum istiusmodi. Quisquis peccat contra legem Dei, meritò à Deo puniendus est. Quoties verò cumque offertur homini pio & credenti res aliqua singularis, vel alliciens ad peccadum, puta ad idololatriam, vel à bono abstrerens, puta à solius Dei cultu; mittitur statim animus in deliberationem, sicut antè dictum est; incepsque ac dubius hæret vtrum facturus sit. Sunto illecebræ, opes, voluptates, honores, gratia potentum: Sunto terriculamenta, exilium, vxoris & liberorum cædes, ignominia, odium, fames, mors; & quidem talia, tam crudelia. Hic peccaturus aliquis duo ista mente concipit, Deus non est abnegandus, atque hoc suadet fides; Deus est abnegandus, atq; hoc suadet caro. Quid si accedant speciosa sophismata amicorum supparasitantium, & peccatum extenuantium? 1. Disputatur adhuc inter viros doctos an hoc facinus coniunctum sit cum abnegatione Dei: Ecce hi, si doctores negant; si dubitant. 2. Non si nunc abneges Deum, propterea simpliciter ipsum abnegaueris; vna hirundo non facit ver. 3. Potest externo gestu vel etiam ore hoc fieri, animo adhuc illæso atque integro; Deus verò cum sit Spiritus, Spiritu coli vult. 4. Deus est misericors, facile ipse hoc tibi condonabit, videsne vt Salomon fuerit idololatra? vt Petrus Domini sui abnegator? at hi sunt restituti. Nihil Deo aquè conuenit, atque misereri & benefacere. 5 Facilè in integrum restituerit per panitentiam, ingemisce modo, exaudiuerit. 6. Sies electus ad vitam, non officiet hoc saluti tuæ, decretum enim Dei solui non potest: Si non es electus, cur hic peris? cur tot mala perfers in hoc sæculo, maiora post mortem perpessurus? Hæc, inquam, si accedant sophismata, occæcatur interdum ratio, vt verum audire vix queat. Quod si vir pius in hoc periculo instaret sancto proposito vocationis suæ, vinceret paruo negotio offutias istas tentationum fide & precibus, exemplo trium illorum iuuenum quibus rex Nebucadnezar quum fuisset comminatus, se illos in fornacem ignis accensam conjecturum, nisi imaginem suam adorassent, responderunt. Non sumus ô Rex solliciti de hoc negotio: siue futurum est, vt Deus noster, quem nos colimus, qui potens est ad eripiendum nos à fornace ignis accensa, & à manu tua ô Rex, eripiat nos: siue non: notum sit tibi Rex Deos tuos non esse culturos, & imaginem auream quam erexisti non esse nos adoraturos. Sed quia ille animum suum sæpè numero sponte sua auertit, à mandato Dei, & à bonis spiritualibus, conijciquementem in ista particularia, ijsque inhæret, fit, vt lenocinium carnis & terriculamenta Diaboli sequatur exclusa fide. Lapsus igitur contra conscientiam abnegat hoc modo fidem, & contristat Spiritum, quem si sequutus fuisset, fletisset. Proinde non rectè videntur mihi fideles, postquam deliquerunt culpam facti in suam imbecillitatem conijcere: regenitus enim non est debilis nisi velit, talibus enim & tam multis instructus est armis, vt nisi ea abijceret, illorum ope posset victoriam obtinere.* Gratia potest amisti. Bertij sententia.

§. 9. Iustitiam esse indelebilem Caluinus hinc deducit. *Sed tantum*, ait, *hoc vult, Spiritum sanctum, scatebram esse perpetuò fluentem: ita non esse periculum, vt exarescant qui spirituali gratia euocati sunt. Quamuis ergo tota vita sitiamus, certum tamen est, non in vnum diem, vel ad breue aliquod tempus nos Spiritum hausisse. Sed vt perpetuò scaturiens nunquam nos deficiat.*

Saliet illa aqua in vitam æternam, modo fons retineatur, non euomatur, non peccatis aduenientibus arescat, vt iam explicaui.

Fontium interdum ora obstrui videmus, ac maiore deinde vi erumpere.

VERSVS 16.

Dicit ei Iesus: Vade voca virum tuum, & veni huc.

QVÆSTIO I.

Cur virum iubet aduocare?

§. 1. OMnium arcanorum conscius virum eam non habere cognorat, vocari tamen præcipit, vt occasione datâ eam instruat, & miraculo ad fidem adducat. Porrò decebat non nisi viro præsente de tantâ re cum muliere agere, Christus igitur, ne impostor haberetur, aut sermonem daret, virum iubet adesse, ita Chrysost. Theophyl. Euthym. Deinde quia admodum decorum erat, cum tam multa promitteret, vt non nisi viro præsente & conscio id ageret, vt nobis veram rationem, & quæ extra suspicionem sit, agendi cum fœminis demonstraret. Non enim pudicè modo, sed etiam sine aliorum offensa. Optimè auctor de singularitate clericor. *Petus*, inquit, *quam mœchiam, continentiam ducere criminosam, & infamem facere sanctimoniam. Blasphemiam ingerit religioni quam colit, qui quod confitetur, non ante omnes impleuerit, ne Christianitas credatur esse fallacia, & mœchatio videatur esse sanctitatis velamento vestita. Propter quod Dominus in Euangelio sic præmonet dicens: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, magnificent patrem vestrum qui in cœlis est. Hoc sequitur & Paulus Apostolus dicens: Non ergo blasphemetur bonum vestrum. Et iterum: Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et alio loco: siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et estote sine scandalo Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo.*

Viro coram docenda mulier.

Cum proximi ædificatione conuersandum.

Non modo mala sed etiam suspecta fœminæ fugienda.

Hinc non modo clerici concubinarij eliminandi sunt, ab Ecclesiâ, sed etiam qui suspectas personas retinent. Nam castimoniam Deo, famam proximo debent.

VERSVS 17, 18.

Respondit mulier & dixit: non habeo virum. Dicit Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes non est tuus vir: hoc vere dixisti.

QVÆSTIO I.

Quales illi viri quos habuit?

§. 1. MAldonatus quinq; viros non legitimos fuisse arbitratur: duobus ductus argumentis: Primum, quod nihil occultum Samaritana patefecisse videretur, si mariti legitimi fuissent. Deinde quod v. 29. venite & videte hominem, qui mihi dixit omnia quæcunq; feci. Omnia peccata sibi indicata, & sine dubio de quinque viris fatetur.

Omnes alij contrarium sentiunt, excepto Chrys. in Psal. 13 adulteros fuisse existimat.

§. 2. Alia mihi sententia probatur. Textus sic exigere videtur; Christus enim quinq; viros vni opponit. Quinq; habuisti, inquit, quem nunc habes non est tuus vir, de vltimo conscientiam eius accusat, de quinque nulla est reprehensio. Cum verò viros illos nominat, hunc negat, diuerso modo cunctos indicat, alioqui dicere oporteret; Quinque viros habuisti, & nunc sextum habes, quorum nemo tuus vir fuit.

Viri quinq; legitimi.

Neque verò ideo non occulta illi dixit, qui peregrinus ignotusq; matrimonia eius enumerat, & nunc adulterij arguit. Præsertim cum omnia quæ fecit, indicarit, quod cur ad sola peccata restringatur, causa non est. Et si sola eius peccata Christus aperuisset, mirari illa posset, cur non etiam adiaphora, vel bona opera, quæ non minus scire Prophetam, quàm mala oportebat.

§. 3. Tertullianus de Monogamiâ quinas nuptias damnari putat: Verum ea de re nullum verbum Christus habet. Quare nolim eam valere sententiam, qua dicitur, Christus peccata duntaxat illi reuelasse.

Non culpat secundas nuptias.

E contra nos docemus, quinque viros illa habuit, nec idcirco à Christo reprehenditur, sed quod sexto legitimis nuptijs copulata non sit; Quina igitur matrimonia fuêre legitima.

§. 4. Erasmus hîc etiam interpretem culpat: *Quæso, ait, quid ex hisce verbis percipi potest, nisi mulierem dixisse, quod Christus non habuerit virum? Vsqueadeo mihi referre visum, putamus, quomodo loquamur, aut quid auditurus sit qui legit? Omittenda igitur erat, si vsquam aliàs, hoc loco coniunctio ὅτι, quia: aut mutato verbi modo, vertendum erat hoc pacto: Benè dixisti te virum non habere, siue, bene dixisti, non habes virum. Quod si nusquam interpres omisisset Græcam coniunctionem, poterat videri superstitione factum. Caterum cum alicubi deprehendatur omisisse, mirum cur hîc putarit addendam.*

Erasmi obiectio.

Non existimo fuisse vllum, qui non intelligat, Christum hoc voluisse, mulierem bene dixisse, cum dixit: *Quia non habeo virum*: Nam subiungit: *Quinq; enim viros habuisti, &c.* Non potest melius noster interpres defendi, quam à Christo, qui dixit, ὅτι ὄντως, quia non habeo. Par igitur causa est nostri interpretis & Euangelistæ. Si enim illum exagitet Erasmus ob particulam ὅτι, non mirum si non parcat interpreti: si ille *Noster interpres* rectè dixit ὅτι, rectè etiam noster. Quia si Hebraismum *recte* rectè seruauit Euangelista, cur reprehenditur interpres, qui cum Hebraismum videret à Spiritu sancto seruatum, neglecta linguæ Græcæ elegantia, ipse in eadem causa esse voluit.

interpretis sensum.

§. 3. Rectè Brentius. *Deinde*, inquit, *Christus docet hoc loco quod sit initium consequendæ iustitiæ, sanctitatis & salutis. Iustificaturus enim impudicam mulierem, primum omnium ducit eam ad pœnitentiam, hoc est, ad agnitionem & detestationem peccati. Hoc initium est veræ iustificationis. Nam ad consequendam veram iustitiam ac beatitudinem, necessaria est remissio peccatorum: Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Nemo autem ardet desiderio remissionis peccatorum, nisi qui agnoscit peccatorum magnitudinem & grauitatem. Nam quemadmodum nullus flagrat cupiditate recuperandæ sanitatis corporalis, nisi intelligat & sentiat magnitudinem morbi, ita nullus affectat remissionem peccatorum, nisi cognoscat, quantam pernicien, quantam damnationem peccata secum afferant. Quare, ad consequendam iustitiam necessaria est agnitio & pœnitentia ac detestatio peccati.*

Pœnitentia ante iustificationem.

Quo loco validum in eos telum torquet, qui pœnitentiam posteriorem remissione faciunt. Quiq; dispositiones ad iustificationem negant.

VERSVS 20.

Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus vbi adorare oportet.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

Quæ controuersia de loco adorationis?

§. 1. VNum in toto regno Deus publicum adorationis locum constituit, in quo sacrificia, hostiæq; offerrentur. Ne si pluribus in templis populus ad idololatriam pronus immolaret, & schisma oriretur ad veteres etiam ac indecoros Gentium ritus paulatim declinaret.

Montem vbi propinquum Garizin demonstrat, in quo templum erat Samaritanorum. Historiam recenset Ioseph. l. 11. antiq. c. 7. & 8.

Hinc ergo longa odia, & bella nepotib. mandata.

§. 2. Brentius nostra sacra ex scripturâ, humanâ sapientiâ & gentibus instituta. Verum ex solâ scripturâ sacrificium Missæ institutum est, cæremoniæ pleræq; ab Apostolis, & sanctis martyrib⁹, vt alio loco doceo. Quod vero ait: Samaritanos fecisse sua: *Iudæi enim*, ait, *contendebant in solo Hierosolymitano templo sacrificandum, Samaritani autem tractabant in suo templo exemplo Patriarcharum sacrificandum*, & vitam æternam habiturus ipse viderit, cur ita mentiatur: Samaritâni in hæresi Saduccæorum erant, qui resurrectionem corporum non crederent, nec spiritum vllum esse contenderent, sed erant Epicurei; quomodo igitur veritę & vitam æternam sibi pollicebantur.

Cum ergo discipuli Sadacceorũ essent Samaritani, eorum quoq; impietate imbuti fuêre. Interim bonis operib. mercedẽ constitutã à Deo, idq; ex pacto gratuito, q̃ sine iniustitiâ violari non põt, scriptura ppetuo cõsensu nos docet: atq; adeo omnis vetustas. In Gen. 15. 1. Par. 15. 7. Rom. 2. 6. 1. Cor. 3. 8. Gal. 6. 8. Apoc. 22. 12. Heb. 6. 10. Sic Ignatius ὁ ὀλίγον παρὰ ποὸς ὀλίγον, ὁ πρόσκαιρος μισθὸς πολύς. Præsens labor exiguus, exspectata merces magna.

Dari vero præmia illa ex iustitiâ testatur Dionys. Areop. p. 3. c. 7. Hierarchiæ, & c. 8 δικαιοσύνη ἄθλοις ὁ θεὸς, ὰς πᾶσι τὰ καλ' ἀξίαν ἀπονέμων ἐμνήσθη, καὶ εὐμενείαν, καὶ καλλονὴν, καὶ εὐταξίαν, καὶ διακόσμησιν, καὶ πᾶσας διανομὰς, καὶ τάξεις ἀφορίζων ἑκάστῳ κατὰ τὸν ὄντως ὄντα δικαιότατον ὅρον καὶ πᾶσι τῆς αὐτῶν ἑκάστων αὐτοπραγίας αἴτιος ὢν· πάντα γὰρ ἡ θεία δικαιοσύνη τὰ τέλη καὶ ὀρθοτεῖ· καὶ πάντα ἀπὸ πάντων ἀμιγῶς καὶ ἀσυμφόρητα διασώζουσα, τὰ ἑκάστῳ προσήκοντα πᾶσι τοῖς θεσπεσίοις δωρεῖται κατὰ τὴν ἑκάστῳ τῶν ὄντων ἐπιβάλλουσαν ἀξίαν. Iustitia vero rursum Deus vt omnibus secundum meritum retribuens dicitur, rectam q̃ mensuram, & pulchritudinem, & ordinem, & dispositionem, & omnes distributiones & ordinationes vnicuiq; segregans iuxta definitionem verè iustissimam, & omnib. proprii singulorum operis author existens: omnia .n. ordinat & determinat diuina iustitia: & omnia ex omnibus impermixta atq; inconfusa custodiens, quæ vnicuiq; sunt congrua, omnib. secundum propriũ singulorũ, quæ sunt dignitatẽ.

Imo hac in re iustitiam Dei in hoc ipso esse iustitiã declarat. Δέον, ait, εἰδέναι τὸν θεῖον δικαιοσύνην ἐν τούτῳ ὄντως ἡμῖν ἀληθῆ δικαιοσύνην, ὅτι πᾶσιν ἀπονέμει τὰ οἰκεῖα καὶ τὴν ἑκάστου πρὸς ὅλον ἀξίαν, καὶ τὴν ἑκάστου φύσιν ὅπως τῆς οἰκείας διασώζει τάξεως καὶ διαμένεως. Operæpretium est cognoscere diuinam iustitiam in hoc omnino esse veram iustitiam, quod omnibus quæ sua sunt distribuit pro singulorum merito, & cuiuscunq; naturam seruat in suo ordine atq; virtute.

Omitto consentientem omnium sequentium patrum interpretationem.

VERSVS 21.

Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neq; in monte hoc neq; in Ierosolymis adorabitis Patrem.

QVÆSTIO I.

An nec Ierosolymis, nec in isto monte postea adorauerint?

§. 1. HOram venire, ἔρχεται est, n. præsentis tẽporis, hoc est, tempus adesse, quo neutro in loco adorarent. De solemni adoratione & sacrificio loquitur. Quonam in loco sit adorãdum acerbis odiis, & bello interdum contendebant: nunc vero inquit Domin⁹ causa disputationis est præcisa. Vtriusq; loci sacrificia cessabunt. Legis enim & cæremoniarum abrogatio veritatis aduentu iam imminet. De hac igitur re quæstio nulla mouenda est. Ad futuram igitur œconomiam Messiæ venturi attendendum est. *Cærimoniæ iam aboleri incipiebant.*

Non sunt autem ista ad excidium referenda, quod post annos 40. contingit. Sed ad tempus præsens, quo iam veteris testamenti abolitio inchoabatur. Iam enim hoc agi incipiebat, vt adoratio ab arcto Ierosolymorum ambitu in omnem totius orbis locum deduceretur, vt Bas. l. 2. de Baptismo. c. 8.

QVÆSTIO II.

Cur templum Garizianum sit exstructum?

CAlui. negat exstructum ad sacrificia. *Certum est*, ait, *non fuisse ea causa inductos vt sacrificia illic offerrẽt: sed postquam illic erexerant peruersum cultum, sequuta est pertinacia, quæ ad prætextus captandos ingeniosa fuit.* *Caluini error.*

Contrarium oĩno certum est. Sed Calu. id fingit, vt auctoritatem patrum euertat, ineptissimè prius: cur enim si malè illi, nostri non benè? Quæ vero cõparatio martyrum, & confessorũ Ecclesiæ cum Ethnicis & hæreticis adeò schismaticis Samaritanis? *Quod autem*, inquit, *vera pietatis desertorib. solenne est, vt patrocinium sibi ex patrum exemplo quarant, id tunc fecerunt Samaritani: sicuti ex verbis mulieris colligere licet, Patres nostri, inquit, adorauerunt in monte hoc. Certũ est nõ fuisse ea causa inductos vt sacrificia illic offerrẽt: sed postquã illic exerãt peruersum cultum, sequuta est pertinacia, quæ ad prætextus captandos ingenuosa fuit. Hactenus quidẽ interdũ, fluit o zelo nõ secus atq; æstro, stimulari leues & infirmatos homines, vt q̃ Sanctis factũ fuisse audiunt, primus sine iudicio in exemplum arripiant. sed aliterũ illud vitium magis commune est, vt suis erroribus colorẽ inducãt ex factis Patrum ioq; in Papatu cernere impune est.* *Garizanũ templum ad victimas exstructum est.* Verũ quia hic locus insignis documẽto est quã præposteræ faciant qui posthabito Dei mãdato se conformãt ad Patrum exempla, notandum est quot modis hic peccare soleat mundus. Sæpè .n. contingit vt iuxta delectu pro Patribus maior pars sequatur, qui minimè omnium habendi erant Patres. Ita hodie Papistas videmus, cum constatis bucis Patres decantant, nullũ Prophetis & Apostolis locum dare: vbi a. paucos nominarunt honore dignos, coacerũare ingentem hominum sui simillimum caterũ, vel saltẽ descendere ad corruptiora sæcula: quib. etsi non dum tam crassa barbaries inualuerat, religio tamen & doctrinæ puritas multum declinauerant. Ergo tenendum est sedulò discrimen, ne Patres censeantur, nisi quos constabit fuisse Dei filios.

Resp. In Ecclesiâ Catholicâ Patrum sanctorum valere auctoritatem, vt scripturæ imparẽ, ita nouatorũ opinionib. potiorẽ. Verum in consideratè Caluinus, nobis suæ & suorum errata imponit. Samaritani non alicuius è patrib. bonis aut sanctis, sed hominis ambitiosi, athei, schismatici, Manassis exemplo se tuebantur. Quem ét Calu. defendere conatur, quasi templũ exstruxisset, non sacrificii gratiâ Quorsum .n. generũ suum, non sacerdotem modo, sed etiam Pontificem Sanaballetas constituit, si non erat in templo sacrificaturus? omnis Pontifex ad sacrificandum ordinatur. Deinde repugnat historia. Resp. Abraham ita recenset: *Venit Alexander in terram Israel, ad ipsius auditionem accessit Sanballat Horonites, & cæteri Cuthæorum, siue Samaritanorum Principes, eumq; rogarunt, vt Sacerdotibus generis, & affinibus suis liceret ædificare, ædem alteram sacram Garizim, itemq; omnibus qui duxerant vxores alienigenas,* *Catholici patres, hæretici hæreticos sequuntur.*

nec eas volebant dimittere. Cui petitioni cum Rex assensisset, ædificarunt ædem. Tunc populus Israel in duas partes sectus est. Vna ecutæ est Simeonem iustum & Antignum discipulum ipsius, cœtumq; eius, idq; iuxta illud, quod traditione acceperant ab Ezra, altera Sanballat, & generis ipsius. Itaq; obtulerunt holocausta, & sacrificia extra ædem Domini, decreta constituerunt, & iudicia, prout cor eorum dictitabat. In hoc fano Sacerdotis munere fungebatur Manasses, Iosuæ, filii Iosedec filius. Primarius erat Sadoc cum collega Baietos. Hoc fuit initium hæresis. Nam Sadoc & Baietos sese diuiserunt à magistro suo Antigno, & defecerunt ad fanum montis Garizim illic fuerunt primarii.

Quod si quispiam veteres hæreticos peruersè imitatur, id maximè in Caluinianos conuenit, quorum proauos esse Samaritanos Trihæresi c.21. probat præceptor meus Nicolaus Serarius. Quæ enim secta vnquam damnata est ab Ecclesiâ, ab ipso Simone mago vsq;, ex quâ non acceptum errorē aliquem in chaos suum coniecerint? Nos Apostolos & Apostolicos Patres sequimur, vetustissimos quosq; vita & morte pro fide obitâ insignes. Illi ex omni sectarum gente aliquos sibi auctores confingunt.

In monte Habal adorare iubentur Deut. 27. v. 4. & seq. & v. 12. stant in monte Garizim ad benedicendū. Sic factum Ios. 8 31 Errat itaq; Bullingerus, dum altare in monte Garizim fuisse ait. *Videri volebant*, inquit, *id instituti & eum cultum à Sanctis accepisse Patribus, qui haud dubiè diuinâ commoti ordinatione, cuius mentio fit Deuteronom. 27. & exemplo Iosue, quod describitur Iosue 8. templum & cultum imposuerint, exercerique voluerint in monte Garizim.*

Ad sacrificia institutum idem Bulling. Zuinglianus scribit. *Porro hoc loco*, ait, *iterum repetendum est, quod paulò superius dixi, Samaritas in monte Garizim prope Sichem ædificasse phanum, in quo sacrificarunt Deo, ac religionem exercuerunt.*

Idem constat ex Iosephi l. 12. antiq. c. 12. *pugnabantque inter se iugiter, dum Hierosolymitani suum templum sacrosanctum esse affirmant, & victimas à Iudæis non alio mittendas: Samaritæ contra in montem Garizim eas mitti debere contendunt.*

VERSVS 22.

Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus, quod scimus quia salus ex Iudæis est.

QVÆSTIO I.

An nescirent quid adorarent?

§. 1. QVanquam de locis & cærimoniis quæstionem necessariam neget: vt tamen populo Dei ius suum astruat, prophetis fidem conciliet, Iudæos verè & ex Dei præscripto, Samaritanos autem peruersè Deum colere docet. Ideoq; nec illum esse veri Dei cultum, θεοσέβεια γὰρ ὃκ ἐστὶν ὃ ἐκ κακυδοξίας λατρεία. Cultus ex falsa opinione non est pietas.

§. 2. Cur Samaritanos quod adorarent, nescisse dicat, non facilè est intelligere. Nam verum vtiq; Deum & illi colebant. Eâ causâ non de Deo adorationis obiecto, sed de loco nonnulli interpretantur. *Nescimus Samaritani quid adorent.* Vos nescitis, quid faciatis, dum in isto monte adoratis, & Ierosolymis adorantes damnatis: Dei enim iussu, & maiorum auctoritate vos facere arbitrabimini, sed ambitiosorum hominum fraude decepti adoratis. Nos verò Iudæi scimus quid faciamus, mandatum enim Dei expressum tenemus, vt hic adoremus. Probabilis illa est solutio, & eam sequerer, nisi melior se offerret.

§. 3. Itaq; verè Deum ignorasse, & pro Deo chimeram aut idolum adorasse dicendum est. aut ipsum sane dæmonem, quemadmodum Philippus Nicolai de Deo Caluinistarum demonstrat. Ipsos Deum Calecutarum siue ipsum Cacodæmonem adorare. ita magni auctores sentiunt. *De Deo opinionis falsæ habebant.*

Nescisse quid adorarent docet Chrysost. hom. 32. *Et quonam*, ait, *pacto nesciebant Samaritani quid adorarent? Quoniam in certo & circumscripto loco esse, & quasi diuidi posset, Deum arbitrabantur, ita eum colebant, ita ad Persas mittentes, eius loci Deum sibi iratum nunciarunt, nihil de eo amplius hoc pacto quam de idolo arbitrati: quare & dæmones & ipsum adorabant, & quæ miseri non poterant, confundebant.*

§. 4. Nec de solo tamen loco Christus mihi loqui videtur, sed de Deo, qui adoretur. Non enim dicit, vos adoratis in loco quem nescitis, non in eo, quem à Deo scimus orationi destinatum. Sed adoratis quod nescitis. Mulier de loco contentionem quotidianam excitat, Christus de principali causâ eos reprehendit. Quod Deum nescirent. Deum verum dicebant illi se adorare, verum eos de ipso errores publicè fouebant, facilè vt appareret eos nescire Deum. Nam disertè dicitur, Non ὃν ᾧ in quo, sed ὃ quod. Nam primo cum Deo vero colebant idola. 4. Reg. c. 17. v. 24. & 41. Nam illos Deos putabant, vero Deo æquabant. Qui autem plura numina esse arbitratur, nullum Deum agnoscit. Adorabant ergo plures Deos, quos nesciebant, & vnum verum, sed qui cum in reliquorum numerum coniicerent verissimè ignorasse dicuntur.

Samaritani solum libros quinq; Mosis recipiebāt, vt Epiphan. hæresi nouâ. Eos verò stuporis idem arguit: *Samaritæ igitur*, ait, *à diuinâ Scripturâ vsq; ad hæreses progrediuntur, post prædictas graecas hæreses, ex propriis ratiocinationibus per mentis stupiditatem hominibus inductas. Vniuersum itaq; genus Samaritæ vocabantur.*

Et paulò post eos sic ab Israelitis viris distinguit: *Porrò si acceptâ lege, studium habuerunt deponendi idolatrias, & agnoscendi vnum Deum. Quibusdam vero non fuit, studium exactius cognoscendi. Verum erraverunt tales, & non clarè totam fidei partem, & vitæ nostræ sinceritatem comprehenderunt, & mortuorum quidem resurrectionem ignorāt, ac non credunt: Spiritum autem sanctum non admittunt, nam & ipsum ignorant. Et hæc hæresis reprobans quidem mortuorum resurrectionem, depellens autem idololatriam, in ipsa vero per ignorantiam simulachra colens reperitur, propterea quod abscondita sunt simulachra quatuor gentium, in monte apud Garizin per calumniam vocato.*

Eorum deinde quatuor sectas facit, Essenorum, Sebacæorum, Gorthenorum, Dositheorum, quorum multi fuerunt de variis rebus, & quidam de Deo errores.

Tales & postea fuêre temporibus Christianorum, vt Arabs Geographus habet in climatis secundi parte secundâ.

Vitulorum cultores appellat, quod alienos Deos colerent.

Ex eo etiam errores eorum cognoscuntur, quod Saduccæi idem cum illis sentiebant in dogmatis, in cærimoniis cum Iudæis conueniebant. Ita Epiphanius. τὰ πάντα ἴσα τοῖς συμαειταῖνοις φυλάττουσι· τὰ δ' ἄλλα πάντα τοῖς ἰουδαίοις συνεπεσθαι. *Omnia æqualiter cum Samaritanis custodiunt, cætera omnia vna cum Iudæis faciunt.* Itaq; multa falsa credebant, ideo & Dositheus illis persuadere conatus est se Christum esse, vt Orig. l. 2. contra Cels. Prophetas reiecit. Orig l. 1. contra Cels. tract. 21. in Matth. R. Elias Leuiticin Thisbi, verbo Sadok. Tertul. præscrip. c. 49.

Sed quid opus est quærere eorum errores vt ostendamus nescisse quid adorarent. Beniamin Tudelensis in iti-

in itinerario p. 40. Ait eos verba Mosis hunc in modum corrupisse, *In principio creauit asinus cœlum & terram*, idolo itaq; creationem cœli & terræ tribuerunt non Deo Iudæorum, colebant igitur, quod nesciebant. Diuinitatem diuisisse auctor est Orig. comment. 3. ad Romanos. vocat eos hæreticos, qui iniquitatem loquuntur in excelsum, & qui impietate suâ diuidunt *vnitatem Deitatis*. At qui eam diuidit, non cognoscit. Deinde Iosephus lib. 2. c. 12. Saduczos negasse præmia & pœnas post hanc vitam. Refert idem R. Abraham. Cum enim Antignus dixisset, *Deum propter seipsum amandum colendumque, inde Sadoc & Baetos concluserunt, nullam virtuti aut vitio mercedem olim rependendam.* Non igitur crediderunt, Deum remuneratorem, quod tamen Apostolus inprimis ad fidem requirit, accedentem enim ad Deum oportet credere, quod sit, & quod remunerator sit. Saduczæos autem ad Samaritas refert idem Abraham: *Venit Alexander*, ait, *in terram Israel, ad ipsius auditionem accessit Sanballat Horonites, & cæteri Cuthæorum, siue Samaritanorum Principes, eumq; rogarunt, vt sacerdotibus generis, & affinibus suis liceret ædificare adem alteram sacram Garizim, itemque omnibus, qui duxerant vxores aluenigenas, nec eas volebant dimittere. Cui petitioni cum Rex assensisset, ædificarunt adem. Tunc populus Israel in duas partes sectus est. Vna secuta est Simeonem Iustum & Antigonum discipulum ipsius, cœtumq; eius, idq; iuxta illud, quod traditione acceperunt ab Ezra, altera Sanballat & generos ipsius. itaq; obtulerunt holocausta, & sacrificia extra adem Domini, decreta constituerunt, & iudicia, prout eorum dictitabat. In hoc fano Sacerdotis munere fungebatur Manasses, Iosua, filii Iosedec filius. Primarius erat Sadoc cum collega Baetos, Hoc fuit initium hæresis. Nam Sadoc & Baetos seſe diuiserunt à magistro suo Antigno, & defecerunt ad montis Garizim, illic fuerunt primarii.* Hi igitur Samaritanorum magistri, qui etiam Spiritum negabant, & vt Ioseph l. 2. c. 12. antiq. testatur, Deum nec facere malum, nec videre dicebant. Deum igitur Epicureum fingebant, vt habet R. Eleazar in l. 2. Pircke Anoth. Prouidentiam itaq; Dei etiam sustulerunt. vt Ioseph. l. 13. c. 9. antiq.

Esseni vero, ait, *omnia in fati potestate esse affirmant, nec quicquam hominibus præter fati decretum accidere. At Saducæi fatum omnino negant, & è rebus tollunt, dicentes nihil fataliter euenire hominibus: & omnia in nostrâ ipsorum potesta e esse, vt tam felicitatis nobis ipsi autores simus, quam infortunii, si deteriora consilia secuti fuerimus.*

Ex quibus satis apparet, Dei quandam cognitionem, sed multis erroribus implicitam habuisse Samaritanos. Tales vero errores de essentiâ Dei fuisse, vt nihilminus quam Deum orarent.

§. 5. Ariani ex omni flore venenum colligentes, Christum Deum negabant, quod diceret. *Nos adoramus quod scimus.* Adorator autem Dei, Deus esse potest.

Resp. Mulis visum ex mulieris opinione locutũ, quem hominem solum & Iudæum existimabat. Ita Chrysost. Theoph. Euthym. Malo cum Ambrosio, Cyrillo, aliis respondere; Christum locutum tanquã hominem, qui fessus & sitibundus erat. Cur vero non diceret adoramus, qui toties orauit? orauit autem vt homo. Contra Catholicos insultabant Eunomiani, quod fatererentur se non comprehendere diuinam naturam, arguebat enim eos adorare quod nescirẽt. Ita Nyss. orat. 2. contra Eunomium. Quib. ille respondet. Essentiam nos ignorare, inferiores cognitione esse, adorare tamen, quod sciamus. *Scimus autẽ*, inquit, *gloriæ celsitudinem eius qui adoratur, eo ipso, quod non possimus rationib. comprehendere, æstimantes magnitudinem inexcogitabilem, & quod à Domino Samaritanæ dictum est, & contra nos ab aduersariis prolatum, magis propriè aduersus illos dicatur. Vos adoratis, quod nescitis, inquit Dominus ad Samaritanam, corporalibus notitiis in opinionibus de Deo præoccupatam, cuius sermo præclarè perstringitur: quod Samaritani Deum se adorare putantes, deinde Deum corporaliter loco insidere arbitrantes, vocetenus colunt, aliud quiddam potius, quam Deum adorantes. Nihil enim quod loco circumscriptum intelligitur, numen est. Sed proprium est Deitatis, vbique esse, & per omnia meare, nulloque spatio circumscribi. Quare sermo qui contra nos profertur in accusationem, in ipsos Christi oppugnatores conuertitur. Vt enim localis quadam descriptione Deum contineri Samaritani putantes, reprehensi fuerunt per ea, quæ audierunt, quia adoratis quod nescitis, & vobis cultus ad Deum spectans sit inutilis. Nam qui putatur loco insidere, non est Deus: sic proprie etiam ad hos nouos Samaritanos liceat dicere, quod nomine ἀγγενησίας (ingenerationis) velut loco quodam circumscriptum esse diuinam essentiam suspicantes, adoratis quod nescitis, si ut Deo quidem seruientes, sed ignorantes Dei infinitatem, excedere omnem significantiam nominum & comprehensionem.*

QVÆSTIO II.

Quomodo salus ex Iudæis est?

§. 1. SAlutem. l. 4. contra Marcion. Tert. Salutem Syrus vocat יְשׁוּעָה Deliuerer vitas, vltimatâ phrasi. Cyril. Chrysost. Christum esse dicunt.

Alii veram Dei cognitionem, & fidem esse.

Alii prius Iudæis esse prædicatum Euangelium.

Qui has interpretationes in vnam omnes coniunxerit; maximè mentem Christi ille perceperit. Salutem vocat, quâ seruantur illi, qui ad vitam gratiæ ac gloriæ perueniunt. Ita ex Iudæis est, illis enim concredita sunt oracula legis, sacramenta, promissus Messias, verus & incorruptus cultus Dei traditus, quæ omnia etiam salus rectè vocantur. Hic tamen præcipuè de doctrinâ agitur, illis enim sunt concredita eloquia Dei. Sensus igitur est, verum Dei cultum habent, veram doctrinam, verbo Dei nitentem, ideo apud eos est vera Ecclesia. Magni hoc Iudæi faciebant, ideoq; multi in diuinis scripturis perpetuo hæserunt. In tres enim partes vitam diuidendam dicebant, tertiam partem scripturæ legendæ impendendam. *Salus ex Iudæis.*

VERSVS 23.

Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater.

QVÆSTIO I.

Quid sit in spiritu & veritate adorare?

§. 1. CVm Enoch ambulauerit coram Deo; Iacob Deum coluerit. Abrahã & Patriarchæ, Moses, Dauid, aliiq; pleni Spiritu S. & veritate, Deum in spiritu & veritate adorarint, cõtrouersia oritur: Quid sit hoc loco in spiritu & veritate adorare? Variant admodum interpretes: itaq; præcipuas sententias, vt veritas facilius intelligatur, adferam.

Theophylactus adfert eorum sententiam qui spiritu adorare, aliud non esse existimant, quam solâ mente adorare. Hanc falsam esse ex eo constat, quod in lege noua etiam corporea sacramenta habemus, ore preces pronunciamus, & psallimus, genua flectimus, vt religiosâ corporis compositione, & supplice ritu Numen reuerenter adoremus. *Spiritu adorare.*

Altera sententia est Ambros. l. 3. de Spiritu S. c. 12. In Spiritu S. adorare eundem Spiritum S. Quod eatenus verum est, quatenus semper tota Trinitas adoratur.

Tertia

Tertia Athanas. epist. ad Serapion. In Spiritu S. In veritate, id est, in filio. Etiam Athanasii peculiaris est interpretatio, indicari enim sanctissimam Trinitatem opinatur. *Sed vt ipse*, ait, *Dominus Iesus Christus Samaritanam docuit, & per eam nos, Sanctæ Trinitatis pectitudinem, quæ & indivisibilis est, & vna Deitas, prout ipsa veritas testificatur, vbi ait Samaritanæ puellæ, Crede mihi mulier, quoniam venit hora, quin & iam nunc adest, quum veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam Pater tales quærit adoratores sui. In Spiritu igitur & veritate adorandum esse, etiam isthinc ostenditur, quia filius ipsa veritas est, quemadmodum de se dicit: Ego sum veritas. Eamq; Dauid Propheta invocabat, Emitte, inquiens, lucem tuam, & veritatem tuam. Veri idcirco adoratores adorêt quidem Patrem, sed in Spiritu & veritate, confitentes filium, & in filio Spiritum, quum sit Spiritus inseparabilis à Filio, vt est inseparabilis Filius à Patre. Quod & ipsa veritas suo testimonio probat, quum dicit: Mittam vobis paracletum Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, quem mundus capere non potest, hoc est, illi qui eum negant ex Patre procedere, & in Filio esse.* Orat. quod Spiritus sanctus non sit creatura.

Credo hęc quoq; verbis illis contineri: non tamen existimo Christum de grauissimo mysterio cum mulierculâ statim initio verba instituisse, sed ad eius quæstionem respondisse.

Quarta Origenis & Ammonii. Veris virtutibus, & mortificatione corporis.

§. 2. Error Calumianorum solâ fide adorare, in quo tamen vetustiores non fuerunt.

Bullingerus non solâ fide contentus est, vt in spiritu & veritate Deus adoretur. *Comprehendit autem*, ait, *fidem, obedientiam, dona Spiritus, animum regeneratum, & timentem, amantemq; Deum.* Atq; adeò Chrysostomi verba probat. *Qui nullo loco*, inquit, *diuinum cultum circumscribunt, qui Deum in Spiritu colunt, sicut & Paulus, Cui seruio, inquit, in Spiritu, in Euangelio filii eius. Et iterum, Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem rationabile obsequium vestrum. Per Spiritum autem significat incorporeum. Opus est enim incorporeo hunc cultum esse, & per incorporeum, quod est in nobis, hoc est, per animam, & animæ munditiam offerri. Idcirco ait, & adorat. res eius in Spiritu & veritate adorare oportet. Nam cum & Iudæi & Samaritani contemptâ animâ, munditiæ corporis plurimum studerent, Non abolitione, inquit, & ornatu corporis, sed incorporea nostri parte adorandum. Quamobrem non pecora, non vitulos, sed te totum Deo offeras sacrificium, sic viuentem hostiam exhibebis. In veritate enim adorare oportet. Nam quæ superiori tempore figura erant circumcisio holocaustia, sacrificia, incensum, non sunt amplius, sed omnia veritas. Non enim caro, sed malæ circumcidendæ sunt cogitationes: & nosipsos crucifigere, & irrationales auferre cupiditates oportet.*

In spiritu adorare nō est sola fide adorare.

§ 3. Omnes hæ sententiæ Patrum, partes sunt expositionis. Itaq; spiritu & veritate adorare hęc omnia continet, quæ ad orationis integritatem ac sanctitatē pertinent. Vt videlicet in fide postulent, toto animo incumbant in preces, caritate etiam & cæteris virtutibus orationem efficacem faciant, deniq; Deum patrem, filium, Spiritum S. adorent: impulsu Spiritus S. hoc agant, sine quo nihil possumus facere. Neq; hæc adoratio opponitur vetustorum Patrum adorationibus, sed nouitiis Iudæorum multorum, & omnium Samaritanorum opinionibus, Iudæorum multi Ierosolymis se adorare legitimè arbitrabantur, loci sanctitate fidebant, alioqui improbi. Samaritani autem in monte Garizzo tantum rectè cōcipi publicas preces iactabant, omniaq; se rectè agere persuadebant, si eo in monte adorarent, alioqui omnib. flagitiis infames. Itaq; de loci cærimoniis disceptabant, spiritus & veritatis inanes. Ita sentiunt Orig. Tertullian. de Trinitat. & Hilar. libro 2. de Trinitat. Cyril. Euthym.

In spiritu est verè, piè, caste.

Spiritus igitur & veritas opponitur hypocrisi, & vanitati, quorundam Iudæorum, & omnium Samaritanorum potius, quam figuris, neq; enim Christus mulierculæ, de figuris veteris Testamenti concionatur, sed eius errorem detegit, quæ sibi in eo placebat, quod in monte isto adoraret, Iudæos peccare censebat, qui Ierosolymis adorarent, cum ipsa tamen nusquam rectè adoraret, in scortatione, & flagitiis impurè viuens, Dei spiritu vacua.

Huc pertinet causa, quam reddit. Nam, & Pater tales quærit, qui adorent eum, in spiritu scilicet, non contentiosa hypocrisi, quemadmodum vos facitis,

Egregiè exponit Hil. 2 de Trin. quomodo Deus in spiritu sit adorandus.

§. 4. Varii erant adorantium ritus, dum nugis quisq;, & ritibus quisq; magis, quam animi sinceritate, & puritate Deum colere præsumit. Commune erat manum osculari, flectere genua, ad ortum verti, verbis conceptis ab aliquo sacrificulo numen venerari. Romani dextrouersum: Galli leuorsum vertere sanctius putabant. Val. l. 8. Arg.

pariterq; precati
Incipiunt, ignem pollux, vndamq; iugalem
Prætulit, vt dextrum pariter vertantur in orbem,

Quin & ad lapidem vertebantur. Lucret. l. 5,

Cærimonia sine spiritu ludibria.

Nec pietas vlla est, velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem.

Addit;

--- procumbere humi prostratum, & pandere palmas
Ad delubra Deum.

Circumcursabant Prophetæ Baal, & se cultellis concidebant. Varia erant superstitiosissimorum rituum, quemadmodum Deorum portenta, de quibus vid. Alex. l. 2. c 19. Tiraquellum, alios q; qui veteres auctores explanant. Hæc omnia Christus vel inutilia, vel noxia, vel adiaphora pronunciat, solum spiritum & veritatem postulat, sit caritas, sinceritas, vera fides. Cærimoniæ sine his ludibria sunt, non orationes.

§. 5. Caluinus in Ecclesiâ Catholicâ multitudinem cærimoniarum reprehendit. Deinde figuras esse contendit, deniq; non esse res medias, sed per normam à Christo præscriptam violari.

Multitudo cærimoniarum.

Quod ad multitudinem attinet, cēsuit id aliquando Augustinus, & credo fuisse, hodie pauciss. mę sunt, quibus omnes vtuntur. Ruditas nostra his adminiculis indiget. Cum autem ordine in Ecclesiâ omnia agenda sint, cumq; vnius sacramenti administrandi varię esse cęremonię possint, ne dissimilitudo turbas daret, certi aliquid statuendum fuit. Nec vero crassam & carnalem pompam Deo placere docemus, nec cærimonias vt ventuti Christi typus & figuras, sed factorum mysteriorum symbola tenemus. Quocirca videmus hæreticos priscorum rituum contemptores, alias cærimonias diuersas sibi confinxisse ad mutuum irrisum vsq; ineptas.

§. 6. Calumnia etiam Caluini est. *In Papatu non esse minorem vmbrarum densitatem, quam in Iudaismo.* Neq; nos veritatis, quam Christus exhibuit, vmbras aut typos tenemus. Non repræsentamus futura mysteria, sed præsentia tractamus in Christi commemorationem, dataq; beneficia & verbis semper, & signis aliquando testamur. Spiritu Dei adoramus interdum stantes, aliquando flexis genibus, sedentes, ambulantes, vt ratio, valetudo, locus, ædificatio exigit. Nec inuoluctis veritatem latere volumus, sed cum verbis profitemur, iisdem signis quæ scriptura vsurpat demonstramus. Lex vmbram habet futurorū, nos præsenti veritate gaudemus, quam rudibus corporalium rerum anagoge crebro exponimus, Christum ipsum imita-

Cærimonia nostra ritus, sensa.

imitati, qui docendo, signa faciendo, sanando, benè faciendo itasui præsentiam exhibebat, vt tamen parabolis & similitudinibus tota Euangelia stipentur.

§. 7. Caluinus hoc fulmine cadere omnes bonas intentiones fingit. Non enim ignorandum est, quid adoremus.

Respond. Non modo prudentiam, sed communem sensum in hominis illo furoris morbo requirunt. Samaritani adorabant, quod nesciebant, erroribus obnoxii, ergo concidunt omnes bonæ intentiones Catholicorum. Bonas intentiones ille vocat, quibus bona opera non iussi à Deo faciunt. Mandatum enim expressum requirunt hæretici. Nos cum adeò multa videmus facta non præcedente Dei mandato eaq; Deo approbata non credimus aliquod opus bonum, bonâ intentione factum, ideo malum esse; quia Samaritanis hæreticis de Deo pessimè sentientibus Christus exprobret, adorare quod nesciant.

VERSVS 24.

Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.

QVÆSTIO I.

An Deus Spiritus?

§. 1. RAtio, vt Deus in spiritu adorari velit; quia Spiritus est, non quod omnè corporis actionem, cultum, obsequium respuat, sed quod animi & virtutis requirat, nec facta vlla, nisi à Spiritu profecta sibi grata habeat. Natura enim corporis expers intelligens, amans, non nisi intelligendo amandoq; colitur, quod si aliud quippiam eius honori impenditur, eatenus acceptatur, quatenus prudentiæ, fidei, caritatis, & religionis, hoc est, animi sancti opus est. Verissimum dictum est. Ἀρετὴ νῦ καθαρὸν τὸ θεῖον ἱλαστήριον, *Virtus mentis pura, numinis est propitiatrix.*

§. 2. Cum dicitur, Spiritus esse Deus, vox *Deus*, subiecti, Spiritus, prædicati loco ponitur. Quamuis aliter S. Athanas. de communi essentiâ Patris & Filii & Spiritus interpretetur. In Græco res clara est. πνεῦμα ὁ θεός, articulus enim apponitur subiecto. Quamuis ille hunc sensum existimarit, vt spiritum diceret hic significari Spiritum S.

Alios autem vetustos Patres hunc locum contra Arianos vsurpasse in confesso est. Nam Ambrosl. 3. de Spiritu S. id facit, & testatur Arianos eum erasisse. Basil. vide de Spiritu S. vbi duas expositiones profert. Cyril. Alexandr. de festis Paschal. hom. 20. χρὴ αὖ φάναι ὡς οἷόν περ ἂν εἶεν ἀληθινοὶ προσκυνηταί, καὶ τὸ ἐν πνεύματι τε καὶ ἀληθείᾳ λατρείας ἐργάται γνήσιοι, παῖδα μὲν ὁσοσεοῦν ἀμόλυσμον, Ψυχῆς ἦ λέγω καὶ σώματος πειρᾶσθαι καὶ καλοῦσθαι, καὶ μάλα προθύμως τὰ δίκαια ἂν εἶεν αἰτίας ἁπάσης ἀπηλλαγμένοι ἀγίας δὲ εἶναι προσήκει τὸ σῶμα, καὶ τὸ πνεῦμα. *Oportere autē arbitror, qui quidem veri adoratores sint, germanamq; & veram in spiritu & veritate adorationem exerceant, omnem penitus à se impuritatem corporis nimirum atq; animi amouere, verum & emitti, ac strenuò quidem, vt ea præstent, per quæ ab omni sc. crimine noxaq; liberentur. Sanctos nempe illos, & corpore & spiritu esse decet.*

§. 3. Christus hoc itaq; de essentiâ Dei præcipuè vrget, contra Saduccæos qui ideò Spiritum sanctum negabant, quia inficiabantur omnem spiritum, Patrem & Filium corporeos comminiscebantur: quales etiam Deos suos cœca gentilitas finxit. Hos secuti sunt Audiani, Anthropomorphitæ. Tertul. Monachi in Ægypto.

QVÆSTIO II.

Cur se Messiam tam aperte profitetur?

§. 1. MVlier de Messiâ inaudierat. Scio, inquit, quia Messias ἔρχεται iam aduenit, cum autem nos adierit, ille litem finiet, omnia enim annunciabit. Hæc quia candidè pronunciat, seq; & iudicium Messiæ committit: Christus se eum esse contestatur.

VERSVS 27.

Et continuo venerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit. Quid quæris aut loqueris cum ea.

QVÆSTIO I.

Cur mirati discipuli?

§. 1. Καὶ ἐθαύμασαν, alia ἐθαυμάζον. Insuetum erat Christo cum muliere solâ loqui, hæc insuper erat Samaritana, vt Apostolis omnibus exemplo esset, suspicionum fugiendarum. Cyrillus, Chrysostomus, aliiq; eius etiam modestiam miratos putant. Veruntamen sæpenumero contigisse non dubito, vt pauperibus euangelizaret, hoc enim prædictum fuit.

Causam colloquii Apostoli ignorabãt.

Cyprianus, seu quisquis est auctor de singularitate Cleticorum in priore sententia est. *Et vt de Apostolis, ait, breuiter probem quantum illis fluxa familiaritas potuit displicere, qui compulsi sunt & de ipso Domino loquente cum fœminâ dubitare, nisi eos maiestatis notitia probata compesceret, sicut Euangelista refert dicens: Inter hæc, inquit, venerunt discipuli eius, & mirabantur, quod cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit illi: quid quæris, aut quid loqueris cum eâ.*

Non videntur admirati, quod cum Samaritanâ loqueretur. Ipsi enim in Vrbem profecti erant, vt cibos emerent, actuti sine dubio cum Samaritanis. Quapropter aliam causam esse non dubito, nempe quod præter morem cum muliere solus loqueretur: Non quasi malè suspicarentur: Nunquam enim illi tale quippiam vel calumniosissimi Pharisæi obiecerunt, sed quod magnam esse causam existimarent, cùm insolito more cum fœminâ sermonem haberet.

VERSVS 31. & seq.

Interea rogabant eum discipuli dicentes: Rabbi manduca. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad inuicem. Nunquid attulit ei aliquis manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius.

QVÆSTIO I.

Quis cibus Christi?

§. 1. IAm fesso, sitienti, esurienti cibos attulerant, nec tamen manducabat, hortantibus illis alium sibi cibum esse respondit. Mirantibus an fortè quispiam cibum attulisset, indicat parabola se vsum. Patris enim voluntati, obsequi, & salutē hominum

procu-

Cibus Christi.

procurare, tam sibi iucundum esse, quam est esurientibus cibus, &:

Dulsu aquæ saliente sitim restinguere riuo.

Iam enim sciebat adfore Samaritanos ad fidem suscipiendam idoneos, quorum aduentum fidemq; hisce parabolis prædicit. Rectè S. Augustin. etiam potum fuisse earundem animarum salutem.

Zelum animarum conquirendarum nobis impense commendat fames & sitis Domini, cuius cibus est voluntas Patris, illa vero est, qua omnes homines vult saluos fieri.

§. 2. Nyss. hom. 10. in cantica. *Nos autem*, ait, *sumus arbores quandoquidem nos quoq; sumus, qui ei cibum apponimus, salutem nostrarum animarum cum sic dixerit is qui conuiuio nostram excipit animam, Meus est cibus, vt faciam voluntatem Patris mei. Est autem manifestus scopus diuinæ voluntatis qui vult omnes homines saluos fieri, & venire ad agnitionem veritatis. Hic est ergo ei paratus cibus vt nos saluos simus. Fructus autem noster est liberi arbitrii electio, Deo, qui nos met tractat decerpit, tanquam per quendam ramum tradens animam.*

Itaq; duo insignia dogmata contra Caluinianos probat, ex eo, quod cibus Christi sit salus hominum, & quod sit liberi arbitrii electio, quâ se homo Christo in cibum tradit.

Et orat. 4. de beatit. *Quis est igitur*, inquit, *ille cibus, cuius appetitum Iesus sitiens non dubitat? Ait ad discipulos post habitum cum Samaritanâ sermonem: Meus cibus est, vt faciam quod vult pater meus: non ignota est autem voluntas Patris, qui omnes homines seruari, & ad agnitionem veritatis venire vult. Igitur ille nos cupit seruari, & vita nostra cibus eius existit, didicimus quis vsus sit eiusmodi animæ habitus & affectionis. Quis igitur hic est: Esuriamus nostram ipsorum salutem: sitiamus diuinam voluntatem, quæ est, vt nos seruemur.*

VERSVS 35.

Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit: Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.

QVÆSTIO I.

Quomodo quatuor menses vsq; ad messem?

§. 1. OTi τετράμηνός ἐστιν, alii addunt ἔτι. Origenes discipulos dixisse putat. Iam corpori curando vacandum, quod adhuc ad spiritualem messem quatuor menses, hoc est longum sit tempus. Christus respondet, iam iam laborandum, regiones enim esse albas ad messem. Iam enim adfuturi erant Samaritani pars Messiæ, imo primitiæ gentium.

Cæteri esse quatuor menses vsq; ad messem triticeam, quæ exeunte Aprili esse solebat. Itaq; initio Februarii, vel Ianuario ista dicerentur.

§. 2. Quemadmodum messem temporariam exspectatis, & iam quatuor mensibus abesse dicitis, ita messem spiritalem iam esse dico, & flauas segetes flagitare messorem.

Festinationis causam ex hominum lucris studentium sollicitudine confirmat. In illis sedulo occasiones captant, spiritalium rerum negligentes.

§. 3. Syrus habet, quippe quæ albescant, & iam peruenerint ad messem amodo רחגרן זמטיר *dechanaru zmettiu*, albescunt & propinquant ad messem. Et adiungit מן כדר *men caddu*, *amodo* seu ab *hoc tempore*.

§. 4. Maldonatus existimat hominum ociosorum prouerbium fuisse. *Adhuc quatuor Menses sunt vsq; ad messem*, cum indicare vellent, non nimium sollicitos esse oportere, adhuc diem volui. At prouerbium hac in messe spiritali locum non habere, iam enim in manibus esse messem, albere segetes, nisi acturum colligãtur, nimiâ maturitate fructum de vaginâ casurum. Probabilem expositionem facit, quod ait: vos dicitis, hoc est, prouerbio dicere soletis. Deinde accommodatissima est rei præsenti interpretatio. Originē prouerbii esse dicit, quod inter sementem & messem plerumq; erant quatuor menses interiecti: sementem Nouembri: messem exeunte Aprili fuisse. Quatuor menses ad messem.

VERSVS 36.

Et qui metit mercedem, accipit & congregat fructum in vitam æternam, vt qui seminat simul gaudeat, & qui metit.

QVÆSTIO I.

An idem sit merces & fructus?

§. 1. CYrillus idem esse existimat: Mercedem dici, quod labori ex pacto rependatur: fructũ vero, quod de fructu merces soluerentur. Hortatur ad laborem, merces, n. & fructus facit, vt & is qui seminat, gaudeat copiosam messem fuisse, & is qui metit.

§. 2. Mercedem ferre Caluin. non potest. *In hunc*, ait, *finem passim in scriptura mercedis fieri solet mentio, non vt inde operum merita æstimentur. Quis n. si ad calculum vetum fuerit, non pœna ignauiæ magis, quã diligentiæ præmio dignus reperietur? Ergo optimis operariis nihil restabit aliud, nisi vt supplices ad veniæ deprecationem confugiant. Sed Dominus, qui paterne nobiscum agit, vt nostram ignauiam corrigat, & nos ad eoquiparium cordatos melius animet, gratiam merendi mercedem dignatur. Porro hoc adeo non euertit fidei iustitiam vt potius stabiliat. Vnde enim fit vt quicquam in nobis quod remuneretur inueniat Deus, nisi quæ spiritus sui donauit? Atqui spiritum arrham pignusq; adoptionis accepimus. Secundo, vnde fit mutua & virtutis operibus tantum honoris Deus habeat, nisi quia posteaquam nos sibi gratos reconciliauit, vt ea quæ operibus nostris adhærent, non imputando, pretium illum meritum accepta habeat? Summa huius loci est, Laborem quem docendo impendunt Apostoli, minimè dicam aut gratuitum debere illis esse, quum sibi tam vtilem, Christo & Ecclesiæ fructuosum esse sciant.* Merces mutuis est.

Resp. Merita operum, nec euertere iustitiam fidei, nec pignus spiritus nobis donatum, hæc enim omnia tanquam principia esse in animâ merentis oportet, nec ista sufficiunt, sed promissione diuinâ præcipuè nititur, qua scimus nobis ex Dei spiritu benè operantibus, quamuis actiones imperfectæ sint, mercedē ex pacto gratuito acceptutos. Multo stultius hoc loco Brentius. Neminem meritis iustificari, itaq; non esse merita vlla. Nam merita iustorum sunt, non autem iustificandorum.

VERSVS 37. 38.

In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod non laborastis: alii laborauerũt, vos in labores eorũ introiistis.

QVÆSTIO I.

Qui seminarint, qui meturi?

§. 1. COntensu docent, hoc etiam prouerbium fuisse, cum significare vellent, alterius fuisse labo-

laborem, alterius fructum. ἄλλοι μὲν σπείρουσι, ἄλλοι δὲ ἀμήσουσιν. alii quidem seminant, alii vero metunt. Similis locutio est Iob. 30.8. seram, & alius comedat. sic & Virg.

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.

Græci etiam sic efferunt ἄλλοι κάμον, ἄλλοι ἄναντο, *alii laborarunt, alii vtilitatem perceperunt.* Diocletiani etiam dictum fuit, *Ego apros occidi, alius fruitur pulpamento.* Vid. simil. Amos 5.11. Messores Apostolos esse constat. Seminatores Prophetæ & sancti veteris Testamenti fuerunt. Quorum maior labor fuit, at nondum fructus apparebat. Cum verò Apostoli non minores labores subiisse videantur, atrociora etiam sustinuisse supplicia, quam Prophetæ, comparatio non consistit in laboris magnitudine, aut facilitate: nam messorum anni tempore feruentissimo, haud minor est, quam seminantium labor, sed in eo, quod Prophetę laborum suorum fructus nec ipsi ceperunt, nec in aliis viderũt. Apostoli vero cum docendi labores subirent, continuo multos ex conuersis in vitam æternam congregarent, ita vt eorum labor messi similimus esset.

§. 2. Seruetus pueris negat baptismum, quod messis tempore dandus sit, non enim albescunt ad messem.

Respond. Christum hortari Apostolos, vt se accingant labori, iam messem flagitare ipsorum opera: at iam etiam pueri gratiæ baptismi erant idonei: quoniam talium erat regnum cœlorum. Quis igitur miretur albescere ad messem, si regno cœlorum maturi sunt, non annorum numero, sed gratię beneficio, quę non distinguit hominum ætates.

VERSVS 39.40.41.

Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbũ mulieris, testimonium perhibentis. Quia dixit mihi omnia quæcunq; feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum, propter sermonem eius.

QVÆSTIO I.

Quomodo tam facilè mulieri crediderunt?

§. 1. ANtequam ad Christum exirent, vt docet Augustinus, credebant. Itaq; mulierem alicuius apud eos auctoritatis fuisse oportet, eamq; vehementer, prudenterq; egisse, retulisse etiam, quæ sibi dixisset, deniq; Dominus animos permouebat.

§. 2. Credidisse negat Caluinus, sed tantum sermone mulieris ad credendum excitatos, at v. 42. verâ fide credidisse.

At verò Euangelista multos pronunciat in eum credidisse, quamuis enim quædam exemplaria omittant, πὰς ὁ λαὸς, pleraq; tamen retinent Græca, Latina, Syra. Cur autem credidisse in eum dicat, si non crediderunt? ita August. tract. 15. *Et hoc paululum, ait, animaduertendum est, quia lectio terminata est. Mulier primum nunciauit, & ad mulieris testimonium crediderunt Samaritani, & rogauerunt eum, vt apud eos maneret, & mansit ibi biduo, & plures crediderunt: & cum credidissent, dicebant mulieri: Non iam propter verbum tuum credimus, sed ipsi cognouimus & scimus, quia verè hic est Saluator Mundi. Primo per fœminam, postea per præsentiam. Sic agitur hodie cum eis qui foris sunt, & nondum sunt Christiani. Christus nunciatur per Christianos amicos, tanquam illa muliere, hoc est, Ecclesia annunciante. Ad Christum veniunt, credunt per illam famam, manet apud eos biduo, hoc est, dat illis duo præcepta charitatis: & multo plures & firmius in eum credunt, quoniam verè ipse est Saluator Mundi.*

QVÆSTIO II.

An fecerit miracula apud Samaritanos?

§. 1. SAmaritanorum feruor, & prompta fides Iudæos arguit, credunt mulieri, Christum rogant, vt secum permaneat. Crediderunt autem propter sermonem eius: admirando enim modo scripturas illis, & quæ ad virtutem salutemq; pertinebãt explicabat. Miracula etiam fecisse non est dubium, etsi id non recenset Euangelista: miracula enim, cuius mulier erat testis, crediderunt, & qui ante mulieri nõ crediderunt, nunc Christo credunt, propter sermonem, doctrinam sc. etiam miraculis obsignatam. audiuisse se & scire aiunt, hunc esse Saluatorem Mundi. Scire autem non ex nudo sermone poterant, nisi signo eum confirmasset. *Fecit miracula.*

QVÆSTIO III.

An fides implicita sit vera?

§. 1. BEza veterem interpretationẽ repudiat, quod dixit *loquelam* tanquam barbarum: Erasmum quod *orationem*: ipse vertit sermones, cum tamen sit λαλιὰν, sermonem seu loquelam. Quædam exemplaria habent μαρτυρίαν testimonium, quod ex interpretatione irrepsit.

Inuitus ad Grammaticam descendo, sed magni tamen æstimanda est Spiritus S. grammatica, qui humanis vti signis dignatur. Beza nostram interpretationem barbaram censet. At *loquela* sanè iam olim vsitatum esse potuit, multa enim verba nouantur, multa cadunt. Cic. l. 4. de Finib. ex eâ difficultate *loquacis loquelæ*, vt ait Accius, malitiæ natæ sunt. Sic Lucret. l. 1. *Loquela latinum est.*

Blandas ex ore loquelas
Fundere.

& Catullus. *Verbosâ gaudet Venus loquelâ.*
& Plautus in Ciste l. dixit, *commodare loquelam,*
Bonis igitur auctoribus vsitatum fuit *loquela.*

§. 2. Caluinus lib. 3. instit. c. 2. 5. fidem implicitam oppugnat, crassam ignorantiam vocat, Samaritanos negat initio fidem habuisse, postea accepisse. *Prius, inquit, gratos esse oportet.* Imò verò data gratiâ grati reddimur. Aquâ illâ abluimur, & vegetamur, non prius mundamur, deinde abluimur, sed affusa aqua sordes deterguntur, & nitori animæ restituimur. Verum nihil ista contra implicitam fidem, quæ in Samaritanis fuit, donec omnia aut plura explicitè nescirent.

VERSVS 44.

Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet.

QVÆSTIO I.

Quomodo cohæreat v. 44. cum cæteris.

§. 1. SEntentia est exposita Matth. 13.57. Hic penè maior est difficultas, quorsum eam Ioannes recenseat, quam quid significet. Duos dies apud Samaritanos mansit, deinde abiit in Galilæam. Ratio redditur: *Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia Propheta in suâ patriâ honorem non habet.* Maldonatus quoque expositiones recenset Augustini, causam reddi

cur duobus diebus quib. apud Samaritanos fuit multi in eum crediderint, cum multo tempore Iudæorum pauci sint conuersi, quia in patria Propheta est sine honore.

Theophylacti; causam reddi cur redierit in Galilæam, non semper manserit.

Chrysostomi; ostendi cur non iuerit Capharnaum, quæ erat quasi patria, sed in alias Galilææ partes.

Cyrilli; Rationem explicari, cur non sit profectus in Nazareth, sed in reliquam Galilæam. ita Tolet. Iansen. plures.

Origenis; Iudæam Christi patriam esse, vt qui in Bethlehem natus sit, inde discedere in Galilæam, quia in Iudæâ sine honore fuit. Nam versu tertio dixerat, reliquit Iudæam & abiit in Galilęam, interiectâ historiâ Samaritanorum, eadem verba repetit, & causam cur illam reliquerit, in hanc abierit. Huc enim pertinet, quod eum Galilęi exceperunt, ἐδέξαντο, cum Iudæi eum fuerint persecuti.

Lector quod placuerit sequetur.

§. 36. Regulus βασιλικὸς dicitur. Syrus vocat עבר מלכא *habed malcha, seruum regis.* & eodem modo v. 49.

Eum fuisse statum Capharnaum Caluinus ait, vt nemo instar Ducis, Comitis, aut Baronis ibi esse potuerit.

Verum largiter ille fallitur: Erant enim sub magnis regibus dynastæ minores, ipsi quidam reguli, non absoluto, sed subalterno imperio.

VERSVS 46.

Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.

QVÆSTIO I.

Quis Regulus?

Regulus Dynasta.

§. 1. GRæcus βασιλικὸν regium vocat, Palatinum, aut Cæsaris aliquem ministrum, non legit βασίλισκος regulus. Quidam ex stirpe Herodis arbitrantur. Sed ista ex coniecturis solis habentur. Regulum vocat Sedulius presbyter. l. 3. Pasch. ep.

Post regulus nato quidam moriente rogabat
Flebilis & supplex Dominum, quo viseret ægrum
Febre laborantem putrum, trepidamq; vetaret
Labi animam de sede sua: tunc larga potestas
Credenti quæ nulla negat, nec dona retardat,
Velocem comitata fidem sermone salutem
Concedens facili: Viuit iam filius, inquit,
Perge tuus. Quantum imperii fert iussio Christi.
Non dixit victurus erit, sed iam quia viuit.
More Dei, qui cuncta priusquam nata videndo
Præteritum cernit, quicquid vult esse futurum.

§. 2. Nonnulli dubitant, an regulus fuerit in Capharnaum, an filius eius ibi ægrotarit, ipse verò alibi habitarit. Sed cum dicatur venisse ad Iesum, quem audierat venire in Galilæam, potius dicendum est: Filium in Capharnaum ægrotasse. Neq; Capharnaum regulum habebat vllum, sed in Romanorum potestate ac ditione erat. Neq; nos Vrbis regulum fuisse dicimus.

§. 3. Non est Centurio, cuius mentio Matth. 8. 5. Luc. 7. 2. Nimis multa dissimilia sunt, vt historias consideranti, euidenter apparebit.

§. 4. Κομψότερον ἔχειν *belle habere*, lepidè, vtq; solent dicere pancratiè. Est enim κόμψος elegans, lepidus, bellus, etiam superbus, iactator. Apud Halicarn. κομψένομαι est componor, scitè, bellè. Non igitur modo sanum, sed perfectissimè sanum, omnibus morbi reliquiis deletis sanum esse pronunciat. Christus solum viuere dixit, Syriacè חיא *Chaui* vixit, hoc est conualuit; at serui respondent, subitò optimè habuisse.

Duos sanasse, ait Cyrillus: nam & reguli animum ad fidem adduxit, & à corporis morbo adolescentem liberauit. Credidit enim ipse, & domus eius tota.

VERSVS 48.

Dixit ergo Iesus ad eum, nisi signa & prodigia videritis, non credetis.

QVÆSTIO I.

An reprehendat signa & prodigia quærentes?

Signa dicuntur plura.

§. 1. SIgna à significando, σημεῖα à σημαίνειν sic dicuntur, quæ possunt esse in rebus naturalibus, non naturaliter effectis, vt cum ægro sanitas restituitur τέρατα sunt, quæ consuetudinem humanam excedunt.

§. 2. Duplex expositio, quidam credendi tarditatem culpari arbitrantur, quod sine signis non credant, alii causam reddi cur signa faciat. Regulus ille fidem habebat, sed imperfectam, vt qui ad sanandum præsentiam requireret. v. 49. sermonem enim abrumpit, ne filius moreretur, antequam ille veniret.

Deinde Christus fidem eius firmat non veniendo v. 50. sed absenti sanitatem donando.

§. 3. Iudæi miracula quidem à Christo inquirebant, idq; iure merito, in ipsa postulatione grauiter peccabant. Miracula iure petiisse constat. *Si enim opera non fecisset, quæ nemo alius facit*, domino testante, *peccatum non haberent.* Noua erat doctrina, noua Messiæ professio, miraculis igitur obsignanda fuerat. Præsertim cum Prophetarum omnium oracula Messiam signis, & admirabilibus operibus conspicuum forè prædixissent, cur non igitur ea postularet, quę si abessent, non modo ad credendum non obligarentur, sed etiam certum argumentum haberent, Christum non esse, qui opera Christi, hoc est miracula non faceret?

Miracula Christo erant necessaria.

Quia vero in signorum flagitatione fuerunt morosi, importuni, maleuoli, à Christo reprehenduntur, non vno, alteroue, ne multis quidem miraculis acquiescunt, noua itentidem postulant. Datum est à Ioanne testimonium, audita vox patris, arcana Nathanaëli indicata, Aqua in vinum mutata, Ierosolymis multa facta, adeò vt Galilæi venientem honorificè exciperent, regulus tamen adhuc hæsitat, si tot tamque magnis non credebat, poterat fortè nec huic ad se pertinenti credere. Hoc sine dubio vitiosæ curiositatis, & tarditatis, quærere miracula, nec tamen factis credere. sed alia iterum iterumq; postulare, auiditate prorsus impudenti.

§. 4. Caluinus ægrè ferre videtur Catholicos à nouatoribus signa veritatis exposcere. *Vtinam*, inquit, *hodie quoque plurimos teneret similis morbus: sed hac voce nihil magis vulgatum, procedant miracula vt aures præbeamus huic doctrinæ. Quasi vero ita sordere nobis debeat Christi veritas, nisi aliunde fulciatur. Verum, etiamsi ingenti signorum aceruo Deus eos obrueret, mentiuntur tamen quum se credituros dicunt, externa quædam admiratio nascetur, sed nihilo esset maior doctrinæ attentio.*

Respon-

Respondeo. Summæ esse stultitiæ, ac planè inexcusabilis, si fidem tot sectis nouis sine miraculis haberemus. Quid enim si Caluinus sibi sine miraculis credi æquum censet, nonne idem sibi iuris Lutherus, Flaccus, Mennon, Swenckfeldius, Socinus, Arminij, Libertini etiam, cæteræq; pestes flagitabunt? Quid porro causæ est, cur huic credam, illis non credam? De scripturarum interpretatione controuertimus, nouo modo interpretantur omnes, vt credam opus est signo veritatis, quale non potest esse falsitatis. A magistratu ecclesiastico vocati non sunt, à Deo si missi sunt, diploma missionis expromant, vitæ sanctitati non credo, pleriq; propter scelera vel ab Ecclesiâ pulsi sunt, vel vt rami arefacti exciderunt.

§. 5. Ioannis Baptistæ testimonium authenticum fuit, ita vt qui ab eo sufficienter instructi fuerunt, credere tenerentur, eum, quem demonstrauit, Christum esse. Quamuis enim nondum miracula fecerat Christus, exspectare tamen poterât. Quia vero multis hoc testimonium sufficienter propositum non fuit, non tenebantur credere antequam miracula viderent. De his dicitur: *Si non veniſſem & opera non feciſſem, peccatum non haberent.*

* * *
* *

CAPVT V.

POST hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. 2. Est autem Ierosolymis Probatica piscina quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinq; porticus habens. 3. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. 4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ sanus fiebat à quacunq; detinebatur infirmitate. 5. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. 6. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? 7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam. dum venio enim ego, alius ante me descendit. 8. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. 9. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. 10. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. 11. Respondit eis: Qui me sanum fecit ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. 12. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi. Tolle grabatum tuum, & ambula? 13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco. 14. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15. Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis quia Iesus esset, qui fecit eum sanum. 16. Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbatho. 17. Iesus autem respondit eis: Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor. 18. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluebat sabbathum, sed & patrem suum dicebat Deum æqualem se faciens Deo. Respondit itaq; Iesus, & dixit eis. 19. Amen, amen dico vobis: non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunq; enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. 20. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. 21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & filius, quos vult, viuificat. 22. Neq; enim Pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio, 23. vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. 24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam. 25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quãdo mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, viuent. 26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam in semetipso. 27. Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. 28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei. 29. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii. 30. Non possum ego à meipso facere quidquam. Sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam sed voluntatem eius, qui misit me. 31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. 32. Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me. 33. Vos misistis ad Ioannem: & testimonium perhibuit veritati. 34. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico, vt vos salui sitis. 35. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. 36. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. 37. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neq; vocem eius vnquam audistis, neq; speciem eius vidistis. 38. Et verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos creditis. 39. Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. 40. Et non vultis venire ad me vt vitam habeatis. 41. Claritatem ab hominibus non accipio. 42. Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. 43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? 45. Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. 46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. 47. Si autem illius literis non creditis: quomodo verbis meis credetis?

IN CAPVT QVINTVM

ARGVMENTVM

CHristus paralyticum ad piscinam probaticam sanat, idque Sabbatho, & grabatum ferre iubet; Iudæis autem calumniantibus factum; defendit auctoritate patris sui semper operantis. Diuinitatem suam multis argumentis comprobat: etiam Mosis testimonio.

Porrò disputationes hactenus cum Nicodemo, & Samaritide institutæ quasi priuatæ fuerunt, nunc Ieroſolymis eum ipsis principibus publicè auctoritatem suam probat. Etiam docet nullum morbum sibi esse incurabilem, & animarum non modò corporum se medicum esse.

In Syriacâ Ecclesia à principio, vsq; ad versum 19 legitur *matutinis Dominicæ 3. Ieiunii.* Hinc vsque ad versum trigesimum titulus est קריאא דעניראא *Ceriana deghanide, lectio defunctorum,* quia de mortuorum sc. resuscitatione disserens, ex eâ potentiam suam diuinam asserit. A. vers. 30. ad finem vsq; *Matutinis Dominicæ 3. post Epiphaniam.*

Miraculum porrò hoc celeberrimo loco factum, notissimum q; fuit, ac velut tuba, quâ ad salutarem doctrinam audiendam Ieroſolymitani omnes conuocarentur.

Spiritalem expositionem vide apud Augustinum, de verbis Domini Sermone 42. vbi eruditè & suauiter omnia exponit: Neque enim tam luculentum in principe Vrbe miraculum, aliquâ significatione spiritali caruisse credendum est. Sicut nec admirabile est Christum naturæ vniuersæ conditorem mira efficere, sed Deum inter homines versari.

VERSVS 1.

Post hæc erat festus dies Iudæorum, & ascendit Iesus Ieroſolymam.

QVÆSTIO I.

Quis dies festus?

Quod festum fuerit incertum est.

§. 1. COnuenit inter omnes, vnum ex tribus fuisse, quibus Ieroſolymam mares adire oportebat Exod. 23. 14. Pascha vel Pentecosten, vel Scenopegia. Vtrum ex hisce fuerit præter coniecturas nihil certi habetur. Quod Iansenius existimat Pascha fuisse, alioqui non posse quatuor inueniri, id aliis necessarium non videtur. Plerique tamen Pascha fuisse arbitrantur, etiam noster Vincentius. Nam cum dixisset quatuor menses esse vsque ad messem post primum Pascha dixit. Itaque in Nouembri vel Decembri: hoc ergo secundum Pascha erat. Sic Irenæus libro secundo, capit. trigesimo nono. Perer. libro quinto, in Dan. Iansen. Tolet.

§. 2 De Pentecoste Diuus Thomas, Lyra, Carthusiens. alii interpretantur. Quod si quispiam seruet hunc ordinem historiæ, vt dicat in paschate eiectos venientes, & ementes, deinde colloquium cum Nicodemo celebratum, Christum in Iudæa commoratum baptizasse, deinde per Samariam in Galilæam profectum, & dixisse quatuor menses esse ad messem, non possunt illa fieri post Pascha vsque ad Pentecosten, sed necesse est ante secundum Pascha fieri. Quia tamen dicit *post hæc*, nondum constat certi quicquam *de tempore*: potuit enim in Galilæâ manere, & ad secundum Pascha venire, deinde ad pentecosten. Itaq; cum nihil in vllam partem nisi probabile occurrat, cuiq; liberum fuerit sequi id quod verisimilimum videbitur.

VERSVS 8.

Est autem Hieroſolymis Probatica piscina, quæ cognominatur hebraicè Bethsaida quinque porticus habens.

QVÆSTIO I.

Quæ piscina probatica?

§. 1. QVidam habent ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ, *in probaticâ vel ad probaticam*, erat scilicet piscina, seu natatoria, Porta erat gregis 2. Esd. 3. 32. gregis seu *ouium*, שער הצון *Schachar hazon*: hæc dicebatur piscina pecoris, seu ouium, non quod eo loci oues adquarentur, aut victimarum exta eluerentur. Aqua enim non nisi ab Angelo mouebatur: ad illos verò vsus aquarum copia ad templum erat. [Erat enim, inquit *Iosephus lib. 8. de antiq. cap. 1.* labrum patens per dimetientem lineam in cubitos decem crassitudine palmari, eius meditullium sustinebatur spirâ decies replicatâ, cuius dimetiens linea fuit cubitalis. Id labrum circumstabant duodecim iuuenci ad tractus quatuor ventorum obuersi terni, quorum postica subsidebant vt eis orbiculare illud vas incumberetur in medio sui depressius. Capiebat autem hoc mare congiorum tria millia. Fecit præterea labrorum decem bases æreas quadrangulas, harum quæq; longitudine fuit cubitorum quinque, latitudine quatuor, altitudine trium, huius operis partes seorsim fabricatæ sic compingebantur. Quatuor erãt columellę per totidẽ angulos dispositæ quadrangulæ, quibus latera basium vtrinq; inserebantur, erant a. hæc tripertita, & inter iuncturas cælaturis distincta, alibi leonis effigie, tauri alibi aut aquilę. Columellæ quoq; eisdẽ cælaturis erant ornatæ. Totũ vero opus quatuor rotis suspẽdebatur, quæ fusiles erant, habebantque modiolos & radios sesquicubitali inter vtramque extremitatem interuallo. eratq; mirum videre rotarum circiferentias, quomodo lateribus basin coaptatæ cantis suis insistebant. Angulos a. supernè continebant fusiles humeruli manuum extensarum. his imposita erat spira, cui labrum inserebatur, ita vt manibus sustineri vide-

Probatica piscina.

Vsus piscina.

Latus templi.

Imago templi.

videretur: qua parte effigies leonum & aquilarum, sic erant adaptatæ, vt cannatas putares, interuenientibus inter eas palmarum arbusculis. Atq; hæc fuit decem basium structura. Deinde ex eodem ære fecit decem labra rotunda conchæ specie, quorum quodq; capiebat congios quadraginta. erat enim altitudo quatuor cubitorum, & tantũdem spatii patebat inter margines. Ea labra decem illis basibus imposuit, quas mechonoth sua lingua appellabant. horum quinq; ad sinistrum latus templi septentrionale collocauit, totidem ad dextrum australe, ita vt orientem spectarent: quo loco etiam mare illud dedicauit. Omnibus deinde aqua repletis, mare quidem in eum vsum assignauit, vt inde Sacerdotes templum ingredientes manus ac pedes abluerent, ad altare ascensuri: labra autem vt eorum aqua purgarentur intestina ac pedes animantium ad holocautoma destinatorum.] Erat etiam sub templo fons perennis, magna copia scaturiens, vocabatur מימי בן החמקדש *Meme men hamicdaſcin, aquæ de sanctuario.* Ad illas alludit Ezech. c. 47. 3. *aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, &c. & aquæ redundantes à latere dextro, &c. & traduxit me per aquam vsque ad talos. Rursumq; mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad genua, &c. & traduxit me per aquam vsque ad renes, &c. quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transuadari, &c.*

Et Aristæus de Septuaginta duobus interpretibus: [Templum spectat adortum, posterioribus eius ad occasum tendentibus, & pauimentũ totum est lapide constratum, tractusq; habet aquæ immittendæ ad loca certa, quæ mittitur ad abluendum sanguinem hostiarum: quia in solennibus festis multa millia iumentorum offeruntur. Aquæ vero confluxus nunquam deficit: & quia fons intrinsecus magnus naturalem, & eam perennem scaturiginem habet, & quia subtus terram sunt mira & inenarrabili arte, aquarũ receptacula confecta per quinq; stadia, quemadmodum apparebat, vndiquaq; circum templum, quorũ singula habent fistulas infinitas, vtrinq; in se inuicem emittentes fluxus: atq; hæc omnia in imo & à lateribus plumbo sunt obducta, & multa terra accuratè cooperta. Sunt præterea multa ostia in fundo & basi, quæ nemo cernere potest, præter illos quibus ministerium est commissum: per hæc impetu & effluxu supermissæ aquæ, sanguis quantumuis copiosus, à victimis collectus, abluitur & expurgatur. Exponam etiam, quomodo ipse istorum receptaculorum molem exstructuram, ex singulari beneuolentia monstratam cognoui: Nam abduxerunt me ex Ciuitate vltra quatuor stadia, & iussit me vnus capite ad locum quendã inclinata auscultare sonum, quem aquarum concursus æderet. Hinc apertè cognoui magnitudinem vasorum Templi (quæ aquas illas continerent.)]

Non igitur opus erat hac piscinâ ad eluendas purgandasq; victimas. Erat tamen non procul à templo; dicitur v. בית חסדה *bethſaida, domus piſcationis,* alii legunt בית חסדה *bet chaſad, quod, omiſſo* ה vertunt *Bethesda*, quod est domus misericordiæ, qui domum effusionis interpretantur, legerunt בית אשר *beth eſaher.* Textus Syriacus hunc in modum habet. דוכתא חדא דמעמורייתא *ducheta chada de machamudiia.* Hoc est locus vnus piscinæ. Nam etiam in margine scriptum est addictione דוכתא עבראית מקום *ducheta, chibraith macom. hebraicè locus.* Iunius & Tremellius verterunt: *ad pecuariam*, & subaudiunt, *portam.* & quamuis de voce non disputent, constat tamen à Syris abesse particulam *ad.*

Ridiculus vero est Bullingerus hæreticus dum formatur à בית *beth*, & עץ *chetz.* Nam עץ capram, non, vt ille ait, captum significat. Deinde nulla litera radicalis eadem est, in Syro enim est חסדא *Cheſda*, ab Hebræo חסד *Cheſed, miſericordia*, & Bullingerus facit hinc בית עזרא quasi domum capratum dicat: vbi literas suo arbitrio mutat. ע pro ח. & ן pro ס. & ne quid desit, quo imperitiam faciam palam, de suo addit ך, quasi capræ vocentur עזרא *Chizde* cum vocentur עזים *Chizien* quod à חסדא toto cœlo differt. vt etiam Hebraicè imperiti & figuris literarum satis constare potest. Hoc moneo, ne quis homines hæreticos ideò linguarum peritos existimet, quia peregrina idiomata commentis inferunt. Hieronymus de locis Hebraicis in probatica lacum rubentem esse ait mirum in modum: nam hostias ibi lauari à Sacerdotibus ferunt. *Bullingeri imperitia.*

§. 2. Manet tamen in omnium deriuatione difficultas, quod sit Hebraicum vocabulum Græco respondens, nihil enim horum ouem aut pecus significat. Nam alii sunt, qui vocant בית זאן *beth zon* domum ouis. Ita Ioannes Heidenus malus auctor.

Mihi duæ respondendi rationes occurrunt. Primum est vt dicamus: non respondere sibi nomina illa quoad significationem, sed aliam ob causam, ita Hebraicè, ob aliam aliter græcè appellatam. Causa priscis fuit, vt vocarent Beth-chesda ob beneficia diuina ibi exhiberi solita. Quia verò forum ouillum eodem loco habebatur, Græcè προβατικὴν quasi ouiarium appellarunt. Si nostram versionem stram retineamus, vtcunq; potest vocari probatica, Hebraicè dicitur בית ציידא *beth, zaida*, hoc est, domus vel venationis, vel cibi, vel viatici. Vbi peregrini necessaria sibi compararent.

Vel domus piscationis, quod talibus locis solerent vendi pisces.

Quam ob causam autem Brentius vocet Thermas mihi incertum est, nisi quod certum est, sine vllo eum auctore hoc facere, si enim thermæ essent, aliqua mentio apud veteres fieret, deindè tum facilè aquarum proprietati sanationis acceptæ referrentur. De tota re ita Franciscus Lucas: *Alii addunt præpositionem* super *vel in* probatica. *Prior vt Bibliorum Sixtinorum, ita plerorumque Latinorum librorum, tam manu quam typis scriptorum, lectio est: cui adstipulantur Latini tractatores præter recentiores, Beda & libro de locis Hebraicis Hieronymus: nec non inter Græcos Theophylactus dum absque præpositione & legit & explicat, piscina cur probatica dicta fuerit. Denique fauet huic lectioni Syriacum Euangelium, quod habet. Est autem illic in Ierusalem locus quidam, Ablutionis qui vocatur. Altera lectio quæ addit præpositionem Super, est non paucorum Latinorum librorum, tum manu tum typis scriptorum (nam qui habent In præpositionem, sunt illi solummodo typis excusi, & quidem minoris fidei) quibus volunt libri Græci, qui constanter addunt præpositionem ἐπὶ, ea tamen varietate vt quidam scribant nomina probaticæ & piscinæ eodem casu, Tertio inquam (ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ) plerique diuerso, prius tertio, posterius primo casu, ἐπὶ τῆ προβατικῆ κολυμβήθρα: vt & Latina scriptura, super probatica piscina, ambigua est ad vtrumque, vt vtrumque nomen accipias, vel eodem casu, vel diuerso, prius sexto, posterius primo. Græcis libris consonant auctores Graci, Nonnus & Eusthymius, quorum ille paraphrasi, hic enarratione sua intelligit, ad probaticam seu in probatica, fuisse piscinam. Hæc alias à nobis latius tractata sunt in Notationibus.*

Ibidem quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida. Ita le-

sunt meliores libri, præsens cognominatur, non imperfectum cognominabatur. Porrò pro Bethsaida, quidam libri impressi scribunt Bethesda, vt etiam quidam Graci pro Βηθσαϊδὰ scribunt Βηθσαϊδά: sed vt Latinos illos ex Græcis consulò esse mutatos, dubium non est: ita Græcos hos ex Latinis, credibile est. Recepta Græcorum lectio est Βηθσδά Bethesda, quod, prout scribitur à Syro, significat domum misericordiæ: Latinorum Bethsaida, quod interpretari licet domum piscationis. Vtra verior, incertum. lege Notationes nostras prolixiores.

De Græca lectione sic: ὁπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ: Sic cum Regio plerique omnes libri scribunt, prius nomen tertio, posterius primo casu. Quidam vtrumque scribunt tertio casu ὁπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ. Theophylacti Romæ excusi textus, commentario consentiente omisso præpositione & articulo, vtrumque scribit primo casu προβατικὴ κολυμβήθρα. Lege latinas varietates, & Notationes nostras in varias Bibliorum lectiones.

§. 3. Itaq; dicendum est diuersas fuisse partes aquæ illius, si hostiæ aliquæ ibi lauabantur. Noluit fortè Deus cultum suum & templum perpetuo miraculo illustrare. Christus autem suos eodem modo baptismo lauit in sanguine suo dealbatos. Ita Tertullianus libro de baptismo, capite quinto. figuram baptismi esse ait. *Sciunt opaci quique fontes & auii quique riui, & in balneis piscinæ & euripi in domibus vel cisternæ & putei, qui rapere dicuntur, scilicet per vim spiritus nocentis. Nam & enectos & lymphatos & hydrophobos vocant, quos aquæ necauerunt, aut amentia vel formidine exercuerunt. Quorsum ista retulimus? ne quis durius credat Angelum Dei sanctum aquis in salutem hominis temperandis adesse, cum Angelus malus profanus commercium eiusdem elementi in perniciem hominis frequentat. Angelum aquis interuenire, si nouum videtur, exemplum futuris præcurrit. piscinam Bethsaidam Angelus interueniens commouebat, obseruabant qui valetudinem querebantur. Nam si quis præuenerat descendere illuc, queri post lauacrum desinebat. Figura ista medicinæ corporalis spiritualem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figura spiritualium antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratia Dei, plus aquis & Angelo accessit: qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant: qui vnum semel anno liberabant, nunc quotidie populos conseruant, deleta morte per ablutionem delictorum, Exempto screatu, eximitur & pœna.*

Angelus a quæ aderat.

Chrysostomus homilia 35. non modo piscinam figuram baptismi esse asserit, sed etiam imaginem illustriorem, quia Christo prior est. Erat vero ad radicem montis, in eamq; videtur aqua templi deriuata.

§. 4. Nusquam huius miraculi in scriptura mentio alia habetur, imò ne quidem ab externis Scriptoribus, quod inter tot rerum minutias quæ scribi solent, mirandum est. Verum voluit Deus nobilissimum extare miraculum, quo suos in religionis constantiâ conseruaret: Gentibus ostenderet cultum illum sibi placere. Semper enim Dei Ecclesia miraculis gloria Dei reluxit, nec vnquam ita destituti fuerunt fideles, quin aliquo in loco, quasi exerta manu beneficia Deus porrigeret. Porrò in quinq; porticibus magnam hominum multitudinem fuisse ratio declarat, & Syrus textus etiam auget: dicit enim fuisse עמא סגיאא *Chamma sagiaa, populum magnum.* Nec etiam dubitandum præter ægros fuisse plurimos, qui seruirent illis, pauperibus Eleemosynas darent, diuitibus ministrarent, quam rem adiuuabat templi vicinitas, & nunc festum, itaq; loco conspicuo factum est miraculum.

Miraculi huius alibi mentio non est.

§. 5. Monet noster Vincentius Anabaptistas quosdam historiam de piscina probaticâ non recipere, quod nulla in veteri Testamento eius mentio habeatur. nec à Iosepho quidem. at nobis satis est ad fidem nouum Testamentum. Stultum enim esset Ioannem eâ de re scribere, de qua conuinci à multis viuentibus possit. Credibile verò est, miracula illa post veteres libros scriptos cœpisse. Quod ad Iosephum attinet, obiter & malignè Baptistæ & CHRISTI res attigit, de admirandis Apostolorum & martyrum rebus silet, hac in re gentilium secutus malignitatem, Christianorum res vbique deprimentium. Nec dubito Iosepho iam adulto gratiam illam sublatam, Apostolis vbiq; sanitatem conferentibus.

Tertullianus post Domini mortem desiisse dicit. aduers. Iudæos capite decimo tertio. *Et mandatum est nubibus, ne pluerent imbrem super vineam Soreth, id est, cælestibus beneficiis ne prouenirent domui Israel. Fecerat enim spinas, ex quibus Christum coronauerat: & non iustitiam sed clamorem, quo in crucem eum extorserat: & ita subtractis Charismatis pristinis, lex & Prophetæ vsque ad Ioannem fuerunt: & piscina Bethsaidæ vsq; ad aduentum Christi, curando inualetudines ab Israel, desiit a beneficiis, deinde ex perseuerantia furoris sui nomen Domini per ipsos blasphemaretur.*

Aquarum collectiones natatorias appellabant, non quod ad natationem omnes vsurparentur, sed quod plurimę. Nandi enim olim exercitationes celeberrimæ erant, quando & milites id discebant, & Augustus nepotes ipse docebat. Comparatæ itaq; in illum vsum piscinæ habebantur.

VERSVS 4.

Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.

QVÆSTIO I.

Quomodo aqua sanarit?

§. 1. DEscendebat Angelus, & aquam mouebat non motu sanaturus, sed vt præsens Dei beneficium testaretur. Vtitur autem Deus creaturis pro arbitrio, etsi illa quæ faciunt supra earum naturas sint. Non symbolum duntaxat aqua fuit, sed etiam causa sanitatis, per illam enim Deus potentiam suam exercuit. De potentia obedientiali alio loco disserui. Syrus addit לחרן *lehun, turbabat illis aquam*, ægris nempe. Quod verò Græcus ait κατὰ καιρὸν, *secundum tempus*, Beza interpretem nostrum quasi barbarum reprehendit, cum boni auctores eo modo loqui soleant. Nam secundum tempus est, post aliquod temporis interuallum. Sic Cicero 1. de Oratore, secundum hunc diem. Et in Vatin. secundum ea quæro. & oration. 2. in Verr. *Tua ratio est, vt secundum binos ludos mihi respondere incipias, vera, vt ante primos ludos comperendinem.* Itaque secundum tempus apparebat, quo Deo visum fuit,

In

In Syro est: בזמן זבן *in tempore, tempore, hoc est per interualla temporis*: Iunius & Tremell. *In tempore tenoris*, quod minimè probandum, cum idem sit in Syriaco verbum bis repetitum. Cyrill. lib. 2. cap 25. Angelum diuinâ virtute per aquas sanasse, D. Thomas, Theophylact. inditam aquæ virtutem, quâ sanaret omnes, quod de illâ instrumentali ratione intelligendum est.

Rectè ergo noster vertit: secundum tempus, κατὰ καιρὸν, minus rectè Beza, *certo momento*; non enim certum erat vllum momentum, quo veniret, sed ob incerditudinem omni momento expectabant. Eodem modo minus commodè *certo tempore* vertunt alij: nam ambiguum est.

§. 2. Incerta fuisse accessus momenta docet multitudo expectantium. Cur autem vno potius loco, quam alijs Deus ista operetur, solus ipse nouit, qui omnia facit.

Hodie quoq; multis locis multa miracula operatur, in alijs nulla. Quâ de re Augustin. Epistol. 137. *Vbique quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in Spiritu & veritate oportet odorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet & coronet. Veruntamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant?*

§. 3. Qui prior descendit, sanatur, vt appareat miraculo, non autem naturâ sanitatem donari. Hic multos annos habuit in morbo. Syrus: *quod multum tempus fuit ei*, & interpres in Regijs biblijs, addidit: *in morbo*. Sed in Syro non est.

§. 4. Anni ægrotantis morbi incurabilem contumaciam, & languentis patientiam demonstrant, ideo enim hæc adduntur, vt miraculum esse probetur. Monet simul Deus etsi beneficia sua diutissimè differat, non desperandum tamen esse. Quod respondet vers. 7. κύριε, Domine, seorsum ponendum est, magno enim affectu dicitur. Illud enim *Domine* est ciuiliter approbantis, quod voce ipsa indicabat. Syrus expressit eum affectum אין מרי *In mari. Etiam Domine mi.* Chrysostomus admiratus hominis tolerantiam & spem, exclamat: *Pudeat ergo nos, pudeat dilectissimi, & incredibilem socordiam nostram deploremus: octo & triginta annos hic expectauerat, expectabatque, neque eius impletum est desiderium, neque negligentia sua non sanabatur, sed prauenius ab aliis, neque propterea desperauit: nos autem si vel decem dies orationibus inuigilantes non exaudimur, iam tepescimus: hominibus verò quam diligentissimum exhibemus ministerium, in militia, in difficultatibus seruientes, & tandem frequenter omnem spem amittimus: Dominum autem nostrum, vbi sine dubio merces sequitur longè laboribus amplior, (spes enim non confundit, inquit:) debito studio & diligentia prosequi non patimur: & quonam hoc supplicio dignum? nam si nihil accepturi essemus, ipsius tamen frequens consuetudo nonne innumera nobis bona attulisset? sed laboriosa est assidua oratio: & quid non laboriosum; quod à virtute proficiscatur?*

§. 5. Libri Græci variant: alij ἐταράσσετο τὸ ὕδωρ turbant aquam: alij ἐταράσσετο, mouebatur. Eodem sensu; ratio quia τὸ alij articulum putauerunt, alij partem dictionis ἐταράσσετο. Hinc duæ lectiones. ἐταράσσετο ὕδωρ, & ἐταράσσετο τὸ ὕδωρ. Posteriorem probo, quia Latinus & Syrus eam retinent. Quod in historia scholastica, cap. 81. scribitur de ligno crucis, fabula est. Adrichomius in descriptione Ieruſalem, putat hic sacrum ignem fuisse sepultum. 2. Machab. 1. 19. Verum id quoque incertum. Puteus enim altus fuit & sine aquâ.

VERSVS 10.

Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

QVÆSTIO I.

An non licuerit ferre grabatum Sabbato?

§. 1. ONus minimum ferre Sabbato vetitum videtur Ierem. 17. 24. *Et erit: si audieritis me, dicit Dominus, vt non inferatis onera per portas ciuitatis huius in die Sabbati: & si sanctificaueritis diem Sabbati, ne faciatis in eo omne opus: &c. & 27. Si autem non audiueritis me vt sanctificetis diem Sabbati & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ieruſalem in die Sabbati: succendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Ieruſalem, & non extinguetur.* Vbi tamen de minimis non est mentio, sed in communi de oneribus, quæ per portas inferebantur die Sabbati non minus quam profano. Non dubito Ieremiam loqui de oneribus, quæ inferebant in Vrbem & vendebant, quod peccatum etiam post captiuitatem fuisse auctor est Nehemias cap. 13. 15. *In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum, & vuas & vicus, & omne onus, & inferentes in Ieruſalem in die Sabbati. Et contestatus sum, vt in die qua vendere licebat, venderent. Et Tyrij habitauerunt in ea inferentes pisces, & omnia venalia: & vendebant in Sabbatis filijs Iuda, & dixi eis: Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, & profanatis diem Sabbati? Nunquid non hæc fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem hanc? Et vos additis iracundiam super Israel violando Sabbatum. Factum est autem cum quiescissent portæ Ieruſalem in die Sabbati, dixi: & clauserunt ianuas, & præcepi vt non aperirent eas vsque post Sabbatum: & de pueris meis constitui super portas vt nullus inferret onus in die Sabbati. Et manserunt negotiatores & vendentes vniuersa venalia foris Ieruſalem semel & bis. Et contestatus sum eos, & dixi eis: Quare manetis ex aduerso muri? Si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque & tempore illo non venerunt in Sabbato.* Vbi calcantes torcularia & ferentes onera ad nundinas reprehendit. Itaque paruum & necessarium onus ferre non minus licitum erat Sabbato, quam ambulatio, ac similia. Nullo verò modo sanare miserum Sabbati peccatum erat, vt etiam noster Vincentius docet. Erant quidem in cultu Sabbati plusquam superstitiosi Iudæi, ita vt in periculo remigare, nec quicquam tale ferre vellent. Hoc autem tempus maiorem obseruationem requirebat, cum decies circiter centena hominum millia ad festum conuenissent, & magno supplicio dignum facinus, videretur ferre lectum turbæ & Deo insultantem calamitatem vniuersæ genti indè orituram timebant: ex Ieremia enim loco citato cognorant, inter causas vastationis violationem Sabbati referri.

Onera vetita Sabbato.

Sabbati cura superstitiosa.

§. 2. Itaque Sabbatum non videtur violasse, vt etiam Chrysostomus exponit Hom. 36. *Neque tantum sanauit, sed vt lectum auferat iubet, vt miraculum crederetur, & nemo falsum & simulatum opinaretur. Nisi enim firmis & robustis membris id ferre non potuisset. Seruat hunc morem sæpenumero Christus, vt maiorem in modum impudentibus silentium imponat.* Non autem violasse Sabbatum censet Chrysostomus, fecit enim non in Legis contemptum, sed augmentum, οὐκ παραβαίνων τὸν νόμον ἀλλ' ὑπερβαίνων, *non transgrediens legem, sed superans.*

Legem non violauit lectum ferendo.

§ 3. Paralyticus auctoritate medici sese tuetur, qui enim tam diuturnum sanare morbum potuit, vel interpretari de Sabbato legem, vel in eâ dispensare potuit. Qui enim adeò destitutus erat vsu membrorum, vt nemo aquam se quidem injicere posset, nunc lectum ferre non ambulare tantum valet, ita Cyrill. lib. 2. in Ioannem cap. 128. *Prudentißime, inquit, atq; breuißimè Iudæorum criminationes repellit. Nam quoniam vt transgressorem accusabant, non licere dicentes, in Sabbato hæc onera ferentem ambulare, ad illum totam rem refert qui sanitatem ei largitus est, & magna quasi voce dicere videtur. Illam potius quam Sabbatum esse honorandum, cui tanta virtus tantaq; gratia inest vt diuturnum hunc morbum, verbo fugauerit. Non enim homo, sed Deus solummodo, rem huiusmodi facere potest. Quomodo enim gratus Deo non est qui mirabili diuinaq; potestate vtitur? Ita significantius atq; acerbius in eos oratio fertur.*

§. 4 Caluinus ferre onus prohibitum fuisse putat, sed miraculum tantum fuisse, vt negligere oporteret offensionem. Veruntamen non fuisse veram offensionis causam facilè constare potest, si consideremus non quælibet onera prohibita, vt dixi. Caluinus tamen non modo Iudæos, sed etiam paralyticũ accusat. » [Tametsi enim nondum tenebat quisnam esset Chri- » stus, persuasus tamen erat, diuinitus missum esse, quia » diuinam eius virtutem expertus erat: atq; indè aucto- » ritate præditum esse colligit, vt necessario illi sit pa- » rendum. Sed videtur hoc quoq; reprehensione di- » gnum, quòd miraculum à Legis obedientia eum di- » mouet. Fateor quidem eum non satis firmo argu- » mento niti vel pugnare: bis tamen alij peccant, quòd » neque reputant, hoc extraordinarium esse Dei opus, » nec iudicium suspendunt donec Prophetam Dei ver- » bo instructum audierint.]

Paralyticus defensus.

Firmum fuit argumentum paralytici: Cur enim tanto miraculo non crederet, certoque statueret, illi obtemperandum, qui morbum annorum triginta octo subito sanasset. Deindè contumaciæ & ingratitudinis meritò accusaretur, si benefactori præsenti non pareret. Sanationis autem erat probatio, si onus ferret, ideòq; coniungenda fuit, nec damnare oportebat, qui hoc iussetat inauditum, sed quærere quâ potestate iuberet ferre lectum, qui tanta potentia sanarat ægrum.

§. 5. Non fuisse autem adeò strictam sabbati legem, vt non posset lectum ferre æger, facilè ostendo. Nam primò die sabbati pugnare, aliaq; facere necessaria licuit. Imò etiam aggerem struere, hostem impedire, quod fugiebant Iudæi superstitiosè apud Iosephum lib. 4 antiq. *εἰ, μὴ πάτριον ἦν ἡμῖν ἀργεῖν τὰς ἑβδομάδας ἡμέρας οὐκ ἂν ἠνύοθη τὸ χῶμα κωλυόντων ἐκείνων. ἀρχονῖας γὰ μάχης καὶ τύπτονῖας ἀμυνάσθαι δίδοσιν ὁ νόμος, ἀλλὰ δέπι δρῶνῖας τὰς πολεμίους οὐκ ἐᾶ. ὁθὴ καὶ ῥωμαῖοι σωιδόντες, καὶ' ἐκείνας τὰς ἡμέρας ἃς δὴ σάββαῖα καλοῦμεν, ἐτ' ἐβαλλον τὰς ἰουδαίους, ἐτ' εἰς χεῖρας αὐτοῖς ἀπῆιτων. χεῖν δὲ καὶ πύργους ἀνίσασαν, καὶ τὰ μηχανήματα προσῆγον, ὥστε αὐτοῖς εἰς τὸν ὄπτασαν ἐνεργὰ πῶς εἶναι.* *Si non in patrio more esset, vt illas hebdomadis dies feri iremur, non fuisset perfectum vallum, illis prohibentibus: Hostes enim cum prælium inchoant, pugnantq;, repellere lex permittit, si aliud faciant non sint. Cuius gnari Romani illu diebus, quos sabbata dicimus, neq; iaculis, neq; cominus Iudæos aggrediebantur, aggeres duntaxat, & turres erigebant, & machinas adducebant, vt in diem sequentem vti illis possent.*

Neque ista recte faciebant, licet aliquando sancta simplicitate sabbato etiam occiderentur: non enim in necessitate cæremoniam seruari Deus iussit. Deindè Sabbato exercitus pabulabatur, & agricolæ pecus pascebant, pabulum ferebant, aquatum ducebant, aut aquam ferebant potaturis: Hic verò erat non dissimilis necessitas. Lectum relinquere non tenebatur, nam in turba facilè ablatus fuisset, hærere etiam eodem loco non oportebat, aut certè non tenebatur. Cur enim iam sanus inter ægros moraretur, nec abiret die Sabbati.

§. 6. Mirantur nonnulli cur Dominus rogarit, an saluus esse vellet. Causa est quod inuito beneficia obtrudere noluerit, quemadmodum etiam sanitatem non nisi diligenter attendenti ex aquis dedit; nõ. strã enim voluntatem studiumq; requirit. Athanasius de Passione & cruce Domini. Ideò rogasse, vellet ne saluus fieri, vt per fidem gratiam obtinere posset. *Ac veluti medicus quispiam ingrediens ad ægrotos, primum quærit an velint curari, ne & ipso fatagente, & nolente illo, inutilis efficiatur curatio, aduersante ægroto contra medici artem. Ita quoq; Dominus è sanandis percunctatus est, & credentibus gratificatus est, vt per fidem gratiam obtinere possent. Indicium enim voluntatis animæ fides est.*

Cooperatiouem nostram Deus requirit.

VERSVS 13.

Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco.

QVÆSTIO I.

Cur se Christus non statim indicauit?

§. 1. NOluit Christus se miraculi auctorem ante profiteri, quam omnibus notum redderetur, vt de facto sine respectu personæ indicarent. Propter verbum ἐξένευσεν, quidam vertunt, peregrinum se fecit, quasi esset à ξένος: Verum aliena est illa interpretatio. Syrus: Iesus autem subduxerat se à turba multa quæ erat in illo loco, vbi אתגבי *Ethgeni*, est subducere se, abire, nihil ad peregrinitatem pertinet. Iun. & Trem. *Euaserat* è turba minus rectè; nam Syrus habet בגרמא in turba, non autem מן *Men*, quod est à turba.

Christum declinauit.

Non est ergo similitudo à natantibus sumpta, sed nutantibus, & tamen pleriq; de natatu interpretantur; cum ἐκνεύειν sit nutare, nutu iubere aut negare, itaque ἔκνευσεν est capite aliorsum inclinato discedere, hinc ἔκνευσις ὁδῶν apud Platonem *deflexus viarum*.

Postquam igitur cum illo disputatum est, de grabato non ferendo, nec auctorem posset proferre, Christus eum in templo monuit, vt peccata caueret; atq; ita sese indicauit, ille autem Iudæis.

VERSVS 14.

Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

QVÆSTIO I.

An exigat vt ab omni peccato abstineat?

§. 1. CAluinus negat id Christum flagitare: [Quũ « peccare vetat, non exigit vt ab omni pecca- « to sit immunis, sed comparatio fit superioris vitæ. « Hortatur enim Christus vt posthac respiciat, neque « maneat sui similis.] «

Impia est ista & Epicuræa scripturæ depravatio; omne enim peccatum Christus vetat, nullo prorsus

exceptu

excepto. Si enim aliquod excipimus, peccatum id esse negamus. Si Christus non exigit, vt ab omni peccato sit immunis, nec etiam Deus exigit, quædam igitur peccata Deus permittit, vt sine legis violatione fiant, si non iubet omnibus abstinere. Peccatum omne contra legem Dei est, quamuis minimum. Omne enim peccatum est ἀνομία, legis trãsgressio; omne igitur vetatur, alioqui vbi lex non est, nec peccatum est, non tamen ille ob fragilitatem abstinuit.

QVÆSTIO II.

An Christus ostendat fideles posse deficere?

§. 1. VTinam illa verba veterum martyrum spiritu perponderent noui fiduciarij, qui meris blanditijs ac confidentia perdunt animas errantes. Sanus erat iustus etiam factus à Christo, monetur tamen ne iterum peccet, *ne deterius aliquid ipsi eueniat*, si videlicet perditâ iustitiâ, & à Deo desciscus, maioribus se malis implicet. Hortatur hac de re martyres Cyprianus Epist. 7. ad Rogatianum, &c. *Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris nostri, veram circa vos & simplicem charitatem, vt qui aduersarium prima hac congressione vicistis, gloriam vestram forti & perseueranti virtute teneatis. Adhuc in seculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus; danda opera est, vt post hac initia, ad incrementa quoque veniatur, & consummetur in vobis, quod iam rudimentis felicibus esse cœpistis. Parum est adipisci aliquid potuisse, plus est, quod adeptus es posse seruare, sicut & fides ipsa & natiuitas salutaris non accepta, sed custodita viuificat. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo seruat. Dominus hoc magisterio suo docuit dicens: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Puta hoc illum & confessori suo dicere: Ecce confessor factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon denique & Saul, & cæteri multi quamdiu in vijs Domini ambulauerunt, dat am sibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab ijs disciplina Dominica, receßt & gratia. Perseuerandum nobis est in arcto & in angusto itinere laudis & gloria: & cum quies & humilitas, & bonorum morum tranquillitas Christiano omnibus congruat, secundum Domini vocem, qui neminem alium respicit, nisi humilem, & quietum, & trementem sermones suos, tum magis hoc obseruare & implere confessores oportet, qui exemplum facti estis cæteris fratribus, ad quorum mores omnium vita & actus debeat prouocari.* Quam graphicè fidem Christianorum sanctissimus martyr depingit, cui nemo respondet: iustum me credo, me non posse deficere confido. Sed cum timore salutem operabantur. Et lib. de Discipl. & Habitu Virg. *Glorificemus & portemus Deum puro & mundo corpore & obseruatione meliore; & qui per sanguinem Christi Domini nostri redempti sumus, per omnia seruitutis obsequia redemptoris imperio pareamus, demusque operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem quam inhabitat, derelinquat. Sospitantis Domini verba sunt & docentis, curantis pariter & monentis: Ecce, inquit, sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat.*

§. 2. Cur enim dubium est hominem sanatum, obedientem, etiam templum obeuntem, & orantem iam sanatum & liberum fuisse à peccatis? Si enim in illis hæreret, de pœnitentiâ admonerentur: nunc solum de cautione in futurum sermo est. Nec enim ob præterita puniendus erat, remissa igitur illa fuerunt; non tamen ex Caluini normâ Dominus eum hortatur, nec dicit: omnia remissa, nullum imputabitur, sed si pecces, deterius aliquid continget, quam id quod annos 38. substinuisti.

Syrus addit מן קדמיתא *Menkadmia*, *à principio*, vbi subaudiendum est *quam*, alioqui sensus non est, crediderim ex margine irrepsisse. Sed vt ad rem redeam. Paradoxon appellant omnes Remonstrantes in Belgio, cum dicunt eos qui fidem habent, nunquam deficere, & eos qui deficiunt nunquam habuisse. Vide Attic. 5. de perseuerantia, in errore collationum.

Contra impiam horum securitatem clamat Augustin. lib. de fide & operibus: *Quantum attinet igitur ad doctrinam salubrem veritatis, ne cuiquam mortifero peccato perniciosissima securitas detur, vel etiam pestilentiosissima tribuatur auctoritas, iste curationis ordo est, vt baptizandi credant in Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, eo ritu quo Symbolum traditur: & à mortuis operibus agant pœnitentiam, omniumque se omninò præteritorum remissionem in baptismo accepturos esse non dubitent: non vt peccare liceat, sed vt peccasse non noceat, vt sit factis remissio, non permissio faciendi. Tunc verè dici potest, etiam spiritualiter, Ecce sanus factus es, iam noli peccare: quod Dominus de corporali sanitate ideo dixit, quoniam sciebat ei quem saluum fecerat, meritis peccatorum, illum etiam carnis accidisse languorem. Ii autem & homini, qui & baptizandus adulter ingreditur, & baptizatus adulter egreditur, miror quomodo dici existiment, Ecce sanus factus es. Quis enim grauis & exitiabilis morbus erit, si adulterium sanitas erit?* Prudenter monet S. Basilius Dei iudicium metuendum, ne si misericordia contemnatur, deteriora fiant omnia. ὅπου δεῖ καταφρονῶν κεμάτων Θεοῦ, ἀλλὰ φοβεῖσθαι, κἂν μὴ ἀφ' αὐτίκα τὸ ἀνταπόδοσιν ἔχῃ Moral. Reg. 11. cap. 1. *quòd nequaquam contemnere oportebat iudicia Dei, potiusq; maiorem in modum metuere, licet ea confestim debita pœna non subsequantur.*

Securitas pestilens.

Itaque plurimum eius sententia distat à fiduciario.

§. 3. Peccata verò morborum cohortem trahunt. Ioram Rex Iudæ expertus est. 2. Paralip. cap. 21. v. 12. *Allatæ sunt autem ei litera ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, quoniam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui, & in vijs Asa regis Iuda, sed incessisti per iter regum Israel, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem Domus Achab; insuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te occidisti: Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filijs & vxoribus tuis, vniuersaque substantia tua, tu autem ægrotabis pessimo languore ventris tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.* Grauiora autem supplicia sibi attrahunt illi, qui leuioribus admoniti pœnis non emendantur. Qui enim ἀπαδεῖς & ἀνεπήκοοι insensati non facilè percelluntur, atrocioribus plagis aut corriguntur, aut conteruntur.

Morbus pœna peccati.

Morbi autem corporum vitiorum animi comitatus sunt, & satellitium, quo miseri stipantur, ne per omnia vitijs seruiant simul etiam futurorum suppliciorum indices, & in reprobis inchoationes quædam, & præludia. Parum enim ab inferis distat, impius & æger.

VERSVS 17.

Jesus autem respondit eis: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.

QVÆSTIO I.

Quid Pater operetur & Christus?

§. 1. IVdæi Christum tanquã Sabbati violatorẽ sanctitatis & religionis simulatione persequebantur. Deũ die septimo quieuisse, Christũ operari sanando, & opera præcipere sanatis. Calumniã Christus retorquet,

Deus etiam operatur die Sabbati.

torquet. Deum quidem die septima quieuisse, interim tamen & illo die & toto insequenti tempore operatum; atque etiam operari vsque modo ἕως ἄρτι. Vsque in diem Sabbati, adeoque ipso die Sabbati. Syrus עדמא לחשא *Chadma lehascha*, *vsque ad nunc operatur*, hoc est, ad præsens vsque tempus. Quamuis enim nouas rerum species non creârit die septimo, ea tamen quæ produxit, conseruat, gubernat, eorum actionibus interest, eas ordinat, dirigit, simul operatur die Sabbati. Nullum enim momentum, quo non æterni numinis beneficentia atq; energia in res creatas sese exerat. Cum igitur solem suum oriri faciat, super bonos & malos, etiam die Sabbati, nec ab omni operum genere cessat, sed tantum vetito; vti nec Deus die septimo ab omni opere abstinuit, sed à nouo creando. Se igitur & patrem confert, patrem operari, seq; pariter sanum fecisse die Sabbati fatetur, at Deus multos sanat, & homines curat etiam iumenta die Sabbati. Nec tanti erat laboris, vt non posset grabatum ferre die Sabbati; nec enim hærere ibi eum oportebat, nec grabatum relinquere.

Nec pluris erat ferre grabatum, quàm pabulum ferre iumentis, ita Cyrill. lib. 2. cap. 134. *Quoniam filius eiusdem naturæ cum patre est, nec aliud præter illum, quantum ad identitatem substantiæ pertinet, idcirco alia quàm pater velit, velle non potest. Ipse enim viuens consilium atq; virtus patris subsistens est, ac ideò vniuersa operatur cum patre. Vt igitur iratos sibi propter Sabbatum reconciliarit, Pater meus inquit operatur vsq; modo & ego operor. Si creditis, inquit, nutu & voluntate opificis Dei, Sabbati quoq; die omnia gubernari, ac solum quidem oriri fontes fluere, plantas è terris prorumpere, ignem vsui hominum etiam die Sabbati seruire. cur temere atque imperitè accusatis eum, per quem omnia pater operatur? Omnia enim Deus pater non aliter quam per virtutem & sapientiam suam, qui filius eius est, peragit: propterea, inquit, & ego operor.*

§. 2. Quamuis autem hæc verissima sint mihi tamen alludere Christus videtur ad ipsa miracula, quæ in probatica exhibebantur. Non enim offendebantur duntaxat lecti gestatione, sed multa morborum depulsione Sabbati facta. Hinc obseruant an Sabbato curaret, hinc ita Archisynagogi, quod Sabbatis venirent, vt sanarentur, at Christus se facto patris tuetur, qui misso Angelo sanabat eum, qui primus descenderat in aquam etiam die Sabbati. Cum igitur Dei beneficio non offenderentur, sed in suis festis Sabbatisq; grata haberent, pari modo de Christi miraculis iudicandum erat.

Angelus etiam Sabbato sanabat in piscina.

§. 3. A suis operibus sefiari homines lex imperat, de sacris, & diuinis nihil præcipit: itaque circumcidunt Sabbato, & sacrificant, non violando, sed implendo legem: multò magis sanitas diuinitus collata, opus erat Dei, non hominis: lecti verò gestatio eodem pertinebat, & signum erat, approbatioq; diuinæ præsentiæ, ac beneficentiæ, non opus seruile, lege Sabbaticâ prohibitum, vt supra dixi.

§. 4. Firmissimum hoc diuinitatis argumentum putat Athanasius de sanctissima nostra Deipara: *Si quidem communionem eiusdem, & vnius prudentiæ operationisq; præ se ferens, ad hunc modum loquitur. Pater, inquit*, vsquedum operatur, & ego operor. *Non enim per aliam prouidentiam Pater, per aliam Filius, sed per vnam eandemq; substantialem Deitatis efficaciam operatur.* Quin etiam lib. 3. contra Arrianos ostendit non esse Filium treaturam. *Ecce enim iam subsistente filio, ipse Pater operari conspicitur, vt à Domino nostro dictum fuit*: Pater meus vsque nunc operatur, & ego operor. *Si igitur secundum vos ideò conditus est Filius, vt cætera, vbi ipse iam creatus erat, crearet, & Pater tamen post editum Filium operetur, ociosa superuacuaque fuerit Filij istius in rerum natura introductio. Nam cur alioqui, quum condere hanc rerum vniuersitatis fabricam vellet, mediatorem conquisisset, quasi eius voluntas non satis potens sit ad ea constituenda, quæ ipsi placuerint? quum tamen inquiunt scriptura: Omnia quæ voluit fecit: voluntati enim eius quis est qui resistit? Ecce tibi voluntatem parem sufficientemque ad vniuersitatis architecturam. Superuacuus ergo hic iterum mediatoris vsus. Nam illud exemplum vestrum de Moyse, & Sole, & Luna, iam ostensum est friuolum esse. Illud quoque vos denuò redarguet: si Deus volens creaturam naturam producere, ac super ea re deliberans, Filium in eo vsu procreauit, pro vestra opinione, vt per eum nos edificaret: animaduerite, quam audax sit impietas in vestru verbis: primum quia apparebit Filium propter nos, non nos propter filium conditos esse. Non enim, nos eius causa creati fuerimus, sed ille nostri: adeò vt ipse nobis, non nos illi gratiam debeamus, quemadmodum mulier viro.* Non enim, inquit scriptura, vir creatus est propter mulierem, sed contra, mulier propter virum. *Et clarius paulò ante:* Eram enim, *inquit*, apud eum omnia concinnans: & Pater meus vsque nunc operatur, & ego operor. *Illud autem* (vsque nunc) *significat eum æternaliter in patre existere. Rationis enim sive verbi proprium est, operari opera Patris, & non esse extra eum. Si autem quæ Pater operatur, eadem & Filius operatur: & quæ Filius creat, ea sunt Patris creatura, & tamen Patris Filium, opus creaturamque conseruans, sequitur vt aut ipse seipsum operetur & creet: quandoquidem quæ operatur Pater, ea sunt & Filij opera, quod absurdum fuerit, & impossibile; aut vt dum creat & operatur opera patris, ipse non fuerit opus aut creatura, ne ipse à cæteris causa effectrix in rebus creandis reperiatur id efficere. Quomodo enim si secundum vos ex non entibus exstitit, potu ut non entia, vt entia sint, condere atque architectari? Quod si, quamuis creatura sit creatura, tamen eum condere velit, idem in omnibus rebus creatis intelligendum erit, vt & ipse se creare possint. Quod si id à vobis admittatur, qui vsus erit verbi, quum possint inferiora à superioribus procreari? aut quomodo singula, quum fierent in initio rerum audire potuissent vocem Dei. Fiat & efficiatur, si eo modo iuba rentur? Sed neque scriptum est neque possibile est. Eorum enim quæ creantur, nullum est sui causa efficiens: omnia siquidem per Verbum effecta sunt, neque illud operatum fuisset omnia, si ipsum ex numero operum aut rerum conditarum fuisset: neque enim vel Angeli quicquam creare possunt, quibus & ipsi sunt creaturæ, quamuis in diuersam sententiam Valentinus, Marcion, & Basilides eant, & vos vnà cum ijs, vt affectis iacet & æmulatores.*

Vna patris & filij est substantia.

§. 5. Athanasius in hunc modum lib. 1 contra Arrianos disserit. *Cum enim secundum substantiam Patris, Patri sit similis, nullo pacto conditus esse potuerit, sed conditor permanet, vt ipse quoque prolocutus est*, Pater meus etiam. num operatur, & ego operor, *ita quoque homo factus & carnem gestans, ne essario creari ut ipse dicitur, & omnia quæ sunt carnis propria: quantumcunque Iudaici isti caupones vinum aqua misceant, humiliantes Verbum verbique Deitatem, dum eam subij ciunt ijs opinionibus, quæ de reiis creatis concipiuntur.*

Christus Deus.

Arium Christo imputantem ignorantiam, Athanasius ex conditu rerum refutat, Sic enim omnia condidit, exitum ignorare non potest. *Filius igitur Dei qui omnia cum non essent, ad essentiam produxit & coaptauit inter se elementa ista, qua prouidentia mundum hactenus regit & gubernat, quemadmodum ipse Dominus locutus est*, Pater meus hucusque operatur, & ego operor: *ignorat scilicet, quando consummaturus sit, quod ipse ædificat?*

Christus mundi.

§. 6. Quomodo cesset, quomodo operetur Deus, explicat Augustinus lib. contra Adimantum capit. 1. Manichæi enim loca duo committebant, alterum veteris, alterum noui testamenti: *Deo quod scriptum est: Et consummauit Deus die sexto omnia opera sua quæ fecit,*

fecit, & in septimo requieuit ab omnibus operibus eiſdem quæ fecerat. Huic etiam loco Manichæi calumniam mouent & dicunt nouo Teſtamento aduerſari, quod in Geneſi ſcriptum eſt, Deum ſeptimo die requieuiſſe ab omnibus operibus ſuis quæ fecit, quoniam Dominus in Euangelio dicit: Pater meus vſque nunc operatur. Quod nullo modo contrarium eſt, Dominus enim Iudæorum refellit errorem, qui putabant Deum ſic requieuiſſe die ſeptimo vt ex illo prorſus operaretur. Requieuit autem ab omnibus operibus ſuis quæ fecit vt iam vltrà non faceret mundum cum omnibus quæ in eo ſunt: non tamen vt etiam à mundi adminiſtratione requieſceret. Non enim ſcriptum eſt, requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis, vt deinceps non operaretur, ſed ſcriptum eſt, Requieuit ab omnibus operibus ſuis quæ fecit: vt deindè non in faciendo mundo, à quo opere poſt perfectionem ceſſauerat, ſed in adminiſtrando operaretur, in quo opere eum eſſe Dominus intimauit. Nec illa requies, quaſi poſt laborem Deum pauſam quæriſſe, ſed ab inſtituendis rerum naturis poſt earum rerũ perfectionem ceſſaſſe ſignificat, quamuis vſque adhuc in adminiſtrandis operetur. Sabbati autem obſeruationes non intelligebant Iudæi, qui putabant ab iis etiam operibus, quæ ad ſalutem hominum valent, oportere ceſſari. Vndè illos Dominus etiam aliis locis de boue qui in puteum ceciderit, & iumento, quod ſoluendum eſt, vt ad aquam ducatur, mirifica comparat one redarguit. Sabbatum autem non repudiatum: ſed intellectum à Chriſtianis deſtitit quidem carnaliter obſeruari, ſed ſpiritualiter retinetur à ſanctis qui intelligunt vocem Domini vocantis ad requiem, & dicentis: Venite ad me qui laboratis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & ſarcina mea leuis eſt.

§. 7. Exploditur etiam eorum error, qui Dei in rerum efficientiâ concurſum negant. Aug. de Geneſi ad literam lib. 5. c. 20. *Iam nunc ergo diſcernamus opera Dei, qua vſque nunc operatur, ab illis operibus à quibus in die ſeptimo requieuit. Sunt enim qui arbitrantur tantummodo mundum ipſum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipſo mundo, ſicut ille ordinauit & iuſſit, Deum autem ipſum nihil operari. Contra quos profertur illa ſententia Domini: Pater meus vſque nunc operatur. Et ne quiſquam putaret aquaſi illum aliquid operari, non in hoc mundo: Pater in me manens, inquit, facit opera ſua: & ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat. Deindè quia non ſolum magna atque præcipua, verum etiam iſta terrena & extrema ipſe operatur, ita dicit Apoſtolus: Stulte, tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum forè tritici, aut alicuius cæterorum: Deus autem dat illi corpus quomodo voluerit, & vnicuique ſeminum proprium corpus.*

VERSVS 18.

Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non ſolum ſoluebat Sabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.

QVÆSTIO I.

Quâ ratione ſe filium Dei dixerit?

§. 1. VIuum naturalem, patri æqualem; Filium enim eiuſdem cum patre naturæ eſſe neceſſe eſt, vt Cyrillus lib. 17. Theſ. Ambroſ. lib. 2. de fide cap. 1. cæterique patres contra Arianos demonſtrant. Syriaca locutio difficilior apparet, eius dialecti ignaro. אלא אם רעל אלהא אבוהי אתהוי אמר הוא *Illa aph dehal elacha abuhi athauhi amar haua. Sed etiam quod ſuper Deo, pater ſuus eſſet, fuiſſet dicens.* Hoc eſt, quod de Deo dixiſſet patrem ſuum eſſe, & æquans eſſet ſe Deo, nam ἴσον ποιῶν ille vertit משוה *maſchue.* Græcus textus ſignificanter habet, πατέρα, τὸν ἴδιον, nempe ſingulari modo filius eſt natiuus & coæqualis, cuius pater ille ſit proprius, æternâ generatione, non creatione, quâ ratione eſt communis omnium pater. *Filius patri æqualis.*

§. 2. Dupliciter interpretantur ſententiam de æqualitate Dei. Quidam enim Ioannis Euangeliſtæ verba eſſe arbitrantur, quod ſi ſequamur inuictum argumentum contra Iudæos & Arianos ſuppeditatur de filij & patris æqualitate. Sic Athanaſius & Chryſoſtomus interpretantur. *Non dixit dicens ſed faciens, non enim verbotenus ſed frequentius operibus ſe Deo æqualem oſtenderat.* Sic etiam Hilarius lib. 7. de Trinit. *Non nunc Iudæorum ſermo inquit ab ijs dictis refertur, expoſitio potius hæc Euangeliſtæ eſt, cauſam demonſtrantis cur Dominum interficere Iudæi vellent.*

Atque ita reuera eſt. Nam Ioannes ait eum ſe Deo æqualem feciſſe, non dicit Iudæos queſtos eſſe. Quod ſi in Iudæorum perſonâ locutus fuiſſet, eoſque errare iudicaſſet, hoc ipſum monuiſſet: ita Auguſtin. & Chryſoſtom. *Si enim aliter ſenſiſſet,* inquit Chryſoſtomus, *ſed Iudæi ſic peperam intellexiſſent, falſam correxiſſet pinionem, neque id Euangeliſta ſilentio prætermiſiſſet. Vt cum videret verba illa: Soluite templum hoc, & in tribus diebus ex itabo illud; aliter à Chriſto dicta, hoc eſt, hac carne ſua, aliter à Iudæis intellecta, de ſuo videlicet templo, illorum corrigens ſuſpicionem Euangeliſta ſubiunxit; Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Hilarius: *Reſpondens enim Dominus ad Iudæos, quod eum interficere ob hoc magis vellent, quia patrem ſuum dicens Deum æqualem ſe Deo feciſſet: omne ſacramentum fidei noſtræ, dum impijs eorum motibus contradicit, expoſuit. Dixerat enim ſuperius, cum paralytico curato violati Sabbati reus, etiam mortis iudicio conſtitueretur: Pater meus vſque adhuc operatur, & ego operor. Et hinc omnis accendebatur inuidia, quod ſe Deo exæquaſſet, paterni nominis vſurpatione. Volens itaque & natiuitatem ſuam confirmare, & naturæ virtutem profiteri, ait: Non poteſt quicquam à ſe facere filius, niſi quod viderit patrem facientem. Exordium reſponſionis, aduerſus Iudæorum impium motum, per quem vſque ad voluntatem inferendæ mortis exagitabantur, aptatum eſt. Nam ad violati Sabbati obiectum ſibi reatum dixerat: Pater meus vſque adhuc operatur, & ego operor: vt vſurpaſſe hoc ex autoritate intelligeretur exempli. ſignificans tamen hoc quod ipſe ageret, patris eſſe opus intelligendum, quia ipſe in ſe operaretur operante.* Quo oſtendit ex opere eodem, eandem naturam. Et Auguſtinus etiam Arianos merito reprehendit tract. 17. in Ioan. *Ecce intelligunt Iudæi, quod non intelligunt Arriani. Arriani quippe inæqualem patri filium dicunt, & indè hæreſis pulſat Eccleſiam. Ecce ipſi cæci, ipſi interfectores Chriſti intellexerunt tamen verba Chriſti? Non eum intellexerunt eſſe Chriſtum, nec eum intellexerunt filium Dei: ſed tamen intellexerunt in illis verbis, quia talis commendaretur filius Dei, qui æqualis eſſet Deo. Quis erat, neſciebant: talem tamen prædicari agnoſcebant, quia patrem ſuum dicebant Deum, æqualem ſe faciens Deo. Non erat ergo æqualis Deo? Non ipſe ſe faciebat æqualem, ſed ille illum genuerat æqualem. Si ſeipſum faceret æqualem Deo, caderet per rapinam. Qui enim ſe voluit æqualem facere Deo cum non eſſet, cecidit, & ex Angelo factus eſt Diabolus: & hanc ſuperbiam hominipropinauit, vndè ipſe dilectus eſt.*

§. 3. Porrò quod ait à ſe facere: duos poteſt habere ſenſus. Suâ virtute facere & ſolâ ſuâ voluntate ſine

patris

Quomodo Christus à se facit nihil.

patris consensu. Priore modo rectè interpretabimur, si de humanâ naturâ sermo sit, illa enim à se non facit. Posteriore si de personâ Filij: illa enim suâ quidem virtute, sed non sine voluntate & consensu patris facit. Veruntamen de consensu & voluntate patris & filij accipiendum docet versus sequens. Causam enim reddit, cur suâ voluntate nihil facere possit, quia pater diligit filium.

Priorem tamen sensum etiam verum esse fides docet; quia opera Patris & Filij, sunt inseparabilia: & consensu ita docent patres.

§. 4. In horum verborum deprauatione valde se olim Apriani iactarunt. Filius, inquiunt, nihil facere potest, nisi quod viderit Patrem facientem, à patre ergo opificium suum tanquam discipulus addiscit, à patre dependet, cuius scientia instruitur, eiusdem etiam potentia pollet, ab eodem enim notitia & vis rerum efficiendarum. Itaque & monstrari filio quæ facienda sunt à patre contendunt.

Nihil filius potest agere sine patre.

Arianis igitur variè respondent Nazianzenus & Cyrillus, ideò filium non posse facere, nisi quod patrem viderit facientem, quia sit vna scientia, vna potentia patris & filij. Non posse agere, quæ pater non agit, non posse mentiri, non posse negare seipsum; Ariani Christum & peccare & mentiri posse concedebant, quâ impietate totam religionem prodebant. Cyrillus in hunc modum respondet, lib. 2. *Nemo autem turbetur, inquit, quoniam filius nihil se facere posse ait, nisi quid viderit patrem facientem. Nam quia serui formam assumpsit propterea dispensando ita loquitur, vt Deum & hominem simul deceat. Et hæc quidem ratio vera est. Illa vero etiam acutior. Cum enim dicitur filium non posse quicquam à se facere, non imbecillitatem aliquam filius sibi tribuit, vt si quis dixerit, non posse decem se millia pondo humeru ferre, sed est alia quoque istius verbi potestas. Stabilem enim operationem naturæ, quæ aliter se habere non potest, nonnunquam significat: vt si rationalis quidem homo ex homine rationali secundum naturam natus, non posse diceret quasi proprium quicquam à seipso naturaliter facere, quod naturæ patris ineſſe non videat. Hoc igitur modo nihil à seipso filius facere potest, nisi quod viderit patrem facientem. Nolite igitur filij opera carpere, qui non aliud facere potest quàm id quod substantia patris similiter facit. Verbi gratia, si misericors est natura patris, filius quoque, qui ex eo est, misericors naturaliter est, nec potest se habere aliter, quàm habeat pater. Vt enim à patre substantiam habet, sic substantiæ quoque bona, simpliciter & procul ab omni compositione, vt Deus habet. Quod autem hic sensus integerrimus sit, ipse declarans mox subiecit, Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Et mox, Quoniam, inquit, semper etiam in Sabbato misericordiam esse patrem video, ideò etiam ego in Sabbato misericordiam præsto. Non enim possum substantiam patris commutare, cum vnum atque idem cum patre secundum naturam sim. Quare vt ab ipso sum, ita omnia quæ ipse peragit, facio.*

Potentiam igitur negat sibi, sed aliundè acceptam docet. Nazianzenus, Ambros. noster Valent. de Vnit. & Trinitat. Dei. Nazianzenus scitè in Arianos argumentum retorquet. Si enim Christus vera creatura est, non Deus, potest aliquid à se facere, videlicet apostatare à Deo. Hoc cum non possit, Deum esse consequitur.

Christus Deus.

§. 5. Arianos causam cœpisse contra Orthodoxos etiam queritur Augustinus Tract. 18. in Ioan. *Videtis quia Dominus Iesus cum animaduerteret Iudæos ex hoc moueri quod patri Deo æqualem se faceret, talia verba subiunxit, vt se æqualem non esse monstraret. Mouebantur enim Iudæi aiunt, aduersus Christum, quia æqualem se faciebat Deo, & volens eos corrigere ab hoc motu Christus, & eis demonstrare filium non esse æqualem patri, id est, æqualem Deo, ait, quasi dicens? Quid irascimini? Quid indignamini? Non sum æqualis, quia non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Qui enim non potest, inquiunt, facere à se quicquam, nisi quod viderit patrem facientem: vtique minor est, non æqualis.*

Respondet ille non esse duos quasi fabros constituendos, quorum alter alterum doceat suam artem, magister discipulum, filium pater. Non enim Verbum attendere, vt faciat, quod facit pater. Nam omnia per Verbum fecit pater, & dicitur quæcunque pater facit, eadem filium facere, non igitur videt vt discat: nam cor nostrum literas facit & manus, sed nō similiter; at filius & pater similiter. Tract. 21. exponit. *Sic ergo demonstrat pater rem quam fecit filio, vt in patre videat omnia filius, & in patre sit omnia filius. Videndo enim natus est, & nascendo videt. Sed non aliquando nonerat natus, & postea natus est. Sicut non aliquando non vidit, & postea vidit: sed in eo quod est illi videre, in eo est illi esse, in eo est illi natum esse, in eo est illi permanere, in eo est illi non mutari, in eo est illi sine initio & sine fine persistere. Non ergo carnaliter accipiamus, quia sedet pater & facit opus, & demonstrat filio: & videt filius opus quod pater facit, & facit illud in alio loco, aut de alia materia. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

§. 6. Constat sanè, filium quædam facere quæ antea patrem facientem non viderat; Mundum enim creauit, nam mundus per ipsum factus est, nec tamen antea fieri mundum à patre viderat. Quâ de re August. Athanas. Chrysostom. Augustinus porrò operosus est, vt ostendat, quomodo viderit, nempè ab æterno, sicut & fecit, nullum enim tempus fuit, quo non vidit. Non posse facere, nisi quod viderit ideò dictum putant, vt ostendat se alium à patre quem videt agentem. Atq; hæc propria causa est, cur ita Dominus loquatur.

Quod si de Christo homine totum locum exponamus, calumniæ occasionem præciderimus; ita Seuerus Antiochenus, alijque. Quamuis enim Christus qua Deus faceret signa, operationis tamen instrumentum erat humanitas.

Quia tamen SS. Patres & priuatim & publicè ptiorem expositionem contra Arianos defenderunt, idq; tot sæculis, non est ab eâ recedendum.

§. 7. Beza miserè argumentatur in particula *nisi*: [Sed maior hic oritur scrupulus. Ea enim est natura « particulæ NISI, vt si conditionem ponas quam tollit, « simul totū præcedens membrū vel ponatur, si neget: « vel tollatur si affirmet. Nā si dicas, nemo venit ad me « nisi pater meus traxerit eum, consequitur, aliquos ve- « nire si Pater eos traxerit, imò verò omnes quos traxe- « rit, vt explicat diserte Christus infra 6 37. & 45. Item « si dicas, Mors manet super omnes, nisi Christo credi- « derint, efficitur mortem non manere super quen- « quam qui crediderit. Sic igitur hoc loco, si ita hæc « conuertas, Filius non potest à seipso quicquam fa- « cere, nisi quid (vel nisi quod) viderit Patrem facien- « tem. videbitur consequi, Filium à seipso facere quod « vidit patrem facientem. Sunt autem hæc inter se « contraria ex diametro, vt simul consistere non pos- « sint. Quid si igitur dicamus particulam NISI non « constituere totum membrum præcedens, sed eius « priorem partem duntaxat? vt si argumenta ionem « ita nectas, Filius non potest à seipso quicquam face- « re, nisi quod prius viderit patrem facientem. Ergo « Filius facit id, quod facientem patrem viderit: nem- « pe vt illud A SEIPSO non repetatur in conclusio- « ne contraria. Sed hoc planè durum est. Relinqui- « tur ergo totum illud, NISI quod viderit patrem « facientem, non esse partem propositionis alicuius « hypotheticæ, sed potius exegesin & interpretatio- « nem eius quod dixerat ἀφ' ἑαυτοῦ, id est, à seipso. Itaq; « vt planior esset sententia, alioquin difficilis & impe-

ditа,

dicta, non dubitaui particulam exegeticam supplere, cum præsertim viderem, passim eiusmodi ellipses inueniri, vt infra, vers. 30. & 6.27. & 7.4.]

Totus error est in vsu Grammaticæ, non enim qui vnum negat mox alterum affirmat. Non enim sequitur: Non faciam meo solus arbitratu, nisi iusseris; igitur, si iusseris, faciam meo arbitratu. Sequi illud quidem videtur: Nemo potest venire ad me nisi Pater traxerit illum, ergo quos ille traxerit, veniunt. at non ex formali consequentia, sed quia efficaci manu Dei tractus infallibili vestigio trahentē sequitur. Verum igitur consequens naturā suā, non quia positum est antecedens. Eadem enim formā non concludes in alia materia. Vt si dicas: Nemo consul erit, nisi natus annos quadraginta; qui igitur natus erit annos quadraginta, cōsul erit, ridebunt puerilem sophisticen omnia ouilia. Quid cum dicimus amici iam nisi inter similes esse nō posse, an ideò non multi simillimi sunt inimici? an si durū, *aliud loqui non potero, nisi quod Dominus iusserit*, Num. 22. v. 28. indè deducit rudis sophista, Ergo si iusserit, aliud loqui potero? S c1. Reg. 21. 6. *non sunt hic panes nisi tantum propositionis.* An videbitur sequi, si sint panes propositionis esse etiam alios panes? Ers. Reg. 22. 6. cum Rex impius Prophetam adiurat, vt non loquatur nisi verum in nomine Domini. an indè consequetur, si verum ille loquatur etiam mendacium locuturum? Verum hæc indigna sunt interpreti, & ruditatis argumenta.

QVÆSTIO II.

An filius omnia similiter faciat, quæ facit Pater?

§. 1. PRobatio præcedentis sententiæ sensum illius facit manifestum. *Omnia quæ facit Pater similiter etiam filius facit*, ideò non potest filius facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Hæc argumentatio vt conuincat aduersarios: necesse est, constituere naturam, & potentiam Patris indiuisam Patris & filii. Nisi enim sensus ille sit: Quæcunq; Pater facit eadem omnia similiter, hoc est, eadem diuina potentia facit filius, non sequitur, non posse aliud facere, nisi quod Patrem viderit facientem. Potest enim deficere & peccare, quod non vidit in Patre.

VERSVS 20. & 22.

Pater enim diligit filium & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.

QVÆSTIO I.

Quomodo Pater filio monstret opera?

§. 1. DE filio qua homo est, pleriq; hunc locum interpretantur: homini enim demonstrat & impertitur sua munera. Causam vero reddit: Illum amat vt caput Ecclesiæ. Non ergo summum est, quod in Paralytico factum est: Hoc enim contemnebant, & calumniabantur: alia adeò splendida futura dicit, vt quamuis oderint, inuideantque, tamen ad diuinæ maiestatis lucem in factis suis refulgentem in stuporem sint trahenda. Augustinus difficilem quæstionem esse iudicat; Esse aliquid apud Patrem, quod non est demonstratum filio. Docet verò ille demonstrare filio, hoc est, nobis Tract. 21. quia nos membra eius sumus. *Sed quando ea Pater demonstraturus est filio? Nescit enim ea filius? Et ille qui loquebatur, non nouerat mortuos suscitare? Adhuc habebat discere resuscitare mortuos, per quem facta sunt omnia? Qui sicut vt viueremus, qui non eramus, adhuc habebat discere vt resuscitaremur? Quid est quod vult dicere? Descendit enim ad nos, & qui paulò antè loquebatur vt Deus, cœpit loqui vt homo: Ipse est tamen homo qui Deus, quia Deus factus est homo: sed factus quod non erat, non amittens quod erat. Ergo accessit homo Deo, vt esset homo qui erat Deus: non vt iam homo esset & non esset Deus. Audiamus ergo eum & (vt) fratrem, qui audiebamus conditorem. Conditorem, quia verbum in principio: fratrem quia natum ex Virgine Maria. Conditorem ante Abraham, ante Adam, antè omnia corporalia & spiritualia: fratrem autem ex semine Abraha, & tribu Iuda, ex virgine Israelitica. Si ergo nouimus hunc qui nobis loquitur, & Deum & hominem, intelligamus verba Dei & hominis: aliquando enim talia nobis dixit quæ pertineant ad maiestatem, aliquando quæ pertineant ad humilitatem. Ipse enim excelsus, qui humiles facit excelsos. Quid ergo ait? Demonstrabit mihi Pater hic maiora, vt vos miremini. Ergo nobis est demonstraturus, non illi. Cum ergo nobis sit demonstraturus Pater: propterea dixit, vt vos miremini. Exposuit enim quod voluit dicere, ae monstrabit mihi Pater. Quare non dixit, demonstrabit vobis Pater, sed demonstrabit filio? Quia & nos membra sumus filij: & nos membra tanquam quod dicimus, ipse discit quodammodo in membris suis. Quomodo discit in nobis? quomodo patitur in nobis? vnde scimus quia patitur in nobis?*

Pater filio vt homini monstrat opera.

§. 2. Patrem maiora opera demonstraturum prædixerat. Vnum ex his nominare eum putant interpretes, nempè mortuorum resuscitationem, quod magnum est diuinitatis indicium. Ratio huius interpretationis est, quod nondum hoc tempore vllum à Christo mortuum excitatum arbitrentur. tres enim qui ab eo excitati sunt, post hoc tempus excitati sunt.

Verumtamen commodior mihi connexio videtur: vt dicamus; Christum probare, Patrem filio maiora opera demonstraturum, ita vt admirari fiant. Hoc autem probat futurum: Quia filius viuificat quos vult, suscitat enim à mortuis queadmodum Pater: Dominus itaque vitæ & mortis est. Itaque iam tum inter ea miracula quæ fecit Ierosolymis, quibus multi adducti crediderunt, & imprimis Nicodemus, etiam mortuorum resuscitationem numero. Nec obstat à Ioanne non recenseri, nullius enim miraculi, nisi generatim meminit. Ratio in confesso est. Non enim coram inimicis & calumniatoribus se viuificare quos velit, assereret, si nullum ad vitam reuocasset, quemadmodum nec Patrem diceret à mortuis suscitare, si neminem Deus à mortuis suscitasset; solet enim Christus ex factis auctoritatem suam, non ex promissionibus firmare. Demonstrat autem illi Pater sicut filius videt. Videt ille nascendo, monstrat ille generando, seu dicendo. Monstrat enim communicando scientiam, cui communicat essentiam. Monstrat etiam humanitati, supra omnes creaturas intellectum illuminando.

Mortuorū resuscitatio inter opera admiranda est præcipuum.

§. 3. Summam verò potestatem & Patris omnipotentiæ æqualem sibi sumit, cum dicit, se viuificare quos vult, non oratione aut intercessione, sed solo voluntatis arbitrio. Sicut enim Pater omnipotente voluntate, ita & filius omnipotente voluntate suscitat à mortuis: ita Chrysostomus.

QVÆSTIO II.

An Pater neminem iudicet?

§. 1. CAusalis particula enim significat probari id quod præcessit. Nempè filium viuificare quos vult, &, quod huic correspondet, mortificare quos vult; *Pater enim non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.* Qui verò iudex constitutus est, in omnes, vitæ necisque habet potestatem.

Omnia omninò filio concessa hoc ipso significat, quod ne Pater quidem iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.

Maiestatis supremum opus est iudicare: cætera enim communia subditis esse possunt, summum imperii fastigium in tribunali ponitur; filius ergo cum iudicet, Deus est.

Eleganter & Theologicè Cyrillus cap. 140. *Aliud quoddam diuinum & præcipuum affert argumentum, quo se naturâ & verè Deum esse ostendit. Cui enim orbem terrarum alij iudicare conuenit quam soli Deo? quem solum ad iudicandum diuina Scriptura vocat, dicens. Exurge Deus iudica terram. Et rursus, Quoniam Deus iudex est, alium humiliat, & alium exaltat. Datum autem sibi à Patre ait iudicium, non quia potestatem hanc ipsa natura non habeat, sed per dispensationem, vt homo, in diuina potestate sita esse docet vniuersa. Quare in quantum quidem verbum Dei & Deus est, hanc potestatem naturaliter habet, in quantum autem homo factus est (quoniam ad hominem dicitur, Quid enim habes quod non accepisti?) accepisse hanc se potestatem apertè profitetur.*

§. 4. De potestate iudicandi intelligendum est tali aut exercitio potestatis quæ Christo conuenit, non autem Patri. Non igitur de potestate, quam accepit filius per æternam generationem, accipiendum est. Hæc est enim eadem numero non potestate Patris. Et actio iudicandi, quâ filius iudicat, etiam Patris est. Christus verò cum iudicat secundum humanitatem, ita vt voce sonora sententiam animo conceptam exprimat, iudicat quidem, sed ad eam actionem etiam SS. Trinitas concurrit, & iudicat. Itaque dicendum est: Christum hominibus corporatis corpore appariturum esse, cum enim iudicem suum cognoscere & videre oporteat, etiam eos qui damnentur nec Deum tamen visuri sint, Christus aspectabilis iudex pro tribunali sedens eos condemnabit à sinistris collocatos. Alio enim omni modo Pater iudicat, hoc modo visibili non iudicabit, sed iudicium filio dedit.

De externa forma iudicii est sermo.

Huc pertinet quod alii volunt Patrem non abdicare se imperio, sed Christum solummodo monere, non eo modo gubernare mundum, quo illi putabant, quasi à filio separatus esset, cum non nisi per filium in carne manifestatum omnia gubernet, ac iudicet.

Augustinus etiam de forma aspectabili iudicis intelligit. *Omnino est quidam intellectus verus, sortis, si quo modo eum tenere possumus, quia Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Hoc enim dictum est, quia hominibus in iudicio non apparebit nisi filius. Pater occultus erit, filius manifestus. In quo erit filius manifestus? In forma qua ascendit. Nam in forma Dei cum Patre occultus est, in forma serui hominibus manifestus. Non ergo Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, sed manifestum. In quo manifesto iudicio filius iudicabit, quia ipse iudicandus apparebit. Euidentius nobis ostendit Scriptura, quia ipse apparebit.*

§. 5. Iudicium porrò Pater dedit filio, vnigenitum generando: hoc enim ipso, quod ab æterno genitus est, iudex est omnium. Sed eo tamen modo Pater non dicitur nullum iudicare: cum indiuisæ sint personarum effectiones. Alio igitur modo iudicium dedit filio hominis, vt tanquam homo sententiam pronunciando homines iudicaret, vt Augustinus lib. 1. de Trin. cap. 13.

Pari modo de æqualitate dicendum est; qui enim filium non honorat sicut Patrem, ille Patrem negat esse, qui filium æqualem non potest gignere. Quocirca neque illi credit dicenti: *Hic est filius meus dilectus.* Negatio filij Patrem consumelia afficit.

Magna autem iniuria est æternæ veritati non credere. Nullus igitur Dei legitimus est cultus, nisi qui est citra filium. Patres obscurius, nos clarius eundem cognoscimus, neutris tamen sine filio contingit salus.

§. 6. Sic obiiciunt Ariani apud Athanasium libro quarto. *Si erat ipse, vt dicitis naturâ filius, nulla fuit illi necessitas accipiendi, sed iam habebat ex natura, nec laborabat eius rei indigentia vt pote filius, aut quomodo ille fuerit vera ac naturalis potestas Patris, qui sub tempus passionis hæc verba vsurpauit?* Filius non est creatura.

Cui respondet: generando dedisse, & vt homini, quâ infirmitates nostras suscepit. Non autem consequi eum non habuisse aliquando, sic demonstrat: *Si enim vnus esset ex numero vniuersitatis, nequaquam vniuersitatis fuisset hæres: sed & quisque accepisset pro libito, & Pater dedisset. Nunc cum ipse omnia accipiat, alius est diuersusque ab omnibus, & solus propriusque sui Patris. Quod autem illæ voces (datum est) & (traditum est) nusquam ostendant illum aliquando non possedisse, licitum est ex simili dicto in vniuersum hoc ipsum prospicere: Ait enim Saluator: Quemadmodum Pater habet vitam in semetipso: ita quoque Filio dedit vitam habere in semetipso. Nam ex hac voce (dedit) indicat sese Patrem non esse: ex isto autem dicto (ita) Filij similitudinem proprietatemque cum Patre significat. Si igitur aliquando fuisset, cum Pater non haberet: certum est etiam fuisse, cum filius non haberet. Quod si impium dictu est, prium autem illud, Patrem semper habuisse, qui, quæso, non absurdum, dicente filio, vt Pater habet, ita & filium habere, ipsos dicere, non ita ipsum habere, sed aliter?*

VERSVS 23.

Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificauit Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat eum, qui misit illum.

QVÆSTIO I.

Cur, qui filium non honorificat, nec etiam Patrem honorificat?

§. 1. AVgustinus Tractat. 19. in Ioannem. Non honorificari Patrem ab eo sentit, qui filium negligit; etsi enim Deum, omnipotentem, immensum fateatur, & colat: Patris tamen honore eum priuat, cuius nullum filium agnoscit. Verba Augustini hæc sunt: *Quicquid enim aliorum nominum Deo tribuatur minus facit, quam si personarum distinctionem, & æqualitatem agnoscat. Summus enim honor est esse Patrem filij, qui Deus sit immensus, & summus honor filium esse Dei immensi, & Spiritus sancti, qui etiam Deus est principium esse.*

VER-

VERSVS 24.

Amen, amen dico vobis, qui verbum meum audit & credit ei, qui misit, me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte ad vitam.

QVÆSTIO I.

Quis affectus credentium?

§. 1. QVi verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. Non dicit, mihi credit, quamuis & illud subaudiendum est, sed credit Patri, seu ei, qui misit, credendo enim filio creditur Patri. Hunc ait non iudicari, hoc est, condemnari.

§. 2. *Transiuit* præterito legendum est, non futuro. Græcè est μεταβέβηκε, Syriacè præsenti tempore עבר *transiens*, seu *transit*. Absurdissimè Bullingerus contra Purgatorium ex his verbis disputat. Nam vllam »moram esse negat. [In præsenti itaque vita vinificantur animæ nostræ, ita vt protinus à morte peccatorum in fide incipiant viuere. Rursus à morte corporea cuestigio transeunt animæ nostræ ad vitam, ad ipsum Christum, qui vita est, ac in regno Patris residens illuc ad se trahit quotquot in ipsius fiducia è viis excedunt. Neque hic quoque vlla interponitur »remora, nullus locus intermedius, qualem finxerunt »è suis somniis Papistæ, purgatorii ignem appellantes. »Veritas quæ mentiri nescit & statum atque conditionem futuræ vitæ optimè nouit, simpliciter pronunciat animas fidelium non venire in vllum iudicium siue tormentum, nec hoc dixisse contenta, amplius & »significantius appendit, sed transiuit à morte in vitam, »à morte nimirum corporea in vitam æternam, quod »Germanicè appellamus, von Mund auff zu Himmel »fahren.]

Atqui sanè de vita quæ per iustificationem acquiritur facilè res intelligitur. Cum primum vera viua, fides per charitatem operans animo infunditur, sine mora à morte ad vitam, hoc est, ab iniustitia ad iustitiam transit. Cum verò ea, quæ de iustitia dicuntur, ad mortem corporalem applicantur, id priuata errantes interpretatione non Scripturæ testimonio fit. animæ fidelium non veniunt in iudicium, aut tormentum æternum, sed aliquando incidunt in castigationem paternam. Quod in hac vita ipsa quotidie fieri videmus. Calviniani se omnes Iustos, omnes, de morte peccati transisse ad vitam censent. Ipse Bul»lingerus: [Quid, *inquit*, est iudicium? Iudicium est »sententia prolata contra aliquem, condemnatio ipsa, »afflictio item, pœna atque tormentum. Non venit »in iudicium, qui absolutus à pœna & culpa, securus »apud se gaudet, & conquiescit, neque vlli subiicitur: »pœnæ, non affligitur, neque vlla tormenta animæ patitur.]

Nunc de hisce ergo Bullingerum iudicemus. Si nulla pœna supereset, Zwinglianis fiduciariis, cur toties ergo ipsos diuina vindicta percellit? Ipse supra citat verba Pauli 1. Corinth. 11. cum corripimur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. »[Puuit, *inquit*, Deus calamitate aliqua peccatores, qui »tamen verberibus castigati resipiunt, & veniam ac »malí liberationem consequuntur: at illi ipsi mox calamitatis præteritæ veluti obliti repetunt consuetam corruptionem & iniquitatem: adest ergo Deus vltor & nunc grauius aliquod irrogat supplicium quam prius intulerat.] «

Ecce qui resipiunt & veniam consequuntur, hoc est credunt, iterum peccant, iterum puniuntur. Cur igitur contra omnium sæculorum experientiam promittit semel credentibus impunitatem; quomodo igitur nihil timendum credentibus? Nam possunt iterum de vita iustitiæ transire ad mortem peccati. Friuolum itaq; est quod hac ex sententia, eos qui in peccatis venialibus moriuntur, mox sine expiatione cœlo infert.

§. 3. Caluinus hic dum orthodoxos calumniatur, suos ac se euertit. [Hic modus, *inquit*, & ratio honoris exprimitur, nequis in externo duntaxat aliquo ritu & friuolis cæremoniis situm esse putet. Nam Euangelii doctrina Christo instar sceptri est, quo fideles sibi à Patre subiectos regit. Atque hæc definitio in primis notatu digna est. Nihil magis tritum est, quam falsa Christianismi professio. nam & Papistæ, qui infensissimi sunt Christi hostes pluſquam audacter tamen eius nomine superbiunt, sed hic Christus non alium à nobis honorem exigit quam vt Euangelio suo obediamus. Vnde sequitur quicquid honoris Christo deferunt hypocritæ, proditorium esse Iudæ osculum. Vt centies Regem ipsum nuncupent, regno tamen & omni potestate spoliant, dum fidem non habent Euangelio.] «

Atqui nos audacter, & verè in Christi nomine gloriamur, Euangelio fidem habemus. pro singulis illius apicibus mortem obire parati. Multo iustius eorum insanam gloriationem irridebimus, qui hinc tumentes animos quasi in cœlo inserti gerunt.

Quod si solam Euangelii obedientiam exigit, isque vnicus & solus est Christi, longissimè ab eo recedunt, qui negant posse obedire se Euangelio; quod faciunt Caluiniani omnes. Obedire enim Euangelio non est tantum credere, sed legi dominicæ obtemperare. *Caluiniani ab Euangelio recedũt.*

§. 4. Caluinus liberum arbitrium hominibus tanquam mortuis negat. [Papistæ cum liberum suum arbitrium erigere volunt, homini Samaritano comparant, quem semiuiuum latrones in via reliquerunt. Quasi verò allegoriæ fumo obscurare claram sententiam liceat, quâ nos Christus morti planè addicit. Et sanè cum post primi hominis defectionem alienati à Deo simus per peccatum, quicunque se æterno interitu oppressos non agnoscunt nihil aliud quam se decipiunt inanibus blanditiis.] «

De Samaritano suo loco dixi, cauillo præsenti facilè respondeo: locum de morte corporali, & resuscitatione corporum propriè intelligi. Quocirca hoc telum imbelle est.

§. 5. Quod verò etiam hic de solâ fide & certitudine salutis nugantur impostores, & irrisores simplicium, id iam aliis in locis solutum. Vt tamen lector videat quid ipsi inter se controuertentes sentiant, pauca dicam. Nam Greuinhouius in dissertatione de prædestinatione ex fide præuisa, ita habet:

[Dixi electionem ex fide præuisa includere perseuerantiam in fide: tu nunc regeris, hoc pugnare cum nostro principio, quo statuimus fideles adæquatum obiectum electionis: Nisi ad solem ipsum cœcutire velles nunquam tu hoc nobis regessisses: quid enim à me dici potuit apertius, quam quod dixi, quoties fideles statuimus obiectum electionis, toties nos assensum ad vtramque gratiam, ad primam scilicet & vltimam, hoc est, fidem & perseuerantiam in hde conjungere: atque hoc nobis, duce Christo, in puncto recte putamus: Ioan. 3. 36. Qui credit in filium, habet vitam æternam: hoc est, qui credit in fide perseuerans: hoc *Qui credit in fide perseuerans, electus est.*

„ hoc enim exigit antithesis, Qui verò non credit filio, „ non videbit vitam: neque enim, opinor, electos ip„ sos ob temporariam incredulitatem condemnabis: „ Eiusdem exegeticon est illud Matth. 24. Qui susti„ nuerit ad finem, saluabitur: & istud Pauli, Cuius do„ mus nos sumus; si modo fiduciam & spem illam, de „ qua gloriamur, ad finem vsque firmam retinuerimus. „ Et Coloss. 1. 23. & 2. 6. 8. Non ergo nobis ipsis ad„ uersamur, quando cum Scriptura fideles denomina„ mus ab ea fide, quæ totum fidei apotelesma, initium, „ progressum & finem ambitu suo comprehendit:

„ Istos verò hostes, quamobrem potiùs decreto prædestinationis obiiciamus, quâ proskairous, si tu non„ dum vides, quod ais, age mox faxo vt videas: Vt ergò „ salus dupliciter consideratur, vel vt incompleta, in „ gratia iustificationis, adoptionis, &c. quoad statum „ præsentem, Cuius respectu Iusti passim vocantur Beati, Salui, &c. Velut completa, in beatifica visione Dei „ à facie ad faciem: sic quoque in Scripturis dupliciter „ dicuntur Electi, 1. Incompletè, secundum statum „ præsentem, quâ tales, puta fideles hoc tempore, excepto vltimo vitæ termino, in quo 2. Electio com„ pletur:]

Vnicum hoc: qui credit in fide perseuerans, saluabitur: omnium aduersariorum tela retundit.

VERSVS 25.

Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent.

QVÆSTIO I.

An iam hora sit qua mortui audiunt vocem filij Dei?

§. 1. S. Augustinus, Beda, de mortuis in peccando, & suscitatis iustificando exponunt; Cyrillus, Theophylactus, Leontius de morte corporis interpretantur.

Primarium institutum est, vt confirmet suam in iudicando & viuificando auctoritatem. Iam ἐρχεται, venit hora, imo iam adest, quâ mortui vocem filii suscitantis audiant, & viuant. Iam enim aliquos suscitarat, vt est credibile, & mox suscitaturus erat. Cum ergo mortui audiant vocem filij Dei, de eius potentia dubitare, vos non debetis. Hic literalis sensus est, cum verò cõrporum resuscitatio animarum iustificatarum sit insigne Symbolum, nihil prohibet etiam de hac re mystice intelligi. Nec textus repugnat. Mortui enim vocem audiunt, & audiendo resurgunt. Ratio cur de vera morte agi putem, est ex vers. 28. vbi dicit eos qui in monumentis sunt, vbi de mortuorum propria resurrectione loquitur.

Mortui suscitati & iam suscitandi audiunt vocem.

Quod si verò etiam de morte spiritali intelligamus, non modo liberum non tollit arbitrium, sed et„ iam asserit. Agnoscit hoc ipsum Caluinus: [Fateor „ quidem in hominis anima aliquid manere vitæ resi„ duum (nam & intelligentia & voluntas, & omnes „ sensus totidem sunt vitæ partes) sed quia nulla pars „ est, quæ ad cœlestem vitam aspiret, non mirum est si „ totus homo, quantum attinet ad regnum Dei, mor„ tuus censetur.] Peccator igitur habet aliquid vitæ residuum etsi mortuus sit. Cur igitur mortuis dicitur; causam aduersarius edicit; quod nulla eius pars ad vitam cœlestem aspiret. Hac quidem ratione nos planè mortuum dicere non veremur. Neque enim intellectus, neque voluntas sese in Deum erigere & ad ipsa tam aspirare potest, nisi Dei gratia subleuetur. Potest autem adiutorio diuino excitata. Atque hoc est, quod Christus ait, mortui audient vocem Dei, & qui audierint, viuent. Ecce tibi mortui illi audiunt, non natura sua, sed gratia arcanaque Dei virtute imbuti, qui audiunt viuunt, audiendo enim in vitam excitantur. Auditus mortuorum ad vitam quando ita Deo placet, etiam cooperatur. Cur non intellectus igitur ad vitam spiritalem cœlestis motionis impulsu aliquid operatur, pariterque voluntas. At mortui nihil agunt, quo vitam assequantur. Natura sua nihil omnino, auxilio omnipotentiæ viuificantis tantum, quantum ille voluerit, qui non agit modo, sed actuosa etiam illa quæ mortua sunt. At mortuus nihil agit: naturæ corruptæ nullus vigor est ad iustitiam audiendam. Ita planè, ne mortuis vllus audiendi sensus. Sed qui mortuis auditum tribuit, vt cum audierint, viuant, peccatoribus etiam vigorem impertitur, vt cum voluerint, iustificentur: vt autem velint, non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.

Mortui audiendo reuiuiscunt.

§. 3. Vocem filii hominis, tubam interpretantur, Thess. 4. vt eo loco explicabitur.

An ipse Dominus locuturus sit; an Angelus etiam, an verò tuba vocetur Domini vox, & archangeli, quâ ille canet dubitatur. Graues auctores de sola tuba interpretantur vt Cyrillus libro duodecimo, capite centesimo quadragesimo quinto. Chrysostom. D. Thom. Rupertus, Theodorus, Euthymius, Oecumenius. Quod nonnulli sonum spiritualem dixerunt, nescio quo modo textui non repugnent, Hier. ad Pammach. Epistol. 61. audient inquit auribus, procedent pedibus. Conuenit corporatis, vt sensibili voce citentur. Tubam alii articulatam vocem edituram, alii ab Angelo vocem tubæ instar proferendam arbitrantur. Hyppolitus orat. de causa mat. mundi tubam, Sonabit tuba, & excitabit dormientes, & omnes in ictu oculi resurgent, & astabunt super faciem terræ & exspectabunt iusti atque terribilis iudicis aduentum. Mihi videtur probabilius fore vt filius hominis vocem proferat, & Angelus canat, mirabilique vi toto orbe audiatur.

Tuba Angeli, Christi ille.

VERSVS 26.

Sicut enim Pater, habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.

QVÆSTIO I.

Quomodo Pater dederit Filio vitam habere in semetipso?

§. 1. NOn repugnant inter se vitam habere datam à Patre, & habere in semetipso. Data est filio vita, per generationem, per quam essentia est communicata, vt Augustinus Serm. contra Arianos. Hanc tamen habet in semetipso, veram æternam, naturalem, necessariam. Augustini sententiam reiicit Caluinus, approbant tamen eius Collegæ, vt Bullingerus. Euthymius homini datam vitam interpretatur, habere autem in semetipso, esse habere causam & originem, qua in alios transfundat. Nam Deus ita vitam in se continet, vt in omnes deriuet: Sic Psalmo trigesimo tertio. *Apud te est fons vitæ.* Hunc fontem aperuit in filio, vt omnes affatim hauriant.

Syrus

Syrus habere vitam dicit in essentia sua בקבומיה *bacummeh.* Verbum in Scripturis inusitatum, quod rem ipsam seu intimam essentiam significat.

§. 2. Athanasius libro tertio de Assumptione, illas omnes comparationes, quibus dicunt aliquid accepisse, aliasque pro infirmitate hominis dictas esse.

VERSVS 27.

Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.

QVÆSTIO I.

An Iudicium ei datum, quia filius hominis est?

§. 1. IVdiciariæ potestatis non videtur commoda causa reddi, quia filius hominis est. Idcircò enim quia Deus est, Iudex est viuorum & mortuorum. Itaque distinctionem mutant Chrysostomus & Euthymius, & quod illa verba: *Quia filius hominis*, ad sequentia referunt.

Alii retinent lectionem consuetam. Causam autem dati iudicii sic exponunt. Cum CHRISTVS non modo Deus sit, verum etiam homo, datam illi à Deo iudicandi potestatem, quod accommodate fiat, vt homo ab homine iudicetur.

Nam Pauli Samosateni iam olim damnata est expositio. Ideò datum iudicium quia filius hominis, hoc est, purus homo est, alioqui si Deus esset non datum esse, sed ex semetipso habiturum esse. Iudicaturi gitur homines Christus homo, ne quis causari possit, difficiles ad Deum aditus esse. Idcirco Christus salutis auctor homo hominibus adfert gratiam ad gloriam, ne quis longè petendam salutem arbitretur.

§. 2. Cæterum communem lectionem præferendam esse, auctoritas & ratio suadet. Augustinus libro primo. de Trin. cap. decimotertio. ita legit. Vigil. libr. quinto. contra Eutycheten, omnes Latini ex Græcis Cyrillus. Quin Iun. & Trem. collegas refutat Beza: »[At ego certè non video, cur hæc non multo melius »cum præcedentibus connectantur: neque Samosa»tenum primo huius distinctionis auctorem fuisse; »quamuis falsa declaratione hunc locum corruperit. »Certè coactam esse Chrysostomi expositionem, & »verborum collocatio & sermonis ipsa series ostendit: »& Augustinus eam distinctionem sequitur, quam il»le Samosateno tribuit: vt planè appareat Latinam »Ecclesiam ita semper legisse. Consentiunt veteres o»mnes Græci codices quos vidimus. Cyrillus quoque »non aliter distinguit: cuius verba Erasmus in hunc »locum vel non satis attentè legit, vel non satis accu»ratè descripsit. Sic enim illi ad verbum, Nolite, in»quit, mirari, si cum me hominem videatis, suscitatu»rum tamen mortuos me pollicear, & in iudicium »deducturum miniter; dedit enim mihi viuificandi »virtutem Pater, dedit iudicandi potestatem. Sed vt »lubricam Iudæorum mentem his retinere studuit, sic »aliorum quoque curam non paruam habuit. Qua»propter causam, quare hæc sibi data à Patre dixe»rit, illico subiecit, dicens, Quia filius hominis »est. Vt intelligamus omnia sibi data fuisse vt »homini: qui cum creatura sit nihil habet à se»ipso.]

Deindè nuda esset repetitio nisi addatur ratio illa: *Quia in filius hominis est.*

Denique non cohærent, cum sequentibus. Præterquam enim quod duriter verba transmittantur; cum dicitur: Quia filius hominis est, nolite mirari hoc, cum naturalis ordo sit.

Nolite mirari quia filius hominis est, etiam pronomen τοῦτο hunc modum excludit.

§. 3. Itaque non modo rationem reddet, cur sibi ista dicta sint; nempe quia velint hominem iudicem hominum, sed ad Danielis Prophetiam alludit, ex eaque probat filium hominis; ea præstantia ac dignitate futurum; vt iudicare possit verba Danielis capite septimo, vers. decimotertio. *Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius quod non corrumpetur.* *Hoc iudicio Prophetiæ Danielis completa est.*

Omnibus enim palam constabat illum filium hominis Messiam esse, ad se verò pertinere, testificatio Ioannis & miracula probabant.

§. 4. Syriacam distinctionem opponunt, & contendunt omninò sic legendum. Verba sic habent דבראּ חר רין ראנשא *dabberá hu den danaschá*: *filius hic verò hominis; nemo remini in hoc.* Particulam *den* putant efficere, vt hæc distinctio facienda sit. Mihi diuersum videtur. Nam initio ponitur ʾ ante *berá*, quod signum est potius esse in regimine. Nec vnquam ita Syri loquuntur, vt ʾ vel ʿ sit idem quod ὅτι *quia*, multo minus vt postponatur illi verbum, vti hoc loco. Sed signum est genitum, vt si Syra examinemus, sensus sit. Dedit illi facere iudicium, filii verò hominis, nolite mirari. Qui cum ineptus sit, non ambigo corruptum esse. Tertulliani lectio alia habet *quâ* alia *quia*, sed communem distinctionem sequitur, vt & Cyprianus libro 2. test. aduers. Iudæos cap. 5. & Rufinus in Symbolo. *Syra lectio dubia.*

VERSVS 28.

Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei.

QVÆSTIO I.

Quid vetat mirari?

§. 1. IAM ostendi ad verba præcedentia hoc referendum non esse. Sed neque ad sanationem Paralytici pertinet; sed id quod persuadere conatur: nempe sibi ius vitæ & necis in omnes datum. Hoc, inquit, nolite mirari; neque illud quod nunc mortuos aliquot suscito. Hoc enim priuatim & in paucis facio, at verò olim hora aduenit, cum omnes quotquot mortui sunt audient vocem filii hominis, resurgent vel ad vitam vel ad damnationem. Non igitur mirum si potestatem vitæ & mortis sibi vendicat, cum omnes mortuos suâ voce excitaturus sit. *Non mirū nunc paucos mortuos suscitari à Christo, o-lim omnes suscitabit.*

VERSVS 29.

Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij.

QVÆSTIO I.

An bona opera causa sint vt procedant in resurrectionem vitæ?

§.1. NEgant nonnulli Lutheranorum & Caluiniani. Caluinus: [Quòd ex locis istis colligunt Papistæ vitam æternam rependi meritis operum, nulla difficultate refellitur. Neque enim de salutis causa Christus tractat, sed tantum electos à reprobis sua nota discernit: idque facit vt suos ad sanctitatem & innocentiam inuitet atque hortetur. Et nos certè fidem, quæ nos iustificat, cum studio benè iusteque viuendi coniunctam esse non negamus: sed tantum docemus, non alibi quàm in sola Dei misericordia quiescere fiduciam nostram posse.]

Firmius est argumentum, quàm vt refelli possit. Christus enim non modo electos & reprobos distinguit, sed causam reddit: cur hi in vitam, illi in mortem secundam resurgât. Quemadmodum cum dicit: Qui credit in filium habet vitam æternam, quo declarat fidem esse medium ad vitam æternam: ita quoque de operibus loquitur, quod Matth. 25. clarissimè exprimit. *Quia enim esuristi, & dedisti mihi manducare.* Nunc verò etiam cum mala opera causæ sint perditionis, eodemque modo de vtrisq; Dominus loquatur, non est diuellenda sententia, vt significet, eos qui mala fecerunt, ituros ad interitum, ita poscentibus operibus, eos verò qui bona fecerunt nihil ad salutem conferentibus ipsis operibus. Sed operibus ex gratia Dei factis præmium hoc rependi. Nec alibi tamen, quam in Dei misericordiâ fiducia nostra quiescit; opera enim nostra sicut & fides misericordis Domini est, non modo dum nobis illa donat, sed singulis momentis dum conseruat, eâdem nos misericordia prosequitur.

Opera sunt media ad vitam.

§.2. Fidei mercedem Cyrillus lib. 1. Glaphyr. ostendit. Ὡς γὰρ ἔφλιω ἤδη, δι' ὧν τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ὡς ἀπὸ τέκνων ἰδίων ἡ τῶν Ἰουδαίων συναγωγὴ προδεξαμένη λοιπὸν τὸ Χριστοῦ μυστήριον, μήτηρ ἀπεδείχθη τέκνων τῶν πεπιστευκότων ἐν ὁμολογίαις κατὰ τὸν δεδεγμένων προφητείαν. ὅπερ δὴ καὶ μισθὸς τῆς πίστεως, ἡ εἰς Χριστὸν, διδάσκειεν ἂν ὁμοίως τῶν πεπλημμελημάτων ἡ ἄφεσις. πιστώσατο δὲ καὶ αὐτὸς λέγων ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, ἔχει ζωὴν αἰώνιον, id est: Nam, vt iam dixi, per sanctos Apostolos veluti à propriis filiis Synagoga Iudæorum suscipiens Christi mysterium, declarata est mater eorum, qui in mercede sunt & benedictione, bonoque odore fragrant apud Deum. Quod enim mercede non careat fides in Christum, ostendit nobis peccatorum remissio. Quin & ipse Dominus noster Iesus Christus confirmat dicens: Amen, Amen dico vobis, Qui credit in me, habet vitam æternam.

Merces operum.

§.3. Optimè Basilius lib. 4. aduersus Eunomium. ὧν αἱ αὐτοῦ ἐνέργειαι, τῶν καὶ οὐσία μία. ἐνέργεια δὲ υἱοῦ καὶ πατρὸς μία. ὡς γὰρ ποιήσωμεν ἄνθρωπον. καὶ πάλιν· ἃ γὰρ ἂν ὁ πατὴρ ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ· ἅπερ καὶ οὐσία μία πατρὸς καὶ υἱοῦ. Εἰ γνῶσις πατρὸς καὶ υἱοῦ ζωὴ αἰώνιος· ἀνάγκη καὶ μιᾶς οὐσίας εἶναι. τὰ γὰρ ἑτερούσια οὐ μιᾷ γνώσει καταλαμβάνεται, ἅτε ὁμοίως ζωοποιεῖν δυνάμενα. Εἰ εἰκὼν ὁ υἱὸς ἀληθῶς τοῦ πατρὸς, πᾶσα δὲ εἰκὼν, ἡ οὐσίας, ἡ μορφῆς, ἢ σχήματος, ἢ εἴδους, καὶ χρώματος ἐστιν εἰκὼν, Θεὸς ὢν ἐν θεότητι τέλειον, ἐν ᾧ οὐσία μόνη, ὁ υἱὸς εἰκὼν ὢν τοῦ οὐσίας, ὁμοούσιός ἐστι τῷ πατρὶ, id est: Quorum eædem sunt operationes, eorum est substantia vna; Operatio verò Patris & Filii vna est: vt illud: Faciamus hominem. Et rursum: Quæcunque enim Pater facit, hæc & filius similiter facit: vna ergò est substantia Patris & filii. Si cognitio Patris & filii vita æterna est: necesse est, eiusdem Patrem & filium esse substantiæ. Quæ enim diuersæ substantiæ sunt, vna cognitione non comprehenduntur, nec similiter viuificare possunt. Si Patris imago verè filius est; omnis autem imago vel substantiæ vel formæ vel figuræ vel speciei & coloris imago est: Deus autem nihil horum præterquam substantia est: filius ergo cum substantiæ imago sit, consubstantialis Patri est.

Vna actio & substantia Patris & filij.

Tertullianus sanè causam agnoscit, lib. de pœnit. c. 3. *An tu discernas actus carnis & Spiritus? quorum & in vita, & in morte, & in resurrectione tantum communionis atq; consortij est: vt pariter tunc aut in vitam, aut in iudicium sustineantur: quia scilicet pariter aut deliquerint, aut innocenter egerint.*

Atq; idem de omnium bonorum operum mercede dicendum censet, cum nullum sit ἄμισθον, sine mercede.

§.4. Cumulat alios etiam errores Caluinus & quidem graues. [Fideles à bonis operibus designat, quemadmodum à fructu arborem cognoscit alibi docet. Bona autem ipsorum opera laudat, quibus à sua vocatione operam dare cœperunt. Latro enim cui vitam in cruce Christus promisit, qui tota vita scelebus deditus fuerat, inter extremos demum Spiritus actecti studium aspirat. Sed quia renascitur nouus homo, & ex peccati mancipio iustitiæ seruus esse incipit, totus superior vitæ cursus in rationem non venit coram Deo. Adde quod ne peccata quidem quorum reatu se quotidie obstringunt fideles, illis imputantur. Nam sine venia nemo vnquam extitit in mundo, qui benè vixisse censeri queat: imò nullum omninò bonum opus censebitur nisi cuius vitiis Deus ignoscet: quando omnia mutila sunt corrupta. Factores ergo bonorum operum hîc dicuntur, quos Paulus illorum studiosos aut zelotas vocat. 2. Tit. c. 14. Sed æstimatio hæc ex paterna Dei indulgentia pendet, qui gratuitò probat quod reiici merebatur.]

Primum quod ait bona eorum opera à Christo laudari, hæresin suorum refellit, qua fingunt omnia bona opera esse peccata mortalia. Hæc enim à Christo laudari non debent. Quod enim natura sua peccatum est mortale, laudem non meretur, venia indiget.

§.5. Alterum arcanum impietatis mysterium continet. Peccata, quorum reatu se quotidie obstringunt fideles, illis non imputari, sed condonari, à vero non aberrare. Nunc alio modo intelligit: nempè grauia peccata, adulteria, homicidia, similiaque adeò illis non imputari, vt nec Deus illis irascatur, nec sit puniturus. Quanquam autem gratitudinis ergò abstinendum à vitiis indicent, non tamen lege se teneri, damnatique credunt, sed omnia penitus remissa esse, quæ res quantum ad omnia flagitia ianuam aperiat, non est difficile iudicare.

VERSVS 30.

Non possum ego à meipso facere quidquam. Sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.

Qvæ-

QVÆSTIO I.

Quomodo probat iudicium suum esse iustum?

§. 1. IVdicandi sibi potestatem factam affirmarat ea causa, quia filius hominis est; Naturæ enim consentaneum est, vt hominis iudex sit homo; nec hoc Iudæi inficiabantur, verum alia ex parte iudicium infirmabant. Hominis enim iudicium ignoratione vel affectu peruerti potest. Quotidie enim exercentur hominum iudicia non iusta. Obiectioni itaque occurrit, cum ait iudicium suum iustum esse, nec posse in eo quicquam reperiri prauitatis. Cuius rei causas tres producit. Prima, non possum ego à me ipso quicquam facere. Hoc est; nec diuina voluntas potest quicquam facere quod non consensu, voluntate, potentia faciat etiam Deus pater. Neque voluntas humana quicquam potest facere, quod non dependeat à voluntate diuina, cui omnibus in rebus subiecta est, vt ab ea recedere non possit. Quamuis enim in se spectata mutabilis sit, nunquam tamen ob vnionem cum diuina persona peccatura est.

Patrum expositionem Caluinus reijcit: [Superuacuum foret hic subtiliter disputare à seipsone an aliunde possit filius Dei, quod ad æternam eius diuinitatem spectat, neque enim talibus argutijs nos occupare voluit. Proinde nulla erat causa cur se tam anxie torquerent veteres in repellenda Arij calumnia, filium patri æqualem non esse nebulo ille iactabat, quia nihil possit à seipso. Respondent sancti viri, filium iure patri ferre acceptum quicquid habet: à quo personæ respectu, principium suum ducit. Sed primum Christus hic de nuda sua diuinitate verba non facit: sed vt carne nostra indutus est, se ab externa specie minime æstimandum esse admonet, quia aliquid habeat homine altius. Deinde videndum quibuscum negotium habeat, Iudæos, qui ipsum opponere Deo tentabant, refellere illi propositum est, negat ergo se quicquam facere humanitus, quia ducem habeat & moderatorem Deum qui in se habitat. Hoc semper memoria tenendum, quoties de se loquitur Christus, sibi tantum sumere, quod hominis proprium est: quia Iudæos respicit, qui perperam eum quasi vnum aliquem ex hominum vulgo esse dicebant. Eadem ratione quicquid homine superius est, ad patrem refert.]

Vtrumque Christus complectitur. Deum enim se vnum cum patre asserit, & hominem qui omni modo semper patri sit coniunctus, vt nihil velit, nisi consensu patris. Falsum vero axioma, Christum cum de se loquitur tantum sibi sumere, quod hominis est, multis enim locis ea sibi sumit, quibus se Deum esse declarat. Hoc vero quod Caluinus tanquam fixum statuit, Arianis insigniter fauet. Nam si nihil vnquam nisi quod proprium hominis est, sibi sumit, non ergo ex eius verbis illis diuinitatem probare possumus, quod Ariani velint, & magno mercentur Ottomanidæ.

§. 2. Altera causa est, quia iudico, sicut audio. Perfectissime enim cognoscit errorum causas, atque secundum eas iudicat. Sæpe enim aliorum iudicia quamuis secundum allegata & probata proferantur iniusta sunt.

Tertia causa est, quod suam voluntatem non quærat, hoc est humanam, sed eam diuinæ accommodet, à Deo enim missis negocia illius ex ordinatione mittentis peragit.

Porro iudicandi officium ad totam gubernationem pertinere in confesso est. Potest etiam ad rem præsentem accommodari; Iudicium quo misertum etiam sabbato sanandum suscepit, iustum esse, nec debuisse se misericordiam detinere ob sabbatum, quod ad hominum vtilitatem institutum est.

§. 3. Eodem modo ostendit Athanas. lib. 4. contra Arianos male ex his verbis diuinitatem impugnari. *Nam hoc dictum: Pater diligit filium & omnia dedit in manus eius, & omnia mihi tradita sunt à patre: Et, Ego non possum quicquam facere ex me ipso, sed quemadmodum audio, ita iudico: & quæcunque sunt istiusmodi generis sententiæ, non id indicant, quasi aliquando ea non habuerit filius. Quomodo enim quæ habet pater non habuerit æternum & vnicum patris ex substantia verbum & sapientia, cuius ista sunt verba: Omnia quæ habet pater mea sunt: & mea, sunt patris. Si enim quæ patris sunt, ad filium pertinent, & semper illa pater habet: certum est filium semper habere ea, quæ sunt patris: quippe qui semper in eo sit. Quocirca, non ideo quod aliquando non habuerit, istiusmodi locutus est: sed postidet vt Deus, ea postulat vt filius. Nam quæ habet à patre habet: Sed ne quis videns filium habere omnia quæcunque pater habet, & indiscreta similitudine & identitate eorum quæ habentur, Sabelliano more deceptus impie sentiat: existimetque filium etiam patrem esse: ea de causa hoc verbum prolatum est, Datum est mihi, & accepi: & traditum est mihi: nulla alia de causa, quam vt ostenderet se patrem non esse, sed patris verbum, & æternum filium: qui quidem ob similitudinem patris, quæcunque habet, perpetuo ab eo habet. Verum quia filius est, ideo perpetuo ex patre habet, quæcunque habet.* Idem Athanas. oratione contra Sabellij Gregales: *Caterum si vis eum audire humanius loqui, & congruenter ad formam carnis, quæ oculis patebat: & ad humanam speciem, quæ sola & mera in eo existimabatur, audi verba ipsius: Si ego de me ipso testimonium perhibeo, testimonium meum verum non est. Neque enim fide dignum videtur, neque recepti moris est, vt homo de seipso testimonium perhibeat. Cum autem dicit: Etsi ego testimonium perhibuero de meipso, testimonium tamen meum verum, quia scio vnde aduenerim, & quo abeam: Cum se & patrem enumerans, duos esse dicit, qui de ipsius gloria testimonium ferant, nequaquam humana loquitur, sed supra omnem humanam dignitatem.*

VERSVS 31.

Si ego testimonium perhibeo de me ipso testimonium, meum non est verum.

QVÆSTIO I.

An testimonium Christi de se non sit verum?

§. 1. QVemadmodum latinis vsitatum est, vt dicant: propria laus sordet, ita prouerbium etiam est apud Hebræos cum dicunt; Proprium cuiusque testimonium falsum esse. Nihil sane magis ridiculum quam ἀντιμάρτυρι, propria in causa testis. At Christi testimonium tanquam ἀληθῶς de seipso verissimum est. Ita infra cap. 8. vers. 13. *Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuũ non est verum.* Chrys. Cyrillus, aliique existimant Christum, loqui ex Iudæorum sententia; nam obijciunt illi cap. 8. 13. & sensum esse volunt. *Ideo non creditis, quia ipse de me testimonium perhibeo.*

Commodius alij interpretantur, omnia illa per concessionem dici, hunc in modum. Quamuis vero iure postulare possim, vt mihi de me testanti & tot signis veritatem testimonij obsignanti credatis; non tamen nunc vrgeo, vt tantæ auctoritati fidem habeatis. Esto sit verum prouerbium vestrum, & non sit verum meum testimonium, at alterius de me verum esse concedetis. Largitur quod iniquum est, vt æquum obtineat. Cum suum proprium testimonium suspectum videt, ad tempus iuri suo cedit. Quamuis *Concessione Christus vtitur.*

enim Deum in ordinem cogi impium sit, cum illius testimonium toti mundo præponderet. Quod si de hominum testimonio agitur, proprium iustissime videtur reijci, eo quod vnusquisque sibi faueat, nec contra se aliquis infesta & aduersa deponat, vt docet Cyprian. Ep. 69. ad Florentium.

VERSVS 34.

Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico, vt salui sitis.

QVÆSTIO I.

An non accipiat ab homine testimonium?

§. 1. MIssus Ioannes erat vt testimonium perhiberet de lumine, ideo & hoc testimonium diuinum erat, quamuis ab homine daretur; id Christus accepit. Verum hic comparatio est: Non enim indigere se alieno testimonio, opera euidentius testificari. Ioannis testimonium ipsorum causa datum.

§. 2. Protestatio illa non efficit, quo minus auctoritas infallibilis, qua in controuersiis vtimur, non sit etiam humana. Nam partim diuina est partim humana, ab auctore homini inspirata, & per hominem proposita. Hic Christus apostolos testes esse voluit, ipsos homines, sed tamen diuino testimonio instructos. Quare Anabaptistæ & Phanatici à vero longe aberrant, dum diuinas reuelationes ita iactant, vt hominum & scripturarum magisteria auersentur. Hominum enim opera docere Deus statuit homines, vt qui eos audirent, Deum audire dicerentur. Sic Malach. 2. Ephes. 4. Luc. 2. Iam olim enthusiasmus ille inualuit, vt queritur Iren. lib. 3. cap. 2. Tertull. de præscript. multis locis.

Testimonia diuina per homines dantur.

VERSVS 35.

Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.

QVÆSTIO I.

Quomodo ad horam in luce Ioannis exultarint?

§. 1. IOannis testimonium commendat; Erat enim lucerna lucens & ardens, per tenebras ad vitam deducens. Iudæi magno primum gaudio eum exceperunt, adeo vt Messiam putarent, deinde vero de Christo eius testimonium repudiarunt, acerbeque insectati sunt, adeo vt dicerent: *Dæmonium habet.* Receperunt Ioannem in speciem cum insignem ad eum legationem mitterent, sed cum eorum vitia tangeret, resiliebant. Tantum ac tam sanctum apparuisse prophetam magnæ sibi gloriæ ducebant, eumque Messiam fore sperabant, à quo omnes locupletarentur, totoque orbe dominarentur, cum vero ad vitæ emendationem verba fieri audirent, & desciendas cupiditates summo præconem odio insectati sunt. Nam virtutum commendatione, vitiorumque manifestatione reprobi irritantur.

Ioannē repudiarunt.

Commendatione Ioannis eorum proteruiam, insolentiamque accusat. Deus lucernam tanquam paterfamilias bonus accendit, vt sequerentur, illi lucem aspernati sunt, atque in ea ad breue tempus exultant. Calvinus ait: *proteruè saltare, quam sine progressu* in ea „ ambulando progredi maluisse, addit vero: [Ideo dicit ad tempus, vel ad horam: qua voce eorum stultitiam perstringit, quod putarint fluxa & euanida proteruia æternam Dei lucem posse extingui. Ita hodie Papistæ, quotquot Deus pios doctores Ecclesiæ suæ tanquam accensa lumina dedit, in contrarium vsum trahunt, quasi illis propositum sit oculos lucis aspectu sibi perstringere. Nec modo lucernis abutuntur ad suffocandum Dei lucem, sed etiàm in tenebris sæpe exultant, vt cùm aduersus puram Euangelij doctrinam insulsis rabularum suorum commentis superbiunt.]

Pios doctores à Deo datos agnoscimus omnes. Syrus habet רחשחבחרן *dethescht hbeharun, glorificare vos*: de tanto enim propheta magnifice gloriabantur, eosq; non minus insigni beneficio, quam solem nobis donatum dicimus, at quos Caluinus pro doctoribus habet, Zwinglium, Bullingerum, Bucerum, cæteraſq; pestes, nos apostatas esse scimus, de fumo abyssi progressos obscurare orbem terrarum. Nec rabularum commentis superbimus, sed martyrum sanctorum, patrumque, & vniuersæ antiquitatis testimonio doctrinam nostram confirmari merito gloriamur, aduersus profanas hæreseon nouitates præscribimus, nec timemus ne regni cœlorum hæreditatem non adeamus, si eadem via, qua martyres ac confessores iere, ad eam tendamus.

VERSVS 36.

Ego autem habeo testimonium maius Ioanne: Opera enim quæ dedit mihi pater vt perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia pater misit me.

QVÆSTIO I.

An operum testimonium sufficiens fuerit?

§. 1. MAgnum erat testimonium Ioannis; vt quo nemo maior inter natos mulierum surrexerat: sed aliud testimonium habere se ait, quod maius sit Ioanne, testificante scilicet, nō enim persona Ioannis & Christi, sed testimonium Ioannis, sed Ioannes testis cum operibus testificantibus comparatur, ideo dicitur μείζων μαρτυρία ἢ ἰωάννου, Syrus רבא בן רירחבן *Rabbo men Iauchanan*, maior præ Ioanne; nec opus correctione, vt interponatur τῆς μαρτυρίας testimonio Ioannis, vt Beza in sua versione fecit. Nam neque id Græcus textus habet, neque Syrus, imo ne Tremellius quidem & Iunius Caluiniani aliter verterunt, quam noster. Hoc igitur testimonium sunt ipsa opera adeo magna, & illustria, vt quamuis contumaces animos flectere atque in veritatis agnitionem possent. Sed illa obstinatio, & voluntaria occæcatio oculorum, qua, & Christum & Ioannem repudiarunt, ita animos obstruxit, vt nulla parte gratiæ diuinæ aditum patefacerent.

Opera maius testimonium, quam Ioannis.

§. 2. Quæstionem Caluinus proponit. *An ad præbandum quantum satis est, Christum esse filium Dei valeant miracula?* Respondet ille: *Signa prophetarum non vltra se protendisse; quam vt prophetas ostenderent, Dei seruos esse, qui auctoritatem aliter obtinere non poterant, sed Deus filium suum aliter extollere voluit.*

Obscure rem inuoluit, & tamen fuam hæresin destruit. Dicendum enim est; miracula ad id confirmandum valere, quod credi sibi postulant illi, qui miracula faciunt. Prophetæ se Dei seruos, à Deo missos esse miraculis probabant. Christus Dei filium se esse professus est, ideirco cum eum in finem miracula patraret, vt hoc crederetur, sufficientia fuerunt. Nunquam

Quid postulent miracula.

quam enim mendacium miraculis Deus approbat. Atque hoc fundamento miraculorum efficacia nititur. Quod si prophetæ quamuis sanctissime viuerent, sine miraculis obtinere auctoritatem non potuerunt, qua fronte nobis extraordinariæ missionis fidem Caluinus & Beza obtrudere conantur, quos sceleratissimæ vitæ notis infames, publicis iudiciis conuictos, & damnatos constat ab Ecclesia ignominiæ impatientia, secessionem fecisse? Qua ratione fidem facere nobis poterunt, quos nihil nisi transfugij crimen, contra castra, quæ deseruerunt, incitauit? Christus miraculis Iudæos fecit inexcusabiles, vt l. 9. demonstrat Hilar.

VERSVS 37.

Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me neque vocem eius vnquam audistis neque speciem eius vidistis.

QVÆSTIO I.

An non audierint Iudæi vocem patris, nec speciem viderint?

§. 1. VOcem Dei aliquando populus; crebro prophetæ vt Isaias, Daniel, imprimis Moses, audierunt. Quomodo ergo vocem eius non audierunt, nec speciem viderunt? Duplex responsio. Prima; cum Christus dixisset: patrem sibi testimonium dare: Iudæos tacita cogitatione obiecisse, cupere se vocem patris audire, patrem videre. Ita & Philippus: *ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* His dominus respondet, non audiri vocem patris, nec videri eius speciem, plane esse inaspectabilem Deum, se missum esse, vt verbum patris annunciaret. Hanc veram esse ostendit Cyrillus, cum ait, in eo errore fuisse Iudæos, vt Dei naturam visibilem esse existimarent. Non igitur exspectandum dum pater spectandus exhiberetur. Altera interpretatio priori omnino dissimilis est. Nō audiuisse Iudæos vocem atque oracula prophetarum, nec pro voce Dei agnouisse, nec in viuis illis Dei imaginibus creatorem spectasse, verum ad idola declinasse. Verum prior interpretatio ad rem præsentem facit. Patrem enim prophetæ alicuius hominis, & aspectabilis, hominem, aut certe corporatum aliquid esse arbitrabantur, atque ita optime omnia cohærent.

Athanasius oratione 4. contra Arianos de verbo interpretatur. Non audisse eos verbum patris aliquando, quod nunc illis loquatur.

VERSVS 38.

Et verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

QVÆSTIO I.

Cur non habeant verbum Dei in ipsis manens?

§. 1. VErbum in ipsis manens eos habere negat, quia non credunt in eum, quem Deus misit. Verbū manens seu vt Syrus, מקרא *mekauio* vocat, doctrinam legis, quam licet habere viderentur, ignorabant, quod Christum qui scopus erat, atque anima legis repudiarent. Verba Dei auribus combibebant, in animam atque effectum non admittebant, factis non exprimebant, sed vitiis occupati reijciebant, adeo vt etiam credere desinerent. Itaque vera ac genuina intelligentia destituti ex lege non nisi mortem, ac damnationem suam consequebantur.

§. 2. Magno studio in sacrarum literarum cognitionem incumbebant, per omnia sabbata in synagogis scripturas legebant, interpretabantur, domi ediscebant, in illis etiam Christum quærebant; auide enim Messiam exspectabant: nec proficiebant tamen plerique, quod Messiam suis vitijs idoneū mente sibi & cogitatione effingerent. Itaque mortuam duntaxat literam arripiebant, vero sensu ac intelligentia carebant. Scriptura porro licet saluti sit, cū tamen ad impios sensus detorquetur, summæ nequitiæ occasionem parit, quamtumuis igitur scripturas iactent hæretici, non tamen habent Dei verbum in se manens, sed vel stylo vel sensu adulteratum, vel vtroque. Et veteres quidem Iudæorum doctores inuolucris quibusdā scripturas inuoluebant, & res factas figuris adumbrabant, eas cum recentiores non intelligerent, in horribiles blasphemias delapsi sunt. Exemplum refert Galatinus l. 1. ex capitulis R. Eleazar, in libro Zoar & R. Recanad super c. 4. Geneseos. Habebant tamen illi multas fatuas traditiones, & impias, quas vocabant תקון סיפרים *Ticcun sopherim* ἐπανορθώσεις τῶν γραφέων *correctiones scribarum.* Quarum magna pars à R. Vziele, & Hillele profecta est, de quibus prolixe Galat. l. 1. c. 8.

Iudæi in scripturis diligentes.

Traditiones Iudæorum.

§. 3. Notauit S. Chrysostomus veteres hæreticos pari modo iactare scripturas, sed esse veritatis exortes non minus, quam ipsos Iudæos; quod vel maxime in nostros conuenit Nouatores, quorum omne in deprauandis & ad suos errores detorquendis scripturis studium vertitur, cum interea inter se grauissime decertent, non de sensu modo, sed etiam lectione, sunt versiones Bezæ, Iunij Tremellij, Castalionis, aliæ ex Gallia, illas Angli corruptissimas esse conqueruntur, ideo iam pridem nouam moliuntur. Ita Robertus Gentilis in præfatione Alberici patris de latinitate veteris versionis male accusata. *Amas*, (inquit ad Ioannem Hēnsonum) *veterem versionem, & in Anglica versione, nunc cum aliū iussu regū versaru.* Quin & Gregorius Martini versionem hæreticorum insectatur, edito libro, cui titulum dedit. *Detectio corruptelarum hæreticarum in versionibus publice editū à Tyndallo, & ab aliis sectariū.* Nullo igitur modo habent verbum Dei in se manens, sed mutilum, interpolatum, male intellectum.

Dissensiones sectariorū.

Corruptæ versiones hæreticorū.

VERSVS 39.

Scrutamini scripturas quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.

QVÆSTIO I.

Quomodo scrutandæ scripturæ?

§. 1. TAm Græcum verbum ἐρευνᾶτε; quam latinum scrutamini ambiguum est, potest enim esse indicatiui modi, quo Iudæorum industria in studio sacrarum literarum indicetur. Vel imperatiui, vt ad hoc studium sit exhortatio.

Pleriq; tamen indicatiuū esse interpretantur, ita tamen, vt non studium eorū Christus reprehendere putetur, sed q; scrutando ad thesaurum, quem exoptant, suo vitio nō perueniant. Stupe rem ergo, & cæcitatem exprobrat, quot totos dies in scripturarū exercitatione consumant, nec proficiant tamen, nec in illis Christū agnoscant. Et sane admiranda est hodieq; Iudæorum in scrutatione scripturarū & laboriosa diligentia, nō versus modo, sed literas omnes in numerato habēt, quæ res circa Domini tempora cœpisse videtur, & tandem ad insanum Cabbalistarum studium peruenisse, de quo

Duplex lex. de quo prolixe & erudite præceptor meus Nicolaus Serarius in proleg. Bibliacis. Interim sensum, & veritatem scrutantes, duo dogmatum genera habebant. Primum erat lex à Deo scripta, quam vocabant תורה חש בבחם *Thora aſcher biccethab. Lex quæ in scripto.* alterum תורה אש בעל פא *Thora aſcher beghal Phe, lex quæ in ore.* Eodem enim spiritu & legem, & legis interpretationem datam à Deo credebant, atque hoc testantur in libro ברבות *berachoth, benedictionum.* Explanationem etiam duplicem habuerunt literalem, & mysticum. Hanc vero traditione accepisse se à Mose, Iosua, senioribus, prophetis, viris synagogæ magnæ, continua serie putabant, alij aliter seriem illam ordinant. Iosuam à Mose accepisse, & Phinees tradidisse, ab hoc autem accepisse Heli, & Samueli tradidisse, hunc Dauidi regi, illum Achiæ prophetæ, à quo Elias, deinde Helisæus, tandem Ioiadas & Zacharias pontifices, Oseas, Amos, Isaias, Michæas, Ioel, Nahum, Abacuc, Sephonias, Ieremias, Baruch, Esdra, ordine collocantur. Præter libros autem sacros multa suorum scripta habuerunt, quæ omnia pene interierunt. Tempore Ptolom. Philometoris fuit apud eos Aristobulus philosophus, qui multa in libros sacros commentatus est. Deinde duo doctores R. Iodam, & R. Ibba annos ante Christum circiter 150. multa de Messia scripserunt, & eos secutus R. Simeon Iohai filius, multa sane de Messia, eius passione, & vita scripsit. Commentarios fecit in Genesin, lingua Hebræa, & plurima Christianæ fidei mysteria recenset. Sæpe patrem, & filium, & Spiritum sanctum expresse nominat, præcipuus sanctissimæ Trinitatis inter Rabbinos assertor: summæ erant tempore Christi auctoritatis eius libri, nec deerant senes, qui eius discipulos audierant. Liber eius erat qui inscriptus erat hebraicè, מחקר חסודות *Mechkar Hassodoth*, hoc est: Scrutatio arcanorum, nam חקר *est fodere, scrutari*, seu quod græci dicunt μετεωρίζειν, diligenter *quærere*, vt qui eunt in viscera terræ, vt metalla inde eruant. Ab illo habuit R. Haccadosch, i. sanctus, qui res Messiæ quasi vidisset ipse recenset, & Nehumias Haccanæ filius, qui ex suis præceptoribus non modo prophetas explicuit, verum etiam se tantum annos quinquaginta à Messiæ aduentu abesse asseuerauit. Ille Epistolam Haccanæ filio scripsit quam vocauit אגרת חסודות *Epistolam arcanorum* ad imitationem Simeonis, qui *scrutationem arcanorum* scripserat. Nam totus liber, seu *scrutatio arcanorum* de Messia erat. His igitur instructi Iudæi scripturas scrutabantur, & Christum inuenire debebant, ad hos Dominus alludit, cum dicit: *scrutamini scripturas.* Non dubito autem quin multi Iudæorum interpretes illos famosissimos secum in Synagoga, aliisque locis Christo disserente habuerint. Scrutabantur igitur scripturas laudabili industria, his vsi interpretibus nullo tamen plerique fructu, quod errores, occupata iudicia, magna vitia, cupiditatesque aciem intelligendi hebetarent, & obtunderent. Prauo erant Iudæi, maloque ingenio: nam Ioannis testimonio, & factis euidentissime conuicti, ad scripturas prouocabant, Mosis se esse discipulos, à Christo sabbatum violari, tolli de medio legem conquerebantur. Christus in proprio eos præsidio inuadit, ac deijcit, & inanem cõfidentiam excutit. Scrutari ait illos scripturas, nec inuenire in illis Christum iam præsentem, omnia Messiæ fungentem officia, omnibus redemptoris insignibus fulgentem, cum in illis ipsis scripturis ante ducentos, & qui secuti sunt, annos, eorum doctores tam clare ex scripturarum scrutatione eum prædixerint. Nobis sane sedulo scripturas esse legendas docet Cyrillus Alexandrinus, qui Glaphyra sua ab hac sententia orditur.

Series doctorum Iudaicorum.

Haccadosch.

Scrutatio scripturarum.

Iudæi inexcusabiles.

§. 2. Non defuerunt hæretici qui sententiam pulcherrimam ab aliis falso adiectam esse contenderent, non à Christo prolatam. Ita Faustus Manichæus apud Augustinum lib. 12. cap. 37. & lib. 16. & lib. 1. de fide cap. 30. & contra Adimant. Manichæum c. 15. Cum enim Deum veteris testamenti malum esse contenderent, vetus etiam instrumentum è medio tollebant. In partem eiusdem blasphemiæ venit Theodorus Mopsuestenus, qui quidem Deum veteris testamenti auctorem fatebatur, non tamen prophetas de Christo Christi *Hæretici sententiam.* locutos esse concedebat. Sed omnia testimonia per *Sem.* similitudinem, & analogiam quandam ab Apostolis ad nouum testamentum, & Christiana tempora detorta esse blasphemauit. Damnatus est in Concil. Constantinopolitano, act. 5. & Romano, sub Vigilio. Et hoc solo testimonio abunde confutatur. Christus enim ait scripturas de se testimonium perhibere. Iudæos excusari non posse, quod scripturarum testimoniis non acquiescant. Itaque vim authentici diplomatis, & legitimi testimonij continent: ex instituto igitur de Christo agunt. At si tantum alicuius interpretis ingenio, aut accommodatione eo traherentur, non posset exprobrari Iudæis stupor, quod in illis Christum non inuenirent; non enim Spiritus sanctus de Christo loqueretur, sed interpretis ratiocinatio id deduceret. Vt quis Virgilij carmen, quod ille de Pollionis filio composuit, Christo accommodaret, idque voluisse poetam diceret, cum eius institutum fuerit Pollioni adulari, nihil de Messia vaticinari.

Scripturæ ex professo de Christo agunt.

§. 3. Irenæus l. 4. c. 23. Manichæos, aliosque sectarios confutat, veteris testamenti negatores. Deum enim Christi patrem esse ex his ipsis conuincit: quod olim de illo ipso omnia prædixerit, & Christus hoc ipsum agnoscat.

§. 4. Quantum aberrent, qui facilem omnibus scripturam arbitrantur, facile ex dictis concludere possumus. Quid enim opus est scrutatione, si aurum sit in aperto? sensus in proparulo est? audiendus potius Chrysostomus, quam sectarij. Ille in hunc locum non modo difficultatem scripturæ ostendit, verumetiam omnes ad eius studium hortatur.

Quæ scripturam non sunt in aperto.

QVÆSTIO II.

An ideo nulla sit fides implicita, quia scripturas scrutantur Iudæi?

§. 1. PAreus l. 1. c. 7. de iustificatione grauiter in Bellarminum incusat, quod fidem Catholicam non intelligentia, & notitia, sed assensu definiat. *An scrutatio fiet sine intelligentia?*

Respondeo me tam esse impostura, nec Bellarmino, nec cuiquam Catholico in mentem venisse, vt fidem sine intelligentia, aut sola ignorantia constare assereret.

Requirit enim Bellarminus apprehensionem, deinde assensum ex auctoritate proponentis, cognitionem subtilem fidei, aut rerum quæ creduntur, necessariam negat, quotus enim quisque fidelium, qui pro Trinitate mori paratus est, relationes, origines, processiones, in eadem natura incomposita intelligit? aut id quod credit defendere potest?

Frustra eum Pareus p. 299. oppugnat: quasi dicat: apprehensionem & iudicium non esse facultatis intelligentis.

Verum non erat hoc probandum Bellarmino, nec vero hoc sensit, quod illi aduersarius imponit. Non enim negat apprehensionem, & iudicium, operationem potentiæ intellectiuæ esse. Sed opponit scientiæ *euidenti, & exploratæ. Hoc est scientiæ: Scientia* est enim cognitio distincta, euidens, per causas, talis non est in fide. agit enim contra Caluinum lib. 3. instit. c. 2.

Imper-

imperfectam cognitionem Bellarminus perpetuo agnoscit, ipse aduersarius hoc fatetur, p. 90. fidem definiri à Bellarmino habitum intellectus notitiam certam propositionum diuinarum, quibus firmiter assentimur, propter assueurationem ipsius Dei, addit pag. 90. Pareus. Fidem non esse cum ignorantia, sed aliquali cognitione. Quid vero hoc rei est? si est non plena, sed aliqualis scientia, non est simul ignorantia nonnulla. Informe hoc monstrum est. Fatetur Bellarminum ponere eum statum quæstionis: an fides sit scientia, vel explorata cognitio. Deinde inuertit ipse statum quæstionis. Bellarminus dicit: Fidem esse assensum cum ignorantia, ipse opponit. Esse assensum cum aliquali cognitione. Hoc nemo negat: nec inter se contraria sunt ignorantia & aliqualis cognitio. Est assensus cum aliquali ignorantia, aliquali scientia, seu cognitione, non autem scientia proprie dicta. Trinitatem credimus, esse tres personas in vna essentia distinctas confuse apprehendimus, nec per causam, nec per effectum cognoscimus. Fides hic est cum magna ignorantia, tenui cognitione. Sic sentire Catholicos constat ex c. 4. Vbi omnium sententia firmiter esse habitum intellectus, & c. 5. actus fidem describi dicitur per vocem intelligendi.

Bellarminus certe notitiam, sed obscuram significat. Id vero clarius c. 5. exprimit. Sic docet cap. 6. Plenissime scire esse actum intellectus, & in illud Pauli; non considerauit corpus emortuum. Credere esse cum assensu cogitare. Denique concors est sententia orthodoxorum in diuinis mysteriis, quædam cognosci, quædam ignorari Deum hominem factum credimus, sed multa in eo mysterio ignoramus, quod si neget aliquis, eum facile nihil scire, nec sensu humano præditum cuilibet manifestum est. Credimus enim quod non intelligimus, sic Basilius aduersus Eunomium. Si omni.

Sic Athanasius ad Serapionem. Nazianzen. orat. de Theologia. Caluiniani autem dum expressam omnium cognitionem iactant, occasionem Trinitariis dederunt, vt in speciem validis argumentis simplicium corda peruerterent. Cracouiæ editus olim liber est, contra sanctissimam Trinitatem, quo inter alia, Catholicos auctor exagitat, quod credere se, non intelligere tantum mysterium profiteantur.

§. 2. Calumnia est, cum fidem implicitam sola ignorantia à nobis definiri commiscuntur. Veritas ita habet: Multorum fidelium, etiam legere nescientium, viuida fides est. Parati sunt credere, quicquid Bibliis sacris continetur, habitu fidei donati sunt, qui ad omnia illa extenditur. Multas Bibliorum sententias non modo non legerunt, sed nec audiendo quidem audierunt. Fide tamen, qua omnia à Deo reuelata esse vera credunt, etiam implicite illa credunt.

§. 3. Hæc fides in omnibus est; quisquis enim totius biblici corporis veritatem credit, etiam singulas partes credat necesse est. Nemo vero est, qui omnium meminerit. Interim fides implicita nulli omnino Christiano sufficit, quatundum enim rerum opus est fide explicita. Omnes enim oportet credere, Deum esse, & remuneratorem esse. Fides redemptoris venturi olim etiam necessaria fuit, nunc vero explicatior traditur, quæ duodecim articulis comprehensa est. Expressissima redemptoris fides est necessaria cunctis Christianis. Bonauent. in 3. sent. distinct. 25. art. 1. q. 3. Gabriel. in 3. distinct. 25. q. vnica. art. 2. Marsilius, Albertus magnus. Hugo Victorinus, lib. 1. de sacram. p. 10. c. 6. Alexand. Hallens. p. 3. q. 82. memb. 3. Durand. distinct. 25. Recentiores omitto. Hinc insigne Caluini de Scholasticis mendacium confutatur: l. 3. instit. c. 2. §. 2.

Respondeo. Fidem in magna plerunque rerum ignorantia versari, ideo ab Apostolo vocari argumentum rerum non apparentium. Non tamen in sola; nam apprehensio, assensusque est quædam cognitio. Et multarum rerum fidem explicitam habere necesse est, vt iam docui. Nec possunt fidem implicitam indoctæ plebis damnare, nisi magnam partem Christianorum iudicent infidelem. Quin & docti ita quasdam res fidei intelligunt, vt tamen illa quæ scientia tenent, minima pars sit eorum, quæ ignorant. *Fides ignotæ rei.* *Doctorum fides implicita.*

Calumniam geminat Pareus lib. 1. cap. 7. de iustificatione. Dicit enim nos populum in ignorantia scelerate detinere.

Respondeo scelerate prorsus facere qui populum in ignorantia detinent; Scelerate etiam eos, qui falso hoc crimen docentibus imponunt: Sceleratius qui falsa docent, & simplicem populum contra veritatem calumniis furiose concitant, quod faciunt Caluiniani. Porro non agere hoc Catholicos vt populum in ignorantia detineant, plutimus, & difficilimus labor, docentium, catechizantium, concionantium, scribentium ostendit. Scientia vtilis est; nam quo maior Dei cognitio, eo facilior amor tanti boni. Non omnis tamen ignorantia damnabilis, sed illa quæ rerum est simpliciter ad salutem necessariarum, quas paucas esse Deus voluit, ne ignaris & rudibus vitæ æternæ inijceret desperationem. *Populū fallere grauis scelus.*

§. 5. Nemo scripturas iactantius hactenus producit, quam Sociniani, ipse tamen Socinus cum ad rem ventum est, eas contemnit; *Ego quidem*, inquit, *si non semel, sed sæpe in sacris monumentis scriptum exstaret, non idcirco tamen ita rem prorsus habere crederem.* Hoc enim obijcit illi in mutua disceptatione Couetus. Similia tamen de Caluino, aliisque Vorstius in coronide Iubilorum citatus adducit. *Socinus.*

§. 6. Qui hinc concludunt omnibus esse legendas scripturas, & scrutari oportere earum sensum; recte docent, si de pia, sancta, quæque pios interpretes, & sanctos patres audiat, scrutatione intelligant. Non enim scripturæ gustus aut fructus in cortice, aut superficie percipitur, sed ad intima eius penetrare oportet, si quis viuificum ab ea cibum expetat. Hunnius, aliiq; pro scripturarum lectione omnibus commendata, adeoque imperata contendunt. At iam initio ostendi, non præceptum esse, sed facti narrationem. Id adeo etiam Erasmus, Ioannes Piscator, Beza sentiunt.

Frustra ergo sunt, qui cunctis etiam idiotis tantum onus imponunt, vt scripturas scrutentur, qui eas legere non didicerunt. Qui vero præceptum hac in re esse opinantur; possunt alia illud ratione accipere, quam vt auditis suis de scripturæ sensu doctoribus, de veritate iudicent. Si enim vnumquemque de infima plebe sine doctore ac magistro scrutatorem faciamus, id plerisque continget, quod Iudæis, qui scrutando eo venerunt, vt Christum crucifigerent, salute exciderent. Id adeo factum olim fatetur Lutherus cum singulæ sectæ, pro se, suaque sententiæ confirmatione scripturam torqueant, eo res reducebatur, vt scripturæ auctoritas vilesceret, & tandem probroso, & blasphemo nomine liber hæreticorum diceretur, quasi inde omnes hæreses ortæ essent, quia singuli hæretici scripturæ testimonia allegarent. Inde illa, quæ recenset Lutherus: *Babel, Babel, Babel.* Hinc Schwenckfeldianorum, Fanaticorum, Libertinorum afflatus, & energemata, sine scriptura docentium. Nemo est, cui non vtilis sit vera scripturarum scrutatio, quam peritia Ecclesiæ & Patrum dirigit, qua norma destituta non minus in vanum laboraturus est, quam si venas auri vel argenti sine indice perito quispiam sectetur. *Nō est quilibet idoneus scrutator.*

§. 7. Wittackerus impudentius etiam hæc verba deto-

detorquet, contra Bellarminum de verbo Dei l.1.c.7. Scripturas eas tantum esse ait, quibus Christus vsus est, tanquam testibus suis. illis vero testimonium reddidisse tanquam testibus suis existimat; cum dixit: Scrutamini scripturas.

Scriptura non omni Christus vsus.

Respondeo. Christum Ecclesiastæ, Canticorum, Abdiæ, Sophoniæ nullos versus in testimonium producere, ex aliis scripturis pauca, non tamen ideo illas in censum apocrypharum reijciendas. Hoc ergo argumentū si cont. a libros Maccabæorum est validum: magis valere contra alios debet, quorum vel nihil, vel particula aliqua sola citatur. His sane verbis nullam scripturam Christus excludit. Si quos libros in canone non habebant Iudæi, quos esse oportebat in illo, ad institutum Christi non pertinebat, sat testimonium in illis erat, quos ipsi recipiebant. Epistolam Iacobi Lutherus è canone reijcit, stramineam appellat contumelioso elogio; nec minus tamen nos eam veram agnoscimus: & cum monemus, vt scrutetur scripturas, videatque Abrahamum ex operibus iustificatum esse, non excludimus Epistolam S. Iacobi, sed vel maxime eam considerari volumus.

§. 8. Wittackerus contra Bellarminum l. 2. c. 15. de verbo Dei. Christum, inquit, generale legendæ scripturæ mandatum dedisse.

Respondeo. Præceptum generale nullo modo esse, cum infinita Iudæorum turba esset sine literis, vti ipsi etiam Apostoli. Deinde cum Pharisæis & legisperitis disputationem instituit, illi veterem Hebræam norant. Plebs ignorabat, licet multa intelligeret ob linguarum inter se affinitatem. Nesciebant illos linguam veterem ostendunt omnia nomina noui testamenti, quæ Syra sunt, aut Græca, vel Romana. Quin id docet Wittebergensis professor Laurentius Fabricius in præfatione quam Crinesij Syriacæ Grammaticæ præfixit. Scripturæ intelligendæ instrumenta ait lectionem, & linguæ qua scriptura comprehensa est, cognitionem.

Lingua Syra & Hebræa differunt.

Tantam ille distantiam agnoscit, vt linguas illas discendas iudicet, & docet experientia eos, qui vnam norunt, aliam ignorare. Itaq; cum tum Iudæi vterentur lingua Syriaca, non Hebræa, nisi cum in scholis eam discerent, minima pars eam cognoscebat. Nec Hebraice, sed Syriace concionatus est Dominus: vt mira sit quorundam præconum stoliditas, qui aliud demonstrare contendunt.

Multo stolidius idem Wittackerus in l. 2. Bell. c. 16. de verbo Dei. Omnibus etiam indoctis lectionem scripturatum fingit esse præceptam.

Respondeo. Non posse illud præceptum esse commune; non est enim præceptum, vt legere addiscant, multo minus, vt scrutentur lingua quam non intelligunt. Eo tempore non erat conuersa in linguam Syriacam scriptura, aut sane versio authentica non fuit, nulla enim extat, nec mentio est eiusmodi, & Chaldæa paraphrasis manifeste mendosa est: nec plane intelligebatur, & perspicue à Syris, si ea vterentur Christus aut Apostoli. Non igitur potuit dari hoc præceptum, nec conuincere inde quisquam valet, scripturam eo tempore Syriace lectam esse. Sed neque inter tot auctores vel vnus est, qui versiones illas agnoscat. Chaldæam circa illa fuisse tempora multi arbitrantur; sed eam tot erroribus scatentem pro verbo Dei commendare Christus non potuit. Hunc locum cum doctissime exponat l. 2. c. 16. in defensione Iacobus Gretserus, ad eum remitto lectorem.

Syra versio probata nulla.

Quæstio III.

An scrutatio scripturæ tollat traditiones?

§. 1. Wittackeri hoc est argumentum, contra l. 4. c. 10. Bellarmini. *Christus dixit: Scrutamini scripturas, non traditiones, non ergo Iudæis fuerunt traditiones. Si enim traditiones authenticas habuissent, eas etiam scrutari iußisset.*

Respondeo; Scripturas proponi, quoniam illas scrutabantur: non ideo traditiones reiectas, etsi non dixerit Iudæos scrutari. Scripturas nominat solas, quoniam illis se maxime iactabant, in illis se vitam habere arbitrabantur. Cur igitur traditiones omittit? Primo quoniam multæ deprauatæ erant, atq; impiæ: itaque ad eas remittere Iudæos noluit, ne omnes approbare videretur, aut si quibusdam reiectis quasdam admitteret, noua de traditionibus disputatio, atque importuna oriretur. Ad illud igitur de quo inter omnes conueniebat, aduersarios remittit. Deinde traditiones dubiæ non erant, nec scrutatione egebant, loquor de veris; erant enim scripturæ explanationes. Quod si, vt Wittackero visum est, indoctos iussit scrutari biblia Syriace scripta, necessario admittenda erat traditio, quæ omnibus scripturis intererat; nempe fide diuina certum esse, versionem illam à spiritu profectam esse. Quæ traditio omnium est difficilima, cum de vna tantum lingua iudicare possit indoctus. Quemadmodum nunc vulgus Caluinianorum credere oportet versiones Bibliorum Gallicas, Germanicas, Latinas authenticas esse. Alioqui scrutando nunquam certi esse possunt: nec enim cum linguis primogeniis vernaculum idioma conferre valent. Atque ita velit nolit semper relabitur ad traditiones, sine quibus traditi scriptura non potest.

Scripturas scrutabantur.

Traditiones diuinæ dandæ.

Probatur itaque ex hisce scripturæ auctoritas, non tollitur fides traditionum. Primum præstat Irenæus lib. 4. cap. 23. Et Athanasius lib. 1. contra Arianos. Alterum iam demonstraui ex sententia aduersariorum, scripturæ enim sine traditione tradi tanquam veræ non possunt. Omnem enim scrutationem antecedit fides, de veritate scripturæ.

V. 41. Quæstio I.

Quomodo claritatem ab homine non accipiat?

§. 1. Claritatem vocat δόξαν gloriam, honorem, insigne testimonium cum laude. Tot enim testimoniis auctoritatem suam firmat, non humanæ laudis appetitu, sed animarum sollicitudine, ne perirent. Non enim eget gloria hominum, creator & iudex omnium. Præclare Chrysostomus. εἰ δὲ ἥλιος οὐκ ἂν λάβοι προσθήκην, πολλῷ μᾶλλον ἐγὼ παντὸς ἀνθρωπίνης ἀφέξω δεηθῆναι δόξης. *Si enim à lucerna lucis augmentum sol non accipit, quanto magis ego abstinam ab indigentia gloriæ humanæ?* Calumniabantur Iudæi Christum ambitione testimonia illa colligere, ideo se fastum ferre nolle, nec posse, ideo se illi non adiungere. Ille tacitis cogitationibus impiorum respondet; Humanas laudes se non morari; quamuis etiam vniuersus cætus in sui contemptum fremeret, non tamen maiestatē redemptoris minui posse, quæ à nulla creatura dependeat. Causam veram cur in se non credant illam esse, quod dilectionem Dei in se non habeant: sed odio conditoris sui flagrent. Suis vitiis à Deo retrahantur, & ex suis moribus Christum æstiment. Error igitur ex malitia est, quo dulcia scelerum & licentiam pro veritate amplectuntur. Hinc eos auersantur, qui virtutum certamina in medio ponunt, eos audiunt, qui molesta non inculcant. Hinc Deus surdis loquitur, Satan alacres habet, & facile per prona vitiorum deuoluit. Tales hodie sunt, quos in vna atque vnica fiducia, quam pulsinat Christianæ securitatis appellant, summam salutis collocare pseudoprophetæ docuerunt. Quid mirum eos qui tantam sibi impunitatem spondent, à pertinacia nullis rationibus auelli?

Sol lucernam non auget.

Fiducia.

suelli? & quamuis per varios anfractos in barathrum se præcipitari sentiant, non tamen viam perditionis deserunt.

VERSVS 43.

Ego veni in nomine patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

QVÆSTIO I.

Quis alius quem accipient?

§. 1. *Venire in nomine suo*, est non Dei missu, & vocatione; sed sponte prorumpere, & legationem mentiri: aliæ sunt apud Hilarium l. 19. de Trinit. Athan. l. 2. aliosque interpretationes: hæc aperta est, & facilis. Suo nomine veniet Antichristus; à Deo non missus, Deum se fingens. 2. Thessal. 2. 10. Fuere multi impostores, qui varia fraude Iudæos deceperunt, Ioseph. l. 2. de Ægyptio, c. 12. belli. Circa Adriani imperium Cochab. Euseb. l. 4. c. 6. historiæ. Tempore Valentiniani Iudæus Cretensis. Verùm hic prophetia est de Antichristo, quem Iudæi magno numero sequentur, sicut erga impostores se faciles, erga prophetas duros ostenderunt.

VERSVS 44.

Quomodo vos potestis credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?

QVÆSTIO I.

An non possint credere, qui gloriam ab hominibus aucupantur?

§. 1. Syrus habet: *accipitis gloriam vnus ab vno*, רוח בין הך *chad men chad*. Veritatis inimica est vanitas, & veræ gloriæ, quæ apud Deum est, repugnat vana gloria. Quam inter homines alij homines aucupantur, Pharisæi & sacerdotes, ne famæ iacturam faciant, Christum persequuntur, populus ne è Synagoga ejiceretur principibus adhæret. Eadem hodieque causa subest, ne Ecclesiæ se submittant sectarij, quorum plurimi repulsâ irritati hostiliter ecclesiam inuaserunt.

§. 2. Notandum quod v. 19. huius capitis ex Catholicorum libris obseruat, & probat Beza, *Non posse*, accipi interdum pro nolle. Nolunt igitur credere, qui laudum immensa cupidine incensi de vnius Dei gloria nunquam cogitant. Nec etiam possunt dum prauo gloriæ studio tenentur, vera, viua, & per caritatem operante fide imbui, quandiu vano aucupio honoris intenti sunt. Religio vera laudis oblitum, sui despicientem, ex solo Deo pendentem animum postulat, qui Dei se iudicio probare conetur, vt qui sciat, Deo damnante, mundo laudante exitium effugere se non posse: nec è contrario, damnante mundo, probante Deo salutem amittere. A fide quidem suscipienda cupiditates omnes, atque inordinati animorum motus impediunt. Totidem enim sunt fidei obstacula, quot vitia. Maxime tamen obstat ambitio, cum fides sit humilitatis professio. Auaritia, libido, odia mentem à Deo vehementer auertunt, faciliorem tamen medelam admittunt, arrogantia acrius pugnat, ne cognitione sui peccator, & Dei maiestatis intuitu, de iure suo cedere cogatur. Si auarum ad eleemosynas horteris, moderatius fert tenacitati suæ conuicium fieri, etsi enim non succurrat egentibus, non tamen exasperatur in monitorem. Libidinosi amorum suorum carnificinam ipsi fatentur, tantum abest, vt indignentur increpanti, qui inimicitias gerunt, quamuis pertinaciter iras, & arma teneant, non tamen persequuntur pacis auctorem. Eiusmodi enim hominem fere id, quod sunt, sese esse non inficiantur. Hominem superbum de arrogantia increpitum patienter tolerare monitorem, nulla experientia docet. Prima enim modestiæ dos est, reprehensorem ferre. Superbiæ maximum vitium est, vitium suum non agnoscere: in monitorem, non minus, quam conuitiatorem exasperari. Difficilis est itaque talium conuersio. Accedit etiam veræ religionis indoles & natura, quæ multa præscribit, humanæ sapientiæ aduersa.

QVÆSTIO II.

Quæ sit gloria à solo Deo?

§. 1. Gloriam esse aliquam non ab homine, sed à solo Deo, manifestum est ex Christi verbis. Eam etiam studiosè quærendam, constat ex Christi verbis, qui de eius neglectu Iudæos accusat. at qua in re consistat illa gloria, inter orthodoxos & sectarios disputatur. Caluinus illam gloriam pudore sui definit.

Falsa omnino est interpretatio, nam etsi pudor, & confusio gloriam habeat apud Deum. Non tamen pudor ipse est gloria, sed eius fructus. Nam vera virtus apud Deum precium sui, & laudem habet. Gloria autem quæ est apud Deum alia plane est, omne enim opus quod à gratuita Dei gratia, ac Spiritu sancto procedit, quodque Deus gratuito fauore remuneraturus exspectat, gloriam habet apud Deum. Horum Iudæos operum auidos & diligentes Dominus voluit. Hæc eadem opponit hypocrisi & stultitiæ eorum, qui laudes humanas captant. Nec impedit illa gloria virtutis, quo minus fracti & prostrati ad Dei misericordiam confugiamus, si enim nosmetipsos intueamur causam exitij in nobis habemus, quin in ipsis operibus bonis crebro labimur. *Gloria à Deo quæsit.*

VERSVS 45.

Nolite putare: quia ego accusaturus sim vos apud patrem, est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.

QVÆSTIO I.

Quomodo Moses accusaturus est Iudæos?

§. 1. Mosis accusatio in duplici causa audietur; nam Iudæi datam à Deo legem non seruabant, deinde legendo, interpretandoque sic corrumpebant, vt in ea Christum ad quem lex ducebat, non inuenirent. Non minus scriptura eos accusat, qui eam à vetustis doctoribus, & martyribus, adeoque sacris Conciliis acceptam contra eorum fidem intelligendo corrumpunt. Negat se accusaturum, quod id necesse non sit, cum causam damnationis ex lege & Mose habeant, vt quamuis non apponatur nouus accusator, tamen absolui non possint. *Lex accusat.*

§. 2. Caluinus contra Catholicos ista contorquet, cum in ipsius collegas conueniant.

Respondeo. Neminem adeo vel obstinatum esse, vel ignarum, quin videat, id illos nobis imponere, in

Hæresis Deo rebellat.

quo delinquunt. Quis enim more Gigantum Deo bellum indicit? an ille qui à Deo legem factu impossibilem latam fingit, qui Deum peccati auctorem constituit, qui in omni flagitiorum genere, se Dei amicum profitetur, qui ante pœnitentiam se iustum putat, qui negat se posse damnari? an vero ille, & legem Dei sanctam, & gratiæ adiuuantis auxilio facilem credit?

VERSVS 47.

Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.

QVÆSTIO I.

An si Mosi crederent, etiam Christo crederent?

§. 1. Addita est in latino particula *forsitan*, quæ in Græco non est, sed tamen modus potentialis eundem sensum habet. Πιστεύσατε ἂν ἐμοί. *Crederetis vtique etiam, fortè, & mihi.* Ita vero loquitur, non quod dubitet, sed vt credentium, & non credentium libertatem ostendat, sic enim loqui nostrum interpretem alias docui. Si vero Mosi non credunt cuius scripta à parentibus acceperunt, quomodo crederent Christo, cui etsi omnia adessent, nouitas tamen impediebat, quo minus facile assentirentur?

Quomodo Mosi non crederent.

§. 2. Non est dubium, quin omnes interrogati, se Mosi credere responderent. Nō credere tamen Christus asserit, cum quod multos errores animo contra Mosis doctrinam fouerent, tum vero quod non recte verba Mosis intelligerent, sed in locum verbi Dei, suas opiniones, & somnia substituerent. Denique quod literam tenerent, spiritum non haberent, & in Mosis scriptis Christi præsentiam iam cū omnibus circumstantiis exhibitam, poterant, sed nolebant agnoscere, nec credere. Eo igitur modo scripturas legebant, vt illis non ad Dei cognitionem vterentur, sed contra veritatem armarentur. *Quæ vtilitas est scripturæ*, inquit Cyrillus, *si Christum in ea non agnoscimus & sequimur?* Scripturæ nō lectione, sed intellectione nos eruiunt. Quomodo vero multa à scripturis abhorrentia docuerint, aliàs ostendi.

Hæretici nō credunt scripturis.

§. 3. Pari nos ratione demonstramus, tot nouatorum sectas vti scripturis, nec illis tamen credere. Non modo quod partem earum teneant, partem adulterent, & se mutuo φιλαυτοπιάς earum accusent: sed quod ad suas hæreses illas detorqueant, quod nusquam magis, quam ex ipsorum inter se disceptationibus elucet. Docentque recenter edita Belgij fœderati eristica. Nec de eius certi esse sensu possunt, cum nulla sit regula, qua in eius scrutatione nitantur, omnis enim homo mendax est, & spiritus priuatus multiplex est, vere Hieronymus Galat. c. 1. *Non putemus in verbis scripturæ esse Euangelium, sed in sensu, non superficie, sed medulla, non in sermonum foliis, sed in radicationis.* Nam & diabolus loquitur de scripturis, & vniuersæ hæreses secundum Ezechielem inde sibi consuunt cerucalia, quæ ponant sub cubito vniuersæ ætatis. Et Hilarius ad Constantium: *Memento neminem hæreticorum esse, qui se non secundum scripturas prædicare, ea quibus blasphemat, mentiatur.* Et Augustinus Epistol. 222. eadem.

CAPVT VI.

Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. 2. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. 3. Subiit ergo in montem Iesus: & ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum. 5. Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes: vt manducent hi? 6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. 8. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri. 9. Est puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? 10. Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. 11. Accepit ergo Iesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. 12. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant. 13. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducauerant. 14. Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. 15. Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. 16. Vt autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. 17. Et cum ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ iam factæ erant: & non venerat ad eos Iesus. 18. Mare autem, vento magno flante, exurgebat. 19. Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulantem supra mare, & proximum naui fieri, & timuerunt. 20. Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. 21. Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & statim nauis fuit ad terram, in quam ibant. 22. Altera die, turba, quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi nisi vna, & quia introisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent. 23. aliæ vero superuenerunt naues à Tiberiade iuxta locum vbi manducauerant panem, gratias agente Domino. 24. Cum ergo vidisset turba, quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum quærentes Iesum. 25. Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? 26. Respondit eis Iesus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. 27. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signauit Deus. 28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, vt operemur

vemur opera Dei? 29. Respondit Iesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. 30. dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum vt videamus, & credamus tibi? quid operaris? 31. Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare. 32. Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. 33. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. 34. Dixerunt ergo ad eum: Domine semper da nobis panem hunc. 35. Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam. 36. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non credidistis. 37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. 38. Quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. 39. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. 40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. 41. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, 42. & dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo descendi? 43. Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare in inuicem: 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. 45. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. 46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem. 47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. 48. Ego sum panis vitæ. 49. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. 50. Hic est panis de cœlo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. 51. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. 52. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. 53. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 54. Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. 56. Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus, vere est potus. 57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. 58. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. 59 Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. 60. Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum. 61. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? 62. Scitens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? 63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius? 64. Spiritus est, qui viuificat: caro non prodest quidquam, verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. 65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. 66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum à Patre meo. 67. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant. 68. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? 69. Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. 70. Et nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei. 71. Respondit eis Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus est? 72. Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset vnus ex duodecim.

IN CAPVT SEXTVM
ARGVMENTVM.

MIRACVLIS & doctrina hoc caput illustre est, sectariorum autem maligno studio, & corruptelis totum pene controuersum, ita vt vix sententia vlla malam manum effugerit. Quinque panibus, & duobus piscibus cibat hominum quasi quina millia. Deinde regnum fugit, super mare ambulat, à turbis quæritur & inuenitur, quam hortatur ne cibos perituros, sed vitam æternam quærat; atque in se credat. Sequitur disputatio de manna, pane cœlesti, carne & sanguine, murmur Capharnaitarum, discessus discipulorum, duodecim Apostolorum constantia, Petri confessio.

In Ecclesia Syriaca ad v. 16. legitur, *ad oblationem Dominicæ quartæ post Epiphaniam.*

Inde ad vers. 30. *Feria 3. hebdomadis 5. ieiunij.*

A v. 30. ad 61. *ad oblationem quotidianam*, hoc est enim יומיום *deculiom*, *omnis diei*, quod indicio est de corpore & sanguine Christi totam illam capitis partem accepisse: quod tanquam ad synaxin specialiter pertinentia verba quotidie recitarent, nisi aliæ interdum ratione mysteriorum ponerentur lectiones.

A 61. ad finem, *Matutinis septimanæ passionis.* De panibus Matth. 14. Marcus 6. Lucas 9. Ioannes occasionem narrationis inde accepit, vt disputationem de Eucharistia explicaret. Augustinus lib. 4. cap. 9. de consensu Euangelistarum.

VERSVS 5.

Cum subleuasset ergo oculos Iesus & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi?

QVÆSTIO I.

Cur interrogat Philippum?

§. 1. SIngulare est, quod Ioannes ait Philippum a Domino interrogatum; qui respondit: *ducentorum denariorum panes non sufficere, vt vnusquisque modicum quid accipiat.* Constare nobis non potest, cur Philippum interroget, nam de quouis alio quæri causa posset, cur hunc potius quam illum quæstione pulsare dignetur? *Philippum cur roget?* Coniectura est, ideo factum, quod Philippus Bethsaida oriundus loca finitima accurarius nosset, & opportuna consilia suggerere posse videretur. Verum Euangelista causam reddit, & ait: *Tentans eum.* Syrus expressius: *vt tentaret.* Nempe tentatione non seductionis, sed vt cap. 3. *inuenret illos dignos se. Interrogat non vt ignorata discat, sed vt discipulo adhuc rudi* *Discipulos sibi & alijs manifestat.* *tarditatem propriam ostendat*; vt inquit Alcuinus. Nam illam ipse peruidere nondum poterat. Quinetiam, quod recte Theodoret. admonet, vt aliis ostendat, quam infirma sit fides discipulorum. Sciebat enim ille omnia quæ erat facturus, imo etiam quid Philippus responsurus. Itaque cum ab retinendo populo eum dehortari conarentur, ipse è contrario, quærit illa ex quibus constet, deesse commeatum: vt ad æstimandam miraculi magnitudinem animos præparet.

Versu 1. quidam legunt πλειάδ@ pro πλειάδ@, errore scriptoris, qui tamen ex Syro originem habet, in quo legitur טבריוס *Teberius.*

V. 4. dies festus, Græce ἑορτὴ, *festum*, ita & Syrus.

V. 7. *modicum*, Syrus חך חך בליל בליל *Chad chad calil calil, vnus vnus, parum parum*, seu leue leue.

VERSVS 9.

Est puer vnus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos?

QVÆSTIO I.

Qui panes & pisces?

§. 1. SYrus appellat גרוצן *geritzan*, quod tortam seu placentam significat. Sic Prouerb. 6. vbi tamen per ס, non per ץ legitur, videtur autem esse ab Hebræo גרס *garas*, quod est *frangere, confundere.* Hinc enim farina, & qui ex illa panis. Sic & 1. Reg. 10. Exod. 12. Genes. 18. Syrus pro eo, quod in Græco est, εἰς πάντας, posuit, להלין בלחון *lehalin culhun, ad eos omnes.*

§. 2. Pisces Græcus vocat ὀψάρια ἀπὸ τοῦ ὀπτᾶν, quod est coquere, assare, piscículos minutos fuisse constat; nam & nomen hoc diminutiuum est, alioqui ὀψάριον & ὀψάριον est omne id, quod pani additur, sic Terent. Adelphis, pisces vocat obsonium. Distribuit vero ex piscibus, quantum voluerunt; legendum enim est ἤθελον plurali, non ἤθελεν, *voluit*, quamuis non desint libri, qui sic habent. ὀψάριον.

Versu 10. pro ὡσεὶ quasi in Syro est: במניא *Bemenaia, in numero.* Versu vndecimo varia lectio est. Græci plerique habent, διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις, *distribuit discipulis, discipuli vero discumbentibus.* Noster habet, *distribuit discumbentibus*, ita quoque Syrus, multi codices græci, Cyrillus, & Theophylactus. Græca igitur lectio variat, nostra constans est. Colligi fragmenta iubet, *ne pereant.* μὴ τι ἀπόληται. *Ne quid pereat*, ita & Syrus. Cætera in Matthæo sunt exposita.

§. 2. Indignatur hoc loco Daniel Tossanus, Catholicos verborum suorum efficaciæ transsubstantiationem tribuere: ipse benedictioni primæ, *crescite & multiplicamini*, adscribere mallet.

Respondeo. Verborum non esse eam vim, neque si ab angelis proferrentur; omnipotentiæ Dei illam efficaciam esse, quæ in creaturis operatur secundum propositum voluntatis, & instrumentis vtitur quibus ipsi placitum est. *Ipse dixit, & facta sunt.* Perquam autem ridiculum est, ex prima benedictione, *Crescite & multiplicamini*; panum multiplicationem dicere exortam. Illa namque benedictio rerum naturalium, atq; adeo animalium, & hominum incrementa sanxit, hæc noua panes ratione multiplicauit. Eiusdem tamen potentiæ est, & illa, & hæc mutatio. Qui enim ex nihilo fecit omnia, ex paucis etiam multa facere potuit. Nec hoc modo corpus Christi destruimus: manet enim integerrimum, & natura sua sibi commensuratum, concinnum; loco tamen aliorum nisi corporum non adæquatur, nec tamen in immensum funditur, aut extenditur, vt Flacciani imaginantur. Nec Athanasius veritatem manducationis negat, cum spiritalem asserit. Non enim spiritalitatem veritati, sed Capernaiticæ lanienæ opponit, de cuius sententia c. 51. tractabo. Deus vim conferens instrumentis.

VERSVS 41.

Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.

QVÆSTIO I.

Quis miraculi effectus?

§. 1. DVplex describitur. Nam primo vocant prophetam, non quemuis, sed τὸν ἐρχόμενον venientem, seu qui venturus erat, de Messia enim sermo est. Deinde venire, & rapere eum ac regem facere cogitabant. Prophetam quidem fore Messiam ex Deut. 18. 15. constabat. Quomodo autem venturus erat, si iam aderat? in Græco quidem textu quæstionem non habet loquendi modus, nec in Syro, est enim ראתא *veniens.* At noster ἐρχόμενον interpretatur qui venire debebat, aut loquitur de toto Christi officio, venisse credebant, ideo applaudunt, sed venturum ad perfectum redemptionis opus exspectabant. Augustinus tract. 24. in Ioannem. *Adhuc forte ideo Christum prophetam putabant, quia super fœnum decumbebant. Erat autem ille Dominus prophetarum, imposter prophetarum, sanctificator prophetarum, sed & propheta, nam & Moysi dictum est; Suscitabo eis prophetam similem tui. Similem secundum carnem, non secundum maiestatem.* Quomodo venturus erat?

Quod si quis μιμησιν esse interpretetur, vt more consueto loquantur, eos imitati, qui Messiam venturum dicebant, non repugno.

§. 2. Nunc Iudæorum nonnulli Messiam fore prophetam negant, & locum Mosis, de quouis propheta fuit, inter- Prophetam.

interpretantur. Verum cum toties futura prædixerit, adeo ipsam Ierosolymorum desolationem non potest negari eum spiritum prophetiæ habuisse.

§. 3. Alter effectus est, commotio populi, quo conspirarant, vt venirent, & regem crearent. Nam beneficentia in priuatos minus mouebantur, at pascere in solitudine tam facile populos plane regium arbitrabantur. Quinque nec magni illi panes erant, hominum quinque millia præter mulieres & paruulos, quos duplo numero fuisse credibile est, vt in vniuersum quindecim hominum millia fuerint, an illo facto peccarint inter auctores controuertitur; errasse quidem manifestum est, non enim Messias regiam potestatem mundano more vsurpaturus erat, vt illi, & in hodiernum vsque diem Iudæi opinantur, non enim ad Christi regnum spiritale animos attollunt, sed externarum pomparum, & vmbraticæ potestatis inani specie detinentur, alioqui & Nathanael regem appellat, & qui eum in vrbem cum pompa inducunt regnum eius asserunt. Caluinus in eo multus est, vt populi factum accuset; & generatim concludit, nihil cuiquam suo iudicio, nisi expressa scriptura præeunte agendum. Quod Christus ipsemet refutat, dum in solenni pompa ramorum ornatum, vestium proiectionem, clamorem, & plausum, quorum ille nihil insserat, non approbat modò, verumetiam contra ille Pharisæos defendit. Cum ergo Messiam regem fore
defendatur. scirent, eumque sanctissimum, iustissimum, potentissimum, sui muneris esse iudicabant eum agnoscere, nominare, illique, vt regni speciem præferret, assistere. Ita Beda, & Cyrillus laudabile eorum factum esse censet. Certe rex est Messias, imo Dauidem eum nominare solebant; itaque in l. Sanedrin c. Helec, ait R. Iehuda: Dixit R. futurum est, vt statuat Deus Israeli alterum Dauid, & Magistri seu Rabbanam in Ose. 3. *Iste*, aiunt, *rex Messias*. Sic in Psalmo 17. R. Tanhuma, & in Ierem. 30. R. Ionathan, quemadmodum igitur olim Dauidi adhærebant; ita nunc quoque Messiam honorandum putabant. Neque periculosè faciebant; de potentia enim non dubitabant, magnos ad eum fore concursus non erat ambiguum, non modo Romanorum odio, sed etiam spe orientis Monarchiæ. Regem factum suis militibus annonas & opes daturum existimabant. Quid enim illi obstaret, qui in solitudine factis panibus militem pasceret? vulneratos, ægros, verbo persanaret? occisos resuscitaret? Facile erat tali imperatori totum orbem subijcere, imo ad eum totus orbis sponte accurreret.

§. 4. Christus vero quod regnum eius non esset de hoc mundo, fugit in montem, nouo miraculo, ex oculis mirantium sese subducens. Simul etiam quorundam cupiditatem videtur improbasse, qui illo miraculo non ad virtutem & pietatem, sed ad spes nouas excitabantur, vt pulso veteri magistratu ipsi apud nouum gratia ac potentia pollerent. Iterum itaque secessit πάλιν ἀνεχώρησε quamuis à quibusdam libris abest πάλιν *iterum*.

§. 5. Errant vero qui ex Christi fuga concludunt, nulli Episcopo, aut sacerdoti ciuilem potestatem permitti: & orbem bello permiscent, atque ad Ecclesiasticam iurisdictionem tollendam, suos principes adhortantur. Qua de l. 6. Politicorum satis disputaui. Quemadmodum enim Christus sua paupertate possessiones & patrimonia Ecclesiasticorum non damnauit, ita neque regno repudiando legem tulit, vt ne quis suorum regnaret, quamuis potestati spirituali sæcularem non adiunxit. Atque ita nunc in Britannia res geritur, vt docet Sarauia p. 439. de variis ministrorum gradibus.

Idem Sarauia de imperandi auctoritate, & obedientia Christiana l. 2. c. 40. p. 99.

Impie quidem ille traducit Christianos principes, eorum tamen imperium sartum tectum esse cupit, ne eodem argumento conuelleret dominatum principis, cui tractatu suo adulari decreuerat.

V. 18. Syrus habet, *Mare autem intumescebat aduersus eos, propterea, quod magnus ventus perflabat.*

V. 17. Beza vertit. Cupide exceperunt.

V. 22. Controuersa lectio est. Brugensis hunc in modum ordinat. ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. Legunt hanc periocopem plerique omnes hodie Græci codices, suffragantibus Syricis. Vnus porro Parisiensium octauus omittit, adstipulantibus latinis: cui vult & Nonnus Græcus paraphrastes, dum illius loco addit ἀνέμαλος non nauigans (εἰ μὴ νηὸς μία μοῦνον ἀνέμαλος nisi vna solum nauis non nauigans) in diuersum longe sensum. Porro facile potest pericope illa intelligi ex eo quod sequitur: Et quia non introisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent. Syri eam legunt hoc pacto. Nisi illa, quam conscenderant discipuli: quod autē postremam est versus, sed soli discipuli eius abiissent, quia eis quæ præcedunt satis sit significatum, omittunt, similiter potuerit interpres latinus, hoc ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν, οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, si quidem legerit prætermisisse, quia eis quæ sequuntur satis significentur.

V. 23. *gratias agente.* Syrus בָּרִיךְ דְּבָרַךְ *cad barech, cum benedixisset*; & habet pro *Domino Iesus.*

V. 25. in Syro est רַבִּי *rabban* magister noster. Reliqua apud Matthæum exposita sunt.

Nouum miraculum turba vidit, cum sine nauigio sinum transisse aduertit, ideo admirantur.

VERSVS 26.

Respondit eis Iesus, & dixit: Amen amen dico vobis: quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.

QVÆSTIO I.

Cur Christum turba sequeretur?

§. 1. EXprobrat illis Christus *non ideo sequi, quod signa viderent, sed quia manducassent de panibus, & saturati essent.* At initio Ioannes dixit v. 2. *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbat signa, quæ faciebat.* Quomodo igitur Dominus dicit, eos non sequi, *quia signa vident*, Ioannes dicit eos sequi, *quia signa vident?* Hæc enim sibi repugnare penitus videntur.

Respondendum est. Miraculorum splendore, & multitudine attonitos initio secutos esse, admiratione, curiositate, & quodam pietatis instinctu; deinde cum vidissent miraculum omnibus vtilissimum, quo cibi affatim sine labore suppeditabantur, vt erant animo vili, & ad pastum abiecto, sola commoda spectasse; ventrem enim non miracula iam sequebantur. Valde enim procliuis est animus vt pietatem vertat in occasionem vtilitatis; impium dictum est, sed facto quotidie exprimitur.

Omnia sancta crebro ad vtilitatem accommodantur.

μεγίστη δαιμόνων ἡ γαστήρ.
Maximus Deorum est venter,

eius enim imperium magis, quam omnium numinum iussa auscultant. Tale aliquid in Simone Mago cernimus. Visis ille signis, quæ apostoli faciebant, credidit, & baptizatus est. Cum autem ad impositionem manuum ab illis videret dari Spiritum sanctum; ingentem, si sibi illa potestas conferretur, quæstum se

facturum non vanè arbitratus, oblitus vitæ cœlestis, ad lucra animum adiecit. Vt pecuniæ emeret donum Spiritus sancti, & deinde diuendens multis, opes colligeret. Augustinus Tract. 25. in Ioan. *Quam multi non quærunt Iesum, nisi vt illis faciat bene secundum tempus? alius negotium habet, quærit intercessionem clericorum, alius premitur à potentiore, fugit ad Ecclesiam, alius pro se vult interueniri apud eum, apud quem parum valet. Ille sic, ille sic, impletur quotidie talibus Ecclesia. Vix quæritur Iesus propter Iesum. Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus.*

Nō credunt signis.

Simili vanitate turba Christum sequitur, primo signa spectans, deinde è signis vtilitatem suam secuta, pietatis reliquum in quæstum commutans, at vero, vt his excitati peccata deserant, virtutes sectentur, id longe abest à cordibus eorum, longe igitur à legitimo fine signorum aberant: cuius indicium est, quod reprehensi, cum ipso altercari mox incipiunt. Nec signis tam multis credunt. Verum ista omnia calumniantur, vt ex sequentibus apparebit.

§. 2. Hanc Iudæorum perfidiam, contumaciamque iam olim prædixerat R. Hadarsan, in Psalm. 74. in illa verba. *Signa nostra non vidimus &c.* vbi est רותינו otheinu, hoc est signa, miracula. *Quæsiuit Rabbi Natronai*, inquit, *Quidnam illud est, quod scriptum est; signa nostra non vidimus, non est vltra propheta, neque nobiscum, qui sciat amplius? Cui Rabbi Aha; Hoc dictum est, de generatione scelestorum, qui non credent signis, quæ faciet Messias iustus noster. Sed dicent de illo, quod arte magica, & nominibus impuris perficiat, quodque illa signa, quæ dabit, non sint illa, quæ propheta prædixerunt de Messia. Et quod si ipsa erant latebant eos, & quod non erat propheta inter eos, qui veritatem posset manifestare.* Impios illos vocat ipse פריצים, leui ad Pharisæos mutatione alludens.

VERSVS 27.

Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam quam filius hominis dabit vobis. Hanc enim pater signauit Deus.

QVÆSTIO I.

Quid sit operari cibum, qui non perit?

§. 1. APud Chrysostomum nonnulli sunt, qui ex eo probare nitebantur, non esse laborandum manibus, eorum etiam mentionem facit Bellarminus lib. 2. de Monachis, vtebantur autem ad ignauiæ suæ defensionem hisce verbis. Chrysostom. ita habet. ἀλλ' ἐπιδήπινες τῶν βκλυμῶν ἀργῶς τέφεσθαι δοκέρειν τῳ τάτῳ τῷ λόγῳ, ὡς τὸν ἐργασιαν ἐκκόποντῳ ὃ χρισὸς ἕνκαιρον ἡ σοφὸς αὐτὸς εἰπὼν μακαρίκσι τὸν χρισιανισμὸν, ἡ ὅτι ἀργία κωμωδεῖται σκευάζκσι. *Id est*: Nonnulli autem ignauiæ, & desidiæ dediti, his verbis abutuntur, ac si Christus laborum opera tolleret: quibus necessario respondendum est. Totam enim, vt sic dicam, Christianam calumniantur religionem, vt suam socordiam tueantur.

Manibus laborandum est.

Non iubet ociosos esse Dominus, sed magna cura quærere regnum Dei, & sine anxietate deinde victum honesto labore comparare.

§. 2. ἐργάζεσθαι est opere ac labore conquirere. Corporis illi curam gerebant, & perituro ventri perituram escam vestigabant, salutis auctorem, æterni regni datorem, ventris causa sectabantur. Christus autem dum hesterno die cibum esurientibus dederat, id ideo fecit, vt ab eo salutem peterent, non vt inertes paresceret. Beza dicere maluit: *operamini cibo*, hoc est, *operam impendite cibo*. Recte ille veterem interpretem corrigeret, si in Græco textu esset: ἐργάζεσθε τῇ βρώσει, non τὴν βρῶσιν, nunc ipse Epanorthotes reprehendendus est, qui cum Euangelistam excusset, quod Hebraismo vsus, dixerit: ἐργάζεσθαι βρῶσιν, quia Hebræum verbum cum accusatiuo construitur, sic enim vsurpant verbum עבר *ghabad*, *fecit*, interpretem culpet. Si igitur Euangelista vsus est Hebraismo, cur non exemplo illius eodem veteretur Euangelistæ interpres? Quin vers. 28. ipse Beza, sic vertit, operemur opera Dei? quod ex Græco est, ἐργάζεσθαι ἔργα, *operari opera*. Quam versionem Aretius, Pareus, alij Caluiniani retinent. Certe Græcus Sofiades ἐργάζου κτᾶσθαι dicit; *acquire ea quæ possideri possunt*. *Vetus interpres deprauatus.*

§. 2. Permanere cibus ille dicitur, non quod opera illa perpetua sint, fides enim & spes, cum Deus clare videtur, & possidetur intereunt; manent tamen opera; quia eorum labor mercedem æternum manente compensatur, corporalium ciborum velox, vt & ipsorum corporum est interitus. Cibum itaque & operationem de omni virtutum genere singulatim intelligit, quæ vnicuique conueniunt. Nam animæ refectio vita virtutum est, operibus sanctis illa pascitur, & cum facit voluntatem creatoris, epulatur. *Operum æternitas merces.*

§. 3. *Operamini*, inquit, *cibum, qui non perit*; Duplici argumento liberi arbitrij cum diuina gratia cooperationem demonstrat. Cum enim operari imperat, non truncis aut saxis loqui se ostendit, in quibus nullus sit imperij, vel suasionis sensus; sed illis, qui operari, & cessare possint, quorum in vtramque partem sit libera electio. Deinde verbo operandi nostrum officium totum complectitur, & cum ait: *operari cibum*, satis indicat, nostra opera aliquid ad vitam æternam conferre, non inanes esse conatus nostros. Quemadmodum enim Hebræi cum dicunt עבר ghabad, *fecit*, *operatus est*, addunt vel terram, vel opus, vt Genes. 15. & vers. 15. & 3. 23. & 4. 2 & vers. 11. vel opera vt Numerorum 3. 7. & 8. 12. vel alia. Ierem. 22. 13. vt Daniel. 3. 1. vt est ποιῆσαι εἰκόνα. *facere imaginem*, & 3. 3. σημεῖα *signa*, & 4. 32. θέλημα *voluntatem*, & 5. 1. cœnam, & 7. 21. *bellum*, & in similibus actiue ponitur, ita hic quoque dicuntur עבוד facere cibum, qui maneat: quod non frustra modo, sed etiam falso dicitur, si nihil ad cibum illum facit noster labor à gratia adiutus, si nullus inducitur humanæ locus superest. Chrysostomus efficax huius laboris recte æstimauit: *At cum Iudæi nullam fidei rationem haberent, cum nihil cogitarent, vnde & qua virtute ibus ille veniisset: sed tantum nihil operando satietatem quærerent, merito huiusmodi qui perit cibum appellauit. Pauvos, inquit, vt inde permanentem cibum quæreretis, quo nutriretur animus, vos terreno attenditis. Ideo hunc vobis vilem dare nolo, qui caducam & fluxam vitam, sed qui sempiternam præbeat: qui non corpus, sed animam pascat.* *Liberum arbitrium.* *Labor noster ad finem habet aliquam significationem.*

Et Hieronymus in cap. 1. Isaiæ. *Liberum seruat arbitrium: vt in vtramque partem non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit.* Et lib. 13. in cap. 49. Isaiæ. Hæc autem vniuersa dicuntur, vt liberum hominis arbitrium monstraretur; Dei enim vocare est, & nostrum credere, nec statim, si nos non credimus, impossibilis Deus est: sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, vt iuste voluntas præmium consequatur. Est ergo humana voluntas gratiæ diuinæ, qua præuenitur, & adiuuatur collaboratrix, & hoc ipsum, vt possit, & vt, quod per gratiam potest, id faciat, noua gratia est, multi enim habent, vt possint, nó vt faciant. Quare damnatur merito hæreticorum prauitas, qui nihil agere in negocio salutis volun- *Cur Deus Liberum vt Impetrat arbitrium.*

voluntatem nostram arbitrantur. Caluinus etiam pertexit, dum cibum interpretatur, *qui fidem alat.* Nam Christus etiam fidem appellat opus, quod operamur, non igitur illud opus cibo alitur.

QVÆSTIO II.

Quomodo Deus signauit filium?

§. 1. SIgnatura ad filium, non ad cibum pertinet; nam τροφὴ in Græco est fœmininum, & pronomen τοῦτον masculinum, non ergo ad τροφὴν refertur. Potest signare est σφραγίζειν, quod proprie signandi, obsignandi, claudendi, obturandi significationem habet; Syrum verbum חתם *chatam*, idem designat, & proinde etiam *confirmare.* Signare quidam, clausum reconditumque interpretantur; sed nullo modo Deus filium abscondi voluit sed omnibus ad salutem apparere, & cunctis reddi manifestum. Leontio signare est, mittere, Augustino separare, & quasi impressa virtute ab aliis distinguere, quod cunctis supereminet. Cyrillus à Deitate signatum ait. Maldonatus, signare esse idem quod auctoritatem dare; nam diplomatis auctoritas est à sigillo. Chrysostomus duas interpretationes habet. ἐσφράγισεν, inquit, τουτέστιν, ὅτι τοῦτο ἔπεμψε τοῦτον ὑμῖν κομίζοντα τὴν τροφὴν, *signauit hoc est, ad hoc misit, vt nobis cibum illum ferret.* Deinde *signauit, esse* ἀπόδειξιν ἀναντιῤῥήτως, *ostendit irrefragabiliter,* seu vt contradici non possit, hanc ille interpretationem commendat; quia ἐξεκάλυψε δι' ἑαυτοῦ μαρτυρίας, *suo testimonio illum reuelauit.* Atque hæc interpretatio non modo Maldonati, sed reliquas etiam complectitur pene interpretationes, nam in missione, gratiarum, & incarnationis signaturâ sigillum hoc confirmans omnia expressum est. Nam causam reddit, cur illis cibum illum incorruptibilem daturus sit; quia ad hoc à Patre sit cum plena potestate destinatus, & confirmatus diplomate, quod diuina manu signatum, in omnem æternitatem sit inuiolabile. Quod autem veteres: sua auctoritate sancire constituerant, id sigillo appenso firmabant, & quod admodum carum habebant, tutoque custoditum optabant. Dicitur Rex Tyri signaculum similitudinis חותם (licet diuersa sit lectio.) Nam ingentibus donis diuinam maiestatem quodammodo exprimebat. Ezech 28. v. 12. & Iob. 14. v. 17. Signata dicitur præuaricatio. Ferus quinque modis signatum ait: imagine Dei. Hebr. 1. Nomine Dei. Exod. cap. trigesimo tertio. Spiritu sancto, Psalm. quadragesimo quarto. Magnis miraculis. Iohan. cap. tertio. Testimonio, Matth. cap. tertio.

§. 2. Signatum se dicit, vt causam ostendat, cur cibum illum dare possit. Cyrillus, Alexand. c. 29. *Quem filius hominis dabit vobis*; (*hunc enim Pater signauit Deus.*) *Non ignorauit, sed præuidit vt Deus, quæ crimina Iudæi ex imperitia essent allaturi, qui hominem esse considerantes, nec verbum Dei in eo homine esse intelligentes, dicturi erant: Quis iste, qui diuinam sibi potestatem assumit? Quis enim permanentem ad vitam æternam cibum præbere potest? Nemo profectò mortalis, sed solus Deus, qui omnia & creauit, & gubernat. Anteuenit ergo Saluator, & huiusmodi loquacitatem compescuit, à filio dicens hominis hunc cibum, qui ad vitam nutrit æternam, datum iri: & statim subiecit à Deo Patre seipsum esse signatum. Signari autem pro vngi posuit (signabantur enim qui vngebantur) aut naturaliter ad formam Patris (vt ita dicam) se esse formatum, signationis nomine denotauit: vt dicere videretur. Non est mihi difficile permanentem cibum vobis largiri, quo ad æternæ vitæ inauditas delicias deducemini. Nam etsi homo sum, vt vnus vestrum, vnctus tamen à Deo Patre signatusq; sum ad incommutabilem eius identitatem. Nam & ego in Patre, & Pater in me naturaliter cernimur. Quare quamuis propter vesperineffabilem dispensationis rationẽ homo ex muliere factus sim, eam tamen virtutẽ habeo, qua possim omnia vt Deus efficere, nec vllo modo minor virtus mea, quam Patris est. Vnde si spiritualem cibum ac ad vitam æternam conducentem Pater vobis præstare potest, potest etiam similiter & filius: quamuis carnem assumpserit, imago tamen incõmutabilis eius est: quæ summa identitas, non lineamentis corporis, nec vlla corporali figura, sed substantia gloria, potestateq; regia Deitatis aspicitur. Illud apprime rursus obseruandum, quia cum filius hominis diuinum hũc cibum daturum, & ad imaginem Dei Patris signatum dixerit: nullam separationem patitur, quæ possit templum assumptum ex virgine à vero filio Dei seiungere: sed vnum se intelligi vult, sicuti est. Vnus enim verè Christus est, totum hominem ex anima videlicet, & corpore compositum, sicut regia stragula indutus. Vnus ergo ex duabus naturis Christus.*

§. 3. Obiiciunt apud Cyrillum. Si signauit eum Pater, non est substantia Patris, sed similitudo illius. Sigillum enim similitudinem ceræ imprimit, non transfert in eam substantiam: ita Pater filium signauit, sola impressione similitudinis, non substantiæ communicatione.

Respondet Cyrillus, Sigillum sine charactere non signare: at Scriptura teste, filium esse characterem hypostaseos Patris, quia ipsa, & ex ipsa est naturaliter. Non alio charactere filium à Patre signatum. Deinde Pater non alio charactere signatus est, quam forma deitatis, filius autem est forma Patris, eadem ergo forma deitatis est signatus, quâ & Pater. atque hic sensus est responsionis. Qua ex re apparet, aliter filium à Patre signatum, aliter res creatas à signo recipere similitudinem. Filium autem sine Patris mutatione genitum, eandem habere naturam, creaturas tenue diuinitatis creatricis tenere vestigium.

Eadem forma filius signatus quâ Pater.

Quod vero dicebãt, filii naturam non esse quidem eandem cum Patre sed tamen immutabilem, id refutat: *Quomodo, dic quæso, qui ex Deo secundum naturam non est, proprietatem deitatis naturæ posidebit? Quis negabit, non posse creaturam increatæ naturæ proprietate potiri? Quis non fatebitur nunquam posse quæ naturaliter deitati insunt, eodem modo in alio præter Deum inueniri? Immutabilitas inest Deo naturaliter, sic creaturis inesse non potest: sed quodam studio, vigilantia, cura, per gratiam Dei, quæ facit, ne ad turpia rationales creaturæ labantur, ad immutabilitatem diuinam, quantum suscipere possunt, conformantur. Quòd si vllo modo Deitati quædam proprietas, siue perfectio, alij præter ipsum similiter (vt ipsi dicunt inerit: quid prohibet omnia illa naturæ insita, cæteris quoq; omnibus inesse. Si enim vna immutabilitas sic transire ad aliud cognoscitur, & cætera sic transire, fateri necesse est, & ita nobis omnia confusa erunt, & Deus nihil omnino à creaturis differet, & creaturæ ad naturam Dei conscendent. Nam quoniam omnia bona Deus creaturis, absq; vlla inuidia proposuit, quæ suscipere possunt: non erit dubium quin multi nobis euadent in Deos secundum naturam, terram, cœlum, aliaque huiusmodi ex nihilo creare potentes. Considerate igitur, quæso, quanta vis blasphemiarum ex hac vestra positione scaturiat: Deus ergo suam naturam conseruat, & creatura ad immutabilitatem eius minimè secundum naturam ascendit, sed coniunctione quadam spiritali particeps immutabilitatis efficitur: filius autem qui natura immutabilis est, natura quoq; Deus est, nec essariò igitur ex parte: nulla enim dignitas, nulla perfectio, nulla proprietas Deitatis est, quæ filio naturaliter non insit.*

Nihil immutabile, nisi Deus.

Facilius forte ad omnia illa responderi posset, si diceremus. Signaturam illam in humanitate receptam. Ideoq; similitudinem in eâ duntaxat residere. Sic & Albertus Magnus, & eo refert illud: *Posuit te vt signaculum, quia te elegit*; electio ad humanitatem Christi pertinet, non diuinitatem. Sed tamen etiam de Deitate interpretatur Hilar. l. 8. de Trinit. *Signaculorum ea natura est, vt omnẽ impressa in se speciei explicẽt formã, & nihil minus*

ex eo in se habeant vnde signentur: & dum totum accipiunt quod imprimitur, totum ex se præferunt, quod impressum est. Verùm hoc ad diuinæ natiuitatis non præfixit exemplum: quia in signaculis & materies fit, & diuersitas, & impressio, per quam mollioribus naturis, validorum generum species imprimuntur. Vnigenitus verò Deus, & per Sacramentum salutis nostræ, hominis filius, volens proprietatis nobis paternæ in se significare speciem, signatum se à Deo ait, & hoc ideo, quia vitæ æternæ escam filius hominis esset daturus, vt per hoc potestas in eo dandæ ad æternitatem escæ intelligi possit, quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem significantis se Dei contineret, vt quod signasset Deus, non aliud ex se quàm formam Dei signantis asserret. Hæc quidem Dominus ad Iudæos ob infidelitatem suam dicti huius incapaces, locutus est. Sed nobis Euangelii prædicator proprietatis huius intelligentiam Spiritu Christi per se loquentis insinuat dicens: Qui cum in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed se exinaniuit formam serui accipiens. Quem enim significauerat DEVS, aliud præterquam Dei forma esse non potuit. Et ideo quod signatum in Dei forma est, hoc necesse est totum in se coimaginatum habere quod Dei est. Et idcirco Apostolus eum quem signauit Deus, in Dei forma manentem Deum prædicauit. Nam assumpti & connati in eo corporis Sacramentum locutus ait, Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Quod enim in forma Dei erat, per signantem se Deum Deus manebat.

§. 4. Caluinus ex eo, quod Christus cibum se daturum promittit, merita negare contendit. [Nam quod donatione eius consequimur, nemo propria industria sibi comparat: Est quidem in his verbis, aliqua repugnantiæ species; sed hæc duo facile inter se conueniunt; quod spiritualis animæ cibus sit gratuitum Christi donum, & quod nos toto cordis affectu huic eniti conueniat, vt fiamus tanti boni participes.] Itaque concludit nos operibus vitam æternam non mereri.

Cibum meremur, & donum est.

Respondeo. Operandi verbum cùm accusatiuo iunctum, hunc sensum habere. Illi in cibum corporeum, toti inhiabant, & CHRISTVM eius ministrum existimabant. Christus monet vt operentur cibum; qui non perit, non propria industria comparandum, sed pia voluntate, quæ gratiam DEI in vacuum non accipiat. Cur vero conatum illum requirit, si nulla inest voluntati ad agendum cum gratia adiutrice viuacitas? Nam operari cibum est agere aliquid quo cibum consequantur, opera igitur ad cibum suam habent proportionem, efficaciamque.

At donatur, non ergo meremur. Quasi vero nostra merita non sint Dei dona. Donantur multa gratuito sine vllis meritis bonis, imo etiam cum sunt in homine merita mala, alia donantur, non tamen sine meritis nostris, quæ & ipsa sunt dona.

Non est autem difficile, Dei dona, & merita nostra mutuo inter se conciliare, vt est in Trident. sess. 6. cap. 16. *Iustis propositam esse vitam æternam, tanquam gratiam filijs per Christum Iesum promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis reddendam fideliter.*

Deus autem cum nonnisi pacto gratuito possit fieri alicuius debitor, voluit, & promisso & iuramento fidem obligare. Ita vt quod donat, etiam iustitiæ titulo tribuat, vt Hebr. cap. sexto. Non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri. Augustinus libro quinto. contra Iulian. *Deus ipse, (quod absit) est iniustus si ad eius regnum, non admittitur iustus.* & cap. 2. de natur. & grat. *Non est iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiæ.* Paulin. ad Victric. *Tuarum tibi præmia se debere virtutum iustus Iudex agnoscit.* Vide D. Thom. 2. 2. quæstio. 65. articul. 1. & 4. Quamuis etiam inter homines satis constet, donum quod sola veritate & fidelitate pollicentis nititur. Gratuitum esse, cum vero pactum & conditionem mutuam exigit promissor, ea præstita, debitum efficitur.

Deus si non compensat merita, non est iustus.

Quod si opus requiratur, vt aliquod decens, non vt in eo valor consideretur sufficiens ad fundamentum iustitiæ, nondum erit propria iustitia in eius remuneratione. Manet autem immotum Dei consilium, vt suæ operationi, nostræ cooperationi præmium promissum gratuito, ex sua iustitia persoluat.

Nostra merita dicens, sed non sancta censuerunt.

§. 5. Non potuit sine grauissima calumnia, locum illum præterire Caluinus. [Simul tamen docemur, crimine falsi teneri coram Deo, quicunque laudem hanc aliò, quam ad Christum transferunt: vnde constat Papistas omnibus doctrinæ suæ partibus prorsus esse falsarios. Quotquot enim in Christi locum supponunt salutis media, toties quasi inductis lituris Christi sigillum quod vnum est authenticum, scelerata audacia, & nefanda perfidia corrumpunt, nos vero ne in illum horribilem reatum incidamus, Christo integrum ac illibatum seruare debemus, quicquid illiâ Patre datum est.]

Sigillum frangunt qui hæretici.

Respondeo. Alia salutis remedia extra Christum, nemo Catholicorum supponit: omnia enim à Christo proueniunt. Illi vero sigillum à Deo firmatum nefanda audacia fregerunt, qui media salutis per Christum donata sustulerunt. Christus pœnitentiam postulat, vt peccata condonentur, illi ante omnem pœnitentiam sola fiducia & securitate remitti contendunt.

Imo secure Christum contemnunt, qui soli & vni fiduciæ innituntur. Christus operari iubet cibum qui non perit. Lutherus vero Epistol. de natiuit. ait: [Qui in Christum credit, eum ista fecisse, ille mox in momento obtinet omnia, transierunt que omnia eius peccata, cum morte & inferis, nec ad salutem alia re præter fidem indiget.] Eadem est sententia Caluini.

Sed huic tamen doctrinę Wittebergenses Anti-Lutherani repugnant. in discept. contra Heidelbergenses. Quomodo autem fidem, hoc est, remissionis fiduciam pœnitentiæ præponant, ostendit Caluinus lib. 3. cap. 3. institut.

VERSVS 29.

Respondit Iesus & dixit eis: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.

QVÆSTIO I.

Cur fidem vocet opus?

Fides est opus.

§. 1. VAlde se hoc loco torquent primates sectariorum, ne fides dicatur opus, ne cùm fide iustificamur, opere iustificari dicamur. Nihil porro pro fiduciariis magis aduersum cogitari potest, quam si fidem opus dicamus; nam si credere iustificat, vt ipsorum dicunt aliquando aliqui, opus sane est, quod iustificat. Fidem autem esse opus, seu actum fidei, satis ex Christi sententia constat. Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem ille misit. Iusserat Christus operari cibum qui non perit; illi quærunt quomodo oporteat operari opera Dei. Hoc est opera Deo grata? opera Deo auctore laudanda? Quidam putant finxisse eos operationis ignorantiam. Cyrillus & Chrysostomus ex arrogantia, Toletus bono animo quæsisse, Chrysostomus etiam ad opera se obtusisse existimat, vt Christo gratificati iterũ ab eo saturarẽtur.

Quo-

Quocunque animo illa proponant, plana est Christi responsio, & puto ego aliquos sincerè, alios verò ex malitiis causa sic interrogare. Hoc opus, inquit, Dominus, requiro, vt in Messiam credatis, circumcisio, neomenias, ieiunia, aliaque non exigo, credite in eum, quem Deus misit. Sectarii diuisi sunt variè, vt docui in Coronide Iubilorum pagina 349. vt iam pene ignorent quid sentiendum sit.

§. 2. Lutheranus Brentius Vbiquitatis parens, in hunc locum fidem à Deo accipi perinde ac si totam legem impleſſent, qui credunt. Sic τὸ credere existimat æquiualere pro vniuersa legis impletione, quam cum Dominus sciat nos implere non posse, vnicum hoc opus acceptat, & quasi per omnia satisfactum sit, imputat ad iustitiam; consuli potest Disputatio Ameſii, & Sibrandi de tota illa quæstione.

Verum cum perpetuo Deus inclamet in nouo Testamento, Pœnitentiam agite, Date eleemosynam, quæ vultis vt faciant vobis homines vos facite illis, stultum est, solam fidem tanti æstimare, vt instar implerælegis à Deo acceptari dicatur. Est illa eruda Lutheranorũ Rigidorum Theologia, nam Maior, Wittebergenſes. deinde Caluiniani, Hemmingius Zanchius, Aretius, fidem & opera iungunt: eos damnant Lutherani. *Lutherus*, inquit Schlüſſelburg. cap. de bonis operibus pagina 50. *docet ante omnia bona opera salutem adeſſe oportere.* T. 1. Wittebergenſ. folio 272. *Fides niſi ſit ſine vllis, etiam minimis operibus, non iuſtificat.* Et ad Galat. *Fides ante ſpem & charitatem accipit remiſſionem peccatorum.*

Hoc repugnat inſtituto Christi, qui paulò ante obiecerat Iudæis, eos charitatem non habere: eos gloriam ab inuicem quærere ideo credere non posse. Alioqui si fides sola, ante opera sufficit, nihil impedit eos omnia flagitia committere & credere.

§. 3. Credere non est, hoc loco fiduciam habere, omnia peccata ante pœnitentiam, ante vllum operis bonum esse remissa, vt interpretantur Caluiniani. Non enim eam Christus fidem docu rat populos, sed setio dixerat: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Et sane articulum adeo nouum diserte proponi oportuit, si credere illos voluit.

§. 4. Caluinus impie verba CHRISTI detorquet. »[Locuti, *inquit*, erant de operibus, Christus ad vnum »opus eos reuocat, hoc est, fidem, quo significat quic»quid extra fidem homines moliuntur, mutilum ac va»num esse, solam vero fidem sufficere. Quia hoc vnum »à nobis Deus postulat vt credamus.]

Miscet deinde vera falsis. Verum est sine fide hominem non placere Deo. Falsum est, sola fide iustificari nos. Quia tamen fidem etiam continere charitatem & opera adiungit posse videri, illis aliquid tribuere. Verum nihil omnino illis largitur; nam omnia post iustificationem venire existimat.

Et Beza simili modo, nam solam fidem extollit, vt cætera negligat.

Simili modo Rudolphus Gualterus, Lorsius, Aretius, Muſculus, Bullingerus, alii hunc in locum.

Respondeo. Ista nullo negocio refutari. Non enim opera excludit, cum fidem postulat, vti nec fidem reiicit, cum præcipit opera. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

Deprauat igitur Caluinus doctrinam Christi, cum ex eo quod fidem requirit, & sine fide non placere opera demonstrat, colligit solam fidem non opera exigi, iungenda illa sunt. Nam & fides sine operibus mortua est, & opera sine fide infructuosa. Quod vero proprie fidem opus dici negent, nulla illis præter anteoccupatum iudicium causa est. Nam fides opus est potentiæ intellectricis, & vt illi putant, fiducia quæ in voluntate sedem habeat, quæ cum negare non possint, non est causa, cur sperare, amare, velle bene viuere, dicant esse opera: credere negent esse opus. Ita nec Christus nec Paulus impropriè loquuntur cum opus vocant.

Quod ait, hominem operibus non iustificari, id verissimum est, si de prima iustificatione agatur, nullum enim opus est iniusti, quod eum iustum efficere possit, quamuis quædam opera iustorum eos faciant iustiores.

§. 5. At cur fidem exigens, de operibus tacet?

Respondeo. Christum & fidem & opera pari decreto illis imponere; *Operamini cibum, qui non perit, tũ initium.* nolite de escis solliciti esse, &c. Nunc verò id agere, vt salutis initium habeant, sine quo cætera sunt irrita, quia sine fide impossibile est placere Deo, offerebant illi se aut verè, aut fictè ad opera Dei, quæ præciperet, ille hoc ante omnia necessarium esse ait, vt credant in redemptorem. Eo enim posito fundamento, facile reliquam structuram superimponi posse videbat. Nam omnium bonorum operum fundamentum est. *Fides ſalua.*

Itaque credere est opus, & opus magnum, opus sanctum, nec contra omne opus distinguitur, sed contra opera legis, opera virium naturalium, quæ à iustificatione, & salute Paulus excludit. Caluinus etiam manifeste profitetur, non excludi charitatem. Itaque de sola fide cadit inconsulta assertio.

§. 6. Ad Bezam quod attinet, qui opus negat esse fidem; eum satis posteri refutarunt, videatur disputatio inter Lubbertum Sibrandum, & P. Bertium anno 1612. Delphis edita. Tantum verò abest, vt Lubbertus neget τὸ *credere* esse opus, vt neget propriè à Paulo accipi, sed fingit Metonymiam, vt fides sit iustitia CHRISTI, quæ imputatur, quasi in confesso sit, credere esse opus. Itaque Bertius totus in eo est, vt probet, τὸ credere à Paulo propriè accipi.

Qua de consulat lector longissimam ea de re disputationem, præsertim à pagina centesima trigesima secunda.

Similitudo porro de medico ἀσθενοδύνου est. Si æger à medico postulet, quantum precii velit, vt medeatur, medicus vero dicat: Id solum se petere, vt sibi fidat. Sat s constat, fiduciam, quam postulat, pecuniam non esse. At cum Iudæi quærerent; *quid faciemus, vt operemur opera Dei*; Christus respondet, *Hoc facietis, vt credatis in me*, hoc est opus Dei. Nam credere est aliquid facere. Ersi infidelis quærat, quid faciam, vt saluus sim, respondemus. *Crede.* Nobis autem & veritati similitudo seruiet, etiam ex hostium nostrorum sententia. Si eam recte consideremus. Si æger ex medico quærat, Quid faciendo sanitatem recuperare possit? ille vero respondeat. Hoc opus esse, quod exigat, vt sibi confidat. Non indicat eo responso. Sola in medicum fiducia sanitatem recuperari posse: & si id diceret, omnem sibi fidem detraheret. Nam & Deus orandus est, & diæta seruanda, & catapotia exhaurienda, etiam incisiones & vstulationes aliquando tolerandæ. Cur igitur vnicum opus ille postulat? Quia absque eo aliorum nihil rite fieri potest, sanari non potest, nisi qui se medico curandum ex arte commiserit.

Pari ratione CHRISTVS credi sibi vult, vt credentes iam & discipulos instruat. Fruſtra enim non credentibus concionaretur. Ita hæc interpretatur Auguſt. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. septimo. *Sed forsitan dicunt: Ab operibus fidem diſtin-*

distinguit Apostolus: gratiam verò non ex operibus esse dicit: non autem dicit quod non sit ex fide. Ita verò est: sed ipsam quoque fidem opus Dei dicit esse Iesus, & hanc vt operemur iubet. Dixerunt enim ad eum Iudei, Quid faciemus vt operemur opera Dei? Respondit Iesus & dixit eis: Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille. Sic ergo distinguit Apostolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorum distinguitur Iudas ab Israel, cum & ipse Iudas sit Israel. Ex fide autem ideo dicit iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iustè viuitur. Nam dicit etiam ipse, Gratia salui estis facti per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: id est, & quod dixi per fidem non ex vobis, sed Dei donum est. Et iam fides non ex operibus, inquit, ne forte quis extollatur: Solet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sant eleemosynæ, & exaudita orationes antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo inuocabat in quem non crediderat? sed si posset sine fide Christi esse salutis, non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apostolus Petrus: quamuis nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam. Et dicitur à vobis, fides est à nobis, cætera in Domino ad opera iustitiæ pertinentia: quasi ad ædificium non pertineat fides: quasi ad ædificium inquam, non pertineat fundamentum. Quòd si inprimis & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando ædificans fidem, nisi eam Dominus miserando intus ædificet. Quidquid igitur & antequam in Christum crederet, & cum crederet, & cum credidisset, benè operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur.

Fides fundamentum.

Eodem modo Theophylactus. Τὸ πιστεύειν εἰς ὃν ἐκεῖνος ἀπέστειλεν. ἡ γὰρ εἰς αὐτὸν πίστις, ἔργον ὄντως ἐστὶν τε, καὶ τέλειον, καὶ ἀγάλλεσθαι οὐ τοῦτο ἔκοντας, ὁδηγὸς γὰρ ἡμᾶς ἡ ἀκριβὴς πίστις πρὸς πᾶσαν ἀγαθὴν ἐργασίαν, καὶ ἡ ἀγαθὴ ἐργασία, σωτηρίαν τὴν πίστιν. τότε γὰρ ἔργα ἄτερ πίστεως νεκρά, ἡ πίστις χωρὶς ἔργων, id est: Hoc est opus Dei, credere in eum, quem misit ille. nam fides in ipsum, reuera opus est, sacrum, & perfectum, & sanctificans eam habentes. Nam fides dux est ad omne opus bonum acurata, & bona opera seruant fidem. nam opera sine fide mortua, & fides sine operibus.

Nec sententiam istorum Pareus infringit, sed consolidat, cum ait fidem esse opus, ab operibus tamen non seipsam excludere lib. 1. cap. 16. de iustificatione. Si enim seipsa non excludit, quia non est opus legis, sed opus Euangelii: ergo aliquod opus Euangelii tolerat, & includit. At vero etiam charitas est opus Euangelii, includi igitur & illa debet. Nam opera quæ sine fide & gratia fiunt excluduntur.

Augustinus tractat. vigesimo secundo in Ioannem. *Hoc est ergo manducare cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes & ventrem? Crede & manducasti. Discernitur quidem ab operibus fides: sicut Apostolus dicit iustificari hominem per fidem sine operibus legis, & sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi, & non sunt bona, quia non referuntur ad eum finem, ex quo sunt bona. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Ideo noluit discernere ab opere fidem, sed ipsam fidem dixit esse opus Dei. Ipsa est enim quæ per dilectionem operatur. Nec dixit, hoc est opus vestrum: sed, hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille, vt qui gloriatur, in Domino glorietur.*

VERSVS 30. 31.

Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum vt videamus & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est, panem de cœlo dedit eis manducare.

QVÆSTIO I.

Cur signum quærunt?

§. 1. IMpudentissima postulatio est; Propter signa sequebantur, & amissum quærebant; propter pridianam ex miraculo satietatem; nunc proterue insultant, & quærunt, quodnam signum faciat, vt se missum ostendat? Mosen dedisse manna in deserto, panem de cœlo, non semel iterumue, sed annos quadraginta, tu si ille Propheta es, de quo ille locutus est, Deuteron. 18. vers. 15. eadem præstes oportet. Eo igitur relabuntur, vt ocioſi pascantur, alioqui non credituri. Ventris enim causa sequebantur, nullo rerum spiritalium desiderio.

Ventrem facit Deum sequitur.

Beza vertere maluit *panem cœlestem* quod Psalm 77. v. 24. sit לחם שמים *dagan schamaim*, frumentum cœlorum. Verum hic expresse dicitur ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ex cœlo, non sidereo, sed aereo. Ecce quam mutabile vulgus, sequebatur, Regem creare cogitabat, vbi à vitiis auocare incipit, quasi ignotum aspernantur. Syrus eâdem phrasi vtitur ונהרמין בנ *vanhaimen bach, & ardimus in te.*

Magno enim miraculo opus dicebant, vt eum sequerentur. Moses sexcenta millia virorum præter fœminas, pueros, aduenas pauit, nihil Christus simile fecisse videbatur. Hinc obiiciunt: *Patres comedisse, manna*, Syrus vocat מנא *manneno*; se patribus Christum Mosi comparant, oportere eum sibi præstare, quod Moses patribus, si quidem fidem mereri velit. Ita parati videntur si modo commodi spes sit eum maximi facturi, absque eo non agnituri pro Messia. Quin etiam pro reprehensione, qua χαριμαῆλον taxauerat, callidè Patrum exempla reponunt, non se noua inusitata petere, verum similia illis quæ patribus Deus ostendit. Legationem igitur Christi, & maiestatem sola vtilitate metiuntur. Sic ille qui agros restituerat Virgilio, Deus factus est.

Namq; erit ille mihi semper Deus; illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Commodis suis vetustas Herculem alioſq; terrarum Dominos euexit in Deos, imo & ipsa scorta, inde Flora & indigna Quiritibus Floralia.

VERSVS 32.

Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen, dico vobis. Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.

QVÆSTIO I.

Quomodo Mosis panis, & Christi differant?

§. 1. NEgant Mosen dedisse de cœlo panem verum. Sed Patrem suum ait dedisse de cœlo panem verum. Manna propriè de cœlo non erat, sed ex aere. Sed nec manna propriè panis, nec Christus. Veritas igitur non rerum species, sed vim & effectum discriminat. Panis Mosaicus vero, & magno miraculo dabatur, sed tamen figura erat eius, quem CHRISTVS dedit, panis. Ἀλλ' ὅτι τοῦτο τοῦ οὐρανοῦ ἄρτος ἀληθὲς ἦν, *sed quia typus erat*, inquit Chrysostomus, non ipsa

ipsa veritas. Propriè enim designabat cibum, quem Dominus Messias daturus erat. κυρίως, inquit Theophylactus, ὁ μάννα ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ, ἄνθρωπος γενόμενος. Principaliter manna vnigenitus Dei filius, homo factus.

Panis Mosaicus corpora seruabat, panis de cœlo verus, pastus est animarum. Bona temporaria, fluxa, quæque sollicitum exercent possessorem suum, æternis comparata, vera non censentur bona, sed vmbræ, spinæ, ipsa vita nostra σκιᾶς ὄναρ. vmbræ somniũ: Christi ergo panis est לחמא דקושטא *lachmo dekuschetha*, panis verus, iustus. Verbum enim Syrum significat id quod in quauis re probatum, iustum, integrum est. At quemadmodum manna reiecerunt, cum murmuratione Israelitæ, ita hic quoque grauis oritur de pane spiritali controuersia. Vere Sedulius Hymn. 1.

Murmurat impietas mannâ veniente refecta.
Panis adest Christus murmurat impietas.

§. 2. Virtutem panis, quem daturus est Christus, summam pollicetur, vt *det vitam mundo*; mortuus igitur mundus erat, etiam tum, cum florentissimus videretur.

Non accipitur pro solis electis, vt Bucerus, aliique imaginantur, sed pro omnibus Iudæis, & Gentibus.

Quantum quidem in ipso est; nam si quis vti nolit, aut abuti ausus fuerit, non panis, sed sibi interitum imputare merito debebit. vt recte Chrysostomus, & Cyrillus interpretati sunt.

§. 3. Caluinus libro 4. instit. cap. 14. §. 25. & Petrus Martyr, aliique ex hoc loco conuincuntur, dum Sacramentis nouæ legis vetera adæquant, imo manna & panem quem CHRISTVS dedit. Caluinus certè cum dicit, manna fuisse spiritalem cibum, panem huic pani, sed à Christo non habitum pro tali, fingit eum se crassæ Iudæorum opinioni accommodasse, qui in illo nil præter cibum ventris agnouerint. Sed CHRISTVS reuera non de eorum errore, sed rei, vt in se erat, constitutione loquitur. Si enim Iudæi hac in re errabant, cur firmat errorem, cum negat verum fuisse panem de cœlo? non dare vitam mundo? eos qui comederint mortuos esse? huncve ro panem esse talem, vt qui eum comederit, victurus sit? Improbe est sanè triconis, non agnoscere à Christo positum inter vtrumque panem apertissimè discrimen. Quin Iudæi ipsi intelligebant, hunc præferri panem, cum siue serio, siue ioco peterent eum sibi dari semper. Imo se ipse hunc esse panem profitetur. Se de cœlo descendisse, nempe diuinitate ad vnionem hypostaticam humanam naturam assumente. Quin huic pani etiam vim restinguendæ sitis attribuit, *Qui in me credit non sitiet vnquam.* Credere hoc loco non est, fiduciam remissionis peccatorum ante pœnitentiam factæ concipere. Nec enim de illa instructi sunt Iudæi, nec ad rem pertinebat. Quin satis hoc agnouit Bucerus cum credere definit. *Sepenitus ei credere, cui credit.* Et addit: Sic & populus Mosi credebat. At non credebat ille populus per Mosem se omni pœna scelerum fore immunem.

§. 4. Nouatianus adhuc in Ecclesia Catholica, hoc ex loco probabat Christi diuinitatem. *Si homo*, inquit, *tantummodo, quomodo ipse dicit; Et omnis qui videt & credit in me, non morietur in æternum? Sed enim qui in hominem solitarium credit & nudum, maledictus dicitur: Hic autem qui credit in Christum, non maledictus, sed in æternum non moriturus refertur. Ex quo si aut homo est tantùm, vt hæretici volunt, quomodo quisquis in eum credit, non morietur in æternum, cum maledictus esse teneatur qui confidit in homine? aut si non maledictus, sed potius ad æternæ vitæ consecutionem, vt legitur, destinatus, non homo tantummodo CHRISTVS, sed & Deus, in quem qui credit, & maledictionis periculum deponit, & ad fructum iustitiæ accedit.*

Vt vero se metaphoricè locutum esse de cibo mentis significet, adiecit se panem illum esse, vnde mundo speranda sit vita. Seq; esse liberatorem multo meliore titulo quam Moses, & Prophetæ fuerint. Quod contra nouos Samosatenianos, Ostorodium, Socinum, & alios obseruandum est.

VERSVS 36.

Sed dixi vobis qui & vidistis me, & non creditis, Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, & eum qui venit ad me, non ejciam foras.

QVÆSTIO I.

Quomodo viderunt, & non crediderint?

§. 1. OBscurum est, quod ait. *Sed dixi vobis, qui & vidistis me, & non creditis.* Facile quidam interpretantur. Dixi me panem esse, tropicè locutus sum. Ratio est; quia & clarè me vidistis, & audientes credere vos oportuit, non tamen creditis. Itaque figuris vobiscum, & ænigmatibus vtor. Alii: Dixi vobis: operamini cibum, vel, Moses non dedit vobis panem de cœlo verum. Vel ego sum panis. Alii. *Quia*, ὅτι positum, pro κἂν, quamuis, vt sententia sit: dixi, & legatione functus sum, quamuis vos mihi non creditis. Expositio facilima videtur; sed mihi non probatur, quoniam à verbis abit. Nec enim, *quia*, nec ὅτι, hoc loco pro quamuis ponitur.

Deinde Syrus primam coniunctionem non legit, *vidistis me*, habet, *& non creditis.* ὅτι ipse exponit per particulam ה. hoc modo דחזיתוני *dachzithuni*, quod vidistis me, particulam illam in versione Fabricius omisit, cum tamen in Latino & Græco habeatur, atque adeo Syriaco.

§. 2. Mihi Chrysostomi, & Euthymii sententia probatur.

Hoc ipsum dixisse illis Christum, quod & viderint, & non credant. *Viderunt, & non crediderunt.*

Obiiciunt: Nusquam legi hanc exprobrationem Iudæis oblatam, quod viderint, & non credant.

Respondeo. Iam sæpius & apud Ioannem & alios Euangelistas incredulitatem, & perfidiam illis obiectam. Obseruandum vero est, quæ hoc capite habentur, acta esse anno tertio prædicationis Christi; multæ itaque reprehensiones iam antecesserant. Exemplum est capite quinto, vers. trigesimo octauo. *Et verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem ille misit, huic vos non creditis*, & reliquo toto capite. Sic Lucæ capite 4. vers. 24. huc multæ similitudines, aliaque pertinent.

Porro non est intelligendum de oculorum aspectu, sed ea notitia, quam ex illius sermone, miraculis, atque adeo ex scripturis colligere poterant, & debebant.

Sufficientissima enim indicia præbuit. Hinc orta illa cœcitas in Israel. Prædicta Deuteron. cap. trigesimo secundo. Sic R. Iudas. *Quid promeruit Israel, vt infatuati & corde incrassati essent? Quia non sapuerunt verba legis.* *Iudæorum stupor*

Et R.

Et R. Ramo. in illud: *Dilatauit infernus os suum.* Et R. Haggai l. Shkalim. *Non esse suis os ad capiendum cibum Scripturæ,* & R. Abba. *Si antiqui fuerunt filij hominum, nos sumus asini.* Subiecit R. Men. *ne quidem comparandos* asinæ R. Pinhas, filii Hair, & R. Zera, non esse quidem tales asinos, qualis est asinus R. Hanina, vel asinus R. Menahem. Et ita profecto est. Cognouerunt, & reiecerunt, eoque vecordiæ peruenerunt, vt fabulis credant, quales ne inuenit quidem vlla gentilitas. Hæc pœna est eorum, qui viderunt, & non crediderunt.

QVÆSTIO II.

An omne quod dat illi Pater ad eum veniat?

§. 1. DIfficilis sententia interpretum hæreticorum variis corruptelis, vt etiam sequentes. Statuendum porro est: omne quod dat Pater filio, venire ad ipsum, credere in ipsum, sperare, amare. voluntate enim venitur, non gressu. Cum vero etiam causam reddat, cur Iudæi non veniant, quod à Patre dati non sint, constat etiam neminem venire nisi detur à Patre, vt vers. 44. dicit, *neminem posse venire nisi trahatur à Patre.* Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, Theophylactus in hunc locum, vt ostendant, excusatos non esse eos, qui non veniunt, sed in culpa hærere, probant eos sua voluntate meritos vt non detur; & venire in eorum esse arbitrio.

Liberum esse venire.

Multi eos auctores accusant, quasi minus considerate locutos. Verùm intelligi verò sensu possunt; Verba Chrysostomi sunt. hom. 44. Ὁ δὲ αἰνίττεται ἐν τούτῳ, μονονεχὶ τοῦτο ἔστιν ὃ τὸ τυχὸν πρᾶγμα ἡ πίστις ἡ εἰς ἐμέ. ἀλλὰ τὸ ἄνωθεν δοθῆναι φησίν. τοῦτο δὲ ὅλως κατασκευάζει ἅπαν λογισμὸν, ὅτι ψυχῆς γνώμης τινὸς [ὄντως] καὶ [τοῦ] ἄνωθεν καὶ θεοῦ ἐφεληπτούσης, *id est:* Quod significat non paruam rem esse fidem, sed supremo indigere auxilio: quod per totum Euangelium generosæ cuiusdam animæ, & inspirationis diuinæ esse contendit. addit vero: Sed dicet fortasse quispiam. Si omne quod dat Pater venit ad me, & quoscunque traxerit: & nemo potest venire ad me nisi datum sit ei desuper: quibus Pater non dat, hi nullo crimine tenentur. Verba hæc inania & friuola: opus est enim voluntate nostra. Docenti enim credere voluntatis est: hic autem nihil aliud ostendit his verbis: Quod dat mihi Pater, quam non paruum quiddam esse credere, atque humanam cogitationem suprema indigere reuelatione, & anima quæ eam fideliter accipiat. Ita Chrysostomus hoc loco, & alibi similia.

Chrysostomus defensus.

His in verbis nullus est Semipelagianismus, non enim dicit. Suis se viribus voluntatem præparare, aut velle credere, ante, quam Deus vocet, sed tantum liberum arbitrium requirere, non tamen dare propter liberum arbitrium. Δεόμεθα γὰρ τῆς οἰκόθεν προαιρέσεως. *Indigemus quæ à nobis procedat electione.* non dicit illam προαίρεσιν esse ἄνευ τῆς χάριτος: *sine gratiâ.* Et sic ille se exponit, vers. 44. ὁ καὶ αὐτὸ τὸ ἐφ' ἡμῶν οὐκ ἀναιρεῖ, ἀλλὰ μᾶλλον ἐμφαίνει, ἡμᾶς βοηθείας δεομένους. ὅπι δείκνυσι ἐν τούτῳ, ὃ τὸν τυχόντα ἐρχόμενον, ἀλλὰ τὸν πολλῆς δεόμενον συμμαχίας, *id est:* Et hoc ipsum, nõ tollit liberum arbitrium, sed potius ostendit auxilio nos egere. Hic enim ostendit, non quemlibet esse venientem, sed eum, qui magno auxilio fruatur, quod ipse συμμαχίαν commilitium, eleganter vocat, Deus enim nobiscum bella conficit. Eodem modo cæteri intelligendi sunt. Videtur Theophylactus loqui duriusculè: sed tamen facilè ille etiam defenditur. Δεικνύων ὅτι, ὅτι καὶ ἡ πίστις ἡ εἰς αὐτὸν ὃ τὸ τυχὸν ἐστι πρᾶγμα, ἀλλὰ δῶρον θεοῦ τοῖς ἀξίοις καὶ δικαίοις τῇ καρδίᾳ παρὰ τοῦ πατρὸς διδόμενον, φησὶν, ὅπι πᾶν ὃ δίδωσί μοι ὁ πατὴρ, πρὸς ἐμὲ ἥξει, τουτέστιν, ἐκεῖνοι πιστεύσουσιν εἰς ἐμὲ, οὓς δίδωσί μοι ὁ πατὴρ. ὑμεῖς δὲ οἱ Ἰουδαῖοι οὐκ ἀνάξιοι ὄντες, ὃ δίδοσθαί μοι παρὰ τοῦ πατρὸς, διὰ τοῦτο ἔρχεσθε πρός με. ὃ δὲ ἔχετε δικαίαν τὴν καρδίαν, ἵνα ὑμᾶς ἀγαπήσας ὁ θεὸς ἡ πατὴρ, ἀγάγῃ εἰς τὸν ἐμὸν υἱὸν, *id est:* Ostendens fidem in ipsum non vulgarem rem esse. Sed donum Dei dignis, & rectis corde à Patre suo datum, ait, quod omne quod dat mihi Pater ad me venier. hoc est, illi credent in me, quod dedit mihi Pater. vos verò ô Iudæi, tanquam indigni, non estis à Patre mihi donati, ideo neque ad me venitis, neque enim rectum cor habetis, vt amans vos Deus Pater, ad fidem in me adducat.

Verum est, Iudæos ob improbitatem reiectos à Deo. Alii qui adducti sunt, rectam voluntatem veniendi habuerunt, non à se, sed à vocante; vocationis enim efficacis est dare veniendi voluntatem. Dignos vocauit, sed omnes erant indigni, ipse vocando dignos fecit. Nec enim dicit Theophylactus ἀξίους fuisse τῇ μόνῃ προαιρέσει, sua sola voluntate fuisse dignos. Non igitur hoc illi imponendum. Dantur igitur filio à patre, qui efficaci gratia conuertuntur, quorum voluntates ipse Pater monendo, castigando, benefaciendo, arcanâ Spiritus sui efficientiâ illuminando, & mouendo disponit, vt velint infallibili euentu, sed libero tamen conatu, & cooperatione: quos eo modo non dat filio, ob peccata sua iusto, sed seuero iudicio deserit. Gratiam tamen illis sufficientem donat, qua possent, si vellent venire. Sic enim velle non possent, à peccato excusari possent. Nam qui omittit, quod facere non potest extra culpam est.

Car Iudæi reiecti.

Theophylactus dissidens.

Hanc Chrysostomi mentem esse testatur ipse Augustinus gratiæ diuinæ præcipuus in Ecclesia prædicator: nam nondum litigantibus hæreticis, non prauè, sed non ad formularum cantiones loquebatur. Sic homil. 22. de irâ. Homilia 41. de sancta Pelagia. Homil. 60. Catechesi ad illuminandos, quibus locis ad salutem adultorum gratiam cum cooperatione coniungit.

§. 2. Pareus illos qui ad gloriam electos ex præuisis meritis, vel cooperatione gratiæ censent, Pelagianos appellat. Quin etiam eiusdem criminis reum agit B. Ilarmiuum, quod etiam illis qui dati non sunt Filio à Patre, gratiam sufficientem dari dicat. libro secundo, capite duodecimo, de gratia & libero arbitrio.

Bellarmino & Catholicis fingit.

Verùm nec Augustinus, nec alius quisquam hoc in Pelagianis, vel Semipelagianis damnauit, quod dicerentur multi non conuerti, qui gratiam acceperunt, vt possent. Non enim Pelagius in eo peccabat quod vel absolute, vel in CHRISTO, vel præuisa fide electionem fieri diceret, sed quod aliquod principium ex nobis, & in nobis diceret esse, à quo salus inchoaretur. Sancti Patres totum à Deo esse clamant, & ipsam cooperationem de gratia esse, & ante gratiam nullam operationem, quæ vel salutem efficiat, vel causa sit, cur Deus gratiam salutarem infundat.

Tantum verò abest, vt Semipelagianam illam sententiam putent posteri Caluinistarum, vt etiam doctiores eorum in Belgio defendant, electionem ex fide prouisa esse. At si cooperatur; cooperatio eum discerneret, atque ita gloriari posset. Discernit me mea cooperatio.

Electionem ex fide præuisa quidam tradant.

Respondeo. Discerni quidem eum qui venit, ab eo qui non venit, idque necessario: quemadmodum ambulantem, à non ambulante discernit gressus. & conuersum, à non conuerso, mutatio voluntatis, atque voluntas in conuerso bona, in altero mala.

Non

non tamen discernit eos aliquid quod suis viribus tribuere, & de quo gloriari possint. Non enim cooperaretur nisi à Deo accepisset, non modo vt cooperari posset, sed etiam reipsa cooperaretur, quod ideo factum, quia Deus eo modo, tempore, mensurâ, proportione dedit gratiam, quâ congruam & efficacem fore videbat, ab hac igitur gratiâ se discerni humilime fatetur, & de cooperatione se non iactat, sed totam gratiæ tribuit, quamuis sit liberæ voluntatis consensus.

§. 3. Caluini grauior est error tolli hinc merita, & opera; quia donamur à patre.

Respondeo. Cum causa rei alicuius vna profertur, non tolli causas cæteras. Si enim finem ædium dicam habitationem, ideo non inficior, materiam, architectum, operas. Nam Deus filio dedit, & donationis causa est misericordissima largitas creatoris, nec dedit tamen sine meritis redemptoris, *In Christo enim nos elegit.* Ephes. 1. & 2. 2. Thimoth. 1. Vide & Augustinum tract. 106. in Ioan. Chrysost. hom. 80. in Ioan. *Nec sine pœnitentiâ*, & conuersione dedit, quâ Dei liberalitas, & filij merita donatis applicentur.

QVÆSTIO III.

Quomodo non eiciat foras?

§. 1. NEminem ad vitam æternam admissum eijci aliquando apud omnes in confesso est. Nam beatus, securus est, & de suâ beatitudine certissimus. Tertullianus de resurrectione cap. 35. neminem ex illis perdi, qui donati sunt. *Quorum denig, capillos omnes capitis numeratos affirmans, saluos vtiq, repromittit, perituros enim qua ratio in numerum redegisset? nisi quia hoc est, vt omne quod pater mihi dedit, non perdam ex eo quicquam: id est, nec capillum, sicut nec oculum, nec dentem.* De electis itaque sermonem esse existimat.

Hoc ergo indicat inseparabilem esse voluntatis suæ cum patre consensum, vt quemadmodum pater dederit, illum ipse amantissime excipiat, & tueatur, donec in vitam æternam deducat. Itaque electio ipsa certa est.

§. 2. Quod vero inde conficere Caluinus molitur. Vnumquemque de salute suâ certum esse, id nequaquam sequitur. Nisi cui id pater reuelauit, datum à se eum filio. Vera sententia est scripturæ: *Omne quod datum est à patre filio, venit ad filium, & nemo qui venit, eijcietur foras.* At nemo sine reuelatione scire potest, se datum, se venisse: ac proinde Paulus timere iubet, vt videant qui insiti sunt, ne excidant, cum ramos naturales excisos videant.

Quocirca ab illâ superbissimâ præsumptione magnâ pars Caluinianorum recessit, non in Belgio modo, sed in Galliâ quoque. Nam Scharpius concedit, electos non semper id certo scire. Nec vllo modo credere possunt Lutherani, qui fidem delebilem esse concedunt.

Si credere & affirmare non possunt peccata sibi remissa, multo minus affirmare possunt, se Christo donatos à patre. Nemo enim nisi remissis peccatis donatur.

VERSVS 38.

Quia descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam sed voluntatem eius, qui misit me.

QVÆSTIO I.

An non descenderit, vt faceret voluntatem suam?

§. 1. CVm voluntas diuina Christi non modo consensu, sed essentia quoq; sit voluntas patris, indiuidua est trium, vt substantia, ita voluntas personarum. Hanc igitur fecit, cum patris voluntatem fecit. Si de humana voluntate sermo sit, cùm illa tota sit diuinæ subiecta voluntati, totaque ex ea pendeat in diuina etiam voluntate perficitur: nec quicquam fecit diuinitas, quod non ex tota mente, & toto corde voluerit humanitas.

Voluntas Christi vt Dei eadem cum voluntate patris.

Itaque Nazianzenus Orat. 4. de Theologia interpretatur, non venisse; vt suam faceret voluntatem, à patris voluntate distinctam, seu separatam, aut aliud sentientem. Cyrillus non venisse, vt humanam voluntatem exequeretur, sed diuinam, quamuis enim diuinæ concors illa fuerit, ideo tamen eam non facere dicitur, quia ab alia pendet. Hoc ipso enim quod alteri se subijcit, sua esse desinit. Hanc posteriorem interpretationem probo. Nam Iudæi ita de illo loquebantur, quasi voluntatem à Deo diuersam haberet, ille vero hoc ostendit, se illos solum recipere quos Deus dedit, & non reijcere ex illis quemquam. Non dicit suam esse voluntatem, ne contemnerent, vt monet Chrysostomus, alij putant eum, non secutum suam voluntatem à molestijs naturaliter abhorrentem.

Humana Christi voluntas eadē est cum voluntate patris.

§. 2. Theophylactus ex eo, quod descendisse se dicit diuinitatem & humanitatem non separatas, sed in vna persona, naturarum proprietatibus manentibus ostendit. Πῶς ὅτιν, inquit, Νεστόριε ἐντεῦθεν ὁ λέγων, ὅτι μεῖζων τῶν ἀναβάσιν ἐθεσπίζη ὁ χριστός; οὐκ ἀκούεις παλαιπώρε; ὅτι καταβέβηκεν ἐξ οὐρανῶν; ὁ δὲ καταβὰς οὐκ ἦν ἐξ οὐρανῶν, ἀ φιλος ἄνθρωπος ὀήπω ἦν, ἀλλὰ θεὸς, φιλος γὰρ ἄνθρωπος ἀ καταβαίνῃ, ἀλλὰ εἰ ἄρα ἀναβαίνῃ εἰς οὐρανὸν, χαριζόμενον δι ἀρετὴν τῷ θεῷ. ἐπεὶ ἐν ἐ κυρίᾳ καλάβασις προέλαβε τῶν ἀνάβασιν, ὁ αὐτὸς ἦν καὶ καπέβη ἐξ οὐρανῶν, ὡς θεὸς δηλονότι, διὰ τὸ ἐναυθρωπῆσαι συγκαλβάς, καὶ ἀνέβη εἰς οὐρανὸς, μὴ ὢν πρότερος δηλαδὴ ὁ ἄνθρωπος, ἔνθα ἦν τὸ πρότερον ὡς θεὸς. οὐκ ἄρα φιλος ἄνθρωπος ὁ χριστὸς, θεωθεὶς ὕστερον ὡς ἐλήρει νεστόριος, ἀλλὰ θεὸς προαιώνιος ἐναυθρωπήσας ἐν ἐσχάτοις καιροῖς. *Vbi est N. storius hic dicens, post resurrectionem Christum Deum factum? non audis miser; eum descendisse de cœlo, qui vero descendit è cœlo non certè nudus homo erat, sed Deus. Nudus enim homo non descendit. Si rursus ascendit in cœlum dante id ob virtutem Deo. Cum igitur ascensionem Domini descensus præcesserit, ipse certe de cœlo descendit, vt Deus, quod homo factus sit descendens. Et ascendit in cœlum cum carne, vt liquet, tanquam homo, vbi erat prius vt Deus. Non igitur nudus homo Christus erat, postea Deus factus, vt delirat Nestorius: sed Deus ante sæcula, homo factus vltimis temporibus.* Et Athanasius contra Sabellij Gregales.

Christus Deus.

§. 3. Petulanter abuti sunt verbis illis Ariani, vt constat ex Athanasio. Orat. 4. contra Arianos: cum illa verba reciterent, probat filium non esse contrarium patri. καὶ εἰ τοιοῦτός ἐστιν ὁ υἱὸς πρὸς ἑαυτὸν πατέρα, ποία ἐναντίωσις; &c. *Si talis est erga patrem filius, qualis est inter eos repugnantia?* & de comm. essent. Patris & Filij & Spiritus, contra eos qui in contumeliam Filij accipiunt illa verba, Non veni facere voluntatem meam. *Si probro est filio adimplere voluntatem patris, probro quoque est Deo & patri adimplere voluntatem iusti, cum Dauid de eo loquatur, voluntatem timentium se facit, & deprecationes eorum exaudiet. Quòd si Deus adimplens voluntatem mortalium, non confunditur pudore. Filius scilicet ob humanæ carnis negotia dispensationemq, & habitum nobis conuenientem, & conditionem seruilem quam nostri causa suscepit, in probro erit, cum dicit, non veni facere voluntatem meam, hoc est, carnis meæ, sed patris, hoc est, diuinam voluntatem? ne igitur in*

Christus Deus.

vituperium accipiatur, quamuis illorum sententia maximè isthic dissoluatur. Accessit ad eum leprosus genua flectens, & dicit, Domine si vis, potes me mundare, hunc igitur non reiecit Saluator neq; locutus est, quid blasphemas? cum dicis si vis, ac potius non debes: Quid ergo? nonne approbauit professionem eius fidei? nonne eiusdem mutata syllaba salutem illi contulit? dicens, volo, mundare. Volens purgat lepram, volens viuificat mortuum. Voluit & excitauit Lazarum.

Idem Epist. de Synodis Arimin. & Seleuciæ probat hominem factum eisdem ex verbis. Laodiceæ coram probo legato Constantini cum Ario etiam congressus ad hunc locum respondit. Arij verba sunt. *Si maiorem habet, si spontaneâ voluntate non venit, si suam voluntatem non fecit, &c. æquum non videtur, vt qui de sua subiectione tanta ac talia dicit, patri efficiatur æqualis.* Resp. Athanasius. Christus filius Dei, in formâ serui, quam assumpsit ex virgine patri dicitur esse subiectus, &c.

VERSVS 39.

Hæc est autem voluntas eius, qui misit me Patris: vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo sed resuscitem illud in nouissimo die.

QVÆSTIO I.

Quæ patris voluntas?

§. 1. DVplex est Græca lectio, alij libri habent, τοῦτο δέ, vt Augustinus, Theophyl. Euthym. alij τοῦτο γάρ, vt Chrysostomus, Cyrillus. Eodem tamen recurrit sensus. Firmum enim esse demonstrat, quod dixit. Nempe se neminem eijcere foras. Pater enim neminem vult perdi, cuius est immota definitio: cum vero ipse voluntatem Patris semper faciat, non potest perdere quos saluos vult pater. Alludit ad filios frugi qui hæreditatem paternam non minuunt, non dilapidant, Christi autem hæreditas sunt electi; Electionis itaq; firmitas à patre est, nõ ex nobis, vt optime Bellarminus l. 2 c. 10. de gratiâ & libero arbitrio, non inde tamen sequitur quenquam esse certum de sua electione, vt Caluiniani nugantur, nisi de electione anteceserit reuelatio. Non perditurum ostendit; etsi enim moriantur more aliorum hominum, in nouissimo tamen die eos se resuscitaturum affirmat, quo etiam euidenter diuinitatem suam demonstrat; nam solius Dei est resuscitare mortuos.

VERSVS 40.

Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: vt omnis qui videt. Filium & credit in eum habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

QVÆSTIO I.

Quomodo credens habeat vitam æternam?

§. 1. PRo particulâ *autem*, Augustinus, Cyrillus, Beda legunt: *Enim*, in Græcis δέ, *autem*, retinenda lectio vsitata. Causam reddit cur eos sit resuscitaturus; voluntas enim patris est, vt possideant vitam æternam. Quum nisi reuiuiscant, habere non valent. Vita viuentium est, non mortuorum. Itaque & Tertullian. pro resurrectione hinc ducit argumentum. l. de resurrect. c. 34. *Porro autem recipimus animæ immortalitatem, vt perdita non in interitum credatur, sed in supplicium, id est, in gehennam. Et si ita est, iam non animam spectabit salus saluam, scilicet sua natura per immortalitatẽ, sed carnem potius quæ in interibilem constat apud omnes. Aut si & anima interibilis, id est, non immortalis, quod & caro, iam & carni forma illa ex æquo proficere debebit, proinde mortali, & interibili, quia id quod perit, saluum factum est Dominus. Nolo nunc contentioso fune deducere, hac, an illac hominem perditio deposuerit, dum vtrinq; eum salus destinet, in ambas substantias peræquata. Ecce enim ex quacunq; substantia hominẽ per se præsumpseris, ex altera non perit. Saluus ergo erit iam ex qua non perit, vtiq; non erit perditurus. Quis vltra de viri sui substantiæ securitate dubitauit, cum altera salutem consequutura sit, altera amissura eam non sit? Et tamen adhuc sensum rei exprimit Dominus: Ego, dicens, veni non vt meam, sed vt patris qui me misit, faciam voluntatem. Quam oro te? vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissimo die. Quid à Patre Christus acceperat, nisi quod & induerat? hominem sine dubio carnis animæque texturam. Neutrum ergo eorum quæ accepit, perire patietur: immò nec quicquam vtriusq;, immò nec modicum, quod si modicum caro, ergo nec carnem, quia nec modicum, nec quicquã quia nec quicquam. Atquin si non & carnem resuscitabit nouissima die, iam nõ modicum patietur perire de homine, sed pro tanta dixerim parte prope totum. Ingerens amplius, hoc est patris voluntas, vt omnis qui videt filiũ, & credit in eum, habeat vitam æternam: & suscitem illum nouissima die: pietatem extruxit resurrectioni. Distribuit enim vtriq; substantiæ per officia propriam mercedem salutis, & carni per quam filius aspiciebatur, & animæ per quam credebatur. Ergo dicet, illis erit promissa res, à quibus Christus videbatur. Sit planeta, vt & ad nos eadem spes emanauerit. Nam si videntibus & idcirco credentibus fructuosa tunc fuerunt opera carnis, atque animæ, multò magis nobis.*

Resurrectionis probatio.

§. 2. Non est satis etiam clarum quod ait, qui vidit filium, & credit, θεωρεῖν ad rerum cœlestium considerationem pertinet. Beza duplicem hic cognitionem fingit. [Sed notandum est ex hoc loco, duplicem esse cognitionem Christi, vnam vniuersalem quâ etiam Diaboli prædicti credere dicuntur. Iac. 2 9. alteram fidelium propriã, quâ sibi applicant promissiones generales. Ideo cum dixisset Ioannes ὁ θεωρῶν, addit, καὶ πιστεύων.] Resp. Verissimum esse θεωρεῖν esse rerum diuinarum, etsi nusquam sic intelligeretur, hic tamen locus eum intellectũ requirit. Non omnis autem, qui Christũ θεωρεῖ contemplatur, eiusq; gesta perpendit, etiam credit. Pharisæi nobis exemplo Christum videtes & gloriæ eius inuidentes. Quod autẽ θεωρεῖν vocat fidẽ generalem, πιστεύοντας autem, fiducia sibi promissiones generales applicantes, in eo fallitur. Nemo enim adeo stolidus est, vt generales promissiones sibi applicet, eo solũ quod generaliter reuelatæ sunt. Credentes habebunt vitam æternam, & non quouis modo credentes, sed viua fide, per caritatẽ operante Hoc ratum est, oraculum est, an ea fide hic vel ille præditus sit, non potest nisi per reuelationem constare certo. Nam generales promissiones non nisi positis conditionibus in singularibus ratæ sunt. Nec Christus hisce populis dicit: vt certi sint, non enim sensus est. Videte, hoc credite generali fide, vera esse, quæ doceo. Et credite, hoc est, Persuadete vobis, vos electos esse. Frustra enim moneret, vt se electos crederent, si sciret ipse electos non esse. Non enim Christi est securitatis Christianæ pulullos cõsuere, sed Othonis Casmanni. Quod Caluin. fidem nõ confusam, & inanem requirit, laudem mereretur, nisi de fiducia intelligi vellet. Quod ait nos credere, quod libuerit, calumnia est. θεωρῶν & credere sunt diuersa

§. 3. Caluinus ex eo, quod credentibus vita æterna promittatur, ex fide colligit prædestinationis certitudinem. [Ergo sua cuiq; fides, *inquit*, æternæ Dei prædestinationis locuples testis est, vt altius inquirere sacrilegũ sit, quia atrocem Spiritui S. iniuriam facit, quisquis simplici eius testimonio subscribere detrectat.]

Respon-

Respondeo. Caluini non vnum, sed plura hoc loco errata esse. Nam primo per fidem intelligit illam particularem fiduciam, quâ quisque credit, se iustum esse, & prædestinatum. Nam alia quæcumque fides ad salutem non sufficit, vt ipse scribit. Deinde sacrilegum non est, altius de suâ prædestinatione inquirere. Nam reuera considerandum est cuique; an timeat, amet Deum, foueat proximum, pauper sit Spiritu, mitis, mundo corde, persecutionem patiatur propter iustitiam, an excidere illis bonis possit, si habere se cognoscat. Hæc examinari omnia, aliaque opera iubet Spiritus sanctus, an ex Deo sint? Tertio in hodiernum vsq; diem testimonium Spiritus scriptum quæritur, quo testetur, hunc vel illum prædestinatum esse, cui omnes, quisque suo cupidissime subscribet. Cum ergo in sacris literis testimonium de singulis non inueniatur, subscribi non potest à priuatis. Quarto cæteri Caluiniani non solâ fide nituntur, sed alia quoque adhibent criteria. Nam Beza in Colloquio „Mompelgartensi plures motus enumerat. [Quod „ad consolationem attinet, in summis tentationibus „afflictas conscientias non spoliamus, sed eam quæ in „sacris scripturis proposita est, exponimus. Sic enim ei „go dicerem afflicto, & perturbato homini. Tu de gra„tiâ Dei non dubites; nam quia te Deus per prædica„tionem Euangelij ad agnitionem filij sui vocauit: nõ„ne sensisti aliquoties in te tales motus, quod te pecca„torum tuorum pœniteat? quod fiduciam tuam in „Christo colloces, quod sancte viuere, res aduersas pa„tienter ferre, & ad æternum filij Dei regnum aspira„re cupies. Hi motus sunt filiorum Dei, quos si sen„sisti vnquam, non dubites, te etiam in numero electo„rum esse, & propitium Deum habere.]

At non potest ex hisce certi quicquam colligi, nam similes motus in reprobris esse possunt, vt Caluinus fatetur. Denique illa sibi fiducia repugnat. Fiducia ita loquitur: Prædestinatus sum, vnde nosti hoc arcanum Dei de te consilium? Quia credo. Quid credis? Me prædestinatum esse? Hæc fides est, quâ saluaris? imo hæc mihi locuples testis est prædestinationis, aliud quærere est sacrilegum. Sed tamen credis te prædestinatum? quid porro causæ est, quæ te mouet, vt credas te prædestinatum? quia credo, fidem meam video. Itaque credis te prædestinatum, quia te prodestinatum credis. Vel sane vides te hoc credere, at sane non potuit te hoc mouere; nam prius credebas, deinde te credere vidisti, certus es, quia certus es, nam quod de pœnitentiâ & bonæ vitæ proposito Beza scribit, nugæ sunt; secundum genuinos Caluinistas enim pœnitentia fide posterior est. Hæc contra Caluini fiduciam, Brentium magis miratus sum, qui cum anxias hominum de prædestinatione dubitantium cogitationes retulisset, eos consolatur, & certos reddere conatur, eo quod fidem habeant; nec timendum etiam ne fidem amittant. Hoc inquam ridiculum est, cum Lutherani fidem amitti posse, & iustitiâ doceant. Et Iacobus Andreæ id manifestè protesta„tur in eodem Colloquio, pag. 467. [Ego sic sentio; „si Nathan non corripuisset Dauidem, neque Dauid „pœnitentiam egisset; nunquam saluatum fuisse. Nam „post concionem Nathan, demum inquit; *peccaui*. Et „postquam absolutionem accepit: *Dominus transtulit „peccatum*; tum demum orauit. *Et Spiritum sanctum ne „auferas à me*, à quo certe ablutus erat, quamdiu in illâ „securitate vixit.]

Ista igitur more Caluiniano Brentius, at non persuasit Lutheranis Iacobo Andreæ, nec i lustrissimo Principi Wirtemburgensi. Nam negant ex his motibus posse consolationem peti pag. 470. Imo aiunt fæ„pe deficere illos, qui gratiam acceperunt. [Eadem est „p. 8. 477. in infantibus omnibus in Ecclesiâ natis. Quotquot enim baptizantur Christum induunt, & « vere in filios Dei adoptantur, Spiritu sancto donan- « tur, & promissio gratiæ in illis obsignatur. Sed quan- « do adolescere incipiunt, fieri potest, vt negligentiâ « parentum, aut propriâ petulantia Spiritum sanctum « iterum amittant, & gratiâ Dei spolientur semel ac- « ceptâ.] «

Explicarat hoc exemplo Saulis, quem in circumcisione dicit vere in filium Dei adoptatum, quam adoptationem non modo significatam, sed oblatam esse dicit? Et pag. 481. Non certam, sed probabilem spem, concipi ex motibus, quos Beza recensuit, & in summis tentationibus ita obscurari vt nihil inde consolationis accipiant. Inter se igitur mirifice pugnant, & cum Caluinianis Lutherani, & inter se. Dum certitudinis suæ signa nulla nisi incerta dare possunt, quæque ab alijs reijciantur. Si enim incerti sunt, cur iubent parentes esse certos. *Lutherani incerti.*

VERSVS 44.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

QVÆSTIO I.

An nemo veniat nisi pater traxerit eum?

§. 1. *MVrmurant, longe enim erant à pane*, vt ait Augustinus. Murmurare hæreditarium erat Iudæis, patres eorum annos quadraginta in deserto murmurarunt, licet pane cœlesti pascerentur. Est autem murmur incondito sono vox, ex impatientiâ, indignatione, alioue vitio profecta, cum iniquè aliquid dici, vel geri videtur, cum id cæteris, aut mutuo queruntur. Iesus se panē è cœlo venisse asserit, illi rem indignam clamant, cum constet esse filium Iosephi: nomen *Iesus* in Græcis est, in Latinis non est, nec in Chrysostomo. Cum ergo Iosephi filium esse iudicent, etiam spes prandij præcisa esset, mox Messiam esse negant; nam potentem aliquem instar Salomonis, aut Alexandri, quærebant, qui rerum potiretur, Romana potentia sublata. Hac de causa murmurantibus, nullamq; miraculorum rationem ducentibus, Christus in sermone instituto pergit, vt ostendat eos à patre non trahi, ideo nec venire, non doceri à Deo, sed in stupore, ac delictis hærere. *Murmurare quid.* *Qualem Messiam quærerent.*

§. 2. Grauis hæc est, & religioni contra Pelagianos defendendæ sæpe vsurpata à patribus sententia, olim etiam à Manichæis, & nunc Caluinianis ad errores detorta. Christi propositum est toti Ecclesiæ gratiam diuinam commendare, & superbum Iudæorum murmur compescere, auctoritate diuina, nolite inquit murmurare, & insurgere contra me, quasi filium Iosephi, sed toto animo contremiscite, nam ideo mihi exprobratis genus, & miracula contemnitis, quia pater meus qui est Deus, non Iosephus vos non trahit, si ille vos traheret, & gratia dignaretur, iam veniretis. Quia vero non trahit, vos non venitis, supplices patrem meum veneramini, vt vos trahat. Sic Augustin. Tract 26. in Ioan. *Semel accipe, & intelige; non traheris, ora vt traharis.* Quamuis orare non possint, vt trahantur, nisi ad orandum tracti. Cum ergo Christo maleuolè obiectent patrem hominem, pauperem, fabrum, ille è contrario, negat illum sibi patrem esse, sed Deum patrem esse asserit, cuius in manu sit trahere ad salutem, & deserere; *qui dixit miserebor, cuius miserebor*, &c. Deum esse indicat, sequenti versu; *erunt omnes docibiles Dei*; & subiungit; *omnis qui audiuit à patre meo, & di-* *Orandum vt trahamur.*

dicit venit ad me. Terret ergo illos potentiâ patris, cuius in manu sit eorum salus. Diuinitatem Christi probat hinc Athanasius, *de comm. essentia patris & Filij, & Spiritus sancti*, aduersus eos, qui dicunt ministri ordinem habere filium, eo quod patri obtulerit humanam naturam. ἡ γραφὴ, inquit, δείκνυσι τὸν πατέρα προσπορευόμενον τῷ υἱῷ, ἄκουε γὰρ τοῦ υἱοῦ λέγοντος. οὐδεὶς δύναται &c. *Scriptura ostendit patrem adducere ad filium, audi enim filium dicentem. Nemo potest venire ad me.* Itaque recte soluit hoc argumentum. Nam eodem modo concluderetur, Patrem ὃν ὑπηρέτου τάξει κεῖσθαι, *ministri locum tenere.* Et Dialogo 2. de Trinitat. Hinc probat filium Deum, quod pater ad eum trahat. Macedonio respondet simili modo. *Negabat ille Spiritus sancti diuinitatem. Quod si idcirco non adoras Spiritum, quia in Spiritu adoramus, & ideo non adoras veritatem, quia in veritate adoramus: adeoque imminui Spiritus sancti dignitatem censes, quandoquidem in ipso filium Dominum confitemur: imminues & dignitatem patris, siquidem nemo venit ad filium, nisi quem pater cœlestis traxerit ad ipsum. Hoc enim in Euangelio scriptum est.*

Christus Deus est, non enim ad hominem pater trahit.

Et de assumptione hominis, contra Marcellinum hæreticum. *Discе hanc vnitam esse operationem in natura diuinitatis, quæ credentibus vitam æternam tribuit. Et nemo venit ad me, nisi pater adducat eum. Et nemo vadit ad patrem nisi per me. Discе quia per filium itur ad patrem, & de patre venitur ad filium.*

Hinc igitur Christi diuinitas ostenditur, nunc alios hæreticos videamus.

§ 3 Præcipuum loci huius robur valet contra Pelagium & Cœlestium: & ab omnibus, qui contra eos scripserunt, vsurpatur. Nemo potest venire nisi trahitur, tractio vero continet auxilium diuinum, quod naturæ vires superat, nec ideo Deus trahit, quod humano labore, oratione, vel bonis operibus animus præparatus sit, & cum conuersionem horum aliqua antecedunt, illa ipsa sint gratiæ excitantis, præuenientis, adiuuantis. Non enim initium conuersionis ex nobis est, sed ex Deo. Quare merito Massilienses, seu semipelagiani damnati sunt.

Initium conuersionis ex Deo.

Immerito eius hæreseos contagio S. Ioanni Chrysostomo attribuitur. More scripturæ loquitur: nec initium à nobis inchoat, sed à Deo, cuius gratiæ nostra libertas cooperetur. Deum negat præuenire voluntates, ne temeret libertatem, quod fieret, si necessitatem præuentu suo adferret, & ad alterutram prædeterminaret. Idem docet Hieronymus l. 3. contra Pelagianos. *Simul & hoc animaduertendum, quod, qui trahitur, non sponte currit; sed aut retrectans, & tardus, aut inuitus adducitur. Qui non potest suis viribus & labore venire ad Iesum, quo modo potest omnia simul peccata vitare? & vitare perpetuum, & Dei sibi potentiæ nomen assumere? si enim ille ἀναμάρτητος, & ego ἀναμάρτητος; quæ inter me & Deum erit distantia?* Vbi Hieronymus, cum inuitum venire dicit, de sensu carnis intelligendus est, qui semper spiritui repugnat.

Chrysostomus excusatus.

Eodem modo Concilium Arausicanum c. 5. Augustinus l. 1. contra duas Epistolas, cap. 19. non modo adiumentum, sed initium boni operis à gratiâ fluere docet: & tamen voluntatis liberam cooperationem tuetur. *Vos autem in bono opere, sic putatis adiuuari hominem gratia Dei, vt in excitanda eius ad ipsum bonum opus voluntate, nihil ei tribuatis operari. Quod satis ipsa tua verba declarant. Cur enim non dixisti hominem Dei gratia ad bonum excitari, sicut dixisti in malum Diaboli suggestionibus incitari? Sed dixisti in bono opere à Dei gratia semper adiuuari, tanquam sua voluntate nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso iam opere diuinitus adiuuatur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, vt reddatur debita gratia, non donetur indebita, ac sic gratia iam non sit gratia, sed sit illud quod Pelagius, in iudicio Palæstino ficto corde damnauit, gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Et l. 83. qq. q. 68.

Libere venit, quicunq; venit.

§. 4. Contraria fuit Manichæorum furiosa hæresis, qui hinc & naturam malam, & Deum malum esse calumniabantur, & liberum arbitrium è medio tollebant. τούτῳ ὑπανδῶσι μανιχαῖοι λέγοντες. ὅτι οὐδὲν ἐφ' ἡμῖν δεῖται. *Nulla re ex nobis opus esse. Si enim inquiunt, vim aliquis, cur trahitur?* Respondet Chrysostomus. *Egere nostrum arbitrium gratia adiutrice.* Et Theophylactus. *Hoc vero est quod dicit, non tollens liberum arbitrium* τὸ αὐτεξούσιον, quo quis suarum actionũ Dominus est, absit. *Sed ostendens, eum qui creditur us multo Dei adiutorio indigere,* πολλῆς συνεργείας, *cooperatione, alioqui & illos trahit Deus, qui sponte habent, vt sint idonei, qui vero seipsos faciunt indoneos non trahit.* Hoc ostendit exemplo magnetis, qui non omnia, sed ferrum trahit. Intelligendus autem est, de præparatione animorum, quâ Deus vt plurimum vtitur; nam vt credant, opus est motione aliquâ voluntatis, instructione, alijsque, quæ cum admittuntur sensim in animos auditorum, tandem fides sequitur: itaque idoneos se faciunt, qui primæ gratiæ cuicunque cooperantur, eamque amplexi ad maiora proue huntur.

Manichæorum furor.

Qui sui idonei vt trahantur.

Constat enim non posse sine voluntatis motione gratiam operari, & voluntatem nihil posse operari in illis, quæ ad salutem pertinent sine gratiâ, ne quidem se posse disponere ad fidem. Qui enim se disponit vt veniat, iam venire paratus est. Vide Augustinum l. 1. ac Bonifacium c. 29. & l. 2. c. 8. Bellarmin. l. 6. c. 5. de gratiâ & libero arbitrio.

§. 5. Hæretici Manichæorum soboles etiam arbitrium, hoc ex loco oppugnant. *Si enim trahuntur non sponte veniunt. Motus enim violentus est tractio.* Respondeo. Tractionem vocari, quæ tamen non sit violenta libertati; non enim vim pati potest voluntas, sed quod exiguæ vires ambulandi sint, cum præsertim aduersum montem contendere oporteat, & graue pondus peccatorum, affectuumque degrauet, quin vetus homo resistit, & retrectans resistat. Cum ergo vires eundi non habeat, erigitur, trahiturque, non enim soli inuiti, sed etiam volentes lubenteque trahuntur, cum vires deficere sentiunt, certe quin in puteum incidit, volens extrahitur, & violenter tamen, totâ corporis mole renitente. Ieremias è lacu extrahitur ab Æthiope, & volens tamen, cupiensque. Trahit vero & etiam Deus vt causa finalis, trahit suadendo, eaq; quæ allicere possunt proponendo. Cũ vero gratia est efficax, tractio infallibiliter, non necessario perficitur. Vide Martinum nostrum Delrium in c. 1. Canticorum, n. 4. *Trahe me post te*, amando certe trahitur, quem amorem fortem esse oportet, vt retrahentes multos & fortes vincat trahendo, carnem, mundum, dæmonem, quæ in contrarium trahunt. Hunc in modum tractionem exponit Augustinus, Tract. 26. in Ioan. *Quid hic dicimus fratres? si trahimur ad Christum, ergo inuiti credimus, ergo violentia adhibetur non voluntas examinatur. Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: sed non corpore creditur ad iustitiam. Apostolum audi dicentem. Corde creditur ad iustitiam. Et quod sequitur? Ore autem confessio fit ad salutem. De radice cordis surgit ista confessio. Aliquando audis confitentem & nescis credentem: vocas confitentem, & nescis credentem. Sed ne debes vocare confitentem quæ iudicas non credentem, hoc est enim confiteri, dicere quod habes in corde. Si autem aliud in corde habes, aliud dicis, loqueris, non confiteris. Cum ergo in Christum corde creditur, quod nemo vtiq; facit inuitus: quia autem trahitur, tanquam inuitus cogi videtur, quomodo istam soluimus quæstionem: Nemo venit ad me, nisi pater qui me misit traxerit illum? Si trahitur, ait aliquis, inuitus venit: si inuitus venit, nec credit: si non credit, non venit. Non enim ad Christũ ambulando currimus, sed credendo: nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus.*

Tractio non violenta.

Trahuntur volentes.

Non tollit meum arbitrium.

Idem

Idem Augustinus trahere interpretatur ex nolentibus facere volentes. Idem etiam censet Amesius Calvinianus in disputatione scholastica. Fideles trahi affirmat respectu carnis adhuc inimicæ Deo, quo sensu violentam actionem dicere non veretur. Sic & Hieronym. l. 3. contra Pelagianos. *Sic rami & flagella vitium illico contabescunt, cum fuerint à matrice præcisa: ita omnis hominum fortitudo marcescit, & deperit, si à Dei auxilio deseratur. Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Quando dicit, nemo potest venire ad me, frangit superbientem arbitrij libertatem: quod etiam si velit ad Christum pergere, nisi fiat illud quod sequitur, nisi pater meus cœlestis traxerit eum, nequicquam cupiat, & frustra nitatur.* Nam sine tractione non volunt.

§. 5. Beza etiam volentes trahi fatetur; nam qui inuiti trahuntur, & reluctantes amici non sunt, quamuis autem aliquando reluctentur, aliquando tamen lucta vincitur, & volentes fiunt, certe omnino sine tractione non fiunt ex nolentibus volentes. Augustin. l. 1. contra duas Epist. c. 5. *Legant etiam quod ipse Dominus ait, nemo potest venire ad me nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Vbi ne quisquam putet aliud dictum esse, venire ad me quàm credere in me, paulò post, cum de suo corpore & sanguine loqueretur, & scandalizati essent plurimi in sermone eius, ait, verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Deinde subiunxit Euangelista, sciebat enim ab initio qui essent credentes, & quis traditurus esset eum, & dicebat, propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo: sententiam scilicet iteravit, quam dixerat, nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, id ipsum aliis verbis repetendo in eo quod ait, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ille quippe trahitur ad Christum cui datur, vt credat in Christum. Datur ergo potestas, vt filij Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur vt credant in eum. Quæ potestas nisi detur à Deo nulla esse potest ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberauerit, sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit.*

Quomodo vero tractio sit volentium, constat ex Prou. 8. 12. Osc. 4. 4. Vide & Augustinum Serm. 2. de sermone Domini. Augustino consentiunt moderatiores Caluinistæ vt Greuinchonius disput. schol. contra Amesium vbi pag. 38. multis docet, tractionem esse moralem, ideoque liberam. Et pag. 37. Verba creandi, mutandi, inclinandi, & flectendi negat intelligenda de irresistibili impulsu sed morali.

§. 6. Horrenda sunt, quæque omnem stoicismum superent, quæ Caluiniani, de irresistibili gratiâ, de fato, de prouidentiâ Dei, quam fingunt rebus necessitatem imponere docuerunt. Vide certamina Haidelbergensium, & Tubingensium pag. 270. & pag. 125. Greuinchouius alijque moderatiores in Belgio Caluinum, Bezam, cæteros stoicos appellat, & Adriano Smoutio eâ de re querentem hortantur alij, vt eos à secta stoicorum vindicet; non posse se dissimulare tantos errores, quod ad omnia scelera trahi fatali necessitate fingant. Verum de his egi in Coron. Iubilorum. cap. 35.

§. 7. Caluiniani, vt Pareus l. 2. de gratiâ, & libero arbitrio, cap. 11. auxilium diuidunt hunc in modum *auxilium seu gratiam, liceat hæc cum aduersario nunc confundere, hic intelligimus vocationem externam, & internam, vtrag; duos habet gradus. Externa vocatio fit, vel per librum naturæ, & creaturæ, &c. vel per librum scripturæ, seu per media externa verbi, sacramentorum, miraculorum.* Priorem esse concedit, non posteriorem. *Interna etiam duos habet gradus*, inquit, *Prior est illuminationis, qua homines voluntatem Dei, & viam salutis agnoscere, intelligere docentur.*

Hanc etiam omnium esse negat, esse autem sufficientem ad ἀναπολογίαν, non ad conuersionem, alterum vero esse efficacem: & hanc solam esse sufficientem.

Itaque quamuis non concedat vllam gratiam sufficientem ad conuersionem, nisi eam quæ sit efficax, fingit tamen sufficientem ad id esse, ne excusari possint.

Errores Pareï.

Hac in causa duos grauissimos committit errores. Primus est, quod aliquos per auxilia, & gratiam putet reddi ἀναπολογήτους inexcusabiles, qui tamen non possint agere bonum, quod iubentur, nec vitare malum, quod prohibetur, idque eâ causâ, quod Deus vires dare noluerit. Quod non modo contra æquitatem est, sed etiam multiplices Dei promissiones, omnibus enim gratiam sufficientem offerre solet, quam qui contemnunt, ideo solum redduntur inexcusabiles, quod conuerti poterant, sed noluerunt. Quis enim, si ægrum iacentem surgere iubeat, non autem præbeat sufficiens auxilium, quo erigere se possit, queri potest non surgere eum, qui surgere non potuit? Non potuit autem, si aliquid, vt posset, misero defuit. Si proprio arbitrio & libero non peccauit, culpam non sustinet, peccare autem non potest, si id quod facit, necessitate facit. Augustin. lib. 7. de ciuit. Dei cap. 30. & lib. 3. cap. 1. de libero arbitrio. Neque vlla culpa deprehendi potest, vbi natura necessitas dominatur. Et de verâ religione cap. 14. *Nunc vero vsq; adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem manifestum est, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi. Non autem rectè negat peccasse animam, qui & pœnitendo eam corrigi fatetur, & veniam pœnitenti dari, & perseuerantem in peccatis iustâ lege DEI damnari. Postremo si non voluntate male facimus, nemo obiurgandus est, nemo monendus.*

Alter error multo etiam est fœdior, cuius pudore mentiri voluit. Caluinus enim cum soli auxilio omnia tribuat, libertatem neget, eos qui à Deo efficaciter conuertuntur, necessario agere censet. Pareus tantum ait eum docere istos irrefragabiliter, non necessario, infallibiliter non fataliter agere. At vero non hoc de bonis tantummodo, sed vitiosis etiam actionibus iudicant. Vnam enim radicem necessitatis arbitrantur, absolutum Dei decretum, & motionem siue in bonum siue in malum, cui vis nulla possit resistere. De Caluino docui libro de Idololatriâ Caluinistica. Nunc solius Bezæ testimonio contentus ero, ille contra Castellionem Aphorif. 16. *Deus ἐνεργεῖ*, id est, *efficaciter agit seu efficit omnia, secundum consilium voluntatis suæ.* Adrianus Smoutius solum excipit à fato stoico, quod non prima causa, sed mediæ tantum necessitentur.

Caluinus necessitatem absolutam docet.

Quæstio II.

An trahat Deus prædeterminando physice?

§. 1. Nonnulli quamuis voluntatem conuenienter suæ naturæ, libereque moueri sentiant. Id tamen quodam auxilio fieri arbitrantur, ita efficaci, vt eo posito necessarius consensus voluntatis consequatur, non ex hypothesi, aut aliâ causâ, sed ex vitalis auxilij, quod physicè voluntatem prædeterminet, vt hoc velle debeat, aliud velle non possit.

Statuendum quidem est, Christum hoc loco de tractione agere quæ sufficiens sit, non tamen physicè

Non est physica prædeterminatio.

necessario prædeterminet. Non autem vt illi voluntractio indicat illam motionem prædeterminantem, sed Dei concursum supernaturalem, indeterminatum. Sed iam satis ostensum est, tractionem illam violentam non esse voluntati, multis enim & miris modis fit illa tractio. Prosper de vocat. Gentium l. 2. *Dominum, ait, significasse fidem in ipsum haberi ex patris munere, qui in cordibus trahendorum hoc egit, vt crederent: hoc effecit vt vellent; non enim esset vnde traherentur, si sequaces fide, & voluntate non essent, quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt.* Et Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 6. *Non vi quadam cogi, trahiq; credentes, putandum est, sed monitione, doctrinâ, & reuelatione ineffabiliter factâ.* Non posse autem illam prædeterminationem cum libertate consistere, docet Soarez noster tribus libris de auxilijs.

§. 2. Oritur hic & alia difficultas: Vel enim tractio est auxilium gratiæ efficacis, vel tantum sufficientis. Non efficacis: nam dicitur nemo posse venire, nisi trahatur, at possunt venire, qui efficacem non habent gratiam, alioqui qui sufficientem tantummodo haberent, non essent inexcusabiles. Imo falsa est sententia; nemo potest venire, nisi cui data est gratia efficax. Nisi non posse venire dicatur is, qui potest quidem absolutè venire, certissimum tamen est, non esse venturum.

Iudæi gratiam sufficientem habuerunt.

Non sufficientis tantum: Christus enim contra eos disputat, qui non erant dati à patre, qui non trahebantur, at illi gratiam sufficientem habebant, & externam, & internam, non tamen veniebant non credebant, ergo affirmat Christus eos non trahi, hoc est, gratiâ efficaci non donari, quâ actu conuertantur.

Respondeo. Trahi minus esse quam donari à patre, vt rectè aduertit Stapletonus, itaque de sufficiente gratiâ intelligenda sunt verba Domini. Sic Bellarminus lib. 6. cap. 2. de gratiâ, & libero arbitrio exponit, non posse hominem sine speciali illustratione Dei, fidei mysteria credere. Vbi posse propriè intelligendum: nam reuera non modo non creditur est, sed ne potest quidem credere principio, & facultate, quâ posset, destitutus. Et lib. 2. cap. 8. obiectionem habet, quam illi proponunt, qui negant omnibus sufficientem gratiam aliquando dari. Argumentum eorum ex præsenti loco sumitur. *Nemo potest venire ad Iesum nisi pater traxerit, pater non trahit omnes; non igitur venire possunt omnes; nam omnis qui trahitur, venit.* Veramque solutionem adhibet. *Respondeo*, inquit, *falsa est assumptio, quâ dicit, pater autem non omnes trahit, trahit enim omnes pater, sed pro loco & tempore; at non omnes veniunt licet re vera possint; non enim trahere vellet pater, nisi dare disponeret auxilium quo venire possent si vellent. At omnis qui audiuit & didicit, venit: igitur omnis qui trahitur venit. Respondeo, trahi esse audire, non autem venit omnis qui audit, sed omnis qui audit & discit; nam si omnis qui audit veniret, non diceret Psalmus: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Itaque omnes aliquando audiunt, quia omnes Deus pro loco & tempore vocat; sed illi soli discunt & veniunt, quibus pater ita suadet vt persuadeat. Et hæc est gratia efficax; posse tamen omnes credere, ac proinde omnes à Deo audiri, & trahi perspicuum est, ex illo eodem capite Ioan. 6. vbi Dominus hortabatur omnes ad fidem, quod non fecisset, nisi sciuisset omnes potuisse credere.*

Potest tamen alia etiam responsio adhiberi, quæ, vt verum fatear, magis conuenire videtur Euangelicæ sententiæ, si dicamus Dominum loqui de gratia efficaci, quæ ita suadet vt persuadeat. Dicitur autem non posse venire, qui non trahitur per efficacem gratiam, non quod absolutè non possit, sed quia infallibiliter non veniet; sicut etiam contra, qui trahitur, potest absolutè non venire, tamen infallibiliter venit.

Itaque Dominus cum Iudæis murmurantibus ait: nolite murmurare inuicem, nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: non significauit illos non potuisse credere, sed indicauit fidem esse donum Dei, nec haberi industria humana, sed reuelatione diuina, & ideo non opus esse murmuratione, sed oratione; quia omnis qui petit accipit; Et ideo S. *Augustinus tract. 26. in Ioan. exponens hunc locum ait, si non traheris, ora vt traharis.*

Dices, quomodo potest quis orando impetrare fidem, cùm nemo possit orare nisi habeat fidem? Facilis est responsio, nam isti, quibus Dominus loquebatur, iam nouerant & credebant vnum esse Deum, sed Iesum Filium esse Dei, verum Messiam in lege promissum, nondum credebant. Quare poterant ex fide vnum Deum orare & impetrare fidem, quâ Iesum Filium Dei & Christum esse crederent.

Ex his ad argumentum initio factum respondemus, eo argumento solum concludi, non habere omnes auxilium efficax, quo reipsa credebant, non tamen concludi non habere omnes saltem pro loco & tempore auxilium quo possint credere, vel certè quo possint auxilium petere & dicere: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.

Alijs tamen locis pro sufficiente vsurpat: & sanè cum conueniat verbum, *non posse* propriè accipi, tractio hoc modo optime intelligitur. Habebant Iudæi sufficientem gratiam, & trahebantur: nam pridiè in Christo audiendo occupati cœnam negligebant, esurituri, nisi miraculo pauisset. Trahebantur igitur, non tamen quod audiebant, sufficienter didicerunt, Christus vero non illis solum verbis reprehendit, sed ille sensus est. Nemo potest venire ad me, vel se disponendo, vel conuertendo, nisi pater traxerit, dando sufficientia auxilia: nam à Deo docendos ait omnes esse. Deinde addit: Omnis qui audiuit & didicit venit ad me. Vos tracti estis hactenus, & audiuistis, non vestra virtute aut meritis, sed gratiâ patris, sed non didicistis, ideo non venitis: omnes trahit pater, & omnes tracti progressum faciunt, non omnes metam attingunt, sed illi qui discunt, vt credant, & ament.

Non omnes qui veniunt metam attingunt.

VERSVS 45.

Et scriptum est in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei: omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.

QVÆSTIO I.

Quid est docibilem esse Dei?

§. 1. EX Prophetis probat, patrem esse, qui trahat, qui doceat, Deum esse magistrum fidei, eam non humani ingenij, vel dexteritatis esse. Græcè est, διδακτοὶ docti, docibiles, discipuli, est enim διδακτὸν quod doceri, vel disci potest: nam & homo dicitur διδακτὸς, & ἀρετὴ διδακτή. Cur dicat scriptum esse in Prophetis, alij causam putant, quod pluribus à Prophetis id prædictum sit; alij quod in volumine Prophetarum habetur; nam vetus Testamentum diuisum erat, in legem, Prophetas, hagiographa; itaque in Prophetis perinde est, ac si in volumine quo Prophetarum scripta continentur, dicamus conscriptum esse. Isaiæ 54. 13. *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Sensus idem est Ierem. 31. 33. Ezech. 11. 19. & 18. 31. Ioel. 2. 28. Syrus hoc loco habet: בלחון מלפא דאלהא *Culhun malphe dalaha, omnes doctos Dei,* vel *discipulos Dei.*

Beza

Beza interpretatur, *Docti à Deo*, quasi scriptum sit διδακτοὶ ἀπὸ θεοῦ, quod in Græco non est. Et constanter omittunt autores. Nostrum barbarè, & non expresso sensu vertisse scribit. nam διδακτὸν non significare eum qui aptum se præbeat ad discendum, sed qui iam didicerit, quæ est doctus. Falsum est: nam illa verbalia non rem factam, sed aptitudinem, facultatemq; passiuam significant. Ita certè omnia alia vt πρακτὸς, εὐπρακτος, ἀκουστὸς, γραπτὸς, τρεπτὸς, δεκτὸς. διαίρετος, χωριστὸς, factibilis, bene factibilis, audibilis, scriptibilis nutribilis, acceptabilis, diuisibilis, separabilis: quæ omnia huius significationis formam sequuntur. Sic & Plutarchus διδακλον aliiq; vsurpant. Sic & Syrus vertit. Isa. 54. 13. est למודי יהוה *Limmude Iehoua.* dociles, seu discipuli Dei. Nam Isa. 8. 16. Signa legem למודי *in discipulis meis.* qui autem dociles sunt Dei, iam docti sunt, magnum enim donum est ipsa docilitas, quæ non datur sine doctrinâ à Deo. Augustinus lib. de gratia Christi, de legis impletione interpretatur. *Isto diuino docendi modo etiam ipsa voluntas, & ipsa operatio, non sola volendi & optrandi naturalis possibilitas adiuuatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia iuuaretur, ita diceret Dominus, Omnis qui audiuit à patre, & didicit potest venire ad me. Non autem ita dixit, sed, Omnis qui audiuit à patre & didicit venit ad me. Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam, vt modo dicere cœpit, in gratia, qualemlibet eam sentiat, qua ipsa, vt dicit, possibilitas adiuuatur: venire autem iam in voluntate & opere est. Non est autem consequens, vt qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atq; fecerit. Sed omnis qui didicit à patre, non solum potest venire, sed venit, vbi iam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.*

§. 2. Status itaq; felicissimi temporis exponitur, quo corda hominum aptabantur, vt dociles essent rerum diuinarum, atq; ab ipso Deo erudirentur, hinc summa Apostolorum ruditas ad eam scientiam peruenit, vt nec ante, nec postea pares vllos habuerint. Merito Deo docente tales discipulos esse oportuit. Ipse enim διδάσκαλος πρακτικὰ πᾶσιν ἕτοιμος, *præceptor omnibus paratus*, & qui animos studiose aduertebant, verè θεοδίδακτοι poterant esse. Qui doctrinæ salutaris experti manserunt, in culpâ ipsi fuerunt. Magna olim existimatio eorum, qui à diis doceri putabantur, vt Numa, Pythagoras, Lycurgus, Sertorius iactabant, & apud Homerum cantor gloriatur, se αὐτοδίδακτον esse.

Θεὸς γὰρ μοι ἐν φρεσὶν οἵμας παντοίας ἐνέφυσεν.
Deus enim animo meo omnigenas hymnos inseuit.

QVÆSTIO II.

Quomodo qui audiuit à patre & didicit, venit ad Christum?

§. 1. AVdire & discere coniungit, vt monet Theophylactus. Non enim sufficit audire, oportet & discere. Agit hic de voce internâ patris, eiusq; perceptione, quæ est gratiæ efficacis. Sic qui audiunt, & discunt, semper veniunt. Sic Augustinus tractat. 26. *Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo. Ecce quomodo trahit, erunt omnes docibiles Dei, trahere Dei est. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me, trahere Dei est. Quid igitur fratres? Si omnis qui audiuit à patre & didicit, ipse venit ad Christum, Christus nihil hic docuit? Quid quod patrem magistrum homines non viderunt, filium viderunt? Filius dicebat, sed Pater docebat. Ego cum homo sim, quem doceo?*

§. 2. Vox illa Patris infallibiliter efficit, vt veniant, quicunque veniunt. Obiicit Pareus: Vocem illam esse efficacem tractum patris, non esse vllum sufficiens auxilium: quo possit homo velle credere sine gratiâ efficace. Quia velle est venire, est credere, probat, nolle credere est non credere, nolle ambulare est non ambulare. *Tractio quâ discit est efficax.*

Respondeo. Vocem hanc patris esse tractionem non quamuis, sed efficacem, nec de hac re est controuersia. In oppugnatione gratiæ sufficientis pueriliter balbutit. Dixit Bellarminus. Quomodo voluit, & ita voluit, vt queratur de nolentibus, si eos, quos per se non posse velle nouerat, non iuuit, vt possent velle? ille infert, sine tractu patris nemo potest venire aut credere. Id verum est, de quouis tractu patris, vt supra exposui, falsum de efficace, de quo hic Pareus loquitur. Sine tractu patris nemo venire potest, nemo potest credere. Sine efficace tractu venire possunt, & credere, possunt velle credere. Reipsa, non veniunt, non credunt. Nec satis hoc liquidũ est. *Nolle credere, esse non credere, ac proinde velle credere esse credere.* Nam malum est ex singulis defectibus, bonum ex integro, sed ad hanc materiam illa disputatio non pertinet.

§. 3. Quod causam Pelagianorum agit c. 12. & dicit, posse eludi argumentum ex hoc loco: nam qui audiunt & discunt eos venire: itaq; posse studio, & ingenio venientium tribui. *Pareus fauet Pelagianis.*

Respondeo. Id non posse, quia quod à patre discunt, à patre audiunt, interna voce, non possunt suo studio tribuere, cum vox illa omnem diligentiam, studiumq; præcedat. Deinde c. 11. audire & discere ait ipse, est efficaciter trahi. Sic enim interpretatur: hoc si verum est, quemadmodum tractio, ita auditio, & discendi profectus Pelagianis contrarius est.

§. 4. Contra arbitrii libertatem etiam pro Manichæis ex hoc loco pugnant. *Hinc sequitur*, aiunt, *non esse liberum homini gratiam recipere, vel reiicere. Alioqui fieri posset, vt aliquis audiret, & non veniret.* Quasi vero ille qui venit, possit etiam non venire.

Respondet Bellarminus lib. 6. c. 13. de gratia & libero arbitrio. *Omnis qui audiuit, & ita audiuit vt disceret, sine dubio venit, quia discere est persuaderi & credere. Qui autem persuasus est, non potest non venire, in sensu composito, tamen absolutè potest non venire, quia potest audire, & non discere, nec persuaderi. Nec enim frustra clamat Propheta in Ps. 94.* Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Ridiculum est quod obiicit Pareus, eius verba ponam. Labascit. Qui enim non potest non venire, non est liber ad non veniendum. Et hoc cogitur fateri. Effugium, quod sit liber absolutè, frustra est. Non enim de libertate absoluta, sed de libertate contrarietatis in statu peccati est quæstio, quam dari in non conuersis est falsum. Non loquitur de auditu externo, sed de interno, quem aduersarius frigidè vocat persuasionem.

Respondeo. Qui non potest non venire non est liber ad non veniendum in sensu composito, verum est, quia necessario venit in sensu composito. Nec miser ille professor vnquam percepisse videtur, quid sit esse necessarium, in sensu composito. Omnia contingentia in sensu composito sunt necessaria, cum eueniunt. Pluuia enim quæ contingens est, iam cum decidit, in sensu composito necessario cadit: necessarium est enim rem esse, cum est, licet esse absolutè non sit necessarium, explicuit illa Arminius, Vorstius, aliiq; Caluinistæ, aut vt verius dicam ex Catholicis descripserunt. Qui igitur discunt, posito quod discãt, hoc est credant, non possunt non venire. Poterant tamen non venire si discere noluissent. Nec hoc pertiores sectarii ignorant. Qui prædestinatos respectu suarum virium affirmant deficere, & respectu Dei, & decreti æterni perire posse negant. *In sensu composito venire quid sit necessario.*

At impii non possunt venire, non est in illis libertas. Respondeo. Posse, cum detur illis gratia sufficiens: non possunt suis viribus, sine auxilio speciali. De auditu externo & interno loquitur. Persuasio fides est, ac proinde tractionis effectus.

VERSVS 46.

Non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem?

QVÆSTIO I.

Quis viderit aut non viderit patrem?

§. 1. CVm dixisset omnium qui veniunt, patrem esse magistrum, omnes à patre audire; ne quis aut putaret patrem aspectabilem esse, & humanis rebus interesse conspicuum mortalibus, aut ne quis posset queri patrem sibi ignotum esse, obiectionem occupat, & monet ab humano consortio atq; oculis illam maiestatem longè remotam, animis arcanâ vi influere, per filium, cui soli cognitus est docere. Ita etiam Augustinus. *Quid est (tractatu 26.) quod ait, Ego vidi patrem, vos non vidistis patrem, & tamen non venitis ad me nisi trahamini à patre? Quid est autem vobis trahi à patre nisi discere à patre? Quid discere à patre nisi audire à Patre? Quid est audire à Patre nisi audire verbum patris, id est me? Ne fortè ergo cum dico vobis, Omnis qui audiuit à patre & didicit, dicatis apud vos, sed nunquam vidimus Patrem, quomodo ergo discere potuimus à patre: A meipso audite. Non quia Patrem vidit quisquam, sed qui est à Deo, hic vidit Patrem: ego novi Patrem, ab illo sum.*

Pater invisibilis per filium docet.

Affirmat etiam de patris notitiâ, & instructione frustra eos gloriari, qui audire nolunt. Filius enim verbum est patris, filius est à Deo, æternâ generatione, & manet in patre. Quamuis ipsa doctrina filii est à patre. Et ille ex Patris substantiâ, vt in lumine eius, videamus lumen, iuxta illud propheticum, *& in lumine tuo videbimus lumen.*

§. 2. Athanasius orat. contra Arianos Christi diuinitatem hinc asserit. *Cum Dominus*, inquit, *dicat, Nemo cognoscit patrem nisi filius*, & iterum: *Non quòd patrem quis nouerit nisi filius qui est ex patre: quomodo non vere contra Deum pugnant illi, qui dicunt, non videri, neq; cognosci patrẽ à filio perfectè? εἰ γὰρ ὁ κύριος λέγει, καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα, ἐκ τοῦτο μέρους ἂν γινώσκει ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν, πῶς δὲ μαίνονται φλυαροῦντες, ὅτι ἐκ μέρους, καὶ πλήρης ὁ υἱὸς γινώσκει τὸν πατέρα: Si enim Dominus dicit. Quemadmodum cognoscit me pater, & ego cognosco patrem, pater vero non ex patre cognoscet filium, quomodo non insaniunt garriendo, filium ex patre, non plenè cognoscere patrem?*

Christus perfectè cognoscit patrem, ideo Deus est.

Idem Athanasius dial. 2. de S. Trinit. omnib. creaturis inuisibilem Deum docet, non sibi, si enim filius qui est à patre, videt patrem, ergo & pater seipsum videt.

VERSVS 47.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.

QVÆSTIO I.

Quomodo vitam æternam habet qui credit?

§. 1. FIdes vera & viua, ius habet ad vitam æternam. Erasmus vertit: *qui confidit in me.* Hoc Beza reiicit, „ Hic nescio quid Erasmo venerit in mentem, vt contra suum morem verterit: Qui confidit „ mihi. Certè confidentia ea est, quam πεποίθησιν vocat Paulus, & à fide non minus distinguenda est, quam effecta distinguuntur ab efficientibus causis.“

Non igitur fides, quâ obtinetur vita æterna, est fiducia, seu spes firma, sed eius causa; frustra ergo omnia fidei tribuunt, frustra fidem in scripturis fiduciam esse clamant. Hic autem, & v. 40. eodem modo accipitur credere, itaq; nec illo loco fiduciam significat. Imò & Caluinus, *ideò* ait, *fide vitam consequimur, quia scimus in Christo contineri omnes vitæ partes.* Scientia itaq; non fiduciâ hic fidem definit.

VERSVS 48. 49. 50.

Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur.

QVÆSTIO I.

Quomodo viuant, qui ex hoc pane manducant?

§. 1. BEza vertere maluit pro pane *viuo viuificum*: hoc enim plus est, quam viuum esse. Non ignorauit hoc Euangelista, non tamen panem ζωοποιοῦντα sed ξῶντα, non viuificantem, sed viuum dixit: quamuis sit etiam viuificus. Præstat igitur singulis locis retentâ verborum proprietate verba Domini sequi, quam nostro iudicio plus minusue dicere, quam fas in verbis Spiritus sancti. Causam fuisse Euangelistæ cur ζῶντα diceret non dubito. Hilar. l. 10. de Trinit. legisse videtur ἐκ τοῦ ἄρτου μου. *Ex pane meo.* Syrus habet רנאכול אנש מנה, *vt comedat homo ex eo*, vel, *qui comedit.* Porro manna comederunt Patres & mortui sunt omnes morte corporali, multi æternâ. At qui Christi corpus manducant, mortem temporalem obeunt, & pari modo multi æternã. Ita vtrinq; morte corporis defunguntur, vtrinq; aliqui vitam æternam accipiunt, aliqui damnantur.

Patris.

Augustinus personarum comparationem esse iudicat, Manna comedisse plerosq; ingratos, non vt sacrum cibum, sed communem. Christi corpus aliâ mente comedi, ideo saluari eos, qui purâ conscientiâ manducant. Patres itaq; vestros signanter dictum arbitrantur, eos scil. quorum ipsi contumaciam æmulantur, non Mosen, Aaronem, alios q;, qui verâ fide, ac pietate manducarunt.

Commodior est aliorum expositio, res ipsas, panem quem dat Christus & manna comparari. Manna qui comederunt mortui sunt morte spirituali multi, nam vim spiritalem manna non habuit. Panem hunc di, non animum pascere, spiritum, & vitam æternam dare. Deinde qui hunc panem manducant, non mori ita vt in morte permaneant, ideo toties se eos in nouissimo die resuscitaturum pollicetur. Itaq; hic panis est immortalitatis cibus, restaurator non modo virium, sed & vitæ. Non dicit mori eos, qui exiguo tempore functi, in immortalitatem resurgunt, quod multis veterum contigit, qui manna comederunt, sed non ex manna corruptibili, sed virtute panis viui, qui est Christus.

Panis hic vim habet resuscitandi, non animandi, manna.

VERSVS 51. 52.

Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis mãducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.

QVÆ-

Qvæstio I.

An de Sacramento corporis sui Christus agat?

§.1. Latini codices semel duntaxat habent δώσω, *dabo*. Græci repetunt, etiam de carne, ἣν δώσω *quam dabo*. Ita etiam Augustinus, Chrysostomus, Cyprianus, seu auctor de oratione Dominicâ. Græci codices alii ὃν ἄρτον, alii ὁ ἄρτος. Syriaca versio sic legit: *Et panis iste quem ego dabo corpus meum ille, quod pro mundi vitâ dans ego.* Quo loco tria sunt notanda. Primum carnem in Syro vocari פגרי *Pagri*, quod à פגר quod est, *corrupit*, deriuatur, propriè; cadauer significat, hic corpus viuum significat, & versibus sequentibus eodem vtitur verbo, quod caro viua comedi non soleat, sed immolata in cibum cedat. Secũdum est, *pro mundi vitâ*: Syriacè עלמא *sæculi*, vt cõstet pro omnibus Christum mortuum. Tertium, secundo loco in Syro est præsens יהב dans, quod etiam in cibum detur pro mundi vitâ, non modo in cruce immoletur.

§.2. An de spiritali manducatione, an vero de mystica seu sacramentali agatur, iam multũ, diuq; disputatur. Patrum & Catholicorum exceptis paucissimis sententia est, de Sacramẽto corporis agi, & sanguinis. Hæretici pleriq; de solâ spiritali locum interpretantur. Quamuis eorum multi interdum de Sacramento accipiant. Caluiniani quidem metaphoricè accipiunt, vt veritatem Eucharistiæ negent. Lutherani ne transsubstantiationem admittere cogantur. Multi copiosè hac de re egerunt, doctissimè Sanderus. Sed de catholicis postea dicam: nunc de sententiis hæreticorum dicendum est. Primo quidem vrgere solebãt verba illa: *Caro non potest quicquam*, vt veritatem Sacramenti negarent, at postea sibi hoc telum inutile reddunt, si enim de verâ carne Christi, & Sacramento non agitur, non debent etiam illa verba: *Caro non potest quicquam*, de Sacramenti symbolis intelligi. Zuinglius autem l.de vera & falsa religione, pag.224.230. 231. & sequentibus, rationes adfert, cur nihil putet de mysterio dici. Eodem modo Oecolampadius super Ioannem qui & Bohemos increpat, quod pro vsu vtriusq; speciei hæc verba parum appositè vsurpent. Non agi de cœnâ probat: nondum enim instituta. Id Beza contra Heshusium, Pincierus in Antidoto friuolum iudicant, *Necessaria sc. demonstratio*: inquit Beza, quasi de cœnâ suo tempore instituenda iam tum differere Christus Ioannis 6. non potuerit. Eadem Caluinus, aliiq;. Sed plures tamen de Sacramento agi fatentur. Ipse Oecolampadius lib. de verbis Domini. Musculus in locis comm. Ioan. Lauatherus in historia Sacram. p.37. Liberinus Abdias ficto nomine in Syntagmate fol.53. Inprimis Wilhelmus Kleinwitzius, vt eum Lutherani appellant, hoc est, paruæ prudentiæ, contra Heshusium, ait se locum contra Lutheranos tanquam Aiacis Clypeum obiicere. Totam enim antiquitatem verba institutionis ex c.6. Ioannis exposuisse. Tigurini pag.9.& 11. contra testamentum Brentii, *caro non potest quicquam de Sacramento interpretantur, itaq; & cætera eodem modo intelligere oportet.* Iidem docent expositionem verbo cœnæ Dominiex c.6. Ioannis sumendam esse p.12. & veterem atq; orthodoxam Ecclesiam ita sentire. Myconius p.150. in Marcum. dicit Christum in cœnæ suæ institutione clarè repetere, quod Ioannis 6. dixerat. Postquam, inquit, Christus dicit, carnem suam esse verè cibum, & sanguinem suum esse verè potum, & hoc loco clarè idem repetat, &c. quid est quod simplicitatem verborũ Domini non ita accipimus, vt pro fidei dicamus natura, Christus dixit: ergo est? &c. Bulling. lib.3. in Ioan. in c.6. grauiter exagitat eos qui docent agi de Sacramento.

Idem tamen Decade 5. de cœna aliud sentit. Sed tamen priorem sententiam sæpius inculcat vt contra Brentium, p. 83. 86. & admonitione ad ministros. Caluinus in institut. & commentar. in Ioan. negat, libello contra Heshusium asserit. Martyr disputat. Oxonienſi tantum spiritalem manducationem esse affirmat. Beza in creophagiâ eandem esse carnem, & eundem sanguinem Ioan.6. & in cœna. Magis tamen contrariam sententiam probat. Ipse contra Westphalum probat agi de cœna. fol. 51. & 55. *Nos affirmamus, & in illâ concione Christi.* Ioan. 6. *Et in verbis cœnæ, nomen carnis siue corporis, itemque sanguinis propriè vsurpari.* Eodem modo Ioannes Leonardus. Caluiniani in confessione orthodoxâ anni 66. de manducatione spiritali in cœna, & extra cœnam interpretantur. Aretius serm.3. de cœnâ ait Christum hic manducationem corporis sui realem expresse negare. Cureus Caluinista omnino de cœna agi vult: *Ergo patet, hoc quod maximi momenti est, vniuersum consistere in concione* cap.6. Ioannis. Lambertus Danæus libr. contra Selneccerum: *Christum* ait, *suorum verborum optimum interpretem* Ioan 6 *exposuisse, quomodo verba cœnæ de carnis suæ manducatione intelligi velit.* & p.101. & 108. de cœna agere docet. Sed oblitus sui in Antosiandro negat. Gualterus p.126. in Marcum affirmat.

Petrus martyr omnino sententiæ suæ dubius, Hoc caput Ioannis ait, non habendum pro *fonte veritatis, sed pro cardine erroris.* 3. parte. Lutherani eodem modo diuisi sunt. Centuriatores Magdeburgenses luculentum hinc peti testimonium contra Caluinistas existimant centur.1. de cœna Domini. Ab illis verbis porro incipiunt. *Nisi manducaueritis carnem meam*, Hæc de aduersariis dicenda fuerunt, quod non desint, qui eos conuenire in ea sententia arbitrentur. Ex nostris sunt, Nicol. de Cusa, Thom. Waldens. Io. Gerson, Caietanus, Tapperus, Hessel. Iansenius, qui spiritaliter interpretati, docti quidem illi viri, sed non satis in lectione Patrum exercitati, aut suorum magistrorum, vt Hessel. opinioni obnoxii: minus de Turricremata. Gabriele mirum, nondum erant illæ quæstiones agitatæ, & ipsi vetustatis haud satis periti fuerunt. Videntur autem aliqui, & præsidium quod Catholicis inde est, demittere voluisse, & se molestiis obiectionum liberare. *Sententia Lutheranorum.*

§ 3 Postremus inter hæreticos quinq; libros de controuersia Eucharistica scripsit Pareus, in qua omnes & orthodoxos & hæreticos censet: Non autem negat hoc loco de Eucharistia tractari. l.1. c.6.

Si hic est promissio gratiæ Sacramentum præcedens, ergo hic Sacramentum promittitur. nam promissio Sacramenti est, Et l.3. c.3. clari⁹ omnino. p.10.

Sufficit hoc omnibus aduersariis refutandis cum res magni precii, admirabiles, nouæ, inusitatæ, sunt dandæ solent eas Prophetæ prænunciare, figuræ mõstrare, Deus ipse pacisci, ita hic factum esse confirmant Chrysosto. & Cyril. in huius loci expositione.

Toties enim repetit, & inculcat, *ne putarent*, inquit Chrysostomus, *ænigma, aut parabolam esse.* Imò causam reddit, cur nunc de Eucharistiæ mysterio concionetur. *Merito*, inquit, *hoc loco dubitare quispiam posset, cur hæc nunc Christus loqueretur, cum nihil proficeret nihil ædificaret, imò esset ædificatio nocumento? Ecce enim, inquit, multi ex discipulis suis retro abierunt, &: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Erant igitur hæc solis discipulis communicanda, & Matthæus priuatim cum ipsis loqui testatur. Quid ad hoc dicemus? Quanam verborum horũ vtilitas? Magna quidem, & necessaria. Cum enim in petendo cibo insiarent, & patribus suis datum memorarent, & mannæ tanquam magnum quiddam laudarent, omnia illa figuram & vmbram fuisse, rerum autem veritatem præsentem ostendit:* *Chrysost. sententia.*

Ideo

Ideo spiritus tibi meminit. Sed erat, inquit, dicendum: patres vestri manducauerunt mannam in deserto, ego autem vobis panem præbui. Sed magna sanè differentia: minus enim hoc quam illud visum esset. Mannæ mirabilum extulisset, suum de panibus deprimisset. Cum ergo de cœlo cibum quærerent, ideo frequenter de cœlo se descendisse testatur. Quod si quis percontaretur, cur mysteriorum sermonem adduxerit? Respondebimus, quod horum maximè tempus erat nunc. Obscurius enim dictum semper auditorem erigit, & attentiorem reddit. Non ergo perturbari debebant, sed interrogare & quærere, sed abierunt. Quod si prophetam eum arbitrabantur, credere eius verbis oportebat. Itaq; stultitia sua, non sermones Christi obscuritate perturbabantur: tu autem considera, quomodo eos ad se paulatim trahit. Non se non patrem dare dicit, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Sed aliena quædam doctrina erat inquies, & diuersa. Atq; Ioannes superius hoc significarat, Agnum ipsum appellans, sed non intellexerunt.

Scriptura propria intelligenda.

§. 4. Quin ratio nos ipsa docet, & scripturæ intelligendæ regula. Eam nempe propriè intelligendam cum inde nihil falsum, impium, aut contra aliam scripturam deducitur. Tertul. de carne Christi. Augustinus de doctrin. Christ. c. 10 Hic verò toties inculcat, corpus, carnem, sanguinem, cibum, potum, manducare, bibere: nec sine scandalo Iudæorum & discipulorum recedentium, quos videbat de reali manducatione intelligere, quibus cum posset vno occurrere verbo, si metaphoricè se locutum diceret, & edere non esse aliùd, quam in se credere. Cur ergo cum in tantâ conturbatione auditorum de metaphorâ nihil Dominus dixerit, nunc demum hæretici sensum exp essum abdicant, suum glossema substituunt. Nam corpus & sanguis non modo symbolum esse aiunt, sed nihil de cœnâ tractari. Quorsum tam clarè loqu tur Spiritus sanctus, si ad hominum opiniones, & argutias æternę maiestatis promissa detorquere fas est? Carnis sanè & sanguinis nomina propriè hic accipienda sunt, vt Caluin. l. 4 instit. c. 17 §. 7. negare non audet, nec hoc in loco B. za. Hic igitur de Eucharistiâ agitur, & nusquam tam apertè sicut hic promittitur, sed neq; Ioannes de illâ alio in loco agit.

Non est solius fidei manducatio.

§. 5. Cum Iudæos hac de re murmurare audiret. Iterum magnâ asseueratione eadem repetit, non habituros vitam, nisi carnem & sanguinem comedant, ac bibant. Quemadmodum autem Christus viuit propter patrem, ita nos propter Christum, ille non viuit fide propter patrem, sed cum substantiâ patris vnus, & humanitate iunctus, ita nec nos solâ fide, sed corporali præsentiâ. Idem ostendit Christi ascensio, vbi erat prius, quæ vera, realis, mira erat, ex eâ probat hanc pactionem spiritalem; nam vt ex eâ doceret fidem necessariam esse, nihil opus erat. Verus cibus erat manna, cui hic panis comparari non potest, nisi etiam verus cibus sit. Ideo Chrysostom. verum cibum esse dixit, vt sit sine parabolâ, si sine parabola comeditur, id non fit solâ fide: fidei enim manducatio non est nisi parabolica. Quod si solius fidei illa manducatio est, nihil hic noui, nihil mysterii inuenietur, ab initio mundi omnes fide in Christum saluati sunt, quicunq; vitam æternam adierunt, qui manna in deserto comederunt fideles, & pii, Christum illi per fidem manducarunt. Quid igitur Christo in mentem veniret, vt cum nihil aliud diceret, quam quod omnibus semper necessarium fuit, vt in mediatorem crederent, id nunc edendi & bibendi metaphorâ, seu potius ænigmate obscurissimo proponeret, quo omnes turbaret, nec tamen sese explicaret? Quemadmodum igitur cum Dominus ait. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu S.* veram aquam, ita hic veram carnem & sanguinem intelligit.

Origo contraria sententiæ.

§. 6. Initium & causa contrariæ sententiæ, à Manichæis, & qui illos tempore antecesserunt ortum est: nam alii veritatem corporis, alii Sacramenta negabât: itaq; Zuingliani & Anabaptistæ Marcionitarum, & Manichæorum proluuies eodem modo in rebus, & verbis sacris proteruiunt, veteres veritatem carnis negabant, phantasmate in locum veri hominis substituto, nostri in sacramento idem sibi licere volunt, Christus ait panem quem daturus sit esse carnẽ suam, quam daturus sit pro mundi vitâ. Non imago, non phantasma, non symbolum datum est pro mundi vitâ, sed ipse Christus, carne in cruce suffixa. Sic enim Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret, non similitudinem, aut imaginem vnigeniti. Figurarum olim tempus erat, veritati tropus, luci cessit vmbra. Dilectio Dei in doctrina data, in carne permissa, in manna defuso ostensa est, nunc se supereminens benignitas in vnigenita data carne & sanguine reuelauit.

Verum sententia.

§. 7. Si veteres audiamus, iam peracta controuersia fuerit, vt iam ex ipsis hęreticis demonstrari, magni autem eorum nobis consensus esse debet.

Tertul. l. 4. aduersus Marcionem, & l. de pudicitia. *Atq; ita inde de opinitate dominici corporis vescitur, vt & anima de Deo saginetur.*

Auctor. de orat. dominica ita hunc locum exponit, vt omnem dubitationem tollat.

Tantum vero abest, vt hunc locum non intellexerit de Sacramento, vt etiam petitionem illam orationis dominicæ: panem nostrum quotidianum da nobis hodie: eo reuocet: quę vetus fuit interpretatio nota etiam Tertulliano.

Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos, & ad Hedibiam, idem confirmat.

Augustin. tract. 26. in Ioannem. *Hunc panem significauit manna, &c. Et norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi, non negant esse, &c.*

Et tractatu 27. *Huius rei Sacramentum, id est vnitatis corporis, & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Domini mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur, aliquibus ad vitam, aliquibus ad exitium.* Et iterum tract. 26. Cum dixisset: *panem cælestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate*: addit: *Peccata & si sunt quotidiana, vel non sunt mortifera, antequam ad altare accedatis: attendite quid dicatis.*

Idem de doctrina Christiana c. 8. Epistol. ad Probam. & l. 2. de Sermone Domini in monte. c. 12. & Ambr. lib. 4. de Sacramentis c. vltim. Et Augustinus de peccatorum meritis & remissione, cap. 2. & 20. & 24.

Origenes hom. 16. in Numeros.

Athanasius dial. 5. de sancta Trinitate, Proprium corpus hic indicari fideliter asserit, inde propriam etiam animam esse Christo demonstrat.

Basilius in moral. reg. 2. cap. 1. & lib. 4. aduersus Eunomium, dum exponit verba, quibus Christus se viuere propter patrem asserit. Probat, sic nos propter ipsum viuere. Monet etiam doctrinam veram non omittendam propter eos, qui scandalizantur.

Et in moral. reg. 8. c. 3. hunc articulum inter eos refert, qui difficilimè intelliguntur.

Nyssenus orat. 10. contra Eunomium. & hom. 8. in Ecclesiasten.

Chrys. hom. 45. in Ioan.

Cyrillus Alexandrin. in Ioan. l. 4.

Cyrillus Ierosolymit. Catechesi 4. & 5.

Concilium Ephesinum Epist. ad Nestorium.

Damascen. l. 4. de orthodoxa fide.

Theodoretus l. 4. historiar.

Theophylactus in hunc locum.

Hesychius in 6. Leuit. c. 21.

Syng-

Synodus Nicæna 2. actione 6.
Fulbertus Epistola ad Theodahatum.
Aliæ rationes ex textu sequente adducentur.

QVÆSTIO II.

Quæ obiiciant aduersarii?

§. 1. CIbum illum negant vocari Eucharistiam, aiunt esse fidem. v. 27. *Hoc est opus Dei, vt credatis.*

Caluinus in cœnâ nihil esse aliud asserit, quam obsignationem gratiæ, & c. 6. promissionem iustificationis l. 4. instit. c. 17. §. 24.

Respondeo. Cyrillus & Chrysostomus, etiam illum locum de Sacramento interpretatos, non tamen eam nos sequi expositionem ad soluenda cauilla hæreticorum necesse est. Cum ex ipso Caluino eos confutare possimus. Ille enim l. 4. c. 17. §. 5. manducationẽ effectum fidei appellat. Christus primo generatim cõmotos panum miraculo, ad fidem hortatur: deinde se missum ait, vt animas pascat, cum manna, aut corporis cibum vrgerent. Tandẽ mysterium Eucharistiæ exponit. Et hoc Caluinus licet de Eucharistiâ negetagi, tamen ad eam pertinere concedit. Supra modum autem ridicula glossa est. Comedite, *nisi comederitis*, hoc est, nisi speciali fiduciâ vos iustos esse vobis persuaseritis, etiam ante pœnitentiam. Itaq; manducare est, se electum credere, dari corpus Christi, est dicere: eos electos esse. Nec enim aliud fingi potest. Si enim edere, est credere se electum, non potest esse aliud; dare cibum, quam testari illos electos esse. Itaq; dare corpus & sanguinem, est testari illos esse electos, non igitur propriè corpus aut sanguis accipitur.

§. 2. Argumentum alterum est Victorini hominis ineruditi, & Scuhlfselbergii articulo 35. Theologiæ Caluinistarum. Victorinus ita disputat de consensu anno 47. Concio de manducandâ Christi carne, & bibendo sanguine, anno secundo, vel tertio habita est, at in vltimâ cœnâ est instituta Eucharistia, non ergo tanto ante de eâ agi potuit.

Respondeo. Futile esse argumentum ex tempore sumptum. Nam siue secundo anno siue tertio Christi concio habita sit, nihil impedit quo minus de Eucharistiâ, non institutâ, sed instituendâ agat. Promissio præcesserit, & prædictio, res vltima vitæ nocte præstitâ est. De passione, resurrectione, dando Spiritu sancto discipulos sæpe monuit, cur non etiam de tanto mysterio facere mentionem antequam institueretur liceret, vt cum fierer crederent? Legem in Ecclesiâ esse de sumendâ Eucharistiâ nemo dubitat. At alio loco nusquam, nisi hoc solum inuenitur. Deinde fatetur Schlüsselbergius argumentum Victorini etiam à Caluinistis solutum esse.

§. 3. Quod Augustino obiiciunt, quasi aliud senserit, conscientiâ repugnante, veritati contradicunt. Toto enim tractatu Augustinus de Sacramento corporis & sanguinis loquitur. *Nam & nos*, inquit, *hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur*? Vrget enim vt ita manducent, vt corde manducent, vt intus, non foris. Id qui non facit, tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumit accedere ad Christi Sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est. Verba Augustini quæ ipsis fauere sibi persuadent sunt ista. *Hoc est ergo manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes, & ventrem. Crede & manducasti.*

Quibus ille verbis non tollit veram manducationem, quam toties commendat, sed ad credendum negat illam necessariam esse, Christum enim vocat cibum, & eius possessionem dicit manducationem. Verum ex toto contextu Augustini apparet locutionem esse comparatiuam: qualis illa: *misericordiam volo, & non sacrificium.* Nam pluris est manducatio spiritalis, quæ corde, quam carnalis, quæ ore fit. *Quam multi*, inquit, *de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur. Vnde dicit Apostolus: Iudicium sibi manducat, & bibit.* Et deinceps: *quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non ad visibile Sacramentum.* Et: *Norunt fideles Christi corpus, si Christi corpus non desinat esse.* Et: *Incorporetur vt viuificetur.* Et: *Qui eam non sumpserit non viuet: nec tamen qui eam sumpserit, viuet:* nempe escam Patrum. De Domini corpore dicit ita non esse, & interpretatur societatem sanctorum, sed ita vt Eucharistiam dicat eius rei Sacramentum. *Huius rei sacramentum*, inquit, *id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium.* Deniq; addit: *Eum qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus non manducare spiritaliter carnem eius, nec bibere sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis.*

Christus deniq; cum nõdum de suo corpore quicquam dixisset, exponit quid sit operari cibum, qui nõ perit, nam quærentibus cibum, dentem & ventrem parantibus loquebatur, postea interuallo de suo corpore loqui incipit, cum illi manna obiicerent. Sic Augustinterpretatur. Crede & manducasti cibum, qui non perit, non autem crede, & credendo duntaxat manducasti corpus Dominicum. Adde quod magna pars Caluinistarum de Sacramento agi toto capite pernegant, si id verum est, non debent ex eo agere contra Sacramentum Domini. Verba Augustini sunt. *Hoc est ergo* manducare cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam.

Cibus qui non perit.

Non ergo Augustinus exponit, quid sit manducare cibum Dominicæ carnis, sed cibum operati qui nõ perit, quod facere etiam possunt, qui Sacramenta nulla sumpserunt. Imò Augustinus illos cibos apertissimè distinguit lib. 2. c. 12. serm. in monte. Aut enim per panem intelligimus res ad vitam necessarias, aut Sacramentum corporis Christi, aut alimentum spirituale, de quo Christus dixit: operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Hunc cibum eodem loco de doctrinâ cœlesti, & mandatis Dei interpretatur, quæ credenda & facienda sunt. Nulla igitur est species, nullus color vanæ ratiocinationis. Augustinus operari cibum qui non perit esse credere doctrinæ cœlesti, & qui illi credidit, manducauit illum cibum, qui non perit, etsi dente non atterat, ventre non excipiat: non igitur verè & realiter manducatur corpus & sanguis Domini, sed fide tantum. Non magis hoc inde sequitur, quam veteres Patres non mãducasse manna, quia multi eorum crediderunt, & credendo operati sunt cibum, qui non perit. Quin illa argutia, etiam symbola quæ sola illis supersunt, de medio tollerent. Imò Christus ne quidem ab operando cibo, qui perit, eos deterret, sed tantummodo docet, primam animæ habendam curam, deinde corporis: damnantur enim qui ignauiæ & ἀφροσύνης inde prætextum quærunt. Si ergo comparatio illa non tollit moderatam tuendæ vitæ, & familiæ sollicitudinem, cur vetaret Dominicum corpus & sanguinem sumere? Augustini verò scopus est, excitare suos vt dignè corpus & sanguinem Christi sumant, in sequentibus. At in his verbis tantum exponit, quid sit operari cibum, qui non perit.

Ratio Caluinianorũ parui momenti.

VER-

VERSVS 54.

Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

QVÆSTIO I.

An & quale præceptum sit de manducando corpore Domini, & sanguine bibendo?

§. 1. QVamuis præcipiendi formulâ non vtatur Dominus, imperat tamen, cùm exitium non manducanti, & non bibenti minatur. Omnib. igitur Sacramentum Eucharistiæ sumendum est, quod olim quidam omni die, alii diuersis interuallis dierum sumebant, nunc lege latâ quisq; minimum semel in anno sumere iubetur. licet nunc multi quotidie, alii per interualla frequentia sumant. Augustl. 2. de sermone Domini c. 12. *Eucharistiam*, inquit, *quotidie ad cibum salutis accipimus.* Eam consuetudinem suo tempore, Romæ & in Hispaniis viguisse, testatur Hieronymus ad Lucam Bæticum. Etiam tempore Ambrosii quotidiana communio perseuerabat in Ecclesiâ Mediolanensi, vt ille habet libro 4. de Sacramentis, cap. extremo. Eandem fuisse consuetudinem in Africâ etiam ex Tertulliano, & Cypriano discimus.

Præceptum est, vbi pœna indicitur.

§. 2. His ex verbis tot nascuntur difficultates, vt territi multi cesserint, & sint spiritaliter interpretati. Prima est; Non potuit præceptum dari, cum nondum institutum esset hoc Sacramentum, nec illi tenebantur comedere corpus, & bibere sanguinem Domini.

Præceptum post institutionem obligare cœpit.

Respondeo, Illam facilè solui, non enim tempus manducandi & bibendi præscribit, sed quid necesse sit, edocet. Promittit corporis & sanguinis escam ac potum, mirantibus & murmurantibus vero dicit, non habituros vitam nisi comedant, & bibant. Non autem hoc vult eos ante institutionem præcepto obligari, sed tum cum institutum fuerit Sacramentum, ipsi vero baptizati, & instructi. Quemadmodum cum Nicodemo diceret: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto: non obligauit ante institutionem quemquam vt baptizaretur. Multi enim credentium non baptizabantur, nisi post ascensionem Domini. Sic multa in Mose legibus in monte Sinai proposita, non nisi cum ad quietem terræ sanctæ ventum est, obligabant. Quod si Christus voluisset, & dedisset, manducare oportuisset, nondum autem dabatur Eucharistia, itaq; nec obligare poterat sumendi vllum mandatum. Nec obstat, quod mox additur in præsenti. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem. Non enim indicat, id iam fieri: nullus enim iam tum manducabat, non enim vlli dabatur. Sed vim corporis & sanguinis significat, qua futurum est, vt quicunq; manducauerit digne quocunq; tempore, is habeat vitam æternam. Similes loquendi modi sunt innumeri, qui omne tempus complectuntur, etiam futurum. Ioan. 9. 4. *Venit nox*, pro, *veniet*. & 15. 5. Et in Græco Ioan. 13. 8. ὐκ ἔχεις *non habes*, pro, non *habebis*. Et in Græco. & 16. 22. nec obiectione hac vtuntur, nec vti possunt prudentiores aduersarii, cum illos indicatiuos præsentes pro futuris accipiendos doceant. Imò Caluinus Ioan. 16. 22. vertat: *Tollet*, quod in Græco est ἄρει, quemadmodum & vetus interpres fecit.

§. 3. Grauius est, quod de præcepto obiicitur. Hic enim si de corpore & sanguine Domini agitur, præceptum ponitur graue, quod nunquam Ecclesia agnouit. Non igitur de sumptione Eucharistiæ sermo est. Hoc enim Sacramentum ad salutē non est necessariū.

Respondeo. Lege sumendæ Eucharistiæ eos obligari, qui illud legitimè sumere possunt, seruato honore, qui tanto mysterio debetur. Quaporro necessitate ad hoc mysterium vsurpandum fideles obstringantur, disputant boni auctores. Alii necessitatem medii esse iudicāt ad perseuerandum, vt Vincentius: alii solam præcepti necessitatem agnoscunt, vt Soarez: cuius sententiam veriorem iudico. Et crebro hoc præceptum obligat, vt repetit. 6. cap 7. optimè exponit Sanctesius. [Certè cum adulti vix in vita spirituali & cum CHRISTO diu permanere queant, nisi Eucharistiam dignè frequentent: sicut obligantur ad vitam in se continendam, ita obligantur ad modum perseuerandi in vita, & amissam recuperandi. Ideo Cyprianus ait: Timendum est, & orandum, ne dum quis abstētus seperatur à Christi corpore, procul remaneat à salute comminante ipso, & dicente: nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c. Chrysost. refert Christum frequenter in mysteriis versari, & demonstrare, omnino necessarium esse vt corpus comederent. Cyrillus vero proclamat, sciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, si rarius in Ecclesiam proficiscantur, & longo temporum spatio per simulatam religionem mysticè communicare Christo recusent, ab æterna se vita procul depellere. Qua de causa in primitiua Ecclesia, ilico post baptismum ad Eucharistiam deducebantur, sicut ex Iustino, Cyprian, Ambrosio, Cyrillo Hierosolymitano, atq; aliis patet, vt vita in baptismo parta cōseruaretur. Quin etiam quotidie perseuerabant communicatione, & fractione panis, ex isto præcepto & præcepti fine incitati, quemadmodum faciendum monent ferè antiqui omnes qui commentantur, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quos alibi recensuimus: de quo Ambr. quem ad verbum imitatur Augst. Accipe quotidie, q̄ quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidiè merearis accipere. Tu audis q̄ quotiescunq; offertur Sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, Eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorum, & panem istum vitæ non quotidianū assumis. Qui vulnus habet, medicinā requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est cœleste & venerabile Sacramentum. Propter istud, Nisi manducaueritis, primi quoq; Christiani periculosum credebant sine Eucharistiæ viatico de hac vita decedere, & pœnitentibus atq; præcisis de Ecclesia indulgebatur frui Eucharistia in mortis articulo ne ipsis via vitæ intercluderetur.

Necessitas præcepti obligat.

§. 4. Quod ad infantes attinet illis à baptismo mox Eucharistia dabatur, idq; fuit antiquissimum, Dionys. c. 2. & 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Vbi cum refert baptizatis dari mox Eucharistiam, non videtur excludere infantes, quamuis pro exemplo adultam producat. Apud Cypr. Serm. 5. de lapsis est clatior consuetudo. Græci hodieq; faciunt.

Aug. sententia est l. 1. de peccat. meritis & remissio. c. 20. Ep. 106. & 107. *Auferatur dubitatio: Dominum audiamus, non suspiciones coniecturasq; mortalium. Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de Sacramento lauacri dicentem, sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo vitè nisi baptizatus accedit, Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quid vltra quærimus? Quid ad hoc respondere poterunt, nisi pertinacia pugnaces neruos aduersus constantiam perspicuæ veritatis*

ritatis intendant? An verò quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad paruulos hæc sententia non pertineat, posse nempe sine participatione corporis huius & sanguinis in se habere vitam, quia non ait, Qui non manducauerit, sicut de baptismo, Qui non renatus fuerit, sed ait, si non mãducaueritis, velut eos alloquẽs qui audire & intelligere poterant, quod vtiq; non valent paruuli? Sed qui hoc dicit, non attendit: quia nisi omnes ista sententia teneat, vt sine corpore & sanguine filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas maior id curat. Potest enim si non voluntatem sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur, quia non ait, si quis non manducauerit, sed, Nisi manducaueritis. Pelagiani sine baptismo paruulos non ingressuros regnum dicebant, quia scriberetur: Nisi quis renatus fuerit: attamen sine baptismo vitam assequi posse. Augustinus respondet, duplex Nisi in scriptura haberi de duobus Sacramentis: atque, vt sine priori, quod est de Baptismo, assentiebantur non obtineri regnum, ita assentiendum sine posteriori, quod est de mensa & corpore Domini, non posse peruenire ad vitam, proinde paruulos sine Sacramento corporis Dominici non habituros vitam ex puris naturalibus, vt opinabantur Pelagiani.

Augustinus itaq;, Innocentius, Eusebius Emissenus, necessarium arbitrati sunt. Et multi erant in câ sententia etiam tempore Rodulphi Ardentis. Augustinus tamen post contra Donatistas videtur de suâ sententiâ recessisse. Beda eum citat c. 20 1. Cor. ex sermon. ad infantes, *paruulos alieno corde credere & alieno ore sumere corpus Domini.* Interim non est necessaria omnino omnib. illa sumptio, sed vt dixi, qui ratione vtuntur, & se probant, vt dignè accedant, quod tamen facere debent, qui occasionem habent.

§. 5. Augustinus frequenter spiritalem sumptionem commendat, inquiunt. Ita sanè est: id etiam quotidie fit: nam ad iudicium multi sumunt. Nam l. 21. de ciuit. c. 25. Hæreticos & indignos negat manducare. Monet non Sacramento tenus, sed reuera corpus Christi manducandum. Sic serm. 2. de verbis Apostoli, & tract. 26 in Ioan.

Respondendum igitur distinctione aliqua totam rem confici. Sacramenta à Cypriano, & Augustino tribus modis considerantur. Primo quatenus à ministro conficiuntur, vt Eucharistia, quatenus verbo accedente ad elementum conficitur, & præsens est corpus ac sanguis domini. Nam materia est & formâ, qua totum perficitur. Deinde considerantur, vt existunt, seu vt loquuntur in facto esse. Sic constat re terrenâ & cœlesti, Eucharistia speciebus & corpore ac sanguine Domini. Tertio considerarur eorum efficientia, nempe speciẽtum corporis sanguinis significatio, & effectio gratiæ. Latè hæc patet. Nam Eucharistia non modo est signum gratiæ, sed etiam signum Christi corporis, quale est in cœlo, signum etiam corporis in cruce immolati, signum corporis Christi, quod est Ecclesia. Hanc ob causam variæ sunt Patrum de Eucharistiâ locutiones, quarum aliquâ cum vtuntur, non tamen alias excludunt. Hinc *Christi corpus* apud Patres non semper eandem habet significationem, & *res sacramenti*, seu res cùm absolutè in hac materia ponitur. Sacramentum apud August. accipitur pro integro eo quod signum externum habet, & corpus ac sanguinem Domini, non pro solis speciebus, siue externo signo. Rem sacramenti ille vocat, non solum corpus & sanguinem Domini, sed etiam effectum, & gratiã, quæ iuncta est integro Sacramento. Hoc corpus Christi vt est in Sacramento, significat & corpus Christi, quod est naturali modo in cœlo, & corpus Christi mysticũ ꝙ est Ecclesia, & gratiam spiritalem. Hoc modo dicit hæreticos non manducare corpus Christi, quia non sunt membra Christi. Corpus Christi est illo loco corpus Christi cum efficientia, & gratia, qua spiritaliter in Christo manent, qui eam accipiunt, hoc modo non accipiunt corpus Christi. Hæc etiam vocatur res Sacramenti, quæ nulli ad exitium prouenit.

Sanctesius repetit. 6. pag 246. [Confitetur enim expresè Augustinus, Sacramentum integrum & carnem Christi, aliarum rerum quas significat, aut efficit, Sacramentum, id est signum & partem integri Sacramenti, quod integratur ex rebus illis quas significat, vel operatur. Sic enim loquitur: Corpus Christi, res Sacramenti, & Sacramentum. Caro eius est, quam formâ panis opertam in Sacramento accipimus, & sanguis eius quem sub vini specie & sapore potamus: caro videlicet carnis, & sanguis & Sacramentum sanguinis, carne & sanguine vtroque inuisibili, spiritali, intelligibili, signatur. Visibile Domini nostri Iesu Christi corpus & palpabile, plenum gratiæ omnium virtutum & diuina Maiestate. Hîc integrum Sacramentum in existentia agnoscit esse partem Sacramenti, quatenus in significatione versatur, ipsumque integrari tanquam ex re, ex corpore eodem Christi, quatenus in statu naturali existit, & est visibile. Alibi eandem Christi, carnem quatenus existit, sub Sacramento & signo panis, ex multis granis aggregato fieri ait: rursus signum & partem Sacramenti, quod tanquam ex re integratur, ex vnitate fidelium, & corpore Christi mystico. De ista Sacramenti acceptione dixit: Huius rei Sacramentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum, in Dominica mensa præparatur. Rem eius vocat ipsam vnitatem, vt paulò ante allegabamus. De eadem concludit alibi: Sacramẽti participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse quod illud Sacramentum significat, inuenit. Vbi loquitur de participatione mystica per baptismum, qua quis Christo incorporatur, & fit membrum corporis mystici, quod statim repetemus. Tertio apud Augustinum, caro Christi sub elemento, & perceptio totius Sacramenti fit signum & pars alterius totius Sacramenti, quod integratur tanquam re ex fructu & digna communione, seu ex participatione non solius carnis sub elemento panis, sed virtutis eius spiritalis, gratiæ & vitæ, qua caro est prædita, & quam Augustinus vocat rem Sacramenti in ea ratione considerati. Sic dixit, Sacramento tenus & non reuera comedi corpus Christi ab eo, qui manet in Christo: & in quo Christus non manet, & in veritate spiritaliter non manducare, qui vitam Christi non manducat. Non ait simpliciter in veritate non manducare, sed in veritate spiritaliter: & in his omnibus locutionibus interpretatur, ac citat expresè, Caro non prodest quicquam: spiritus est qui viuificat. Vbi ex mente Augustini Christus docet carnem suam duobus constare, carnis substantia, & diuino spiritu. Vt ergo Christus sine participatione spiritus negat rem & veritatem suæ carnis, quæ esset spiritalis, cui tum deesset sua proprietas, licet substantia communis carnis poneretur: eo pacto Aug. negat eiusdem carnis sumptionẽ in Sacramẽto, alludens ad Christi dictum. Sicut a. Christus non it inficias veram esse carnẽ, de qua loquebatur: ita Aug. nõ inficiatur verã Christi carnẽ in se spiritaliẽ in Sacramẽto percipi, sed mãducanti ait nõ fieri re vera Corpꝰ Christi, & carnem eius nisi de spiritalitate eius participetur. Eam esse Augu. intentionem patet ex fine expositionis de ipso superius allatæ ad illam clausulam, verba quæ loquor vobis spiritus & vita sunt: vbi concludi verba de esu carnis intelligẽda spiritaliter, id est, vt non solùm de ipsa carne, sed de spiritu eius pascamur & vegetemur. Quod nisi fiat & solꝰ carnis sumptione fuerimus contenti, sine communicatione spiritus, tum quidem ait carnaliter verba Christi à nobis

„ intelligi : & quamuis in se & in natura ipsius carnis,
„ verba sint spiritus & vita, non tamen ita sunt sumenti
„ carni, sine spiritus participatione, nec illi est re vera
„ caro Christi, & in veritate, qualis est in se & per suam
„ naturam in ipso Sacramento, sed non ei talis re vera
„ succedit. Augustin. conclusio illa sic habet. si separa-
„ tur à Christi corpore non est membrum eius. Si non
„ est membrum eius, non vegetatur spiritu eius. Spiri-
„ tus ergo est, qui viuificat: Caro non prodest quicquā.
„ Verba quæ locutus vobis spiritꝰ & vita sunt. Quid est
„ spiritus & vita sunt? spiritaliter intelligenda sunt. In-
„ tellexisti spiritaliter? spiritus & vita sunt.]

Augustinus itaq; vocat etiam rem & veritatem Sacramenti, veritatem corporis Christi, idem vocat effectum & sanctificationem, spiritus participationem, actum demum perfectam agnoscit sumptionem, si omnia illa iungantur. Sic etiam Auctor de cœnâ. *Panis quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa Sacramenta deuotio, & ad veritatem cuius corpus Sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, vsq; ad participationem spiritus: non quod vsq; ad consubstantialem Christi, sed vsq; ad societatem germanissimam eius hac vnitas peruenisset.*

§. 6. De mystico corpore Augustinus propter Donatistas facit frequenter mentionem, illi enim se ab Ecclesiâ separabant, & in suis cœtibus communicabant. Hos Augustinus negat verè carnem, & sanguinem recipere, sc. cum effectu, spiritu, & vnitate, in quâ non erant. Ita tract. 27. in Ioan. *Spiritus enim facit viua membra nec viua membra spiritus facit, nisi quæ in corpore, quod vegetat spiritus, ipse inuenerit. Nunquid viuificat membrum quod separatum inuenerit à carne tua? Hæc dicuntur vt amemus vnitatem, & timeamus separationem. Nihil enim sic debet timere Christianus, quam separari à corpore Christi.*

Manducari autem in Sacramento corpus Christi sentit Aug. Nam expresse ait: *Carnē Christi & sanguinem Christi, non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali: sed vsque ad spiritus participationem manducemus & bibamus, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus.*

§. 7. Quod vero de doctrina Christi cap. 26. apud Aug. legitur, scripturam ita intelligendam, vt non videatur ioandare flagitium, si comedi videatur. & l. 2. c. 9 contra aduersarium legis & Prophetarum. *Mediatorem Dei & hominum Christum Iesum, cuius carnem nobis manducandam, bibendumq; sanguinem, dantem, fideli corde & ore suscipimus, quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere.*

Non mandari flagitium cum sanguinis potus præcipitur.

Hæc ille monet, ne more Capernaitico laniari Christi corpus aliquis arbitretur. Non enim in partes scinditur corpus Christi, cum modo indiuisibili sub speciebus conseruetur. Estq; illa spiritalis sumptio, non opposita carnali, sed visibili, quæ attritu dentium, cibi contritione, & laceratione peragitur. Blasphemat itaq; Beza, cum in apologia pro colloquio Mompelg p. 34. Capernaiticam appellat.

Non est Christo indignum esse in Eucharistia.

Quid idem horrendū est, Christum totum simul, vero sed indiuisibili modo os sumētis intrare? & speciebus consumptis esse desinere in sumente? Non ingreditur, vt more corporum locum dimensum, non premitur tactu physico à visceribus, non atteritur instrumentis edendi. Non repugnat hoc dignitati corporis Christi, sed consentaneum est ardori caritatis, quâ nos dignatus est, fuit illud & in vtero virginis, & in stabulo, & in sepulchro, & dignitatem tenuit. Diuina maiestas omnipræsens non modo in cœlis resi-
det, sed in omnib. sordibus interest, nec cœno tamen polluitur, nec peccatorum spurcitie contaminatur. Imò inferos adeo dœmonas præsentiâ suâ replet. Consule hac de Cyprianum de Christi natiuitate.

VERSVS 55.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum, in nouissimo die.

QVÆSTIO I.

An Eucharistiam sumens habeat vitam æternam?

§. 1. SYrus quam ob rem loquēdi modum hic mutarit, cogitare non possum; nam cum hactenus comederitis carnem, & biberitis sanguinem, hic habet בשר דמי בשרי *men pagri dami men demi, de meo corpore, de meo sanguine.* Quod nullo modo intelligendum est, quasi partem de corpore, vel sanguine, non totum sumant. Iterum atq; iterum ista Dominus inculcat, & veritatem asserit. Nec tamen necesse est etiam impios qui communicatione corporis & sanguinis dominici vtuntur, vitam æternam habere, vel in Christo manere. Vis enim & efficacia mysticiexplicatur, effectusq; quem habet ex sese, nisi aliunde impedimentum adferatur. In generalibus enim propositionibus, conditiones necessariæ sunt intelligendæ. Errant igitur qui indignos manducare negant: quod faciunt omnes pene Caluiniani, quamuis quidam illorum gradus indignorum constituant. Arctius sermon. de cœnâ quosdam indignos ait, qui *audebant* & discunt in posterum dignè sumere. Alios nulla castigatione emendari, illos ad iudicium sumere.

Cibus vitam habent vitam æternam conferat.

Manducationes indignorum.

Alii etiam de indignis perplexè loquuntur. Marloratus in Euangel. p. 163. Quosdam ait atheos, illos non sumere corpus Christi. Alios fide historica omnia reuelata credere, habere tamen grauissima peccata, nec curare pœnitentiam. Alios habere veram fidem, sed vitâ & moribus remissius agere. Zanchius de cœna, & in Misceilaneis, vt etiam Bucerus, Caluinus; alios planè impios, alios planè pios, tertios fide mortua, & peccatores, alios fide viua, sed in vita Christiana remissiores Sacramenta accedere. Primos negant accipere corpus Domini, secundos aiunt ad vitam accipere. Tertios vtcunq; manducare carnem & sanguinem, nam in os mentis imponere & degustare, in ventriculum cordis non traiicere, nec retinere, ideo iudicium sibi manducare & bibere. Quartos verè accipere, sed ad iudicium, non quidem condemnationis æternæ, sed castigationis temporariæ.

§. 2. Hæc dum sollicitè distinguunt, causam suam prorsus affectam ostendunt. Nunquam enim mentem animi expromere audent, vt definiant, qui sint indigni. Nam si peccatis fieri indignos concedant, periit fiducia, quam ante pœnitentiam iustificare ac beatificare contendunt, qua Dauid semper sanctus & iustus fuit. Si vero dicant, adulteros, homicidas, fures si modo credant sua sibi peccata non imputari dignos esse, timent non modo irrisiones & infamiam, verum etiam ordinis politici euersionem.

Caluinista nullum indignum.

At tamen si scitis suis conuenienter docere velint, necesse est vt dicant eos esse dignos, qui veram, quam illi putant, fiduciam, habent, creduntq; non imputari sibi peccata: quāuis grauissimis scelerib. scateant. Nam Dauidē adulterum & homicidam non possent reiicere, si ille dicat, se credere peccata non imputari.

Iustus

Iustus enim est, & Spiritum sanctum habet, vt illi docent. Si igitur immotam in animis illorum sedem Spiritus sanctus posuit, si animos eosdem obsignauit, certosq; reddidit, esse filios Dei, manere in Christo, & Christum in ipsis, nec vllo peccato Spiritum sanctum expelli, quomodo possunt eos à Sacramentis, quæ nuda Symbola sunt, arcere? Digni signis sunt, qui rem possident, non possunt esse indigni tesserâ regis sui, qui perdere Christum iam amplius non possunt.

Quam autem alienum sit à sententiâ Caluinianâ quartos illos ad temporariam castigationẽ sibi manducare, vel hoc ipsum docet, quod pœnam temporalem, cum æterna remissa est, nullam agnoscant, ne purgatorium cogantur admittere.

Augustinus & pios & impios vnum accipere fatetur sacrificium lib. 5. c. 6. contra Epistolam Parmeniani. *Vnum atq; idem Sacrificium proter nomen Domini, quod inuocatur, & semper factum est, & tale cuiq; fit, quali corde ad accipiendum accesserit. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Tom. 7. de Baptismo contra Donatistas. l 5. c. 8.*

Iudæ datam ait Ps 10. *Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo sed malè accipiendo, locum in se Diabolo præbuit: sic indignè quisq; sumens, Dominicum Sacramentum non efficit, vt qui ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus.* Qui manducat indignè iudicium sibi manducat & bibit. *Tom. 7. contra Donatistas l, 5. c. 8.*

Eadem eius sententia lib. 2. de Baptism. contra Donatistas. Hieronymus in Agone mortis. Orig. Ps. 37. Cyprianus contra Iudæos lib. 3. Chrysost. hom. 6. ad populum Antioch. Basil. li. 1, T. 3. de baptismo. Cyril. l. 4. in Ioan. c. 1. Lanfrancus l. de Sacramento Eucharist. Euthym. p. 2. titul. 21. vbi recenset sententiam Damasceni. Cassianus collat. 7. Leo ser. 4. quadrages. Eucherius in 2. reg. 6. Ambros. lib 4. c 4. de Sacramentis.

VERSVS 57.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

QVÆSTIO I.

Quid est, manere in Christo?

§. 1. AMicitiam intimam & consensum cum Christo indicat, quo fit vt fideles cum Christo quasi vnum corpus efficiantur, & sint inuicem membra. Beza in hunc locum ita notat. [Cæterum in vno codice vetusto, nimirum quiddam deprehendimus, nam post finem versiculi 57. ἐν αὐτῷ adscripta hæc erant. Καθὼς ἐνέμοι ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρὶ ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν. ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ.]

De fide codicis non est quod dicam Nullus interpretum, nullus Patrum eius lectionis meminit; corruptum ab Italis, maligna est suspicio, cum de verbis scripturæ non de sensu sit disputatio.

§. 2. Nihil hinc ad stabiliendam solius fidei manducationem conficitur. Qui enim dignè manducant, & bibunt, non ad iudicium, illi sunt membra Christi, cæteri rebelles, & pecantes manducando.

QVÆSTIO II.

An ex præcepto manducandi colligatur speciei vtriusq; vsus, eiusq; necessitas?

§. 1. LVtherani qui negant de Eucharistiâ agi, ideo non possunt eum locum ad suam hæresin detorquere. Caluiniani negant veritatem, ideo non debent iactare speciem. Hussitarum, & Wicleffitarum illæ ratiocinationes sunt.

Inter omnes conuenit Christum totum sub vtroque symbolo esse, & sumi. Hoc ne Caluinus quidem inficiatur: cum ait, sanguinem sub carne contineri, nostræ ruditatis causa distinctè exprimi. *Quin expressè dicit in versu 53. Nec verò rectè Bohemi quum hoc testimonio probarent, vsum calicis promiscuum debere esse omnibus.* Clara ratio. Caro sine sanguine non editur, sanguis sine carne non bibitur. Qui manducat carnem, viuam manducat, & sanguine suo rorantem, qui bibit sanguinem in venis, & loculis suis carni inclusam bibit. Mandatum edendi & bibendi de symbolis non est datum, sed rebus veris. Si de fide & spirituali refectione agitur, non est aliud edere carnem, aliud bibere sanguinem, vtrumq; est enim credere, sperare, amare, gratiæ participem esse. *Calui. negat hic vtramq; speciem probari.*

Bellarm. l. 4. c. 25. Tres adfert solutiones. Prima est, præceptum de re ipsa, non de modo datum esse. Carnem, & sanguinem sumere iubentur, non seorsum singula, non sub hac aut illâ specie. Imò cæteræ sententiæ de solo pane mentionem faciunt. Altera est, particulam & disiunctiuè accipiendam, quasi scriptum sit. Καὶ ἐὰν μὴ πίητε, *& nisi biberitis*, quam etiam Soarez noster approbat. *De symbolis lex lata non est.*

Tertia commune mandatum Ecclesiæ, non priuatim singulis dari.

Prima solutio solidissima est. Non enim in pane corpus, in vino sanguinem, aut sub hisce speciebus sumi imperat: sed rem ipsam absolutè proponit, & sumptioni panis tribuit vitam æternam. Corporis ministerio vtraq; res semper accipitur, quia tamen sanguini tribui solet redẽptio, hinc seorsum eius perceptio potus nomine signatur. Sanguis enim bibitur. Et tamen edi etiam dicitur, sicut lac esca vocatur. Irenæus, Cypr. Augustin. edi sanguinem dicunt: tam enim αἱματοφάγοι, quam αἱματοποῶται dicitur. Ita Tract. 27 in Ioan. Vt carnem & sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento. Sed ad spiritus participationem manducemus, & bibamus. Et Christus, vna sententia effert: *Qui manducat me viuet propter me.*

VERSVS 58.

Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me?

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus viuit propter Patrem?

§. 1. COmparatio ob concisam orationem obscurior est. Hunc autem in modum exponenda est. Sicut Pater, qui me misit, viuit, & ego viuo propter Patrem: sic qui me manducat, qui viuo, & ille viuet propter me. Potest quidem particula διὰ ita applicari, vt æternam etiam filii generationem complectatur: nam filius per Patrem viuit, ex parte genitus, Pater principium est, nec defuere qui sic interpretarentur, tum verò διὰ non Propter, sed Per significet, *Christus viuit propter Patrem, vt homo, per Patrem, vt Deus.*

necesse est. Nos hic de naturâ humanâ intelligimus, sicut enim Christus qua homo æternam vitam habet propter Patrem, ita & nos propter Christum, mediatorem, & reconciliatorem. Ad causam enim efficientem non finalem pertinet. Viuit autem propter Christum, quicunq; viuit. Non est enim in vllo alio salus, non modo non in figurâ, nec in phantasmate, sed ne in Angelis quidem Christus de cœlo descendit, quem falsi arguunt, qui de verâ carne & sanguine fieri mentionem negant. Itaq; Caluiniani in edendo & bibendo tropum imaginantur, vt sit credere. Caluinus lib. 4. institut. c. 17. §. 5. Sed iam ante ostendi id falsum esse. Christus enim non exigit à turbâ, vt quisque se prædestinatum credat, potius indicat, eos non prædestinatos. Cur si illam fidem requirebat. Non vno verbo dixit, credite vos sanctos, electos, iustos? Quis vnquam sic interpretatus est?

VERSVS 61. 62. 65.

Multi ergo audientes, ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire. Sciens autem Iesus, apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius.

QVÆSTIO I.

Cur scandalizati sunt?

§. 1. DVrus est, inquiunt, *hic sermo*, σκληρὸς, asper, & qui contristet, & saxi instar lædat. Creophagian enim & barbariem in mores inducere videbatur, cæteriscq; dictis Christi fidem detrahere. Capernaitæ murmurantes viuis coloribus nobis Caluinistas depingunt, dum omnia ingenio suo æstimant, nec quærunt, vt instruantur, sed calumniantur, & recedunt. Recedunt, nec molesti sunt, at nostri ita ab vnitate recedunt, vt suis imaginationib. fascinati credentibus insultent, & ruinæ socios quærant,

Antiqui Caluinistæ.

§. 2. Scandalo Iudæorum offensi sunt, & hæretici nostrates. Ideo illos errasse fingunt, quod de verâ carnis manducatione intellexerint.

At contrarium responsio Christi conuincit. Non enim ita discipulos abituros neglexit, vt si figuratè locutus fuisset, non vno verbo eos retinuisset. Illi de laniatione ergo, qualis in macello est, interpretati sunt. Nam Christus, vt Chrysostomus admonet, non modo se posse illis carnem suam dare ad manducandum, verum etiam in cœlum ascendere asseuerat, quod maximum erat, conspectissimumq; miraculum. Vtrumq; quidem summæ opus omnipotentiæ, ascensio tamen plus dignitatis habet. Quod si tantummodo symbola carnis & sanguinis daturus erat, periret vis comparationis, figuram enim & mnemosynon dare poterat, etiam si in cœlum non ascenderet. Maius autem scandalum futurum erat, si post ascensionem corpus edendum præberet. Non debet, inquit, hoc vos scandalizare, quod me vobis in cibum pollicear, non est hoc mihi difficile. Nam in cœlum ascendam: quod maius est. Quid autem facturi essent, si viderent ascendentem, subticuit; ellipsin duobus modis supplent. Si videritis ascendentem, scandalizari desineretis. Nam diuinæ potentiæ indubitatum signum cerneretis. Ita Chrysostomus, Augustinus, Euthymius. Alii: magis scandalizaremini: nempè præstigias esse arbitrati: solet autem Christus cum faciliora, tanquam falsa repudiari cernit, maiora, & creditu difficiliora proponere. Mihi videtur, nihil certi posuisse: quia diuersa diuersi dicturi erant, & facturi. Omnes admiraturi erant maiestatem ascendentis in cœlum. Alii eum adoraturi, omniaq; credituri, alii in perfidiâ permansuri. Quomodo ibi fuerit, & quomodo ascenderit, docte exponit Cyrillus Alexan. homil. 8. de festis Paschalibus. Erat prius ibi secundum diuinitatem, mansit & ibi cum descendisset: ascendit secundum humanitatem.

Probat Christus se carnem suam dare posse.

§. 3. Caro in cœlum ascendit, quid mirum si vos alat & sustenter, non laniatione & consumptione suæ substantiæ, sed cœlesti virtute? Mirabile alimentum viuo corpore pasci, & viuere, sed mirabilius corpus humanum in cœlum contendere. Athanasius de incarnatione vnitatem personæ hoc exloco probat.

Vnde ex cœlo descendit (vt ipse inquit) *qui immaculatam iustitiam ex se daturus erat, idq; expressis verbis, Nemo ascendit in cœlum (inquit) nisi Filius hominis, qui de cœlo descendit. Idemq; rursum aliis verbis, Si videritis filium hominis eò ascendentem, vbi prius erat. Et, Ego sum panis, qui de cœlo descendit, vitus (inquam) ille qui vitam dat mundo, clarè per ista nos docens suam ipsius deitatem, non tamen demoliens id, quod ratione carnis assumpserat, sed se cum carne coniens, quippe qui secundum Paulum, in similitudine hominum fuit, & forma inuentus est, vt homo. Homo vero vna persona, & vnum animal est ex spiritu & carne, ad cuius similitudinem intelligendum est, Christum vnum, non duas personas esse, quod nunc incredulitas manifestè violat, destituta amplitudine diuinæ gratiæ & in gentilium scandala prolapsa.*

VERSVS 64.

Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

QVÆSTIO I.

Quomodo caro non prodest quicquam?

§. 1. NVlli magis nota est domus sua quam sacramentariis ista oratio. *Spiritus est, qui viuificat, caro non potest quicquam. Hanc*, inquit Oecolampadius, murum aheneum, & Angelum à Deo contra nos armatum. Heluetii in confessione extremâ de cœnâ, illa super omnia sequi se profitentur. Vt Sanctesius repetit. 6. cap. 6. Non est autem noua horum verborum corruptio, carnis resurrectionem, apud Tertullianum, *de resurrectione carnis*, destruere hæretici molebantur, quod Dominus dixerit: *caro non potest quicquam, Si non potest quicquam*, cur reuiuiscit? Caluiniani plerique interpretantur: carnem Domini manducatam, nihil prodesse, spiritum viuificare. Ita Bucerus in cap. 6. Ioan. ante docuerat, carnem nostram nihil prodesse, & hunc esse sensum. Hoc loco sua priora scripta retractat, Zuinglium, Oecolampadium cum Luthero conciliare conatur, quo nihil magis est ridiculum. Magis enim quam aqua, & ignis inter se pugnant.

Videatur Bucerus in Matth. 26. in editione anni 1536.

Quid autem turpius est illis ipsis sectarum antesignanis, quam in tam dirâ dissensione, damnatione, *a Stephano Roberto* se mutuo non intellexisse? Quid porrò stulti, quam *exhibitos* velle

velle nobis persuadere Bucerum, Lutherum verè cum Zuinglio sensisse? Nam quod ait se errori, & humano affectui indulsisse, non adhibuisse debitam in inquirendo religionem facilè credimus.

Id tamen postea reuocauit. Beza contra Heshusiũ, carnem Domini ait nihil, *nisi vitam ex sese spirare posse.* Caluinus hoc loco negat eos rectè sentire, qui *carnem Domini comesam nihil volunt prodesse.* Bullingeri expositio est. *Caro, inquam, mea quam cernitis, non prodest quicquam,* illo *videlicet modo hausta, quo vos hauriendam, edendamq; imaginamini. Nimirum corporaliter, & carnaliter, sicut caro ex macello.* Cæteri ferè Zuinglium sequuntur, qui lib. de vera & falsa religione: *Non esus sed cæsus Christus est nobis salutaris. Cæsa, non ambesa caro Christi nobis prodest.* Et: *Cæsa nos seruauit à cade, sed comesa nobis penitus nihil prodest.*

§. 2. Hos errare de verâ carne Christi, non minus quam Capernaitas ostendam. Si de pane, carne, sanguine ita dixit Christus: *verba quæ spiritus sunt & vita,* vt nullo modo quicquam corporeum admittant, etiam verba cœnæ spiritus sunt, & vita, ideoq; non modo verum Christi corpus, sed etiam species panis & vini è medio sunt tollenda: nec ibi comedendus panis, nec vinum bibendum, sed credendum duntaxat, & ne imaginariâ quidem spiritalitate Domini testamentum reddendum irritum. Rudes ergo fuerunt Apostoli qui biberunt omnes.

Quod verò Zuinglius argutatur: *carnem Christi cæsam, non ambesam prodesse*, ipsius erroris fundamenta concutit. *Panis*, inquit, *caro mea est pro mundi vita.* Hæc verba sine dubio spiritus sunt vita. Cur non hic malâ manu addi posset: *Caro non potest quicquam?* Tam promptè Turcus CHRISTI passionem, quam Zuinglius manducationem negabit. Quid verò Ostorodius, quid cæteri in Borussiâ, qui carnem & sanguinem prodesse quicquam iam dudum negarunt? Si caro non potest quicquam comesa, quia Christi spiritalia sunt verba, non potest probari prodesse mactatam: quia immolatio & victima spiritalis fingi ab illis, qui Zuinglii exemplo errare didicerint, non minus facilè potest, quam manducatio. Nam sententia ad omnia præcedentia pertinet, vt non minus propriam immolationem in cruce quam manducationem auferre possint. Cur vero verba spiritalia interpretantur figurata? an spiritus est tropus? & vita, figura? an non propria verba, sunt etiam spiritalia?

§. 3. Caro in sacris literis aliquando veram, & solam carnem significat. Cum spiritus dicitur *carnem & ossa non habere.* Interdum pro toto homine accipitur, vt etiam anima; cum dicitur: *omnis caro fœnum.* Tertio pro humana infirmitate, mortalitate, sicut cum dicimus Christum *iam non nosse secundum carnem.* Deniq; pro carnis affectibus, prauisq; iudiciis, & homine carnali. Hoc postremo modo interpretantur multi Patres Tertullianus, Chrysostomus, Cyprianus, Origenes, Cyrillus Alexandrinus, & Ierosolymitanus, Theophylactus, Euthymius. Nam sensum esse aiunt: Verba Christi ab illis intellecta carnaliter, nihil prodesse, carnem enim hoc est carnalẽ sententiã, quam illi habebant, non prodesse ad salutem, spiritualem intellectum esse, qui viuificet. Viuificare autem est lucem rerum spiritalium, amoremq; inferre, quæ est vita animarum. Sic litera occidit, spiritus viuificat. Hanc expositionem Bellarminus l. 1. c. 14. de Eucharistia amplectitur. Nam quando caro & spiritus opponitur, caro significat id quod ab infirmitate, & corrupta veteris hominis natura procedit, spiritus vero hominem renouatum, & eas actiones, quæ carnalem sensum, & desideria tollunt. Gen. 6. Matth. 16. Rom. 8. Gal. 1.

Sumpta est hæc doctrina ex Origene lib. 1. de principiis. Cum ergo Capernaitæ carnem manducandam more humano, & scindendam dicerent, carnale erat eorum iudicium: nam secundum carnem iudicabãt. Hanc sententiam Bucerus secutus est in enarratione in Ioannem c. 6. Nam profiterur se nunc Chrysostomum sequi, licet aliàs errarit, & contrariam sententiam defenderit. Carnem enim hoc loco, significare nostram carnem, quę nequeat percipere quę sunt spiritus. Bucerum secutus Ioan. Leonardus Caluinista. aliiq; complures.

Aretius etiam hunc in locum. *Caro non potest quicquam,* id est, *carnalis sensus,* Christum enim non de suâ carne loqui, sed de his, qui carnaliter audiebant, & intelligebãt. Hanc igitur sententiã non modo multi Patrum, sed etiam quidam hæreticorum probarunt. Quâ ex re manifestissimè constat, nihil posse contra veritatem catholicam ex illis verbis, ne in speciem quidem concludi. Addam nunc verba Patrum. Tertullianus de resurrectione c. *Sic etsi carnem ait nihil prodesse, ex materia dicti dirigendus est sensus. Nam quia durum & intolerabilem existimarunt sermonem eius, quasi verè carnem suam illis edendam determinasset, vt in spiritu disponeret statum salutis, præmisit: Spiritus est qui viuificat. Atque ita subiunxit: Caro nihil prodest, ad viuificandum scilicet. Exequitur etiam quid velit intelligi spiritum: Verba quæ locutus sum vobis spiritus sunt, vita sunt. Sicut & supra: Qui audit sermones meos, & credit in eum, qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transit de morte in vitam. Itaq; sermonem constituens viuificatorem, quia spiritus & vita sermo, eundem etiam carnem suam dixit: quia & sermo caro erat factus, proinde in causam vitæ appetendus, & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus. Nam & paulò antè carnem suam, panem quoque cœlestem pronuntiarat, vrgens vsquequaque per allegoriam necessariorum pabulorum, memoriam patrum, qui panes & carnes Ægyptiorum prauerterint diuinæ vocationi. Igitur conuersus ad recogitatus illorum, quia sensserat dispergendos, Caro, ait, nihil prodest. Quid hoc ad destruendam carnis resurrectionem? quasi non liceat esse aliquid, quod etsi nihil prosit, aliud tamen ei prodesse possit. Spiritus prodest, viuificat enim. Caro nihil prodest, mortificatur enim. Itaq; secundum nos magis collocauit vtriusq; propositionem. Ostendens enim quid prosit, & quid non prosit, pariter illuminauit, quid cui prosit, spiritum scilicet carni mortificatæ viuificatorem.*

Hic & sensum spiritalem intelligit, & tamen alium esse etiam indicat, de quo postea agemus. Hoc deinde ex Tertulliano annotandum est, nos eodem modo argumentum sacramentariorum posse dissoluere, quo soluit ille Saducczorum, & Marcionis, *Caro*, ait, *nihil prodest.* Quid hoc ad destruendam carnis resurrectionem? Quasi non liceat esse aliquid, quod etsi nihil prosit, aliud tamen ei prodesse possit, spiritus prodest. Sic & nos: Etsi caro nihil prosit, prodest tamen spiritus. Caro Christi cum spiritu prodest. Quẽadmodum igitur impiè de carne argutabantur. Caro nihil prodest, non ergo resurget: sic & nostri. Caro nihil prodest, nõ ergo comeditur in Eucharistia. Quorsum enim resurgit, aut manducatur, quod nihil prodest? Respondet Tertullianus, carni resurgenti spiritũ ꝓdesse. Non esse necesse vt ipsa alicui prosit. Respondemus carnem Christi manducatam prodesse, quia spiritu viuificata est, & viuificat. Origenes hom. 7. in Leuit. & 7. ac homil. 16. in Num. Ad omnem Christi sermonem accommodat. *Quis est iste populus, qui in vsu habet sanguinem bibere? Populus Christianus populus fidelis audit hæc, & amplectitur, & sequitur eum, qui dicit,* Nisi manducaueritis carnẽ meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *Et vtiq;*

Caro resurgere posset, etsi nil prodesset.

qui hæc dicebat, vulneratus est pro omnibus peccatis nostris. Bibere autem dicimur sanguinem Christi, non solum Sacramentorum ritu, sed & cum sermones eius recipimus, in quibus vita consistit sicut & ipse dicit: Verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt.

Cyrillus catech. 16. De bona doctrina Dominus dixit: *Verba, &c.*

Chrysost. hom. 46. *Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam. Hoc est, secundum spiritum verba mea audienda sunt. Qui secundum carnẽ audit, nihil lucratur, nihil vtilitatis accipit. Carnale est dubitare, quomodo de cœlo descẽdit, & filium Ioseph arbitrari, & quomodo possit nobis carnẽ suam dare ad manducandum. Hæc, inquam, omnia carnalia, quæ mystice & spiritaliter intelligenda sunt. Et quomodo potuerunt intelligere, quid esset carnem manducare? Expectare igitur oportuit eos, non discedere, interrogare, non desperare. Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt. Spiritus, hoc est spiritalia, nihil carnale, nullam naturalem consequentiam habentia, sed omni hac terrena necessitate, & humanæ vitæ legibus libera. Est & alius sensus. Dicit in hoc loco spiritus, pro spiritalibus posuit, ita vt carnem dixit, non pro carnalibus, sed carnaliter eos audire significans, qui semper carnalia desiderabant, cum spiritalia desiderari oporteat. Nam si carnaliter ea quis acciperet, nihil sanè lucraretur. Quid igitur Caro non prodest quicquã? Non de ipsa carne dixit? Absit: sed de ipsis qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur. Quid autem est carnaliter intelligere? Simpliciter, vt res dicuntur, nec aliud quippiã excogitare. Non ita iudicanda sunt, quæ videntur, sed mysteria omnia interioribus oculis considerãda, hoc est spiritaliter. Qui non manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, non habet vitam in semetipso. Quomodo prodest caro, sine qua nemo potest viuere? Vide quod ea particula, Caro non prodest quicquam, non de ipsa carne, sed de carnali auditione dictũ est.*

§ 4. Altera interpretatio est. Carnem Christi nihil prodesse, vt caro, priè pro corpore Christi accipiatur: atq; hanc neget prodesse, non simpliciter, sed si vt illi existimabant, laniata, mortua, quasi viscerationе de macello daretur. Sic enim separata ab anima, & abiũcta à diuinitate nihil haberet, nisi quod aliæ sanctorũ carnes haberent. Ex se igitur non prodest quicquam. Nam illi vitam corporalem, de carne Christi imaginabantur, quemadmodum Patres de manna vixerũt, & Adam in Paradiso, de arbore vitæ pascendus erat ad consequendam immortalitatem, si non peccasset. Ad eum vsum, sibi Christi carnem dandã, aut crudam, aut mactatam, & coctam, vt ne morerentur, arbitrabantur. Hoc modo, inquit, sumpta non prodest quicquam, nec enim ex se habet hoc semẽ immortalitatis, neq; à Deo ad hoc facta est. Sed hæc omnia alio modo spiritaliter sunt intelligẽda: Hæc est S. Aug. expositio. tr. 27. *Quid est ergo: nõ prodest quicquam? Caro non prodest quicquam: Sed quomodo illi intellexerunt? carnẽ quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, Caro non prodest quicquam, quomodo dictum est, Scientia inflat. Iam ergo debemus odisse scientiã? Absit. Et qd est Scientia inflat. Sola sine charitate. Ideo adiunxit, Charitas vero ædificat. Adde ergo scientiæ charitatẽ, & vtilis erit scientia, non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodest quicquam, sed sol caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimũ. Nam si caro nihil prodesset, verbum non caro non fieret, vt inhabitaret in nobis. Si per carnẽ nobis multum præstitit Christus, quomodo caro nihil prodest? Sed per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit, caro vas fuit, quod habebat attende, non quod erat. Apostoli missi sunt, nunquid caro ipsorum nihil nobis profuit? Si caro Apostolorum nobis profuit, caro Domini poterat nihil prodesse? Vnde enim ad nos sonus verbi, nisi per vocem carnis? Vnde stylus? Vnde conscriptio? Ista omnia opera carnis sunt sed agitante spiritu tanquam organum suum. Spiritus ergo est qui viuificat: caro autem non prodest quicquam.*

Caro mortua non prodest.

Ex quo apparet, eos carnaliter verba Christi accepisse, quod nobis, & sanctis Patribus iniuriose obiiciunt aduersarii.

Et Cyrillus Alexandrin. *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Non in perire omnino carnem viuificam esse negatis. Nam si sola intelligitur, nihil prorsus viuificare potest, quippe quæ viuificante indigeat. Quam verò incarnationis mysterium laudabili cura scrutari studuerit, & habitantem in carne cognouerit, quamuis nihil penitus caro per seipsam possit, viuificã tamen esse factã credetis, nisi & Spiritum S. non posse viuificare contendatis. Nam quoniam cum viuificante verbo caro coniuncta est, tota est effecta viuifica. Non enim ad corruptibilem suam naturam iunctum Dei verbum detraxit, sed ipsa ad melioris virtutem eleuata est. Quæuis ergo natura carnis, vt caro est, viuificare nequeat, facit tamen hoc, quia totã verbi operationem susc epit. Corpus enim est non cuiuslibet hominis, cuius caro prodesse quicquam potest, sed ipsius vitæ & Saluatoris nostri Iesu Christi Corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc potest. Nam si mel cum natura dulce sit, ea dulcia facit, quibus immiscetur, nonne stultum erit viuificam verbi naturam putare non dedisse homini, in quo habitat, viuificandi virtutem? Quas ob res caro quidem cæterorum omnium quicquam verè non prodest. Caro autem Christi, quia in ipsa vnigenitus Dei filius habitat, sola viuificare potest. Spiritum verò seipsum appellat, quia Deus spiritus est, &, vt ait Paulus, Dominus spiritus est. Verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt. Totum corpus suum viuifica spiritus virtute plenum ostendit. Spiritum enim hic ipsam carnem nuncupauit, non quia naturam carnis amiserit, & in spiritum mutata sit, sed quia summè cum eo coniuncta totam viuificandi vim hausit. Nec turbari propter hoc decet. Nam qui Domino conglutinatur, vnus cum eo spiritus est. Quomodo ergo caro sua vna cum eo non appellabitur spiritus? Huiusmodi ergo est, quod dicitur putatis me dixisse vim ipsam naturam sui terrestre hoc esse corpus? Ego vero de spiritu, & de vita æterna locutus sum. Non enim natura carnis viuificum reddit spiritum, sed spiritus virtus viuificã carnem efficit. Verba ergo quæ vobis locutus sum, spiritus, id est, spiritalia & de spiritu, & vita, id est, de viuifica & naturali vita sunt.*

Caro viuifica est.

Caro igitur Christi viuifica est, & spiritum hausit, vt & illa viuificare possit.

Gaudentius hinc probat veritatem corporis Dominici. *Pascha est enim Domini, id est, transitus Domini. Ne terrenum putes, quod cœleste effectum est, per eum qui transiit in illud, & fecit illud suum corpus & sanguinem. Nam quod supra genealiter exposuimus de edenda carne Agni, spiritaliter in degustandis seruandum est iisdem mysteriis Dominicæ passionis, vt non crudã carnem crudumq; sanguinem, sicut Iudæi, edisputes, & respuas, dicens, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam manducare? Nec in olla cordis carnei humoribus semper obnoxii, ipsum decoquas Sacramentum, communem illud & terrenum esse existimans: sed vt per ignem diuini spiritus, id effectum quod annuntiatum est, credas, quia quod accipis, corpus est illius panis cœlestis, & sanguis est illius sancta vitis. Nam cum panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait,* Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. *Credamus, quæso, cui credidimus. Nescit mendacium veritas: ideo eum de corpore suo manducando, & sanguine suo bibendo, turbis loqueretur stupentibus, ac murmurantibus,* Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? *vt abstergeres per ignem cœlestem eas cogitationes, quas vitandas esse prædixi, sic adiecit. Spiritus est qui viuificat: nam caro nihil prodest. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Et idcirco caput diuinitatis eius cum pedibus incorporationis, & interioribus simul iuncturis mysteriis, vt pariter vniuersa quemadmodum tradita sunt credamus, non infringentes os ipsius solidissimum: Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus. Si quid autem superauerit, etiam nunc in vniuersitate quæ sensa, quod expositione ista non cœperit, ardore fides concremetur. Quoniam Deus noster ignis comburens est, purgans, erudiens, &c.*

Caro Christi vitificatrix Sacramenti.

& illuminans corda nostra ad intelligentiam diuinorum, vt & ipsius à Christo institui sacrificij cœlestis causam, rationemque inenarrabili dono eius fine fine gratias relaturi. Nam vere istud est hæreditarium munus Testamenti eius noui, quod nobis ea nocte qua tradebatur, crucifigendus, tanquam pignus suæ præsentiæ derelinquit. Hoc illud est viaticum nostri itineris, quo in hac via vitæ alimur ac nutrimur, donec ad ipsum pergamus de hoc sæculo decedentes, vnde dicebat idem Dominus, nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habetis vitam in vobis.

Eodem modo concilia Ephesinum, & Alexandrinum, quod Anathematis. 11. recitat Cyrillus. *Sanctum ac viuificum, incruentumq; in Ecclesijs celebramus sacrificiũ, non hominis alicuius nobis similis, & communis corpus, consimiliter & pretiosum sanguinem esse, quod proponitur, credentes, sed magis tanquam proprium viuificantis verbi corpus & sanguinem accipimus. Communis enim caro viuificare non potest. Et hoc ipse Saluator testatur,* Caro non prodest quicquam, Spiritus est qui viuificat. *Quoniam enim verbi facta est propria, ob eam causam intelligitur, & est viuifica, sicut Saluator dixit:* Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, etiam viuet propter me.

Athanasius in testimonijs scripturæ, quod eadem essentia patris &c. T. 1. Eodem modo loquitur, & vim esse penes Deum ostendit, sed in carne apparuit. Hic ostendit Spiritum esse patrem & Deum, illi omnem tribuit efficientiam, non carni. Et in cap. Matth. 12. de blasphemiâ in Spiritum sanctũ. *Atq; ista istius lectionis obseruatio hanc mihi sententiam complecti videtur, & ostendere vtramq; blasphemiam ad Christum pertinuisse, & de se locutum esse Filium hominis: vt ex hoc quidem corporalitatem suam ostenderet: ex Spiritu verò spiritualem suam & intellectualem Deitatem demonstraret. Siquidem veniam assequi posse in blasphemia contra filium hominis constituit, vt corporalitatẽ suam declararet. Istiusmodi characterem etiam in Ioannis Euangelio vidi, vbi de esu corporis disputans, ac propterea multos scandalizatos conspiciens, ita locutus est: Hoccine vos scandalizat? quid si igitur filium hominis spectaueritis ascendentem, vbi prius erat? Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus sunt & vita. Hic enim de vtroque, carne & Spiritu suo locutus est, & Spiritum à carne discriminauit, vt non solum in eo, quod oculis apparebat sed naturam quoq; inuisibilem credentes, discerneremus ea qua loqueretur, non carnalia esse, sed spiritualia, quot enim hominibus corpus eius sufficisset ad cibum, vt vniuersi mundi alimonia fieret? sed propterea ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit, vt eos à corporali intellectu abstraheret, ac deinde carnem suam de qua locutus erat, cibum è supernis cœlestem & spiritualem aliunde, & ab ipso donandum intelligerent. Quæ enim locutus sum vobis, inquit, Spiritus est & vita. Quod proinde est, ac si diceret, corpus meum quod ostenditur & datur pro mundo, in cibum dabitur, vt spiritualiter vnicuiq; tribuatur, & fiat singulis tutamen præseruationis ad resurrectionẽ vitæ æternæ. Ita quoq; Samaritanam abstrahens Dominus à rebus sensibilibus, Deum esse Spiritum pronuntiauit, vt deinceps illa non corporalia de Deo cogitaret. Ita quoq; Propheta videns Verbum carnem esse factum locutus est: Dominus Christus vultus nostri spiritus est: ne quis ex eo quod in illo apparet, merũ hominem Dominum esse intelligeret. sed dum spiritũ esse audit, Deum eum agnosceret in corpore constitutum. Vtrumq; igitur iam liquet, eum, qui Dominum videt de se loquentẽ, si corporalia eius tantummodo in oculis habeat, & non credens dicat, vnde huic sapientia? peccare illũ ipsum quidem, & vt in Filium hominis blasphemare, eundemq; verò, si videat opera eius in Spiritu sancto facta, & dicat alium operum authorem, nec Deum esse, nec Dei filium. sed ea opera Beelzebub asscribat, manifesto blasphemare eò quòd inficiatur eius Deitatem.*

Idem Athanasius de assumptione hominis indiuisam probat carnem, & Deitatem, atq; vnam personã. *Itaq; consideret, quia quicquid ad Deitatem refertur, vnitatem indiscretam esse designat: quidquid hominis indicat, naturã infirmitatis ostendit, sicut ipse ait.* Spiritus carnem ossa non habet, sicut me videtis habentem. *Nonne in hoc dicto hominẽ ostendit? Nam secundũ Deum sic prosecutus est:* Spiritus est qui viuificat: nam caro nihil prodest: Verba quæ ego locutus sum vobis Spiritus & vita sunt. *Vides quia vbi autoritatẽ refert, diuinitatẽ induisam esse ostendit: vbi ad hominẽ, naturã infirmitatis designat. Ac per hoc omnis potestas Deo est adscribenda, & omnis infirmitas homini est imputãda.*

Pari igitur modo etiam in Eucharistiâ caro ex se & naturâ sua non potest quicquam, sed ex coniunctione cum diuinitate, & vnione hypostaticâ. Hæc ergo interpretatio istius: caro non prodest quicquam; totã difficultatem tollit, quæ fingi potest & valde consentanea est contextui. Nam cum semper propriè carnẽ intellexerit, hic quoq; à sermonis proprietate, non videtur conueniens, vt discedat. Deniq; non parua blasphemia est dicere: Carnem Christi nihil prodesse. Vitam enim mundo dedit. Nec hanc expositionem facile Caluiniani refellent, cum ipse eam Caluinus repudiatâ expositione Zvvinglianâ sequatur. *Nec rectè etiam illi, qui Christi carnem prodesse dicunt, quatenus crucifixa est, comesam vero nihil nobis afferre; quin potius comedere eam necesse est, vt crucifixa prosit.* Augustinus subaudiendum putat, solam, & per se, quia debeat cum Spiritu coniungi quod cum ipsa consentaneum est. Nam Christus ad modum edendi simpliciter respicit. Reijcit igitur Zvinglij interpretationem, & probat Augustini sententiam. *Caluinus Zvinglium refutat.*

§. 5. Coniungi etiam aliam interpretationem necesse est. Nam caro etiam diuinitati hypostatice vnita, & Spiritu sancto perfusa, non viuificat tamen, non prodest, nisi ita comparatus sit is, qui manducat, vt Spiritus quoq; diuini particeps efficiatur. Hoc sensu dixit Augustin. tract. 2. in Exod. *Spiritum manducantis digne, viuificare, nam indigne sumenti non prodest.* Porro spiritualis manducandi modus duplex est. Vnus vt fructus & gratia consequatur, cum spiritualiter mãducatur, fide, caritate, alter modus est spiritualis manducationis, qui opponitur lanienæ Capernaiticæ, vt Augustinus tract. 27. & in Psal. 98. Etsi inuisibiliter sumatur, tamen visibiliter celebrari docet.

§. 6. Quia vero spiritualis sumptio duplici modo sumitur, & os fidei adhibendum est, hocq; Caluinus exponit, de spirituali duntaxat solet intelligere, ideo merito Stapletonus illius expositionem plenam dolo, & vafricie iudicauit.

VERSVS 65. 66.

Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt, sciebat enim ab initio Iesus, qui essent nõ credentes, & quis traditurus esset eum Et dicebat, propterea dixi vobis quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.

QVÆSTIO I.

Quomodo & qui discesserunt?

§. 1. QVod dicitur: *Sciebat qui essent non credentes,* in quibusdam Græcis legitur; οἱ μὴ πιστεύοντες, vitiose. Eorum princeps videtur fuisse Iudas. Hocideo *Nouerat proditorem,* additur: vt Christi in omnibus actionibus constantiam, prouidentiamq; cognoscamus, non enim veluti repentinâ defectione turbatur, sed ab æterno prænouerat deficientium inconstantiam. Ideo rectè notat Chrysostomus fuisse hoc Deitatis. Gentiles etiam

Christianis insultantes reprimit, qui subsannabant, quasi stulte discipulum proditorem, aut ignoranter elegisset Dominus. Chrysost. p.143. hocidcirco voluisse docet: vt constet parum præsidij esse in sola vocatione, ne adsit perpetua cura, vigilantia gratitudo, & quamuis multa præclara facere videamur: vti & Iudas miracula fecit, si tamen vno aliquo in vitio hæreamus, omnia illa augendæ damnationi, non proficere saluti.

Perseuerantia defuit.

§. 2. Non miram apostasiam affirmat, quod non sit illis data perseuerantia. Donum enim Dei est, vt monet Augustinus de prædestinat. sanctorum. Nam & venire, & postquam venerint, in Christo manere diuini muneris est. Et tract. 27. pluribus hocipsum declarat. Quamuis non dubium quosdam ex illis nunquam credidisse.

Increduli igitur vnde allici, & firmari debuerunt, inde discessus arripiunt causam? ne nos bonorum paucitas in Dei seruitio efficiat negligentiores. Nam Deus colendus, & vitæ integritas tenenda etiam sine comitatu. Nec omittenda veritas, quia ex omni re superba incredulitas solet exasperari, nondum singulatim eos reprehendit, quod forte multi sanabiles essent, Augustinus abisse septuaginta arbitratur in Psal. 98. atque hi primi fuerunt Eucharistiæ negatores, vt Chrysost. hom. 46. Christus recedentibus non loquitur, iam enim & verba docentis, & potentiam miracula facientis irriserant, nec de præsentibus laborare se ostendit, ne operâ cuiusdam indigere putaretur.

Inuitati sunt & renuerunt.

§. 3. Non est à patre datum, inquit, nemo venire potest, nisi datum sit illi à patre suo. Ideo se hoc monuisse; fides enim est Dei donum, quod habere nemo potest, nisi à Deo. Nec excusandi tamen, quia non est datum; nam oblatum fuit, ipsi non receperunt. Inuitati sunt, & trahi cœperunt, sed retractantes relicti sunt. Dari à patre, & trahi efficaciter à patre idem est. Itaque illud, Nemo potest ad me, nisi fuerit datum à patre meo, idem valet, atq; illud, nemo potest venire nisi pater meus traxerit illum; nam vt veniat opus est multiplici gratiâ, vt illo loco explicaui. Iudæi vero non veniunt, non credunt, qui quamuis inuitati sunt, & suo more tracti, non tamen paruerunt trahenti. Nemo potest venire, nisi trahatur, sufficiente gratiâ, multo minus efficaciter venit, si non prius sufficiens gratia collata fuerit. Itaque gratia illa opponitur Iudæorum carnali & crasso ingenio: nec hoc indicat eos non posse venire, quod gratiam sufficientem, quâ venire possent, non dederit pater: sed generatim dicit; nemo potest venire nisi fuerit ei datum à patre: Hoc non ita applicandum est; vt dicamus: Vobis non est sufficiens gratia data à patre, ideo venire non potestis. Hæc enim esset excusatio, non accusatio. Verum ita verba intelligenda sunt. Nemo potest venire, nisi sufficiens gratia fuerit data à patre. Hæc vobis data est, & tamen eam reiecistis, ideo non datur maior, seu efficax, qua reipsa veniretis. Quemadmodum vers. 44. dicit neminem venire posse, nisi pater traxerit eum: nam omnes à Deo doceri debent, qui venire debent. Postea subdit, qui audiuit à patre & didicit ille venit. Trahi est sufficiente gratiâ donari, sine illa nemo potest venire, ne initium quidem veniendi facere, ne velle quidem venire. Hanc dederat, & pater traxerat, sed cum audissent, & moti essent, non didicerunt, non assensi sunt, ideo vlterius tracti non sunt.

§. 4. De his Chrysostomus monet, καὶ ὃπ ἦν εἶχον πίστιν ἀπώλεσαν ἀποσχίσαντες, *Et quod quam habuerunt fidem, perdiderunt, abscindentes seipsos.* Idem Chrysostomus de accipientibus monet, ὁ παρασχὼν ἑαυτὸν ἄξιον λαβεῖν, αὐτὸς ἔλαβεν. *Qui dignum se præstiterit qui accipiat, ille accepit.* Dignum intelligit non ex se, sed oblatam cum gratiâ fidem accipiendo, non reijciendo, cooperando. Miror autem in Chrysosto. illa culpari, cum Augustini, atque aliorum sit eadem illa sententia. Imo hunc in locum Brentius: *Pater qui vult omnes saluos fieri, omnibus offert fidem, & omnes trahit, quantum in ipso est.*

VERSVS 68.

Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire.

QVÆSTIO I.

Cur dicit: Nunquid & vos vultis abire?

Liberum arbitrium.

§. 1. CYprianus Epist. 55. causam esse ait, vt liberum arbitrium in illis esse ostenderet. Sic etiam Cyrill. l. 4. c. 30. *Liberum est homo animal, & potest, si velit ad dextram, siue ad sinistram iter, (virtutem aut vitium) eligere*, itaille hunc locum interpretatur. Eodem modo Theophylactus interpretatur: Qui etiam paulò de gratia eo modo quo Chrysostomus locutus est. Nempe eam illis dari, qui acciperent. *Sæpe dicimus vt cum audieris; Pater donauit fidem in filium, ne existimes patrem sortito, alijs bene facere: alijs vero non, nam hoc iniurium esset. Sed puta illi patrem benefacere, & illis conferre donum fidei: quibus cum electio cooperatur. Qui enim ex voluntate sua non cooperatur, neq; à Deo accipiens vtilitatem capit. Hoc nolo dicere, omnibus dat Deus, sed hi quidem accipiunt, & bene vtuntur accepto. Et custodientes ostendunt Dei donum, hi vero accipientes quidem, sed perdentes Dei dona videntur nihil a cepisse. Quando ergo dicit Euangelista, non posse venire ad filium, si non sit datum à patre, hoc dicit. Quod ille veniat ad filium cui dedit pater, quod apud eum custodiatur datum à patre donum.*

Hæc ne cui Pelagiana videantur secundum fidem sunt intelligenda. Iniuste ageret Deus, si quibusdam tantum gratiam conferret, quâ conuerterentur, alijs non conferret sufficientem quâ venire possent, & tamen eos, quod non venirent, puniret. Nam alioqui iniustum non aliquem peccatorem deserere: sed punire desertum, quod non venerit, cum non potuerit venire, hoc Dei bonitati, & iustitiæ repugnat. Omnibus autem cooperantibus proficit donum, sed renuentibus minime. Itaque quod non cooperantur, gratiam nullam accepisse videntur, quia nullus effectus gratiæ in illis comparet, cum tamen acceperint sufficientem. Vbi notandum omnibus offerri, sed effectum in illis habere, ὅσοις ἡ προαίρεσις συνεργεῖ, *in quibus electio cooperatur.* Offert autem duodecim, seu vt Syrus לתריעסרהון *Latthreghsarthech, duodecadi sua*, vt eorum appareat constantia, quâ cæteris abeuntibus perseuerarunt.

Vt debent gratiam quâ parati venire.

Ex his confutatur Pareus l. 6. c. 10. de gratiâ & libero arbitrio. Cum dicit liberos fuisse ad resistendum gratiæ, non ad veniendum. In malum enim impios esse liberrimos, in bonũ nequaquam: Refutat ipsum Cyrillus, Cyprianus, & res ipsa. Nam datâ gratiâ possunt venire, ideo eorum est culpa, si non veniunt. Non autem sine gratiâ venire possunt. Non est autem satis vocatos esse, adiuuandi sunt, vt sequantur. Nec satis ad officium aliquod vocatos, opus est gratia, qua illo fungantur.

VER-

VERSVS 69. 70.

Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: Et nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei viui.

QVÆSTIO I.

Quæ confessio Petri?

§. 1. RESpondet omnium nomine, *tanquam os, & procurator cæterorum*, non vt Monarcha, ita monet Zvinglius. Et quidem Monarchæ nomen in Sacerdotibus non vsurpamus, & si qui in eam adulationem prorumpant, vt Pontificem appellent Monarcham, eos abiecti animi, & seruilis assentationis infamiâ notamus. Hoc sanè quod os & procurator Petrus est, multum ad eius primatum facit. Nam non à seipso, nec ab Apostolis, sed à Christo constitutus est, vt os Apostolorum, & procurator esset, vt per eum ageret, vt ille nomine omnium responderet. Cum autem Collegio par esset, certe, cum os & procurator factus est, non parum eius auctoritati accessit. Cyrillus certè l. 4. c. 28. Per vnum, qui cæteris præerat, respondet.

Monarcha.

§. 2. Respondet vero tria. Primo: *ad quem ibimus?* Deinde: *verba vitæ æternæ habes.* Tertio: *Et nos credidimus & cognouimus quia tu es Christus filius Dei.* Duo priora ex vltimo oriuntur. Ad alium posse ire Apostolos negant, nulla enim spes salutis apud Pharisæos, aliosque. Insignis doctrina, quâ intra Ecclesiam Catholicam, se quisq; facile continebit. Ad quem enim ibit? Omnium partium sectæ, & auctores flagitijs infames, inconstantesq; fuerunt, in varias particulas sectæ spargunter. Nusquam verba vitæ æternæ. Illa autem sic vocantur, quibus salutem consequuntur. Doctrinam enim Christi totam intelligit.

Ad Ephes. salus.

§. 3. Quid crediderint dubium esse non potest. Nam cum dicunt doctrinam eius esse vitæ æternæ, indicant omnia vera esse quæcunque veritas æterna; Christus Dei filius pronunciat, hoc ipso enim quod filium Dei confitentur, mentiri, & falli posse negant. Zvinglius infert; non esse verum Christi corpus in Eucharistiâ, non enim hoc se credere affirmant. At cum omnia illi crederent, & in omnibus, etiam dicenti: *qui manducat meam carnem viuet æternum*, credidérunt. Ita hom. 50. interpretatur Eusebius Emissenus. Et Augustinus tract. 27. Verba vitæ æternæ habes in ministratione corporis & sanguinis tui. Verum autem corpus, & sanguinem esse, Augustinus idem eodem loco demonstrat. Tu es filius Dei, inquit, id est, *Quia ipsa vita æterna tu es, & non das in carne & sanguine, nisi quod tu es.* Subdit tandem. *Hoc totum quod Dominus de carne & sanguine suo locutus est, & quod in eius distributione gratia vitam nobis promisit æternam, & quod hinc voluit intelligi manducatores & potatores carnis & sanguinis sui, vt in illo maneant, & ipse in illis, & quod non intellexerunt, qui crediderunt, & qui spiritalia carnaliter sapiendo scandalizati sunt, & quod eis scandalizatis & perementibus, consolatio Domini affuit discipulis qui remanserant*; Ad quos probandos interrogauit: &c. *Hoc ergo totum ad hoc valeat nobis dilectissimi, vt carnem Christi & sanguinem non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali, sed vsq; ad Spiritus participationem manducemus, & bibamus, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus, vt eius Spiritu vegetemur, & non scandalizemur, etiam si multi nobiscum manducant & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.*

§. 4. Pareus l. 1. c. 8. de iustificatione, hanc fidem ad fiduciam specialem detorquet. Nam qui confitetur Christum habere verba vitæ æternæ, ille certus est, se ad vitam æternam esse electum. Respondeo. Illud consequens ex illo antecedente nequaquam deduci. Nam & credere Christum habere verba vitæ æternæ, & an illam consecuturus sit, dubitare potes. Cum illud credant multi, hanc consequuntur pauci. Non est autem in Christo, sed in duro hominum corde obstaculum. Imo S. Augustinus etiam Apostolos timore perculsos ait, & metuisse ne & ipsi aliquando deficerent. *Non illum expressit, sed nec fuit, vt omnes timerent, quamuis vnus periret.* tract. 27. in Ioan. Quin ipse Zvinglius timendum docet. [Hoc sermone vigilantiores eos reddit, vt tantum thesaurum, tantum donum diligentius seruent. Donum Dei est fides, & perseuerantia, non nostrum meritum. Et cum ex tam eximijs Apostolis vnus deficit, nemo sibi securitatem polliceatur.] Hæc ille dum explicat verba Christi: *Vnus ex vobis Diabolus est.* Christus ergo securitatem sustulit, quam consuendo puluinar securitatis Christianæ Otho Casmanus retulit. Rectè illa Zvinglius contra posteros suos prædicantes progeniem se vitiosiorem. Hortatur & Chrysostomus ne facile securos nos putemus, loco quem supra citaui.

Parei delirium.

Non datur securitas Christiano.

§. 5. Diabolum vocat Iudam propter obstinatam malitiam, in Syro est Satana: Erasmus mallet calumniatorem, hoc est enim διάβολος, sed non hoc voluit Christus. sed Diaboli instar impium, & contumacem esse ostendit. Eius tamen malitiâ Deus bene vsus est, vt habet August. tract. 27. Monet Tertull. de præscriptionibus c. 3. ne moueamur defectionibus aliorum. *Auolent quantum volent paleæ leuis fidei quocunq; afflatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipso Domino quidam discentium scandalizati deuerterunt? Nec tamen propterea cæteri quoq; discedendum à vestigijs eius putauerunt: sed qui scierunt illum vitæ esse Verbum, & à Deo venisse, perseuerarunt in comitatu eius vsq; ad finem: cum illis, si vellent & ipsi discedere, placidè obtulisset. Minus est, si & Apostolum eius, aliqui Phigellum, & Hermogenes, & Philetus, & Hymenæus reliquerunt: ipse traditor Christi de Apostolis fuit.* Quamuis igitur tota regna ad Arianismum, Turcismum, Caluinismum, Atheismum discíscere videamus, nobis tamen in doctrinâ vetere, & Apostolica persistendum est: & solatio debet esse ipsa paucitas, cui salus diuino ore promissa est: nam nostra paucitas non singularis est, sed toto mundo diffusa, omnia tempora comprehendit.

Defectionibus moueri non debet Christianus.

CAPVT VII.

POST hæc autem ambulabat IESVS in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere. 2. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, Scenopeia. 3. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum in mundo. 5. Neq; enim fratres eius credebant in eum. 6. Dicit ergo eis IESVS: Tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum. 7. Non potest mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum

festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. 9. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. 10. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. 11. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? 12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. 14. Iam autem die festo mediante, ascendit IESVS in templum, & docebat. 15. Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? 16. Respondit eis IESVS, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. 18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? 20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes, quis te quærit interficere? 21. Respondit IESVS, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini: 22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) & in Sabbato circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato? 24. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. 25. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere? 26. Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid vere cognouerunt principes, quia hic est CHRISTVS? 27. Sed hunc scimus vnde sit: CHRISTVS autem cum venerit, nemo scit vnde sit. 28. Clamabat ergo IESVS in templo docens, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis: & à me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. 29. Et Ego scio eum: qui ab ipso sum, & ipse me misit. 30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. 31. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: CHRISTVS cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? 32. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt Principes, & Pharisæi ministros vt apprehenderent eum. 33. Dixit ergo eis IESVS: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit. 34. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire. 35. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos. Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? 36. Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non potestis venire? 37. In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat IESVS, & clamabat, dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. 39. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus. 40. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est vere Propheta. 41. Alij dicebant: Hic est CHRISTVS. Quidam autem dicebant: Numquid à Galilæa venit CHRISTVS? 42. Nonne scriptura dicit: Quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit CHRISTVS? 43. Dissensio itaq; facta est in turba propter eum. 44. Quidam autem ex ipsis volebat apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus. 45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? 46. Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo. 47. Responderunt ergo eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis? 48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? 49. Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. 50. Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis: 51. Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? 52. Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit. 53. Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.

IN CAPVT SEPTIMVM

ARGVMENTVM

IN Galilæâ Dominus versatur, Iudæam ne occideretur, deuitarat: cum fratribus ad festum scenopegiæ noluit ascendere, sed post secutus, Iudæis inter se disceptantibus, interuenit, docet: arguit de cogitatâ cæde, legem se non violasse demonstrat. Mirantur libere eum docere, Messiam esse negant, quod nossent, vnde natus sit. Multi in eum credunt, ministri ad eum apprehendendum missi, sine effectu redeunt. Christus vltimo festorum die, omnes inuitat ad aquam viuam. Nicodemus monet Sacerdotes ne in Christum inauditum sæuiant.

Apud Syros ad v. 37. vsque legitur: *Matutinis feriæ quartæ, Hebdomadis 5. Ieiunij.*

Inde ad 45. *In commemoratione doctorum Ecclesiæ* דמלפנא דערחא *Demalphane deghidiho*; quod nimirum doctores imitatione Christi debeant Spiritu pleni, auditores ad res cœlestes inuitare. Imo & in medijs periculis fortiter officio fungi

Hinc vsque ad finem die Sabbati hebdomadis 5, ieiunij in matutinis.

VER-

VERSVS 1.

Post hæc ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.

QVÆSTIO I.

Quomodo cum præcedentibus ista cohæreant?

§.1. Scenopegia. SCenopegiæ festum à medio septembri celebrabatur, vitæ eius insidiebantur à festo Paschæ, vel pentecostes, vt alij volunt, irritati sanatione paralytici, quem 38. annos morbus afflixerat. Itaque aliquot mensium res gestas Ioannes omittit, certa quædam, delibare contentus, quibus eius diuinitatem ostenderet. Non enim continuam contexit vitæ illius historiam, sed quæ Spiritu sancto suggerente, Ecclesiæ mandare scriptis oportuit. Multi interpretes seriem ad cap. 6. versum quartum referunt; disputationem enim cum Capharnaitis quasi per parenthesin interiectam arbitrantur. Alij longius parenthesin extendunt, ad v.18. c.5. Aut legendum est, aut intelligendum, noluisse Christum in Iudæâ ambulare seu versari, hoc enim Græcum verbum περιπατεῖν, & tota constructio, sicut & Syra interpretatio conuincit. Hæc igitur in Galilæâ sunt gesta, vbi quamuis Euangelio multi obsisterent, ardenter tamen & liberè veritatem populi pars amplectebatur.

QVÆSTIO II.

Cur noluit in Iudæâ versari?

§.1. CRysostomus quæstionem proponit hisce verbis: τί λέγεις ὦ μακάριε ἰωάννη, ὅτι οὐκ εἶχεν ἐξουσίαν, ὁ δυνηθεὶς πάντα ὅσα ἠθέλησεν: *Quid ais ô beate Ioannes, non habuit potestatem, qui omnia, quæ voluit, potest?* Ipsum quoq; textum ita citat: οὐ γὰρ οὐκ εἶχεν ἐξουσίαν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ περιπατεῖν. *Non enim habebat potestatem versandi in Iudæâ.* Forte legit pro οὐκ ἠθέλησεν, *non voluit*, οὐκ ἠδύνατο, *non potuit.* Quamuis dicere malim eum verba, quæ citat, legisse, nec illud, οὐκ ἠδύνατο, *non potuit*, periphrasi exposuisse, οὐκ εἶχεν ἐξουσίαν, *non habuit potestatem.* Sensus idem tamen dici debet. Nam βούλεσθαι, atticorum ritu pro δύνασθαι interdum vsurpant. Sunt autem vt monet Gregorius Nazianzenus quædam ἀδύνατα impossibilia, non quia fieri non possunt, sed quia sunt ἀβούλητα, quia non vult, qui facere poterat. Quomodo exponenda omnia sunt, quæ Deus facere posse negatur, quando non implicant contradictionem. Quin & nunc ea quæ negare solemus, non posse fieri respondemus.

§.2. Causa Iudææ vitandæ erat, quod Iudæi illum constituerant interficere. Specie Zeli, & pietatis furentius irascebantur Sacerdotes & Pharisæi, quo eorum commodis potissimum obstare videretur, vitijs in publicum manifestandis: populum ergo Ierosolymis viciniorem concitabant, in Galilæâ minus poterant. Prudenter itaq; odia & inuidiam absentiâ declinauit, nequaquam tamē officium deseruit, poterat potentiâ periculū discutere, sed cum homo esset, & ad passionem veniret, nobis cautionem in aduersis commendare maluit, te temerè nos persequentibus ingeramus. Temeritas n. inconsiderata, ruinæ proxima est. Itaq; Chrysost. & Leontius contra Marcionitas hanc causam reddunt. Athanasius ex eo etiam docet non prohibitā esse in persecutione fugam. Imo crebro necessaria est fuga, dum irâ vel morâ, vel cessione eius, cuius præsentia exasperabat, paululum hostis mitigetur, & molescat: nos certè cum impares sumus, fugere solemus, & notum est illud Homericum de chalbdi.

οὐδέ τις ἐστ' ἀλκή, φυγέειν κάρτιον ἀπ' αὐτῆς. *Nec vllum robur est, quod resistat, optimum est ab eâ fugere.* Fortitudo Domino non deerat, sed docere nos voluit, inimico non semper viribus resistendum, sed cedendum esse aliquando.

VERSVS 2.

Erat autem in proximo dies festus Iudæorum scenopegia.

QVÆSTIO I.

Qua scenopegia?

§.1. DE magno illo, & lætissimo festo agitur Leuitici 23. 2. quo loco cærimonia explicatur. In tabernaculis habitabant in memoriā quadraginta annorū, quibus habitarant in deserto. Plurali numero vocari possent τὰ σκηνοπήγια, sed Ioannes numero vtitur singulari, ἡ σκηνοπηγία. Syrus nominat; רמטללא ריחוריי *damtallele dihudaie. Scenæ, seu tentoria, & festa Iudæorum.* Vbi Fabricius vertit: *Conopea*, marginalis nota Hebraicè interpretatur סכות *Succoth*, h.e. *tabernacula.* Sicut & Syram dictionē ערערתא *ghadghiditha*, explicat Hebræâ voce חג *chag*, q festum significat. Legē Christus seruabat; nā eo tempore comparere Ierosolymis oportebat, simul etiā in tantâ frequentiâ docēdi occasionem, & miracula illustria faciendi captabat.

VERSVS 3. & 4.

Dixerunt autem ad eum fratres eius. Transi hinc, & vade in Iudæā, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ tu facis. Nemo quippe, &c.

QVÆSTIO I.

Quodnam fratrum eius consilium?

§.1. DE fratribus Domini iam alias sæpe dictū est: Non fuêre ὁμοπάτριοι scilicet Iosephi filij, licet Cyrillus, Leontius, Euthymius id opinentur. Nec enim ille ante deiparam virginem habuit vxorem, nec post duxit. Sed more Iudæorum omnes consanguinei *Fratres dicuntur consanguinei & gnati.* fratres appellantur. Inter eos non fuerunt Iacobus & Iudas, qui fratres Domini appellantur, Gal. 1.19. Apostoli enim iam fidē receperant, fratres qui hic iter Ierosolymitanum urgent, non credebant in eum. Syrus loco pronominis habet, *Iesu*, solent enim pro relatiuo ponere antecedens. Quod est in Græcò & Latino. *Vt & videant.* Syrus omittit particulam &, quæ ad emphasin tamen haud parum valet.

§.2. Fratrum, quo Christum, vt ad diem festum ascendat, hortantur, non exiguus est, nec simplex error; Nam iure cognationis nimū sibi licentiæ assumunt; Monet S. Chrysostomus ἄκαιρον εἶναι παῤῥησίαν, *intempestiuam alloquendi libertatem*, ἢ ἀπὸ συγγενείας μὴ παρεισιέναι δεῖν ἐγκλεῖσαι. *Et ob cognationem eos liberè disputare.* Cognati enim aut fere imperant, aut inuident, in eos qui videntur inferiores asperi, in superiores inuidi. *Fratrum error.*

Τὸ συγγένες τίκτει φθόνον.

Cognatio parit inuidiam, & solet inuidia altiora petere. Atq; hæc de infidelibus, & impiis ut plurimum vera sunt: Christiani, quibus singulatim posita est lex caritatis, consanguinitate ad amorē accenduntur. Fratrū autem Domini arrogans factū est: nam quamuis multa eius miracula vidissent, consilium tamē velut prudentiores imprudenti obtrudunt. Nihil hoc stolidius esse potuit facto, cum enim tantâ prudentiâ, potentiaque omnia eum administrare animaduerterent, & tam illustria in eo diuinitatis signa fulgere,

suam

suâ tamen illi sapientiâ vtilem opinantur fore, ideoq; quæ ad nominis gloriam spectare existimant, quasi sua bona ignorâti, non sine aculeo quodâ suggerunt.

§ 3. Concilium, vt illi arbitrantur vtile, & speciosum. *Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua.* Tertius error est, quod stolidum & ignauum iudicent, vt qui tantâ famæ & gloriæ consequêdæ occasione obla â non vtatur, in Galilæâ lateat, totius nationis conspectum fugiat: nec enim homines carnales vel cogitatione consequi potuerunt, quis sit veræ humilitatis sensus. Celebritatẽ & gloriam spernere non iudicant humanum. Vt ille etiam Gentilis Orator; Eam ab optimo quoq; maximè appeti censebat. Quasi ea sit virtutis, & pietatis diuinæ, imo Spiritus sancti conditio, vt gloriæ seruire debeat. Tam enim contra naturam est, virtutem gloriæ, quam voluptatis esse administram. Vanissimæ enim vmbræ rem sanctissimam, & pulcherrimã famulari nefas est. Verum illi optant cognatum esse in Iudæâ, opera illius à discipulis, qui in Iudæâ plurimi erant, & honorati cognosci, eos arctius illi deuinciri, plures adiungi, florere Dominum. Nam quod Chrysostomus suspicatur eos tradere Sacerdotibus Dominum constituisse, durum est, nec credidero tantæ eos malitiæ fuisse. Sed ex Christi celebritate, & honoribus, sibi potius existimationem, atq; etiã commoda speralle; vincula autem mortemue cognati nõ poterant non iudicare, opprobrio sibi fore: quin etiam si tanquam reus maiestatis, aut præstigiator trucidaretur, ne contagione quadam, & consortio pœnæ, aut suspicionis saltem ipsi quoq; implicarentur, verendum erat, proinde in Galilæâ potius, vt in tuto manendum suaderent, aut sanè nollent in eius comitatu esse.

Ambitio à Christo damnata.

§. 4. Hinc & illud ostendunt, se de Christo nihil homine altius suspicari; *nam nemo*, inquiunt, *in occulto aliquid facit, sed quærit ipse in palam esse.* Hoc est ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, in liberâ loquendi potestate: nam qui magna quædam agunt, illi fidenter, & liberè velut ex auctoritate loquuntur. Dicitur autem quasi sit παῤῥησία τὸ ῥήσειν quod est loqui. Nam qui ad dicendum publicæ accedebant, eos liberos & audaces esse oportebat. Paulus Eph. 3. παῤῥησίαν vocat & πεποίθησιν. Hinc παῤῥησιάζειν, libere & publice loqui. Vnde etiam veteribus, dictus est Demochares à suis παῤῥησιαστὴς, quod loquendi magnâ libertate vteretur. Et Cicero auctor est Socratem *liberam contumaciam à magnitudine animi, non superbiâ sumpsisse*, itaq; in παῤῥησίᾳ εἶναι, cum Dominum iubent, non modo eum cum magna gloria in oculis omniũ versari desiderant, verum etiam in παῤῥησίᾳ, vt liberè vnde sibi tanta sit potestas pronunciet, seque à Deo missum Prophetam contestetur, vt ora aduersarijs obturet, & sine periculo vitam degat. Syrus habet בגליא *Begalio*, quod est ἐν φανερῷ *in aperto*. Imitari igitur hominũ vitia, arrogantiam præsertim suadent, cũ Christus gloriæ contemptum, ignominiæ, & abiectionis amorem docere instituerit. Cum ante protestatus esset, se ab hominibus testimonium non quærere, nec posse credere, qui gloriã ab hominibus quærunt, at illi excitare in eo cupiditatẽ laudis satagunt. Perinde ac si dicant: Pereunt illa præclara nisi videãtur, theatrũ tuis virtutibus idoneũ pete, non te capit Galilæa.

In παῤῥησίᾳ esse.

Laudatas ostendit auis Iunonia pennas,
Si tacitus spectes, illa recondit opes.

§ 5. Videntur autem de eius virtute dubitare. *Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* Non dubitabant illa fieri. Miracula enim luce clariora fuerunt, sed insinuant posse subesse dolum, præstigias, ostentationẽ inanem. Si verè, Dei virtute, & tibi donatâ gratiâ ista admiranda facis, non est quod metuas, ita rem instituas, vt cũctis innotescat diuinã te virtute præditum. Alij interpretes vanitatem Christo exprobrari à cognatis existimant. Si hæc facis, si vt hactenus ostendisti, ad gloriã contendis, atq; hac in palæstrâ te exerces, alium modũ aggredere. Celebritatem metropoleos pete, vbi operæ precium est. Mihi prior interpretatio verior apparet; non enim credebant in eum; suspecta itaq; miracula habuerunt. Non nego tamen eos suo Christum ingenio æstimasse, & gloriæ studiosum, & ostentatorem iudicasse; eo enim tendit eorum consilium, vt viam ad gloriam ostendant facilẽ & compendiosam.

Dubitat de Christo fratres.

VERSVS 5.

Neq; enim fratres credebant in eum.

QVÆSTIO I.

An cognatorum Christi incredulitas honori Mariæ matris obstare debeat?

§. 1. NOn crediderunt in eum, etsi enim miraculorum magnitudine, & splendore mouerentur, vt aliquid in Christo magnum, nouum, diuinum suspicere cogerentur, carnis tamẽ imbecillitate offensa, Messiam esse nõ credebant. Merito itaq; eos ignominia perfidiæ singularitet notat. Nam magno impedimento est domesticorum infidelitas. Si enim fratres de impostura suspectum habent fratrem, quid facient alieni? sed noluit fidem Deus domestico niti testimonio, nec cognationis & sanguinis esse electionem, sed sui beneplaciti: ne quis cognatos felciores externis suspicetur; ecce credunt publicani & meretrices & proximi inter quos educatus est, calumniantur. Docuit etiam Christus doctores & prælatos Ecclesiæ, non sanguine, sed virtute æstimandos esse quibus in parte credenda est Ecclesia. Multos alioqui insignes Ecclesiæ præsules dæmon, plures supplantarunt cognati,

§. 2. Caluinus hanc rem contra Beatæ Virginis matris honorem detorsit. [Hinc colligitur quam nihil “
sit carnalis propinquitas: Perpetuam enim infamiæ “
notam, Spiritus inurit Christi cognatis, quod tot operum testimonijs conuicti, ne tum quidem credebant. “
Quo magis ridicula est Papistarum superstitio, qui in “
virgine Maria posthabitis omnibus alijs, solũ sanguinis honorem efferunt. Quasi non reprehensa ab ipso “
Christo fuerit mulier, quæ ex media turba clamauit. “
Beatus venter, qui te protauit.]

Resp. De voce mulieris ex media turba clamantis suo me loco respondisse: nunc de dignitate matris dicendum est. Hoc solum aduertendum; verba textus à Caluino corrupi; nam Christum respondisse ait, *Quin potius beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Luc. 11. 28 Non enim μενοῦνγε, quod est in Græco significat, *quin potius*, vt ille vertit, vt indicet priorem partẽ negari, alteram affirmari; Non enim sensus est: Non est beata quæ peperit, sed quæ verba Christi custodit.

Caluini textum detorquet.

Siquidem & Christi mater, & auditor verbi beatus est, hic audiendo & faciendo: illa pariendo, audiendo, faciendo. Quin imo contrariũ indicat, & beatum vterum, & verborum diuinorũ custodem beatũ esse, nec Beza comparat, sed vertit: *imo vero.* Caluin. etiam in Lucæ textu retinuit, *Quin imo.* Hic ne deesset color calumniæ mutauit, *Quin potius*, at μενοῦν est porro quidem, sane, quidem, ai qui. Xenophon. χαλεπὸν μενοῦν ἐπὶ δυσὶ λύκοις θέοντα ἀποκλῦσαι, ἀδύνατον δὲ τοὺς τρόφεις, *Durum profecto est domesticos pereuntes negligere, impossibile vero tam multos alere.* Sic ad Rom. 10. μενοῦνγε ὦ ἄνθρωπε σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ; *Enimuero quis es tu homo, vt respondeas Deo?* Sic & 1. Reg. 20. 3. quod vetus interpres conuertit: *Quin imo*, in Hebræo est: וְאוּלָם *Veulam. Et vere.* & Ier. 8. 12. Hebraicè est גַּם *Etiam.* Quin imo pudore non sunt confusi. Itaq; verba illa sunt affirmantis non modo Virginẽ matrẽ, sed custodes etiam diuinæ legis beatos esse. apud Lucam particula illa omissa, Solum enim habet: *Beati illi, qui audiunt &c.*

§. 3. Su-

§. 3. Solum matris honorem à nobis efferri calumnia est. Innumeros tam sanctæ Virginis titulos tenemus. Hymni & preces quas illi recitamus, contra tum eluncunt. Dicimus eam gratia plenam, Dominum esse cum ea, benedictam inter mulieres, beatam quæ credidit, perfecta esse, quæ illi dicta sunt à Domino. Matris honorem si abiit pietas, & gratia Dei, scimus ad salutem non esse satis; multos ex Christi progenitoribus impios fuisse historia sacra demonstrat, non profuit impiis ex suo semine ortum mundi salutem: genuerunt exteris Saluatorem, ipsos exitium inuolut. Matrem ergo colimus, quam supra omnem Deus creaturam honorauit: miramurque Caluinum despicere matrem Domini sui, eo quod fratres Domini in eum non crediderint. An ideo filius parentē non honorabit, si vel parentem vel ipsum fratres contemnant? An ideo sanguinis propinquitas tollenda, quod eam praui homines violant? Salus æterna, electio, vocatio, iustificatio non sunt affectuum, & affinitatum humanarum opera, fateor; non tamen sunt illa cum in cognatis reperiuntur, contemnenda. Filium non degenerem de sanctitate parentum gaudere par est. Eoq; magis honorare parentem conuenit, si & parens & sanctus est. Et sane Christus dum matri subditus est, Deus hominī, illam honorasse censendus est.

§. 4. Matri Domini non ob dotes modò, & virtutes diuinitus illi concessas exhibendus est honor, sed etiam quia mater est. Titulus parentum, etiam malorum, à filiis honorem exposcit. Caluinus matrem suam, quæ tale monstrum in lucem edidit, honorandam existimat, nos Dei genitricem matris nomine non colemus? Non voluntate duntaxat, & charitate iuncta Deo fuit, sed ex sanguine illius corpus sibi formauit, & dignitatem fœminæ contulit, vt esset mater Dei. S. Thomas verius argumentatur. Matri Dei infinitam quandam ex filio Deo dignitatem conuenire. in 1. sentent. Bernard. Serm. 2. de incarnatione, Deiparam, & Christiferam appellat. Innumera talia sunt apud veteres, vt Origenem in orat. in hypapante. Cyrillum orat. Ad Deiparam. Chrysol. serm. 143. Et Damascen. l. 4. c. 15. de fide orthodoxa. *Reuera*, ait, *factam Dominam omnium, cum omnium creatoris facta est mater.*

Et Rupertus lib. 1. de operibus Spiritus sancti, cap. 10. Facit igitur Caluinus vt minus priscos hæreticos mirentur Mariam Dei genitricem esse negantes, quam Caluinum eam ob causam Mariam honorandam negantem. Quid enim creatoris tui matrem non censes honorandam, creaturæ censes? Quod si cui non satis causæ est honorem matris efferendi, cum audit Dei matrem, ille non minus extra diuinitatem est, quam is, qui negat Mariam esse Dei matrem.

Nazianz. orat. 51. *Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra diuinitatem est. Si quis Christum per Virginem tanquam canalem fluxisse, non autem in ea diuino modo, quia absq; viri operâ, humano, quia iuxta parienti consuetudinem formatum esse dixerit, æque Atheus est.*

Hæc exponens Elias in hunc modum differit. *Et Vasanus Apollinarius, & Deo inuisus Nestorius per ea, quæ dicebant, Dei genitricem Beatam Mariam esse minimè confitebantur. Nam si è cœlo carnalem naturam habens descendit, ac per Virginem tanquam per canalem descendit, transiuit, vt Apollinarius nugabatur, etsi alius Dei filius erat, alius qui ex Virgine natus est, cui secundum solam habitudinem vnigenitus filius copulatus fuerat, vt rursum Nestorius stultè asserebat, duas scilicet naturas nominans, verùm eas ab inuicem dirimens, & separatim statuens, ac duntaxat habitudinem, & honoris æqualitatem connectens, an non apertè Dei matrem Dei genitricem negabant? Ita q; hoc loco vir sanctus, eos, vt ipsam per ea, quæ dicebant, Dei matrem minimè confitentes, à Deitate protulisse, atq; omnino Atheos esse pronuntiat. Nos autem, inquit, veram vnionem factam fuisse asserimus, quippe cum Dei filius humanam naturam assumserit, atq; ex Virgineis sanguinibus carnem anima rationali & intellectuali animatam sibi ipsi efformarit, diuino simul & humano modo: diuino nempe quia sine semine, ac sine viro, humano autem, quia, vt partus lex postulat, nono mense genitus est: ob idq; Dei genitricem propriè ac verè sanctam virginem prædicamus. Vt enim verè Deus est, qui ex ipsa genitus est: sic etiam scilicet Dei genitrix verè est ea, quæ verum hunc Deum ex seipsa incarnatum genuit. Deum porrò ex ipsa genitum fuisse dicimus, non quod Verbi Deitas ab ipsa ortum acceperit, sed quia Dei verbum, quod ante sæcula & sine tempore, ex Patre genitum est, ac sine principio, & sempiterno modo, cum Patre ac sanctissimo Spiritu est, in extremis diebus salutis nostræ causa in ipsius ventre habitauit, & ex ipsa citra omnem mutationem incarnatum & genitum est. Neq; enim sancta Virgo nudum & simplicem hominem genuit, sed Deum verum, non nudum, sed incarnatum, non qui cœlitus corpus deduxerit ac per eam, tanquam per canalem, transierit, sed qui carnem eiusdem nobiscum substantiæ ex ipsa susceperit, & in seipso condiderit.* Hæc Elias: Pergit verò Nazianzenus in hunc modum.

Si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse dicat, damnationi obnoxius est. Hoc enim non Dei generatio fuerit, sed generationis fuga. Si quis duos filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex matre, non autem vnum atque eundem induxerit, is ab ea quoq; filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est. Quanquam enim Deus & homo duæ naturæ sint, quemadmodum & anima & corpus, non tamen duo filij nec Dij, quemadmodum ne hic quidem duo homines, tametsi Paulus ad hunc modum internam & externam hominis partem appellauerit. Atq; vt paucis rem complectar, aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Saluator (nisi verò, id quod cerni non potest, idem est cum eo quod in oculorum aspectum cadit, & quod temporis expers est, cum eo, quod tempori subest) non tamen alius atq; alius: absit. Ambo enim hæc connexione vnum sunt, Deo nimirum humanitatem, atq; homine diuinitatem suscipiente, aut quocumq; tandem nomine quispiā vti malit. Porrò aliud dico, contra quam in Trinitate res habet. Illic enim alius atq; alius, ne personas confundamus: non autem aliud atq; aliud, quoniam tria, quoad diuinitatem, vnum & idem sunt.

Cum igitur tantum laborarit vetus Ecclesia, vt B. Mariæ nomen Θεοτόκος assereret, eaque causa à Deo summo maximum ei honorem tributum doceret, detestanda est eorum malitia, qui eam illi dignitatem, per cuniculos ereptum eunt.

VERSVS 6.

Dixit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum.

QVÆSTIO I.

Quod Christus vocet suum tempus, & fratrum?

§. 1. CHrysostomus, Euthymius, & qui eos sequuntur, de tempore mortis interpretantur. Nam cum v. 30. & c. 8. 20. & 13. 1. dicitur, *nondum venisse horam eius*, de morte accipiendum est, hîc igitur eodem pariter modo. Tempus Christi, est tempus mortis eius, & transitus ad Patrem. Nonnulli quamuis tempus, & horam concedant ad passionem rectissimè aliis in locis referri, non posse tamen hæc aptè conuenienterq; eò accommodari iudicant. Nam nec de mortis, tempore fratres agebant, nec antithesis locum habet. si ea teneatur expositio. Diceret enim Dominus suum moriendi tempus nondum esse, fratrum autem tempus moriendi semper paratum esse. Nam & fratribus stabat sua cuiq; dies, & hora, & momentum à quo dependebat æternitas, sicut Christo suum à Patre tem- *Non est tempus mortis.*

pus decretũ erat. Nec de fratrum præparatione loquitur, non enim semper ad mortem parati erant, certe imparatissimi erant hoc tempore, cum non crederent. Quod si aliter antithesin instituas, vt sensum dicas: Meæ mortis tempus nondum aduenit, vestrum gloriæ consequendæ semper adest paratum, nemo non videt gratiam, & elegantiam ac pene sensum responsionis interire, vt illi existimant.

Fratrum tempus semper paratum erat.

§. 2. Alia expositio est. Tempus ascendendi Hierosolymam, & glotiæ meæ publicè manifestendæ nondum aduenit. Nam ad gloriosam illam ostensionem, & regnum potentissimum capessendum si Messias esset, eum fratres hortabantur: illi enim comitatu maximo hominum cum ipso ascendere gestiebant, & cognati tanti, tamq; potentis Prophetæ videri. Ad hæc respondet breuiter; Nondum eius quam imaginabantur maiestatis adesse tempus, de erroribus eorum de morte sua nihil admodum incredulis prænunciat, ne magis eos ab alienaret. Itaque quicquid ad me pertinet, id à diuina potestate pendet, totum, & singula agendi, pat endique momenta in sua manu posuit Pater, & per omnia illi pareo, non modo omnia præcepta exhauriendo, sed etiam suis quæque temporibus perficiendo. Nunc vero ascendendi tempus nondum est Vestrum autem tempus semper est in promptu καιρὸς ἀεὶ ἕτοιμος, omnis occasio parata est. Nam omni momento ad commoda vestra, gloriamq; intenti excubatis. Non enim Dei voluntate, cuius prouidentia certis metis omnia definit, ducimini, sed cupiditate vestra, quæ semper in vitia ebullit, raptamini. Mea omnia à Dei solius arbitrio dependent. Magnæ res certa sibi tempora constituta habent. Vobis semper tempus esse videtur, vt ad gaudium, ad festa properetis.

Hanc vt veram interpretationem esse non dubito, ita aliam coniungere operæ præcium existimo. Fratres enim Domini non modo ad festum ascendere eum hortabantur, sed eo modo vt omnia opera sua discipulis in totius gentis conuentu ostenderet, vt omnibus manifeste constaret, ipsum Messiam esse, hoc est enim quod aiunt. *Manifesta teipsum mundo.* Christus ad omnia illa respondet, Nondum esse tempus hoc faciendi, iam se cum illis non ascensurum, vt seipsum mundo manifestet, cum vero ait nondum esse tempus manifestationis, indicat aliquando id futurum: quo quidem loquendi modo, & passionem, & exactionem complectitur. Plus enim respondet, quam ipsi intelligunt, nec tamen vt intelligant, exponit, quia nondum tanti mysterii capaces erant. Non credebant in eum qui a humanam gloriam quærebant glorię ipsius consulunt tanquam fratres, loquebatur caro, & Deo suo consilium dabat homo. Christus ordinem, modum, viam gloriæ suæ nondum ostendit, sed tantum negat adhuc esse tempus proficiscendi, & gloriam manifestandi. Vtrumq; sane Augustinus complectitur. Tract. 28. in Ioan. *Quid est hoc? nondum venerat tempus Christi? Quare ergo Christus venerat, si tempus eius nondum venerat? Nonne audimus Apostolum dicentem, Cum autem venit plenitudo temporis misit Deus filium suum? Si ergo in plenitudine temporis missus, quando debuit missus est, quando oportuit venit. Quid ergo est tempus meum nondum venit? Intelligite fratres quo animo illi loquebantur, qui quasi fratrem suum monere videbantur. dabant ei consilium consequendæ gloriæ, veluti sæculariter, & terreno affectu monentes, ne esset ignobilis, & latitaret. Quod ergo ait Dominus, Tempus meum nondum venit, illis respondit, qui ei consilium de gloria dabant. Tempus gloriæ meæ nondum venit. Videte: quam profundum sit, de gloria illi admonebant, sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere. nam & illi discipuli vtiq; gloriam requirebant, qui volebant sedere vnus ad dexteram eius, & alter & sinistram. Attendebant quò, & non videbant qua via Dominus eos, vt ordinatè venirent ad patriam, reuocauit ad viam. Excelsa est enim patria, humilis via: patria est vita Christi, via est mors Christi. Patria est mansio Christi, via est passio Christi. Qui recusat viam, quid querit patriam?*

Theophylactus qui tempus crucis & passionis putat indicari, paulo aliter exponit, eodem tamen recurrit. Καὶ θαυμάζω, φησίν, ὁ καιρὸς ὁ ὑμέτερος πάντοτε ἑτοίμως ἐστὶν ὑμεῖς γὰρ φησι, κἂν ἀεὶ σιωπᾶτε τοῖς Ἰουδαίοις, οὐκ ἀναιρήσουσιν ὑμᾶς τὰ αὐτὰ ζηλοῦντας αὐτοῖς, ἐμὲ δὲ θέλουσι βασάνοις τισὶ καὶ ἀνελεῖν, ἕνεκεν τοῦ δοῦναι εἰς τέλος ἑορτῶν ἀφιγμένον. *Hoc est:* Crucis & mortis. Etsi enim vos semper cum Iudæis sitis. non occident vos, eadem, quæ illi zelantes. Me vero celeriter volent è medio tollere, si videant ad festum venientem. Totum igitur coniungendum est: nondum est tempus meum proficiscendi, vt occidar, resurgam, glorificer; Vestrum semper est vt cum Iudæis inimicis meis agatis, gloriam quæratis. Ex quo apparet, quantum vniuersus mundus aberret, dum gloriam homines perituri à perituris petunt, & virtutis humanæ subdunt laudi. Exercet enim non minus animos ambitio, quam alia vitia, licet illa alia sæpe premat, & sola dominetur. Gloria autem est iudicium hominum de aliquo bene opinantium, quod frequentissimè falsum est. Conscientia teste & Deo probante opus est, vt vera sit, si maq; virtus: ideo quæ gloriam laudemque præ se sibi propositam habet, virtutis simulatrix est. Non enim pe- *Gloria ostenda est gloria, sed illa agenda sunt, quæ gloria sequa- rem sequitur:* non tamen agenda, vt sequatur. Sed contem- *tur suum.* nenda est gloria, vt inutilis. Vmbra est: cui nummi dantur, auro contentus, vmbram eius negligit, etsi illam sectetur, aurum perdit. Gloria autem sequitur fugientem, persequentem fugit.

Hostem amat, & sequitur, prensat q; irrisa repulsam,
Odit amatorem gloria culta suum.

De Catone Salustius testatur: *Quo minus petebat gloriam, eo magis illam sequebatur.* quo elogio bene illum Augustinus *laudatum* iud. cat lib. 5. cap. 12. de ciuitate Dei.

VERSVS 7.

Non potest mundus odisse vos, me autem odit: quia testimonium perhibeo, de illo quod opera eius mala sunt.

QVÆSTIO I.

Cur Christum non fratres eius mundus odit?

§. 1. NOn posse odisse fratres suos pronunciat; nam leges mundi seruabant, eius desideriis obsequebantur. *Non potest odisse,* inquit Chrysostomus; τὰ αὐτὰ βουλόμενος, καὶ ὑπὲρ τῶν αὐτῶν πέφευκότας. *Eadem volentes, & ad eadem currentes.* Non potest odisse testes suos malos, testes falsos, qui bona dicunt, quæ mala sunt: habet Augustinus. Consensus est malorum inter se. Notâ itaque sententiâ Christus vitur. *Malus malo iucundus est.* vetus dictum Aristoteles recenset 7. Ethit. Eudemiorum *Malo quo malus.*

Καὶς κακῷ γὰρ συντέτακεν ἡδονή
Malus enim cum malo voluptate colliquescit.

Martialis l. 8. miratur cõiuges pessimos mutuo odisse.

Vxor pessima, pessimus maritus,
Miror non bene conuenire vobis.

Christus Dominus itaque fratres suos in cœtu mundi collocat, à se abdicat, nisi conuertantur, in æternum perditurus. Nam eorũ quoq; mala opera esse ex mundi amore & consortio demonstrat. Nec n. de eorum dubita-

dubitamus moribus, quorum sodalitia improba noüimus. Eurypidis etiam illa laudantur.

Ὅστις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνὴρ,
Οὐπώποτ' ἠρώτησα, γνωσκῶν ὅτι,
Τοιοῦτός ἐστιν οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Qui cum improbis gaudet viuere, nunquam rogaui, sciens eum talem esse, quales illi quibuscum conuersari gaudet. Mundi itaque amicitia malos ostendit, non enim viuere eius legibus consentaneè possunt, qui facta illius improbant. Christum autem odit, qui monitor est, & testis scelerum illius. Corrigi non vult, pro vitiis, tanquam patrimonio pugnat. Fratribus suis ad festum ituris, & acerba principum odia contra se intellecturis hoc inculcat, vt planè percipiant, odiorum, obtrectationum, insidiarum vnicam esse causam, quod vitia sua reprehendi viderent.

QVÆSTIO II.

An omnia mundi opera mala sint?

§. 1. CAluinus mundum pro non renatis accipit, eorũ omnia opera damnari scribit. [Quod si iudicio Christi acquiescimus fateri necesse est, totam hominum naturam adeo vitiosam esse, vt nihil inde recti, nihil sinceri, nihil boni oriri queat.]

Verum quidem sensum ista sententia habere posset, si nomine recti, boni, sinceri operis intelligatur opus ex fide, charitateque profectum, & ad vitam æternam profi iens. Hoc enim in non renatis nullum esse potest. Atqui Caluinus omne opus hominis infidelis sceleri deputat, & vt Beza ait: *omne opus optimè factum millies millies infernum mereri.* Hoc noua hæresis delirat, Christus non dixit. Mundi opera mala esse asserit, non dicit nullius mali vllum esse opus bonum. Bonum inquam moraliter, nec pœna dignum. Nam bonus in malo est aliquis affectus; scripta enim est in Gentium cordibus lex naturæ, quam etsi non seruant, non tamen in omnibus actionibus violant: vt etiam posteriores Caluiniani in Belgio cognoscant. Hieron. T. 3. Epistol. 140. Amo is & odi in nobis esse semina. Et Epistol. 151 ad Algasiam quæstio. 8. Naturalem legem inesse do et nationibus, testimonium perhibente conscientia: quæ de malo opere bonum testimonium ferre non potest. & T. 4. f. 8. in c. 24. Isaiæ fol. 90. *Audiant Iudæi, qui se solos legem accepisse Domini gloriantur, quod vniuersæ primum gentes, totusq; orbis naturalem acceperit legem, & idcirco postea lex data sit per Moysen, quia prima lex dissipata est. De qua Apostolus loquitur: Cum enim gentes quæ non habent legem, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: isti legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Qui igitur has leges obseruauerint, præmia consequentur: qui autem neglexerint eas, sustinebunt quæ nunc sermo propheticus comminatur.*

Sunt igitur actiones moraliter & ciuiliter bonæ, & cum nulla circumstantia vitiantur, sine vllo peccato.

Et lib. 9. in cap. 29. Ezech. Mercede eos donari fatetur. *Caterum ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei iudicio præteriri. Vnde & per Hieremiam Nabuchodonosor columba Dei appellatur, eo quod aduersum populum peccatorem Dei seruierit voluntati. Et adducam, inquit, seruum meum Nabuchodosor. Ex quo perspicuum est, condemnari nos comparatione gentilium si illi lege faciant naturali, quæ nos etiam scripta negligimus.*

Eadem est S. Augustini sententia. Qui licet neget vere bonum esse opus, quod est sine iustitiâ, vt possit ad vitam æternam: imo vix bono sine fieri ab impijs bona opera existimet, tamen lib. de Spiritu & litera cap. 28. pronunciat, posse quædam esse bona. Qua vsque adeo in anima humana imago Dei detrita non est. vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint; vnde merito dici potest, etiam in ipsa impietate vitæ suæ, facere aliqua legis, vel sapere. Nec multum abest Caluini sententia à Manichæismo, & Illyricismo, qui prorsus corruptam hominis substantiam per originale peccatum arbitrantur. Qua de re multa Wigandus Lutheranus, aliique. Illyricus vero substantiam, & malitiam Satanæ eandem esse rem scribit, in collat. cum Wigando. Ita libri Spangenbergii, Petrei, Hondelini. Quæ cum omnia considerantur facile apparet, non minora incommoda à Caluinistis induci, cum peccatum accidens, & rem corruptam appellant, quam cum substantiam dicunt Illyricani. Mundi igitur atque hominum opera mala sunt, quæ ex malo mundi principio proueniunt, quæ malarum cupiditatum energia perficiuntur.

VERSVS 8. & seq.

Vos ascendite ad diem festum hunc. ego non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est, &c.

QVÆSTIO I.

Cur dicat se non ascendere ad diem festum cum paulò post ascenderit?

§. 1. OCcasionem blasphemiæ hoc ex loco arripuisse Porphyrium testis est Hieronymus lib. 2. contra Pelagian. Sequi enim alterutrum contendebat: Vel mendacem, vel inconstantem Dominum fuisse. Respondent nonnulli legendum esse οὔπω non dum, ita Chrysostomus, alii, codex Vaticanæ Bibliothecæ legunt. Hæc aliis lectio non placet, cum quod causa obiectionis non esset, tum quod fratres exspectassent; respondit enim ita fratribus, vt existimarent non esse secuturum. Verum lectioni lectio opponitur, & abuti Porphyrius corrupta lectione potuit, nec fratres iussi ascendere, inuito se comites non obtruderent. In quibusdam abest ἐγὼ, in aliis ταύτην, Syrus habet, *non ascendo nunc.* Cyrillus ait non ascendere, vt festum more aliorum agat, sed vt Iudæos moneat, & doceat. Alii non ascendo ad patiendum, alii non ascendo ad diem primum festum, qui primus festus erat. Alii non ascendo vt homo. Facilima expositio: non ascendo μεθ' ὑμῶν vt Chrysostomus ait, *Vobiscum*, nec ad primum diem festum. Causa erat: ne magno comitatu calumniæ ansam daret, quasi affectaret regnum. Quamuis quidam prima die venisse existiment, idq; esse festo mediante, circa meridiem; nam totus in eo erat, vt quasi in occulto veniret, & subito in templo appareret. Euntibus ergo fratribus mansit Syrus יבש iaphasch, quod nota marginalis interpretatur נוח noach, cum illi præcessissent secutus est, σὺκ ἦσυν, inquit Chrysosto. ζεύντων, ἢ σφαδαζόντων ἐπιπεσεῖν. *Non æquum erat ipsis exæstuantibus, & excandescentibus, incidere.*

Noluit ire cum fratribus.

VERSVS 11. & seq.

Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant, vbi est ille? Et murmur multus erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, &c.

QVÆSTIO I.

Quomodo doctrina eius non est eius?

§.1. MIrantur eius doctrinam populi, eoq; magis quod scirent eum literas non didicisse.

Leontius, Theophylactus, Euthymius non ipsam doctrinam miratos existimant, sed ornamenta orationis, eruditionem, non enim credebant. Verum hac in causa opus est distinctione. Doctrina Christi duplex argumentum continebat. Articulos fidei, Scripturam sacram, clarè intelligenterque explicabat, ita vt mirarentur, & vera esse crederent, quæ ab ipso dicebantur. Alia quæ traditionibus, & superstitionibus eorum manifestè repugnabant, admirabantur tantummodo, quemadmodum & postea Stephanum admirati sunt, nec poterant spiritui resistere, qui in eo loquebatur, nec credebant tamen.

Quædam credebant, quædam mirati sunt.

§.2. Videtur paucis verba quasi contraria locutus. Mea, non mea. vt Augustinus & Chrysostomus loquuntur, & respondent. Quomodo non tua est, si tua? In confesso autem alio modo suam dicere, alio suam negare. Augustinus tract.29.in Ioan. de filio interpretatur, & mysterium Trinitatis indicari censet.p. 100. *Si ergo intueamur diligenter quod ipse in exordio dicit S. Euangelista.* In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: *Independet huius solutio quæstionis. Quæ est doctrina Patris nisi verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris si verbum Patris. Sed quia verbum non potest esse nullius, sed alicuius: & suam doctrinam dixit seipsum & non suam, quia Patris est verbum. Quid enim tam tuum, quam tu? Et quid tam non tuum quam tu, si alicuius est, quod es? Verbum ergo & Deus est, & doctrina stabilis verbum est, non sonabile per syllabas & volabile, sed manentis cum Patre, ad quam conuertamur manentem, sonis transeuntibus admoniti.*

Doctrina Christi est & Patris.

Et paulò post. *Breuiter ergo dico charitati vestræ: hoc videtur mihi dixisse Dominus IESVS Christus,* Mea doctrina non est mea: ac si diceret, Ego nō sum à meipso. *Quamuis enim filium Patri dicamus & credamus æqualem, nec vllam in eis esse naturæ vel substantiæ distantiam, nec inter generantem atq; generatum aliquod interfuisse temporis interuallum, tamen hoc seruato & custodito ista dicimus quod ille Pater est, ille filius. Pater autem non est si non habeat filium, & filius non est, si non habeat Patrem: sed tamen filius Deus de Patre, Pater autem Deus, sed non de filio. Pater filij, non Deus de filio, ille autem filius Patris, & Deus de Patre. Dominus enim Christus dicitur lumen ex lumine. Lumen ergo quod non ex lumine, & lumen æquale quod ex lumine, simul vnum lumen, non duo lumina. Si intelleximus, Deo gratias: si quis autem parum intellexit, fecit homo, quousq; potuit, cætera videat vnde speret. Forinsecus & operarij possumus plantare & rigare, sed Dei est incrementum dare. Mea, inquit, doctrina, non est mea, sed illius qui misit me. Audiat consilium. qui dicit, nondum intellexi. Magna quippe res & profunda cum fuisset dicta, vidit vtiq; ipse Dominus Christus hoc tam profundum non omnes intellecturos, & in consequenti dedit consilium. Intelligere vis? crede: Deus enim per Prophetam dixit:* Nisi credideritis, non intelligetis.

Huius interpretationis causam interpretor, quod Ariani hūc locum ad diuinitatem Christi impugnandam vsurpabant. Ita apud Ambr. l.3. de fide, c.4. & l.5. c.3. & August. l.1. de Trinit. c.12. Nam illum negabant esse Deum, cuius doctrina non esset propria. Si enim Deus est, illius etiam lex est illius doctrina est. Quod totum facile soluitur, si doctrina est Patris, vt & filius est Patris.

Doctrina Patris est, vt filius est Patris.

§.2. Alia interpretatio loco præsenti est accommodata, nec quicquam pro causa Arianorum facit. Accusabant illi Christum, quod nouam à seipso, tanquā planus, & impostor doctrinam confingeret. Ille negat, doctrinam esse suam, à se tanquam homine inuentam, aut labore quæsitam, siue ab aliquo Philosopho seu Rabbino hausta. Ideo nec ex Schola, sed à Deo progressam. Sed doctrina Patris est, quam Pater dedit, quam homo accepi, ideo & mea & Patris, sed non ea ratione mea, qua vos suspicamini, quasi à me excogitata, sed ita mea, vt omnia Patris mea sunt. Sic enim loquitur v.17. Si quis voluerit facere voluntatē Patris cognoscet de doctrina mea, an ex Deo sit. Et: *Ego ex meipso non loquor.* & v.18. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam querit.* Simili modo loqui assolent legati, postulata mea quæ profero, non sunt mea, sed mittentis.

Non æquum fuit ab eius quo magistro doctrinam.

VERSVS 17.

Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.

QVÆSTIO I.

Quomodo volentes facere Patris voluntatem cognoscunt de doctrina Christi?

§.1. INitium quoddam credendi bona est voluntas; cum enim fides obscura sit, & quæ credenda proponūtur, non conuincant intellectum, vt assentiri cogatur. Opus est piâ voluntatis inclinatione, qua obsequi Deo velit, & credere. Grauem itaque continet illa sententia Iudæorum reprehensionem. Disceptant inter se illi, bonum esse Christum quidam, alii malum & seductorem iudicabant. Plebs admiratur, Pharisæi oderunt, & inuident. Causa tanti mali, non est ex Christi doctrina, aut moribus, sed eorum improbitate, qui doctrinam vitiis suis aduersantem execrabantur. Auersæ erant eorum voluntates à Deo, alienæ ab honesto, cupiditatibus prauis affixæ, & longa consuetudine adnatæ, & quasi coalitæ, sine graui sensu auelli, & in aliam partem torqueri non poterant. Hinc quasi Phrenetici in medicum insurgant, & monitorem obiurgarit. Nec alia causa vlla est hodie, quod à Catholicis multi recedunt, alii agnoscentes veritatem non accedunt.

Vitiatæ.

Cæcus non iudicat de colore.

Ex seipso loqui, est propriam à se inuentam doctrinam in medium producere. Syrus interpretando exposuit; אר אנא מן צבות בפשי מימלל *An ego de voluntate animæ meæ loquens?*

§.3. August. tract.29. in Ioan. facere Dei voluntatē, ait esse credere, credere autem, esse credendo amare, credendo diligere. *Quid est hoc, si quis voluerit voluntatē eius facere? Sed ego dixeram, si quis crediderit, & hoc consilium dederam, si non intellexisti, inquam, crede. Intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quærere intelligere, vt credas, sed crede vt intelligas: quoniam nisi credideritis, non intelligetis. Cum ergo ad possibilitatem intelligendi consilium dederim obedientiam credendi, & dixerim Dominum IESVM Christum hoc ipsum adiunxisse, in consequenti sententia, inuenimus eum dixisse: si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina eius. Quid est, cognoscet? Hoc est intelliget. Quid est autem, si quis voluerit voluntatem eius facere? hoc est credere. Sed quia cognoscet, hoc est intelliget, omnes intelligunt. Quia verò quod ait, si quis voluerit voluntatem eius facere, hoc pertinet ad credere, vt diligentius intelligatur, opus est nobis ipso Domino nostro expositore, vt indicet nobis vtrum reuera ad credere pertineat facere voluntatem Patris eius. Quis nesciat hoc esse facere voluntatem DEI, operari opus eius: id est, quod illi placet? Ipse autem DOMINVS apertè alto loco dicit: Hoc est opus*

Credulitas amare est, fauere Dei voluntati.

Dei,

Dei, vt credatis in eum quem ille misit. Vt credatis in eũ, non vt credatur ei. Sed si creditis in eũ, creditis ei. Non autẽ cõtinuo qui credit ei, credit in eum: nã & Dæmones credebant ei & non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius possumus dicere: Credimus Paulo, sed non credimus in Paulum: Credimus Petro, sed non in Petrum. Credenti autem in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire & eius membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quam de nobis exigit Deus: & non inuenit quod exigat, nisi donauerit quod inueniat. Quæ fides nisi quam definiuit alio loco Apostolus dicens: Neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur? non qualiscunque fides, sed fides quæ per dilectionem operatur. Hæc in te fit, & intelliges de doctrina Dei. Quid enim intelliges? Quia doctrina ista non est mea, sed eius qui misit me: id est, intelliges, quia Christus Dei filius, qui est doctrina Patris, non est ex seipso, sed est filius Patris.

Itaque dilectio apud Augustinum est, qua Dei voluntas, hoc est, lex impletur, non sola fiduciatio, quæ sine dilectione non cognoscit de Dei doctrina. Cognitionem verò Augustinus intelligentiam interpretatur, hæc enim fidem consequitur, hdeles enim Deus illuminat, & ad res maximas intelligendas euehit. Potest etiam de fide accipi vt alii interpretantur. In quo enim sincera & pia est voluntas diuinis mandatis obtemperandi, in eo fides locum facile inuenit. Nam auersa à Deo mens, non facile ad fidẽ accedit, & quamuis eam habuerit, facile recedit. Cyrillus lib. 4. cap. 43. Chrysost. hom. 48.

§. 3. Caluinus ad quærendum hortatur, & vetat trepidare, & sic à discendi studio auerti. dictum enim esse: *pulsate & aperietur vobis.* Recte ille monet, si id quod discendum est, quo discendo salui facti sunt Patres nostri. Non autem quærendo noua, quæ sancti ignorarunt, quibus curiosi pereunt; hîc trepidare sanctum est, resilire necessarium est, cum enim trita sit sanctorum ad cœlos via dubitare nemo potest, errare se, qui nouum est commentus iter. Peruerso discendi, intelligendi prætextu hæreses exortæ sunt, hodieque nouæ oriuntur. Nam vt de aliis taceam, dum semper posteri quærunt, quid maiores rectè, aut perperam crediderint, quotannis fidem innouant, hinc tam multæ Lutheranorum, & recens Caluinianorum sectæ; nouitate enim sese commendare nituntur, qui veritate non possunt. Omnes sanè quærant, sed qui nondum inuenerunt, qui tenet, non quærit. *Cedo*, inquit Tertullianus de præscript. aduersus hæreticos cap. 9. *Nunc sponte de gradu isto: omnibus dictum sit, Quærite & inuenietis: tamen & his expetit sensus certa interpretationis gubernaculum. Nulla vox diuina ita dissoluta est & diffusa, vt verba tantum defendantur, & ratio verborum non constituatur. Sed imprimis hoc propono: vnum vtique & certum aliquid institutum esse à Christo, quod credere omni modo debeant nationes, & idcirco quærere, vt possint cum inuenerint credere. Vnius porrò & certi instituti, infinita inquisitio non potest esse, quærendum est donec inuenias, & credendum vbi inueneris, & nihil amplius nisi custodiendum quod credidisti: dum hoc insuper credis, aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum cum inueneris & credideris, quod ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod instituit. De hoc quidem si quis dubitat, constabit penes nos esse id quod à Christo institutum est. Interim ex fiducia probationis præuenio, admonens quosdam nihil esse quærendum vltra quod crediderunt, id esse quod quærere debuerunt: ne Quærite & inuenietis, sine disciplina rationis interpretentur. Ratio autem dicti huius in tribus articulis constitit: In re, in tempore, in modo. In re, vt quid sit quærendum consideres. In tempore, vt quando. In modo, vt quousque. Igitur quærendum est quod Christus instituit, vtique quamdiu non inuenis, & vtiq; donec inuenias. Inuenisti autem cum credidisti. nam non credidisses, si non inuenisses, sicut nec quæsisset, nisi vt inuenires. Ad hoc ergo quæris vt inuenias, & ad hoc inuenies vt credas. Omnem prolationem quærendi, & inuenièdi quærendo fixisti, hunc tibi modum statuit fructus ipse quærendi. Hanc tibi fossam determinauit ipse qui te non vult aliud quærere, quam quod instituit, idroq; nec quærere. Cæterum si quia alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantum quærere debemus, inquantum possumus inuenire, semper quæremus & nunquam omninò credemus. Vbi enim erit finis quærendi? Vbi statio credendi? vbi expunctio inuenienti? Apud Marcionem? sed & Valentinus proponit: Quærite & inuenietis: Apud Valentinum? sed & Apelles hac me pronunciatione pulsabit, & Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi adducant. Erottaque nusquam dum vbique conuenior:* Quærite & inuenietis: *& velint me sic esse nusquam, quasi qui nunquam apprehenderim illud quod Christus instituit; quod quæri oportet quod credi necesse est.*

Contra eandem illam quærendi curiositatem vide Fulgentium, aliosque. Hæc si hæretici nostri considerarent, minus hoc loco lasciuirent.

§. 4. Minus excusari possunt, qui apud Lutherum, Caluinum, Mennonem, Zwenckfeldium, alios quærunt, postquã, id quo maiores vitam repererunt, sponte abdicarunt, vt noua quærendo ingenii gloriam sibi parerent. Quod si quærendum est, certe apud eos, qui nos à maioribus hæreditate acceptos olim fundos amiserunt, quærere non oportet. Hostium nemo pulsat ostia, à cœco monstrari viam sibi, qui postulat, errare decreuit. Quærere oportet in Scripturis; at non in Scripturarum verbis est Euangelium, sed in sensu; non in superficie, sed medulla; non in sermonum foliis, sed radice rationis. Hæc ergo quærenda sunt ab Ecclesia, non ab hæreticis, nec enim illi ab erroribus alterius sectæ suos quærere permittunt, sed à se dubitationem explicationem peti æquum iudicant, non mittunt ad Caluinistas Lutherani, sed libros eorum exurunt, aut sanè prohibent. Non enim ab extraneo & aduersario subsidia petenda sunt. Non datur in castris hostium donatiuum, nisi transfugæ; qui autem transfugit, iam quæsiuit. A maioribus ergo petenda sunt, à conciliis, martyribus, patribus.

§. 5. Interim videmus passim volitare hæreticos & mutare sententiam, & in varia errorum versura, ad veritatem non accedere. Certè quicunque hodie hæsitant, & dubitationem suam fouere malunt, quam legendo, vel audiendo serio inquirere vbi nam sit Dei veritas, eos in generalibus principiis Deum secure cõtemnere videmus. Dicet hic se pro mortuis orare non posse, quia ingenio suo diffisus, quod de purgatorio ab Apostolorum temporibus semper Christiani crediderunt, intelligere non possit. Ille negabit sibi tantum esse acuminis, vt inter puram Christi doctrinam, & hominum figmenta distinguere possit. Interim & hic scortari, & ille furari, peierare, mactare Catholicos, incendere Ecclesias, atque expilare non cessabit. Nam si videris integros Caluinianorum exercitus, ex illis vix vllum inuenies, cui religio, quam ore tenus prætexit, cordi sit. Cur igitur tanto ardore, tanto furore sæuiunt, cur nunc hoc nostro tempore mundum euertere satagunt. Vitiorum illæ Stragis sunt, & ignorantiæ affectatæ effecta. Illa etiam titubatio in Caluino fuit, quamuis enim vltima admonitione ad Westphalum, iuret rectâ se conscientiâ doctrinam suam tueri, nemo tamen illi credidit: respondent enim Lutherani sub grandibus illis iuramentis profundissima latere mendacia. Schlüsselburgius de Theol. Caluinist. p. 2. artic. 9. Quâ vero eum Deus pœnâ affecerit, idem recenset.

VERSVS 18.

Qui à semetipso loquitur, gloriam propriã quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.

QVÆSTIO I.

Quomodo propriam gloriam quærat, qui à seipso loquitur?

§. 1. NOuo demonstrat argumento doctrinam suã non esse ab se ipso confictam, ac commentitiam, sed verè à Deo. Duplici modo argumentum proponit. Qui à semetipso loquitur propriam gloriam quærit, ego Patris, non meam quæro gloriam, à meipso igitur non loquor. Deinde: Qui eius à quo missus est gloriam quærit, is verax est, & in eo, Syrus בלבה *belebeh*, *in corde eius*, iniustitia non est. Ego Patris à quo missus sum gloriam quæro, in me igitur iniustitia non est. Non est argumentum moraliter tantummodo certum: sed omnino necessarium. Christus enim de illo loquitur, qui non missus à Deo, sed suæ gloriæ causa sponte currit. Qui enim vocationem sibi arrogat, vt Core, & Abiron, Ozias, vt alii qui currebant, & non mittebantur, non quærunt gloriam Dei, quem nisi tanquam laruam contemnerent, nunquam contra eius legem publicè impudenterq; peccarent. Qui autẽ eius gloriam, à quo missus est, quærit; ille verax est.

Qui non est missus verã gloriam nõ quærit.

Augustinus de Antichristo interpretatur, & certè in omnes eius præcursores conuenit. *Hoc erit ille, qui vocatur Antichristus extollens se (sicut Apostolus ait,) supra omne quod dicitur Deus, & colitur. Ipse quippe annuncians Dominus gloriam suam quæsiturum, non gloriam Patris, ait ad Iudæos: Ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, & hũc suscipietis. Significauit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est: inflatus, non solidus, & ideo non stabilis sed vtiq; ruinosus. Dominus autem noster Iesus Christus magnum exemplum nobis præbuit humilitatis nempe æqualis est Patri nempe* in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

Christus certe gloriam non suam, aut potentiam, sed Patris, & hominum deinde salutem quæsiuit.

§. 2. Musculus auidè occasionem quærit Romanam sedem calumniandi. *Doctrina Papæ*, inquit, *de primatu sedis Romanæ, & superioritate super omnes reges terræ, suam quærit gloriam; non est igitur ex Deo.*

Respondeo. Doctrinam Papæ non quærere propriam gloriam, sed Dei; nam primatus Romanæ sedis ad Dei, non Papæ gloriam pertinet, quemadmodum primatus Petri, ad Christi gloriam manifestandam, Euangelii prædicationem propagandam institutus est à Christo, cui qui repugnat diuinæ institutioni, non hominis ambitioni resistit. Aaronis sacerdotio sine rebellionis crimine nemo se opposuit, par est Christiani sacerdotii dignitas, id negare non debet, qui Deo fidus est, legati auctoritas, honor est mittentis. Cyprianus, Athanasius, Chrysostomus, alii viri sancti, Episcopatus honorem etiam vitæ periculo tutati sunt, non cupiditate honoris, quem fugerunt, sed necessitate vocationis, & missionis, vt Domino suo fideles essent. Prophetæ, & Apostoli in persecutione, & contumelia læti: Apostolatus sui auctoritatem sanguine sanxerunt. Ipse Dominus sinceriſſimus diuini honoris zelator, grauissimis verbis, miraculis factis hunc sibi honorẽ haberi voluit, vt filius Dei, Saluator mundi, ab omnib. crederetur, hoc enim hominum saluti est necessarium, vt Messias esse credatur. & vt Messias honoretur. Hunc honorẽ non repudiat, sed cum modestia summa colligit. Itaq; & serui Dei, Euangelii prẽcones honorem officio necessarium, gloriæ diuinæ ad-ministrum hominum saluti opportunum fugere non debent, hic locum habet illud: Qui famam negligit, crudelis est.

Honor Romanæ sedis, est gloria Dei.

Si quis igitur Pontificum iura, sedis suæ custodit, laudandus, si negligit, culpandus est. Si neglecta Ecclesia, cui præsidet, honori suo, commodisq; consulere conetur, audiret à summo pastore illud: *Væ pastoribus, qui pascunt semetipsos*, & nisi pœnitentiam egerit, damnabitur. Quod Pontifici impingunt, ipsi faciunt hæretici, quos alia vitia quidem Ecclesiã pepulerunt, sed inter ea primatum tenuit appetitus laudis, quo etiam in erroribus detinentur. de Luthero multi docuerunt: notum est illud Noui Georgi ad Gallum.

Non cœlestia eo indicas Magistri
Temet discipulum esse. sed Lutheri,
Qui cum plurima scripserit per iram,
Carnalem per & æmulationem,
Ne succumbere videretur vlli.

Ambitio Lutheri.

Hoc in doctoribus suis obseruauit Paulus Eberus, in præfat. Epist. ad Philipp. *Docentes*, ait, *ambitione, æmulatione, curiositate doctrinam corrumpere.*

§. 3. Pergit idem Musculus contra fidem Catholicam arguitarter. [Licebit etiam hoc canone interdiuersas de scripturis contentiones, & interpretationes iudicare. de merito de mercede operum, de libero arbitrio, &c. Nam ea doctrina, quæ plus gloriam Dei quærit, & humanis viribus detrahit, præalia acceptanda est. Maior autẽ Dei gloria est, si agnoscamus Deum non esse auarum quendam fœneratorẽ, qui nihil tribuat, nisi pretio & merito, sed potius liberalem Oeconomum, qui omnia sua bona gratis exponat. Adeoq; maior Dei celebritas est, si confiteamur vires nostras nullas, sicut reuera nullæ sunt, sed solum Deum in nobis operari velle & perficere. Philip. 2. 12. Iubet & Paulus, vt Prophetia, id est, scripturæ interpretatio proficiscatur ex analogia, & proportione fidei. Rom. 12. 6. Itaque si diuersas scripturas ad regulam fidei exigas, haud difficile erit inter ipsas doctrinas discernere.]

Maior Dei gloria quæ sit, ostenditur.

Respondeo. Multis modis canonem perturbari à Musculo. Quamuis enim id statuatur. Eam doctrinam quæ plus gloriã Dei quærit esse acceptandã, non tamen continuo manifestũ euadit, vnde maior Dei gloria accedat. Non enim ea maior Dei gloria censebitur, quam quisq; maiorem imaginatur, sed quã se velle Deus reuelauit. Maior Dei gloria videtur, si eũ plurimas mundorum Myriadas creasse dicamus, si corpus Christi vbiq; esse cum Vbiquistis fingatur, non ideo tamen illa dicenda sunt, sed cogitationes, iudiciaq; ad vnicam veritatis reuelatæ normam respicere oportet.

Merita ascribenda gratiæ Dei.

Deinde doctrina quæ Deum auarum, fœneratorẽ fingit, blasphema est. Nõ enim ille auarus esse potest: cuius omnia sunt, vt nihil non illius esse possit, cui mundorũ infinita multitudo nihil emolumenti conferre possit. Quin & illa doctrina blasphema est, si quis Deũ aliquid dare homini sine merito affirmet, omnia enim per Christum donat. Omnia beneficia in nos collata, sunt merita redemptoris. Deniq; multa Deum sine meritis dare propriis confitemur; nam primam gratiam, auxilia que sine meritis, & paruulis etiam vitam æternam donat.

§. 4. At vero doctrina quæ merita, mercedem, liberum arbitrium asserit Dei magis gloriam quærit, quam illa, quæ ista negat. Nam cum scriptura toties contestetur Deum mercedẽ dare secundũ opera, qui id negat ita Dei liberalitatem prædicat, vt veritatem neget, ideo nec liberalem Deum facit, quem comminiscitur fallacem. Deinde merces data operi ex gratia facto liberalem Deum ostendit, vt qui non modo salutem donet, sed etiam merita; nam merita nostra Dei sunt dona.

dona. Imo ex promissione donat, vires etiam bene operandi quas nullas inuenit, restaurat, nec modo liberat vinculi, & carcere, sed etiam nobis, vt gratiæ cooperemur voluntatem, vigoremque subministrat. Quæ omnia gloriam redemptoris mirum in modum ostendunt. Nam qui homines quasi truncos esse imaginantur, qui cooperari gratiæ non possint, & fatali necessitati cuncta adscribunt, potentiæ diuinæ detrahunt, quasi creaturarum cooperatione vti nō possit. Qui liberū arbitrium negant, nec præmia, nec pœnas à Deo iuste venire posse necesse est, vt dicant. Quomodo gloriam Dei ille quærit, qui ne bene homines operentur, stipites esse mauult, quam liberos? Imo ne meredem operum sperare videantur, opera ipsa detestantur. Ita Iacobus Andreæ concion. 4. ad c. 1. Lucæ. [Altera pars, & turba Germanorum suum quidem locum verbo Dei, vt prædicetur, tribuit, nulla vero sentitur in illis morū emendatio, sed horrēda, epicuræa, bestialis eorū vita cernitur in cōuersationibus, compotationibus, cupiditatibus, pompis, & diuini nominis prophanationib⁹ siue blasphemiis. Quia in parte voluntæque libere, & impune peccare, sicut Papistæ in sua idololatria. Mandat serio Deus in verbo suo, & à suis Christianis requirit seriam & Christianā disciplinam; Hæc vero apud nos nouus Papatus, nouusq; monachismus existimatur. Sic enim inquiunt: Didicimus modo per solam fidem in Christum saluari, qui sua morte pro peccatis omnibus satisfecit: nos vero satisfacere non possumus nostris ieiuniis, eleemosynis, precationibus, aliis operibus: Quamobrem siue, & permittere, vt huiusmodi opera missa faciamus, cum per Christum alioquin saluari possimus, & solum gratia Dei, Christique meritis nitamur.

Atque vt totus mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorum etiam operum, nullum penitus exercent. Ieiunij loco commessationibus, & perpotationibus nocte dieque vacant. Vbi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt, & excoriant. Precationes vertunt in iuramenta, blasphemias, & diuini nominis execrationes, idque tam perdite, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur.

Demum pro humilitate passim regnat apud illos superbia, fastus, elatio, luxuria vestium, quæ aut sumptuosissime, aut etiam stultissime sunt elaboratæ.]

Quomodo igitur tales Dei gloriam quærunt, qui nullum opus exercent, quod Deus imperauit? Qui irritam faciunt legem Dei, vt suas cupiditates stabiliant. Et in his tamen se gloriantur se iustos, pios, prædestinatos? Quomodo illa doctrina gloriam Dei quærit, ex qua tanta numinis contumelia sequitur.

Quin eo vique Caluiniani deuenerunt, vt omni operi bono inferos deberi doceant, omne opus bonum peccatū dicunt mortale esse. Imo negant posse mandata Dei seruari. Nam Christo mandanti, vt legem seruent, intrepide respondent; non posse. *Si quis diligit me*, inquit, *sermonem meum seruabit.* Dicit Christus qui gloriam Dei quærit. *Sermonem Dei seruare nemo potest*, respondet hæreticus, qui suam quærit.

§. 5. S. Augustinus ex his Sabellium refutat, plures enim personas esse demonstrat. *Sabelliani enim dicere ausi sunt, ipsum esse filium qui est & patrem: duo esse nomina sed vnam rem. Si duo essent nomina & res vna, non diceretur, mea doctrina non est mea. Vtiq, si tua doctrina non est tua ô Domine cuius est, nisi alius sit cuius sit? Quod dixisti Sabelliani non intelligunt, non enim Trinitatem viderunt, sed sui cordis errorem secuti sunt: nos cultores trinitatis & vnitatis, patris & filij & Spiritus S. & vnius Dei, intelligamus de doctrina Christi, quomodo non est eius, & ideo dixit se non à seipso loqui: quoniā Christus patris est filius: & pater Christi est pater: & filius de Deo patre, Deus est: pater autem Deus, non de filio Deus est.*

VERSVS 19.

Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem: Quid me quaeritis interficere?

QVÆSTIO I.

An nemo seruarit legem?

§. 1. GRæcus habet πᾶς ὁ τὸν νόμον. Syrus נטר *natar*, *seruans*; non esse verum amoris Dei zelum probat, quo ipsum persequuntur, quod ipsi legem nō seruent. Legem vel vniuerse pro toto systemate mandatorum accipere possumus, vel singulatim de certa aliqua legis parte. Idque dupliciter: vel enim de lege illa agitur quæ vetat cædē innocentis, vel de lege circumcisionis. Auditores, quos contra disputat, legem non seruabant. Non vniuerse acceptam; Charitatem enim violabant, dum interficere innocentem conantur, à qua vniuersa lex pendet & prophetæ. Nec obstat, quod nō omnes eum quærerent interficere. Non enim de omnibus absolute pronuntiat, Nemo seruat legem, sed nemo ex vobis, qui scilicet me quæritis interficere, accommodate enim hæc accipienda sunt. Legem igitur violant charitatis & iustitiæ, & specialiter quintū præceptum, iusto insidiantes & in cædem quærentes. Nec opus erat legem proferre; nota enim erat omnibus, etiam rudissimo cuique. Innocentiam vero suam probarat. Quod eius à quo missus fuerat gloriam quæreret, à semetipso non loqueretur, ideo verax esset, nec in ipso esset iniustitia. *Legem Iudei non seruant.*

§. 2. Videtur tamen etiam agi de violatione legis quæ de sabbatho lata erat, non vera illa quidem transgressione; sed quæ ex peruersa & inuida eorum sequeretur interpretatione. Hoc ex v. 23. conuincitur: Indignabantur Christo, quod sabbatho curasset paralyticum, eoq; facto diem sanctum prophanasset; obijcit illis ipse haud minus in speciem crimen; eos tantos sabbathi cultores, sabbatho hominem circumcidendo sanctum diem violare. Quod si excipierent, non omne opus sabbato prohibitum, promptum erat Christo inferre, etiam sanationem illam licitam esse cum verbo hominem totum sanum faceret. Ex eo igitur quod necessario concedebant, infert quod negabant, nemo enim eorum in eo sabbathum seruabat, vt non circumcideret sabbatho.

§. 2. Caluinus hinc concludit, suos non recte à Catholicis reprehendi, qui nec ipsi legem seruent. [Ita « hodie Papa, Episcopi, Abbates, Monachi, & similes « rabulæ, extrahendi sunt è suis latebris, quotiens Deum, « & sanam doctrinam oppugnantes pio se hoc affectu « agere simulant. Nam si eorum vita excutiatur, omnes « turpibus vitiis cooperti palam Deo illudunt.] «

Respondeo. Nec Deum, nec sanam doctrinam illos oppugnare. Nec omnes turpibus flagitiis coopertos esse; nec enim omnes nouit Caluinus, nec multos, iudicium enim hoc temerarium est: quale Iudæorum de Christo, quale gentiū de Christianis, quos impios, & homicidas nominabant, probare ne conabantur quidē. Quod si nonnulli prælati suis vitiis indulgent, si legem Dei violare sibi permittunt, habebunt iudicium illi suum, & potentes potenter tormenta patientur, non solum quia male viuunt, sed etiam qui exemplo subditos ad exitium rapiunt, & errantes hæreticos in obstinatione sua confirmant, apostasiæ enim occasionem dederunt cleri & prælatorum vitia, & eandem fouent, dum in illis permanent. *Vitia Catholicorum causa hæreseon.*

§. 3. Non ideo tamen hæresibus obsistere non debent, quod sint ipsi peccatores, vti nec magistratus remittere vigorem iustitiæ solet, etsi ipse sit vitiosus.

Nec excusari hæretici possunt, quod scandalizati à veritate defecerunt: Nemo enim alieno malo, sed sua quisque innocentia tutus est, & commendabilis Deo efficitur. Nec magnopere laborandum vt è latebris extrahantur Catholici: sed vt compescantur hæretici, qui peccatum suum vt Sodoma prædicarunt. Nam dum nullum Dei præceptum seruare se posse profitentur, omnium se reos agnoscunt, hoc solo se felices iactitant, quod nihil illis imputetur. Testimonia apud Lutherum in postill. domestica, Dominica prima aduentus, in Epist. ad Galat. cap. 1. & cap. 5. Philipp. in 6. Matth. aliosque, multa sunt, & vera.

VERSVS 20.

Respondit turba, & dixit: Dæmoniũ habes: quis te quærit interficere?

QVÆSTIO I.

Cur dæmonium habere dicant?

§. 1. SYrus dæmonium appellat דיוא *daiua: dæmonium*, inquiunt, *est tibi*. Dæmonium habere duobus modis intelligi potest; vel vt vere dicant à dæmone obsessum; vel vt hominum improbissimorum ritu calumniari, & quasi diabolico spiritu innocentes criminati significent. Priori modo dæmoniũ habere videntur dicere, tũ quod miracula dæmonum efficaciæ tribuerent, tum quod suas cogitationes & occulta colloquia dæmonũ obsequiis illi patefacta putarent.

Dæmoniacum esse calumniantur.

Commune autem in homines improbissimos iactatum conuitium est, vt dæmonem habere dicerentur. Et apud Ethnicos admirantis, & magni facientis est, vnde frequens illa compellatio apud Homerum Διογενὲς.

Magnâ impudentiâ vt obseruauit Chrysostomus negant, cum ita & contumelia inficiantur, quod animo negare nequaquam potuerunt. Non est enim responsio simplicis populi, consilia principum ignorantis; Ea enim palam iactabantur, v. 25. & ipsi apostoli non ignorabant. Quin Christus illos ipsos sceleris arguit. Nam interficere velle dicit, quos legem seruasse negarat; lex enim non manum duntaxat, sed mentem etiam à cæde cohibet.

Populus nõ ignorabat cõsilia principum.

VERSVS 21. & seq.

Respondit Iesus, & dixit eis, vnum opus feci: & omnes miramini, &c.

QVÆSTIO I.

Quomodo se Christus excusat?

§. 1. VNum opus à se factum esse ait, id omnes mirari, nempe condemnantes, in quo tamen diuinam potentiam, & bonitatem considerare oportuit. Murmur igitur compescendum fuit, & legitime res iudicanda. De salute animæ & corporis loquitur, licet illi de sola corporis sanitate acciperent. Nec eo tamen opere violatũ esse sabbatum demonstrat. Nam *Moses*, inquit, *dedit vobis legem*, quæ tamen non habet ortum ex Mose, sed ex patribus, vos sabbato hominem circumciditis, & tamen contra legem vos facere non creditis? cur igitur non ego verbo vno hominem saluum facere sabbato potui? In circumcisione plus operæ, & solicitudinis erat, vulnerabatur infantulus, obligabatur vulnus, domum referebatur. Nihil tale Dominus operatur, tantum surgere imperat. Si igitur maius opus, minore bono, Moses fieri sabbato permittit, cur non opus in quo minus est laboris, plus emolumenti, mihi permittitur sabbato? itaque nolite κατ' ὄψιν secundum aspectum, iudicare. Mosen magni facitis, & circumcisionem sabbato imperantem auditis, signaculum salutis carni imprimentem negatis violare sabbatum, at ego ipsam salutem confero. Certe manducatis & bibitis sabbato, nec violari sabbatũ putatis, & cur manducatis & bibitis? nonne vt sanitatem tueamini, famis & sitis molestiam expellatis? Quid igitur si vnico verbo famem vestram, & sitim tollam sabbato, an verbi prolatio sanando sabbatum violat cibo tum ingestio, non violati? Si Moses igitur tam sincerus sabbati custos circumcisionem sabbato sanctam pronunciat, non debet sanandi beneficentia sabbato negari; nam vt cibum & potum, ita medicinas etiam sabbato, vulneumque, & vlcerum curationes, quamuis operosas admittebant. De iudicandi rectitudine quod monet ad Deut. 1. 16. alludit.

Comparatione cum Mose se defendit.

§. 2. Lectio v. 22. Varia est: Nam *propterea* διὰ τοῦτο, Euthymius omittit, alij inchoatiuam putant, alij ad superioris versus finem referunt, vt Theophyl. Maldonatus, vt sensus sit, *& omnes miramini propterea*; sed fere exemplaria repugnant, & correcta editio Romana communem distinctionem retinet. Sensus itaque est. Propterea dedit vobis Moses circumcisionem, Bene factum est vt circumcisionem acciperetis à Mose, non quia ex Mose est, sed ex patribus. Ideo enim lex Mosaica retinuit, quia præcepta patribus fuerat, causam igitur adfert, cur eam Moses dederit; & eam exercetis sabbato, vt non soluatur lex Mosi, de sabbato celebrando, & circumcisione die octauo perficienda. Ita Augustinus.

§. 3. Musculus & Marloratus mira insolentia sibi suisque, & populo de doctrina iudicium arrogant. [Notandum vero est, *inquit Musculus & Marloratus*, « Quod non dicit: Nolite simpliciter de meo facto iu- « dicare, sum enim Dominus omnium, nec cuiusquam « iudicio subiectus: sed nolite secundum aspectum iu- « dicare, sed iusto iudicio iudicate. Quibus verbis non « recusat, quo minus de operibus suis iudicetur. Sed « hoc exigit vt iuste ab illis iudicetur. Quæsit ergo in- « solentia illa Romani Pontificis, qua nõ cum Christo, « cuius se tamen vicariũ esse gloriatur, dicit. Nolite iu- « dicare secundum aspectum de factis meis, sed simpli- « citer: nolite prorsus de me, & factis meis iudicare.] « Hæc illi magna acerbitate, vt Pontifici odiũ conflent.

Christus nõ facit iudex sibi ipsi.

Respondeo. Christum nequaquam homicidarum iudicio doctrinam suam permittere, absit, vt veritas summa mendax iudicium subeat. Nõ tamen hoc exigit illis verbis ne iudicent, sed id quod naturali lege omnibus insitum erat, ne ex fauore, ira, odio, sed meritis causæ iudicarent. Vtimur illa exceptione cum per tyrannos ad iudices trahimur, qui ius in nos non habent vllũ, vt ne præcipitent, sed causam cognoscant. Peccabant illi de facto Christi iudicando, & præcipiti furore damnando: Iniqui iudicij reos Christus peragit, quod negare nemo poterat; Quod iudicarent, quem adorare debebant, id dissimulat; ne nouæ contentionis occasio oriretur. Nec tamen ideo Deus homines sibi iudices constituit. Facta Dei, dicta scripturæ probanda sunt, non iudicanda: orandum, discendum, audiendũ est, vt intelligantur, nunquam autem *Deus homo non iudicat.* ad humanũ tribunal maiestas illa vocanda est: impie itaq; Musculus iudicat. Populo iudiciũ de sua doctrina permissum: Cum Paulus Apostolus seruus Christi, ne angelos quidem iudices admittat, quod Euangelium ipse suum non ab illo homine didicerit, sed à Deo.

Nec est in solentia pontificis, qui de factis suis iudicari nolit. Nam & facta sua censeri patitur, & coram suo spiritali iudice se frequenter accusat, ipse enim homo est, & circumdatus infirmitate. Non tamen iudicatur ab homine tanquam legitimo iudice, & superiore, quia nullum habet. Peccant, & reges, & absolutarum Rerumpublicarum præsides. Non tamen ad homi-

hominis alicuius tribunal citantur, quia iudicem non habent. Non mirum igitur Pontificem exemptum, cum etiam Christus exemptus fuerit, & Petrus, & omnes principes, qui non agnoscunt Dominum maiorem. De regibus non modo, sed etiam de tyrannis ita sentiunt hæretici. Nempe non posse eos eijci. Hadrianus Sarauia lib. 2. cap. 48. de auctoritate imperandi. Quem librum qui legerit, non mirabitur pontificem populi iudicio à nobis non subijci.

Idem Sarauia lib. 2. 45. docet diuina auctoritate & doctrina apostolica Christianos quosuis cuiuscunque sint gradus aut ordinis, tyrannicis potestatibus parere. Ego de hac re non disputo: Hoc solum moneo, non esse regibus iudicem datum, ideo nec iudicari à subditis, & parem esse causam summi sacerdotis.

§. 4. Doctrina Pontificis publice ex auctoritate definientis iudicari à priuatis nõ debet. Non enim discipulus est iudex præceptoris, nec subditus principis. Solide hanc sententiam noster Adamus Tannerus in Colloquio Ratisbonensi demonstrauit, Sess. 9. 4. Decemb. *Si in omni Republica bene ordinata aliquis alius iudex, præter scriptam legem requiritur, tunc in Ecclesia vtpote rectissime ordinata, alius etiam iudex præter scripturam, seu legem scriptam admitti, & assignari debet. Verum est primum illud antecedens; ergo & posterius seu consequens.*

Nam si in dubio (vt breuiter & neruose in relatione compendiaria dicitur) *non tenemur stare iudicio & sententiæ summi magistratus; sequitur profecto nullam penitus maiorem seu meliorem in iudicando potestatem esse magistratus, quàm subditorum; vtpote cum (hac quidem sententia) & subditi sui magistratus sententiæ stare non debeant, nisi quando manifeste sciunt, eam ab omni errore alienam esse, & ipse magistratus acquiescere vtiq; debeat sententiæ subditorum, quando nouit eam esse veritati & rationi consentaneam.*

Imo vlterius sequitur, magistratus potestatem in iudicando nullam esse, vel enim res liquida est, vel dubia: si liquida est, iam non opus est authoritate iudicis, quem nemo consulit nisi in dubio. Si dubia est; tunc quia isti mirabiles Ethici dicunt, non esse standum iudicio sententiæ nullum quoq; locum habebit authoritas iudicis. Itaq; prædicantes isti, dum suam illam sententiam de scriptura iudice pertinaciter tuentur, omnem omnino iudicandi authoritatem magistratibus adimunt, digni, qui omni omnino iudicandi authoritate exuti in ordinẽ redigantur.

„ Quamuis plus illi suis prædicantibus tribuunt. [Ex „ hac igitur thesi, *inquit Hunnius*, apparet, quod in regno „ Christi, præter scripturam constituatur alius iudex, „ nimirum Deus immortalis, qui solus est, & vnus le„ gislator in Ecclesia. Itaque quando exoriuntur con„ trouersiæ, tum sane scriptura, quo ad literam non au„ dit, at Deus loquens in scripturis audit, & mediante „ ministerio verbi sui, per fideles interpretes, examinat, „ & cognoscit controuersias. Secundo explicat ex ipsa „ scriptura, Tertio definit, & sententiam fert. Atque ita „ deinde per pium magistratum, suo modo homines „ possunt adigi, ad audiendum verbum, & ad obtem„ perandum, adeo vt non opus sit vnum constituere „ iudicem vniuersalem, qui solus definiendi potestatem „ sibi vindicet. Quandoquidem donum interpretandi „ Deus in Ecclesia, non confert vni alicui.]

Et deinde, ministerio tribuunt iudicium interpretationis, magistratui piorum decretorum. Quo tandem vltimo ad hominum iudicia venitur, omniaque resoluuntur, quod si ministerium cum magistratu errer, populum in errorem ducent, neque negant iudice opus esse, sed eum fallibilem esse asserunt. Et posse à populo iudicari, quod quam sit absurdum, etiam inde patet, quod populus ipse non modo errare potest, sed etiam solet. Et iudex sui magistratus constituitur, vt regat aurigam currus. Denique quis mihi sponsor donum interpretationis eum habere, qui scripturam explicat?

VERSVS 27. & seqq.

Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit, &c.

QVÆSTIO I.

An nouerint Christum vnde fuerit?

§. 1. Mirantur Ierosolymitæ Christo palam permitti docendi libertatem, quoniam non ignorabant, quanto furore ἄρχοντες principes, seu vt Syrus habet קשישין Kaschischin, eum ad mortem quærerent. Dubitare itaque incipiunt an forte principes eum pro Messia agnoscant, cur autem id facere non debeant, causam adferunt: quod natales Messiæ nemo cogniturus, huius patrem & matrem norint. Qua de re quæstionem omnes proponunt. Nam Messiam ex Bethlehem oriturum non sciebant modo, sed etiam Herodi prædixerunt.

Chrysostomus & Theophylactus nesciti de diuina generatione, cognosci de humana originem. Augustinus eodem modo. Nam cum propheræ vtrunque prædixerint de ortu ex ciuitate Dauid. Et generationem eius quis enarrabit, vtraque opinio inualuit.

Quidam hos qui nesciri dicunt, ab illis diuersas esse. Hos imperitos, illos doctos fuisse. Verum ita in vulgus notum erat vaticinium de Bethlehem & progenie Dauid, vt nec imperitissimis Iudæorum ignotũ fuerit. Nam & in natiuitate eius varia contigerant, & rem Herodes palam fecerat, occidendo infantes & pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, nec deerant, quorum filij, aut fratres cognatique trucidati erant. Itaque de ea re neminem dubitasse crediderim. At ignorare potuerunt eum in Bethlehem natum, aut cogitare occisum inter pueros Messiam. Verum ne sic quidem excusari possunt. Nam publice cõstabat Mariam prægnantem iuisse Bethlehemum, & solutam partu rediisse Nazarethum, deinde iterum fugisse & rediisse, omnibus constabat esse de Bethlehem, & ex tabulis census cognoscere potuerunt, omnes certe eũ filium Dauid appellant priuatim & publice. Itaq; laborabant principes, vt hoc indicium supprimerent.

Chrysostomus malitia ita locutos esse existimat: *Malitia trahabant.* οὐδὲ γὰρ ἀγνοίας τὸ ἁμάρτημα, ἀλλὰ κακίας καὶ πονηρᾶς γνώμης. *Neque ignorantiæ hoc delictum, sed malitiæ, & peruersæ mentis.* Et ῥήματα fuisse τῶν μεθυόντων, *verba ebriosorum.* Eodem modo Chrysostomum secutus Euthymius.

Credebant ergo Christum de domo Dauid, de castello Bethlehem fore, sed quia omnia in illo humilia & abiecta videbant, audierantq; egressum eius fore à diebus æternitatis, generationem eius non posse enarrari, omisso priore, ex scripturis sibi aliud argumentum conficiunt, ne credant esse Messiam, cuius parentes ipsi norunt.

§. 2. Versu 28. *Et me nostis, & vnde sim nostis*, ironice dictum putant nonnulli. Quibus idcirco non consentio, quod serio res agitur, & quæ coniuncta sunt verba ironiam non admittunt. Verus igitur sensus est. Scitis me non modo, illa qua scire vos profitemini, ratione; esse filium Iosephi & Mariæ, sed etiam alio modo me esse Messiam scitis, hoc est, conscientia conuicti iudicatis tot testimoniis, & miraculis id probari, sed malitia cœcati nosse vos dissimulatis, à Deo enim venisse me, opera demonstrant. Non enim à meipso veni, sola scilicet humana voluntate. Syrus vt supra, non veni מן צבות נפשי *men tzebuth naphschi, ex voluntate animi mei*, vt supra etiam notaui.

§. 3. Tex-

Pater & filius diuersæ personæ.

§. 3. Tertullianus contra Praxeam c. 22. probat patrem & filium distingui, negat enim se à seipso venisse, affirmat à patre venisse. Eodem modo, & Athanasius contra gregales Sabellij. οὐ γὰρ ἀπλοῦν ὁ γεννήτωρ ἐγέννα, ἀλλὰ τοιοῦτον οἷος αὐτὸς, εἰγοῦν ἕνα μόνον ἕνα πεποίηκα νομίζεις, δύο ἦ ὄντα καὶ ἀληθείαν, ἀγνοεῖς τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱόν. πῶς οὖν σοι πρὸς τὴν ἐκκλησιαστικὴν διδασκαλίαν ἐστὶ κοινωνία; πῶς ἢ τὰς δεσποτικὰς δέξῃ φωνὰς ὁ ἐγὼ φησι καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. *Non genitor alienum dissimilemque de se genuit, sed sibi consimilem. Si igitur vnum existimas, cum reuera duo sint, pater & filius, quæ tibi cum Ecclesiastica doctrina communio supereſt? quomodo voces Domini excipies? Ego & pater, inquit, vnum sumus.*

His cum dicit, ego & pater duas personas, cum vero *vnum* dicit, substantiam individuam credere nos iubet. Cum iterum dicit, Sumus, pluralitatem personarum significat.

Augustinus de generatione æterna etiam interpretatus est Tract. 31. *Magnifice vtrunque monstrauit. Ab ipso*, inquit, *sum, quia filius de patre, & quidquid est filius, de illo est, cuius est filius. Ideo Dominum Iesum dicimus Deum de Deo, patrem non dicimus Deum de Deo, sed tantum Deum: & dicimus Dominum Iesum lumen de lumine, patrem non dicimus lumen de lumine, sed tantum lumen, ad hoc ergo pertinet quod dixit, Ab ipso sum, Quod autem videtis me in carne, ipse me misit. Vbi audis, Ipse me misit, noli intelligere naturæ dissimilitudinem, sed generantis authoritatem.* Quod etiam annotauit inter cæteros Cyrillus.

Quod in quibusdam additur exemplaribus & si dixero &c. ex c. 8. translatum est.

VERSVS 30. 31.

Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant, Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?

QVÆSTIO I.

Verène crediderint in illum?

§. 1. MVltos de turba in eum credidisse Euangelista testatur multitudine miraculorum motos. Christum enim negant πλείονα σημεῖα, *plura signa* facturum, quam hic faciat. Caluinus veram eos fidem habuisse negat. Credendi verbum improprie sumi ait, nec aliud significari, quam eos se doctores Christo auditoribus præbere. Exiguam fuisse boni affectus scintillam, eamque tam honorifico titulo Deum dignari.

Caluinus Euangelistæ se opponit.

At nulla causa est, cur turbam credidisse negemus, cum id Euangelista confirmet, nec enim vnquam in Euangelio dicuntur credidisse, qui non vere proprieque crediderunt. Quod si hoc modo verba scripturæ torquenda sunt, nihil certi habebimus. *Multi crediderunt in eum.* Hoc est, audire eum voluerunt, nō proprie crediderunt. Quasi vero credentes in eum non opponantur infidelibus, vt hic, ita aliis scripturæ locis. Augustinus de vera interpretatur fide. *Humiles*, inquit, *faciebat Dominus, principes insaniebant, & ideo medicum non solum non agnoscebant, sed etiam occidere cupiebant. Erat quædam turba quæ suam ægritudinem cito vidit, & illius medicinam sine dilatione cognoscebat. Videte quid sibi dixerit turba ipsa commota miraculis: Nunquid Christus cum venerit plura signa facturus est? Vtique si duo non erunt, hic est, crediderunt ergo in eum dicentes ista.*

Nec modò Augustinus & alij interpretes ac patres: sed hæretici etiam de vera fide accipiunt. Bullingerus vocat pios & simplices, qui Euangelio credunt hoc loco. Bucerus ait Christum agnouisse, nihil offensos humilitate vel generis, vel conuersationis. Contra eundem Caluinum etiam Musculus insurgit. [Hic videmus, *inquit*, vnam & eandem veritatis prædicationem, simplicioribus ad institutionem prodesse, reliquis vero materiam contradictionis generare. Item fuerunt ob ecta omnium oculis signa & miracula, ex quorum aspectu, & accurata consideratione electi in ipsum crediderunt.] Reprobi autem vt Bucerus falsò ait, nihil in Christo, nisi humilia, & abiecta, quibus offenderentur, videre potuerunt. Vnanimes igitur illi Caluinum oppugnant. *Caluinus.*

§. 2. His auditis Pharisæi & sacerdotes mittunt, vt apprehenderent eum, prætextu seditionis scilicet, quod de eo altercarentur, sed reuera quod inuidia & furore magis irritarentur, quo magis Christi se gloria exerebat. Se enim negligi, ad Christum accurrere vndique cœtus videbant. *Neque alias causas habere sua persecutionis principes, Episcopos, sacrificos, monachos.* Caluinus calumniatur, *quàm quod veteri doctrina, & fide (ita enim vocant humanas traditiones) ordineq; Hierarchico præterito omnes fere doctrinam amplectuntur euangelicam, euangelij prædicatores audiunt.*

Respondeo: multiplicem esse calumniam. Non enim humanas traditiones fidem vocamus, sed assensum eorum, quæ Deus reuelauit, sine scripta illa sint, siue non sint. Inter eas traditiones prima est, & diuinorum eloquiorum conseruatrix fidissima, quæ bibliorum nobis systema diuinæ auctoritatis, & authenticum proponit. Sunt enim nonnulla credenda, quæ neque in scriptura aperte inueniuntur, neque euidenter ex ea deducuntur: vt 13. sessione Coll. Ratisbon. ostensum est. Si vere & absque præiudicio rem inspiciamus inueniemus profecto, loco scripturæ ab aduersariis glossas humanas, easque nouitiasque substitui, & credendas obtrudi. Ita Zwinglius cū somnianti seu albus, seu ater spiritus exemplum suggessisset, quo fretus pro verbis Domini, *Hoc est corpus meum*, substitueret; *Hoc est figura corporis mei*, non Domini nobis verba, sed sua somnia credenda Ecclesiæ proponit, pro qua re hodieque laborat totus Caluinismus. Nos potius veterum iudicia sequimur, monet serm. 193. Augustinus, vt, Ecclesiæ regula, sanctaque patrum traditio, a quibus in perpetuum firma solidaque permaneant, & l. 28. contra Faustum c. 2. T. 6. *Cum cœpero Matthæi Euangelium recitare Apostoli eius, vbi narratio nativitatis eius tota contexitur, continuo dices illam rationem non esse Matthei, quam Matthæi esse dicit vniuersa Ecclesia ab Apostolicis sedibus vsq; ad præsentes Episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichæi, vbi Iesus negatur esse natus ex virgine. Sicut ergo ego credo illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus viuebat in carne, per discipulos eius certa successione discipulorum vestrorum ad vestra vsque tempora custoditus atque perductus est: sic & istum librum crede esse Matthæi, quem ex illo tempore quo Matthæus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, Ecclesia certa connexione successione vsque ad tempora ista perduxit. Et dic mihi, cui libro potius credere debeamus, eiusne Apostoli qui Christo cum adhuc in terra esset, adhæserat. An nescio cui Persæ qui tanto post natus est?*

Somnia Zwinglia-na proue-bo Do-lose tradun-tur.

In eum sensum Euseb. l. 1. de demonstration Euangelica. Concilium Nicen. 2. act. 7. Synod. 8. Constant. can. 1. Et olim Dionys. Areop. de Eccles. Hier. c. 7. Nunc vero cum non de scripturæ textu plerunque, sed mente & sensu agatur, tota est de traditionibus disputatio. Caluinus v. 31. illa verba. *Multi crediderunt in eum*, interpretatur de fide improprie dicta. Cæteri interpretes, & patres de fide propria & vera; in eo igitur

De sensu scripturæ disputatio.

tota

tota controuersia non an crediderint, seu an vere, proprie an improprie crediderint, vere non crediderint.

Deinde alias causas habent principes & Episcopi, quam Pharisæi; nam ad Christum venire turbam illi indignabantur, principes & Episcopi à Christo abduci dolent, nec vnquam crediderunt apostatas, votifragos, adulteros, pæderastas esse Christos, ideoque qui incaute illis noui Euangelij præcones audierunt, alij ad Catholicam Ecclesiam redierunt, alij per varios errores in atheismum reciderunt. Quotus enim quisque cum Luthero aut Caluino sentit? non enim Euangelium Christi, sed suas cogitationes fallaces, atque errabundas proposuerunt.

VERSVS 32. & seqq.

Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt principes & Pharisæi ministros vt apprehenderent eum. Dixit ergo eis Iesus, Adhuc &c.

QVÆSTIO I.

Quod modicum tempus, & quomodo erant quæsituri?

§. 1. REspondet Dominus ad consilia sacerdotum, quæ latere ipsi arbitrabantur. Nondum adueniſſe capiendi tempus, modico tempore cum iis se conuersaturum, postea fore capiendi potestatem, non enim hostium se arbitrio, sed patris decreto momenta viuendi, moriendique habere constituta. Itaque irridet insanos conatus eorum, nec mortem suam nominat, quam illi in corde & ore habebant, sed profectionem ad patrem appellat, vt nos etiam doceat mortem non formidare, Syriace est; אזל *vadit* ὑπάγω, propter vau conuersiuum. Sic Augustinus. Quod modo vultis facere facturi estis, sed non modo: quia modo nolo. Quare modo nolo? Quia adhuc modicum tempus vobiscum sum, implere debeo dispositionem meam, & sic peruenire ad passionem meam.

§. 2. Quæsierunt illum postea, sed vario sensu id accipi potest. Quæsierunt illum mulieres, vt Chrysostomus, in sepulchro; quæsierunt multi per pœnitentiam post ascensionem, vt Augustinus. Quæsierunt post excidium & in ipsa calamitate. Quæsierunt vt totam fidem, & doctrinam eius abolerent, vt Rupertus. Quæsierunt iturum in cœlum vt Theodorus Heracliensis. Quæsituros ipsum impios constat; nam de illis loquitur, qui inuenturi eum non erant, idque eorum miseriæ deputat. Minatur enim se in cœlo fore spectatorem pereuntium. Tum enim cum in mediis ærumnis versarentur Messiam liberatorem à Deo postulabant, sed frustra, cum iam ante eum contempsissent; nec vera tamen contritione quæsiuerunt, sed in pristina abalienatione, ferocia, persecutione Christianorum perseuerantes magis se à Christo seiunxerunt.

VERSVS 35.

Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos, Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? nunquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?

QVÆSTIO I.

Quæ gentium dispersio?

§. 1. DVplex esse potest sententia. Prima, vt διασπορὰ dispersio gentiũ, sit Israelitarum dispersio facta per regiones gentium, Syrus habet לחדרתא *lattereuatha ad regiones.* Hoc modo querelæ minor videri posset occasio, si negligeret Iudæos in Palæstina habitantes, eos qui in dispersione erant requireret, sic dispersionem vsurpant crebro scripturæ. Petrus Epist. 1. cap. 1. vers. 1. scribit illis qui erant in dispersione Ponti, &c. & Iacob. Epist. 1. cap. 1. vers. 1. Altera sententia verior est, & huic loco accommodatior; vt dispersio gentium sint gentes dispersæ, & suspicionem injiciant, se opinari Christum relictis Iudæis aditurum gentes. Nam quæ ex Petro adferuntur huc non faciunt: non enim absolute vocat dispersionem gentium Iudæos, sed *electos aduenas dispersionũ gentium.* Iacobus non dicit duodecim tribus in dispersione gentium, sed: *duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.* Hic autem dispersio gentium, sunt gentes dispersæ. Sparsæ autem & dispersæ dicuntur gentes, sane Gen. 10. 4. dicuntur insulæ gentium separatæ, נפרדו *niphredu* ἀφωρίσθησαν. & v. 32. מאלה נפרדו גוים *meelle niphredu goym, ab his diuisæ sunt gentes.* Et c. 11. v. 4. & v. 9. dicuntur spargi super faciem terræ, vbi est in 70. ᾠκίσθη διασπαρῆναι, *antequam dispergamur,* & διέσπειρεν, gentes ergo Dominus dispersit super terram, Israelitas collegit deinde iterum. Sic Latini sparsas cycladas, sparsas paludes, & terras dicere consueuerunt, singulatim autem Græciam, Italiam regiones maritimas, cum insulas appellabant insulas gentium, & dispersiones gentium; Hic vocant διασπορὰν τῶν ἑλλήνων Græcorum. Syrus initio ἑλληνας vocat עממיא *ghammema* populorum, secundo loco & docturus ἕλληνας, Græcos. Syrus חנפא profanos: impios? Hoc tanquam maximum nefas abominabantur. Et quamuis Christus se iturum ad patrem diserte dixisset, gentium nullam fecisset mentionem, odio tamen veritatis crimen fingunt, & argumentum quærunt, quo probent non esse Messiam; ille in domo Dauid regnaturus erat, & omnes recturus in virga ferrea; si igitur hic inquiunt mare transiturus est, & sedem regni in Græcia vel Italia positurus, hostis noster, non liberator est. Norant eum à Romanis magni fieri, eorum quosdam sanasse, fidem laudasse. Grauis erat illa accusatio, & in populo gentium osore efficacissima, à Pharisæis itaque hæc inducta sunt, vt plebem ab eo abalienaret, quasi ad gentes iturum se minatus esset, nihil moratus seruitutem duram, & afflictiones Israelis. Quamuis autem prophetæ prædixissent, adeoque inter doctos constaret Messiam gentium etiam redemptorem fore: nam & Zacharias id & Simeon indicant, nec vllus fere propheta id omittit, non tamen hoc Israel intellexit.

Dispersio gentiũ, gentes sparsæ

Inuidiosum ire ad gentes.

Gentiũ patronum nõ putabant fore Messiã.

Hoc tamen veteres Rabbini docuerant, vt R. Aha in cap. 41. Gen. [Poteritne dici, quod redemptor sit acceptor facierum, sed omnes eum confitentes ore suo, & operibus suis, & corde suo, saluabit & liberabit, sicut dictum est Ieremiæ 23. c. *In diebus eius saluabitur Iuda*, id est, confitentes eum saluabuntur. Sicut & ipse apud Isaiam cap. 55. *Conuertimini ad me, & saluabimini omnes fines terræ.* Et iterum, *quia mihi flectetur omne genu: & iurabit omnis lingua*, & de illo scriptum est Isaiæ 49. *Dedi te in lucem gentium*, citat etiam Psal. 67. *Confitebuntur tibi populi Deus, &c.* & Sophon. 3. Verum ista illi nimio gentium, à quibus seruitio premebantur, odio, in animum non admittebant.]

VER-

VERSVS 37. & 38.

QVÆSTIO I.

Quis fons ille aquæ viuæ?

§. 1. De vltimo stetit, & omnes aduocat; nam celeberrimus erat, in illo collectio fiebat, quæ azereth vocabatur, iam abituris maior pietas inerat, & ἐφόδια seu viatica dare gestiebat, se autem quasi publicum fontem ad salutem esse proclamat.

Proterue hic Zwinglius. *Non vocat ad Papam, sed dicit: Venite ad me.* Et Musculus: *Non vocat ad Abraham, non ad matrem.* Ex quo conficiunt, nec Papam audiendum, nec sanctos inuocandos.

Christus ad se vocat, & ad suos.

Respondeo. Christum dum ad se vocat, sua ad se membra vocare, quæ sibi coniuncta ab eo tanquam capite Spiritu sancto vegetarentur, eademque vocatione ad consortium omnium aliorum membrorum, consensum, nexum, mutua auxilia, officiaque vocare. Nam qui ad Christum venit ad communionem ille sanctorum adsciscitur, in filium Dei adoptatur, & quod inde sequitur in aliorum filiorum consanguinitatem, & fraternitatem vocatur: Qui enim veniebant, numero discipulorum aggregabantur. Alio tamen modo ad Christum, alio ad Christi amicos vocantur, ad Christum vt ad patremfamilias, auctorem, vitæ, fontem gratiæ, Dominum & redemptorem veniunt, ad Christi discipulos, vt amicos, vt socios gratiæ, vt participes hæreditatis, vt administros, & cooperatores: Nam & Paulus ad Ananiam mittitur, & ad Petrum Cornelius. Quin & Apostolis dictum est, *Qui vos audit, me audit*; eos enim & eorum successores dispensatores mysteriorum Dei constituit; per eos igitur Christum adire posteros oportet, postquam in terris Christus esse desiit. Nec aduertunt stolidi homines, suos etiam auditores nisi dementati sint plane eisdem à se argutiis dispelli, nec enim ad Zwinglium aut Musculum quemquam Dominus adire iussit.

Ad Ecclesiæ præsules mittuntur.

Ecclesiæ autem præsides in dubiis adeundos, ab illis doctrinam, & sacramenta accipienda esse, notius est etiam in conciliabulis aduersariorum, quam vt doceri necesse sit. Vincentius Lyrinensis toto tractatu suo rem exposuit, c. 38. *Quonam modo*, inquit, *in scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? (Catholici videlicet homines, & matris Ecclesiæ filij, vt idem loquitur) Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio commonitorij istius sanctos & doctos viros nobis tradidisse scripsimus, vt duinum canonem secundum vniuersalis Ecclesiæ traditiones; & iuxta Catholici dogmatis regulas interpretentur, in qua item Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ sequantur necesse est vniuersitatem, antiquitatem, consensionem, &c.*

§. 2. Neque hic sanctorum intercessio prohibetur. Ille enim qui Mariam adit, vt cum ipsa, & per eius intercessionem ad Christum accedat, non delinquit, neque enim si quis ab Apostolis petiisset ad Christum duci, aut eorum comitatu accederet, à Christo prohiberetur; non enim apostolos redemptores, sed socios vnici redemptoris, & amicos agnoscit.

Fons spiritus sancti gratia.

§. 3. Fontem viuum esse Spiritum sanctum constat, nam de spiritu loquitur, quem erant accepturi credentes in illum. Ita Athanasius p. 468. *Impium igitur est creatum aut factum esse Dei spiritum affirmare, cum omnis scriptura, tum vetus, tum noua eum vnà cum patre & filio connumeret & glorificet quoniam eiusdem Deitatis est, & eiusdem potentiæ & essentiæ. Quemadmodum ipse dicit, Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant, qui in ipsum crederent. sicuti & in Iohele sub persona patris loquitur, Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. Ideo Dominus inspirans in ora Apostolorum, dicit: Accipite Spiritum sanctum, vt intelligeremus, quod ex plenitudine deitatis ipsius spiritus existat, qui discipulis tribuitur.*

Spiritus sanctus igitur est fons ille quatenus est dator gratiæ, quæ salit in vitam æternam. Quidam etiam Christum ipsum fontem vocant, & sane possunt ista varie accommodari.

§. 4. Hieronymus T. 5. 270. doctrinam esse interpretatur. *Aquam autem viuam recte à nobis doctrinam Saluatoris expositam, sciet ille qui biberit, & Saluatorem audierit prædicantem:* Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuentis & salientis in vitam æternam. *Et rursum:* qui credit in me (*sicut dixit scriptura*) de ventre eius egredientur flumina aquæ viuentis. *Sicut enim qui biberit, de doctrina eius habebit in se fontem viuentem: sic qui crediderit in eo (iuxta id quod scripturarum vocibus continetur) flumina aquæ viuentis egredientur de ventre illius. Aquas viuentes multi ad Baptismum referunt: quæ in vere & in æstate, hoc est, in pascha & pentecoste sitientibus largienda sunt, quando implebitur quod scriptum est:* Lauamini, mundi estote. Tertullianus de Baptismo p. 462. & Cyprianus interpretantur. Nam & ille fons quidam est, & in Ecclesia perennis, fluens in vitam æternam.

§. 5. Concors plurimorum interpretatio de gratia quam Deus in corda credentium infundit, à nobis etiam recipienda. Hæc est enim fluminis impetus, Ps. 45. ad hanc sitientes Isa. 55. vocantur. Hanc scripturæ commendant; Duplici autem modo scripturæ testimonium fonti accommodant. Chrysostomus. Qui credit in me, vt scriptura dicit: Hoc est, ea fide, quam scriptura exigit. ἐν ταύτῃ, inquit, ὑποτίθεται δεῖ. *Hic oportet comma ponere*, vt ἵνα ἡ τὸ πιστεύοι ἐκ τῆς χειλίας φέρωσι, τῆς ἀπτέ ἄκτοφάσεως. Vt illa verba: *Flumina de ventre eius fluent, sint ipsius Christi.* Itaque existimat, non hic scripturas citari, quæ dicant flumina ex ventre eius fluxura. Venter interior est, anima, conscientia, voluntas, de quibus multa hoc loco Augustinus.

Non sunt audiendi illi, qui per flumina & aquam salientem gratiarum dona intelligunt, quæ gratis datæ vocantur; nam illæ etsi sint dona sancti Spiritus, non tamen habentem faciunt Deo gratum, sed etiam impiis & pereuntibus crebro donantur. Deinde illa dona non sitiunt, qui ad Christum veniunt, sed gratiam ac iustitiam. Hoc modo Cyrillus l. 2 c. 82. Theophylactus, Basilius, Psal. 45. Chrysostom. Augustinus, qui gratiam & Spiritum sanctum vocat.

§. 6. Bellarminus l. 1. de gratia, c. 4. eo dicto asserit gratiam esse in homine permanentem. Nam fons ille aliquid in homine stabile, ac firmum designat, spiritus igitur ille credentiũ gratia permanens seu per modum habitus, vnde aquæ, hoc est, bona opera saliunt in vitam æternam. Cum enim dicit: Fiet in eo fons, operationem Spiritus, eiusque effectum designat. Nec fere ab hac interpretatione discedunt Hæretici. Caluinus, [Est quidem, *inquit*, satis dura in speciem metaphora, cùm fluuios aquæ viuæ, è ventre fidelium fluxuros esse dicit: sensus tamen minime dubius est: quod nihil spiritualium bonorũ vnquam defuturum sit credentibus, aquam viuam nominat, cuius scaturigo nunquam aresc:t, nec desinit continuus fluxus, &c.] Fluuios plurali numero vocat multiplices spiritus gratias, quæ ad spiritualem animæ vitam necessariæ sunt. In summa hic tam perpetuitas donorum spiritus, quam affluentia nobis promittitur. Gratiam itaque fixam ac stabilem esse indicat.

Fons gratiæ permanens.

§. 7. Pareus tamen Bellarminum oppugnat, & Caluinum pariter, p. 66. *Sicerit in forma ad propositum:* Fons est quiddam permanens, fixum, fons ille de quo Christus Ioan. 4. & 7. seu gratia spiritus, id est, charitas est gratia gratum faciens. Ergo gratia gratum faciens est quiddam permanens, fixum, id est, qualitas permodum habitus inhærens.

Respon-

Respondeo inquit Pareus. [Nemo non videt, esse „ quatuor terminos ex ὁμωνυμίᾳ fontis: & nihil sequi, „ mutato proprio genere locutionis in figuratum. Ma„ ior de fonte propriæ dictæ vera; assumptio de fonte „ metaphorico loquitur, & est falsa.] addit autem, Etiamsi fons esset gratia inhabitans, non esse tamen gratiam gratum facientem: nam iustificationem illa gratia priorem esse. Hic autem fontem esse miraculorum charismata, aliaque, & πληροφορίαν. Quod vero trahantur aquæ salientes ad bona opera, esse impiam scripturæ depravationem.

Respondeo. Bellarminum non vti vocum Homonymia, sed velut certum statuere fontem corporalem, esse permanentem, & perennem, & talem quoque esse gratiam seu spiritum qui datur credentibus. Vera autem minor est; spiritus ille est gratia gratum faciens. Nam Christus tam insigni elogio, & clamore promittit illis spiritum, quo accepto grati sint Deo, quo iustificentur. Atidi enim erant, quos vocat. Peccatores vocat ad pœnitentiam. Sitientes vocat, hoc est afflictos, fatigatos onere peccatorum, sitis illo fonte pellitur, peccatum gratia. Possem ista ex patrum auctoritate roborare, sed vt lector videat, quantum carpendi rabies malum inducat, ex suo magistro discipulum convincam. Caluini verba sunt. [Hoc membro omnes „ hortatur ad bonorum suorum participationem, mo„ do propriæ inopiæ conscij iuuari cupiant. Nam o„ mnes quidem sumus inopes, omniumque bonorum „ vacui & indigi, sed non omnes ad quærendum reme„ dium stimulat inopiæ suæ sensus, hinc fit vt multi pe„ dem non mouentes in misero defectu tabescant: imo „ permultos sua vacuitas non afficit, donec Dei spiritus „ igni suo famem & sitim accendat in illorum cordi„ bus.] Hæc ille de fonte, & solos ad eas diuitias venire notat, qui earum desiderio æstuant.

Primo vocat inopes & vacuos & indigos, qui inuitantur ad bibendum, quosdam ait defectu in misero tabescere, Deinde ad locum Isa. 55. 1. alludi, de illis igitur, qui iusti non sunt intelligi, qui iustificantur, itaque venire dicit esse *credere, nos melius bibere, esse hauire gratiam, quæ fons sit perennis.* Omni enim vitæ succo destituimur, & humore, nisi cum nos Spiritus Dei vegetat, & nos arcano quasi vigore irrigat, inde concludit eos qui regeniti non sunt, mortuos esse. Ex quo argumentum insigne conficitur. Fons ille quem inopes, vacui, indigi, incitati à Spiritu sancto expetunt, sine quo in misero defectu tabescerent, sine omni vitæ succo destituti sunt, sine quo mortuo, quo rigantur, ille fons inquam, est gratia iustificans, sed fons ille fixus ac stabilis est, ergo & gratia iustificans, seu gratum faciens talis est.

§. 3. Hinc apparet falsum quod Pareus ait fontis nomine charismata miraculosa, & consolationem ex πληροφορίᾳ venientem significari. Nam illa charismata non omnibus dabantur, nec vitam præbebant. Ipse Caluinus contra sentit. Proprie agi ait de virtute spiritus, qua renascimur in Christo, ac efficimur nouæ creaturæ, licet alia dona non excludat. Gratia autem quæ nos regenerat, & regenerando filios Dei facit, quæque nouas creaturas facit, etiam Deo gratos facit. Porro suos inopes & ieiunos ac prope inanes bonorum spiritalium iacere affirmat, idque tarditati & angustiis fidei attribuit. Qua ex re apparet, non esse vere gratos Deo, nec fontem illum habere.

De πληροφορίᾳ vero quam ridiculum est commentum flumina esse consolationem, quæ nascitur ex fiducia, qua quisq; certo sciat se prædestinatum, nulla sibi scelera imputatum vnquam iri. Quasi spiritus sit, qui datus est, fiducia & securitas pœnarū: quod commentum ipse Caluinus asserere non est ausus, sed regenerationis spiritum. Deinde prophetæ de Caluiniana fiducia non loquuntur, ad quos Christus alludit, etiam testibus hæreticis. Isa. c. 41. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.*

Et c. 44. 3. *Effundam enim aquas super sitientem & fluenta super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.*

Clarissime Ezech. 36. v. 26. *Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.*

Quo etiam confutatur Pareus dum Bellarminum reprehendit, quod aquas fluentes in vitam æternam interpretetur de bonis operibus, merentibus vitam æternam. Hanc enim impiam ipse impiè vocat scripturæ depravationem, cum Ezechiel fructum illum vocet, vt in lege Dei ambulent, & Dauid Psal. 1. plantatum lignum dicat secus decursum aquarū, vt det fructum in tempore suo. De bonis operibus Augustinus interpretatur, ex eo sumpsit Bellarminus, tract. 31. ille sic habet: *Quid est fons, quid est fluuius, qui manat de ventre interioris hominis? Benevolentia, qua vult consulere proximo, si enim putet quia quod bibit soli ipsi debeat sufficere, non fluit aqua viua de ventre eius, si autem proximo festinat consulere, ideo non siccatur, quia manat.*

Aquæ sunt bona opera.

QVÆSTIO II.

Cur nondum erat spiritus datus?

§. 1. NOster interpres legit δοθὲν datus, in Græcis pleriſque est ἅγιον sanctus, sed in his subaudiendum est, quod noster legit. Erat enim Spiritus sanctus; quia ab æterno Deus est à patre filioque procedens: sed nondum erat datus. Et Chrysostomus exponit τεθὲν, δοθὲν. *Hoc est, datus.* Et Syrus expresse אתרהבת itthihabath; *datus.* Nec illo loco vti sunt Ariani contra diuinitatem sancti Spiritus, quod tamen non intermisissent, si sensum huius loci putassent esse, nondum factum fuisse Spiritum sanctum, at nonne Spiritus Dei datus erat prophetis, Baptistæ, Simeoni, Elizabethæ, Annæ, Zachariæ, & imprimis Dei matri?

Non fuit datus largiter.

Respondendum est. Non fuisse datum tam abunde ac large, vti apostolis post datus est, & vt olim promissus, ita Augustinus tract. 32. Hieron. T. 3. ad Hedib. q. 9. p. 420. *Ego autem audacter & tota libertate pronuntio, ex eo tempore, quo Apostoli Domino crediderunt, semper eos habuisse Spiritum sanctum, nec potuisse signa facere absq; Spiritus sancti gratia, sed pro modulo atq; mensura. Vnde Saluator clamabat in templo, dicens:* Qui sitit, veniat ad me, & bibat: & qui credit in me, *sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant, credentes in eum. Et in eodem loco infert:* Nondum enim erat spiritus datus: quia Iesus nondum fuerat glorificatus: *non quod non esset Spiritus sanctus: dicente Domino Saluatore:* Si autem ego in spiritu eijcio dæmonia: *sed qui erat in Domino necdum totus in Apostolis morabatur. Quamobrem terrentur ad passionem eius, & negant, & Christum se nescire iurant, postquam autem baptisantur in Spiritu sancto, & infunditur in eos Spiritus sancti gratia; tunc libere loquuntur ad principes Iudæorum:* Obedire magis Deo oportet, quam hominibus: *mortuos suscitant, inter flagella letantur: fundunt sanguinem pro Christo, & supplicia sua coronantur, nondum ergo erat spiritus in Apostolis, nec de ventre eorum fluebant gratia spiritales: quia Dominus necdum fuerat glorificatus.*

Vnde & Augustinum lib. 4. cap. 20. de Trinit. & lib. 83. q. 62.

Glorificationem interpretor ascensionem in cœlos. Nam post eam missus est Spiritus sanctus. Hier. q. 9. ad Hedibiam.

Porro ideo ante glorificationem suam spiritum

non dedit, quia filium præsentem habuerunt, nec opus erat duobus paracletis, postquam ipse in cœlum ascendit, adeo copiosum dedit spiritum, vt corporali eius præsentia, & magisterio non egerent, sed libere pronunciarent: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Quem eundem spiritum in Ecclesia ad finem vsque mundi reliquit, ne vllo vnquam tempore à vero aberret. Tam enim nostris temporibus est ille spiritus necessarius, quam fuit olim viuentibus apostolis.

VERSVS 36. vsque ad fin.

Quis est hic sermo quem dixit, Quaeretis me, & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non potestis venire? &c.

QVÆSTIO I.

Quæ sententiæ Iudæorum de Christo?

§. 1. ALij prophetam, aliquem insignem, alij Christum existimant. Exspectabant enim aliquē insignem prophetam præter Christum dominum. Omnes fere Galilæum esse iudicant, quod occulte natus in Galilæa habitarit, ibique cognatos, & parentes habuerit. Facile tamen scire poterant de castello Dauid esse, ἐκ κώμης, pago, cum in genealogiis tam essent curiosi, sed libenter omnem incredulitatis occasionem arripiunt. Hinc continuo ex Nicodemo quærunt, num & ille Galilæus sit; ignorabant enim discipulum esse: itaque propensionem erga patriam esse existimabant, quod Christo gentili faueret. Quin illud etiam absurde concludunt. Nunquam surrexit ex Galilæa prophetes, igitur ne nunc quidem id factum esse. Cum paulo ante regem Idumæum habuerint, quod omnino nouum fuit. Versus vltimus ab antiquis multis abest, nec legitur à Chrysostomo, nec Theophylacto.

* * *

CAPVT VIII.

IESVS autem perrexit in montem Oliueti. 2. Et diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. 3. Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio, 4. & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. 5. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum, Iesus autē inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. 7. Cum ergo perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra. 9. Audientes autem vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit? 11. Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo: Vade, & iam amplius noli peccare. 12. Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, nō ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. 13. Dixerunt ergo ei Pharisæi. Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum quia scio, vnde veni, & quo vado: vos autem nescitis, vnde venio, aut quo vado. 15. Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam: 16. & si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. 18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso: & testimoniū perhibet de me, qui misit me, Pater. 19. Dicebant ergo ei: Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus: Neq; me scitis, neq; Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eū, quia necdum venerat hora eius. 21. Dixit ergo iterum eis Iesus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire? 23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. 24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris: si enim nō credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 25. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium, qui & loquor vobis. 26. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare, sed qui me misit, verax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. 27. Et non cognouerunt quia Patrem eius dicebat Deum. 28. Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, & à me ipso facio nihil. sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: 29. Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: 32. Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. 33. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis? 34. Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. 35. Seruus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum. 36. Si ergo vos filius liberauerit, vere liberi eritis. 37. Scio, quia filij Abrahæ estis: sed quæritis me interficere quia sermo meus non capit in vobis. 38. Ego quod vidi apud Patrem meum loquor: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis. 39. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. 40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit. 41. Vos facitis opera patris vestri: Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati, vnum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me, ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis: Quia non potestis audire sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis: & desi-

deria patris vestri vultis facere ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater eius. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. 48. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? 49. Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet. 51. Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. 52. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. 53. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt, Quem teipsum facis? 54. Respondit Iesus: Si ego glorifico me ipsum gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est. 55. Et non cognouistis eum: ego autem noui eum: Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. 56. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. 57. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? 58. Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. 59. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se & exiuit de templo.

IN CAPVT OCTAVVM
ARGVMENTVM.

MANE ad templum venienti adultera adducitur, eiusque iudicium, exquiritur, vt occasio accusationis reperiatur, sed cum prudenter dolos hostium in ipsos retorsisset, omnes paulatim abeunt, ipse, nec ab aliis, nec à se damnatam mulierem monet, ne amplius velit peccare.

Deinde se mundi lucem esse affirmat, suum de se testimonium esse verum, quod pater idem testetur, interim se pariter ac patrem ignotum esse Iudæis, abiturum se, nec posse sequi ipsos; subjicientibus vero: an seipse esset interfecturus? respondet, se de supernis esse, illos de infernis, eos in peccatis morituros, se solum non esse, hortatur credentes ad constantiam, iactantibus nobilitatem ex Abrahamo, respondet, vt opera Abrahæ faciant, nunc eos ad necem suam intentos, ex diabolo esse, à nemine se de peccato argui posse, Samaritanum non esse, nec dæmonium habere, Abrahamum exultasse, vt videret diem eius, vidisse & gauisum esse, se antè Abrahamum esse, tandem cum lapides colligerent, ad eum lapidandum exiuit de templo.

A vers. 12. ad 28. in Syriaca Ecclesia legitur ad oblationem Dominicæ secundæ post Epiphaniam. Hinc ad finem. Lectio diei quarti hebdomadis candidatorum, de quibus in superioribus dictum est.

VERSVS 1. 2. 3.

Iesus autem perrexit in montem Oliueti: Et diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio.

QVÆSTIO I.

An historia adulteræ sit authentica?

§. 1. MAne Christo ad templum venienti mulier in adulterio deprehensa adducitur iudicanda, hoc est enim quod ait ὄρθρος, in quibusdam additur: βαθέος, *profundo*. Laudabilis populi feruor, qui Dominum auditurus accessit, πᾶς ὁ λαὸς, *omnis populus*; quamuis particula vniuersalis à quibusdam absit. Noctem egit in monte Oliueti in oratione, & priuatim discipulos instruxit. Alcuinus etiam docuisse eum existimat. Docuisse enim ait Christū in monte christmatis, montem indicare sublimitatem Dominicæ pietatis, sessionem humilitatem incarnationis, quod vero ἐλεᾶ pro ἐλαίᾳ, quidam legunt, & misericordiam significare putant, error est eius ætatis Græcarum literarum ignaræ.

§. 2. An historia illa ad contextum pertineat, an vero adscititia sit, olim à quibusdam dubitatum est. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos à multis exemplaribus abesse refert. In Syro exemplari non inuenitur. Nonnus eam omisit. Euthymius monet in exactioribus codicibus non haberi, aut obelo confixam esse, nec ab vllo exponi. *Scire*, inquit, *oportet, quod ea, quæ ab hoc loco habentur, vsque ad eum, quo dicitur: Iterum ergo locutus est Iesus dicens:* Ego sum lux mundi: *in exactioribus exemplaribus, aut non inueniuntur, aut obelo confossa sunt, eo quod illegitima videantur, & addita. Et huius argumentum est, quod nullus ea sit interpretatus. Nobis tamen animus est & hæc declarare, quod vtilitate non careant, sicut & caput de muliere in adulterio deprehensa, quod inter hæc ponitur.* *Quidam negant hanc historiam.*

Chrysostomus in expositione, & Theophylactus eius non meminerunt. Clemens etiam & Origenes omittunt. Eusebius lib. 3. cap. 39. Ex Papia additam existimat. Caietanus dubitat. Caluinus admittit, Beza reijcit, aut saltem suspectam ait.

§. 3. Quamuis autem olim dubitatum est, nunc tamen certum est, historiam authenticam esse ex Concilio Tridentino, quod libros eos qui nunc extant cum partibus omnibus approbauit. Lutherani quidam Euangelicam, & apostolicam iudicant, vt Brentius, alij reijciunt, prout cuique in mentem venit. Auctoritas illius probatur. Ex constitut. apost. apud Clementem Rom. lib. 2. cap. 24. *Alteram mulierem, quæ deliquerat, cum seniores ante Dominum sisterent, iudicio eius* *Authentica est historia.*

dem relicto, egressi sunt. Dominus autem, qui corda nouit perscrutatus eam, essetne à senioribus condemnata, cum negasset illa: Abi igitur, *inquit*, neque ego te condemno.

Eodem modo Ammonius Alexandrinus, Synopsis Athanasiana, Chrysostom. hom. 60. in Ioannem. Gennadius de primatu Papæ, & sacrificio Azymo, est & apud Leontium in commentariis. Videntur autem nunc Græci eam admittere, & olim probasse. Certe antiquissimus Molsemensis in pergamena liber scriptus, cum in textu non habeat, addita tamen est, alia, sed antiquissima manu, foliculo inserto, & signo notato in eo loco vbi continuari cum textu oportuit: vt facile appareat Græcos in sententiam latinorum discessisse. Latini fere eam agnoscunt. Calixtus Ep. 2. Ambrosius posterioris apol. Dauid. c. 1. diligenter notandum admonet, ne quis adulterium putet non damnarum, cum legit adulteræ absolutionem. Et lib. 7. Ep. 58. Hieronymus non obstantibus libris græcis eam probat. Psalm. 36. & 44. Imo lib. 2. contra Pelagianos, qui citari in contrarium solet, cap. 6. *Hoc quod dicitur sine peccato grace scriptum est ἀναμάρτητον. Qui ergo dicit, aliud esse sine peccato, & aliud ἀναμάρτητον: aut græcum sermonem nouo verbo exprimat, aut si expressum est à latinis, vt interpretationis veritas habet, perspicuum est ἀναμάρτητον nihil aliud esse, nisi sine peccato. Et quia accusatores omnes fugiunt, rursumque in terra scribens, terramque despiciens, paulatim discedere, & oculos illius declinare cœperunt; solusque remansit cum muliere: cui locutus est Iesus: nec ego te condemnabo, vade, & amodò noli peccare. Præcepit Dominus ne vlterius peccaret, sicuti & alia similiter in lege mandauit, sed vtrum ea fecerit, nec ne scriptura non refert.*

Hieronymi inimicus Ruffinus, inuectiua 1. Augustinus lib. 2. cap. 6. de adulterinis coniugibus, & c. 7. & Psal. 50. & Tract. 33. in Ioan. Leo primus serm. 10. de passione Domini. Prosper l. 1. c. 8. de vocatione gentium. Gelasius contra Andromachum senatorem. Idacius contra Varimundum Arianum, Petrus Chrysolog. serm. 115. Gregorius Magnus l. 1. c. 5. in Iob. Eucherius Lugdunens. abb. post 3. Dominic. quadragesimæ. Alcuin. hoc loco. Beda ad c. 31. prouer. Rabanus l. 3. in Exodum. Isidorus Hispal. in allegoriis. Rupertus hoc loco. Nicolaus 1. Epist. 40. ad Carolum. Hugo l. 4. c. 33. de claustro animæ. Bonauent. c. 68. in meditationib. vitæ Christi. Et nunc omnes eam sequuntur sententiam, quam Concilium Tridentinum proposuit. Adeo vero Danæus certam putat historiam, vt etiam Bellarminum reprehendat, quod quæstionem excitet, cum iam nemo dubitet. Dubitat tamen Beza. [Versiculus iste, & quæ ab eo intercedunt, vsq; ad πέλιν οὖν, id est ad versum sequentis capitis duodecimum, neque apud Syrum interpretem, neque apud Chrysostomum, quamuis eius meminerit hom. in Ioannem 60. &c. ad me quidem quod attinet, non dissimulo mihi merito suspectum esse, quod veteres isti tanto consensu, vel reiecerunt, vel ignorarunt.]

Bezam refutat Maldonatus, & Gretserus defens. l. 1. c. 16. de verbo Dei. Etiam Iunius, & Franciscus Nansius, ipse Caluinus, qui eam recipit, quia semper à Latinis Ecclesiis recepta fuit, & in plurimis vetustis codicibus reperitur; & nihil apostolico spiritu indignum continet, ad Eusebium quod attinet non loquitur de adulrera, nec Erasmus recte eum intellexit, vt probat ex Nansio noster Gretserus. *Erasmus dicit, Eusebium Ecclesiasticæ historiæ lib. 3. cap. vlt. in fine; inde carpere hanc historiam de muliere adulterij delata apud Dominum, additam Euangelio Ioannis ex Euangelio quod inscribitur secundum Hebræos. Idem post Erasmum notarunt multi alij: sicut & ipse Camerarius. Sed videndum an id eo loco dicat Eusebius. Ruffinus quidem eius interpres ita habet. Vtitur sane idem Papias testimonio ex Epistola Ioannis prima, & Petri similiter prima. Simul & historiam quandam subiungit de muliere adultera, quæ accusata à Iudæis apud Dominum. Habetur autem in Euangelio, quod dicitur secundum Hebræos. Hæc ille.* At in Eusebio Græco (qui tempore Erasmi nondum erat editus sed anno demiii 1544. excusus est à Roberto Stephano) ita legitur. κέχρηται δὲ ὁ αὐτὸς (Παπίας) μαρτυρίαις ἐκ τῆς Ἰωάννου πρώτης ἐπιστολῆς, καὶ ἐκ τῆς Πέτρου ὁμοίως. ἐκτέθειται δὲ καὶ ἄλλην ἱστορίαν περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τοῦ κυρίου, ἣν τὸ κατὰ Ἑβραίους εὐαγγέλιον κατέχει. Qua Ioannes Christophorsonus ita reddidit: *Idem scriptor (Papias) prioris Epistolæ Ioannis, & Petri similiter prioris, vsus est testimoniis. Aliam porro narrat historiam de muliere, quæ multorum criminum apud Dominum esset insimulata: quam quidem Euangelium secundum Hebræos complectitur. In quibus nullam vides adulterij mentionem.* Eusebius excusatus.

Alia igitur illa historia fuit; nam hæc de nullo alio crimine accusata est, nisi quod modo deprehensa fuerit in adulterio.

§. 4. Nec rationes aliter sentientium, quicquam ad rem faciunt. Plures enim libri & auctores habent, quã omittant. Deinde Iesus solus relictus est, non quod nemo adfuerit, sed nemo accusatorum manserit. Nec nouum videri debet, & insolitum, quod Christus scripserit, cum multa eius facta solitaria sint, vt cum sputo cæcum sanauit, pedes discipulorum lauit, aliaque fecit. Duo autem hinc vtilissima documenta colligimus. Primum est, falsum esse axioma, Græcorum codices incorruptos omnino mansisse, ex illis corrigen dos semper latinos. Hac enim in historia Latini constanter textũ retinent, Græci variant, & sectarij Latinis infesti, hic tamen eos præferunt, vt Caluinus, Brentius, Bullingerus, Bucerus, Musculus, de quare multis Bellarmin. lib. 2. cap. 7. & eius defensor Gretserus. Græci codices non sunt omnino corrupti.

Alterum est, non posse absque traditione de hac scripturæ parte causam definiri. Cur enim Beza suspecta est historia adulteræ, cæteris probata? non potest esse alia ratio dari, quam traditionis auctoritas: sine qua nulla est nobis scripturæ certitudo. Nam collatio hic esse non potest, nec enim de sensu agitur, sed auctoritate scripturæ; spiritus priuatus locum non habet, cum sit in diuersis adeo varius. Quis enim sine certa reuelatione docere potest, historiam illam vel delendam de Latinis, vel addendam Græcis, nisi traditione nitatur? Nam ratiocinationes & coniecturæ firmitatem fidei efficere non possunt. Traditio scripturæ necessaria.

VERSVS 4. 5.

Et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

QVÆSTIO I.

Cur adulteram ad Dominum adducunt?

§. 1. REam in medio statuunt captiuam. Et στήσαντες αὐτὴν ἐν μέσῳ, *statuentes ipsam in medio.* In Græco est ἄγουσι πρὸς αὐτὸν, *ducunt ad ipsum*, sed in latino πρὸς αὐτὸν, non legitur, & à Græcis aliquot abest. Sicut & vers. 4. quidam addunt παρεζόντες *tentantes*, & nonnulli libri omittunt μοιχὸς ὑμῶν, plectique habent ἐφ' αὐτοφώρῳ, *inuenimus in ipso opere.* Causa non erat, quod de crimine aut pœna legibus statuta dubitarent, vtrunque enim nosse se profitebantur, sed vt Dominum tentarent: nam siue absolueret, siue lapidare iuberet, accusationem apud populum paratam habebant. Facti species constabat. Quia in ipso facto deprehensa erat. Nec de lege dubium erat, ἐν δὲ τῷ νόμῳ ἡμῖν, alij ἡμῶν, Non dubitant sed tentant.

ἡμῖν, *in lege nostra, Moses mandauit nobis eiusmodi lapidare.* Græca quædam habent λιθοβολεῖσθαι, alia λιθάζειν, alia λιθάζεσθαι, nulla sententiæ varietate. Quædam exemplaria habent: σὺ οὖν τί λέγεις περὶ αὐτῆς. *Tu quid de ipsa dicis*, sed pleraque omittunt illud: περὶ αὐτῆς, *de ipsa.* Lex Deut. est 22.20. *Quod si verum est quod obiecit, & non est inuenta in puella virginitas: eicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri ciuitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Israel vt fornicaretur in domo patris sui, & auferes malum de medio tui. Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, id est, adulter & adultera: & auferes malum de Israel. Si puellã virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate & concubuerit cũ ea: educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruetur: puella, quia non clamauit, cum esset in ciuitate: vir quia humiliauit vxorem proximi sui: & auferes malum de medio tui.*

Leuitici 20.10. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriantur & mœchus, & adultera.*

Hic de morte adulterorum tantum loquitur, non de lapidatione, at sponsam lapidari imperat. Videtur tamen eadem fuisse pœna, certe non debebat esse minor, cum maius flagitium sit, marito, quam sponso violare fidem. Constat etiam Susannam eductam esse, vt lapidaretur, at coniux illa erat: Lapidabantur igitur & coniuges adulteri. Theodoretus in Ezechielem etiam combustas adulteras tradit, postquam lapidatæ fuissent.

Quærere etiam solent, cur non adulterum adduxerint. Variæ coniecturæ: Fugisse illum, capi non potuisse sine periculo, & pugna, fauore, & precibus obtinuisse, ne in iudicium adduceretur: in viro tanti non fuisse adulterium, illos ipsos accusatores adulteros fuisse. Constat in summa morum corruptela virorum adulteria eo tempore fuisse fere impunita, in mulieres vindicatum grauius. Nec Pharisæi pleni immunditia morũ emendationem, sed mortẽ Domini quærebant.

§. 2. Producunt ergo ream, vt Christum innocentem, faciant reum, atque ad populum traducant, ἵνα ἔχωσι κατηγορίαν κατ' αὐτοῦ, vt haberent accusationem aduersus illum, alij κατηγορεῖν αὐτοῦ, accusare ipsum, at quomodo sperare poterant Dominum ita responsurum, vt occasio accusationis nasceretur? si enim agi lege iuberet, quid erat quod quererentur? Nimiæ seueritatis eum accusarent, vt multi putant. At cur non Mosen legislatorem, magistratum legis administrum, ipsum Deum eadem culpa inuoluerent? irrita igitur & euanida accusatio, quæ in legis sanctitatem impia, in Deum blasphema esset. Nonnulli periculum à Romano præside futurum fuisse, si Christus morti ream addixisset, cum rei cognitio, & iurisdictio præsidis esset. Non potuit hoc periculum in Christum deuolui. Nõ enim ab illo tanquam iudice feralem sententiam, qua rea occideretur, sed iuris & legis expositionẽ postulabant: Christus autem de iure respondere potuit, more Theologorum, & iurisconsultorum, non mandare executionem, alioqui magis Pilatum præsidem offendissent illi, qui eius neglecto tribunali, alium iudicem compellassent.

§. 3. Malitiosę igitur tentationis alia ratio inueniendа est, si quidem absoluisset ream, non dubiũ est, quin eum tanquam aduersarium legis, libidinis patronum, & adulterij magistrum diffamare statuerint, cum præsertim illius cum peccatoribus familiaritatem, crebro incusarent. Si damnasset miseram non tam crudelitatis eum accusassent, quam Messiam negassent. Nam de Messia dictum erat, fore super omnes mitem, daturum captiuis remissionem, audierant toties eũ peccata indulgentem, dicentẽ: *remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te saluum fecit.* Matth. 9. & 10. Luc. 7. 48. & 50. obseruabatur in cõsortio eius Matthæus princeps publicanorum, Maria quæ in ciuitate peccatrix fuerat. His tanquam Messias peccata remisit, & caros habuit. Cum vero Matth. 21. 31. & 32. dicat, publicanos & meretrices præcedere eos in regnum Dei, eas Ioanni credidisse. Pharisæos autem videntes nec pœnitentiam habuisse postea vt crederent ei, satis indicat, publicanos & meretrices à Ioanne conuersos in fide perstitisse, ideoque & sibi credidisse, si hanc igitur damnasset, non modo contra professionem, sed etiam consuetudinem egisse videretur, nec esse Messias, qui liberaret à peccato, sed qui vlciscretur.

Consueta igitur lenitate acturum arbitrabantur, & mulieri dicturum, vt in se crederet, remissa peccata, cum tot impios olim, adulteros, meretrices, & publicanos mitissime excepisset, magna etiam dignatione euexisset, miraculis & cœlestibus donis adornasset, atque ita S. Augustinus tract. 33. *Animaduerterunt eum nimium esse mitem: nimium esse mansuetum, de illo quippe fuerat ante prædictum, Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Specie tua & pulchritudine tua, intende prospere, procede & regna: propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam. Ergo attulit veritatem vt Doctor, mansuetudinem vt liberator, iustitiam vt cognitor. Propter hæc eum esse regnaturum in Spiritu sancto propheta prædixerat. Cum loqueretur, veritas agnoscebatur: cum aduersus inimicos non moueretur, mansuetudo laudabatur. Cum ergo de duobus istis, id est, de veritate & mansuetudine eius inimici liuore & inuidia torquerentur: in tertio, id est, iustitia scandalum posuerunt. Quare? Quia lex iusserat adulteros lapidari. Et vtique lex, quod iniustum erat, iubere non poterat. Si quis aliud diceret, quam lex iusserat, iniustus deprehenderetur. Dixerant ergo apud semetipsos, verax putatur, mansuetus videtur: de iustitia illi quærenda calumnia est: offeramus ei mulierem in adulterio deprehensam, dicamus quid de illa in lege præceptum sit: si eam iusserit lapidari, mansuetudinem non habebit, si eam dimitti censuerit, iustitiam nõ tenebit. Vt autem mansuetudinem, inquiunt, non perdat, in qua iam populis amabilis factus est, sine dubio eam dimitti debere dicturus est, hinc nos inueniemus accusandi occasionem, & eum reum faciemus tanquam legis præuaricatorem, dicentes ei, Hostis es legi, contra Moysen respondes, imo contra eum qui per Moysen legem dedit, reus es mortis, cum illa & tu ipse lapidandus es. Posset hu verbis atq; sententiis inflammari inuidia, feruere accusatio, flagitari damnatio. Sed cui hoc? Peruersitas rectitudini, falsitas veritati, corruptum cor directo, stultitia sapientiæ. Quando illi laqueos præpararent, in quos non prius ipsi caput immitterent? Ecce Dominus in respondendo & iustitiam seruaturus est, & à mansuetudine non recessurus. Non est captus cui tendebatur, sed potius capti qui tendebant, quia in eum, qui posset eos de laqueis eruere, non credebant.*

Videbatur igitur Christus eo clementiæ progressus vt sanguinis iudicium ferre non posset, præsertim cum mulier trepida, supplex, lacrymans, veniamque rogans, emendationem spondens produceretur.

VERSVS 6.

Hoc autem dicebant tentantes eum: vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.

QVÆSTIO I.

Cur scribebat in terra?

§. 1. INsolens illa scriptio videtur, adeo vt eius causa aliqui historiam esse apostolicam negarint. Augustinus de consensu Euangel. statum designasse eos in terra scribendos. Deinde significasse, legem in cordibus fidelium esse scribendam. Ambrosius lib. 7. Epist.

Epist. 58. scripsisse: Terra scribe hos abdicatos, l. 9. Ep. 76. Illud de festuca in oculo fratris, l. 3. de Spiritu sancto: hæc ipsa verba scripta putat: Qui vestrum est sine peccato, &c. Et l. 6. Ep. 51. alias producit coniecturas probabiles illas quidem, sed incertas.

Quidã nihil scripsisse.

§. 2. Multorum illa est sententia, vt Christum characteras nullos fecisse, tantum ductos quosdã in puluere formasse existiment, quo contemptum dolosæ tentationis ostenderet; solent enim qui audire contemnunt, vel sese auertere, vel legere, vel aliud agere, quo ostendant nolle se ad illa quæ dicuntur attendere. Rationem adferunt triplicem. Primo enim ex scriptis noua quæstio orta fuisset, & disputatio. Deinde secundo non scripsisset, si alicuius mysterij rationem habuisset. Denique Euangelium scripturam illam explicuisset. Verum non video, cur incommoda illa sequantur. Potuit enim illa scriptio esse sententiæ adeo certæ, & euidentis, vt nihil occurreret inuidiæ, quod calumniaretur. Forte talis erat vt in ruborem eos daret. Hieronymus singulorum expressa peccata existimat l. 2. contra Pelagianos. Nec video cur non secundo scribere potuerit, si nondum ea quæ constituerat, absoluit eo tempore, quo responsum vrgebant, si semel bene scripsit, potuit iterum scribere: potuit tertio. Cur enim secundo facere ductus tædij vitandi causa potuit, non potuit literas formare? Nec opus erat vt Euangelium nobis scripturam exprimeret, quod tam multa tacuit alia, vt si scriberentur mundus capere libros non posset.

Incertum quid scripserit.

§. 3. Hanc igitur sententiam etsi probabilem iudicem, mihi tamen aliam commodior occurrit. Veram scilicet aliquam sententiam literis seu Hebræis, seu Syris Christum expressisse, quamuis quid scripserit, nulla coniectura assequi possim. Ratio mea est, quod de vera scriptura veteres intellexisse omnes videam, non enim characteras formasse dubitant, sed quid scripserit, inquirunt. Postulat hoc ipsa scriptura, quæ propriam verborum suorum expositionem requirit, cum nihil ex illa vel contra rationem, vel aliam scripturam concluditur, non autem ratio est, cur scribere & γράφειν improprie accipiamus; nam contemptum insidiosæ interrogationis tam scribendo veras literas, quam formando ἄσημους γραμμὰς, *lineas nihil significantes*, indicare potuit. Denique; qui aures mentemque à fastidiosa confabulatione, aut molestis quæstiunculis abducere volunt, aliud agere quippiam solent, vt ductus in pariete formare, tabulas, montes, syluas aut similia contemplari, non procumbere in terram, & in puluere lineas ducere. Hic vero Christus κατακύψας, vel vt alij κατωκύψας deorsum inclinans se, non tantum vt habet Caluiniana interpretatio, *Conjectis in terram oculis*, digito scribebat in terram. Molestum hoc erat, & inuitatum, cum præsertim diutius hoc ageret; nam illi ἐπέμενον ἐπερωτῶντες, *perseuerabant rogantes*. Nemo vel legitur, vel visus est, hoc modo interpellatores contemnere. Nec illi se contemni scriptione arbitrati sunt, responsum enim vrgebant. Deinde audito, vt qui sine peccato esset, primus lapidẽ in eam conijceret, vnus post alium exibat, incipientes à senioribus, perseuerabat igitur scribens Christus donec omnes exissent, nam cum iam solus esset, sese erexit. Non erat autem necessaria tum scriptio ad fugiendam quæstionem, alia igitur causa fuit, aliudue mysterium, quod quamuis nobis ignotum sit, nullum fuisse dicere non debemus.

§. 4. Hoc exemplo docemur non discedendum à vera doctrina. Ita hodie cùm Satan variis modis ortho-

Hæreticorũ nugæ multæ negligendæ.

doxos à recte credendi forma, & docendi munere abducere conetur, multa quæ nobis obijcit, contemptim præterire nos decet. Multis friuolis cauillis, perinde ac sparsis in aerem nebulis, hæretici orthodoxos quantum in se est, exagitant, si singulis discutiendis anxie se occupent pij doctores, telam penelopes ordientur. Tales ergo moræ, quæ nihil quam Euangelij cursum impediunt prudenter negliguntur. Quis enim Osiandrum de iustitia, quis Flaccum de originali peccato, quis Libertinos, quis Zwinglianos de Eucharistia audiat, veterum errores iterum iterumque inculcantes? atque hoc de illis accipio, quæ impetus obesse non possunt, cætera enim serio, & sollicite refutanda sunt.

VERSVS 7.

Cum ergo perseuerarent interrogantes eum: erexit se, & dixit eis, Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, &c.

QVÆSTIO I.

Quid respondet?

§. 1. *QVI vestrum est sine peccato, primus in illam lapidem mittat.* Hæc cum diceret erexit se, ἀνακύψας, alij codices ἀνακλίνας sursum aspiciens, coactus autem respondet; nam cum scribentem & inclinatum in terram viderent, tanquam prostrato insultant, nec enim expedire solutionem posse credebant, at Christus inexspectato eos ὑποφωνήματι percellit. Dupliciter autem possunt esse ἀναμάρτητοι sine peccato, vel vt peccare non possint, vel vt non peccarint, de posteriore modo dominus est intelligendus. Loquitur enim illis qui intus erant pleni rapina, & immunditia Matth. 23. 25. & hypocrisi, & iniquitate, v. 29. Iudicium ergo illis permittit, & non modo non tollit legem, sed etiã modum excusationis præscribit. Deut. 17. 7. *Manus testium prima interficiet eum.* Si in legem commisit, & vos testes processeritis, vestrum est manu occidere, qui testimonio, iam ream occidistis. Sed tamen meminerius & vos esse adulteros nequiores hac misella, quæ vobis nocentior non est, quia deliquit, sed infelicior apparet, quia deprehensa est.

Iudex ingistratum sibi male conscium, legum vigore crimina vlcisci. Tantum admonet, vt in alieno supplicio merita sua æstiment. Criminis admissi miseram puduit, & debet.

§. 2. Non tollit iudicia è Republica, nec vetat magistratum sibi male conscium, legum vigore crimina vlcisci. Tantum admonet, vt in alieno supplicio merita sua æstiment. Criminis admissi miseram puduit, & debet pœnituit, Phariſæi truces alieni lapsus censores, quotidiana flagitia sua non æstimabant. Vere Augustinus: *ô responsio sapientiæ, quomodo eos intromisit in semetipsos? Foris enim calumniabantur, seipsos intrinsecus non perscrutabantur: aduleram videbant, se non perspiciebant, prauaricatores legis legem implere cupiebant, & hoc calumniando; non vere tanquam aduleram à castitate damnando.* Dixi enim non zelo legis, sed cupidine nocendi eam adduxisse, si enim de lege ageretur, iam ducere eam non appellato domino poterant. Iudicium porro impij iudicis, cum legitime pronunciat, est Dei non hominis priuati iudicium. Cum autem alterum iudicat, seipse condemnat. Valde igitur graue Dei iudiciũ experientur, qui alios iudicant, & eiidem obnoxij sunt criminibus.

§. 3. Caluinus vt conuitium Catholicis dicat, verecundiam scribarum laudat. [Atq; vtinam saltem in scribis nostris, qui hodie suã ad Christum oppugnandum Papæ se venditant, tantum esset verecundiæ, sed adeo ipsos depuduit, vt flagitiis omnibus infames, eo ipso gloriẽtur, quod probrosis esse impune liceat.] Huic Stapletonus vere respondet, nõ esse credendum infami Stigmatiæ, nec etiã Bezæ, cuius libidines mundo palam innotuerunt, multis verbis, quos nõ commemoro, ne librum tanta fœditate cõtaminem. Quæ vanã cunctis Catholicis obijcit, in aliquos forte cõueniunt, propter quos Ecclesia lugere cogitur, quod si alibi impu-

Ecclesia probrosa.

vana.

punã

pune sint probrosi, non diu futuri sunt; & illos probrosos, & eos prælatos quorum negligentia impune sunt tales, vindicta corripiet. Hoc sane constat, neminem à nobis in castra aduersariorum discessisse, nisi vt licentius esset probrosus. Sunt in Catholica Ecclesia peccatores, sunt scandala, nec vera esset Ecclesia si in ea scandala non essent, cum esse futura, prædictum sit. Iniustum tamen est, paucorum vitia totis nationibus imputare. Porro Caluinistarum ea est conditio, vt nihil non improbum ac flagitiosum in eorum cœtibus esse possit; nam disciplina eos ad crimen erudit, atq; animat. Quid enim non se ille ad adulterium accinget, cui credere necesse est, legem illam, *non adulterabis*, sib seruatu impossibilem esse? se liberum arbitrium non habere: illud ad peccatum cogi, vt resistere non possit, quid aliud de Cupidine suo, eiusque sagittis Gentes olim commentæ sunt. Hæc igitur doctrina probrosos, quos non inuenit, subito facit.

Quantum enim abest, vt adulter ille sit, qui tam verè credit se legem adulteria vetantem, nec seruasse, nec posse seruare, quam verè credit nullum adulterium sibi imputatum iri? Hinc mox à principio flagitia illa in Caluinismum inundarunt. Erasmus Tom. 9. ad fratres Germaniæ inferioris.

§. 5. Hoc perculsi responso abeunt v. 9. Vbi in Græcis additur, καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, *Et à conscientia redarguti*, quod vetus interpres non legit. In quibusdam deest, ἕως τῶν ἐσχάτων, *vsq; ad vltimos*. Sentu scelerum tacti sunt, quali solent impii, cum aliquando ad se redeunt, itaq; sollicitudine & metu, oblitia accusationis, præuaricantur, & sese subducunt.

VERSVS 10. 11.

Erigens autem se Iesus, dixit ei, Mulier, vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? &c.

QVÆSTIO I.

Quid mulieri Dominus respondet?

§. 1. PRimo beneficium à se mulieri collatum ostendit, cum quærit vbi sint accusatores; nã magna spes reo oboritur, si causam deserat accusator. Varie legitur in Græco. Aliqui codices εἶπεν αὐτῇ, ἡ γυνή, *dicit ipsi, mulier*. Alii, εἶπεν γυναῖ, *dixit: mulier*. in alijs deest, ἡ γυνή *mulier*. Deinde quæritur, an nemo damnarit, vbi quærit de sententia iudiciali, & efficace, non priuatis iudicijs. Nondum autem eo peruenerant, vt damnarent; nam sua cuique culpa cum toto horrore, & spurcitia in faciem ingesta alieni delicti curam excussit.

§. 2. Nec ego te condemnabo, inquit. *Quid est Domine?* quærit Augustinus tract. 33. *Faues ergo peccatu? Non plane. Ita attende quod sequitur. Vade, deinceps noli peccare. Ergo & Dominus damnauit sed peccatum, non hominem: nam si peccatorum fautor esset, diceret, nec ego te condemnabo, vade & viue vt vis: de mea liberatione esto secura, ego quantumcunque peccaueris, te ab omni pœna etiam gehenna & inferni terroribus liberabo. Non hoc dixit.*

Ex quo concludit, non esse sperandum fore peccata impunia. Mansuetum esse Dominum sed tamen etiam iustum. Nec ergo desperandum, nec præsumendum.

Ambrosius Epist. 51. libr. 6. Ad Studium iudicem, hoc eum exemplo ad clementiam hortatur. pag. 310. Quod Dominus memor clementiæ adulteram non damnet. Sed ad emendationem adhortetur.

Et Epistola 52. eandem commendat. inclinat Christus caput cum accusatur, eleuat, cum defecit accusator. Et generatim contra omnes Zwinglianos concludit. Ita nullum damnari vult, absolui omnes. Nec omittendum, quod ex interrogatione Christi elicit argumentum contra veteres, & nouos agnoetas. Vide eum editione Antverpiana p. 312.

§. 3. Duo nati sunt obstetricante Satana ex hisce tam salutaribus verbis errores. Quidã enim adulteriũ negarunt esse peccatum damnabile, quod adulteram Christus non condemnet. Alii negant capitali sententia adulteros puniendos, quod hoc Christus non faciat. Ita etiam apud Caluinum nonnulli. Quos quidem Scriptura non adiuuat; sed quando Caluiniani sunt, ipsorum hæresis, quæ ad libidines accendit, à pœna excusat. Nempe quod non possint non adulterari. Quantum quidem sit peccatum adulterium sæpe Scriptura inculcat; & nos in eorum locorum consideratione exposuimus. Salubre etiam Rerũpublicarũ institutũ est, vt gladio vindicetur. Quod Christus mulierem non damnarit, non fecit id quod vel illa mortem merita non esset, vel non vellet magistratus pudicitiam matrimoniorum gladio vltore sancire, sed quod ipse venerat redemptor, non iudex, & damnator. Simul tamen, & hoc monet, non esse necesse vt omnibus adulteris mors inferatur leniore aliquando pœna licere defungi. Ambr. Epistol. 52. lib. 6. ad Studium nobilem. Damnationem igitur fugit, non fautor adulterii sed vocationis suæ memor, quod erat saluare animas non perdere.

Adulterium est mortale peccatum.

§. 4. Caluinus orthodoxos calumniatur, sed ita euidenter errat, vt malam causam mendacio facit pessimam. [Atqui hæc est Papalis Theologia, Christum « hoc loco legem gratiæ attulisse, qua detur adulteris « impunitas, & cum gratiam qualem nobis vbiq; com- « mendat Euangelii doctrina, modis omnibus delere « conentur ex animis hominum: hac sola in parte legem « gratiæ sonore prædicant. Cui istud, nisi vt effræni li- « bidine toros fere omnes impune contaminent? Hoc « profectum est diabolico illo cœlibatu, vt promiscuè « scortentur, quibus legitimam vxorem habere non li- « cet.] «

Respondeo. Totam Theologiam Papalem in eo esse vt doceat, omnia peccata per gratiam remitti, non modo adulteris, sed pœnitentibus. Nullum Theologum esse, ne vnum quidem ex omnibus, qui vllo loco Scripturæ impunitatem adulteriorum datam aut promissam dicat; & quamuis pœnitentes absoluat confessarius, diuersa tamen sunt fora iudicis ciuilis, & spiritalis. Maleficos pœnitentes absoluit sacerdos, iudex pœnæ addicit. Nec enim Ecclesia publica exempla, & terrorem iustitiæ auferre solet. Quantum vero iniuriã faciat Catholicis dum asserit eos docere, gratiam hic datam, qua adulteria sint impunia; duobus modis ostenditur. I. Quia vt dixi; ne vnum quidem, qui id doceat, nec ille nec tota colluuies Caluiniana potest nominare. Deinde quia leges Ecclesiæ, omnes doctores contrarium ostendunt. Quis vero credat post tot canonum decreta, Theologorum disputationes, iudicũ executiones in Ecclesia Catholica, posse hominem inueniri tam proiectæ impudentiæ, & stoliditatis, qui Theologiam Papalem diceret impunitatem adulteriis dare? legatius canonicum. 32. q. 4. *nemo* & q. 6. *indignantur*. & q. 1. *Lex*. §. *Non ergo* & 81. distinct. *Si quis clericus adulterasse aut confessus, aut conuictus fuerit, depositus ab officio. communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur.*

Ecclesia damnat adulteria.

Pœnæ sane adulterantium plurimæ sunt in legibus Ecclesiæ. Nam dotem perdit adultera. Ioan. Lupus rubrica de donat. inter virum & vxorẽ. Sanches l. 10. de diuortio, Disp. 8. Perdit & Parapherna, vt omnes consentiunt. Criminaliter etiam accusari potest, & iudicari, non tamen à iudice Ecclesiastico sanguinis enim

iudicium non exercet. Sic Anton. c. *cum sit: de foro compet.* num. 16.

Adulteris magna proposita est pœna. Ancyranum Concilium c. 20. *Si cuius vxor adultera fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentiæ oportet ipsum perfectionem consequi secundum pristinos gradus.* Concilium Elibertinum c. 64. 65. 69. quinquennio pœnitentiam definit.

Concilium Constantin. 3. & dictum generale 6. in Trullo. c. 87. *Quæ maritum reliquit est adultera. si venerit ad alium, vt vult sacer & diuinus Basilius, qui ex Hieremia Propheta optimè hoc collegit: Quod si alij viro vxor fuerit, ad maritum suum non conuertetur, sed polluta polluetur, & rursus: Qui autem detinet adulteram, est & insipiens & impius. Si ita præter rationem à marito recessisse visa sit, ille quidem venia dignus est, hæc verò pœna. Illi autem venia dabitur, vt Ecclesiæ communicet. Sed is qui legitimè sibi datam vxorem reliquit, & aliam ducit, & Domini sententia est adulterij iudicio obnoxius. A Patribus enim nostris statutum est vt qui sunt eiusmodi, annum defleant, biennio audiant, tertio anno substernantur, & septimo cum fidelibus consistant, & sic oblatione digni habeantur. si cum lachrymis pœnitentiam egerint.*

Hæc illi non decreta quidem mortis sententia, sed tamen ostendit illos Episcopos matrimoniorum sanctitatem magni fecisse. Quod vero existimarent non licere adulteram retinere, id non probatur, potest enim reconciliari.

Concilium Narbonense singulis dominicis diebus adulteros excommunicat. cap. 6. Vide & Concilium Wormatiense cap. 44. & Metense primum. capit. 7. Concil. Meldens. c. 74.

Pontifex vindex adulteriorum.

Quod si plura quispiam desideret. legat Epistolam Nicolai Pontificis ad Lotharium, aliorumq; ad alios, & dicet profecto, vitæ periculo regum adulteria à Pontificibus vindicari solita.

At cur mors non decernitur lege Ecclesiastica?

Respondeo mortis id non esse, non solet causa sanguinis ventilari à sacerdotibus eorum consilio. Cum criminalis est accusatio forum ciuile petitur, actio datur à prætore, non Episcopo. Pœnitentia alia datur viuentibus, non imperatur interitus. Lex vetus morte multabat, lex noua ad pœnitentiam hortatur, & mortis administrationem illi relinquit, qui gladium non frustra portat. Notauit hoc olim Iustinus respons. ad q. 97. p. 350. 30.

Scotus quidem adulteria in nouo Testamento, & furta capitis pœna multanda negat, verum illi & Theologi & iurisperiti contradicunt, & omnium Rerumpublicarum experientia, atq; vsus. Miratus autem sum paucos quosdam id sensisse, quamuis velint impunia, sed tantum sanguinem fundi vetant. A capitis pœna potest eximi adulterium, sicut & alia quædam flagitia: nec eadem ratio est veneficiorum, & latrociniorum: certè nec Dauid, nec Bethsabee capite pœnas luit. In alio itaque extremo sunt Caluinus & alii qui negant adulteris pœnam mortis remitti posse.

Iniquissimè igitur accusamur de lenocinio, & adulterorum patrocinio, calumniatorem, leges, & experientia quotidiana refutat. Et accusamur ab illis, qui negant se legem Dei seruare posse. Nos Christi verba obseruamus. illi dicente Domino: *iam amplius noli peccare*, respondent liberrima proteruia legem tuam tu seruato, nos seruare non possumus, porro peccamus, & peccabimus, sed peccatum nobis non imputabitur, adulteri abimur, sed probra tu nostra teges, tua iustitia, nostra iustitia est, tu velamen nostræ nequitiæ, tu denique patronus libidinum, vt sine pudore liceat, quod vitari non potest.

§. 6. Alter error est ex Luthero de captiuit. Babylonica. Mulieri Christus duntaxat imperat, ne velit amplius peccare, κὰι ἀπὸ τοῦ νῦν μηκέτι ἁμάρτανε. & iam amplius noli peccare, vel, ex nunc amplius noli peccare. Quamuis ἀπὸ τοῦ νῦν à quibusdam desit exemplaribus. Hæc quidem Christus. At vero hinc nequaquam conficitur, vel pœnitentiam sola emendatione constare, vel nullam in Sacramento pœnitentiæ requiri satisfactionem. Tres enim solutiones adducit Bellarminus. Primo non constare an Dominus eam à peccatis, an à sola pœna lapidationis absoluerit. Deinde si à peccato absoluit tantum esse contritionem potuisse, vt alia satisfactione opus non fuerit. Denique Christum absoluta potestate, sacerdotes ministeriali, & quam iuxta leges sibi traditas exerceant, potestate peccata remittere.

Pœnitentia non constat sola emendatione.

Nec contra primum obiectiones quicquam efficiunt. Nam aliud Christus non dicit; *quam nec ego te condemnabo*, nempe eo significatu quo quæsierat; nemo te condemnauit; & quo illa condemnari metuebat. Mirum vero est hæreticos hic obstrepere Bellarmino, cum ipsorum primates locum sic exponant. Nam Musculus asserit: si non condemnatam à quoquam legitimo iudice, &c. Sed hanc responsionem dari oportuit propter astantem plebem, ne videretur plebi obsistere.

Calu nus: [Non refertur hic simplex Christi absolutio, sed quod mulierem liberam dimiserit. *Et Brentius.* Magistratui suum relinquo: sed cum ille indemnatam te reliquerit, nec ego te condemnabo.] In hunc enim vsum veni, vt remittam peccata. Hoc meum munus est, vt seruem, non vt condemnem. Et Caluinus. [Neq; mirum, nihil enim sua persona alienum susc ipere voluit. Missus erat à Patre ad oues perditas, ergo vocationis suæ memor, mulierem hortatur ad pœnitentiam, & gratiæ præmissione illam subleuat.] Ex quo non potest certo statui Christum eam iustificasse, regenerasse.

Si igitur Christus hoc solum negat se acturum, vt incertum non condemnet, nec partes iudicis suscipiat, non potest conuinci eam pœnituisse, & peccato liberatam, pœnitentiam sed lapidationi non addictam à Christo, & de vitæ emendatione monitam.

Credibile tamen est mulierem pœna, & confusione publicati delicti perculsam, tum vero Christi gratia donatam, verum dolorem de peccatis, & studium emendationis concepisse. Sic enim & Augustinus, & alii interpretes sentiunt. Augustin. lib. 2 cap. 6. & 7. de adulterinis coniugiis. *Nunc autem postquam Christus ait adulteræ, Nec ego te condemnabo, vade deinceps noli peccare, quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignouisse Dominum amborum, nec iam se debere adulteram dicere, cuius pœnitentiæ crimen diuina credit miseratione deletum. Sed hoc videlicet infidelium sensus exhorret, ita vt nonnulli moderata, vel potius inimici veræ fidei, credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adultera indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis: quasi permissionem peccandi tribuerit qui dixit, deinceps noli peccare: aut ideo non debuerit mulier à medico Deo illius peccati remissione sanari, ne offenderentur insani.*

Cum igitur vere pœnitentem videret, ad constantiam in bono opere hortatur, nec modo adulterium, sed alia etiam peccata vitare iubet. Quod seriò factum esse, non possunt, hæretici credere, qui se negant præcepta Dei seruare posse.

Alia media tio.

§. 7. De Christi autem potestate in remittendis peccatis dubitare nefas est; Ille enim sine Sacramentis omnia remittere potuit, alia est sacerdotum conditio, qui tantum normam præscripta vtuntur. Est autem Christus contritio, dolor & displicentia criminis, quam Dominus non excludit, cum verat amplius peccare. Quin *lio sacra mento.* Caluinus vt suos arguat, etiam *peccata re mitti.* memoriam hic esse monet. [Postremo tametsi ex hor-

tatio

ratio hæc in posterum tempus respicit, simul tamen peccatores superioris memoriæ humiliat.] Si vere humiliat, ergo hoc agit, vt cum detestatione, & dolore vitæ recordentur pristinæ, seque eo modo ad diligentius Deo seruiendum excitent.

VERSVS 12.

Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

QVÆSTIO I.

Quomodo Lux mundi?

§. 1. NOnnulli alio ista die dicta existimant. Alcuinus cum precedente connectit historiâ. Christumq; censerd uinitatem suam probare, ne mirum videretur, quod peccata remitteret. Lucem se mundi vocat, eum qui sequitur proinde non ambulaturũ in tenebris, sed lumen vitæ habiturum; Syrus addit *sibi*. Lux in scripturis crebro Christus dicitur. Psal. 132. vers. 21. 3. Reg. 11. v. 36. 2. Paralyp. 21. v. 7. Isa. 49. v. 6. Luc. 2. vers. 32. Quin etiam Messiam suum lucem Iudæi appellabant. De messiâ enim interp etabantur illud Psal. 35. Et in lumine tuo videbimus lumen. Sic R. Iohanan. *Factum est in quodam homine: vt cum in nocte lucernam accenderet: extingueretur. Et cum iterum atque iterum eam accendisset, dixit. Quousque laborabo ambulans? Sustinebo donec sol oriatur. Sic Israel cum in Ægypto serui facti fuissent: fleterunt Moses & Aaron: & redemerunt eos, Rursus in seruitutem redacti sunt in diebus Sisara & eos redemit Barac & Debora. A Madianitis verò Gedeon. Et sic per manus Sanigar. Sic etiam per manus cuiuslibet Iudicum à seruitute redempti sunt. Iterum serui facti in Babylonia, per manus Ananiæ Misaelis & Azariæ redempti fuerunt. Et demum per Edom reducti sunt in seruitutem. Dixerunt ergo Israel. Ecce lassati sumus in subiugationibus, & redemptionibus: modo subiugati, modo redempti. Iam non quæramus vlterius: illucescat nobis caro & sanguis. Sed Deus sanctus & benedictus ipse in substantia. Sicut dictum est Psalmo. 117.* Deus Dominus & illuxit, vel illucescit nobis. *Et iterum Esaias ait 45. cap.* Israel saluatus erit in DEO, *vel per Deum (tetragrammaton) saluatione æterna.*

Eodem R. Abba interpretatur signanter se lucem mundi non vnius homnis appellat, nec vnius gentis Propheram. Vt Ammonius, Leontius, Theodoretus, Chrysostomus, & ex illis omnes. & Catholici, & Heterodoxi notarunt, eoque referunt, quod est. Isaiæ cap. nono, vers. duodecimo, & quadragesimo nono, vers. sexto.

Theophylactus præclarè: ὅτι ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τὸ κυρίως φῶς, οὐχὶ φῶς προφητικόν, μερικὸν δηλαδὴ καὶ μικρὸν τὴν λαμψιν ἔχον, ἀλλὰ τὸ ἀληθινὸν φῶς, οὐδὲ Γαλιλαίας ἢ παλαιστίνης ὅροις περιοριζόμενον, ἀλλὰ τῆς κόσμου φῶς εἰμι, καὶ πάντων ἀνθρώπων δεσπότης, καὶ οὐκ ἐμοῦ ὁ προφήτης ἤρκησε, τοῦδε πέφηκα εἰς φῶς ἐθνῶν.

Id est:

Quia ego sum lux, principalis illa lux, non Propheticum, non partiale & quod exiguum splendorem habeat, sed vera lux, neque Galilææ, neque Palæstinæ terminis finitum. Sed mundi lux sum, & omnium hominum Dominus. Et de me Propheta dixit illud: Ecce posui te in lucem gentium.

§. 2. Theophylactus contra Nestorium vsurpat, ostenditque non esse duas in CHRISTO personas, non enim dicit, in eo esse lucem, sed ipsum esse lucem. *Christus lux vniuersalis.*

Vtèris & contra Nestorium præsenti dicto. Non enim qui apparebat homo, ipse erat Filius Dei, lux mundi. Non vt Nestorius delirabat, quod in puro homine, habitaret Filius Dei. Apage. Vnus erat enim, vt dictum est, Mariæ & Dei Filius.

Lux enim illa Deus est, qui non est εἷς τῶν προφητῶν, ἀλλὰ δεσπότης κόσμου, *non vnus Prophetarum, sed Dominus mundi*, lux primogenia, φῶς ὁμοούσιον, lux eiusdem cum Patre substantiæ. *Vnus Dei & Mariæ filius.*

Eâdem etiam opera Manichæorum insaniâ retunditur, qui Christum delirabant esse solem. Eo quod lux mundi diceretur.

§. 3. Ridiculum est quod Musculus Catholicos insanè subsannat, quod luci lucem destinent, quod meridiè candelas accendant, in luce cœci.

Respondeo claro sole diuino honori lumen accendi, vt lucem immensam ὑπερηλίου supercœlestem, mortali luce, quâ possumus, significemus. *Lucernæ accendi solent.*

Nosque in luce ambulare, non ἐν πλάνῃ, *in errore*, vt Chrysostomus ait, aberrare. Nam & in veteri lege, lucernæ, & candelabrorum summa erat cura; igne enim tanquam purissimo, supremo, potentissimo elemento diuina sanctitas, potestas ac maiestas significatur. Luminis in Ecclesia antiquus vsus fuit. Aurata candelabra & cereos obiicit Laurentio Martyri Tyrannus apud Prudentium.

Baptizatis lumen in manus dabatur. B. Honorius, in Gemma animæ, libro tertio. de Sabbatho Paschæ, *mox de fonte Eleuatis lumen dare solent, quatenus splendidis operum lampadibus sponso venienti occurrant.*

Meminit etiam Lucernarum ardentium, quæ dabantur in manus iam Baptizatorum, Gregorius Turon. lib. 5. cap. 11. Nicephorus histor. lib. 3. cap. vltimo. Antiquissima illa fuit consuetudo: Gregorius Nazianzenus de Baptismo.

Brentius etiam fingit, maiores nostros animam accturis lumen accendere, vt eo modo dæmonem absterrerent; alios tamen id feciſſe fatetur, vt morituros admonerent, ad Christum se reciperent, qui est lux mundi, vera illa est ratio. Superstitio prior nusquam in Ecclesia fando audita est. *Brentius depraua Scripturã.*

§. 4. Brentius etiam cum de sola fide interpretatur verba Domini monentis, vt sese sequamur Scripturas deprauat.

Fallit inops & mentis, & veri, Vbiquitariorum Magister. Sequi Christum hoc loco est credere, est diligere, bene operari. Qui enim non diligit fratrem in tenebris manet, & qui malum facit, in luce non versatur. Deus autem lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Peccata autem tenebræ sunt, quæ in Deo esse non possunt, nec in amicis Dei. Sequi Christum est opera Christi facere.

Ita interpretatur Cyprianus. Ep. 63. *Nam si sacerdotes Dei & Christi sumus, non inuento quem magis sequi quam Deum & Christum debeamus; quando ipse in Euangelio maxime dicat: Ego sum lumen sæculi. Qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Ne ergo in tenebris ambulemus, Christum sequi & præcepta eius obseruare debemus.

Multis idem exponit Gregorius Nazianzenus de Baptismo, qui in principio Christum lumen esse demonstrat. Deum summum lumen, angelos secundum, tertium hominis rationem. Deinde luminis nos participes esse iubet.

Et Dionysius de diuinis nominibus cur DEVS

lux

lux sit exponit. pag. 189. *Lux colligit etiam conuertitque ad se omnia, quæ videntur, quæ mouentur, quæ illustrantur, quæ calescunt, & vno nomine, ea quæ ab eius splendore continentur: Itaque ἥλιος, id est sol dicitur, quòd omnia ἀθροίζῃ ποιεῖ, id est, congreget, colligatque dispersa: eaque omnia eum experiuntur, nec quæ sensu percipiuntur, aut quod cernere cupiant, aut sentire illustrari, calescere, omninoq; contineri à lumine. Nec verò hoc dico antiquitatis fabulam sequutus, solem qui Deus sit, atque mundi huius effectorem, proprie mundum qui videtur, gubernare, sed inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspici, sempiternam quoque eius virtutem & diuinitatem.*

Hæc ille qui nos omni modo illuminari, atque ita sequi Christum iubet. S. Augustinus longè abest à Brentiana temeritate, aliud ait Dominum promisisse, aliud iussisse. Iussisse autem vt eum vita sequamur, nam toto pene tractat. 34. de illa morum sequela loquitur.

§. 5. Caluinus etiam certitudinem iustitiæ suæ ex ea luce petit.

Respondeo. Nulli dubium est, lucis illius sectatores ad vitam æternam sine errore peruenire. At non contingere vt aliqui oculos claudant, & recedant à luce, id vero experientia refutat. Nam in media via deficere, & relicta luce non in tenebras oculorum, sed morum incidere videmus. Quocirca omnes Scripturæ, omnes sancti admonent, ne à veritate excidamus, ne viam iustitiæ deseramus. Quin Christus ipse monet, vt in eius doctrina maneamus. Frustra omnino, si deficere non possumus.

Verum de his iam olim inter Caluini posteros est disputatum, & causam obtinuit Bertius lib. de apostasia sanctorum.

VERSVS 13.

Dixerunt ergo ei Pharisæi. Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.

QVÆSTIO I.

Quomodo oppugnant Iudæi Christum?

§. 1. TV, inquiunt, *de te ipse testificaris, tuum testimonium non est verum.* Beza corrigit, & vertit. Tuum testimonium non est idoneum. At Græce est οὐ μαρτυρία σου οὐκ ἔστιν ἀληθής, non habet ἱκανός. Sic etiam Syrus. Et alii vertunt. Nec Bezæ ratio cogit à veritate Scripturæ nos recedere. Nam quamuis proprium hominis de se testimonium non censeatur sufficiens, etsi aliquando verum esse possit. Iudæi tamen odio flagrantes, & irritati plus asserunt, quam ratio dictat; Itaque perinde est ac si dicerent. In laudem tuam mentiris, laudet te os alienum. Tu te miraris. grandia loqueris, μήπω μεγάλα εἰπῇς πρὶν τέλος ἀκοῦσαι. *Ne magna loquaris donec finem consecutus fueris.* Domesticum esse testem calumniabantur, Prouerbio dicebatur apud Græcos οἰκόθεν ὁ μάρτυς. *E domo testis.* Si autem domesticus non audiebatur, multo minus de se ipso quisquam audiri debet. Iuris consulti veteris est l. 2. pand. ect. titul. de testibus. *Testes quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit.* Et cod. l. 3. de test. bus. Etiam iure ciuili domestici testimonii fides improbatur. Fuisse autem Prouerbii loco iactari solitum constat ex Ioue Tragœdo Luciani οὔτε οἰκόθεν ὁ μάρτυς, φασίν. *Nec domesticus testis, inquiunt.* Sic vsurpant, & Latini. Ep. 2. ad Cœlium. Hæc ergo illi: Verum olim Prophetæ, & Baptista & opera testabantur, non tamen ille: Dominus producit, sed Patris dum taxat testimonium.

§. 2. Faustus Manichæus obiecit hunc locum Augustino lib. 6. cap. 13. pagina 132. quod Christus hic de Mosis testimonio disputationem non persequatur.

VERSVS 14.

Respondit Iesus, & dixit eis: Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio vnde veni, & quo vado: vos autem nescitis vnde venio, aut quo vado.

QVÆSTIO I.

Cur Christi testimonium de se ipso sit verum?

§. 1. OMittit aliorum testimonia tantummodo vrget proprii testimonium eloquii: quia sciat vnde veniat, & quo vadat. Quæ vero illa est argumentatio: *Verum est testimonium meum quia scio vnde venio, & quo vadam?* Deum se esse disertè in illo maleuolorum conuentu non dixit, ne continuo obstructis auribus furerent, sed de cœlo venisse se pronunciat, ideo de se cõfidenter loqui & testari: & rectissima quidem conscientia, scientiaque qua falli sit impossibile, & hinc quidem diuinitas eius colligi poterat, solus enim Deus est ἀξιόπιστος, omnis homo autem mendax. Chrysostomus diuinitatem hinc astrui docet.

Et Chrysostomum sequi solitus Theophylactus: Διότι οἶδα ὅτι τοῦ θεοῦ υἱός εἰμι, οὐκ ἄνθρωπος ψιλός, ἀπ' ἄνωθεν ἐληλυθὼς καὶ θεός. *Propterea scio, me filium esse Dei, non nudum hominem, sed de supernis venire, & Deum esse.* Hinc ergo consequitur fidum & diuinum esse testimonium. Deus enim de se ipse testatur. Augustinus eo etiam modo interpretatur. Non enim alio testimonio vti Deus, quam proprio debet; quia omne testimonium ab ipso est. Omnes de plenitudine eius acceperunt. *Ergo verum est,* inquit tract. 35. *Testimonium luminis, siue se ostendat, siue alia: quia sine lumine non potest videre lumen, & sine lumine non potes videre quodlibet aliud, quod non est lumen. Si idoneum est lumen ad demonstranda ea quæ non sunt lumina, nunquid in se deficit? nunquid se non aperit, sine quo alia patere non possunt? Locutus est Propheta verum, sed vnde haberet, nisi de fonte veritatis hauriret? Locutus est Ioannes verum: sed vnde locutus est, ipsum interrogat: Nos omnes, inquit,* de plenitudine eius accepimus. *Ergo idoneus est Dominus Deus noster Iesus Christus qui sibi perhibeat testimonium.*

Pergit deinde ostendere, quomodo testimoniis Prophetarum contra gentes vtendum sit.

Quod igitur cap. 5. v. 31. negauit testimonium sui de se esse idoneum, per mimesin, & concessionem fecit.

Nunc autem se mortalium numero eximit; nam indignum est, eum qui de cœlo venit, legibus hominum subiici, quibus in rem suam loquenti non creditur. Cum ille supra omnes sit, omnes in ordinem redigat. Et testis non modo omni exceptione sit maior, sed etiam necessario verus. Iudæis etiam perfidiam & malitiam obiicit, qui nesciant, vnde veniat, aut quo vadat, postquam toties Prophetæ, & nunc opera id testata sunt.

Christus se testificatur.

VER-

VERSVS 15.

Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quenquam.

QVÆSTIO I.

Quid secundum carnem iudicatis?

§. 1. IVdicium eorum de sua vocatione, officioque reiicit. Iactantiam, & mendacium illi exprobrarant, quod arrogans videretur, quod sibi dabat testimonium; sed illa lux nullas mendacii tenebras habuit, loquebatur enim tanquam veritas. Illi tenebræ erant, ideo lucem non comprehenderunt. Clausis oculis furentium sol absens erat. Ideo secundum carnem, hoc est, secundum tenebras iudicabant, vt cœci de coloribus. Duplex haberi sensus ex his verbis potest. Nam iudicare eos secundum carnem & infirmitatem Christi, & secundum suam carnalem sapientiam affectus que intelligere possumus. Vtraque expositio iungenda est, ex vna enim altera necessario consequitur. Iudicabant de Domino animo alieno, inimico, suspicioso, perturbationibus obnoxio, incredulo, maligno, inuido. Atque hoc Syrus explicuit, cum vertit בבשרא *pagranaith*, hoc est, *carnaliter*. Hoc autem iudicium stultum est, & malum. Nam stultitia de sapientia iudicare non debet. Vt autem viuere secundum carnem, ita & iudicare secundum carnem, illaudabile est. Hoc ex iudicio etiam iudicabant secundum carnem seu infirmitatem Christi, quamuis enim admiranda opera, & quorum maiestate obstupescerent, quotidie cernerent, cum tamen in eius persona, vestitu, comitatu nihil eximium aut regium cernerent, secundum id quod videbant, in illo iudicabant. Nempe secundum externam speciem, secundum formam serui.

QVÆSTIO II.

An Christus non iudicet quemquam?

§. 1. GRauem continent illa verba reprehensionem. Vos, inquit, me de cœlo venientem tumultuario, & stolido carnis iudicio damnatis, vobis iudicandi potestatem in Deum iniquissima tyrannide vsurpatis, cum tamen ego veritè cognitor, iudex, & Dominus, simpliciter doceam, non iudicem, non damnem. Non ergo iudicat quemquam Dominus Iesus Christus? quærit Augustinus. Nonne est Iudex viuorum & mortuorum?

Respondet: *Quæstio*, tract. 36. *Ista duobus modis solui potest, vt aut hoc intelligamus*, non iudico quemquam: *id est, modo, sicut dicit alio loco*, Ego non veni vt iudicem mundum, sed vt saluum faciam mundum: *non iudicium suum negando, sed differendo. Aut certè quia dixerat*, vos secundum carnem iudicatis *ita subiunxit*, Ego non iudico quemquam: *vt subaudias secundum carnem. Prima ergo dispensatio Domini nostri Iesu Christi medicinalis est, non iudicialis. Nam si primò venisset iudicaturus, neminem inuenisset cui præmia iustitiæ redderet. Quia ergo vidit omnes peccatores, & omnino neminem esse immunem à morte peccati: prius erat eius misericordia præroganda, & post exerendum iudicium, quia de illo cantauerat Psalmus*, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. *Non enim iudicium ait, & misericordiam.*

Non iudicare secundum carnem docet etiam Rupertus, Chrysostomus ad temporis circumstantiam restringit, atque ea in sententia conuenit cum Augustino, indignum autem erat, cum ipse Iudex omnium non iudicaret, ipsos Iudæos, qui serui erant ad suum tribunal Dominum omnium citare, & de illo pronunciare.

Et Theophylactus breuissimè ὅτι οὐκ ἐλήλυθα τότε ἵνα κρίνω, ἐγὼ δὲ νῦν κρίνω νῶν. *Non ad hoc veni, vt iudicem, nunc enim neminem iudico.* Ex quo consequitur mirari non debere eos, si tam contumaciter rebellantes, & proteruientes non arguat, non puniat, erit seueritatis olim tempus, cum tarditatem supplicio-rum grauitate compensabit.

VERSVS 16.

Et si iudico ego, iudicium meum verum est: quia solus non sum, sed ego & qui misit me, Pater:

QVÆSTIO I.

Quomodo iudicium suum verum esse probat?

§. 1. NOn abrogat sibi iudicandi potestatem, sed probat, & testimonium, & omne suum iudicium esse verum, nec posse ab vllo iudice repudiari. *Christi iudicium est, iudicium Patris.*

Ratio est, quia solus non sum, sententia mea vel de meipso, vel de aliis, non est mea solius, sed eius qui misit me Patris: si mihi tanquam Dei legato fidem non habetis, Deo Patri ipsi credite, qui mecum est, qui fallere non potest; quicquid autem ego loquor, ille etiam & loquitur, & testatur.

Solus non est, sed an solius testimonium ratum nõ esset? si Pater misit, quomodo cum eo est. Non enim cum legato rex esse solet, qui misit. Sed missio est incarnatio, Pater cum filio est, quia vna eademq; vtriusque substantia. Augustinus hoc ostendit contra Sabellium, & Patripassianos. *Sabellius refutatur.* *Tanquam diceret*, tract. 36. *Verum est iudicium meum, quia filius Dei sum. Vnde probas quia filius Dei es? quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater. Erubescę Sabelliane, audu filium, audis Patrem. Pater, Pater est: Filius, Filius est: Non dixit ego sum Pater, & ego ipse sum filius: sed solus non sum, inquit. Quare solus non es? quia mecum est Pater. Ego sum, & qui misit me Pater. Audis ego sum, & qui me misit. Ne perdas personam, distingue personas, distingue intelligentiam noli sperare perfidia, ne iterum quasi fugiens Charybdim, in Scyllã incurras. Vorabat enim te gurges impietatis Sabellianorũ, vt diceres ipsum esse Patrem qui est filius, modo did cisti, solus non sum sed ego & qui misit me Pater. Agnoscis quia Pater, Pater est: & Filius, Filius est. Bene agnoscis: sed noli dicere: Pater maior est, Filius minor est: Noli dicere Pater aurum est, Filius argentum est. Vna substantia est, vna diuinitas, vna coæternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla. Nam si tantummodo alterum crediderit esse Christum, non eum qui Pater est, & in aliquo tamen distantem secundum naturam esse putaueris, à Charybdi quidem euasisti, sed in Scyllæis scopulis naufragasti. In medio naviga, vtrumq; periculosum latus euita, Pater, Pater est, Filius, Filius est: Bene periculum absorbentis gurgitis euasisti, quid vis ire in alteram partem vt dicas, Aliud est Pater, Filius aliud? Alius est rectè dictu, aliud non rectè. Alius enim est filius, quia non est ipse qui Pater, & alius Pater, quia non est ipse qui filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius. Quid est, hoc ipsum est? Vnus Deus est. Audisti quia non sum solus, sed ego, & qui misit me Pater. Audi quomodo credas Patrem & filium, audi ipsum filium, Ego & Pater vnum sumus. non dixit, Pater ego sum, aut ego & Pater vnum est: sed cum dicit, Ego & Pater vnum sumus, & à Charybdi & à Scylla liberaberis. In duobus istis verbis quod dixit vnum, liberat te ab Ario: quod dixit sumus, liberat te à Sabellio. Si vnum, non ergo diuersum. Si sumus, ergo & Pater & Filius. Sumus enim non diceret de vno, sed & vnum non diceret de diuersis.*

Eodem

Eodem etiam argumento Fulgentius libr. 3. c. 3. ad Donatum vtitur. *Tres itaque personas esse, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ostendunt ipsius eloquia veritatis. vnde Saluator ait*, Non sum solus, sed ego & qui misit me Pater, &c. *Vnde Trinitas illa sancta dignè creditur in personis: Tres autem Deos dici Patrem & Filium & Spiritum sanctum non permittit vnitas naturalis. Et quia in vna natura Trinitatis nulla potest esse diuersitas, ideo in tribus personis manet inconfusa proprietas, & in vnitate naturæ regnat incommutabiliter substantialis æqualitas.*

Neque quæri potest; an non sufficiat eius testimonium etiamsi sit solus? Non enim potest esse solus, etsi solus esset, Deus non esset, non Dei filius. Quare & hinc Ariani noui conuincuntur. Hæc Christus Iudæis non credentibus frustra concionatus videri posset, sed propter multos credentes, non frustra, propter Ecclesiam autem vtilissimè. Quamuis & Iudæorum doctiores aliquam plurium personarum cognitionem habuerunt. R. Ionathan Chaldæus interpres in illud Zachariæ. *Canta & lætare*, sic interpretatur vt clare plures personas insinuet. *Gaude & lætare Ecclesia Sion. Quia ego reuelabor: & ponam diuinitatem meam in medio tui. ait Deus (tetragrammaton.) Et applicabunt se populi multi ad populum Dei (tetragrammaton) in tempore illo. Et erunt coram me in populum. Et ponam diuinitatem meam in medio tui. Et scies quia Deus (tetragrammaton) exercituum miserit me ad prophetandum tibi.*

Iudæi cognitio Trinitatis aliqua.

In מדרות *middoth*, duas personas, in חיוית *Hauiach*, vnam essentiam declarat. Et R. Simeon in תעניח *Thaghanith. Migrauit Israel Babyloniam: & migrauit Iechina. i.e. Dei præsentia cum eo. Vnde probatio? Ex eo quod Esaias dicit, 43. c.* Propter vos missus sum in Babyloniam.

Necaliter R. Samuel Leuita super 47. Geneseos. & R. Ionathan Vziel in Psal. Vide etiam Damascenum de diuina traditione.

In diuinitate vnam confitemur naturam: tres autem hypostases, secundum veritatem esse dicimus. Et omnia quidem naturalia atq; essentialia: simplicia dicimus. Hypostasum verò differentiam in tribus solis proprietatibus: in improducta, scil. ac paterna, & producta ac filiali, & producta atque procedente, nouimus. Inseparabiles autem ipsas, indistabileisque ab inuicem, & inuitas, atq; in inuicem inconfuse circumincedentes: scimus. Et vnitas quidem inconfuse: tres enim sunt, etsi vniantur. Distinctas autem indistanter. Licet enim vnaquæque per seipsam subsistat: hoc est, perfecta sit hypostasis: suamque proprietatem, id est, differentem substantiæ modum possideat. Attamen vniuntur essentia, naturalibusq; proprietatibus, & eo quod est minimè distare à Patre hypostasi. Ac vnus Deus & sunt & dicuntur.

Gregorius etiam Nazianzenus πῶς ἀσύγχυτον φύσιν inconfusam naturam satis explicat, idq; etiam indicatum in veteri testamento fatentur, licet minus dilucide.

VERSVS 17. & 18.

Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

QVÆSTIO I.

Quomodo duorum hominum testimonium est verum?

§. 1. DEuter. 17. 6. & 19. 15. In iudicio valere duorum testimonium iubet, non quod non corrupta, & empta soleant sæpe esse testimonia, sed quod circumstantiis adhibitis duorum idonea censeantur, cum omnia scilicet legitime examinantur. Si igitur in iudicio humano hominum testimonia sunt idonea, multò magis testimonium Dei, seu personarum diuinarum. Chrysostomus sane etiam hinc vnam diuersarum personarum substantiam asserit. *Testimonia hominum sufficiunt.*

Quid hoc in loco hæretici dicerent? Quid Christus hominibus præstaret, si hoc simpliciter acciperemus? In hominibus enim ita institutum est, quoniam nemo per se fide dignus est: in Deo autem quomodo hoc esset consentaneum? Quomodo ergo hæc particula intelligenda est? Nunquid quoniam duo, an quoniam homines propterea duo? Nam si quoniam duo sunt, qua gratia non confugit ad Ioannem? non enim dixit, testimonium perhibeo ego de meipso, & de me Ioannes: cur non ad Angelum, cur non ad prophetas? Inuenisset enim & alia innumera testimonia, sed voluit hoc tantum significare, non quod duo, sed quod eiusdem substantiæ.

Consule etiam Cyrillum hoc loco. Ambros. l. 3. de fide. Fulgentium l. 3. ad Thrasimundum.

§. 2. Quomodo verum accipiendum sit, quod Scriptura dicit. In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. Suo loco exposui. Augustinus hoc loco ad Trinitatem refert.

VERSVS 19.

Dicebant ergo ei, vbi est Pater tuus? Respondit Iesus, neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis forsitan & Patrem meum sciretis.

QVÆSTIO I.

Quomodo neque Christum neque Patrem eius sciuerint?

§. 1. PRobri causa Patrem obiiciunt, quasi non sit alius, quam Ioseph, quem contemptus causa, fabrum appellare solebant: Hoc Cyrillus, Ammonius Leontius. Quamuis autem non ignorabant Deum Patrem dici quocunque tandem id modo diceret; non enim certo adhuc audierant eum dicentem se Deum esse. Expressè autem diserte dici cupiebant, de Patre Deo, vt accusandi occasionem habere possent. Eo enim omnia colloquia dirigebant, vt quem interimere decreuerant, non sine causa interfecisse viderentur. Theophylactus non nouisse Patrem ait, quod eum minimè honorarent.

Quod in Latino additur Forsitan; in Græco & Syro non est, satis tamen, continetur diserte in particula ἂν. εἰδειτε ἄν; est enim modus potentialis, quo Dominus non indicat dubitare se de euentu, sed quid fieri possit. De quo loco pulchra est S. Ambrosii disputatio de pœnitent. cap. quinto. *Siquidem inquit, & ad Ezechiel dicit Dominus: Filio hominis mittam ego te ad domum Israel, eos qui me exacerbauerunt, ipsi & Patres eorum vsque in hodiernum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus, si forte audient & terrebuntur. Nesciebat ergo eos posse aut non posse conuerti? Non ergo semper dubitantis ista est elocutio. Denique ipsi sapientes sæculi, qui gloriam suam omnem statuunt in expressione verborum, quod Latine forte dicimus Grace τάχα non vbique pro dubitatione posuerunt. Aiunt itaq; dixisse primum suorum Poetam ἦ τάχα χήρα ἐσσομαι quod est cito vidua ero. Et alibi τάχα δὲ τε καὶ χαίρουσιν ἀχαιοὶ πάντες ἐφορμηθέντες. Non enim dubitaret omnibus simil*

iuuli insurgentibus, vnũ facile ab vniuersis posse prosterni. Sed nos nostra magis quam alienis vtamur. Denique habes in Euangelio, quia ipse filius de patre ait, cum misisset seruos ad vineam suam & occisi essent, dixisse patrem: Mittam Filium meum dilectissimum, forsitan ipsum verebuntur. Et alibi ex sua persona filius ait: Neque me scitis neque patrem meum. Si enim me sciretis & patrem meum, forsitan sciretis.

§. 2. Theodoretus, alijque ex eo contra Arium concludunt, non esse Christum creaturam. Non enim ex creaturarum cognitione cognoscitur Deus pater, nemo ex rerum conditu personarum intelligit diuersitatem, non enim sunt ab vno. At Christo cognito, pater etiam cognosci debet. Ea causa apud Iudæos filius seu Messias vocatur פני facies Dei פני אלהים. Sic interpretantur illud Malachiæ 3. Ante faciem meam. Ita R. Moses filius Maimonis: qui nomine faciei Messiam intelligit. Et R. Moses Hadarsan in Genes. 22. & Oseæ cap. 6. *Viuificabit nos post duos dies, & in die tertio suscitabit nos*, & viuemus ante faciem eius. Quod ille interpretatur. Ante faciem eius, quæ est Rex Messias. Et Genes. 3. *Et emisit eum Dominus de paradiso voluptatis*; sic ait R. Nahmyia. *Emissus fuit Adam de seculo isto, sed in futuro seculo non emittetur.* Hoc dictum autem iuuatur, per id quod scriptum est. in Psalm. 16. *Ego in iustitia, vel per iustitiam contemplabor faciem tuam.* Id est, *Messiam tuum, satiabor cum surrexerit* תמונתכה *Themunathecha, forma, vel similitudo tua.* Imo de diuinitate sunt interpretati R. Salomon.

Hinc Apostolus filium vocat figuram substantiæ eius. Filij igitur cognitionem comitatur cognitio patris. Hæc ex Iudæorum commentarijs quodammodo etiam Pychagoras & Philosophi tradiderunt.

§. 3. Sabelliani ex cognitione hac perperam ad essentiam processerunt. Et vnam personam patris & filij dixerunt, Cum non maiilla veritatis non sit, vt quę cognitione diuidi non possunt, etiam personis eadem sint. Eos Augustinus tract. 37. confutat. *Breuiter ergo hesterno die insinuauimus charitati vestræ esse hæreticos qui vocantur patripassiani, vel à suo authore Sabelliani. Hi dicunt ipsum esse patrem qui est filius, nomina diuersa, vnam vero esse personam. Cum vult pater est, inquiunt, cum vult filius, tamen vnus est. Iterum sunt alij hæretici, qui vocantur Ariani. Confitentur quidem vnicum patris filium Dominum nostrum Iesum Christum, illum patrem filij, istum filium patris: eum qui pater est, non esse filium: eum qui filius est, non esse patrem: confitentur generationem, sed negant æqualitatem. Nos, id est catholica fides, veniens de doctrina Apostolorum, plantata in nobis, per seriem successionis accepta, sana ad posteros transmittenda, inter vtrosque, id est, inter vtrumque errorem tenuit veritatem. In errore Sabellianorum vnus est solus, ipse pater, qui filius: in errore Arrianorum, alius est quidem Pater, alius filius, sed ipse filius non solum alius, sed etiam aliud. Tu in medio quid? Excluisti Sabellianum, excludè & Arianum. Pater, Pater est: Filius, Filius est: alius, non aliud: Quia ego & Pater, inquit, vnum sumus, sicut etiam hesterno die quantum potui commendaui. Cum audit, sumus, abscedat confusus Sabellianus. Cum audit, vnum, abscedat confusus Arianus. Gubernet Catholicus inter vtrumque fidei suæ nauigium, quoniam iam cauendum est in vtroque naufragium. Dic ergo tu quod dicit Euangelium: Ego & Pater vnum sumus. Non ergo diuersum qui vnum: non vnus, quia sumus. Paulò ante dixit, Iudicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater: tanquam diceret, Ideo iudicium meum est verum, quia filius Dei sum, quia verum loquor, quia ipsa veritas ego sum. Isti carnaliter intelligentes dixerunt: Vbi est pater tuus? Modo audi Arriane, Neque me scitis: neque patrem meum: quia si me sciretis, & patrem meum sciretis: Quid est, si me sciretis, & patrem meum sciretis: nisi, Ego & Pater vnum sumus?*

Hæc locutus est Iesus in Gazophylacio, vel vt Syrus habet בית גוא *Beth gaza*. Nempe loco celeberrimo sine timore, necdum enim mortis hora venerit. Imo v. 21. Exerte minatur, abire se, & ipsos in peccato suo morituros, se beatum fore, vt in omnibus libere se passionem subiturum.

VERSVS 20. &c.

Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius &c.

QVAESTIO I.

Cur Iudæi suspicati sunt Christum velle se interficere, & quid respondet?

§. 1. MIrantur se Christum præferre scribis & Phariſæis, cum diceret; se eo abiturum quo ipsis aditus non esset patefaciendus. Est enim illa ratio dignitatis, cum dicunt, ad eum locum aliquos euehendos, quo alijs aspirare non liceat. Hoc iracunde excipiunt, miranturque hominem pauperem iactare eo se peruentutum, quo magnates nequeant. Nec animo comprehendere possunt, quis locus ille futurus sit: Cumque varia volutant tandem concludunt, aliud non esse, quo se minetur iturum, nisi forte ad coruos, aut præcipitium ire decreuerit; illo enim se non posse sequi, quod integrum non sit, eas tenere vias. Alioqui cum omnia verba sobria & initia, actioneſque viderent, non erat vlla causa, cur tam atrocia suspicarentur. Nam seipsum interficere μανιῶδες, δαιμονιῶδες, non θεῖον est. *furiosum dæmoniacum* est. Ex triuio itaque conuitium est sumptum, quo ominantur illi tanquam rabioso & dæmoniaco necem sui ipsius. Subsannant autem innocentem, & facesſere procul iubent, aut sane tam impium censent, vt seipse occisurus videatur. Quo etiam pertinet, quod Samaritanum, & dæmoniacum postea appellant.

Indignantur suspicione contemptus.

Dæmoniacum sui ipsius interfectorẽ putant.

§. 2. Respondet Dominus: Vos de deorsum estis, *Ego de supernis.* ἐκ τῶν κάτω, & ἐκ τῶν ἄνω. *Ego è cœlo veni*, ad cœlum vado, de illo discessu & glorioso ascensu loquor; vos de terra estis, terrena sapitis, nihil nisi scelera cogitatis. Ita Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Leontius, Guido. Fabricius Syra vertit; *ex inferis*, alij, *ex infernis*; quod ob ancipitem sententiam probare nollem. Non enim inferorum est hic mentio, sed quid sit esse ἐκ τῶν κάτω mox exponit, cum ait; *vos de hoc mundo estis ego non sum de hoc mundo.* Causam reddit, cur doctrinæ suæ non assentiantur, quod Dei spiritu formari non sint, cur venire nõ possint, quo ipse iturus est. Non sunt ex eo hominum genere, qui de cœlo, seu ex Deo nati sunt. Sed de carnalibus, vt enim pisces, & animates qui humi gradiuntur, non possunt in altum more voluctum eniti, nec peruenire quo alites suggeruntur, ita nec hi nisi gratiæ diuinæ pennis subleuentur, non possunt peruenire quo Christus, atque eius electi. Ideo futurum esse denunciat, vt in peccatis suis moriantur. Nihil enim rerum spiritalium intelligere possunt, vt docet Cyprianus l. 1. contra Iudæos.

§. 3. Apollinarius hinc occasionem arripuit, vt

Christi corpus è cœlo esse, non ex B. Virgine fingeret. Sed non negat Christus humanæ natiuitatis ex Abrahamo, & Dauide veritatem, sed peccatorum, & malarum cupiditatum cum Iudæis societatem. Sic enim Apostolos negat esse de mundo cap. 15. 19. & 17. 16. Non quod non illi veri homines, & stirps hominum: sed quod regeniti cœlo, & in societatem filiorum Dei, supernamque ciuitatem adoptati, & adscripti, terrenæ ciuitatis incolæ esse desierint, non locorum mutatione, sed morum emendatione. Obseruat hocipsum Theophylactus. ἀλλ' ἐνταῦθα, inquit, ὑποκινάει & δεικνύμενος τὸ αὐτὸ, φησὶ τοῖς μανιχαίοις πάντως ἐπιμένων, ὅτι ὁρᾶις, οὐκ ἦν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, ἀλλ' ἄνωθεν ἐξ οὐρανοῦ, ὡς καὶ Παῦλος λέγει, ὅτι ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ. τί οὖν ἐστὶν εἰπεῖν ἢ πάντως ἐρωτητέον αὐτὸν, πῶς νοεῖ τὸ πρὸς τοὺς ἀποστόλους περὶ τοῦ κυρίου λεγόμενον, ὅτι ὑμεῖς οὐκ ἐστὲ ἐκ τοῦ κόσμου: ἆρα ὡς καὶ αὐτῶν τὰ σώματα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐχόντων, ἀλλ' οὐκ ἐκ ταύτης τῆς κτίσεως, ἢ ὡς μὴ τὰ τοῦ κόσμου φρονέντων, ἔοικε τοῦτο ὁ κύριος; πρόδηλον πάντως, ὅτι ἐπεὶ, μὴ τὰ τοῦ κόσμου ἐφρόνουν, τοῦτο ἔνεκεν τοῦτο πρὸς αὐτοὺς εἶπεν. κἄτως ἂν νοητέον καὶ τὸ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου, τουτέστιν, οὐκ εἰμὶ ὡς εἷς ὑμῶν τῶν τὰ τοῦ κόσμου φρονέντων. ὡς καὶ ὁ Παῦλος πρός τινας λέγει, οὐκ ἐστὲ ἐν σαρκὶ, οὐκ ἀσωμάτους αὐτοὺς εἶναι λέγει, ἀλλὰ φιλοσοφίαν αὐτοῖς καὶ σαρκικῶν παθῶν ἀπαλλαγὴν προσμαρτυρεῖ. *Id est.* Sed hic Apollinarius verbo illo abusus, Manichæos secutus, dicit: Vides non esse ex mundo corpus Domini. sed de sursum ex cœlo. Vt & Paulus dicit: quod secundus homo, Dominus nimirum ex cœlo. Quid igitur dicendum. An omnino rogandus ipse, quomodo nouit ab Apostolo de Domino dictum. Quod vos non estis de mundo: An igitur quod illi corpora è cœlo haberent? & non ex hac creatura. Aut quod non saperent, quæ mundi sunt, dixit Dominus. Clarum est omnino, ipsum dixisse, quod non saperent, quæ sunt mundi. Ea causa, hoc ad illos dixit sic igitur sentiendum de eo. Ego non sum in mundo. Hoc est, non sum, vt vnus ex vobis qui secundum mundum sapitis. Vt & Paulus dicit ad aliquos. Non estis in carne. Non dicit illos esse incorporeos, sed Philosophiam eos colere à passionibus carnalibus alienos esse testatur.

Augustinus eodem modo: *Ideo terram sapitis, quia sicut serpentes terram manducatis. Quid est terram manducatis? terrenis pascimini: terrenis delectamini, terrenu inhiatis, sursum cor non habetis.* De supernis ille interpretatur de patre. Nam ideo quia de patre, omnia humana excessit.

Augustinus tractatu 28. etiam Pelagianos confutat, dum gratiam ostendit necessariam; omnes enim in peccatis esse, sed credendo in Christum consequi, ne in peccatis moriantur.

§. 3. Credendum vero, quod ipse sit. *Quia ego sum*, inquit, Quod satis indicari diuinitatem idem censet Augustinus. tractatu 38. *Quid est, si non credideritis quia ego sum? Ego sum, quid? Nihil addidit, & quia nihil addidit, multum est quod commendauit. Expectabatur enim vt diceret quid esset, nec tamen dixit. Quid expectabatur vt diceret? Forte, Nisi credideritis, quia ego sum Christus, nisi credideritis, quia ego sum Dei filius, nisi credideritis, quia ego sum verbũ Patris, nisi credideritis quia ego sum conditor mũdi, nisi credideritis, quia ego sum hominis formator, & reformator, creator & recreator, factor & refactor. nisi hoc credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. Multum est, quod ait ipse,* Ego sum: *quia sic dixerat Dominus Moysi:* Ego sum qui sum. *Quis digne eloquatur, quid sit, Sum? Mittebat Deus per Angelum suum, seruum suum Moysen ad liberandum ex Ægypto seruum populum suum. Legistis quod audistis & nostis, commemoro tamen, mittebat trementem, excusantem, sed obedientem. Cum ergo excusaret, ait Deo, quem loquebatur in Angelo intelligebat: si dixerit mihi populus, & quæ est Deus, qui misit te? quid dicã eis? Et Dominus ad eũ,* Ego sum qui sum. *& repetiuit;* Dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos. *Non ait ibi: Ego sum Deus aut ego sum mundi fabricator: aut ego sum rerum omnium creator: aut ego sum ipsius populi liberandi propagator: Sed hoc tantum,* ego sum qui sum: & dices filijs Israel, qui est: *non addidit, qui est Deus vester, qui est Deus patrum vestrorum: sed tantum hoc dixit,* qui est, misit me ad vos. *Forte multum erat, & ad ipsum Moysen, sicut multum est & ad nos, & multo magis ad nos, intelligere quid dictũ sit,* Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos. *Et si forte caperet Moyses, illi ad quos mittebatur quando caperent.*

Frustra autem omnia fieri nisi Christo credatur, monuit olim Clemens Alexandrin. lib. 5. stromatum.

Hi igitur morientur in peccatis, quia non credunt non capiunt doctrinam, quod à regno cœlorum penitus abhorreant. Consule & Augustinum lib. 1. cap. 1. contra Pelagianos.

VERSVS 25.

Dicebant ergo ei, Tu quis es? Dixit eis Iesus, Principium qui & loquor vobis.

QVAESTIO I.

Quis sensus horum verborum: Principium, qui & loquor vobis?

§. 1. LOcus obscurus admodum visus est omnibus interpretibus; vnde natæ non modo variæ sunt expositiones, verum etiam lectiones. Mira tamen quorundam lectariorum procacia, qui ne vllum scripturæ locum difficilem intellectu concedere cogantur, hunc etiam clarum cum animo credere non possint, lingua tamen asseuerant. Bellarminus lib. 3. cap. 1. de scriptura, hunc locum inter difficiles recenset.

Respondet Wittackerus. [Est quidem hoc ambiguum, ac falsum, & plane ridiculum, sed tantum in latina illa vulgata versione: Debet enim verti, *Quod loquor:* non, *Qui loquor.* In Græco contextu omnia facilia sunt. verba enim sunt: τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Id est, κατὰ τὴν ἀρχὴν. Quorum verborum hic quidem sensus est satis expeditus: non alius sum, quam quem me dixi esse ab initio. Ita ille expedite, & facile corrigit, & interpretatur.]

Respondet noster Iacobus Gretserus. *Non est quæstio, quomodo VVittackerus hunc locum explicet, sed num obscurus sit. Obscurum esse testantur infinitæ propemodum expositiones, quibus vt in hunc locum scribit Beza, expositus fuit:* Ex Maldonato, & Græcorum varietate, & Erasmo difficultatem probat. Nam & varie legunt, & interpretantur, etiam Græci. Et verissime dicit. *Itaque quicquid moliatur, nunquam efficiet, vt modu hic loquendi non sit obscurus, maxime secundum Graca verba? Quid enim obscurius, quam interroganti, tu quis es? Respondere:* τὴν ἀρχὴν ὅτις vel ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. *Hoc est, id sum, quod ab initio loquor vobis, vt interpretatur Beza. Licet enim hæc tria latina verba sint expedita, Graca tamen expeditissima sunt, in quibus* τὴν ἀρχὴν *accipitur ab istis pro* ἐξ ἀρχῆς, *& iungitur cum verbo* λαλῶ. *Et* διὸ κοινῶς *repetitur verbum* εἰμί.

§. 2. Con-

§. 2. Constat itaq; locum difficilem esse, quod probare Gretserus satis habuit. Nunc videndũ quomodo exponi possit, qua in re varias sententias & Maldenatus noster, & Toletus adferunt. Lectio Latina: *Principium, qui & loquor vobis.* Græca: τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, vt ὅ τι sint duæ dictiones, & ὅ pronomen, Deinde vt ὅτι sit loco aduerbij Principium, quia & loquor vobis. Syra lectio. אפן רשריה דאמרלל עמכון *Aphen deſcharith demallel ghimachun*, Iun. & Trem. *Etiã quem incepi vt loquerer vobiſcũ.* Et interpretãtur: *Etiamnum eum me esse dico, quem ab initio apud vos me esse professus sum.* Marginalis nota in regijs biblijs interpretatur התחיל *hatthechil.* Ad verbum. *Etiam qui capi loqui vobiscum.* Sensus aliquis verbis illis attribui potest, at sane, cum sint breuia, obscura, non facile talis, cui animus acquiescat.

Nam vt Græca verba consideremus τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, non facile verba connectuntur, vt sensum efficiant clarum. Omnes enim aliquid addunt, vt perficiatur: & ex varia additione varius sensus oritur. Brentius, τὴν ἀρχὴν interpretatur. *Quamprimum.* vt sensus sit. *Etsi dixi, quamprimum dicam clarius, propter quod,* ob hanc causam loquor. Audio verba interpretantis, sed accommodari velim verbis Christi. τὴν ἀρχὴν, principium, initium, ab initio, principatum significat, *quamprimum* non significat. Nec est similis locutio illis quas Brentius producit, τὴν ἀρχὴν enim dici arbitratur, vt τὴν ταχύτην, τὴν συντομωτάτην, breuissimè, compendiosissimè. Verùm illa sunt adiectiua, & subauditur ὁδὸν, viam. Integra enim sententia est; κατὰ τὴν ταχύτην ὁδὸν, *secundum viam breuissimam.* At hic τὴν ἀρχὴν, substantiuum, & significat à principio, vel secundum principium, quod non est *quamprimum.* Nam quamprimum etiam illa fieri dicuntur, quæ longe absunt à principio. Deinde Quis sensus & verborum expositio? τὴν ἀρχὴν, id est, quamprimum dicam, seu à principio dicam, ὅτι *propter quod,* aut διότι, ob hanc causam loquar. Vbi & hoc addit, & particulam καὶ omittit. Hic ergo verba noua adduntur, alia omittuntur, aliorum significatio mutatur, & noua fingitur: Nec per omnia tamen sensus tenetur, quomodo sensus ille clarus est, & sine interprete obuius? Certe qui hunc sensum elicit, non potest putare esse hunc scripturæ sensum, sed suam delirationem.

§. 3. Multo expeditior S. Thomæ & Bedæ expositio. τὴν ἀρχὴν, πιστεύετε. Principium credite, agnoscite me esse. Propter quod & loquor vobiscum, qui rerum & salutis sum principium. Non affero hanc esse veram interpretationem, sed commodiorem alia illa; posse autem illud etiam subaudiri, quod illi auctores affirmant, Principium autem rerum omnium Deus.

Eodem sensu loquuntur, qui latine principium aiunt esse nominatiui casus, & subaudiunt, *sum:* Cum interrogant, *quis es tu?* Respondet, sum principium, qui & loquor vobis. Nam Christus Apocal. 3. 14. vocatur principium creaturæ Dei. & cap. 1. 17. ptimus & nouissimus. & 2. 8. & col. 1. 12. Noster igitur interpres legit ἡ ἀρχὴ. Principium in nominatiuo, & pro ὅτι, ὅστις, *qui.* Atque ita legunt Latini patres. Ambros. lib. 3. de fide cap. 4. & lib. 5. cap. 5. & lib. 1. Hexemeron. cap. 2. & 4. & Augustinus lib. 5. de Trin. c. 13. & libr. 11. confess. cap. 8. Fulgentius libr. 2. ad Thrasimundum, Prosper. in Psal. 109. Rupertus. Hieronymus lectionem non mutauit. Syrus etiam aliter legit, quam nunc Græca habent. *qui, vel quem incepi.* Hinc non immerito colligat, quisque olim fuisse. ἡ ἀρχὴ, ὅστις καὶ λαλῶ ὑμῖν. Sum, principium, seu ad interrogationem, *Tu quis es?* Respondet: ἡ ἀρχὴ, *qui & loquor vobis.*

§. 4. Hinc duntaxat obstat, quod cohærere non videantur ista. *Ego sum principium, quod & loquor vobis.* Quid enim ad eorum colloquium, principium pertinet. Deinde cur non expresse respondet se esse Deũ, seu Christum, redemptorem? Augustinus tract. 38. vtrumque complexus est. *Et ille, principium. Ecce quod est esse principium: mutari non potest: principium in se manet, & innouat omnia: principium est, cui dictum est, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Principium ait, Qui & loquor vobis. Principium me credite, ne moriamini in peccatis vestris. Tanquam enim in eo quod dixerunt, tu quis es? Nihil aliud dixerint, quam quid te esse credimus, respondit, principium, id est principium me credite. In Græco namque eloquio discernitur, quod non potest in Latino.* *Augustin. Christum ait esse principiũ.*

Et deinde, non tanquam dixerit, principium sum sed principium credite. Eodem autem modo connectenda sunt sequentia, siue quis dicat: principium sum, siue, principium credite. Augustinus sic applicat, qui humilis propter vos factus ad illa verba descendi. *Nam si,* inquit, *principium sicuti est, ita maneret apud Patrem, & non acciperet formam serui, & homo loqueretur hominibus, quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile verbum sine voce sensibili audire non possent? Ergo, inquit, credite me esse principium, quia vt credatis, non solum sum, sed & loquor vobis. Sed de hac re iam multum est loqui vobis: placeat itaque charitati vestræ, vt quod restat illo adiuuante seruemus crastino reddituri.*

Nec durum hoc mihi videtur. Nam principium sum inquit, & creator vester, vnde omnia sunt, & vna vestræ reipublicæ initium & salus, qui etiam nunc loquor post omnia oracula prophetarum. Non modo principium, sed conseruator, monitor. Tanta vos dignatione complector, vt etiam vobis loquar. Cur vero Deum se diserte non dixerit, sed principium, causam esse non dubito, quod furentibus ansam sæuiendi offerre noluit. Itaque obscurius se principium esse, & tale principium, quod illis tamen loqueretur, nempe postquam homo factum est. Ambrosius l. 5. de fide c. 4. Propter quod & vtrunque ait ego à meipso non veni, & ego sum principium, quod & loquor vobis.

Et lib. 3. de fide. cap. 4. *Nec de principio residet aliquid quæstionis, cum interrogatus in carne: Tu quis es? responderit: principium qui & loquor vobis. Quod non solum ad diuinitatis æternitatem refertur, sed etiam ad documenta virtutum. Ex hoc enim & Deum se probauit æternum, quia omnium ipse principium est, & vniuscuiusque virtutis Author est, quia Ecclesiæ caput est, sicut scriptum est: Quia ipse caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis. Liquet igitur & de incarnatione dictum esse principium viarum suarum, quod ad sacramentum susceptæ corporis videtur esse referendum.*

Et paulò post. *Principium itaque nostræ virtutis est Christus. Principium integritatis, qui docuit virgines, non viriles expectare concubitus, sed integritatem mentis & corporis, sancto magis dicare spiritui, quam marito. Principium parsimoniæ Christus, qui pauper factus est cum esset dives. Principium patientiæ Christus, qui cum malediceretur, non maledixit, cum percuteretur non percussit. Principium humilitatis Christus, qui formam serui accepit, cum patrem Deum maiestate virtutis exæquaret. Ex illo enim accepit virtus vnaquæque principium.*

Et lib. 1. Hexem. c. 2. sicut in Euangelio Dei filius dicentibus sibi, tu quis es? Respondit: *initium qui & loquor vobis.* Erasmus aliud contra Augustinum & Ambrosium non adfert, quam quod duram expositionem causetur esse.

§. 5. Latinorum & Syrorum interpretationem

etiam probat, quæ in Græcis inuenitur expositionibus difficultas. τὴν ἀρχὴν illi ponunt aduerbialiter, alij accipiunt pro, Primo, vt sit πρώτως alij ἐξ ἀρχῆς à principio. Alij pro παντελῶς omnino, plane. Hinc alij sic exponunt. Primo sum, quod & loquor vobis, alij omnino sum, quod & loquor vobis. Chrysostomus concisè loquitur. Theophyl. paulò clarius. ὁδὲ κύριος τὴν ἀρχὴν, φησὶν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. ὑμεῖς, φήσι, καὶ τῶ ὅλως ἀκούειν τῶν παρ' ἐμοῦ λόγων, ἀνάξιοι ἐστὲ, μήτιγε καὶ μανθάνειν τίς ἐιμὶ πᾶσα γὰρ πειρᾶζοντες λέγετε, καὶ οὐδενὶ τῶν παρ' ἐμοῦ προσέχειν θέλοντες.

Græcorum expositiones.

Dominus dicit, principium quod & loquor vobis, vos, inquit, indigni estis, qui prorsus sermones meos audiatis, & discatu, quis sim. Omnia enim tentantes dicitis, nulli rei quæ à me dicitur attendere volentes. Alij ὅτι coniungunt, vt sensus sit, *Vt & loquar vobis.* vt λαλῶ sit coniunctiui.

Erasmus mallet λαλῶν *loquens* legere. Leontius: *contemnitis me, quia vobiscum loquor.* Cyrilli & Nonni explicationes verba Christi parum ordinant, nec explicant. Sed generatim quendam sensum reddunt, qui verbis Christi concinnatis non nisi per multas deductiones continetur. Non tamen repudio illos, qui interpretem nostrum Principium accusatiuo vsurpasse existimant, sed affirmo, obscurissimum eos facere contextum Latinum.

Musculus etiam fatetur illa verba multis obscura videri, & varie ab interpretibus accipi. Marloratus ex Caluino, *Non sum derepente ortus sed quemadmodum olim promissus fueram, sic nunc in medium prodeo.* Itaque τὴν ἀρχὴν apud eum est: *à principio sum, non sum derepente ortus.* Et: *quod & loquor vobis*, id est, *iam in medium prodeo.* Vel. *Secundum principium*, hoc est: ille de quo iam olim, sicut & nunc quasi de integro confirmo. Vel. Et sane quod nunc loquor, conforme est omnium sæculorum oraculis. At non respondetur sic interrogantibus; quærunt, quis es tu? Respondet, conformia loquor oraculis. Nam principium ait cõplecti omnium sæculorum seriem. Caluinus etiam Græcos interpretes variare inter se.

Lutherus. Erstlich der / der ich mitt euch rede. Primo is. qui vobiscum loquor. In nota marginali exponit. Hoc est, Ego sum vester concionator. Si hoc primo credatis, facile intelligetis quis sum, alioqui minime.

Stapulensis.

§. 7. Beza ex Stapulensi hanc expositionem adfert, & probat. *Id quod à principio loquor vobis.* Quasi scriptum in Græco τοῦτο ὅ κατὰ τὴν ἀρχὴν λαλῶ ὑμῖν. Sic ille ergo locum vertit, quem ait: Infinitis pene modis expositum. Contra Augustinum, & Ambrosium nihil ille aliud adfert, quam esse explicationem contortam. *Eam expositionem*: quæ habet: *Primo respondeo me eum esse qui loquor.* Coactam, & frigidam ait. Aliam: *Principio id sum, quod etiam dico vobis.* Hanc ait longe petitam. Chrysostomi expositionem obscuram ait, nec cum Christi verbis consentire. Erasmi interpretatio. Quasi dicat: *In peccatis vestris moriemini primum ob id ipsum, quod hæc loquor vobis*, illi displicet. Illam vero, *Prorsus quod loquor vobis*, nimis argutam putat. Ipse Nonni interpretationem approbat. ὅτι τὴν ἀρχὴν καὶ λαλῶ ὑμῖν. ὅτι παρ' ὑμῖν, inquit ille, ἐξ ἀρχῆς ὠνείδιζον. *Quod apud vos à principio dixi.* Ita ὅτι prouocabulum esse. Sed Nonni tralatitio ex lege carminis potius quam ex sensu æstimari debet. Nec verba Euangelistæ, quæ soluta sunt, componi & construi ad ligatam orationem oportet, sed oratio illa ligata ex verbis Euangelistæ concinnanda est.

Itaque primo transponit omnino verba. Vt hunc sensum conficiat. Vt quærant Σὺ τίς εἶς? *Tu quis es.* Respondet Christus. ὅτι ἐιμὶ. Id sum. Vbi ὁ ponit pro τοῦτο iuxta Bezam. Nam vertit: *id quod.* Et in notis habet. *Postremo hæc est natura responsionum, vt in ijs repetatur verbum, positum in quæstione: vt hoc loco plane sit repetitio verbi substantiui, quod fuerat in quæstione vsurpatum.* Itaque cum substantiuum ponat verbum, debet geminare. ὅτι ἐιμὶ, vel τοῦτό ἐιμὶ, ὅτι καὶ λαλῶ, quod Nonnus non facit. Sed cum illi quærerent. *Quis es tu?* Respondet; *quod à principio loquor vobis.* Nam particulam & quasi pleonasmum etiam Nonnus omittit. In hac tanta diuersitate, aut Augustini & Ambrosij, aut hanc Nonni probabiliorem iudicio cæteris. Et qui hanc tenere voluerit, illud nomen: Principium necesse est, vt Græcismo obscuro interpretetur, nempe secundum principium. Idem tamen in Græco durissimam traiectionem admittere debebit.

VERSVS 25. 26.

Multa habeo de vobis loqui & iudicare, sed qui me misit, verax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.

QVAESTIO I.

Cur non iudicet de Iudæis?

§. 1. MVlta esse, quæ eorum moribus loqui & iudicare possit, ait. Sed eum à quo missus est, veracem esse. Se autem ea quæ audijt ab eo loqui in mundo. Multis est visa ratio difficilis nec enim iudicio verissimo filij impedimentum adfert veracitas patris, nec de moribus Iudæorum loqui prohibet, sed mandat annunciare scelera eorum. Nam & illa ipsa audiuit à patre. Causa igitur cur nunc non iudicet, nec exprobret impijs improbitatem, redditur, quia pater verax est, quia omnia olim exquiret, ob oculos ponet, & vlciscetur probe. Nunc igitur nihil opus illa iudicij seueritate, quam alteri tempori pater reseruauit.

Mittitur aliud dicendum.

quod illi omnia.

VERSVS 27.

Et non cognouerunt quia patrem eis dicebat Deum.

QVÆSTIO I.

Quomodo non cognouerint, quod patrem illis dixerit Deum?

§. 1. GRæca pleraque habent, *Et non cognouerunt quia patrem illis dicebat.* omittunt autem, Deum. vt etiam Syriacus textus. Et Chrysostomus, Augustinus, Beda. Vetustissimi tamen codices ita habent, vt legit vetus interpres. & requirit id sensus.

Cum

Cum enim adeo multa dixisset de patre, non tamen cognouerunt, Deum esse. Suspicati quidem sunt eum id velle significare, non tamen vel intellexerunt, patrem eius naturalem esse Deum, & id eum dicere: se naturalem Dei filium esse, Deum de Deo. Pater igitur est, à quo docendi prouinciam Christus suscepit, qui contemptum filij vindicabit. Quod si nihil Dei filius docuit, nisi quod à patre audiuit: fugiendi omnes sunt, tanquam seductores & pestes, qui nouam doctrinam inducunt, quam Ecclesia à Christo non accepit.

VERSVS 28.

Dixit ergo eis Iesus, Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.

QVAESTIO I.

Quomodo cognituri erant, postquam exaltauerint filium hominis?

§. 1. SVblatum ex oculis tanquam importunum monitorem optabant, morte eius stabilire suam Ecclesiam conabantur; sic enim populũ ad obsequia rediturum. At Christus tum demum fore vt veritatem cognoscant, profitetur, quod etiam factũ est; nam miraculis tum in ipsa eius morte, tum vero post mortem plurimi conuersi sunt. *Nam multa etiam turba sacerdotum obediebat Euangelio.* Cognituri vero erant eum nihil à seipso facere. Nam vt Deus à patre erat, vt homo omnia patris instinctu, & voluntate faciebat. Syrus habet ex mea voluntate, vt etiam supra aliquoties.

Quod vero ait ὑψώσητε *exaltaueritis*, non modo genus mortis probrosæ indicat, sed etiam Dei consilium, quæ in crucem sublatum deinde super omnes cœlos exaltauit. Augustinus tract. 40. *Quid est hoc? Nihil enim aliud videtur dixisse, nisi eos post passionem suam cognituros quis esset. procul dubio ergo videbat ibi aliquos, quos ipse nouerat, quos ipse cum cæteris sanctis ante constitutionem mundi præsciendo elegerat, post passionem suam esse credituros. Ipsi sunt illi, quos assidue commendamus, & ad imitationem eum magna exhortatione proponimus. Misso enim desuper Spiritu sancto post Domini passionem, & resurrectionem & ascensionem, cum miracula fierent in eius nomine, quem tanquam mortuum persequentes Iudæi contempserant, compuncti sunt corde: & qui sæuientes occiderunt, mutati crediderunt: & quem sanguinem sæuiendo fuderunt, credendo biberunt illa tria millia, & illa quinque millia Iudæorum, quos ibi videbat, quando dicebat: cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Tanquam dicens: differo cognitionem vestram, vt impleam passionem meam. Ordine verso cognoscetis quis sum.*

§. 2. Idem Augustinus contra Sabellium probat filium non esse patrem. *Iam gaudere*, inquit, *cœperat Sabellianus, erroris sui occasione comperta. Statim vt se tanquam in obscuro extulit, sequentis sententiæ luce confusus est. Putaueras eum esse patrem, quia dixit, Ego sum. Audi quia filius est. A meipso facio nihil. Quid est, A meipso facio nihil? A meipso non sum: Filius enim de patre est Deus: Pater autem non est de filio Deus. Filius est Deus de Deo, pater autem Deus, sed non de Deo. Filius est lumen de lumine, Pater autem lumen, sed non de lumine: filius est. sed est de quo est: Pater autem est, sed non de quo est.*

Quod si pater esset idem, qui filius, non posset negare se esse, atque adeo mitti à seipso.

VERSVS 29.

Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

QVAESTIO I.

Quomodo filium non relinquat pater solum?

§. 1. CHrysostomus de diuinitate interpretatur. *Hæc enim particula: A meipso non loquor indiscretam cum patre substantiam, & nihil contra paternam voluntatem se loqui ostendit. Cum enim à cultu excideris, neque vobis solita sacrificia permittentur: tunc diuinam in vos indignationem, vltionemque, quia me non audistis, intelligetis: quasi dicat: si ego alienus essem, & Deo contrarius, non adeo contra vos indignaretur.* Eum sequitur Euthymius, & Augustinus.

Potest etiam de auxilio, quod humanitati præbetur intelligi. Nunquam enim filium Deus reliquit solum nec eos qui fideliter causam religionis & pietatis agere instituerunt. Ratio redditur, quod semper faciat, quæ ei placita sunt; ideo enim facit, quia Deus cum ipso est, & ideo cum ipso, quia facit. Christi in Ecclesia præsentiam probari recte ex eo Musculus censet, si recte in Ecclesia viuatur. Quod verissimum est, in ea enim Ecclesia, in qua vere, & sincere Christus colitur ipse est, in qua pro dogmate certo, & inconcusso traditur, non posse legem Dei seruari in ea præsentia Christi per gratiam non inuenitur.

Solus non est, quia pater adest.

Sine Christo non est Ecclesia.

VERSVS 30.

Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

QVAESTIO I.

Quomodo crediderunt?

§. 1. CAluinus fidem hic improprie dici existimat, fuisse enim præparationem ad fidem, nec altius quicquid de Christo credidisse, nisi quod propẽsi fuerint ad credendum. Theophylactus credidisse τὰ ῥήματα ταπεινὰ καὶ ἀνάξια τῆς δόξης αὐτοῦ. Cum verba humilia; & indigna suo honore proferret, de humanitate scilicet loqueretur. Verum neque hæc indigna erant Christo, & illi vere crediderunt. Nam hortatur vt maneant in sermone, & perseuerẽt, quod non faceret, si nondum credidérant sermoni, si non erant in sermone. Veros fore discipulos pronunciat si manserint in sermone. Sermo igitur in illis erat. Chrysostomus fidem debilem fuisse ait, & cito defecisse. πῶς οὖν inquit, φησιν, ὅτι ἐπίστευον εἰς αὐτόν, ἀλλ' ὅπερ ἔφην, μετετίθεντο πάλιν. διὸ καὶ σφόδρα αὐτῶν ἅπτεται. *Quomodo ergo inquit in ipsum credidisse? quia mutati erant, vt dixi quamobrem vehementius eos tetigit.*

Vere crediderunt.

Si igitur à fide defecerunt, fidem habuerunt. Quin etiam Bucerus & Bullingerus contra Caluinum veram hoc loco fidem agnoscunt, & fructum dominicæ concionis. Et si enim primates non crederent, de turba tamen multos credidisse. Quin Bullingerus relictis rixatoribus Christum conuersum ait ad credentes.

§. 2. Quod Musculus hic admonet, in sermone Dei manendum, non humanis traditionibus, id verissimum est. At nos traditiones humanas non dicimus, quibus credimus, sermo enim Dei non stylo modo scriptus, sed voce etiam est pronunciatus. Et qui credebant Christo concionanti, non scribenti credebant. Non dicit in scriptura sua manendum, quam nondum vllam fecerat, & in Scriptura manere non possunt illi, qui in sermone non scripto manere nolunt. Scripturam enim veram esse, docet sermo Dei non scriptus, sed traditus. Ambr. T. 2. in Psal. legit. *in verbo meo*. p. 962. Quo in verbo nos manemus, nam & ipsum verbum credimus, & sensum verbi, quem ab Ecclesia veteri didicimus, hucusque retinemus. Nec modo futuros ait discipulos, sed iam esse; sensus enim est, perseuerantes, à Christo pro discipulis haberi. Itaque Syrus à sensu non recessit, cum vertit: *Estis*. Vide Cyprianum de bono patientiæ, pag. 288. vbi ad integritatis retulit constantiam. Vide & Augustinum serm. 48. de verbis Domini.

Verbum Dei non tantum scripto sed etiam traditione tenetur.

VERSVS 31.32.33.

Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei, Iudæos, Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. &c.

QVÆSTIO I.

Quæ libertas hoc loco promittitur?

§. 1. CHristus veritatis cognitionem promittit, & ex cognita veritate liberationem. ἐλευθερώσει Beza vertit, in libertatem vindicabit, nam liberabit, & liberos faciet, vt vertit Erasmus, nimis late patere existimat. Quasi vero liberare, non sit liberali manu asserere, aut Christus de sola loquatur libertate, qua mancipia solent manumitti, non etiam liberatione à malis. Syrus vtitur verbo æque late patente; נחררבון *Nechurarchum* quod est liberare, & vt hoc loco habet glossa נתן חרותא dedit libertatem. Aug. Tract. 41. *Quid est liberabit vos? liberos faciet*. Est quidem in Græco planius vt monuit etiam Augustinus, propriè tamen ait liberare, esse liberum facere. Veritas liberat, ipsa doctrina vera, siue vt malunt alij Christus veritas & vita.

Libertas ab omni malo promittitur.

§. 2. Caluinus hic præmium cognitioni promitti cum negare non posset, aliorsum verba detorquet. [Proinde, *inquit*, quantumuis quisque nostrum in
» Euangelio profecerit, nouis incrementis opus habe-
» re se sciat. Hoc autem præmio dignatur Christus suo-
» rum constantiam, quod se illis magis familiarem
» reddit. Quanquam hoc modo nihil aliud, quam
» prius donum altero cumulat. Ne quis putet homi-
» nis merito quicquam rependi.]

Præmium & meritū sunt relata.

Præmium agnoscit, & meritum negat, & perinde facit, ac si quis partem esse, & filium non esse dicat. Nec verendum est, ne non sit Christi donum, id quod meritum dicimus. Ideo enim dedit meritum, vt daret & mercedem. Fidem & fidei mercedem Augustinus hic agnoscit, & cum illo veteres. Magna *promissio*, inquit, *sed merces est fidei. Quæris mercedem, opus præcedat, si credis, mercedem exige fidei. Si autem non credis, mercedem fidei, qua fronte quæris?*

§. 3. Musculus ex composito textum corrumpit. Veris discipulis, inquit, promittit veritatis cognitionem non reprobis.

Non sufficit cognitio quæ fuit in gnostico.

At experientia docemur, reprobos veritatis Euangelicæ interdum magnam habere cognitionem. Sed ad eam cognitionem non veniunt, quæ clara est, in qua, vt docet Augustinus, videtur, quod nunc creditur, illa cognitio perfectè liberat, cum videbimus Deum sicut est, & apparebit, quid nos simus. Qui vero non manent in doctrina, Christum deserunt & desertores, Christum verum non adorant. Chrysostomus homil. 34.

Quin videmus crebro quosdam doctissimos, alioqui in scripturis versatissimos fide carere, & reprobos mori. Multos multa ignorare, quædam & pauca, necessaria tamen credere, atque ita saluari. Multi omnia quandoque crediderunt, & postea lapsi sunt.

Seruitia Benaichere. Ludouic.

Syrus filios ingenuos vocat vers. 33. בני חרא *Benaichere*: Quod dicunt, nemini sese seruisse facile explicatur; non enim ipsi mancipia fuerunt, necerant; nam politicæ Romanorum iurisdictioni, non despotio imperio suberant. Maiores eorum etiam qui captiui in Babylonem ducti sunt, non omnes vēditi sunt, sed libertatem retinuerunt, opes sibi pararunt, in dignitate fuerunt. Respondent ista, & contendunt, non qui crediderunt, sed qui illis erant immisti: quod etiam Caluinus fateri cogitur.

Liberum arbitrium.

§. 4. Liberum arbitrium esse hinc docemur. Si enim filius liberat, ne serui sint peccati, si veritas ipsa primum ex parte, deinde perfecte liberat, non est seruum arbitrium iustorum, sed liberum, & suæ potestatis, quod Græci αὐτεξούσιον appellant. Quamuis ergo peccato inhærentes, nescij grauem seruitutem seruiant, qui tamen liberi sunt, viuunt libere, licet etiam serui suorum peccatorum, non seruiant eo, quo hæretici asseuerant modo. Quin etiam, vt Irenæus monet, etsi peccatores serui sint, non est tamen peccatum Dominus. Vtitur hac ratione inuicta Bellar. l. 5. c. 9. de amissione gratiæ & statu peccati.

Quinta ratio: Hæc aduersariorum sententia iniuriam facit Christo, & eius meritis. Nam si concupiscentia est verum peccatum, & semper manet in homine quantumuis iustificato, certe sequitur, vt Christus non vere, sed imputatiue tantum à peccatis redemerit, ac liberauerit, & sit diabolus Christo potentior, cum ille vere potuerit inquinare, iste non potuerit vere mundare. Vnde etiam falsa erunt testimonia illa scripturarum, Ioan. 8. Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Et ad Roman. 8. Sicut per vnius inobedientiam, peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Nam qui adhuc sunt in peccatis nec vere liberati dici possunt, nec vere sunt iusti constituti per Christi obedientiam, sicut vere, & nō imputatiue tantum iniusti sunt constituti per Adami inobedientiam. Sed de his plura suo loco in disputatione de iustificatione.

Respondet Pareus. [Negatur connexio propositionis, quia nihilominus vere non redemit Christus; tum quia fidelibus remittit perfectè; tum quia ipsa per sanctificationem Spiritus expurgat inchoatè in hac vita, consummate in altera, & sic sunt intelligenda allegata scripturæ Ioann. 8. 38. Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Rom. 5. 19. Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: &c. Sic per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Nempe per imputationem quidem perfecte: per sanctificationem vero incho tè in hac vita, consummatè in altera. Ideo Apostolus vtitur verbo futuro καθιστηθήσονται. Secundo aduersarius male opponit, vere, & imputatiue, quasi quod imputatiue

» tatiue fit, vere non fiat. Nam peccata imputatiue remittit, & vere, imputatiue iustificat & vere.]

Sed illa omnia libertati non sufficiunt, nec depellunt seruitutem. Nihil magis ridiculum quam imputatio libertatis, nō data libertate; quid enim agit vindicta prætoris, quid manumissio Domini, si imaginaria est seruitutis exolutio, si nihilo deterius est ius Domini? Perinde ac si hominem in pistrino aut ergastulo, aut metallis catenatum, detineat, labore & ærumnis atterat, fame maceret, interim d ctitet non vincula, non seruitutem, sed libertatem se misero imputare, non tamen vt liber sit, sed ne seruus æstimetur. nemo non videt id nimis dura fictione iuris, nimis acerba calamitatis irrisione fieri.

Si igitur verè liberat, ve. è vinculis exuit, seruitute exoluit. Nec liberationis veritatem tollit, dum imputat iustitiam; non enim libertatem imputat in seruitute manentibus, & compede vinctis, sed liberis & solutis: ideo non imputando vere liberat, & quod facit. id se facere pronunciat. Perfecte tollit reatum, sed data iustitia: Imputatio igitur & veritas non repugnant, cum id quod imputatur, etiam donatur; repugnant, cum libertas imputatur, seruitutis necessitas, & exercitium perseuerat. Audiamus de hac libertate Augustinum. *Hoc verbum* tract. 41. *Dominus à libertate posuit, liberabit vos. nihil est enim aliud propriè liberat, nisi liberum facit. Quomodo saluat nihil est aliud quam saluum facit: quomodo sanat nihil est aliud quam sanum facit: ditat, nihil est aliud quam diuitem facit: sic liberat nihil est aliud, quam liberum facit. Hoc in verbo Græco planius est, nam in Latina consuetudine plerunque dicimus hominem liberare, quod ad libertatem non pertinet, sed tantum ad salutem: sicut quisquam dicitur liberari ab infirmitate, vsitate dicitur, non tamen proprie: Sic autem posuit Dominus hoc verbum, vt diceret, & veritas liberabit vos, vt in Græca lingua nemo dubitet eum de libertate dixisse.*

Quis non videat, insanire eum qui pereunti salutem, contabescenti sanitatem, pauperi diuitias imputat? si à malis non liberet. Non igitur redemptorem agnoscunt, qui talem fingunt redemptionem. Quod de regeneratione inchoata fingunt multo est improbius: nam cum illa sanctitate non parua modo & venialia peccata, sed ingentia etiam facinora consistere sibi imaginantur Caluiniani, atque hanc sibi libertatem arrogãt. Quasi vero ea sit liberatio, vt scortationes, adulteria, homicidia, blasphemiæ non imputentur, cum animo concipiuntur, & opere patrantur. atque illi qui ista faciunt, sint beati. Hoc vero est filium facere non liberatorem, sed lenonem: & scelerum patronum. Hoc modo non liberat veritas, sed ligat & sibi mancipat mendacium.

VERSVS 34. & seq.

Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati, &c.

QVÆSTIO I.

An seruitus peccati tollat arbitrij libertatem?

§. 1. PAreus l. 5. cap. 29. de gratia, & libero arbitrio. Omnes facientes peccatum, hoc est gratia destituti, sunt serui peccati. Nulli igitur gratia destituti sunt liberi, seu habent arbitrium ad bonum. Respondet Bellarminus. *Respondeo, seruitus & libertas, generatim acceptæ sine dubio opponuntur, sed non quæuis seruitus cuiuis libertati opponitur. Alioqui non diceret Apostolus ad Roman. cap. 6. Eos qui sunt serui peccati, liberos esse iustitiæ, & contra, liberatos à peccato, seruos esse iustitiæ. Itaque seruitus peccati opponitur libertati à peccato, non libertati naturæ, quæ proprie dicitur liberum arbitrium. Nam qui seruus est peccati, non potest suis viribus excutere iugum peccati, & ad libertatem iustitiæ peruenire. potest tamen per liberum arbitrium, adiuuante Deo liberari à peccato, & potest, si velit, per se manere in seruitute peccati. Sicut etiam è contrario seruitus naturæ, id est, naturalis determinatio ad vnum, qualis est in pecoribus, opponitur libertati naturæ, id est, libero voluntatis arbitrio; non tamen libertati à peccato. Immo quæ carent libertate naturæ, hoc ipso quod illa carent, non possunt vllo modo seruire peccato.*

Quintum testimonium ex illo Ioan. 15. Sicut palmes non potest à semetipso ferre fructum, nisi manserit in vite, ita & vos nisi in me manseritis. Palmes, inquiunt, à vite præcisus non potest non arescere, in vite autem insitus & ex ea viuens, non potest, non ferre fructum: igitur nec homines, qui palmitibus comparantur, habent vllo tempore libertatem ad opposita.

Respondeo, homo rectissime palmiti comparatur, quia sine succo vitis cœlestis, quæ Christus est, non potest producere opera salutifera, & cœlestia; tamen quia idem homo palmes est rationalis, potest per liberum arbitrium cum est in vite, ab illa sponte recedere & arescere, & à vite præcisus, per idem liberum arbitrium, adiuuante summo agricola, potest in viteursum inseri & fructum ferre. Itaque probant istæ similitudines necessitatem gratiæ, sed non excludunt arbitrij libertatem.

Pareus obiicit. Vacuos iustitia non esse liberos ad iustitiam, sed tantum ad iniustitiam, nec ad bonum, sed ad malum. addit: [Atqui (p. 919.) hic quæritur « non de libertate, sed vacuitate iustitiæ, sed de liberta- « te voluntatis ad iustitiam, ad bonum, sine gratia. Et li- « bertas iustitiæ, quid est, nisi prauitas naturæ. Aduersa- « rius igitur pro libertate iustitiæ pugnans, quid nisi pro « prauitate depugnat? & in malitia gloriatur? Nam vt « Augustinus ait de gratia & libero arbitrio. Semper in « nobis voluntas est libera, sed non semper bona.] «

At ille profecto statum quæstionis euertit. Non enim ita dicimus arbitrium sine gratia ita liberum, vt bonum iustitiæ perfecte sine gratiæ auxilio facere possit. Sed liberum eatenus vt non cogatur mala facere, nec vlla necessitate eo impellatur. Caluinus hominem qui est sine gratia facit seruum peccati, vt non possit quicquam nisi peccatum facere. Verba eius sunt. *Caterum ita est voluntaria hæc seruitus, vt qui necessario peccant, non tamen cogantur ad peccandum.* Bellarminus negat hanc seruitutem. Nam liberum arbitrium peccatoris manet, etsi seruus sit peccati. Ideo enim seruus manet, quia obnoxius est peccato, nec seruitio exire potest, nisi liberatrice gratia, tanquam vindicta manumissus. Nec ea est eius conditio, vt necessario & semper, omni motu, & conatu peccet: potest enim à multis peccatis abstinere. Si enim misera necessitate vult, non est in culpa, vt velit. Si non potest non velle. Nec Bellarminus pro naturæ prauitate pugnat, cum ponit in peccatore liberum arbitrium, sed prauitatem naturæ excusat Pareus, cum necessitati illam attribuit: nec enim necessitas alia est, quam naturæ depraua tæ, quam semper peccare aiunt, etsi moralia bona quantumcunque excellentia operetur. Augustini dictum euertit Caluini & Parei rationem. Ait ille voluntatem semper liberam non semper bonam. Ait malam cum seruit peccato; nempe cum facit peccatum: quamuis vero sit serua peccati, cum non facit peccatum, non male agit. Malus seruus, non semper male agit. Seruitus igitur peccati non est contraria naturalibus viribus, liberi arbitrii, quæ remanent in peccatore. Sed libertati, qua cum gratia Dei salutem operamur. de qua Augustinus contra duas Epist. Pelag. l. 1. cap. 2. *Natura humana, diuina indiget gratia. Dicente domino. Si filius vos liberauerit: tunc vere liberi eritis, vtique liberi ad bene, iusteque viuendum.*

Quia tamen etiam peccatori gratia sufficiens offertur ad eam accipiendam, liber est, vt possit si velit, conuerti. & de ciuit. l. 14. c. 11. *Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum, cum vitiis, peccatisque non seruit.* Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi nō potest. Vnde veritas dicit: si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Idem de peccat. meritis & remiss. l. 2. cap. 6. & liberum probat arbitrium, & à qua dominatione liberentur ostendit. *In hac quadripertitâ propositione quæstionum si à me quæratur, vtrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam & liberum eius arbitrium: ipsum quoq; liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigens, nec tantum vt sit, verum etiam vt bonum sit: id est, ad facienda mandata Domini conuertatur, atque ita Dei gratia non solum ostendat quid faciendum sit, sed adiuuet etiam vt possit fieri quod ostenderit. Quid enim habemus quod non accepimus? Vnde & Hieremias dicit, scio Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. Hinc & in Psalmis cum quidam dixisset Deo, Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis: continuo non de se præsumpsit, sed optauit vt faceret. Vtinam, inquit, dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata tua. Quis autem optat quod in potestate sic habet, vt ad faciendum nullo indigeat adiumento?*

Verè liberū est arbitrium.

Tertullianus de pœnitentia c. 6. *Quis enim seruus postea cum libertate mutatus est, furta sua, & fugam sibi imputat? Quis miles postquam castris suis est emissus, pro notis suis satagit?*

§. 2. Admonet etiam filios non esse nisi per filium. ideo nec hæredes. Serui enim in domo non manent in æternum: à filiorum enim consortio excluduntur. Venduntur enim pecorum instar, & vt mancipia reijcula crebro exponuntur. Reprobationem eorū Christus manifesto indicat; id enim etiam à Prophetis prædictum: Oseæ. 9. *Propter malitiam alimentorum eorum ejciam eos de domo mea, nec addam vt diligam eos.* Sic & Amos. c. 5. Quin & Iudæi existimant, tertium illis reditum in terram Israel non esse concedendum. In libro יבמות *Iebamoth libro fratriarum.* c. הארץ *terra. illud perpetuum exilium, sine spe reditus perscriptum est.* Traditum est, inquiunt, in libro סדר עולם seder gholā. Id est: *ordinis mundi.* Scriptum esse Deut. 30. *Et introducet te Dominus Deus tuus in terram quam possederunt patres tui, & possidebis eam. Possessio namque prima, & secunda fuit eis, tertia non erit.* Dixit R. Iohanan. Hæc illi de sua terra, à qua eiecti sunt magnis calamitatibus primum afflicti. Sed illa eiectio reprobationis symbolum fuit. Cum peccatorum ergo serui vere essent, & semen Abrahæ, non secundum fidem, sed secundum carnem Gal. 4. 29. hinc Saluatorem occidere tentarunt. Exprobrat illis & Iustinus, Dialogo contra Tryphonem. Non modo quod contra Christum, & Apostolos sæuiissent, sed etiam quod suo tempore cum occasio esset; Christianos affligerent, manentq; in hodiernum diem eadem illa in Christianos odia.

Iudæorum reiectio.

Idem etiam pag. 244. Etiam proselytos eorum impios dicit. οἱ δὲ προσήλυτοι ὑμῶν, οὐ μισοῦσι μόνον, ἀλλὰ διπλότερον ὑμῶν βλασφημοῦσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ ἡμᾶς εἰς ἐκεῖνον μισοῦντας καὶ φονεύειν καὶ ἀπολλύειν βούλονται. *Proselyti vero non solum non credunt, sed duplum, quam vos blasphemant, nomen eius & nos, qui in eum credimus, & occidere & cruciare volunt. Mansit igitur & hoc parricidale odium in Iudæorum etiam posteris.*

Proselytorum malitia.

QVÆSTIO II.

An Catholici Iudæos imitentur dum se patrum Ecclesiam tueri dicunt?

§. 1. CAluinus Iudæos Abrahæ semen iactantes & Catholicos patres ac veterem Ecclesiam fidei suæ matricem dicentes: eodem loco habet. inquit. p. 108. [Quemadmodum hodie cōtinua à pattibus successio papistas inflat, & plusquam turgidos reddit. Nam per quascunque circumeant ambages, nunquam tamen elabi poterunt, quin hac sola iactantia efferantur. Nos sanctis patribus successimus, ergo sumus Ecclesia. Quod si refellendis Iudæis valuit Christi responsum, non minus ad istos coarguendos sufficit.]

Respondeo: Vanam esse, nec sibi cohærentem comparationem. Iudæi de carnali generatione loquebantur; hoc est in carne gloriabantur, ideoq; se Deo caros & electos arbitrabantur. Cum tamen certo ipsis constaret; non modo Abrahami multos filios à Deo reiectos, sed etiam Isaaci, & Iacobi, deberentq; ex eo certo cognoscere, virtute, fide, gratia, non sanguine & carne amicitiam Dei constare. at nemo Catholicorum ex generis propagatione salutem suam æstimat, sed germanitate fidei, & cognitione virtutum. Degeneres filios pro spuriis habemus, non ergo nos dominus coarguit, sed Iudæos, qui longe alio modo de maioribus gloriabantur.

Christiani Christianis dissimiles Iudæis.

Deinde ex vtero se illi sanctos putauerunt, at nos quantumuis nascamur sanctis parentibus, in peccato tamen & concipimur, & in lucem prodimus, ante damnati, quam nati: à qua damnatione per Iesu Christi sanguinē eripimur, mundati lauacro vitæ, & albati in sanguine agni. Addit Caluinus Catholicos ideo Ecclesiam Dei esse se contendere, quod originem ducant à patribus. Omnino igitur stolida est ratiocinatio Caluini, qua contendit, eodem Christi responso nos & Iudæos confutari, cum non eodem modo gloriemur. Illi generis nobilitate ex Abraham, nos fidei cōiunctione cum Apostolis & Apostolorum successoribus gloriamur. Easdē scripturas, scripturæq; sensum, fidei symbola, sacramenta, cærimonias, tenemus, successionem, & seriem pastorum non carnis propinquitate, sed omnibus gentibus doctrinam sine interruptione continuam ostendimus. Hæc gloria est Ecclesiæ, quæ non euacuatur. Hac vsus est olim contra Hæreticos, & præscripsit Tertullianus, Augustinus, Fulgentius, eorumque posteri; si nos erramus, ante nos igitur tot Episcopi, tot martyres, tot Ecclesiæ errarūt, si illi & illæ tot errarunt, fine causa martyria fecerunt, à Deo decepti sunt. Eorum nos successio non inflat, nec turgidos, sed cautos facit, & humiliat, ne nouis nos doctrinis à patrum fide abduci sinamus, aut plusquam humana superbia. tot confessorum, martyrumque fidem damnemus. Quod faciunt Sectarii; talibus enim eos ludit præstigiis Satan, vt Deum à verbo, verbum Dei ab Ecclesia, literam à sensu, Ecclesiam à fide, fidem à doctrina, regnum cœlorum à Spiritu, totam antiquitatem à Deo separent, suis reformationibus omnia tribuant. Vnum atq; vnicum scripturarum sensum verum existimēt, quem priuato enthusiasmo cōceperūt, quo agi totum mundū oportere imaginātur.

Christiani eodem spiritu cum Patribus pradi sunt.

§. 2. Nec vero sola nos hac iactantia efferimur: vt dicamus: Nos sanctis patrib. successimus, ergo sumus Ecclesia. Non est elationis hoc sacramentum sed modestiæ. Caluiniani nunquam elabi poterunt per quascunq; ambages circumeant, quin stolida gloriatione efferantur. Nos solis aiunt Apostolis, nullis Patribus successimus, soli verum scripturæ sensum, quē omnes Patres ignorarunt, postliminio restituimus. Nulla successio, sed priuata Spiritus instructio nos fecit Christianos, fidei & scripturarum intelligentes. Edidit ante non multos annos Flores Flaminios Fredericus Braunbomus, & vt hanc Catholicis gloriationem auferret, Omnes Pontifices Romanos finxit Antichristos, omnes diuinos sibi honores quæsisse calumniatur pag. 103. Linum facit Pseudopapam.

Vt ostendi libro de extremo Iudicii die.

§. 3. Osten-

§. 3. Ostendi veram esse nostram de consensu cum patribus in fide gloriationem: nunc conuincendi sunt Caluiniani, ac demonstrandum, ad eos Christi obiurgationem pertinere. Christus probat eos filios Abrahæ non esse, eo quod opera Abrahæ non faciant. Nec de sola fide disputat, sed operibus Abrahæ. Caluinus eos censeri inter Abrahæ filios negat, qui fide gratiam adoptionis non retinent, perspicua deprauatione, cum opera Christus quærat. Sed nouam tamen creaturam requirit etiam ipse Caluinus, quæ sine dilectione nulla est. Vti ergo est eorum contumaciſſima præsumptio, qui sola fide nituntur? qui opera necessaria negant? Non sunt filii Abrahæ, ideo nec filii Dei, nisi qui opera Abrahæ tenent. Quid igitur si quis dicat, opera Abrahæ esse factu impossibilia? Quid si omnia opera Abrahæ esse mortalia peccata? Vtcunque tamen illa fingantur, nobis tenendum est. Nullum, quamcumque fidem profiteatur, filium esse Abrahæ nisi opera etiam Abrahæ faciat; nulla enim, professio, nulla fides, nullum fœdus, impium, dum in peccatis perseuerat, Deo gratum efficit. quocirca nemo eorum quos Caluinus pro iustis habet, filius est Abrahæ. Nam eorum iustitiæ imputatæ grauia & horrenda scelera non repugnant: Fures, adulteri, non sunt filii Abrahæ, non enim opera Abrahæ faciunt. At fures & adulteri ex Caluinianorum opinione fidem & iustitiam per illa flagitia non amittunt, sed retinent: & imputatiue iusti sunt, non ergo sunt filii Abrahæ. De his queritur quod sermo eius non capiat in eis, sed quod non capiatur ab eis causa est. Malitia etenim excœcati sermonem non capiebant, quod Syrus expressit, cum negat esse ܣܦܩ̈ Saphkin sufficientes sermoni capiendo. Ideoque & seruili ingenio esse, miserosque, qui nec ingenio suo, nec peculio in libertatem asseri possint, nisi eos filius familias manumittat: nulla enim extra Christum est libertas. Cum igitur in operibus iniustitiæ hæreant Sectarii, palamque profiteantur se opera Abrahæ non posse facere, hoc ipso proclamant se venumdatos esse vt malum faciant, nec à filio liberatos. Filius enim solus liberat. Theop. p. 467. ἐκεῖνοι μὲν οὖν οἱ ἱερεῖς οἱ ὑμέτεροι δοῦλοι ὄντες, οὐκ εἶχον ἐξουσίαν ἀφιέναι, ὁ δὲ υἱὸς ἐγὼ μένων ἐν τῇ οἰκίᾳ, τῇ ἐξουσίᾳ φημὶ, καὶ τῇ ἀρχικῇ αὐθεντίᾳ, καὶ οἰκοδεσπότης ὢν, ἐλευθερίαν ὑμῖν χαρίζομαι, πάντα γὰρ ἐμά ἐστι, καὶ ὁμοδύναμός εἰμι, καὶ ὁμοούσιος τῷ πατρί. καὶ ἐὰν ἐγὼ ἐλευθερώσω, τότε τῇ ἀληθεῖ ἐλευθερίᾳ ἐλευθερωθήσεσθε, ὡς νυνὶ δὲ φαύλῃ ἐλευθερίαν ἑαυτοῖς ὀνειδίζετε. ὄντως ἢ καὶ ἀληθῶς ἐλεύθεροι παρ' ἐμοῦ ἔσεσθε. *Hoc est*: Illi quidem sacerdotes vestri cum serui essent, non habebant potestatem dimittendi: Ego vero filius manens in domo, (dico) potestate, & principali auctoritate, & Dominus domus existens libertatem vobis ex gratia confero. omnia enim mea sunt, & vnius cum patre sum potentiæ, & potestatis. Et si ego vos liberaro, tunc vera libertate honorabimini, qui nunc falsam libertatem vobis arrogatis. Re ipsa, & vere liberi ex meritis.

Quin etiam rectè Irenæus docet, non liberari eos, qui Deum non cognoscunt. l. 3. cap. 21. *Rursus qui nudum tantum hominem, eum dicunt ex Ioseph generatum, perseuerantes in seruitute priſtinæ inobedientiæ moriuntur, nondum commiſtum verbum Dei patris, neque per filium percipientes libertatem, quemadmodum ipse ait, Si filius vos manumiserit, vere liberi eritis.*

Et Theodoretus cum Epiphanio, Tertulliano, cæterisque contra Carpocratem & posteros illius hoc dicto vtuntur: Liberare enim illius est, cuius seruus est, qui Dominus est, non autem conseruus potest conseruo libertatem impartiri.

VERSVS 37. & seq.

Scio quia filij Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis, &c.

QVAESTIO I.

Quomodo Christus apud patrem viderit, quæ facit?

§. 1. CHrysostomus ea vidisse, quæ facienda apud patrem, quod eiusdem cum patre substantiæ æternus esset Deus. *Quemadmodum*, inquit, *ego & verbis & re ostendo patrem, ita & vos: non enim eiusdem tantum sum cum patre substantiæ, sed & veritatis.*

Christi diuinitas.

Prorsus igitur omni modo, omnia patris vidit, cum ipse quoque ea quæ facit pater filius similiter fecerit. Econtrario impios apud patrem suum vidisse alia, quæ facerent, quæ enim mundus agit, à dæmone impulsus, illi faciebant. Suam igitur doctrinam comprobat, quod à Deo procedat, eorum arguit opera mali spiritus instinctu fieri, obiicitque illis, quasi domesticum cum dæmone consortium, & familiaritatem, solent enim filii patrum facta æmulari, & facilius deteriora. Quidam legunt, *Facite*, Græcum ποιεῖτε ambiguum est. Quædam exemplaria pro ἑωράκατε *vidistis*, habent: ἠκούσατε, eodem tamen sensu. vtrumque enim ponitur pro cognoscere. Chrysostomus legit ἠκούσατε, *audistis*.

Iudæi opera dæmonis faciunt.

§. 2. Illi quasi de Abrahamo gloriantur, & id agere se simulant, quod ille docuit. Vrgent autem eum esse patrem: ideo quod Christus obiecisset, eos apud patrem suum vidisse mala, quæ facerent. Et sanè plurima impia viderant, abominationes multas, & horribiles. quas omnes tamen Christus eorum patri diabolo tribuit. Eorum igitur qui in deserto, qui in terra Israel peccarunt opera fecerunt, non Abrahami: nec igitur Abrahami filii. Græca variant. alii codices habent. Εἰ τέκνα τοῦ ἀβραὰμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ ἀβραὰμ ἐποιεῖτε. alii ἐποιεῖτε ἄν. Verum idem est sensus. Superbe igitur resistentibus illis, nec de medijs patribus dolorum cultoribus cogitationem suscipientibus, iterum obiicit. Vos facitis opera patris vestri, quem paulò post nominaturus est.

VERSVS 42. & 43.

Dixit ergo eis Iesus: Si Deus pater vester esset: diligeretis vtique me: ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

QVÆSTIO I.

Quomodo probet ex Deo eos non esse?

§. 1. CONCLVDIT DEVM non esse eorum patrem, quod filium illi non diligant, qui ex Deo processit. Hanc alii processionem ad diuinam, alii ad humanam natiuitatem referunt. Alii quos magis probo ad vtrumque. Plerique tamen æternam processionem inde probant, qua vna persona ab alia emanat; de qua re.

cap. 1.

c.1.dixi. Consulendus & Augustinus l.6. contra sermonem Arianorum c.3.& 4.

§. 2. *Quare*, inquit, *loquelam* λαλιὰν *meam non cognoscitis?* Respondet. *Quia sermonem meum* λόγον *non potestis audire.* Quid differt λαλιὰ & λόγος hoc loco quæri solet. Mihi pro eisdem accipi videntur. Exprobrat enim illis stuporem & cœcitatem, qua non agnoscunt verum esse sermonem Christi, nec approbant. ita vt non plus ex eo vtilitatis capiant, quã si barbara & ignota illis lingua vteretur. Ad hoc respondet: causam esse quia non possunt audire sermonem. Hoc est tanto odio, inuidiaq; furere, vt ne quidem ad aures admittere velint. Quos enim inflammati ira homines videre non possunt, eorum nec sermones audire sustinent. Non igitur in Deum culpam non auditi sermonis transscribit, quasi ille potestatem audiendi negasset, sed præfracto odio causam assignat. Quocirca vera est Theophylacti expositio. εἶπεν οὐκ οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον μου ἀντὶ τοῦ οὐ βούλεσθε. *Dixit, non potestis audire, pro non vultis.* Impediebat enim odium voluntarium. φόνος καὶ φθόνος ἰδιαίτατα τοῦ Διαβόλου; *mendacium & inuidia propriissima Diabolo.*

Cœcitas Iudæorum.

VERSVS 44.

Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius.

QVÆSTIO I.

Quomodo ex patre diabolo Iudæi?

Diaboli filij moribus.

§.1. GRauissima exprobratio, cum semen Abrahæ illi, & Deum Patrem iactarent, Christus diabolum eorum patrem esse asseuerat, & eos desideria patris sui perficere; non consistit in cognatione substantiæ, sed studiorum, οὐκ ἐν τῇ κατ᾽ οὐσιώσει, ἀλλ᾽ ἐν τῇ κατὰ προαίρεσιν συζυγίσει. *In eâ coniunctione, quæ sit secundum consanguinitatem, sed quæ secundum electionem.* Nec de cæteris modo vitiis similitudinem interpretor. Sed præcipuè de magno, quo in Christum ferebantur, odio. Nisi enim Deo velut hosti infensi essent, non tam furenter in Christum inuehe rentur. Dæmonis autem impulsu Christum oppugnant: vt Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum.

Manichæorum error.

§. 2. Manichæi locum Geneseos 1.26. vbi homo dicitur ad similitudinem Dei factus, contrarium huic loco dixerunt. Augustinus contra Adimantum Manichæum.c.5. *De eo quod scriptum est in Genesi*, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Hunc locum Manichæi, quod scriptum est in Genesi hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei, propterea dicunt nouo Testamento esse contrarium, quia Dominus in Euangelio dicit Iudæis*, vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri facere vultis: *ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas in eo non est.*

Eodem modo Epiphanius contra Caianos. *Nullum autem iuxta mentem bonum aut malum dicunt, sed iuxta naturam. Et primum quidem videamus de Cain, quomodo vetus Testamentum dicit: Maledictus tu à terra quæ aperuit os suum vt susciperet sanguinem fratris tui ex manu tua. Et rursus: Maledictus tu in operibus tuis, & eris gemens ac tremens in terra. Consona autem veteri Testamento Dominus in Euangelio de hoc dicit, quando Iudæi dicebant, nos patrem habemus Deum: Dominus vero ad ipsos dixit, vos filij estis patris vestri diaboli, quia mendax est. nam & pater ipsius mendax erat: ille homicida erat & in veritate non mansit. Quum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia pater ipsius mendax erat. Vnde etiam aliæ hæreses vbi audiuerunt verbum hoc, patrem quidem Iudæorum diabolum esse dicunt.*

Et contra Archonticos. *Dicunt autem hi, velut etiam supra à me indicatum est, diabolum esse filium septimæ potestatis, hoc est ipsius Sabaoth. Esse autem Sabaoth Deum Iudæorũ. Diabolum verò malum eius filium, qui cum sit in terra, aduersetur proprio patri. Et ipsius patrem neq; talem esse, nequeunt sus esse incomprehensibilem Deum, quem patrem vocant, sed sinistræ esse potestatis. Porro rursus aliam fabulam hi narrant. Diabolus, inquiunt, progressus ad Euam, copulatus est ipsi velut vir mulieri, & genuit ex ipsa & Cain & Abel, quapropter restitit alter alteri, propter æmulationem quam mutuo exercebant, non eo quod placuit Abel Deo, velut veritas ipsa habet, sed alium errante, rationem afferunt: quoniam inquiunt, amabant ambo sororem suam propriam, ea de causa insurrexit Cain aduersus Abel & occidit ipsum. Ex natura enim dicunt ipsos ex semine diaboli, velut dixi, natos esse.*

Hæresin illam tæterrimam hodiè nonnulli retinent, qui ex Lutheri schola prodierunt & libris scriptis defenderunt, Flaciani, & Cyriacus Spangebergicus, Christoph. Irenæus, Matthias Schneider. Hieronym. Opitius. Tobias minister Ratisbonensis, eorum consortes Manichæi, qui peccatum originale essentiam hominis dixerunt, ideoque eius creationem bono principio tribuere non potuerunt.

Verum constat ista de imitatione Satanæ, de obedientia illi præstita, impietatis successione, non mutatione naturarum fieri. Ambros. l.4. in Lucam de successione malitiæ interpretatur.

Eodem modo Augustinus l.2. c.13. contra Petilianum. Hebræi autem vel de impios vocabant filios Belial. Christus Iudam Ioan.6.70. Iudam vocat diabolum. Sic 1.Reg.25.17.& 3.29.21.10.& 11.13. Filii Belial vocantur filii Diaboli. Cæsarius Arelatens. hom. 18. prolixè exponit.

Vide & Macarium hom.46. Commune autem est natutis rerum vt stirpem suam referat soboles. ἕκαστον γὰρ γέννημα τοῖς ἰδίοις ἔοικε γονεῦσιν. *Omne enim genitum simile est gignentibus.* ἡ γὰρ ἀνάπαυσις αὐτοῦ ἐκεῖ ἐστὶν, ὅθεν καὶ ἐγένετο. *Requies enim eius ibi est, vnde & ortum est.*

QVÆSTIO II.

Quomodo diabolus homicida ab initio?

Diabolus homicida.

§. 1. AB initio homicida fuit, nam tentando, atq; vincendo, tentatos occidit: omnes n. corpore, multi etiam animâ mortui sunt, nempe morte secunda. Sap.2. *Deus creauit* hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. inuidiâ autem mors introiuit in orbem terrarum.

Homicida ab initio aliter non fuit, vt ait Leo, nisi, quia primos homines veneno suæ mortificauit inuidiæ. Vide Theodoretum, Eucherium, Bedam Chrysostomum, Augustinum in Gen.

Bellarminus l.3. cap.2. de amissione gratiæ & statu peccati. S. Prosperi & Augustini & Prosperi sententiam citat, quæ videntur affirmare, tentationem diaboli, in primis antegressam occultam superbiam; sed ipse eos excusat, & interpretatur, non de superbia omnem tentationem antecedente, sed quæ in ipsa tentatione sit nata. Sic enim loquitur *S. Prosper.* l.2. de vita contemplatiua cap. 19. *Et mihi quidem videtur quod non ederent de ligno prohibito, nisi concupiscent; & non concupiscent nisi tentati: nec tentarentur nisi deserti; nec desererentur à Deo nisi prius ipsi deserent: nec deserent*

vent Deum nisi superbirent, & similitudinem Dei miserabiliter appetissent: ad quam peruenturi essent sine corporis morte, si sub Deo suo viuentes, præceptum quod acceperant custodissent: vt qui posse non mori acceperant in natura, non posse mori consequerentur in gloria: & ibi accepturi essent præmium non posse peccare si hic eorum meritum fuisset, peccare noluisse. Non igitur à creatore suo in creaturam diuinitatis affectatione collapsos moueret aperta concupiscentia, nisi eos ante corrupisset occulta superbia: nec eis ante serpentem diabolus propinaret tam ferale consilium, nisi prius eorum deprehenderet appetitum. Si, inquit, gustaueritis de ligno scientiæ boni & mali, aperientur oculi vestri & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.

Quocirca mendace calumniandi libidine accusat Bellarminum Pareus, quasi patres illas vellicet. Non est enim vellicare, verba eorum alioqui dubia, adducere, & ostendere ex eisdem patribus, mentem loquentium esse bonam; ideoque in verbis bonum sensum esse. De Augustino, in defensione Bellarmini suo loco dixi.

§. 2. Suum Deum ab homicidio diaboli non magis Caluinistæ quam ipsum Satanam defendere possunt. Nam homicidium illud Deum decreuisse Pareus ait, aliorum vero maior est sæuities. nam Deum sua omnipotentia homicidij causam esse contendunt. Idolum enim Caluinistarum, vt ipsi docent, gloriæ suæ scelera, & pœnas miserorum impendit.

QVÆSTIO III.

Quomodo in veritate non steterit?

§. 1. CHrysostomus de ipsius etiam diaboli lapsu, non de fraude tantum qua hominem circũuenit accipi posse docet. Nam ἐν τῇ ἀληθείᾳ, interpretatus est. ἐν τῷ ὀρθῷ βίῳ. *In vitâ rectâ.* ita Iudæ 6. *dicitur non seruasse principatum suum*; nam & Satan in iustitiâ atque integritate creatus est. Recentiores veritatem vertunt fidelitatem, idque indicari voce Hebræa אמת arbitrantur. Defuit ille quidẽ Deo fidelis esse, sed hoc loco plus aliquid significatur; nempe tota Angelorum in dæmones commutatio, defectio & Apostasia, mendacium quo Euam decepit. Iren. l. 5. cap. 22. & 23. de dæmone mentiente interpretatur. Mendacium itaque loquitur ex propriis, non enim auctor mendaciorum Deus est. Sed ipse diabolus est pater mendacii. Non significat patrem diaboli mendacem esse, vt Zvinglius interpretatur. Ein Lügner vnd all sein Geschlecht. Id quod etiam Nonnus putauit.

ψεύστης αὐτὸς, ἔφη, ψεύδημον ὃν γεγέτῃν.
Mendax ipse, mendace ex genitore.

VERSVS 45. 46. & 47.

Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

QVÆSTIO I.

Cur non credant Christo Iudæi?

§. 1. INgenio esse deprauatissimo demonstrat, adeo ad mentiendum prompto, alieno à veritate vt idcirco non credant, quia verâ Christus dicit. Nam veritas noua, inassuetaque ad aures infidelium accidit, easque percellit. tale ingenium 3. Reg. 22. 8. in rege impio cernitur. Nonnus habet:

ὑμῖν αὐτὸς ἔλεξα, καὶ οὐ πιστεύεσθε μυθῳ.
Vobis ipse dixi, & non creditis mihi. Id vero minus in illis excusari potest, quod personam exosi sint, in qua nullum delictum deprehenderunt: quem accusare non possunt.

§. 2. Bucerus hæreses suas eodem modo nobis approbare conatur. Notandum esse ait, suam, & suorum doctrinam cum reprehendi & culpari non possit, non tamen fidem reperire. Grauiterque vt & Bullingerus accusat eos qui suis non credunt.

Respondeo ridiculam esse ratiocinationem. Veritatem prædicanti credendum est, at nos clare, diserteque negamus vera esse, quæ Bucerus prædicauit. Simpliciter dicimus non esse veram doctrinam aduersariorum, & per singula dogmata probamus: nec Bucerus ipse id negare potuit, vt qui toties eam mutarit, nouus inter Lutheranos & Zvinglianos cothurnus. Doctrinæ aduersariorum omnia obstant. Neque enim vera est, & nouitate, schismate, varietate sibi fidem derogat. Falsitas eius multis veterum, multis recentiorum concionibus & scriptis ostensa est. Nec ab aduersariis probata est. Affirmanti autem incumbit probatio.

VERSVS 48. & 49.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus, Ego dæmonium non habeo: sed honorifico patrem meum, & vos inhonoratis me.

QVÆSTIO I.

Quid sit ex Deo esse?

§. 1. DVplex interpretatio. 1. Electum esse; regeneratum esse. Posterior est vera. Nam qui regeneratus est, audit, qui reprobus est, etiam sæpe audit, licet non perseueret: & qui electus est, antequam gratiam adoptionis acceperit, non audit. Qui igitur electus est, & iustificatus audit, & si aliquando à iustitiâ recedat, non tamen morietur, quin ante audiat, & conuertatur. Horribile porro signum reprobationis est, contemptus verbi Dei: sicuti è contrario electionis, amor diuinorum eloquiorum. *Regenerati audiunt.*

Damnationis tesseram Iudæi producunt, cum dicunt *Nonne bene dicimus quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* Samaritanum ob legis neglectum appellant, reprehensionem conuitio pensantes. Dæmonium habere calumniantur, quod cogitationes eorum norit. Quod gloriam Dei in se transferre videretur. Verè Chrysostomus ὑψηλὸν τὸ μανίαν δοκεῖν παρὰ τοῖς λίαν ἀνοήτοις. *Quod sublime est, apud valde insensatos furor videtur.*

§. 2. Mansuete calumniatoribus respondet. *Ego dæmonium non habeo*; Sed vt Augustinus, *vitam dono.* Non enim meam gloriam quæro, sed Dei, suam gloriam diabolus quærit.

* * *

VERSVS

VERSVS 51. & seq.

Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi, nunc cognouimus quia dæmonium habes, Abraham mortuus est, &c.

QVÆSTIO I.

An qui sermonem Christi seruat, mortem non sit visurus?

§. 1. SErmonem Christi seruare, non est duntaxat fide apprehendere vitam æternam, ac secum statuere se ex electorum esse numero. Sed Christo credere, & leges eius obseruare. Illi enim salus promittitur, qui audit verba, & facit. non solius fidei illud est pretium, sed fidei operatricis, fidei & caritatis. Sermonis Christi obseruantia mortis aculeus retunditur, non sola fide. Caluinus ad fidem omnia refert, & Musculus. Christus se Patris sermonem seruare profitetur; non fide, sed obedientia. Neque enim in Christo fides erat. Christi autem sermo non credendo, sed etiam diligendo seruatur. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & qui non diligit me, sermones meos non seruat. & qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Non est igitur hoc solius fidei elogium, sed obedientiæ, qua omnibus Dei mandatis obsequimur. Diuino plane Spiritu, hic loquitur Chrysostomus. ἐνταῦθα οὐ πίστιν μόνην φησὶν, ἀλλὰ καὶ τὸν βίον τὸν καθαρόν. *Hic non de sola fide loquitur, sed etiam vitâ purâ.* Iudæi quoque cum de Abrahamo, & Prophetis obiiciunt, eos Deo obediuisse, sermonem seruasse contendunt, & tamen esse mortuos, Syrus habet: רמין גבריא & de Prophetis.

Seruare sermonem credere, facere.

VERSVS 53.

Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis?

QVÆSTIO I.

Quomodo Iudæi Christum refutare conantur?

§. 1. COnsectarium videbatur, vt quærerent; an ipse Deo maior esset? Nam qui sermonem Dei seruarunt, mortui sunt, non igitur à morte liberare posset sermo Christi, nisi ille melior & efficacior sit, quam verbum Dei. Verum satis ad inuidiam in eum concitandam putabant esse, si Abrahamo se præferre videretur.

Caluinus occasionem calumniandi sibi præbitam „ cum Iudæis existimauit. [Alterum vitium, quod „ splendore Abrahæ, & sanctorum, Christi gloriæ te„ nebras effundere conantur, &c. Verum hæc prauitas omnibus sæculis grassata est, & hodie adhuc grassatur, vt impii lacerando Dei opera, ipsum sibi quasi „ contrarium faciant. Illustrauit Deus nomen suum „ per Apostolos, & martyres; Papistæ sibi idola ex A„ postolis, & martyribus confingunt, quæ Dei locum „ occupent. An non hoc modo sibi ex Dei gratiis fa„ bricant machinas ad diruendam eius virtutem? „ Quantulum enim restat Deo, & Christo, si habeant sancti, quod illis prodige largiuntur Papistæ?] “ Addit, nos sanctis in sublime euectis, Christum in ordinem cogere. Dupliciter vero peccare, quod in doctrina, sanctos præferamus Christo. Deinde quod illos vestientes Christi spoliis, eum prope sua virtute exinaniamus.

Vera falsis miscet. Verum est Christum esse solem: sanctos vero stellas. Verum etiam Deum nomen suum per sanctos illustrasse, & totum ordinem euerti, nisi sancti subiiciantur Christo.

At vero calumnia est, cum dicit: Nos idola nobis ex sanctis fabricare. Parum Deo relinqui, sanctos extolli, Christum in ordinem redigi. Sanctorum doctrinam Christi præferri doctrinæ. Idola non facimus; nullum enim Sanctum Deum esse dicimus, omnes pro Dei famulis habemus: quicquid illis tribuimus Deo auctori in solidum ascribimus. Christo integram virtutem relinquimus, sine qua negamus, quicquam posse sanctos. Nec regis gloriam obfuscat, si aulici eius in honore sint, nec diuinæ maiestatis minor est existimatio, si honorati sint amici illius. Omnis vero honor illis impensus, ad Domini gloriam spectat; propter quem sancti in precio sunt. Verùm hausit ista Caluinus ex sordidis ac tætris Manichæorum, Vigilantii, Iuliani, Pseudoapostolicorum, Waldensium lacunis. Hinc alibi eorum doctrinam in dubium vocat. Imo ipsum Abrahamum in Gen. 16. grauiter incusat. Claudicasse ac titubasse in fide, declinasse à verbo Dei. vxorem Saram prostituisse. Quin etiam Abrahamum adulterii accusat, quòd Agarem viua Sara duxerit. Nos de honore sanctorum doctrinam ex sacris literis, & priscis patribus acceptam tuemur. *Caluinus vnde calumnias habeat.*

Clemens l. 5. constitut. Apost. cap. 7. *De martyribus vero præcipimus vobis, vt in omni honore sint apud vos, vt apud nos fuerunt Iacobus Episcopus, & condiaconus noster Stephanus, hos enim & Deus beatos fecit, & viri sancti honorarunt, & fuerunt puri omnis delicti, & neque ad peccatum flecti, neque à virtute detorqueri potuerunt, quorum non sunt dubia laudes, de quibus Dauid aiebat, pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius; & Salomon, memoria, inquit, Iustorum cum laudibus: de quibus Propheta: Viri, inquit, iusti tolluntur.*

Tu consule notas Turriani huc in locum. Et adde ab hoc tempore Ecclesiarum omnium consensum, quem Caluinus, cum non possit conuellere, turbare nititur.

VERSVS 54.

Respondit Iesus, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est.

QVAESTIO I.

An Christus se ipse non potuerit glorificare?

§. 1. *SI ego meipsum glorifico, gloria mea nihil est.* Quod ex opinione Iudæorum & concessione dicitur. Nam Dei gloria etiam cum se ipse glorificat, solida est. Tam enim filius Deus est, quam pater. Imo eadem patris deitas est filio communicata. Beza hoc loco Caluinum contra Sorbonicos Doctores tueri conatur. [Itaque digni sunt, qui à Christianis omnibus conspuantur illi maledici duo sophistæ Sor- “ *Christus se glorificare non potuit.*

stæ Sorbonici, quorum nominibus paginas istas notare, aut fidelem illum in domo Dei seruum Ioannem Caluinum Sabellianismi accusare, & nouum authotheanorum nomen comminisci, quasi personarum reales proprietates neget, qui citra vllam essentiæ disceptionem, vna & eadem deitate, quamuis non vno ἐπαλλάξεως τρόπῳ tres personas vnum Deum esse, aduersus hos ipsos Sabellianos, & renatos Arianos, ac Tritheitas, soli nostris temporibus tutati sunt. Bonis illis magistris nostris, non quidem stertentibus, sed comparando sibi ex piorum insectatione Episcopatui, quamuis non pari inter ipsos successu inuigilantibus.]

Respondeo: De iniuria omnibus in Gallia constare, qua viros optimos Beza afficit; & felices illi, qui à Bezanis libris absunt, in quibus primas olim disertè tenuerunt Candida & Andebertus; in aliis occultè, dum contendit, suorum sibi flagitiorum nihil imputari. Sed an Caluino iniuriam faciant, qui eum Sabellianismi accusant videamus. Noetius sanctissimæ Trinitatis personas confudit, Hermogenis, & Praxeæ hæreses ab orco reducere elaborans, Sabellius tres personas rem vnam, tria nomina dicebat. vt Niceph. l. 6. cap. 26. Caluinum sane multi huius erroris accersunt.

L. 1. instit. cap. 13. §. Personam residentiam in essentia appellat: in editione Gallica, vt Gualterius noster docet. sæculo 3. cap. 13. de Noetianis. Et sæculo 1600. In errore 27. vbi ostendit eum negare, *filij essentiam à patre datam.* Negat, *patrem esse principium, essentiando*, ait verbum, *semper fuisse Deum, proinde non esse illi à patre datum vt esset.* At si secunda persona non habet essentiam à prima, non potest etiam habere distinctionem. In opusculis, *nec totam nec partem accepisse contendit.* Plura videri possunt, apud nostrum Gualterium loco citato certe l. 1. instit. c. 13. §. 5. Nomina Trinitatis, personæ, consubstantialis sepulta cuperet. In Deo autem discretas proprietates agnoscit. Bullingerus tres personas non potestate, sed specie differre. l. de auctoritate Ecclesiæ.

Beza ipse quantum abest à Sabellio, tam prope est Tritheitis. in magna confess. Gallicana art. 2. puncto 1. *Verbum Dei clare nos docet, quod ista essentia diuina est distincta realiter, & secundum veritatem, & ab æterno in tres personas.* Eruditissime de hac re Ludouicus Richeomus. l. 3. de idololatria Hugonottica cap. 3. *Fides autem Catholica credit & profitetur vnum Deum, & vnã tãtum essentiam numero, & tres personas, quarum vnaquæque totam illam habet essentiam. Quod ineffabile mysterium Caluinus hac impia doctrina peruertit; ac propterea negat Sacrosanctam Trinitatem inuocari debere: Siquidem ad Polonos scribens de consueta in Ecclesia orandi formula: Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis. Hac, inquit, communiter recepta oratio, nobis non placet, olet enim omnino barbariem. Fatetur eam orandi formulam communiter, hoc est, à tota Dei Ecclesia receptam esse, sed quod non sui sit stomachi, illam fastidit, & improbat. Quid ita? Quoniam ab hoc mysterio abhorret, summeque cupit tum huius, tum horum nominum, Essentiæ, Personæ, Hypostasis, & aliorum similium, quibus ad hoc declarandum arcanum, Hæreticos refellendos, eorumque captiones detegendas, atque depellendas antiqui patres feliciter vsi sunt, memoriam sempiterna obliuione delere. Idem cum suo discipulo Beza, ac cæteris amulis arctissime tenet, nihil aliud esse personas in Trinitate, quam residentias in diuina essentia; cuiusmodi sunt tres nodi, triaue in fusto ligneo foramina: & earum primam nominari Patrem: Secundam Filium: Tertiam Spiritum Sanctum, habita vt dictum est ratione ordinis; quod est alterum Sabelliana hæresis extremum, confundentis omnino personas, cum doceret diuinam essentiam ob quasdam proprietates diuersis hisce nominibus appellari. Ex quibus impijs effatis, doctrinaque sacrilega, efficitur Filium Dei, quatenus persona est, esse tantum proprietatem in Essentia diuina, ac proinde non Deum in assumpta humanitate, sed vnam proprietatem pro nobis crucis supplicium pertulisse.*

Sed de Sabellianismo Caluinistarum alibi actum est à me. Interim v. 55. fidenter Christus respondet, nosse se patrem vtpote filium, eos non nosse, vti alienos, ideo & mendaces esse.

VERSVS 56.

Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: & vidit, & gauisus est.

QVÆSTIO I.

Quomodo Abraham vidit diem Christi?

§. 1. AVgustinus de Trinit. *per fidem vidisse.* Chrysostomus, vidisse diem crucis. Alii vidisse in Isaaci immolatione. alii vidisse cum natus est Christus, factâ illi per Angelos reuelatione. Mihi omnibus illis modis vidisse verisimile est. Nam mediatorem credidit, reuelationem accepit à Deo. Vide Iren. l. 4. c. 12. *Multis modis Abraham Christum vidit.*

Augustinum contra Maximinum l. 3. c. 26. & l. 2. c. 27. de pecc. orig.

§ 2. Pareus l. 1. de iustificatione c. 16. probare conatur à iustificatione excludi omnia opera Abrahami, etiam opera fidei, seu ex fide & caritate procedentia. *Neque*, inquit, *restringi potest ad opera solis nostris viribus, vel ex solâ cognitione legis Mosaica facta, nam etiam Abrahæ opera excluduntur cap. 4. 1. quæ certe non ex solis viribus naturæ, nec ex sola cognitione legis Mosaicæ, quam Abraham ne vidit quidem, sed ex fide & cognitione Euangelij facta fuerunt. Abraham enim gestiuit videre diem Christi. & vidit eum, & gauisus est.*

Respondeo. Abrahamum fidem & cognitionem habuisse, operibusque ex ea procedentibus meritum, & iustitiæ augmentum: non tamen opera viribus naturæ facta ad iustitiam quicquam contulisse; Nam iusti opera quædam faciunt, non ex gratiæ principio, sed naturali quadam probitate, quæ non iustificant. Non excludi autem opera fidei, & gratiæ in cap. 3. & 4. ad Romanos multis probaui.

VERSVS 57. & 58.

Dixerunt ergo Iudæi ad eum. Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus, Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

QVÆSTIO I.

Quomodo ante Abrahamum Christus?

§. 1. QVidam codices habent Iudæos dixisse; *quadraginta annos nondum habes.* quin Iren. l. 2. cap. 39. Quinquaginta annorum fuisse existimat. Verum constat dominum egisse annum 34. cum moreretur, Iudæi autem consulto maiorem ponunt numerum, ne erroris argui possent. Nam de quadragenario dubitari poterat. Plus enim quasi fiduciâ causæ

concedunt, ne nimis exactè agere videantur, & præcisè.

Diuinitas Christi.

§. 2. Christus cœlestem sibi virtutem vindicat, & æternitatem. Nam antequam Abraham creatur, esse se asseuerat. Egregie Chrysostomus. *Animaduerte quomodo se maiorem Abraham confirmauit. Si enim gauisus est videre diem eius, idque operæ pretium duxit, propter beneficium inde prouenientis gauisum constat, & quod longe maior esset. Nam cum Iudæi fabri filium eum appellarent, neque amplius quicquam de eo imaginarentur, paulatim eos ad maiorem sui cognitionem erigit. Cum ergo audierunt se Deum nescire, non ægrè tulerunt: cum autem, priusquam Abraham fieret, ego sum perinde ac si nobilitas eorum degeneraret, exasperantur & lapides iaciunt in Iesum.*

Et Augustinus Christi diuinitatem hinc contra Arianos probat. l. de Trinit. Et nos vtemur contra Caluinum, qui filium negat propriè creatorem cœli & terræ opus. 1924. & in hæresin. cap. 14. Christus ita erat rex post Deum, vt in sacerdotem etiam vngendus sit. & in Matth. 22. Sessio ad dextram Metaphorice accipitur, pro secundo, vel proximo gradu, quem Dei Vicarius occupat. Scripturas etiam quæ de Christi humiliatione agunt, de vtraque natura, & carnis subiectione accipit. l. 2. c. 14.

Caluini error.

Contra eam impietatem verba Domini tenemus. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Non ait se ante Abrahamum creatum, aut conditum, sed esse. Alluditque ad id quod Mosi Deus dixit. Exod. 3. Ego sum, qui sum. Non erat autem secundum humanitatem, necesse est ergo Deum fuisse. Contra hæc insurgunt Zvinglianorum soboles. Blandrata, Lælius Zozimus, Bernard. Ochinus. Castellio, Balduinus, Gribaldus, Syluanus, non mitius quam Iudæi qui lapides sustulerunt, vt iacerent in eum, seu vt est in Syro ורגם vt obruerent eum. In quibusdam exemplaribus. v. 59. additum est. Transiuitque per medium eorum, & abiit. Sed aliunde additum videtur, forte ex Luc. 4. 30. Nec enim Chrysostomus, nec Augustinus, nec noster interpres legit. Nec vero etiam cautiores sectariorum legendum censent vt Beza. Maluntque hoc loco Græcum textum ex Latino, quam hunc ex illo emendare.

* * *

CAPVT IX.

ET præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate: 2. Et interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? 3. Respondit IESVS: Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. 4. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari. 5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. 6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, 7. Et dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lauit, & venit videns. 8. Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. 9. Alij autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum. 10. Dicebant ergo ei: Quomodo apertisunt tibi oculi? 11. Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit: & vnxit oculos meos, & dixit mihi. Vade ad natatoria Siloe, & laua. Et abij, laui, & video. 17. Et dixerunt ei: vbi est ille? Ait: Nescio. 13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. 14. Erat autem sabbathum quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. 15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video. 16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. 17. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo: qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit? Quia Propheta est. 18. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat: 19. Et interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? 20. Responderunt ei parentes eius, & dixerunt: Scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est, 21. Quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur. 22. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fierent. 23. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate. 24. Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo peccator est. 25. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cæcus cum essem, modo video. 26. Dixerunt ergo illi; Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? 27. Respondit eis; Dixi vobis iam, & audistis; quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli eius fieri? 28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt. Tu discipulus illius sis; nos autem Moysi discipuli sumus. 29. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus vnde sit. 30. Respondit ille homo, & dixit eis; In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos; 31. Scimus autem, quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est; & voluntatem eius facit, hunc exaudit. 32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. 33. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. 34. Responderunt, & dixerunt ei; In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. 35. Audiuit IESVS, quia eiecerunt eum foras; & cum inuenisset eum, dixit ei; Tu credis in Filium DEI? 36. Respondit illi, & dixit: Quis est, Domine, vt credam in eum? 37. Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. 38. At ille ait: Credo domine. Et procidens adorauit eum. 39. Et dixit Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. 40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus? 41. Dixit eis IESVS: Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

IN CA-

IN CAPVT NONVM

ARGVMENTVM.

CVM Christus è templo egressus, Iudæorum lapidare volentium furori sese subdúxisset; cœcum non casu, sed prouidentiâ diuinâ inuenit, & sanauit. Nota est in Ecclesiâ rei gestæ historia. Legitur in Syriacâ Ecclesiâ in Sabba, vel dominica seu hebdomade רשחא רצומא *deeschetha, ignis ieiunii.* vel vt alii. רשחא *deschatha.* Porro quæ sit illa hebdomas, quam vocent, Ignis ieiunii, non satis notum est: non dubito tamen ex aliquâ lectione occasionem sumptam: nempe de tribus pueris Deum in igne laudantibus, aut victoriâ Eliæ contra falsos prophetas.

VERSVS 1.

Et prætereiens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate:

QVÆSTIO I.

Cur cæcum sanauit Christus?

§. 1. QVædam exemplaria habent πρὸς ἐπηρώτησιν καθημένου. *Cæcum à natiuitate sedentem.* Quod est dubio procul à glossa. cum in Latino, Syro, Chrysostomo, Theophylacto, & emendatioribus exemplaribus non inueniatur. Curauit autem cœcum, vt potestatem diuinam, quam cum furore, lapidationem parantes negarant, ipse nouo miraculo asereret, Ingratos superbos, diuites præterit, pauperem, suæ misericordiæ participem, & gloriæ suæ præconem facit. Fecisse insigne miraculum Chrysostomus ait, & ex eo Theophylactus vt emolliret duritiem cordis eorum. τὸ σκληρὸν αὐτῶν μαλάσσων. *molliens duritiem eorum.* Itaq; vidit eum Iesus, (nomen tamen Iesus nonnulli codices omittunt) vidit misericors miserum, & à Deo ab æterno electum, vt per illum gloriam suam illustraret. Dicitur cœcus à natiuitate, vt miraculi veritas, nouitas, magnitudo eluceat. Syrus habet: רמין ברס אמה *demen ceres immech, ab vtero matris suæ.* Cœcus genus humanum indicat, vt Augustinus tract. 44. aliique tradunt.

VERSVS 2. & 3.

Et interrogauerunt eum discipuli eius, Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit Iesus, Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestetur opera Dei in illo.

QVÆSTIO I.

Quo sensu dicatur non peccasse?

§. 1. RVdis quæstio videtur, quod interrogant. an ille, an parentes peccarint, vt cœcus nasceretur? Peccare enim non potuit, antequam nasceretur. Variæ solutiones adferuntur: Nonnulli Apostolos adhuc rudes quæstionem absurdam proposuisse concedunt. Alii vt Caluinus, credidisse discipulos μεμεφύχωσιν, & παλιγγενεσίαν Pythagoricam, ideo animas ante peccasse, eo modo quo post Origenistæ docuerunt. Sed quamuis inter cæteros Iudæorum quorundam errores ille etiam fuerit, non est tamen credibile Christi discipulos, nec ab eo, nec à Ioanne rectius institutos: cum error ille peccatum originale non obscure tolleret.

Alii occasionem interrogandi ex accurata Christi in illum inspectione accepisse.' Alii vero cum scirent omnem morborum, aliarumque rerum aduersarum miseriam de manu Dei esse, & pœnam peccati, non dubitasse pœnam esse comitem alicuius delicti. Lex enim Deut. 28. Bona bonis, mala malis euentura pronunciat: vt res tota intelligatur: Sciendum est Iudæos in calamitosos & insigni aliquo corporis vitio afflictos, fuisse contumelioslos, non minus quam fuerunt amici Iob, qui misero in summis doloribus, tanquam homini improbissimo insultabant. Suis ex traditionibus eiusmodi opiniones hauriebant. Lib. Misnaioth, in quo benedictiones, precationes, laudationes variæ leguntur. Ita habet. cap. 9. *Qui viderit mancum, cæcum, lato capite, claudum, erisipelate affectum, albuginosum. Dicat: Benedictus sit iudex iustitiæ.* Quasi continuo pronunciarent miseros illos aliquo scelere pœnas illas attraxisse. At hic cum non peccarit antequam natus esset, non potuit facto aliquo à se perpetrato obnoxius esse pœnæ. Causam igitur quærunt, quomodo Deus sit iudex iustitiæ? Quis causam cœcitati dederit? Duplici autem ratione res intelligi potest. Primo, vt sensus sit negantium peccasse cœcum; itaque pœnæ causam oportuisse parentes esse. Temporarias enim pœnas ob parentum delicta filii interdum luunt. Sic Chanam Gen. 9. Amelicitæ 1. Reg. 25. Roboam 3. Reg. 12. Achabi liberi 4. Reg. 20. Vel certè quæfierunt; an cœcitas misero sit inflicta ob solum peccatum originale, an vero ob peccata parentum. Nam peccati originalis cognitionem habuerunt, sciueruntq; ob illud solum omnia incommoda morbos inferri posse.

Iudæi in miseros contumelioſi.

§. 2. Respondet Dominus, nec illum, nec parentes peccasse, vt cœcus nasceretur. Sed vt gloria Dei in illo manifestetur. Causæ Deo variæ sunt, cur calamitatibus interdum etiam immeritos premat. vel enim eos à peccando præseruare, vel patientiam fidemque notam mundo facere, vel suam per illos gloriam manifestare solet. Interim vt nec externæ opes, splendor, sanitas, dignitas signa sunt electionis, aut probitatis, ita neque miseriarum in aliquem congesta multitudo est diuinæ indignationis indicium, ita vt nec ipsi pusillo animo illas ferre, nec de vita aliorum iudicare ex tam incertis argumentis debeamus, suos enim Dominus in fornace tribulationis probare solet, & reprobos olim cruciandos nunc aliquando deliciis permittit affluere. Filios enim cum disciplina educat, vt paterni patrimonii sint hæredes frugi, mancipia contemnit, breui venditurus.

Calamitates non sunt signa irati Dei.

§. 3. Pelagiani ad suam hæresin locum præsentem producere solebant. Nam & cœcum sine peccato natum concludebant, & parentes eius non peccasse, homines iam grandæuos affirmabant. Sed iamolim Chrysostomus, Augustinus, aliique monuerunt, non affirmare dominum, aut cœcum aut parentes esse sine peccato vllo, verum tantummodo profiteri, propter eorum peccata cœcitate non esse punitos. In omnibus nascentibus inest peccatum originale, in adultis actualia, non tamen omnia cœcita-

Non dicit parentes esse sine peccato.

te puniuntur, quamuis & pœnam illam omnes meriri peccando potuerint, & nonnulli experiantur. In his tamen Deus aliud consilium habuit; nempe cœcum nasci voluit, vt gloriam Christi illustrarer, qui diuina potentia redderet adulto quod nascenti negatum fuerat: quo probaretur eundem esse creatorem, & reformatorem creaturæ. Consulendus etiam Augustinus l. 50. homiliarum. hom. 43. & sermone 104. de tempore.

Irenæus l. 5. c. 15. aduersus hæreses: Vnum veteris & noui Testamenti Deum esse ex hoc opere probat, eumque omnipotentem. *Hic solus Deus*, inquit, *ostenditur, qui hæc facit, & ipse bonus pater benignè vitam donans his, qui ex se non habebant vitam. Et propter hoc manifestissime Dominus ostendit se, & patrem quidem suis discipulis, ne scilicet quærerent alterum Deum, præter ipsum, qui plasmauerit hominem, & afflatum vitæ donauerit ei, neque in tantam insaniam procederent, vti super Demiurgum alterum affingerent patrem. Et reliquos quidem omnes quibuscunque propter transgressionem eorum eueniebant languores, curabat sermone, quibus & dicebat, Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid deterius tibi fiat, manifestans quoniam propter inobedientiæ peccatum subsecuti sunt languores hominibus. Ei autem qui cœcus fuerat à natiuitate, iam non per sermonem, sed per operationem præstitit visum, non vanè, neque prout euenit hoc faciens, sed vt ostenderet manum Dei, eam quæ ab initio plasmauit hominem. Et propterea interrogantibus eum discipulis, qua ex causa cœcus natus esset, vtrum sua, an parentum culpa, ait, nec hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestarentur opera Dei in ipso. Opera autem Domini plasmatio est hominis. Hanc enim operationem fecit, quemadmodum scriptura ait, & sumpsit Dominus limum de terra, & plasmauit hominem, quapropter Dominus exuit in terram, & fecit lutum, & superliniuit illud oculis, ostendens antiquam plasmationem quemadmodum facta est, & manum Dei ostendens his qui intelligere possunt, per quam è limo plasmatus est homo. Quod enim in veteri plasmate prætermisit artifex, verbum hoc manifestè adimpleuit, vt manifestarentur opera Dei in ipso, nec iam alteram requireremus manum per quam plasmatus est homo, neque alterâ partè: scientes quoniam quæ plasmauit nos initio, & plasmat in ventre manus Dei, hæc in nouissimis temporibus perditos exquisiuit nos, suam lucrifaciens & super humeros assumens ouem perditam, & cum gratulatione in cohortem restituens vitæ.*

Nec euentum solum, sed etiam causam interpretor; ab æterno enim ad hoc prædestinatus à Deo fuit, vt miraculo Christum esse probaret, & constantiâ fidei prædicaret. Nec iniuriam tamen Deus creaturæ suæ intulit, vt cui multa gratis donarit, cui nihil, ne vitam quidem debuerit, cui non modo cœcitatem visu reddito compensarit, sed in regnum cœlorum adsciuerit, & in Ecclesia sua toto orbe terrarum nobilem fecerit.

VERSVS 4.

Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.

QVÆSTIO I.

Quæ dies & nox vocentur?

§. 1. OPortet, inquit, *operari opera Dei, donec dies est,* Verba sunt accingentis sese ad opus, & Apostolos monentis, vt rem considerent.

Diem Chrysostomus & Theophylactus interpretantur, tempus huius vitæ; noctem autem vitæ futuræ. cum enim orto sole dies aperitur, homines ad opera & labores surgere consueuerunt, cum tenebræ ingruunt, quietem imperare natura rerum videtur. Simili modo hæc vita plena est negociis ac laboribus, quibus ad vitam æternam venitur, post hanc vitam nox est, qua parari non possunt, quæ interdiu neglecta sunt. Apud Siraciden similis est locus: *ante obitum operare iustitiam: quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Demensum enim seruis in hac vita laborantibus datur. Caietanus, & Carensis spacium & merendi opportunitatem interpretantur. Sic Eccles. 9. 10. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

Aliorum sententia est, de suis Christum loqui operibus, & officio. Sibi nempe incumbere vt operetur donec dies est vitæ mortalis, dies mundi; nam toto prædicationis tempore singulari luce mundus illustratus est, vt dies merito dici posset. Nam sol iustitiæ omnia illuminabat. Moriens discessit, non exstinctus est. Itaque lucem se mundi esse profitetur, quam diu est in mundo: ociosum ergo esse posse negat, sed vndique radios diuinæ scientiæ & salutis spargere. Mihi vtraque interpretatio coniungenda videtur. Nec enim de sola hominum vita sermo: sed enim simul comprehendit, cum ait, *quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Nec de suo duntaxat tempore loquitur; ad homines enim alios pertinet, quod subdit, *venire noctem qua nemo possit operari,* Hoc de suo discessu intelligere non potest; nam post Christi mortem & Apostoli operati sunt plurima miracula, & hominum conuersa multa millia. Tacita itaque videtur in his verbis esse comparatio. Nempe hominibus omnibus in more positum est, vt interdiu negocia sua transigant, lux enim diurna operum arbitra est, & dum viuunt, sibi comparare illa debent, quibus in æternum fruantur. Cum enim mortis nox ingruit, frustra quæritur quod in luce neglectum est. Mihi pari modo, qui sum lux mundi, quamdiu mortalem vitam dego operandum est. Venit enim nox mortis, nox mundi, quando lumen illud subtrahetur in cœlum, quando non amplius per me faciam miracula, non merebor amplius, quemadmodum nec homines morte obita mereri possunt. Operatur quidem Deus Pater, & Christus ad finem vsque mundi, nec vllum est momentum, quo non possint operari, sed non operatur eo modo, quo operatus est, quando cum hominibus conuersabatur, docendo concionando, lutum faciendo, oculos liniendo, patiendo, merendo.

Vita dicitur operum.

VERSVS 5. &c.

Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, &c.

QVÆSTIO I.

Quæ natatoria Siloe?

§. 1. EXspuit Dominus & lutum fecit, & oculis illeuit, nec tamen eo contentus, misit ad natatoriam, κολυμβήθραν, vt postquam lauisset, videret. Causa fuit, vt sic luto illitus per vrbem duceretur, & opera Dei in eo manifestarentur, siue vt Syrus: דנהחזון בה *deneethchezun bech, spectarentur in eo.* Potuit alio modo, sed ita voluit. Syrus etiam habet: *& illius cæci*, v. 6. Sicut & Græcus τῷ πτυϊ: de luto vero vetitur

vtitur verbo גבל *gebal.* quod est, *pinsuit*; nam sputo lutum subegit. Lutum illud oculorum sanitati contrarium erat, sed voluit ostendere omnes creaturas parere omnipotenti suæ voluntati, atque ad omnia posse adhiberi omnes, confirmaturque hoc loco obedientialis, quam vocant Theologi, potentia. Auctorem etiam vitæ se monstrauit, & figulum, qui ex puluere hominem formauit. Itaque lutum corpus, sputum animam nonnulli interpretantur, alii lutifigura humanitatem, sputi diuinitatem intelligunt. quæ symbola vt necessaria non sunt, ita suos habent auctores.

§. 2. Natatoria seu κολυμβήθρα stagnum est, seu piscina. Dicitur vero hoc loco in Syro שילוחא *schilucha* in Græco τῆ Σιλωὰμ, & interpretatur Euangelista, quod est ἀπεσταλμένῳ, quæ interpretatio non est in Syro, quod verbo ipso manifestum sit. Natatoria dicitur מעמודיתא *maghamuditha*, quod locum in quo lauantur, seu baptisterium significat.

Mentio piscinæ illius est apud Isaiam cap. 8. 6. *Quia abiecit populus iste aquas Siloe.* Hebraicè מי השלח vbi notandum est, Siloe esse in regimine, & aquas dici alicuius Siloâchi, nempe principis domus Dauid, additur: החלכים לאט *Haholechim leat? Euntes leniter, silenter.* Hoc est mite Messiæ imperium, ideo minatur, fore vt mittat aquas fluminis, aquas fortes & multas, quæ sint omnia mundaturæ. Mysterium igitur insigne fuit, quod ad aquas Siloe, seu missi Christus cœcum ablegauit. Significauit esse se illum de domo Dauid, cuius aqua esse diceretur, ab ea aqua iam olim defecisse patres eorum, ideo venisse super eos aquas fluminis Euphratis, quibus mersi sunt. 70. interpretes apud Isaiam etiam vertunt τὸ ὕδωρ τῆ σιλωάμ. *aquam Siloe.* Chaldæus vertit, *Regnum domus Dauid, qui regebat eos in quiete, sicut aquæ Siloe, quæ defluunt in quiete.* Hoc est contentus non fuit regni sui viribus, quas Deus dederat, & tutaturum promiserat, sed ad arma extera, strepitumque auxiliorum se conuertit: quod Deo non crederet. Nec obstat, quod Hieronymus sonitum & strepitum illis tribuat. [Siloam, *inquit*, fontem esse ad radicẽ montis Sion, qui non iugibus aquis, sed incertis horis, diebusque ebulliat, & per terrarum concaua, & antra saxi durissimi, cum magno sonitu veniat, dubitare nõ possumus, nos præsertim, qui in hac habitam⁹ prouinciâ.] Cum magno sonitu venit, sed postquam piscinam fecit, & effluit, leniter fluit ἡσυχῆ vel ἡσυχῇ vt est apud septuaginta. Idem ergo Silo hic est, qui Gen. 49. cum Patriarcha dicit. יבֹא שילה כי *ki iabo schiloch. Donec veniat Silo.* Conati sunt quidem Iudæi aliorsum interpretari. Saulem aiunt vnctum in Silo. verum illa est manifesta Prophetiæ deprauatio. nam post Saulem demum floruit tribus Iuda per Dauidicos reges. Multò minus Ieroboam fuit Silo, aut Nabuchodonosor, Silochum potius oppugnatum illi venerunt. Quin de Messia R. Onckelos disertè interpretatur. R. Kimhi de Messia interpretatur quidem, sed ridicule deriuat. In libro serassim ita habet. *Vocatur Messias princeps & dominator, Mos enim dominantis est, vt sit virga in manu eius, & quia virga disciplinæ in manu eius erit.* מחקק *etiam dicitur, quod scribam significat. Porro donec veniat, id est, filius eius, fœminini generis exponitur, & est Prophetia de Messia. Deriuaturque,* שילה *Silo, à vocabulo* שיליה, *qui est sacculus quidam, in quo manet infans in vtero matris. qui aliquando in scriptura pro Embrione in matrice sumitur.*

Hæc ille in concordantiis, quasi sit scriptum in fine per ה cum mappic, cum sit in scriptura ח chet non est enim שילה, sed שלח à שילה quod est, *misit.* Ita vero etiam septuaginta, aliique, miserunt. Iudæos tamen vtcunque inde conuincimus, docemusque eorum sententiâ Messiam de virgine fuisse nasciturum. Ideo enim monent, non dici שילה schilo per cholem, quod non sit, filius eius viri. Sed שילה quod sit filius illius, scilicet fœminæ. nam ה est affixum masculinum, ה fœmininum. R. Kimhi ita dictum fluuium putat, quod in hortos vicinos ad irrigationes deriuaretur, sed obstat, quod in Hebræo tam constanter, & in Græcis dicitur מי השלח aquæ missi, seu illius missi. Wasser deß Gesandten.

§. 3. Quamuis nec in luto, nec in aqua, vlla fuerit naturalis facultas, qua visus cœco redderetur, potuit tamen vtrique Deus eam potentiam conferre, vt eiusmodi produceret effectum. Caluinus hoc loco. [Neque in luto, neque in aqua Siloe quicquam ad sanandos oculos fuisse virtutis, certum est, sed Christus libere externis istis symbolis sua miracula non semel ornauit. Siue vt fideles assuefaceret ad signorum vsum, siue vt ostenderet suo arbitrio subesse omnia, siue vt testatum faceret, tantum esse potentiæ in singulis creaturis, quantum ipse dare velit.] "

Quæ si vera sunt, mirari non debent Caluiniani si eam sacramentis Christianæ religionis vim inesse dicimus, quam Deus dare voluit, vt nimirum sint instrumenta regenerationis ac sanctificationis. Quare falsum est, quod fingunt, sacramentum nihil aliud esse, quam signum, quam nudam testificationem. nec quicquam efficere, non esse instrumenta gratiæ. ita Bucerus in Ioan. Bullingerus in cap. 4. Roman. Daniel Tossan. contra Marbachium. Aretius, aliique. Zwinglius de fidei ratione ad Carolum. [Credo, imo scio omnia sacramenta tam abesse, vt gratiam conferant, vt ne adferant quidem aut dispensent.] Quin etiam Beza, Abrahamus Musculus, in Colloquio Mompelg. de Baptismo; omnem vim sacramentorum non modo tollunt, sed etiam idololatriam esse aiunt. pag. 433. [Aliquam latentem virtutem, aliam aquæ (licet sacramentali, attribuere, quam sacramentalis significationis, (nunquam quod ad Deum attinet) vanæ & inanis, existimamus manifestam esse idololatriam.] Hæc illi, vt tollant verum baptismum, & refellant Caluinum dicentem: Tantum potentiæ esse in creaturis quantam Deus velit. *regenerationis.* *Sacramenta sunt instrumenta regenerationis.*

At cur non posset Spiritus Sanctus in aqua, & per aquam animas mundare, vt ait scriptura, cum dicat esse lauacrum regenerationis? cur non potest aqua baptismi, quicquid Deus posse illam voluit? & posset tamen lutum, quod Deus posse voluit? Sat solius Dei est sanctificare animas; credo sane: vt & illuminare cœcos. Sed Deus non modo se solo potest agere, sed adhibere instrumenta etiam quando, & quæ, visum fuerit.

§. 8. Quædam exemplaria habent ὅτι τυφλὸς ἦν, *quod cœcus erat*, alii codices πτωχὸς *mendicus.* ita etiam apud Lucam Brugensem, aliosque. Erasmus putat fuisse scriptum πλωχὸς. Syrus etiam mendicum dicit.

Versus 9. In quibusdam est οὐχὶ in aliis deest. Syrus addit. Sicut habet cum Latino ἐκεῖνος δὲ, cum magna pars Græcorum habeant duntaxat ἐκεῖνος.

VERSVS 15.

Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis, Lutum mihi posuit super oculos, & laui: & video.

QVÆSTIO I.

An Catholici faciant idem quod hic Pharisæi?

§. 1. CAluinus hic in Catholicos per digressionem inuehitur. [Ita Papistæ, *inquit*, friuolas, putidasque calumnias, quibus centies responsum est, subinde tamen perfricta fronte ingerere non desinunt. Quid ergo nobis agendum, nempe cum locus datur, quantum in vobis est, refellenda est eorum improbitas, qui falsa inuidia Euangelium grauant, & infamant.] Hæc illi. Sed discutiendum, hoc est, quod Euangelium infamari à nobis fingit. Nos Caluini causam ab Euangelio distinguimus. Hæresis illius farrago est, ex commentis adulterinis conflata, ex omnibus hæreseon venenis mistum veneficium.

Respondeo ergo. Nos friuolis eorum putidisque commentis iam millies respondimus, nec modo nos, verum etiam maiores nostri, eorum proauis. At sanctorum patrum, & martyrum responsiones & confessiones friuola commenta vocare hominum est aut atheorum aut hæreticorum. V g. Negant pro defunctis orandum esse: hoc vt probent comminiscuntur, post hanc vitam nihil nisi regnum, aut rogum superesse, nullum purgatorium. Nos respondemus, quosdam nondum omni labe vacuos pœnis quibusdam regno parari. Non est hoc nostrum commentum. Tota vetus Ecclesia stat à nobis: Friuolum est, quicquid contra tam magnam, tam veterem, firmatamque auctoritatem obiiciunt. Non est nostrum commentum. Dionysius areopagita iam sui temporis morem tradit. εἶτα προστελθὼν (p.2. cui titulus: μυστήριον ὑπὲρ τῶν ἱερῶς κεκοιμημένων (Mysterium super his q pie dormierunt.) p.217. εἶτα προστελθὼν ὁ θεῖος ἱεράρχης ὄγχῳ ἀρωμάτῳ ἐπ' αὐτῷ ποιεῖται, καὶ μετὰ τῆς ὄγχης, αὐτὸς τε ὁ ἱεράρχης ἅπαντες ἀσπάζεται τὸν κεκοιμημένον, καὶ μετ' αὐτὸν ὁ πάρεδρος ἅπαντες. ἀπασαμένων δὲ πάντων, ὑπερχέεται τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης, καὶ τῆς ὑπὲρ πάντων εὐχῆς ἱερὸν ποιησάμενος, ἀποτιθησιν ἐν, οἰκείῳ τόπῳ τὸ σῶμα, μετ' ἑτέρων ὁμοταγῶν ἱερῶν σωμάτων. *Tum accedens diuinus Antistes ei sanctissimas preces adhibet, quibus rite perfectis & ipse eum, qui à vita migrauit, salutat, & secundum eum omnes vna qui adsunt. Cum eum omnes consalutarũt, tũ Antistes oleo mortuum perfundit, sanctaque precatione pro omnibus adhibita in loco honorato corpus, cum aliis eiusdem ordinis sanctis corporibus reponit, & condit.*

Pro purgatorio argumentum.

Quid orent mox addit. pa. 222. edit. Paris. an. 1562. ἡμῶν δὲν ὄγχῃ, τῆς θεαρχικῆς ἀγαθότητος δοῦναι πᾶσι μὲν ἀφεῖναί τε δι' ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν ἡμέρωμα τῷ κεκοιμημένῳ, καταπαύσαι δ' αὐτὸν ἐν φωτὶ καὶ χώρᾳ ζώντων, εἰς κόλπους Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, ἐν τόπῳ οὗ ἀπέδρα ὀδύνη καὶ λύπη καὶ στεναγμός. *Precibus quidem à diuina bonitate contendit, vt & omnia peccata, quæ humana fragilitate imbecillitateque admissa sunt, ei qui excesit è vita remittat, & eum in lucem ac regionem viuorum, in sinus Abrahæ, Isaac, & Iacob deducat, in locum à quo fugit dolor, tristitia & metus, hæc, aliaque & alij patres.*

Pergit deinde dubitationes soluere perinde ac si contra nostros hæreticos causam ageret, idem secuti veteres dixerunt: Non igitur friuolæ sunt nostræ responsiones, se deorum, qui per patrum istorum latera nos confodere niuntur.

Porro quam illorum sint omnia friuola, quam calumniæ acerbæ. Eorum testimonio satis constat, postquam inter se diuisi occulta probra vulgarunt. Quæ enim nos illis obiecimus de redemptione Christi, de securitate in peccatis, de sanctorum apostasia, de absolutæ reprobationis commento, iam ipsi inter se disceptant, & maior ac senior pars ad nos accessit, alii spe commodorum & metu damnorum, in duro illo & rigido Caluinismo tenentur. Interim cum sincere Christo credimus, cum sacramenta tenemus integra, cum sanctos honoramus, stolidos, impios idololatras appellant. Vnico vero axiomate tuentur causam desperatam; verbo Dei se solo niti, cum vero ad rem ventum pro verbo suas glossas supponunt, & glossas impias, glossas friuolas.

Caluiniani iam se produnt.

§. 2. Porro vt planum fiat, quam putidas nugas Caluinistæ non modo sanctis, sed & scripturis opponant, exemplis aliquot declarabo, vt constet eos facere, quod nobis imponunt. Caluinus illud quod Gen. 3. dicitur: *Inimicitias ponam inter te, & semen tuum.* de hostili inter humanum genus & serpentes odio, non etiam de Christo interpretatur: causam reddit p. 32 *Nam eorum sententiam, qui de Christo exponũt, se suo suffragio libenter comprobaturum*, ait, *Nisi verbum semini nimis violenter ab illis torqueri videret. Quis enim*, inquit, *concedet, nomen collectiuum de vno tantum homine accipi?* Quæ putida ratiocinatio elidit Pauli interpretationem dicentis: *Non in seminibus, sed semine tuo.* Et de Christo interpretatur. Illa etiam verba. Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de tribu Iuda*, cum Rabbinis Iudæorum negat de Christo præcise accipienda. Idem Caluinus & Marloratus verba Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, &c*, de Isaia non de Christo solo intelligit, id quod Iudæis occasionem dedit, vt negarent de Christo dici: cum Lucæ 4. de seipso Christus assimet. Et quid opus est multis? defendant se Caluiniani contra Lutheranos, qui eos non minus falsarios, & deprauatores diuinarum scripturarum iudicant, quam Catholici, inter eos est Schlusselburgius par. 2. Titulo: *quod Caluinistæ verbum Dei & testimonia Patrum corrumpant.*

Caluinus Paulum oppugnat.

VERSVS 16. & seq.

Dicebant ergo ex Pharisæis quidam, Non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit. Alij autem dicebant. Quomodo potest homo, &c.

QVÆSTIO I.

An homo peccator possit signa facere?

§. 1. NOn posse peccatores signa facere definiunt illi, qui saniore iudicio rem æstimabant. Nã qui impium idcirco vocabant, quod Sabbatum non custodiret, mera malitia peccabant, nec enim ire ad piscinam, nec oculos abluere sabbato vetabantur, multo minus sanitatem efficere. Si modo possent, vt alias demonstratum est. Nam edere, manus lauare, os abstergere, tam erant opera, quam illa quæ fecit cœcus. Alii vero illius probabant integritatem, quod signa faceret. Et cœcus ipse v. 33. *Nisi hic esset à Deo, non posset quicquam.*

Nonnulli respondent: argumentum esse à coniectura probabili; raro enim improbis signorum potestatem concedi: ordinarie sanctis, nec omnibus tamen, sed qui maximos in amore Dei progressus habeant. Alii peccatorum nomine, magnos peccatores, ac plane impios accipiunt.

His tamen omnibus interdum signorum conceditur potestas. Deinde peccator hoc loco communiter accipitur, non pro illis tantum, qui sunt extremè impii.

§. 2. Hæretici infirmum argumentum esse aiunt. Caluinus: *quamuis non satis firmum videatur argumẽtum. Nam & pseudoprophetis Deus interdum signa permittit edere &*

Eximia ratiocinatur.

re. & scimus Satanam instar simiæ imitari Dei opera, vt incautos fallat. Addit non satis validam esse rationem eorum. Verum est hæc illorum ratio sufficiens: & eadem vtitur cœcus v. 33. Quem in locum Caluinus sic commentatur. *Colligit à Deo missum esse, qui tanta Spiritus potentia instructus est ad comparandam sibi ac doctrinæ suæ fidem.* Et paulo ante. *Sequitur malignos esse atque ingratos, qui conspicuum Dei opus vltro connituent.* Si igitur est conspicuum opus, si illi ingrati qui connituent, si luce clarius euincit, vt docet Musculus hoc eodem loco. Si tanta potentia Spiritus colligit sibi ac doctrinæ suæ fidem, non est inualida ratio quæ ducitur à miraculis; si enim tot miraculis Christo fidem non conciliant, tota fides nostra labascat, necesse est. Nec probandum est diuinæ sapientiæ consilium, quod in firma ratione Ecclesiam fundarit, non modo Christianam, sed Israeliticam quoque; miraculis enim Moses sibi fecit fidem: quod si infirma sunt signa vocationis, infirma est etiam fides vocationis & doctrinæ. Quocirca optime ille argumentatur: *In hoc n. mirabile est, &c.* Quę locũ recte Chrys. perpendit. p. 293. *In hoc n., inquit, est mirabile, quod vos nescitis vnde. Et talia signa facit, cum non homo insignis apud vos neque clarus, neque gloriosus hæc posit: vt sit vndique manifestum Deum esse, neque illo humano egere auxilio.* Scimus autem quod Deus peccatores non exaudit. *Cum enim ante dixissent:* Quomodo potest homo peccator hæc signa facere, *eorum innititur sententiæ & eadem verba commemorat.* Opinio mea *inquit*, & vestra consentit, in ea permanete.

Non est infirma ratione Ecclesia fundata.

Et p. 293. c. *Si ergo confitemini, Deum non exaudire peccatores, & hic signum fecit, quale nemo vnquam alius, constat omnia virtute assecutum, quæ humanam longe exuperat.*

Caluinus vim miraculorum eludit.

Statuendum igitur est, non dubio aut parum firmo niti argumento, vel turbam sanioren, vel cœcũ: non quod turbæ aut cœci verba sint oracula habenda. Sed quod Christus tam excellenti facto, fidem sibi astruere, doctrinæque suæ veritatem confirmare voluerit, quem si dubijs & parum firmis rationibus id agere dicamus: fidei firmitatem funditus euertimus. Tu enim homo quis es, qui diuinitatem, qui ipsam veritatem probabilibus argumentis vti, blasphemas; qui negari posse asseris, quod Christus ratum esse iussit? Qua ex re Caluinum à parte Pharisæorum stare apparet, piorũ soluere argumenta quibus Christi vocationem probabant. Cuius proinde in ipsum contumeliosa est audacia. Si enim eorum infirma est ratiocinatio, infirmum est signum, si signum est idoneũ non est eorum infirma ratiocinatio. Quid vero honesti mini profano in mentem venit, vt miracula Christi eleuet & contemnat, cũ non ignoret à Deo constituta, vt fidem faciant doctrinæ cœlesti? Cum sciat Christianos credidisse, Pharisæos, & Gentes irrisisse. Non est alia ratio, quam odium virtutis Dei, mira, insolita, naturæ vires superantia operantis in Ecclesia Catholica, absentia sua Caluinismum damnantis. Itaque ne credat populus quæ quotidie fiunt miracula etiam Christi miracula dicere audet, non esse satis firma ad fidem faciendam argumenta. Contra Caluinum stant veteres interpretes Chrysost. hom. 3. in 2. Corin. Augustinus de vtilitate credendi c. 16. Lib. 22. de ciuitat. Dei. c. 8. Christus Ioan. 15. *Si opera non fecissem, quæ alius nemo fecit, peccatum non haberent.* Finis autem miraculorum erat, vt Christi doctrina probaretur, quamuis nos autem non modo credimus, quia miracula facta sunt, sed quia reuelata, miraculis tamen ad credendum manuducimur; Imo nunc vt Doctrinæ Christi credimus, ita miracula facta credimus, & ad confirmandam doctrinam facta credimus, credendũ igitur est, etiam fuisse idonea ad fidem faciendam.

§. 3. Caluinus impiorum & infidelium obijcit miracula. Nominatim Vespasiani. *Respondeo*, inquit, *apud pios & Dei timentes, miracula indubias esse Spiritus Sancti tesseras: sed iusto Dei iudicio fieri, vt fallacibus miraculis incredulos, non secus ac præstigijs deludat Satan. Quod ex Suetonio nuper retuli, non puto esse fabulosum: sed iustæ Dei potius vindictæ hoc ascribo. Quod cum tot, ac tam præclara Christi miracula à Iudæis contempta essent, tandem vt meriti erant, ad Satanam fuerunt ablegati.*

Respondeo. Christum seductorum miraculis vetat fidem habere; non tamen idcirco fidem omnibus miraculis abrogat; non suis, non Apostolorum suorum. Nam miracula pseudoprophetarum fiunt virtute Satanæ sunt que mendacia, vt habet Paulus 2. Thess. 2. quo loco explicui. Quod autem Caluinus Vespasiani miracula vera existimat, miram fidem exhibet, vt qui sanctorum miraculis fidem deroget, credat impostori. Suetonius & Tacitus vera negarunt. Tacitus l. 4. Historiæ hunc in modum rem gestã narrat. *Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos astiuis festiuitatibus dies, & certa maris, opperiebatur: multa miracula euenere, quis cœlestis fauor, & quædã in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrina, quidam oculorum tabe notus, ad genua eius aduoluitur, remediũ cœcitatis exposcens gemitu, monitu Sarapi Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit: precaturque principem, vt genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris extremento. &c. Alius manu æger eodẽ Deo Authore vt pedẽ & vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primo irridere, aspernari. Atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere; modo obsecratione ipsorum & vocibus modulantium in spem induci: postremo existimari à medicis iubet, an talis cœcitas, & debilitas ope humana superabiles forent. Medici varia disserere: huic non exesam vim luminis, & redituram si pelleretur obstantia: illi elapsos in prauum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi Deis, & diuino ministerio principem electum. Denique patrati remedij gloriam penes Cæsarem, irriti ludibrium penes miseros fore? Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam vltra incredibile, læto ipse vultu, erecta quæ ipsi astabat multitudine, iussa exequitur. Statim conuersa ad vsum manus ac cœco reluxit dies. Vtrumque qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.*

Falsis miraculis fidem habendam non est.

Vespasiani miracula falsa.

Hucusque Tacitus.

Hic imprimis considerandum est Apollonium Tyanæum illo tempore famosum magum Alexandriæ fuisse, vt Philostratus l. 5. recenset. Ægyptios autem ille præstigijs suis dementabat, alioqui superstitiosos, & impostoribus obnoxios. Vespasiano autem diuinitatis conciliare opinionem impensius satagebant, quod Iosephus alijque adulatores vaticinia de Christi regno illi tribuerent vt Sueton. in Vespas. c. 4. Ioseph. de bello Iudaico. l. 7. c. 12. Videatur Euseb. l. 3. cap. 11. Quocirca & Imperator ne quid obstaret, omnes Dauidici stirpis ad necem quæsiuit. Morbi vero de quibus Tacitus agit sanabiles medicis visi sunt, certe facile per dæmonem, cui Apollonius auctoratus erat, & humor oculorum, & manuum tolli poterat. Fuit igitur signum illud si vera oculorum, & manus erat infirmitas ex mendacibus signis, & naturalibus remedijs curari potuerunt.

§. 4. Vera miracula, quæ naturalibus viribus vel rerum corporearum, vel hominum ingenio, vel arte dæmonis fieri non possunt, aliquando faciunt impij, sed non ad firmandos errores, aut etiam suam sanctitatem ostendendam; non enim Deus qui mentiri nõ potest, sua operatione miraculosa mendacium confirmare potest. Est igitur argumentum turbæ melioris & cœci forte, & inuictum. Christus aperit oculos cœci nati, quod nulla arte fieri potest, mortuos suscitat, atq; hęc omnia co tendũt, vt credatur esse Messias & filius Dei, non igitur est homo impius & impostor. Diuinæ enim veritas, bonitati, iustitiæq; repugnat, vt

Ad errores suos firmãdos impij non faciunt miracula.

præstigiatorem tanta potentia miraculorum ad seducendos homines instruat. Reuera enim dicere possent, si fallerentur, à Deo mirabiliter, ac potenter agente se deceptos. Miraculum est enim diuinæ veritatis & omnipotentiæ publicum & spectabile testimonium; non potest æterna veritas hoc falsitati tribuere. Certè Christus Marci 2. *Vt autem sciatis*, inquit, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: ait, paralytico: Tibi dico surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Vbi miraculum quod videbatur, facit testimonium remissionis peccatorum, quæ latebat. Non sunt etiam minoris testimonia, quæ in Ecclesia ad dogmata confirmanda quotidie fiunt.

VERSVS 22. & seq.

Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. &c.

QVAESTIO I.

Cur parentes non responderunt quomodo sanus sit factus?

§. 1. TImebant ne fierent ἀσυνάγωγοι, synagogâ seu Ecclesia pellerentur. Conspirauerant enim vt si quis eum confiteretur, extra Synagogam fieret. Qua re excommunicatio, seu separatio à fidelium numero continebatur. Ideo negocium filio relinquunt: *Ætatem habet*, seu vt Syrus, *ad annos progressus est.*

§. 2. Caluinus Catholicæ Ecclesiæ, & Episcoporum excommunicationem timendam non esse affirmat, sed optandam potius, suis tamen in Ecclesijs retinendam. [Tenemus igitur ex vetustissima Ecclesiæ disciplina ortum esse excommunicandi ritum: deinde non nuper cœpisse, neque vnius tantum sæculi esse hoc vitium: vt sancta Dei instituta, suis sacrilegijs impij homines corrumpant. Esse aliquam correctionis formam, qua rebelles cohiberentur, Deus ab initio voluit.] Deinde subdit excommunicationem apud Catholicos in tyrannidem esse versam, apud suos esse legitimam.

Ridiculum est plane, veri pastoris minas contemnere. Salmonea tonitrua sua venditare. Quomodo Caluinus aliquæ pastores sunt? quis illis per Europam discurrentibus excommunicandi dedit auctoritatem? At Luthero excommunicatio bene cessit, tũ illuminatus est, ante in tenebris hærebat. Non concedent hoc Lutherani. Multo minus Caluiniani. Nã post condemnationem, in Carolstadium ac Zwinglianos insurrexit. Ita historia habet, & vt Caluinus à suis refellatur, audiatur Pareus lib. 4. cap. 13. de Eucharistia.

Lutherus excommunicatus insanijt.

Quæ tum in illum Carolstadius, quæ Oecolampadius, Tigurini, alijque in eum dixerint, non est ignotum, quot & quales errores viuo Luthero consecuti fuerint, quamque grauia dissidia, adeo vt omnes pene à Luthero desciuerint, illeque omnes Theologos examinandos censuerit, vt cæteri taceant, docet Historia confessionis Augustanæ ab ipsis Lutheranis edita; & demonstraui in iubilo Iubilorum. Pareus in vno articulo de præsentia corporis Christi, Lutherum à Luthero distinguit. p. 204.

Lutherani Quid de Luthero eiusque asseclis sentiant Caluiniani, intelliget, qui legerit Tigurinos in capitibus consensionis, aiunt esse homines indoctos, turbulentos, omni virtute destitutos, in quibus sit confusa, & insipida garrulitas. Homines nullius precij, qui falso prætextu decipiant multos rudes, & imperitos, friuulos, petulantes, faces per quas Satan excitet incendium, temulentos, bellum sacramentarium instaurantes. Quomodo igitur illi tales fuerunt, quos Deus manu porrecta adiuuit, duxitque.

à Caluiniani descripti.

§. 3. Cœcus, cum parentes litem suam facere nolent, fortiter causam agit. Nam vocatus iterũ, & iussus Deo gloriam dare, verumque inficiari, resistit, & eos hortatur vt Christi discipuli esse ipsi velint. Quod vers. 25. ait: *An peccator sit nescio*, non est dubitantis, sed impiam hostium blasphemiam ironia excipientis: nam serio probat: Peccatorem non esse.

V. 27. In quibusdam est οὐκ ἠκούσατε, rectius omittitur negatio. V. 28. quod noster vertit: maledixerunt ei. In Græco est; ἐλοιδόρησαν αὐτὸν. *conuitiati sunt*, eodem ista sensu dicuntur, in v. 28. nonnulla apparet difficultas, quod si negatio addatur, audire accipiendum est, pro credere, assentiri.

VERSVS 31. & seq.

Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. &c.

QVÆSTIO I.

An peccatores Deus non exaudiat?

§. 1. ARgumentatur cœcus ex cõmuni principio, & naturali, & reuelato. Nam & veteres Ethnici, generatim existimarunt, eos qui iuste ac pie viuerent, à Deo impetrare quæ rogarent, impios odio haberi. Et sane Deos non nisi æquos aciustos fingere initio cœperunt, post addiderunt, & sanguinarios, & flagitiosos, ac denique furias, & dæmonas, scelerum auctores, vnde venefica illa exaudiri se postulat.

Pios audiri à Deo principiũ est fidei.

Si vos satiõre nefando
Pollutoque voco.

Alij Deos pie sancteque colendos docebant, vt bona largirentur. ὅσκε θεοὶς θνητὸς ἐπιπείθηται μάλα τ' ἔκλυον, αὐτάρ. *Qui Deũ obtemperat, facile eum exaudiunt.* Hinc communi principio non obstat, quod peccatores Deus aliquando exaudiat. Nam pœnitentes exaudit, vt promisit, interdum etiam non conuersos; nam Achabum cum vtcunque se humiliaret exaudiuit, & quosdam impios, ad miracula facienda inuocatus non destituit. Intelligenda ergo verba sunt de præsenti quæstione Christus se Messiam à Deo missum ante Abrahamum esse affirmabat, non credebant, verum ad lapidationem vsq; exardescebant. Christus miraculo illustri sua dicta confirmat: hoc non posset, si à Deo non esset. Non posset impostor à Deo impetrare, vt ad falsam eius sanctitatem ostendendam, aut mendacia comprobanda, ederet miracula. Non enim diuinæ veritatis sigillum appendi potest præstigijs & impostoris, nouum autem & à sæculo inusitatum miraculum demonstrabat à Deo ipsum venisse. Nemo id ante fecerat, vt docet Athan. de Incarnat. verbi Dei pag. 67. a. *Tale quid de quonam (quæso) poterunt allegare? aut quomodo denique audent contra ipsa vel ocu-*

Miracul. peccator

Verus sectator Christi vocationi falsam, nõ ederunt Deum miracula.

vel oculos attollere? Siquidem Prophetia Deum aduenturum significat: & signa eius præsentiæ tempus ostendunt. Ac in aduentu eius futurum esse, vt cæci videant, claudi ambulent, surdi ausultent, balbi expeditam linguam habeant, præuio denuntiatu indicauerunt. Quando igitur talia signa contigerunt in Israel? Aut vbi simile quippiam in Iudæa accidit: docent. Naaman leprosus mundatus est, sed surdus non audijt, aut claudus ambulauit. Mortuum excitarunt Helias & Helisæus, sed non is qui natura cæcus fuit, per eos visum recepit. Magnum quidem profecto mortuum reuera excitare. Cæterum id non tale miraculum, quale Saluatoris nostri? Atqui de lepra, de mortuo, de claudo, non tacuisset scriptura, maxime si accidisset aut claudum obambulare aut cæcum visum recipere. Nequaquam hæc indicare præterm:sissent sacræ literæ. Quoniam igitur tacitum est de eare in scripturis, certum est ea prius non euenisse. Quando igitur ista acciderunt, nisi quando ipse Dei sermo in corpore fuit? Quando autem adfuit nisi cum contigit claudos ambulare, linguam balborum expediri, surdos audire, cæcos à partu visum recipere: ideoque eius temporis Iudæi hæc videntes, in hæc verba proruperunt, vtpote qui non aliunde hæc fieri audierunt. Nunquam talis surrexit in Israel, Ab æuo auditum non est, vt quisquam aperuerit oculos à partu cæci, Nisi hic esset à Deo, non posset quippiam tale facere.

Nisi esset à Deo non posset quicquam facere. Syrus ﬠ hoc. nempe cæcum à natiuitate curare. Hoc ergo modo intelligendum est, Deum peccatorem non audire. Seu vt Syrus habet, vocem peccatorum non audire.

§. 2. Quod olim isto loco vsi sunt Donatistæ, vt docerent sacramenta irrita esse, quæ à peccatoribus administrarentur, id quidam imitati sunt patrum sæculo, & qui baptismum cum Cypriano negabant ratum, si hæreticus eum contulisset. Cyprian. Ep. 64. & 68. Et Cyprianus quidem sententiam mutauit, seque à Catholicis non separauit, vt testatur Augustinus, discipuli eius qui contumaces in errore perstiterunt, damnati sunt. Obijcit l. 7. de baptismo contra Donatistas apud Augustinum cap. 21. Lucius à Mambreta. *Scriptum est.* Nemo potest accipere aliquid nisi datum fuerit ei de cœlo *Si hæresis de cœlo est, potest baptisma dare. Respondetur audiat & alium dicentem si Auaritia de cœlo est, potest baptisma dare, & tamen dant auari sic ergo & hæretici.*

Pluribus respondet l. 2. c. 8. contra Epistolam Parmeniani. Summa est; non iudicandos esse facile peccatores, eos audiri à Domino; idem Origen. hom. 5. in Isa. & Basilius constitut. monast. c. 2.

Impij aliquando miracula faciunt signo iustitiæ, non ad roborandum errorem, sed veritatem confirmandam. Ita Augustinus lib. 83. qq. q. 79. Quin et- *Miracula peccatoris.* iam Caluinus ad impetrandum à Deo aliquid pietatem & fidem requirit. Peccator. inquit, hic impium & sceleratum significat. Deum ait non audire nisi à quibus vere, & sincero corde vocatur. Solam fidem ad Deum aperire ianuam, impios in precibus nomen Dei profanare, & mereri sacrilegij pœnas, nihil impetrare. Impios autem intelligit, qui non credunt sua scelera sibi non imputari.

Falsum igitur est, quod & Caluinus, & eius, assecle toties declamant: impium dum adhuc impius est, iustificari, Deo gratum, concidit que tota illa imputatæ iustitiæ vanitas. Quod vero Brentius hic garrit ex miraculo non esse fidem, sed verbo Dei, fallit imperitos. Nam vt verbo credamus miracula fiunt, mouent illa animum vt verbis assentiamur.

VERSVS 39. & seq.

Et dixit ei Iesus. In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant. Et audierunt quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant: & dixerunt ei, Nunquid & nos cæci sumus? &c.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus venerit, vt videntes cæci fierent?

§. 1. COecus audito Christum esse filiũ Dei. Procidens eum adorauit, adoratione Deum testatus, vt docet Chrysostomus. εἶτα τὴν ποικίλην διάθεσιν ἐμπαίων προσκυνήσεν εὐθέως. ὅπερ ὀλίγοι τῶν τε θεραπευμένων ἐπίστευσαν ὅτιον οὐ λεπτοὶ καὶ ἐκπὸς ἄκρου, διὰ τὸ τὴν ἐμφάνειαν αὐτοῦ τὴν θείαν δυνάμιν, ἵνα μὴ πίστις νομίσῃ ῥῆμα μόνον εἶναι τὸ λεχθέν, καὶ τὸ ἔργον προσέθηκε. Ille affectum suum è vestigio adorando protulit, quod pauci curati fecerunt, vt leprosi illi, & alij: hoc pacto diuinam eius virtutem demonstrauit, ne quis enim verbo tenus dixisse arbitrari posset, opus etiam addidit.

§. 2. Postquam igitur cœcus vidit, credidit, adorauit, videntes autem miraculi magnitudine excœcati sunt, subiecit Christus se in iudicium venisse, vt qui non vident, videant, & qui vident cœci fiant. Particula *vt* non est hoc loco ἀποτελικὸν, vt notant Græci, sed ἐκβατικῶς; Non enim causam vniuersæ significat, sed in parte causam in alia euentum. Venit enim propter nos cœcos, & miseros, vt illuminaret, sua deinde gratia perfusos liberaret, non venit propter seipsum, vt docte exponit Athanasius oratione 3. contra Arianos. *Saluator quoque idem de ipso loquitur,* Ad iudicium ego in mundum veni, vt qui non videt, videant, & qui vident, cœci fiant. *Non igitur propter seipsum sed propter nostram salutem, & ob demolitionem mortis, & condemnationem peccati; & vt cœci visum reciperent, & vt omnes è mortuis excitarentur aduenit. Si igitur non sui gratia, sed nostri venit, neque in suipsius vsum conditur, sed ad nostrum, fieri non potest vt sit creatura.* *Non est Christus causa excæcationis.*

§. 3. Iudicium exponunt dupliciter, proprie & pro iudicatione, vt sensus sit, sed iudicaturũ nunc alios illuminandos, alios excœcandos. Quo pertinet etiam illorum interpretatio, qui iudicare restringunt ad solam condemnationem. Aliter iudicium generaliter accipiunt pro diuina prouidentia, qua Christus in mundum venit, eo effectu, vt qui cœci sunt, videntes fiant, & videntes excœcentur: non quod cœcitatis auctor sit prouidentia, sed quod alios misericorditer illuminet, alios iuste in cœcitate relinquat. Nam cœcos hic dici eos, qui se maxime videntes arbitrantur, cœcitate, ignoratione que arrogantes. ideo ait, vers. 41. *Si cœci essetis, hoc est: cœcos esse cognosceretis*, peccatum non haberetis, iam enim dudum ad remedium venissetis, & remissa essent peccata vestra, nunc autem peccata vestra manent. Nam in Græco alij legunt ἁμαρτίαν alij ἁμαρτίαι. Iusto ergo Dei iudicio tam impia cœcitas, fastu & odio obtenebrata deseritur. Quamtis & alius, isq; verissimus possit esse sensus. Si cœci esse is corpore & animo, aut sola dunt axat mente, hoc est, mea miracula non vidissetis, doctrinam non audissetis, vt multi sunt longinquis in locis, qui de me nihil audierunt, peccatum hoc perfidiæ, & duritiæ contumaciſſimæ non haberetis, nunc vero peccatũ vestrũ manet, vt loquatur Dominus non de omni delicto, eosq; *Iudicium hoc loco.* *Singularis in Iudæis cæcitas.*

absoluat

absoluat, sed de illo singulari, quo spiritui sancto, agnita veritate resistebant.

§. 4. Bullingerus hinc liberum oppugnat arbitrium. [Habemus hic quoque certum & infallibile veritatis iudicium pronunciatum contra prædicatores virium liberi arbitrij. Hi enim si & ipsi cœci essent, & seruitutem, & infirmitatem, atque corruptionem ex suo peccato agnoscerent, gratia Christi illuminarentur, quia vident, id est, quia vires suæ carnis iactant, & gratiam Christi non vnicè magni faciunt, inhæret in ipsis cœcitas, atque peccatum.]

Liberum arbitrium non tollitur.

Respondeo. Pelagianos ea ratione confutari, vires liberi arbitrij non tolli. Corrupta est natura, infirmata eatenus libertas, vt suo marte legem præstare non possit, adiutorio gratiæ possit. *Si cœci essetis*, inquit Christus, *peccatum non haberetis*, quod scilicet cœcitas inuoluntaria sine culpa est. Eodem modo si libero arbitrio non peccant, peccatum non habent. Accusabat Catholicos Pelagius, quasi liberi arbitrij negatores, in eorum locum & crimen succedere Prædicantes. *Frustra*, inquit Hieronymus aduersus Pelagium, cap. 4. *blasphemas, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille qui damnat.* & prooemio aduersum Pelagianos, in dialogo. *Manichæorum est, hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adiutorium Dei tollere.* Ille tantus arbitrij prædicator gratiam Dei non impugnat. Epist. 739. ad Cyprianum Tom. 3. f. 389. *Quem hostis persequitur, ad muros vrbium confugit. Fessus viator, tam sole, quam puluere, vmbræ quærit solatium. Si sæuissima bestia hominis sanguinem sitiat, cupit & nititur, vtcumque poterit præsens vitare discrimen. Ita & homo à principio conditionis suæ Deo vtitur adiutore: & cum illius sit gratia, quod creatus est, illiusque misericordia, quod subsistit & viuit, nihil boni operis agere potest sine eo: qui ita concessit liberum arbitrium, vt suam per singula opera gratiam non negaret: ne libertas arbitrij redundaret ad iniuriam conditoris, & ad eius contumaciam, qui ideo liber conditus est, vt absque Deo nihil se esse nouerit. Quod autem dixit in generatione & generationẽ, omnia significat tempora, & ante legem, & in lege, & in Euangelij gratia, vnde & Apostolus dicit: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed ex dono Dei. Et omnes epistolæ eius in salutationis principio non prius pacem habent, vt donatis nobis peccatis nostris, pacem Domini consequamur.*

Arbitrium autem cum gratia diuina operari docet comm. in c. 49. Isaiæ. lib. 13. Tom. 4. fol. 156. *Hæc vniuersa dicuntur vt liberum hominis arbitrium monstraretur. Dei enim vocare est, & nostrum credere, nec statim si nos non credimus impossibilis Deus est: sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, vt iuste voluntas præmium consequatur. Quia ergo noluerunt per me in te credere, iudicium meum apud te est, quod omnia fecerim quæ eis facere debui, dicens in Euangelio: Ego te glorificaui super terram, opere completo, quod dedisti mihi vt facerem.*

Et lib. 3. dial. c 3. fol. 293. 1. contra Pelagianos. *Ego ne liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione nihil aliud egi, nisi vt omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conseruarem? Crito: Quomodo seruas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil posse facere, nisi Deus semper adiuuerit? Atti. Si in culpa est, qui libero arbitrio iungit Dei auxilium: Ergo ille laudetur, qui Dei tollit auxilium.*

Et in Ezechielem ca. 2. *Loquitur hæc Deus ambigentis affectu, vt liberum hominis monstret arbitrium: ne præsentia futurorum boni vel mali immutabile faciat quod Deus nouit esse futurum.* Quod vero addit Bullingerus. *In sanctis etiam esse peccatum, sed non manere, non imputari*, Libertinissimum sapit: Nam peccatum reuera manere, & peragi credit, sed tantum non imputari; itaque eadem scelera & deteriora scelera in sanctis esse concedit, sed non imputari, in fidelibus autem imputari.

QVAESTIO II.

An sit Deus cœcitatis auctor?

§. 1. OStendi ex Chrysostomi & Theophylacti interpretatione particulam vt non causaliter accipiendam, sed euentum indicari duntaxat. Sic & Theodoretus q. 12. in Exod. interpretatur. pag. 29. *Cæterum, vt aliquo adducto controuersiam dissoluamus, aduertendum est, quod sol vi caloris sui ceram quidem liquefacit, lutum vero exiccat: & illam quidem emollit, hoc autem indurat. Quemadmodum ergo sol iste, vna & eadem virtute contraria operatur: sic ex longanimitate Dei omnium nonnulli capiunt vtilitatem, alij vero damnum: & illi emolliuntur, isti vero indurantur. Quod & Dominus declarauit in sacris Euangelijs: In iudicium inquit ego in hunc mundum veni vt qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant. Non quod per hoc declaretur talem fuisse Domini scopum (neque enim huius gratia venit, vt reddat eos, qui vident, cæcos) sed quod factum est indicauit. Ipse enim vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quum igitur humana natura arbitrij libertatem habeat, qui crediderint saluabuntur: qui vero non crediderint gehennæ sibi fiunt authores. Sic Iudas, qui Apostolus erat, postea excæcatus est: diuinus autem Paulus, quum antea cæcus esset, postea visum recepit. Sic per aduentum Saluatoris, Iudæorum plurimi excæcati sunt, gentes autem visum receperunt. Non tamen ob id, quod quidam aduersarij non erant crediturí, dicendum est, dispensationem saluatoris nostri secundum carnem non extitisse, hoc enim priuaret orbem salute. Sic & perdiuinus Simeon dixit Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & signum cui contradicetur. Veruntamen hoc ignorare non oportet, quod Deus omnium præsentem vitam stadium hominibus esse declarauit, vt qui certant in eo proprium scopum declarent: in futuro vero seculo iuste iudicans, illos vt victores athletas coronabit, hos vero puniet tanquam authores nequitiæ. Et quia non omnes credunt esse aliquam aliam vitam futuram, Deus omnium etiam in hac vita quosdam palam punit flagitiose viuentes, & vicissim alios religionis studiosos non mediocriter collaudat.*

Deus nolit cæcitatem.

Euentus igitur fuit à Deo quidem præuisus, sed nullo modo venientis scopus. Quapropter detestanda eorum est blasphemia, qui Borboritas & Manichæos imitati, Deo scelera sua transcribunt.

QVAESTIO III.

An omnes habeant auxilium, quo possint vitare peccata?

§. 1. NOn adfuisse Iudæis gratiam, qua peccatum cauere possent, quidam existimant, eam tamen impotentiam esse concomitantem, non antecedentem, ideo peccare eos statuunt. Concomitans impotentia est, quæ non est causa agendi, sed omnino se habet ad actionem per accidens. Vt si auarus non det eleemosynam, quia non vult, non considerans se non posse, si forte clam furto illi ablata sit pecunia, quod factum esse ipse nesciebat. Illa impotentia tenacitatem non excusat. At in voluntate quando est impotentia concomitans, etiam est antecedens: ideo impeditur libertas, nec peccat id agendo quod vitare non potest. Omnis enim eius impotentia volendi, est causa non volendi. Itaque dicendum est hos cæcos dum ferentur in Christum impingunt, habuisse gratiam vitando peccato sufficientem, seu mediate, seu immediate. Nec sufficit in causa esse impedimẽtum, vt cum quispiam ab præteritum pec-

Impotentia concomitans tam.

catum priuatur gratia, si non est libera mens ad vitandum alia peccata, necessario absoluendus est homo. Nam vt peccet, in se libera, debet esse actio. Peccata autem obduratorum sunt non in sola causa, sed ex libertate propriæ malitiæ peccata sunt.

§. 2. Pareus l. 2. de gratia & libero arbitrio, c. 7. Regulam illam Theologicam: Nemo peccat in eo, quod vitare non potest Probat ex Aristotele. l. 3. Eth. c. 5. [Gulosus homo ingurgitationem vitare non po» test; Num ideo crapulando non peccat. Legat Ari» stotelem in Ethicis hoc redarguêtem. l. 3. c. 5. Diabo» lus mendax & homicida ab initio, peccata vitare non » potest; An ideo non vere peccator? Iudæi excœcati » non poterant credere, incredulitatem vitare: an id» eo non vere peccabant? Quare tum demum verum » est, quod dicit, quando quis quod vitare non potest, » vellet, vitare, nec impotentiæ vitandi ipse sibi causa » exstitit: Vel cum quis munitus, & coactus, nulla sua » voluntate legem Dei transgreditur.] Hinc conclu» dit, Excœcatis deesse auxilium sufficiens, & eos non posse vitare peccata. Nam occulto Dei iudicio, sed iusto voluntarie cœcos esse.

Qua ex ratiocinatione consequitur, eos non posse vitare, quin velint, quod malum est, & voluntarie cœcos esse, nullo modo posse velle videre, ideo cogi vt voluntarie cœci sint.

Aliud deinde exemplum adducit p. 276. [Hæc » nostra est, & vera responsio; Quod diabolum, & ex» cœcatos homines, non excuset impotentia vitandi » peccata: Quia est impotentia ἐπίπαρτος, voluntarie » attracta, per peccata actualia, & originalia. Exempli » gratia, debitor decoxit centum talenta, nec potest » creditori reddere. An vacat culpa, & creditori non » tenetur propter impotentiam. Imo maxime: Impotentia enim est ἐπίπαρτος.]

Respondeo. Veram ac solidam esse doctrinam Catholicam; nempe opus esse libertate quæ libera sit, & à coactione, & necessitate. Si enim non potest non velle, non vult liberrima voluntate, non enim omittere potest, quod vult. Nec refert si volens lubens agat; nam & bestiæ toto ardoris impetu feruntur in ea quæ appetunt, & contra ea, quæ oderunt, nec tamen, ideo libere agunt. Quod ad gulosum pertinet, potest ille vitare ingurgitationem, sed non sine magna pugna. Potest Medea patrem præferre hospiti, possunt alij sceleratissimi peccata vitare: at nolunt, ideoque peccant, quia nolunt, cum possint. Nam vt de gulosо loquar, certe potest ille ingurgitationem euitare, instrumenta ebrietatis abiicere. Si enim Scæuola vrere manū potuit, si Indus rogum ascendere, cur non sitim ferre, aut bibendi voluptatem spernere Antonius? aut cum se manu sua conuulneraret, non poterat cæde sua abstinere? Necessarione Cleopatra aspidem admouit? Quis Catonem & facere vulnus, & factum rumpere coegit? aut quæ necessitas fuit, id agendi quod tanti doloris erat, & non sine dedecore perficiebatur? Cur eum familiares hortabantur, vt viuere vellet, si necessario mortem sibi consciuit? Vnde vero illa necessitas, non ab imperio Dei, non à violentia diuinitus impellente, non ab ipsa voluntate, quę se non cogit velle, quod vult.

§. 3. Quod Pareus fingit, ideo impotentiam vitandi peccati non excusare, quod sit peccato contracta, ἐπίπαρτος, idque exemplo debitoris exponit. Id totum vanum est, & horridum. Nam debitoris culpa præteritum peccatum est, decoxit enim centum talenta. Primum hoc peccatum fuit, at cum non soluit, quod non potest; non facit nouum peccatum, quia non potest, quod si carcere constringitur, aut venundatur id ideo fit, quia peccauit, non quia peccare pergit. Quod si vel hæreditate, vel dono noua centum talenta acciperet, nec creditori tamen solueret, nouo se scelere obstringeret, non aliam ob causam, quam quod impotentia soluendi sublata fuerit. Quod si non excusat impotentia vlla, hominum est conditio miserrima.

Aristoteles quidem eos merito reprehendi existimat, qui vitiosos habitus, aut morbos peccando contraxerunt. Verba Aristotelis sunt. *At vero ex eorum, opinione qui dicunt bonum quod videtur, illud esse quod sub voluntatem cadit, nihil sub voluntatem cadere per se. sed quod in singulis videtur tale: quoniam alij aliud bonum videtur, idemque sæpenumero huic bonum illi malum. Ac frequenter idem homo res contrarias bonum esse existimat, atque ita nihil sub voluntatem natura sua, cadet & per se.*

Quod si hæc non videntur verisimilia, illud dicemus: bonum nempe quod natura sua reuera & per se bonum est sub voluntatem cadere: illud vero quod videtur tantum, aliquatenus & respectu singulorum hominum voluntati subiacere. Nam licet re vera bonum non sit, respectu alicuius certe circumstantiæ est bonum. Sic præmiari natura sua est malum præmiatori vero & pro tempore aliquo bonum. Quare simpliciter bonum videtur: Quatenus vero bonum est, etiam sub voluntatem cadit. Vnde fit interdum, vt quod videtur bonum, aliquatenus etiam sub voluntatem cadat. Viro igitur bono, id quod reuera bonum est, sub voluntatem cadit: improbo vero, quod sors obtulerit.

Sed reprehenduntur ob præterita peccata illi, non ob infirmitatem, qua iam miserabiles sunt; Causa mali culpatur, non pœna.

In nostra igitur potestate ista sunt, aut si non sunt, iam non peccamus agendo, quo necessitas trahit. Turpe est morbum intemperantia contraxisse, quique hoc fecerunt merito reprehenduntur, non tamen ægrotare peccatum est, quia iam liberum esse desijt. Verum ea de re toto fere lib. 2. de amissione gratiæ, egi & statu peccati contra Pareum disputans.

Ostendique illas blasphemias etiam à Caluinistis Belgis abunde refutatas.

CAPVT X.

AMEN, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est, & latro. 2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. 3. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. 4. Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. 5. Alienum autem nō sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. 6. Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. 7. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. 8. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, & non audierunt eos oues. 9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inuenie

10. Fur

10. Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. 11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues: 13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est. & non pertinet ad eum de ouibus. 14. Ego sum pastor bonus: & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. 15. Sicut me nouit Pater, & ego agnosco Patrē: & animā meam pono pro ouibus meis. 16. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. 17. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. 18. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo. 19. Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. 20. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis? 21. Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis: nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? 22. Facta sunt autem Encenia in Ierosolymis: & hyems erat. 23. Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. 24. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es CHRISTVS, dic nobis palam. 25. Respondit eis IESVS: Loquor vobis, & non creditis, opera, quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. 27. Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me. 28. Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. 29. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est; & nemo potest rapere de manu Patris mei. 30. Ego, & Pater vnum sumus. 31. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarēt eum. 32. Respondit eis IESVS; Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? 33. Responderunt ei Iudæi; De bono opere non lapidamus te sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis teipsum DEVM. 34. Respondit eis IESVS; Nonne scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, Dij estis? 35. Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura; 36. Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis; Quia blasphemas: quia dixi, Filius DEI sum? 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. 38. Si autem facio; & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. 39. Quærebant ergo eum apprehendere; & exiuit de manibus eorum. 40. Et abijt iterum trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primùm, & mansit illic; 41. Et multi venerunt ad eum & dicebant. Quia Ioannes quidem signum fecit nullum. 42. Omnia autem quæcumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

IN CAPVT DECIMVM

ARGVMENTVM.

PAstoris veri, falsi, mercenarij, furum & latronum discrimen exponit, se bonum pastorem esse asseuerat, animam pro ouibus ponere, vitam illis æternam dare se à patre diligi, animam ponere, vt resumat. Orto deinde dissidio, & in porticu Salomonis circumstantibus eum Iudæis, & an esset Messias, rogantibus, exprobrat incredulitatem, quod operibus suis non credant, non esse eos ex ouibus, se vnum cum patre suo esse. Lapidare volentibus instat, & rogat, ob quod bonum opus se velint lapidare? Nec enim ea causa, quod se filium Dei dicat; cum illi ad quos sermo Dei factus est, etiam dij vocentur. Magis autem ille, quem pater sanctificauit, & misit in mundum. Iterum sæuientibus ipse trans Iordanem abijt: vt furor paulùm conquiesceret.

In Syro vsque ad versum 22. titulus ponitur; רחמיטא דקודש עדתא *Vespere sanctificationis Ecclesiæ.* additur vero דביזוטוניא דאפיסקופא *dechirutunia dephiscope.* Id est, χειροτονίας τῶν ἐπισκόπων *electionis Episcoporum.* Monent Syri. χειροτονίαν esse linguæ Iauanicæ, & interpretari eam dictionem Doctores רממות ירים *rammoth iadim, eleuationes manuum,* in ordinatione Episcopi, quem Hebræi צופה *Zuphe* appellant, quasi speculatorem dicas.

VERSVS 1.

Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est & latro. &c.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit ostium?

§. 1. NOn est libera ingenijs relicta concertatio, nam Christus v. 7. & 9. se esse ostium affirmat, per quod intrare oporteat ouile. Nam *per me, introierit, saluabitur.* Ingredietur, & egredietur. Non quod per Christum ouile, hoc est, Ecclesiam egrediatur, sed verbis illis indicatur, eum in Ecclesia versaturum, pacifice oratoria ingressurum, & egressurum. Sic loqui Hebræi solent. יבא ויצא *Iabo vaiezze Intrabit & egreditur.* Deut. 28. 6. Ps. 121. 8. Alludit enim ad pastoris curam, officium, cuius est frequenter pecus visere. Vestigia enim Domini saginant bouem. Oculus Domini pascit equum. Qui igitur hoc in ouili, ἐν τῇ αὐλῇ in illa aula degit, tam fido pastore satagente semper pascua inueniet. Nec ouium modo, sed pastorum etiam ostium est Christus. Quod quia Pharisæi non ingrediuntur à salute necessario aberrant. *ingredi & egredi.*

§. 2. In-

§. 2. Intrare igitur per ostium est, per Christum intrare, eius auctoritate, missu, gratiâ, approbatione Ecclesiæ regendæ curam suscipere. Quicunq; igitur à se venit, quicunq; missus ab alio non ingreditur per ostium fur est, & latro. Chrysostomus notat pastorem liberè intrare, & palam. Latronem ὁ παρρησιαζόμενον, *non palam, non liberè.* Deinde ὃ κατὰ τὰς γραφὰς, τοῦτο γάρ ἐστι, τὸ μὴ διὰ τῆς θύρας. *Non iuxta scripturas, hoc est enim non per ostium.* Hinc occasio calumniarum arrepta est abhæreticis. Hinc Bullingerus & Brentius fingunt Catholicos sua cõmenta Euangelio addere. Et Brentius quidem robustâ fronte mentitus, *Pontificios*, ait, *seipsos factre ostium.* Quod ne fando quidem vnquam auditum est. Et ille quidem Christum vocantem, admittentem, recipientem ostium esse fateri coguntur, ab eo enim omnis gratia est, & auctoritas, atque in eo residet. Hæc autem omnia iuxta scripturam fiunt. Nam verè Chrysostomus: εἰκότως δὲ θύρας γραφὰς ἐκάλεσεν. αὐτὸς γὰρ ἡμᾶς εἰσάγει τῷ θεῷ. καὶ τὸν θεογνωσίαν ἀνοίγει, καὶ εἰσέλθειν ποιεῖ, καὶ φυλάττει, καὶ τοὺς λύκους ἐκ ἀφίησιν εἰσελθεῖν. καθάπερ γὰρ τὶς θύρα ἀσφαλὴς, ἕτως ἀποκλείει τοὺς αἱρετικοὺς τὴν εἴσοδον, ἐν ἀσφαλείᾳ καθιστῶσα ἡμᾶς ὧν ἂν βλαπτώμεθα πάντων, καὶ ἐκ ἐῶσα πλανᾶσθαι. καὶ μὴ εἰσβαλύσωμεν αὐτὸν ἐκ ἐσόμεθα ἐυχερῶς τοῖς ἐχθροῖς. *Merito autem ostium scripturas appellat, quoniam nos ad Deum ducunt, & eius notitionem aperiunt: ipsæ oues faciunt, ipsæ custodiunt, neq; lupos irrumpere permittunt. Tanquam enim ostium firmissimum hæreticos arcent, & in tuto constituunt: neq; nos, modò velimus, aberrare vnquam sinent. Et nisi hoc ostium infringamus, nunquam nos inimici nostri poterunt expugnare.*

Ostium ergò est scriptura, ostium Christus, ostium Deus, & ostium lex. Scriptura docet, Christus docet, vocat, iustificat, glorificat. At illi qui scripturam reuerenter accipiunt, verumq; sensum tuentur, ostium illud inueneruntˌ qui eas suo ingenio torquere. & capere conantur, ostium illud clausissimum experiuntur. Nam à Christo abeunt; dum enim per ostium à Prophetis, & Apostolis apertũ ingredi sese fingunt, suo sensu abducti in auia trahuntur, & imaginationis suæ ostium ingrediuntur. Non enim illis ostium est, quod non vident, non intelligunt. Quod si per ostiũ ingressi sunt, cum nemo sibi honorem sumat, sed veniat, qui vocatur vt Aaron, ostendãt signa apostolatus sui. Vocatos à Deo se probent. Cùm Christum habere dæmonium hostes calumniarentur auctoritatem asseruit, & *operibus*, inquit, *credite*, nos vocationis vel minimum indicium ab aduersarijs quærimus. Hactenus nullum est datum. Aliunde igitur ascenderunt, seu vt Syrus habet בַּר דְּרָבָא אָחֳרָנָא *Men duchâ acharina, de loco alieno*, nempe veterum hæreseon, Manichæorum, Arianorum, Berengarianorum ac similium.

Qvæstio II.

Quænam sint oues?

§. 1. OVes populi vocantur, vt vineæ, syluæ, maria, aquæ. Nisi enim diligenti pastorum curâ regantur, non modo obnoxij sunt vastatoribus, sed inter se vnius regni, oppidi, domus incolæ colliduntur, & mutuo sibi exitio sunt, quemadmodum oues interdum mutuo pressu intereunt. Sic igitur, 2. Reg. 24. Psal. 94 Ezech. 34. Zach. 13. oues dicuntur Israelitæ, omnesq; populi, quod nulla sit illis suis in viribus, aut ptudentiâ salus, neq; enim vel vni lupo mille greges possunt obsistere. Generatim ergo oues populi sunt, res imbecilla & mollis. Quos proinde pastor metuere non debet; cum regere eas debeat. Quemadmodũ stolide Samij, Saitæ, Thebani, oues pro dijs coluerunt, vt Clemens Alexandrinus 7. strom. docet, ita quoq; pastores stulti sunt, qui metu ouium ne offendantur, salutaria illis remedia, non adhibent, non præcedunt, vt ducant, sed sequuntur, & duci se sinunt.

§. 2 Cæterum an oues dicantur solum electi, an vero etiam illi, qui fide, & gratiâ donati sunt: nec tamen ad vitam præordinati sunt, inter auctores controuertitur. Augustinus tract. 45. de electis interpretatur, quas vocat oues secundum prædestinationem. *Dico ergo, nouit Dominus qui sunt eius; nouit præscitos, nouit prædestinatos, de illo quippe dicitur, quos autem præscitu, & prædestinauit conformes fieri imaginu filij sui, vt sit primogenitus in multis fratribus.* Et paulò post expressius, *quis accusabit aduersos electos Dei? nouit Dominus, qui sunt eius, ipsæ sunt oues, aliquando seipsa nesciunt, & pastor nouit eas, secundum istam Dei præscientiam, secundum electionem ouium, ante constitutionem mundi. Secundum hanc præscientiam dicit multas oues foris, multos lupos intus.* *Oues prædestinati.*

Tandem concludit: De prædestinatis se loqui, siue sint iam in gratiâ, sine venturi sint. Fatetur tamen adhuc manere quæstionem, & soluit: quod prædestinati audiant vocem. *Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit, hanc non negligit proprius, non audit alienus, & non perseuerando non audit.* Prædestinatus si ad tempus errauit, in æternum non perijt, Sed tamen Christus, videtur loqui etiam de illis, qui oues sunt, secundum præsentem iustitiam, lupi aliquando futuri. Et Augustinus, *fideles fuisse, & oues fuisse*, docet, eodem tractatu. Itaque Christus oues vocat iustos, & eos qui venturi erant ad se, licet adhuc lupi essent, per anticipationẽ oues appellat, nec excludit etiam eos, qui in numero credentium sed infirmi. Errantes etiam oues appellantur. Hac ergo parabolâ attentionem parat, vt altius menti insideat, quod similitudine adumbratum fuit: ostendere Dominus cœcum ouem esse, per Christum in ouile ingressum, excommunicatione aliud nõ esse factum, quam vt è spelunca latronum discederet. Itaque suam auctoritatem asserit, Pharisæorum euertit: qui postquam Messiæ sufficienter manifestato restiterunt, oues esse desierunt, ouium prædones, pastoris interemptores. Quibus vero vitam æternam dat, nisi ipsæ se indignas faciant, versæ in lupos. *Agit etiam de illis qui casuri erãt.*

Qvæstio III.

Quodnam ouile?

§. 1. ECclesiam esse omnes consentiunt, Augustini verba. *Non autem potest quisquam per ostium, id est, per Christum egredi ad vitam æternam, quæ erit in specie; nisi per ipsum ostium, hoc est per eundem Christum in Ecclesiam eius, quæ est ouile eius intrauerit ad vitam temporalem, quæ est in fide.* & tract 45. *Hoc tenete ouile esse Catholicam Ecclesiã.*

Hinc contra Arium ille, & Photinum, atque adeo omnes hæreticos disputat, qui per humile ostium intrare nolunt, sed per maceriam ascendunt, & cadunt. In Ecclesiâ sunt autem, & boni & mali, & vocantur oues tamẽ etiam mali, quia in ouili sunt, sed non perseuerant. Quare sibi de veritate doctrinæ hæretici frustra blandiuntur, cum in Ecclesiâ non sint. Scripturas quidem iactant, sed hæretici ob aliam causam non sunt, nisi quod eas legentes, nec intelligentes falsas opiniones contra earum veritatem asserant, vt habet Augustinus l. 7. de Gen. ad lit. c. 9. & l. 1. de Trinit. c. 3. & l. 8. de Catech. rudibus. Et talem cœtum esse seu Ecclesiam etiam aliquando Sectarij fatentur. Herbrand. thes. VI.

§. 2. Quamuis autem veterem & sanctam scripturam aliquando incorruptam adducant, eius tamen interpretationem, sensumq; nouum producunt, atq; ita noua dogmata cudunt, quocirca ad Apostolicam Ecclesiam cœtus suos reducere non possunt. Fruſtra

igitur suas Ecclesias tam diuersæ sectæ proponunt, tanquam Catholicas, tanquam ouile Christi, ex Germanitate & paritate doctrinæ, alias Ecclesias impuras appellant. Nam quæ scripturarum expositio, & ex illâ expositione, dogmatum confirmatio, à mille quingentis à nullâ Ecclesiâ probata fuit, sed potius reprehensa, damnata, quam nec Apostolicæ Ecclesiæ, nec viri Apostolici, martyres, & Episcopi agnouerunt, illa inquam expositio scripturarum Apostolica & Catholica censeri non debet, nec signum est Ecclesiæ Apostolicæ, sed Satanicæ. Tales vero sunt expositiones Lutheranorum, & Caluinianorum; de vbiquitate, humanitatis infinitate, inconsubpanitate, alijsque. Tales sunt de gratiâ irresistibili, reprobatione absoluta, similiaque portenta. Hic ergo valet: quod Tertullianus de præscriptione aduersus hæreses pronunciat c. 31. *ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.* At vero omnes illæ expositiones Lutheranæ, & Caluinianæ posterius aut si olim aliquando aliquæ fuêre, ab hæreticis quos ipsi quoque pro talibus habent, sunt inuentæ, à Catholicis damnatæ.

§ 3. Quin Lutherus contra nouas hæreses ex suâ prædicatione prognatas Ecclesiam veterem obijcit, „ Epist. ad ducem Borussiæ. [Testimonium, totius sanctæ Christianæ Ecclesiæ, (tametsi præter nihil nobis „ reliquum esset) solum nobis sufficere deberet, ad insistendū in hoc articulo cœnæ, & ad nō audiendos planeq; reijciendos fanaticos Spiritus: quia periculosum „ est, & horrendum, quicquā vel audire, vel credere cōtra vnanimem testificationem, fidem, & doctrinā, totius S. Christianæ Ecclesiæ, quæ ab initio, vsq; ad nos, „ supra mille quingentos annos in toto orbe terrarum „ cōcorditer sensit. Si nonus articulus esset, non à principio Christianæ Ecclesiæ, neq; in omnibus Ecclesijs, „ vel tota Christianitate per omnem mundū sparsa creditus: non esset tam periculosum, vel horrendū de eo „ ambigere, vel disputare an recte crederetur. Sed postquam à principio, quam late patet Christianitas, consentienter creditus fuit, is profecto, qui de eo dubitat, „ idem facit, ac si Christianā non crederet, simulq; non „ tantum damnat totam, sanctam, Christianam Ecclesiam, tanquam damnatam hæreticam, sed ipsum etiam „ Christum, & omnes Apostolos, & Prophetas qui articulum fidei nostræ; credo S. Christianam Ecclesiam, fundarunt, & potenter testati sunt, vt Christus „ Matthæi 28. c. inquit, ero vobiscum, vsq; ad consummationem sæculi: Et Paulus 1. Timoth. c. 3.]

Aduersarij iudices iniusti.

Si id igitur credendum est, quod annis mille sexcētis crediderunt Christiani, non sunt in cœtu Christianorum, qui noua, & illis contraria credenda proponunt. Herbrandus quidem illos patres qui eadem docuerunt, quæ nos in Ecclesiâ fuisse concedit, in illis quisquilias, in nobis damnabiles errores esse profite„ tur. Thesi 135. [Sed tamen retento fundamento per „ Christū saluati sunt, quotquot in Christum vere cre„ diderunt, abiecta fiduciâ in propriâ opera & aliena, „ solius Christi merito confisi sunt.] Thesi 136. Negat se æque Clementes esse in Pontificios. Rationem red„ dit. Thesi 137. [Et ingens est discrimen inter illos, qui „ superioribus sub regno pontificio in erroribus & cœ„ citate vixerunt, atq; istos qui hoc tempore sunt. Illic „ enim Deus temporibus ignorantiæ, & cœcitatis ex „ multa misericordia dissimulauit multa, & infirmitati „ condonauit: quod pertinacibus in errore, cum veritatem oblatam recusant non item facit.]

At vero illos in nobis errores appellat, pestes, vlcera, tætros errores & idolomanias pluſquam Ethnicas. Thesi 79. 91. 98. Cur vero in Christi ouili ista non fuere mortifera, nunc vero continuo necant? Dionysius areopagita pro defunctis sacrificium offerre docet, & amicus Dei est, ouis Christi est, cur ego si idem facio mox in lupum mutabor? at ille Apostolos magistros habuit, ideoq; minus excusationis error illius habuit, quam meus, qui Apostolos, Dionysium, cæterosque habeo præceptores ita sentiendi, & auctores faciendi.

Oratio pro defunctis.

QVÆSTIO IV.

Quis ostiarius?

§. 1. SYrus vocat נטר טרעא *natar targha*, custodem ostij. Alij Mosen appellant, qui tabulæ dator sit, & custos, Christum præcipuè prædixerit, & typo significarit. Toletus Cardinalis Spiritum sanctum, alij Deum esse aiunt. Solum videri posset non conuenire Deo ianitoris officium, quod ianitor Domino & patrifamilias minor esse soleat, plerunque seruus, & crebro durâ catenâ ligatus. Deus autem & Spiritus sanctus supremus est ouilis conditor, & Dominus. Verum non sunt omnia accommodanda. Ianitor est, qui admittit, & excludit, aperit, & claudit. Ille Christo dedit Ecclesiā, eumq; caput fecit, nec enim omnia omnibus comparanda sunt, vt alijs in similitudinibus ostendi. Alioqui & Christus ianitor est, qui habet clauem Dauid, sed ianitor & Dominus, sicut hic pastor est, & ostium: cur non & ianitor?

Deus & Christus ianitor.

QVÆSTIO V.

An oues omnes sciant vocem pastoris?

§. 1. PAstor oues antecedit, ne errent quæ sequuntur, quia vocem eius norunt. Ante omnia admiranda est in simplicissimâ pecude τῆς ἀκοῆς. *auditus*, præstantia. Inter mille balantes vocem matris discernit agnus, & vocem pastoris grex vniuersus. Discretionis Spiritum suis electis Caluinus tribuit, vt à veritate non abducantur, sed veritatem à falsis hominum figmentis, discernant. Experientia sanè docet, diu *Ouium aliq.* multumq; oues aberrare: nec in omnibus esse Spiritum discretionis, quo vera & falsa dijudicent: atque adeo ipsæ oues doctrinam & errores videre possint. Aliquando enim & alienos sequuntur. Quod si de ouibus loquamur quæ sunt ex prædestinatione, diu multumq; sæpe alienos audiunt. Latro in cruce demum vocem pastoris agnouit. Oues vero quæ iam *Oues non* gratiam consecutæ sunt, dum sequuntur, vocem a- *semper.* gnoscunt, sed aliquando agnoscentes alio vertuntur, aliqua rei creatæ illecebrâ adductæ.

VERSVS 18.

Omnes quotq; venerunt fures sunt & latrones: sed nō audierunt eos oues.

QVÆSTIO I.

Qui fures & latrones?

§. 1. QVod est in quibusdam libris, ἀντε με, ὡς ἐμέ, non est in emendatioribus, nec in Syro exemplari. Fures & latrones sunt, qui & lupi qui oues dispergunt. Manichæorum erat hæresis: Fures & latrones esse omnes Prophetas. Hunc enim locū contra vetus Testamentum interpretabantur. Testis est August. contra aduersarium legis & Prophetarum l. 2. c. 4. cum autē constet Prophetas à Deo missos, & sanctos fuisse, de illis nequaquam textus intelligi potest.

Particulam itaque πάντες restringunt interpretes. *Omnes falsi* Quidam sensum esse; omnes qui venerunt tanquam *Prophetæ*, ipsi Christus essent, & pro redemptore se venditarunt, *qui se pro* vt Iudas Galilæus, & alij, inter quos & Herodes fuit. *Messia vene-* se videtur. Hunc in modum fere Chrysostomus & *runt.* Theophylactus. *Non de Prophetis hoc intelligendum, vt a-* *Prophetas* iunt hæretici: illos enim audierunt, & per illos Christo credi- *fuerunt fu-* derunt; sed de Theudâ & Iudâ, & alijs seditiosis. *derunt.* Hæc ille ter & la- *contra Manichæos & aduersarios legis ac Prophetarum. transc.*

Cum

Cum enim oues laudentur, quod alienos non audierint, de Prophetis accipi verba Christi non possunt, Eos Christus in nomine suo venisse alibi confirmat. Alij ad omnes falsos doctores extendunt, & vim oppositionis collocant in verbo, *venerunt*: Nam suâ sponte venerunt, non missu legitimæ auctoritatis. Ideoq; more luporum sine vllo iure, metâ cupiditate prædæ, & nocendi libidine venerunt. Augustl.2.c.4. citato, ita respondet Manichæis. p.260. *Illud quoq;*, ait, *dixisse Dominum*: Ego sum ianua ouium: Omnes alij qui ante me venerunt fures sunt & latrones. *Venisse quippe hoc loco intelligi voluit illos qui missi non fuissent: Quos arguit etiam Hieremias, dicens*: Hæc dicit Dominus de Prophetis, qui Prophetant in nomine meo, & ego nõ misi eos. *Illi autem, quos insanus iste blasphemat, à Domino missi sunt, non sponte venerunt. Quos & Dominus per parabolam quidem, sed apertissimâ significatione declarat, vbi dicit.*

Idem tractatu 45. in Ioannem, alias interpretationes addit, p.136. *Quid est hoc Domine, omnes quotquot venerunt? Quid enim? tu non venisti? sed intellige. Omnes quotquot venerunt dixit, vnius præter me. Recolamus ergo. Ante aduentum ipsius venerunt Prophetæ, nunquid fures & latrones fuerunt? Absit, non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus præcones præmittebat, sed eorum corda quos miserat, possidebat. Vultis nosse quia cum illo venerunt, qui est ipse semper? Carnem quippe accepit ex tempore. Quid est ergo semper?* In principio erat verbum. *Cum illo ergo venerunt, qui cum Verbo Dei venerunt.* Ego sum, *inquit*, via & veritas & vita: *si ipse est veritas, cum illo venerunt qui veraces fuerunt. Quotquot ergo præter illum, fures sunt & latrones, id est, ad furandum & occidendum.*

§.2. Potest & alio fieri modo illa restrictio. Nempe omnes qui ascenderunt aliunde, non intrantes per ostium esse fures & latrones: quæ Chrysostomi & Augustini interpretationes coniungit: & signum clarum est, vnde oues cognoscant lupum esse, qui effracto pariete ingreditur, non per ostium. Nam oues aperto ostio non terrentur, sed si aliunde, insuetâ apertura irruptio fiat. Atq; hæ sunt veræ interpretationes, minus ad rem illi, qui poni præteritum pro futuro arbitrantur. Fures aliqui falsos doctores, latrones, tyrannos interpretantur, verum sunt ijdem: nam furantur, vt sibi mactent, aut vendant. Et doctores falsi, cum potestas adest, etiam gladio sæuire solent. Princeps horum Satanas est: Verè Clemens Alex. l.1. strom. p.134. 28. latrones nobis illos exhibet.

§.3. Latro & fur Diabolus dicitur. Pseudoprophetas miscens Prophetis, quemadmodum tritico Zizania, omnes proinde qui ante Dominum venerunt, fures & latrones, non omnes quidem homines, sed omnes pseudoprophetæ, & omnes, non authenticè ab eo missi. Habent pseudoprophetæ, nomen Propheticũ, cum Prophetæ sint, sed illius mendacis, &c. Inter falsa, & vera quædam dixerunt pseudoprophetæ, & reuera ipsi in Ecstasi prophetarunt, tanquam apostatæ illius ministri. Hoc paulò ante de Philosophiâ, & Philosophis dixerat, & veros doctores ab illis separarat. p.133. 42. Omnes ante præsentiam Domini fures sunt, & latrones. *Omnes ergo*, p.147. l.7 strom. *Ibi qui in sermone continentur, qui fuerunt ante susceptam à verbo carnem, ex iudiuntu generaliter. Sed Prophetæ quidem, vt qui à Domino fuerunt missi, & inspirati, non fures, sed ministri. Dicit itaq; scriptura.* Misit sapientia seruos suos conuocans cum celso præconio ad craterem vini.

§.4. Quomodo autem Philosophi fures fuerint, libro quinto stromatum demonstrat. Quod in posteros Philosophorum hæreticos optimè quadrat; nam & ipsi quædam vera retinent, vt falsa condiendo fallant; mendacium autem furto affine est, & aurea sententia est, ὁδηγεῖ δὲ τὸ ψεῦσμα πρὸς τὴν κλοπήν, *ad furta mendacium manuducit*, vt monet Clemens l.1. st. om.

§.2. Hæretici etiam quamuis post Christum venerint eodem in censu locandi sunt. Ita Manichæis August. exprobrat. l.16.c.12. contra Faustum. *Deinde subiungis, ipsum te audisse diuinitẽ fures fuisse & latrones omnes, qui venerunt ante se. Vnde illum audisti, hoc dicentem nisi ex Euangelio? At si hoc, quod ita credis ex Euangelio, vt tanquam ex ore Domini te audisse dicas alius falsum esse contendat, atq; hoc dixisse Christum neget, quò ibis? quid facies? nonne Euangelicâ authoritatem, quantis potueris viribus prædicabis? Misser, illic scriptum est, quod non vis credere, vbi didicisti, quod ita credas, vt hoc te ab ipso Christo dicas audisse. Eccenos virunq; scio. credimus quia Euangelio sancto credimus, vbi vtrunq; scriptum est, & Christo scripsisse Moysen, & omnes, qui ante Christum venerunt, fures fuisse & latrones. Venisse quippe ita vult intelligi, quia missi non sint: nam qui missi sunt, sicut Moyses & S. Prophetæ, non ante ipsum sed cum ipso venerunt, sed eũ per ipsos loquentem humiliter portauerunt. Vos autem, qui hæc verba Domini sic intelligitis, secundum vestrum intellectum satis cõfitemini nullos vos habere Prophetas, qui venturum Christum prophetauerunt: & ideo vobis eum sicut voluistis, ita finxistis. Nam si aliqui sunt vestrum, quibus quidem propterea fides habenda non est, qui à non nisi à vobis proferuntur: tamen si aliqui sunt, quos dicere audeatis prophetasse Christum falsa carne venturum, falsa morte passurum, falsas cicatrices dubitantibus discipulis oblaturum, non dico, ex hoc ipso quam sint detestandi, atq; fugiendi, quamq; nõ possint esse veraces, quibus de mendacio Christus placet: vt hoc non dicam, certè vt dicere cœperam, secundum istum intellectum vestrum fures fuerunt & latrones, quoniam ante Christum venerunt, qui eum venturum quoquomodo prædicarunt. Porro si ille intellectus est verus, vt ipsi ante Christum venisse dicantur, qui cum Christo id est, cum verbo Dei venire noluerunt, sed cum eos non miserit Deus, mendacia sua hominibus attulerunt: vos quoq; ipsi, quamuis post Christi passionem & resurrectionem in hoc mundo nati fueritis, fures & latrones estis: Quia priusquam vos ipse illuminaret, vt veritatem ipsius prædicaretis, eum anteuenire voluistis, vt vestram fallaciam iactaretis.* Prophetarum defensio.

Conueniunt sanè illis ex amussim furum, latronum nomina, quia rem ipsam tenent, nec qui eos audiunt & colunt, in ouili sunt Domini, boni pastoris, sed λυκοποίμενες, quos Clemens Alexand. l.4 strom. lupos pro Deo coluisse docet. Est autem lupus, ὄρνεον πλεονεκτικὸς, *ferus & acquirendi auidus*. Est ille ἐν τῇ ἀνθρώπων μορφῇ ἁρπαγὴς ταχὺς. *In forma humanâ rapax*. Eas egregiè eodem libro describit Clemens, quẽ lector consulat.

QVÆSTIO II

An ad hæreticos furum & latronum ingressus pertineat?

§.1. CAluinus ne ipse cum suis non legitime videatur ingressus, ostium & totum ouile euertere conatur. [Contendit ergo, *inquit*, non omnes in pastorum vel ouium numero habendos, qui externũ in Ecclesiâ locum vsurpant. Sed hac demum notâ legitimos pastores à reprobis, genuinas oues ab adulterinis discerni, si ipse vnus omnium sit scopus, principium & finis.] Resp. Omnino necessarium esse, vt omnium scopus, principium, & finis sit Christus, quod quidem in controuersiam non venit, vti nec illud. Non omnes legitimos pastores, qui externum sibi locum vsurpant. Illud verò necessarium omnibus sæculis monitum: vt quamuis interdum mali pastores bonorum occupent cathedras, caulasque, nec continuo dignosci queant, omnes tamen ingressum in ouile considerent, quamuis enim per ostium ingrediantur aliquando mali, aut post ingressum fiant mali, de quo non disputo. Tenendum tamen est; omnes, qui aliunde ingrediuntur, & non per ostium esse malos, omnes fures & latrones. Hoc symbolum est pastoris mali, aut lupi sub pelle ouium laruati, si non per ostũ ingre- *Ingressus in ouile considerandus.*

Malus est qui male ingreditur.

ingrediatur. Quemadmodum vel legitimâ successione, vel electione rex creari potest improbus, & iniustus: nec de futuri regis integritate nos inauguratio, & diadematis fulgor certos reddit; ita nec de moribus Episcopi ordinatio. At si quis per fraudes, violentiamque, & malas artes regnum inuadat, nemini dubium est, eum non modo improbum, sed etiam tyrannum esse, in quem pro rege legitimo arma sumere fideles subditi tenentur. Nec causa eius disceptatur cuius manifesta tyrannis est. Hæc ratio tenenda est Christianis. Multa sunt in hominum consilijs, animisq; obscura, tecta, fucata, simulata, sublaruâ sanctitatis tegit immania scelera hypocrisis, nec aduerti omnia, notarique possunt. Lupus sub pelle ouillâ aliquandiu delitescit, at si aliunde irrumpat, non per ostium, si desit legitima missio, successio; iam non dubia fraus est, lupus est, ad resistendum conclamatur. Magnum in eo præsidium est rudibus, vt vbicunque in Dei sanctuarium vident occluso ostio per ruinas aliquem irrumpere, certo statuant hostes Euangelij esse, nec audiendos. Sanctuarium, inquam, Dei, locum externum, Ecclesiæ iurisdictionem vsurpatam. Non enim doctrinam Christi, tenere aut tradere possunt, qui contra Christi mandatum irrumpunt, & sibi sumunt honorem. Qui autem illa vident, & sequuntur, sponte lupis & furibus sese exponũt. Non omnes boni sunt pastores, qui pro talibus se iactant, nec oues quæ externis insignibus gloriantur, fateor; hoc vere Caluinus dicit: Verum non hoc agitur, vt negemus, hypocritas esse in Ecclesiâ, sed κεῖσθαι, ponitur, quo lupos cognoscamus. Non sunt pastores omnes, qui se tales iactant, at lupi sunt omnes qui in ouile Domini iniussu irruunt. Potest latere sub ouillâ pelle lupus, at si in suâ pelle, & suo rictu appareat lupus, nemo tam verors est, pastorem vt credat. Aliquando ouium exuuias induit lupus, nunquam lupinâ se vestit ouis. Scelus esse nouit, vel in suum commodum, vel dedecus mentiri; ouium sibi insignia circumdat lupus, vt fallat, luporum infamem habitum ouis abominatur. Certum est, & euidens indicium furis, & latronis, si nullâ serie successionis, electionis, missionis noui doctores in Ecclesiam irrumpant. Hoc consilium Christi est, ostendere tesseram quam secum ferant, dedecoris sui testem omnes qui doctrinam Catholicam violare contendunt. Vnde enim venerunt? quâ ratione ingressi sunt? Vnde ius pastorale illis datum est? Pastores veri sunt qui ad Christum adducunt, mali, qui ab eo abducunt. Præclara oratio. At qui lupi sunt semper abducunt, etsi enim adducere quandoque videantur, id tamen agunt, vt longius remoueant. Hîc lupi nobis mores Christus ostendit, quem nunquam sequi ouis debet, quantumcunque amœnâ deducat viâ, ad lanienam enim deducit.

Nunquam ouis maceriam diruit, aut aliunde ascendit.

§. 3. Animaduertere igitur fideles oportet, vnde ascendant, qui veniunt, testimonia missionis exquirere est necesse, si enim in castra nemo, nisi dato signo accipitur, cur in Dei Ecclesiam admittentur ad pastorale officium, quorum mens & fides, & vocatio incerta est, imo quorum ambitio & irruptio non est dubia. Hinc monet Christus. Attendite à falsis Prophetis, Matth. 18. & 14. & Ioan. 20. Doctrinam internoscere initio non licet rudibus, si nihil contra receptam fidei regulam inter initia disputet. Lupus ouillâ pelle tectus, quamdiu compositè inter oues degit, nondum quis sit, agnoscitur. At si perfosso pariete eum irrepere

Nemo audiendus qui aliunde ascendit.

videant, nõ ire per ostium, hostem nemo dubitat. Ne igitur aberrent, animum intendant, quis ductor sit, pastor an lupus? Docentis personam intueantur. Insignis illa fraus est Satanæ cum audiri se postulant hæretici, non personis æstimandam fidem, sed ex fide de personis iudicandum. *Non quis dicat, sed quid*, ait

Persone ingressus est spectandus.

Acontius, lib. 6. stratagematum Satanæ. Hoc modo ingressus est Arius, hoc modo Photinus, alij: Hoc stratagemate Acontiano vsus est Manichæus. Credere sibi nolebant, scientiam, demonstrationemq; pollicebantur, audire se postulabant: & dum quædam vera docebant, latenter falsa ingerebant, quæ fallerent oculos etiam eorum, qui in lege Domini exercitati videbantur.

Respond. Itaq; aduertendum quis sit, an ianuæ sit vsurpator? an parietis perfossor? in disciplinis humanis ratio dictorum, non vita docentis perpenditur. Intellectu enim audita iudicantur, in religione præscribitur auctoritate; nemo enim docere sinitur, nisi quem Deus miserit. Nec enim Satanas vel certa & sancta docens audiendus est, nec Pseudoprophetæ eius administri. Nam vt recte Chrysostom. hom. 29. 1. Cor. docet. Diabolus ipse verum aliquando dicit: Primum vt rerum ordinem confundat, deinde vt Apostolorum auferat dignitatem. Postremo vt multitudini persuadeat, quo sibi attendat. Quæ ne fierent, etiã dæmonũ vera dicentium ora Christus obstruxit. Porrò ita veris sibi fidem præstruunt, vt cum existimationem sibi parauerint, efficacius fallant.

Satan etiã vera docens audiendus non est.

§. 4. Nemo hæreticorum nostri temporis per ostium, ne quidem à principio ingressus est. Sed ipsi Deo prohibente prosilierunt. Maior olim fuit in veris pastoribus scandali occasio; cum Nestorius Episcopus ante orthodoxus in medio ouili efferatus est in lupum, locum tenebat, quem iure ingressus putabatur. Nec ex ipso incessu notari lupus potuit, sed tum demum, quando refixis Ecclesiæ scitis, scripturas depraua-bat, & noua dogmata inferebat. Oues autem cum hactenus pastoris vocem audissent, mox sonante vlulatu lupi perculsæ sunt. Discernebant autem vocem ab vlulatu, cum apertè fundamentum Christianæ religionis videbant quati. Non est magnum tunc discernere Spiritum, quando ad aliqua peruenerit, vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores, vel contra regulam fidei. Tunc enim à multis discernitur ait S. Augustinus de Gen. ad literam lib. 12. cap. 14. Tarda est illa, non sera tamen lupi agnitio. At nostri sectarij omnes primo in aggressu rabiem præferunt. Missi non sunt, & currunt, ostium declinant, per ruinas, qua data via ascendunt. Quis enim post stigmata de Ecclesia profugum, Ecclesiæ pastorem fecit? Quis Bezam proprio suorum scelerum præconio infamem in Christi ouile recepit? & oues pascendas commisit? venerunt à seipsis. Hodieque veniunt. Non enim ab vlla legitima auctoritate mittũtur. Nec possunt negare, qui per Europam sparsi sunt sectatorum cœtus. Episcopos non habent, ab illis non ordinantur. Hac de re alias à me actum est. Nunc placet ex ipsorum libris argumentum. Qui ab Episcopis ordinati non sunt, & missi, aliunde ascenderunt, nulli hæreticorum ministri ab Episcopis, vel ordinati vel missi sunt, Non habent ergo legitimũ ingressum, sed aliunde venerunt. Adrianus Saravia contra Genebenses hoc demonstrat. p. 423. ad quem lectorem relego, ex quo constat, totam Galliam iudicio Britannorum veris sui Euangelij carere pastoribus.

Hæretici per ostium non ingrediuntur.

§. 5. Non audierunt illos oues, sed etsi interdum aliquæ aliquandiu deceptæ sunt, non audierunt tamen perseueranter, vt Augustinus interpretatur, & Theophylactus, aliquos ἀποκλαπέντας paululum seduci, deinde ad caulas tamen reduci. Quod verissime de illis dicitur, qui oues sunt prædestinatione. Aliæ oues cũ audiunt, & sequuntur hoc ipso oues esse desinunt, alienum enim audiunt. Ridicule hîc furit Bulling. in Pontificem, q̃ se audiri postulet, & Christi vicariũ appellat. Nam hoc ipso quod Vicariũ se, & legatũ Christi appellat, ad Christũ nos adducit, p̃ quo legatione fungi-

fungitur. In ipso enim Christus loquitur, vt supra ex Augustino docui. Si enim Dominus cognomen pastoris communicat Apostolis, atque alijs Ecclesiæ præpositis, vt hoc loco Musculus disputat; Quid tandem peccati est, si vicarium se Christi summi Pastoris Pontifex profiteatur?

VERSVS 10. & seq.

Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet, &c.

QVÆSTIO I.

Quis Christo, & quis sit furi scopus?

Vnus pastoris & furis.

§. 1. FVri & latroni, vnus atque idem est scopus propositus, mactare & perdere. Nam à suo pastore greges separare conantur, & à reliquo grege vniuersæ Ecclesiæ abducere. Solitariæ autem oui perendum est. Christus venit, *vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Seu vt Syrus dicit: *Et quod est abundantius habeant.* Magnam enim gratiam, magnamq; gloriam promittit, omnia abundantissimè præstiturus est, & vitam, & omnia vitæ ornamenta. Studium furum describit nobis Hieronymus Commentario in c. 7. Michææ. *Et dicamus scriptum de hæreticis: Nolite credere in amicis, ô populi simplices, & in ducibus prauis, qui se amicos & principes hæreseon esse promittunt: non enim vestram salutem, sed sua quærunt lucra, & deceptum gregem pedibus suis conterunt: & ei quæ tecum dormit caue nequicquam credideris, quam non possumus aliam intelligere nisi carnem: vt non facilè credamus carnis blanditijs, ne animi duritia virilisq; constantia illius edomita mollescat illecebris. Filius enim, qui natus à Deo est, neglecto creatore suo, blasphemat eum, à quo conditus est, dicente scriptura*: Nonne pater vnus omnium vestrum? *Nonne Deus vnus creauit vos? & anima cœlestem despicit Hierusalem, matremq; contemnit Ecclesiam, quam qui contempserit, morte morietur.*

Verissima est in nostris sectarijs Prophetia, quorum hoc caput est, Pontificem, & vnionem Ecclesiæ oppugnare, in cæteris facile dissident, seque mutuo tolerant.

Hæretici primo ab Ecclesiâ, deinde à seipsis desciscunt.

Nunc quoq; simile studium hæreticorum experimur; abducunt discipulos post se, deinde lanienæ offerunt, ab Ecclesiâ desciscunt Catholicâ; deinde à seipsis, alij ab alijs. Vnus erat quondam Lutheranismus: mox in centenas factiunculas dissectus est. Fieri enim potest, vt omnes errent, at vt in vnam viam aliam, in vnum errorem omnes conspirent, fieri non potest. Postquam enim suum singuli iudicium in sacris literis exponendis præferre cæteris inceperunt, etiam discipuli à magistris hæreticis, hæretici secessionem fecerunt. Cur enim Lutheri dictata reciperet Melanchton, cum ab illo quindecim sæculorum doctores videret esse contemptos.

QVÆSTIO II.

Quomodo bonus pastor det animam pro ouibus?

§. 1. TRiplex est pastorum genus. Nonnulli sub laruâ pastorum lupi sunt, fures, & latrones, de quibus dictum est: alij mercenarij de quibus v. 12. dicetur. Boni autem pastoris notam insignem proponit: *nempe. Animam dare pro ouibus.* Nec modo per ostium ingressus est, quod aliquando etiam mercenarius facit. Sed postquam ingressus est: ad mortem vsque pro ouium salute decertat. Excitant quæstionem hoc loco, vt mihi videtur minime necessariam. An liceat pro re temporali vitam periculo exponere? Respondent id fieri posse: nam pro opibus, pro libertate, pro famâ ferro decertare solent. An vero si leo, vel vrsus, aut sanè lupus occurrat, præstet ouium iacturam quàm vitæ facere, non est dubium homini prudenti. Satius est pecora, quam homines laniari. Christus loquitur de pastore, qualem homines fidelem arbitrantur. Eum nempe qui feris, & furibus se solerter opponit, etiam cum vitæ periculo, & si non omnes eruere potest, quam plurimas tamen seruare conetur, quod ouium damna ipse sentiat. Mercenarium vocant, qui mox imminente periculo fugit. Talem se reuera pastorem Christus, imo multis, modis meliorem profitetur, qui ideo venit, vt oues vitam habeant, & abundantius habeant, atque interim ipse sciens volens animam suam det pro ouibus, in cruce enim pro cunctis mortuus est.

Pro temporali damno vita an impendenda?

§. 2. Cum data pro ouibus anima dicitur, refutatur hæresis Osiandrina, Funciana, Sociniana, qui impiè negant mortem Christi fuisse satisfactionem, & lytrum persolutum esse. Illi enim veterem Samosatenianorum hæresin reuocant, & nostrâ redemptionem simplicem interpretantur liberationem, seu metaphoricam, non autem per modum lytri depensi. Nam Matth. 20. 28. 1. Tim. 2. 6. vti & hoc loco dicitur: *animam dedisse, & seipsum*, additur vero λύτρον & ἀντίλυτρον, quibus ex verbis, hæc etiam sunt exponenda. Ita enim olim Bernard. Epist. 190. & Epist. 194. & 195. & 196. contra Arnoldum de Brixiâ, & Petrum Abailardum disputauit, eos deinde hæreticos Synodus Romana damnauit.

Christus lytrum pro nobis persoluit.

Nec minus Caluiniana blasphemia à Christo refutatur, cum dicit bonum pastorem esse, qui animam dat pro ouibus, in mortem scilicet, non autem in damnationem, etiam temporariam, at Caluinus morte nihil actum censet, nisi hominis damnati dolores accessissent. Ipsa parabola ostendit violenter scripturam torqueri. Bonus enim pastor, cum lupi insidiantur, fures & latrones infesti sunt, pro ouium salute non damnationis æternæ, sed mortis periculo depugnat. Nec maior sanguini Christi irrogari potest, quam cum adeo leue eius precium fuisse dicitur, vt sine pœnâ hominis damnati lytrum esse non potuerit. Certum vbique precium quod pro captiuis persolutum est in scripturâ nobis proponitur, & in sanguine consistere dicitur; Rom. 3. 24. Per redemptionem Christi sanguine factam, Eph. 1. 7. Per sanguinem, Heb 9. 16. per mortem, 1. Pet. 18. Redempti estis, non auro, vel argento, sed pretioso sanguine. Sanguine precioso, non desperatione, non damnatione preciosa redemptoris. Et Apocalyps. 5. 9. Iusti se sanguine Domini, non mortis æternæ horrotibus redemptos clamant. Maneat ergo, Christum verè soluto precio nos redemisse, & mortis ac sanguinis, merito, satisfactione verâ: non pœnis damnatorum.

Sanguis Christi lytrum.

§. 3. Causæ cur Christi propriam redemptionem lytrum, satisfactionem negarint, Christo Socinus & Osiander, sumptæ sunt ex impijs Caluinianorum, & Lutheranorum contra sanctorum merita argutijs. Sanctorum opera dicunt non esse indebita, esse creata, esse ex gratiâ. Atqui illis eisdem argumentis Osiander probare conatur diuinam solam naturam nos redemisse, iustificasse, à morte liberasse. Monstrosa eius est sententia, sed è principijs Caluinismi, & Lutherismi. Ratio eius 33. *Quicquid nos à morte liberat, est Deus, non homo.*

Causæ Osiandrismi.

Et ratio 39. *Creatura liberare non potest, non dare iustitiam.*

Vide rationes 40. 42. 56. cæteras, omnes ratione carentes.

Et vt compendio persequar. Vnâ sententia omnia complexus est Funcius. *Si obediens passio Christi est nostra iustitia, tunc Christus ipse non est nostra iustitia. Christus ipse non est passio, nec passio Christus. S. Paulus autem & tota Ecclesia Catholica, confitentur Christum ipsum, esse fundamentum, & iustitiam nostram.*

Hæc quamuis puerilia sint, & inter miseros illos Antabatas agitentur, idcirco tamen attuli, vt appareat, eisdem argutijs sanctorum merita, & Christi non modo merita, sed etiam sanctificationem nostram, & redemptionem tolli. Neque enim argumentis opus est, sed audisse nugas, est soluisse. Quis enim nescit à morte nos liberatos à Deo, à diuinâ naturâ, sed precio, merito, satisfactione sanguinis Christi, dignitatem à diuinâ hypostasi habentis. Quod vero iustitiam nostram creaturam negat, planè est ridiculum, sed ex Caluinismo, qui omnem creaturam imperfectam fingit, quasi non possit creatura per rem aliquam creatam fieri iusta. At renouatio, regeneratio, omnis illa sunt res creatæ, & dona Dei. Nec potest sine Deo esse nostra iustitia quamuis Deus nō sit. Est enim donum Dei quod qui accepit, sine Deo esse non potest, quamdiu donum Dei in ipso est. Denique quod ait creaturam non posse vitam præbere, verissimum est Deus homo vitam probet, non nudus homo. Quibus ex rebus apparet Osiandrinos disertè, & absque fuco impios esse, nec Christi sanguini quicquam deferre; alios ita contra eos disputare, vt tamen occasionem & argumenta suppeditent.

Iustitia nostra creata est.

VERSVS 12. 13.

Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est: & non pertinet ad eū de ouibus.

QVÆSTIO I.

Qui mercenarij?

§. 1. MErcenarium Dominus definit, qui non est pastor, *cuius non sunt oues propria*, qui fugit, cui oues non sunt curæ, quia mercenarius est. Bonus pastor animam *ponit*, vt Syrus habet: & Nazian. p. 891. & Ambrosius T. 4. p. 163. Latinus, dat. Græcus τίθησιν, vel διδωσιν. ponit, vel dat; nulla sensus diuersitate. Tanti sunt illi oues, at mercenarius, nō est illi cura de ouibus, οὐ μέλει αὐτῷ. Est vero mercenarius cui non est cura ouium salus, nisi solum ob mercedem, quiq; in re sacra illud vsurpat.

Mercenarius non oues sed lucrum petit.

Μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένῳ ἄρκι ἔσω.
Merces viro amico dicatur sufficiens & æqua.

Horum ingens est multitudo, & olim erat cum Dominus quereretur non esse, qui clauderet ostium suum gratis. Porro duplex est operariorum genus, qui mercedem præstolantur. Quidam enim exspectatione sui commodi, verè tamen laborant, alij palam flagitiosi sunt. Qui tamen cum vera doceant, audiendi sunt, tenent enim Cathetham Mosis, & Apostolorum, ita etiam monet Augustinus tract. 46. in Ioan. & serm. 49. de verbis Domini, & Chrysost. hom. 7. in Ezechielem.

§. 2. Pastoris igitur boni est, pro ouibus mori, fugere mercenarij. Quando fugere liceat. Disputat Athanasius l. de fugâ suâ, & Augustinus l. 2. c. 8. contra Gaudentium. Tertullianus etiam de fugâ pastorum, imo Christianorum librum conscripsit. Tenendum non omnem pastoris fugam vetari, sed eam quæ sit mercenarij, cui oues curæ non sunt, quâ oues exponuntur rapacitati luporum, dissipantur, & perduntur. Fugit Athanasius, ante eum Cyprianus, & multa Episcoporum millia. Fuga sæpe vtilior est ouibus & magis necessaria gregi, quam mors pastoris, de illa dixi comment. in Matthæum. Vide etiam Augustinum Epist. 180. ad Honoratum

Mercenarij etiam vera docent.

§. 3. Commendat autem Dominus omnibus, qui præsunt iteratâ repetitione ouium diligentem curam, vt quærant, quemadmodum docet Theophylactus τῶν προβάτων ὠφέλειαν, *non autem αἰσχροκέρδειαν*, emolumenta gregis, non quæstum lucri turpis. Magnum est enim inter pastorem ouium, & populi præpositum discrimen; vt est apud Nazianzenum oratione primâ, pag. 45. *Haud quaquam idem esse existimabam, ac ne nunc quidem existimo gregi aut armento præesse, & hominum animas gubernare. Illic enim quam pinguissimas & obesissimas oues ac boues reddere sufficit: idq; sibi & pastor & bubulcus, ob oculos ponens, irrigua & compascua loca explorabit, gregemq; & ad pascua ducet, & à pascuis educet, fessumq; recreabit, & alio mouebit, ac recreabit, aliquoties quidem pedo, vt plurimum autem fistula. Nihil porro aliud negotij pastor aut armentarius habet, quàm vt cum lupi nonnunquam pugnet, atq; interdum etiam ægram ouem aut bouem visitet. Magna autem temporis parte quercus ipsi, & vmbra & fistula curæ erunt, & in pulchra herba corpus sternere, atq; propè gelidam aquam, & sub leuissima aura lectum ex tempore compingere, amatorium etiam quiddam cum Cysibio cantillare, ac oues vel boues alloqui, & ex his etiam pinguissimas quasq; comedere, aut pretio addicere. Virtutis porrò ne leuissima quidem cura gregem vllum aut armentum vnquam tetigit. Quæ enim virtus eorum esse queat? aut quis eorum commodum potius, quàm voluptatem suam spectauit?*

Atque vtinam illa considerarent prælati, qui bona Ecclesiarum, etiam parochialium quasi gurgites absorbent, parum solliciti quomodo salus animarum procuretur. Interim hæreses obtinent, bella premunt, quorum malorum finis sperandus non est, donec illi, quibus aliorum corrigendorum onus impositum est, se ipsi corrigant.

Curapistorum.

Et eodem modo circa finem orationis, atque eius exegetes Elias Cretensis. Quantam vero sollicitudinem suscepisset, cum Episcoparum adnisit, oratione ad patrem Gregorium, quæ est septima, exponit. *Hæc sunt, quæ ego metuens, acerbitate ac mœstitia impletus sum, eodemq; modo affectus, quo pueri ad fulgetra, ex quorum spectaculo communctam cum admiratione & stupore voluptatem capiunt. Spiritum enim simul & amaui, & eximum: nonnullo q; temporis spatio opus habui, vt me ipse colligerem & excitarem, ac meliori tutioriq; parti adiungerem: vt subducente sese mœrore, nō secus ac Zizanijs in semine, malisq; cogitationibus meliori consilio cedentibus, spiritus iam plane vinceret, meq; ad simulatum suum & ministeriū vteretur, ad populi huius instaurationē, ad vtrumq; doctrina genus, tam quod in sermone quā quod in opere vitæq; exemplo consistit, per arma iustitiæ tam dextra quàm sinistra, ad commodam pascendi gregis rationem, à mundo abstrahentem, ad Deum adducentem, corpus exhaurientem, Spiritum augentem, tenebras fugientem, lucē gaudentem, feras propellentem, ouile colligentem, præcipitia & desertas solitudines cauentē, ad montes & edita loca greges impellentē.*

Clemens Alexandrinus lib. 1. prædagog. appellari pædagogum nostrum ait Christum, eumque imitandum præsulibus proponit, pag. 44. πῶς ἂν ὁ ταῦτα νοεῖν τὸν ἱκανὸν ἐπιτηδείως τὸ μάλα τῶν νηπίων; εἶτε παιμένες ἐσμὲν, οἱ τῶν σκηνῶν ποιμένες ἡγεμονικοὶ καὶ εἰκόνα τοῦ ἀγαθοῦ ποιμένος. *Quomodo igitur*

Bonus pastor.

gitur non est intelligendum Apostolum hoc modo intelligere hac infantium siquidem pastores sumus qui Ecclesiis præsumus ad imaginem boni pastoris?

VERSVS 14. & 15.

Ego sum pastor bonus: & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis.

QVÆSTIO I.

Quomodo cognoscat oues?

§. 1. IGnorat ouium faciem Mercenarius, rarò enim visit. Non est enim illi curæ ouium salus. Agnoscit pastor bonus, quia per eum, & in eo viuunt. Eum oues vicissim cognoscunt, amicitiæ enim & familiaritatis est cognitio. Cognitio non modo approbationem, affectumq; significat hoc loco, sed præcipuè prouidentiam, quâ omnia ouibus euentura præsciuit, & rationem eas tuendi constituit. Cognoscunt autem Christum oues fide, non eo modo quo cognoscuntur: nam multi nesciunt se oues esse, sed Dei misericordiâ fiunt oues.

§. 2. Diuinitatem, & cum patre æqualitatem cognitionis paritas demonstrat. Deum enim eo modo cognoscere, quo cognitus est, nemo potest, nisi Deus. Chrysostomus ouium cognitionem, quâ pastorem cognoscunt inæqualem, Christi, & Patris æqualem dicit: Αλλ' ἐκ ἴση ἡ γνῶσις· ἀλλὰ ἔστιν ὅπως ἔστι πατρὸς, καὶ ἐμοῦ. *At non par cognitio, sed illa quæ Patris est mea, est æqualis.* Et Theophylactus multo clarius. ὅτως γάρ φησιν ἐπίσταμαι αὐτὸν ἀκριβῶς, ὡς αὐτὸς ἐμέ. *Sic enim cognosco accuratè ipsum, sicut ipse me.*

S. Athanasius accurate locum hunc perpendit: & Christi diuinitatẽ probat orat. breui contra Arianos: εἰ πρὸς κύριε λέγοντος· γινώσκει τὸν πατέρα τις εἰ μὴ ὁ ὢν ἐν τῷ πατρὶ ὁ πατὴρ πῶς ἐκ ἀληθῶς εἰσὶν ἄθεοι θεομάχοι, λέγοντες, μήτε ὁρᾶσθαι μήτε γινώσκεσθαι τὸν πατέρα τῷ ἁγίῳ ὁ τελείως; εἰ δὲ ὁ κύριος λέγει· καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα· ἐκ ἔκ μέρους ἡ γινώσκει τὸν πατέρα: ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν πῶς μαίνονται φλυαροῦντες, ὅτι ἐκ μέρους, καὶ πλήρης ὁ υἱὸς γινώσκει τὸν πατέρα; *Porrò cum Dominus dicat:* Nemo nouit Patrem nisi filius. *Et rursum:* Non quod Patrem viderit quisquam, nisi is, qui est à Patre. *Nonne cum Deo ipso pugnant isti, dum patrem à filio perfectè videri, cognosciq; negant. Etenim si Dominus dicit:* Quemadmodum nouit me Pater, ita & ego cognosco Patrem: *Pater verò non ex patre tantum cognoscit filium, profecto insaniunt isti, qui filium non plenè, sed tantum ex parte cognoscere patrem blaterant.*

§. 3. Tanti cognitionem illam fecerunt Vbiquitistæ, vt ex humana natura diuinam fecerint. Disputat Hunnii Hyperaspistes de omniscientiâ Christi, & ex eo, quod nouerat oues suas, ait communicatam humanæ naturæ omniscientiam diuinam. Cui doctissimè respondet in refutatione Mæuiani libelli nos ster Gretserus. [Si, vt par est, *p.*192.*c.T.*2. Conse» quentiam neges, mox audies hanc probationem: » Quia hæc scire proprium est diuinæ naturæ. Respon» deo: scire hæc talia per se, & per scientiam increatam » & infinitam: esse proprium Dei: At negamus huma» nam naturam Christi, seu Christum secundum hu» manam naturam, sciuisse hoc per se, & per scientiam » increatam & infinitam: sed ex dono Dei; idq; creato & finito; quia per lumen creatum & finitum hæc omnia cognita habuit.

Vbiquitistarum error.

Dixi iam in labyrintho Creticohunniano; si hoc Hunnianum & Mæuianum argumentum concluderet, secuturum, etiam Prophetas, omniscientiæ diuinæ attributum sibi communicatum habuisse. Quia & ipsi longè post futura cognouerũt, & prædixerunt: etiam ipsi cogitationes hominum occultas viderunt & peruiderunt: Etiam ipsi quid lateret in pectore sagaciter intuiti sunt. Nonne cor Elisæi 4. Reg. 5. præsens erat, quando reuersus est Naaman de curru suo in occursum Giezi? Nonne vidit Hælisæus, quamuis absens, quando Giezi accepit vestes & argentum? Nonne intellexit quo consilio hoc fecerit: videlicet, vt emeret oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas? Nonne idem Helisæus detexit occulta consilia & positas insidias Regis Syriæ 4. Reg. 6. Nonne hanc ob causam conturbatam est cor Regis Syriæ, existimantis inter suos esse, qui omnia proderet: quam suspicionem quidam ex famulorum numero ei eximere tentans: Nequaquam Domine mi Rex, aiebat, sed Helisæus Propheta, qui est in Israel, indicat Regi Israel omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclaui tuo. Nonne Sanctus Petrus Act. 5. nouit occultas fraudes & fallacias quibus Ananias & Sapphira Ecclesiam circumuenire studebant? Et quid multis ambagibus opus; si in Mæuiana stultitia aliquid momẽti ineſt, non in solo Christo, sed in omnib. Prophetis hanc Vbiquisticam omniscientiæ diuinę communicationẽ naturæ humanæ factã inueniemus.

Mæuius appellat hanc obiectionem stupidam. Stupida, inquit, Gretseri obiectio. Nec calumniæ suæ aliter conciliare fidem nititur, quam eius, quod in controuersia positum est, assumptione & repetitione, quã si in sua primordia resoluas, summa huc recidet. Magno discrimine prænotionem & prædictionem Christi & Prophetarum discrepasse: illius n. naturam humanam hypostaticè fuisse vnitam verbo: minimè verò naturam humanã Prophetarum; hinc in illam ipsi omniscientiæ diuinæ proprietatem transfusam; nequaquam verò in naturam Prophetarum: Quare naturam humanam Christi oĩa sciuisse per omniscientiã diuinam, non vero naturam humanam Prophetarũ.

An non est hæc egregia responsio? Quasi ideo necesse, vel etiam possibile sit, omniscientiam diuinam, vel aliam quamcunq; proprietatem in naturam humanam Christi transfundi, quod sit cum verbo hypostaticè coniuncta, ita vt quæ scit, non sciat per creatã, sed per increatam diuinamq; scientiam? Nonne hoc ipsum est de quo contendimus? Quam pulchrè ergo ipsam quæstionem pro responso nobis Mæuius apponit? si Heliſei vel alterius cuiuscunq; Prophetæ natura humana fuisset hypostaticè cum verbo vnita, non aliter nisi per lumen creatum, diuinitus sibi infusum, futura & abdita cordis consilia cognouisset & perspexisset: Impossibile enim est, vt creata natura aliter intelligat in se & per se, quam per scientiam creatam.

VERSVS 16.

Propterea me diliget Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.

QVÆSTIO I.

Quæ aliæ oues?

§. 1. VVlgatum est non inter doctos modò, sed etiam plebẽ. Vnum ouile ex gentib. & Iudæis factum, medâ inter duos populos ruptâ maceriâ: vetus illa interpretatio fuit. Iustinus de veritate Chri-

Duæ Ecclesiæ per Christianæ

stum iunctæ.

stianæ religionis. *Sed enim Lia populus vester est, & synagoga, Rahel, Ecclesia nostra, & Christus hucusq; etiam harum, & quæ vtriusq; seruarum gratia seruit.*

Caluinus notauit ouile Christi esse, vbi vocem eius audiunt, apud solos itaq; Catholicos ouile, est: Nam illi Christi vocem audiunt, & obtemperant, Caluiniani aiunt leges eius impossibiles seruatu esse. Maior Christo contumelia inferri non potest, quam si verbum eius, quod vbiq; prædicatur, non modo negligatur, sed tanquam supra cœlos positum, ne respiciatur quidem. Tu lector, obserua modum quo grex Dei colligitur: nempe cum vnus est pastor, & vox eius auditur. Quę verba significat, vbi subest vni Christo Ecclesia, eius imperio paret, doctrinæq; auscultat, quam per Episcopos longâ serie continuat, tum demum compositum esse eius statum. Si quid tale apud se nobis Caluiniani ostendant, fruantur, quo tantopere superbiunt, scripturarum titulo. Sin verò illic silet Christus, pedibus calcatur verbi Dei maiestas, ludibrio habentur eius sacra instituta: quid aliud est scripturarum apud eos vsurpatio, quam diabolica corruptio, quæ scripturas ipsas è medio tollit? Proinde meminerimus semper ita legendas esse scripturas, vt ab illis Spiritum Dei, qui in solâ Ecclesiâ, & semper est, ne separemus. Ibi enim Ecclesia est, non vbi charta & atramentum asseruatur, sed vbi diuinorum eloquiorum sincera sententia mente retinetur, & voluntate completur. Hoc ergo ouile iam coniunctum est priori, non sunt enim iam Iudæus & Græcus, sed vnus vterq; populus in Christo.

Caluiniani nō audiunt Christi vocem.

VERSVS 17.

Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor.

QVÆSTIO I.

Cur Christum dilexit Pater?

§. 1. CAusam dilectionis exponit: *quia animam suam ponit, vt resumat illam.* Non ea sola causa dilexit filium Pater, sed inter alias rationes diligendi etiam ista fuit. Quod vero ait se resumpturū, diuinam potestatem se habere testatur, non enim mortuus ad vitam seipse resuscitare potest. Præclarè Athanasius orat. 4 contra Arianos Θειικῶς δὲ ὁ αὐτὸς ἐποίει τὸ ἥλιον ἐκλείπειν καὶ τὰς νεκροὺς ἐγείρεσθαι πάλιν τε λέγων ἀνθρωπίνως, νυῦ ἡ ψυχή μου τετάραγται, ἔλεγε θείως, ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι τὴν ψυχήν μου καὶ πάλιν ἐξουσίαν ἔχω λαβεῖν αὐτήν. τὸ μὲν γὰρ ταράττεσθαι, σαρκὸς ἴδιον ἦν, τὸ δὲ ἐξουσίαν ἔχειν θεῖναι, καὶ λαβεῖν, ὅτε βέλεται τὴν ψυχήν, ἔτι οὐκέτι ἴδιον ἀνθρώπων. ἀλλὰ τοῦ λόγου δυνάμεώς ἐστιν. ἄνθρωπος μὲν γὰρ, κατ' ἰδίαν, ἐξουσίαν, ἀλλ' ἀνάγκη φύσεως καὶ μὴ θέλων ἀποθνήσκει, ὁ δὲ κύριος ἀθάνατος ὢν, σάρκα δὲ ἀνθρωπίνην ἔχων ἐπ' ἐξουσίας εἶχεν ὡς θεὸς, ὅπου δὲ σώματος χωρισθήναι, καὶ πάλιν ἀναλαβεῖν ὠφέλειαν. *Illud autem diuinitus dixit, potestatem habeo, vt ponam animam meam, & potestatem habeo, vt sumam illam: Nam turbari carnis est proprium: potestatem autem habere ponendæ aut sumendæ animæ pro arbitrio, & vbicunq; placuerit, nō proprium est hominum sed potentia Verbi: homo quippe non ex sua potestate, sed ex necessitate naturæ id q; inuitus ac nolens mortem obit: Dominus contra, ipse quidem immortalis, sed tamen carnem mortalem gestans, potestatem habuit vt Deus segregandi se à corpore, illudq; rursus assumendi: quando vellet.*

Creatura mortua se excitare non potest

Et in tractatu, quem vocat ἔκθεσιν τῆς πίστεως, expositionem fidei. Et de Salutari Christi aduentu.

§. 2. Eisdem tractatibus etiam resurrectionem verè factam, & futuram olim omnium docet Athanasius, & nos contra atheos nostri temporis, vti verbis Domini poterimus. Non enim Simoniani & Marcionitæ soli, sed etiam Caluinus de resurrectione dubitauit. Libertini, & Dauid Georgius negabant, atq; etiam noui Trinitarii, vt Georgius Paulus. Caluino opinionem falsam eximere conatus est Farellus, ad Caluinum Epist. 78. anni 1548.

Vt est apud Gualterium nostrum in tabulis, capite de doctrinâ Caluini. Nam Exemplar Caluini Epistolarum, quod mihi ad manum est; non habet, aut si habet, certè non eo numero.

VERSVS 18.

Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.

QVÆSTIO I.

An mandatum moriendi Christus acceperit?

§. 1. CHristus moriendi, aliaq; dicendi, & faciendi quæ dixit, & fecit à Patre mandatum accepit. Ita constat ex Deut. 18. Ioan. 12. & 15. Rom. 5. Non tamen mandatum inuito impositum est, aut adirectionem instructionemue: sed vt obedientiā suā nostram inobedientiam expiaret. Chrysostomus homilia 5. & 68. & 75. mandatum fuisse negat. Verum mihi facilè excusari posse videtur. Verba Chrysostomi sunt. *Hoc præceptum accepi à Patre. Quodnam? Mori pro mundo. Priusne ergo accepit, & indeparuit, & prius quid esset faciendum, vt disceret opus habuit? & quis non expers rationis hoc dixerit? sed quemadmodum superius diuendo propterea me diligit: spontaneam indicauit voluntatem, & contrariam amouit suspicionem: ita hoc in loco præceptum à patre se accepisse dicens, nil aliud ostendit, quam id impatri videri quod ipse facit: ne postmodum eum crucifixum putarent derelictum à Patre atq; traditum, neue exprobrarent, quæ tamen exprobrauerunt:* Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Et si filius Dei es descende de cruce. *Neq; propterea descendit, quoniam filius est Dei. Inde ne audiendo mandatum eum à Patre accepisse, præclarum hoc opus alienum à se existimares, prosequitur:* pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis: *hinc suas oues & quidquid rectè factum est, suum opus esse, & præcepto non indigere ostendens. Quod si indigeret, quomodo à seipso ponere dixisset? Qui à seipso ponit, præcepto non indiget: & causam cur faciat affert, vt, quod sc. pastor sit, & bonus pastor. Bonus autem pastor ad ouium custodiam hortatore non indiget. Quod si in hominibus vsuuenit, multò magis in Deo. Ideo Paulus inquit,* quod seipsum exinaniuit. *Nihil autem aliud hoc in loco præceptum signat, quam cum patre concordiam. Quod si humiliter & humane locutus est, auditorum imbecillitati tribuendum.*

Mandatū Christum accepit.

Mandatū quomodo Chrysost. negat accepisse.

Chrysostomus igitur mandatum accepisse more hominum negat. Nam addit: καὶ ἐδέησεν αὐτὸ μαθεῖν, & egebat vt ipsum disceret. ita voluntarium Christo asserit, & mandatum nominasse, non tamen esse ἀλλότριον τὸ κατεργασθέν, non alienum opus bonum, & καὶ δεόμενον αὐτὴν ἐντολῆς, non egere ipsum præcepto, nō egere ἄτερον αὐτὸν ἔργου

δεῖσθαι ἑτέρου τοῦ, *non egere alio exhortatore.* Hoc ergo modo præcepto non egebat, sed cum patris voluntatem quâ ipse vt homo obligabatur videret, statim idem, quod pater voluit: libere etiam actu reflexo voluit. Et hom. 68. in eo est, vt ostendat, eum non ita mandatum accepisse, vt ante nescierit, postea cognouerit, quem profanum vocat sermonem, illo enim Ariani vtebantur. & homil. 75. iterum humano more loqui dicit: cum ait, *se patris præcepta facere:* ὁ γὰρ δύπτυ ὁ νομοθέτης ὑπὸ ἐντολὰς ἔμελλε κεῖσθαι. *non enim legislatorem sub lege esse oportuit.* Nec enim vt Deus præceptum accepit, nec vt homo sub Dei lege esse eum inconueniens fuit. Legem igitur impleuit, obediens vsq; ad mortem, sed legem non habuit cogentem, docentem, & qua egeret.

VERSVS 22.

Facta sunt autem Encænia in Ieroſolymis: & hiems erat. Et ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis.

QVÆSTIO I.

Quæ encænia, quæue porticus Salomonis?

§.1. SYrus appellat festum dedicationis חֲנוּכְתָא *ghithda dechudata.* Alii renouatia, alii renouationem appellant. hoc est enim ἐγκαινίζειν, encæniare. Ridicula deriuatio allata est à Carrensi. Ternæ fuerunt templi dedicationes, tempore Salomonis, Zorobabelis, Maccabęorum. de posterna agitur. 1. Macc. 4. 45. describitur. *Et incidit illis consilium bonum, vt destruerent illud: ne fortè illis esset in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes, & demolti sunt illud, &c.* Et v. 59. *Et statuit Iudas & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris, in temporibus suis ab anno in annum, per dies octo, à 25. die mensis Casleu.*

Encænia quæ.

Magna solennitate agebatur. Thalmudici in tractatu de ritibus seruandis in diebus sortium, & dedicationis.

§. 2. Machabæam esse dedicationem liquet: nam sola illa hyeme facta est, mense Kasleu, qui Nouembri & Decembri nostro respondet: & quia factum est die 25. mensis illud, sequitur nostro Decembri contigisse. Porticum Salomonis ita vocatam aiunt, quod secundi templi porticus ad similitudinem primi templi facta fuerit: & nomen vetus retinuerit. Verior est eorum sententia, qui mansisse porticum Salomonis arbitrantur. Ioseph. aduersus Apionem 4. portic⁹ numerat. l. 2. [Quatuor porticus habuit in circuitu, ita & harum singulæ propriam secundum legē habuere custodiam. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus, etiam alienigenis. Mulieres tantummodo menstruatæ transire, phibebantur. In secundam vero porticum cuncti Iudæi ingrediebantur, eorumq; cōiuges, cum essent ab omni pollutione mundæ. In tertiam masculi Iudæorū, mundi & purificati. In quartā a. sacerdotiis stolis induti sacerdotalibus, in aditum soli principes sacerdotum stola propriā amicti.]

Salomonis porticum putat Baron. de qua l. 6. c. 6. [Duplices porticus omnes, quas columnæ sustentabant, quinis & vicinis cubitis altæ, de singulis saxis marmore candido, & laquearia cedrina protegebāt, quorum naturalis magnificētia, quodq; ligno interrasilierant, apteq; cohærebant, operęprecium spectātibus exhibebant. Nulloq; aut pictoris, aut sculptoris opere extrinsecus ornabantur. Latæ autem triginta cubitos erant, omnisq; gyrus earum, mensura sex stadiorum cum Antonia concludebatur.]

Firmum fuit opus illud, nec dubito quin templum propriè dictum eiusdem firmitatis fuerit; & tamen restauratione eguisse satis constat. Quod si muri integri manserunt, tecta tamen cedrina exusta satis constat.

VERSVS 24.

Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei. Quousq; animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam.

QVÆSTIO I.

Cur Christum Iudæi circumdant?

§.1. DEsideria & vota quibus ad Messiam aspirēt, palam ostentant, cum ergo in porticu versaretur, ita cingunt, vt euadere nō posset, quin respōsum daret, si a. Messiam sese profiteretur. iustam sibi causam fæuiendi, velut in perduellē oblatum iri iudicabant. *Animam nostram tollis,* inquiunt, Syrus נסב indicat, desideria differri, suspendi, anima .n. pro voto ac desiderio accipitur. Deut. 24. Iere. 22. Ps. 25. Ezech. 16. Ps. 104. Auidè igitur exspectare se Messiam simulant, modo palam ac libere id ipse profiteatur, ἐν παῤῥησίᾳ, Syrus גְּלִיאִית *Galiaith, apertè.* Magna erat eo tempore Messiæ exspectatio, non pietatē, sed odio Monarchię Romanę. Alioqui etiam Iudęi suos quotidiè spe Messiæ consolabantur, & eius desiderium excitare conabantur. Quin ipsum quoq; desiderium suum appellabant. Semper enim ab hostib. se adiutorio venturi Messiæ protegendos docebantur, in expositione. Cantici Canticorum, c. 4. vbi dicitur: *Mille Clypei pendent ex ea,* vel עָלֶיהָ *super eum.* Hunc in modum exponitur: vt dicant *omnia sua in Messia desideria acquiescere, omnia ab eo exspectari.*

Vrgent responsum.

Cum igitur omnes, & per omnes generationes salutem ab eo exspectarent, adeo tot se clypeis muniendos per Messiam confiderent, apertam confessionem ab eo poscunt.

VERSVS 25.

Respondit eis Ieſus, Loquor vobis: & non creditis: opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimonium prohibent de me.

QVÆSTIO I.

Quale sit testimonium operum?

§.1. NOn admiranda duntaxat opera facit, sed in nomine patris sui facit, patris potentiâ, & auctoritate vsus, quæ eadem est etiam filii, atque vt se filium esse demonstret, Christus autem aduersus omnes calumnias inimicorum, opera sua obiicit, quorum nullum malum. omnia vero diuinam in ipso virtutem testabantur. Miracula enim necessaria esse doctrinæ probandæ fatetur hoc loco Caluinus pag. 129: [Postea de operib. loquitur, vt duplicis contumaciæ illos conuincat: nam præter doctrinam lucululentum habebant in miraculis testimonium, nisi Deo fuissent ingrati. Bis ergo repetit: non credere, vt coarguat ipsos sponte surdos esse ad doctrinam, cæcos ad opera, quod signum est extremæ ac desperatæ malitiæ.] Agnoscit ergo miracula & necessaria & sufficientia ad doctrinam.

Et Tertull. l. 2. aduersus Marcion. c. 5. Dei præscientiam, & potētiam ex operib. demonstrari docet. Nec immorabor huic articulo, præeunte definitione etiā ipsius

ipsius Christi. Ex operib. iucundæ probationes. Opera docet, vtrunq; ostendere docet, potẽtiam & bonitatem creatoris. Christus etiam: *si mihi non creditis operibus*, inquit, *credite*. At illi nec Christo nec operib. credebant, ὑ πιστεύετε, alii codices: καὶ μὴ θέλητε πιστεύειν, *non vultis credere*. Nos eodem iure in sectarios vtimur, fides orthodoxa tam multis, tam magnis est firmata miraculis, eorum perfidiâ ne vnicum quidem testimonium accepit, si nobis non credunt, operibus credant. Hoc nos illis, illi nobis dicere non possunt. Nec enim illis credimus, antiqua & Patribus credita improbantibus, nec operibus credimus, quæ mira non sunt, nec magna, sed admirabiliter mala. Summam in illis admirationem habent, pertinacia & cœcitas.

Hæreticis cur non credamus?

VERSVS 26 27.

Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.

QVÆSTIO I.

Quæ oues hoc loco nominentur?

§. 1. OVes vocat eos, qui sequuntur acceptâ iam gratiâ, quiq; ad vitam æternam sunt prædestinati. Iudæi oblatam etiam primam gratiam repellebant, vt prorsus se non esse ex ouibus demonstrarent. Calui. etiam hic virus suum spargit: *Cum ait eos, quos Dominus non respicit, auersos penitus manere necesse esse.* At si qui tales sunt, quos auersos manere necesse est, non sunt illi liberi, nec peccant in eo quod vitare non possunt: nec enim est in eorum potestate, vt eos Deus respiciat. Quia vero non respicit, necessitatem imponit, vt auersi maneant, vt sentit Caluinus, Verum Deus bonus, & diues in omnes, gratiam omnibus & singulis sufficientem offert, quâ liberè contemptâ manent auersi homines. Hanc toties præsentem sensere Iudæi, & respuerunt, hanc recipiendo oues facti sunt, quicunq; Christum sequuntur, & vocem eius audiunt. Itaq; in Deum incredulitatis causam reiicere possunt si verum est, quod Pareus contra Bellarminum disputat, non posse eos credere. Si enim non possunt, quæ est iustitia, si Deus exigat, quod scit eos facere non posse, cum ipse dare nolit, id quo possent? aut quomodo ideo puniuntur vt rei, cum necessitas à Deo allatâ coegerit in tenebris remanere, omnem illis lucem denegando? At sponte nolunt credere? Verum est quidem; sponte eos nolle: sed non possunt nisi nolle. Illud nolle necessitas dura imposuit, quæ negauit posse velle, negauit posse non nolle. Itaq; illud nolle miseros facit non criminosos. Imo illud spontaneum est necessarium Caluino.

Calui. necessitate peccare docet.

Libertas nõ tollitur reprobis.

§. 2. Oues Christi vocem audiunt, dum ministros ab eo missos audiunt, alienos fugiunt, nouatores detestantur. Audiunt inquam docentes, pauci enim in tantâ sunt multitudine, qui legere scripturas possunt, qui in linguis primogeniis volumina viderint paucissimi.

Parum abfuit, quin hoc ipso testimonio oues à Christo audiendo aduersarii abduxerint. Nam inde conficere conantur: Christianos omnes de doctrinâ
„ posse iudicare & debere. Sibrandus: [Qui audiunt
„ vocem Domini, vt eam norunt, alienorum autem vo-
„ cem neq; audiunt, neq; norunt: item, qui sequuntur
„ Domini vocem, alienorum vero vocem non sequuntur, sed fugiunt, illi possunt iudicare de doctrina, imo iudicant de doctrina.]

Et Lutherus contra regem Angliæ. [De doctrinâ cognoscere & iudicare pertinet ad omnes, & singulos Christianos, & ita pertinet, vt anathema sit, qui hoc ius vno pilo læserit. Christus enim ipse hoc ius statuit inuictis, & variis sententiis. Matt. 7. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos, in vestimentis ouium. Hoc verbũ certe dicit ad populũ aduersus doctores: & mandat eis, vt falsa dogmata eorum vitẽt. At quomodo vitare possunt, nisi cognoscant? quomodo cognoscere nisi ius habeant iudicandi? Nunc a. non solum ius, sed præceptum iudicandi statuit, vt hæc sola authoritas satis esse queat aduersus omnium Pontificum, omnium Patrum, omnium Conciliorum, oĩum Scolarum sententias; quę ius iudicandi & decernendi suis Episcopis & ministris tribuerunt, & impiè, & sacrilegè populo, id est, Ecclesiæ reginæ rapuerunt. Stat enim Christus dicens: Attendite à falsis Propheris. Huic subscribunt fermè omnes omnium Prophetarum syllabæ.]

Omnes iudices de religione apud hæreticos.

Respondent ad hęc tam furiosa posteriores moderatius. Nam Hunnius negat eo testimonium hoc à suis proferri, vt probẽt priuatim spiritum reuelantem, sed vt demonstrent Christianos non debere contentos esse Carbonaria Pontificiorum fide. At nihil obstat carbonaria fides, qualem nos describimus, non quale nobis hostes affingunt. Iunius Caluinianus argumentum illud ait esse Anabaptist cum: *Oues meæ vocem mã audiunt, non ergo præceptore egent.* Et sane id consequitur: si vnusquisq; Christianus iudicare debet de religione. Respondet igitur doctiss. Gretser. defensione l. 3. c. 1. T. 1 pag. 1419 [Respondeo ad maiorem: tales iudicare, & iudicare posse de doctrina & voce pastorũ saltem generatim: quatenus certo apud se statuit, omne illud quod Catholica Ecclesia credendum proponit, veritati consonum esse: & quidquid huic aduersatur, id pariter veritati repugnare. Ex quo iudicio fit, vt postea vocem Christi per legitimi pastoris os sonantem sanctè ac reuerẽter audiant: lupis vero aures diligenter occludant. Neq; ad hoc, vt pastoris vocem audiant: & alienum repudient, necessarium est aliud iudicium: quam illud generale: quo quis iudicat nihil esse amplectẽdum, quod Catholicæ Ecclesiæ decretis contrarium sit: Hoc ipso enim quod quis hac persuasione imbutus est, nunquam assensum præcipitabit: sed si quæ existat quæstio supra intellectum suam, ad pastores Ecclesiæ confugiet: & quid facto sit opus diligẽter exquiret. Neq; nos vnquam aut negauimus, aut negamus priuatos, vt fidem vel acceptent, vel retineant, iudicio egere: imo egent, sed non alio, quam illo generali: quod quis in omni, quam vel amplectitur, vel repudiat, elicit: Quis enim Christianæ fidei nomen daret, si eam veram esse non iudicaret? Quis in ea perseueraret; nisi eam vero conformem esse, & simili iudicio decerneret? sed aliud est hoc generale & in omni negotio vsitatum & vsurpatum iudicium: aliud iudicium illud publicũ ex officio, & cum auctoritate iudicandi & definiendi de doctrina eiusque veritate, & sententiam suam iudiciariam inter controuersantes & litigantes interponendi. Quod solum iudicium priuatis abiudicamus: Et Nouatores hoc & prius illud imperitè confundunt, neque, vt deberent, discriminant. Hinc in tota illa materia tenebræ illæ densissimæ; non nisi distinctionis luce dispelendæ. Ex quibus habet etiam Hunnius responsum ad nugas & calumnias, quas circa hoc testimonium vbertim effutiuit.

§. 3. Nec modò Catholici ita respondent, verùm etiam sectarii, si à scitis olim receptis nolint recedere, aliter respondere non possunt. Sola scriptura se niti

aiunt, alia omnia facessere iubēt. Ex hac de omni doctrina, & officio per singula se iudicare, asserunt. Hoc vt præstent, opus singula scripturæ loca intelligere. Deinde credendū est hoc generaliter iudiciū tenēdū, si Lutherani sint, biblia Lutherana, esse vera, esse benè versa, Lutherū Hebraicæ, Chaldææ, Græcæ linguæ itaquarum fuisse, vt non errarit. Idem iudicium Caluinistarū de suâ versione sentiendū est. Ante igitur quam lectioni se accingunt: Iudicandū est, nō modo illa esse vera Biblia, sed ēt benè versa, omnia quæ in versione habentur ad vnum vsq; apicē respondere prototypo. Deinde se ōia intellecturum, & rectè iudicaturum de interpretatione, & doctrinâ, & si fortè ministeraberrarit, se tamen tanquā ouem Christi, id mox cognituru, & diiudicaturum. Quod igitur nos de Ecclesiâ credimus, tot promissionibus Christi inducti, eam in doctrina tradenda non errare. Hoc illos de Luthero, Zuinglio, Tigurinis, Beza, Iunio, Tremellio, Castellione credere oportet. Hos sc. in versionibus suis non errasse. quâ de re tamen, cum nulla sit in sacris literis reuelatio, nulla promissio, cum omnes etiam illi quos nominaui multorum errotum coarguantur, nō possunt nisi stultissimè credere illa vera esse biblia, quæ acceperunt. Versiones veras, esse, & ex illis iudicare debent.

VERSVS 28. 29.

Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.

QVÆSTIO I.

Quomodo vitam dat, vt nemo possit de manu rapere?

§. 1. VItam æternam se daturum promittit, idque certo. Nemo est enim adeo fortis qui possit eos, de manu suâ rapere. Quod si aliqui excidunt, suâ culpâ in mortem ruunt, pastori non deerat bonitas & potentia, quâ seruarentur. Quod si dat vitam æternā Deus; nemo id potest, nisi solus Deus, vt etiam Athanasius notauit. Concludimus etiam eodem loco: esse aliquam gratiam efficacem, qua in vitam æternam infallibiliter aliqui ducuntur, quicunq; eo ducuntur.

§. 2. Caluinus quasi dictum sit singulatim: & ego vitam æternam do Caluino, pro stolidâ suâ præsumptione his vtitur verbis, idem facit Pareus de iustificatione. Quasi vero ex eo quod ouibus suis Christus vitam æternam pollicetur, inde consequatur, non posse esse hircum Caluinum, aut Pareum, aut etiam ouillâ pelle lupum: & quamuis sibi persuadeant, se oues esse, nec posse degenerare, nihil tamen firmitatis illa habet opinio. Nam frustra dictum non est: *qui stat videat ne cadat.* Quemadmodum autem fiunt oues, quæ non erant, ita desinunt esse aliquando, quæ erant. De ouibus loquor, quæ iustitiam amiserunt. Animaduertit hoc Theophylactus, hoc loco, alii q;.

Oues autem quæ ex prædestinatione sunt, nunquam non consequuntur finem ad quem sunt destinatæ. Augustin. tractatu 48. *Quid potest lupus? Quid potest fur & latro? non perdunt nisi ad interitum prædestinatos. De illis autem ouibus de quibus dicit Apostolus: Nouit Dominus qui sunt eius: & quos præscisit, ipsos & prædestinauit: quos autem prædestinauit, ipsos & vocauit: quos autem vocauit, illos iustificauit: quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit: de ouibus istis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus est de numero earum qui pro eis nouit quod dedit: & hoc est quod ait: Non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Verum id quod futurum est certissimè, ouibus non est indicatum, nisi fortè id pastor quibusdam speciali priuilegio voluit patefacere. Hoc tantum beneficium quib. sit destinatum solus in plerisq; euentus edocebit.

Eadem est autem manus patris & filii, vt docet Augustinus loco citato. *Quid est hoc*, Nemo rapit de manu mea, & nemo rapit de manu patris mei? *Vtrum vna manus est Patris & filii, an fortè ipse filius manus est patris sui? Si manum intelligimus potestatem, vna est patris & filii potestas, quia vna est diuinitas. Si autem manum intelligamus sicut dictum est per Prophetam.* Et brachium Domini cui reuelatum est? *manus patris ipse est filius. Quod non ita dictum est, tanquam Deus habeat humanam formam, & quasi corporis membra, sed quod per ipsum facta sunt omnia. Nam solent & homines dicere manus suas esse alios homines per quos faciunt, quod volunt. Aliquando & ipsum opus hominis, manus hominis dicitur quod fit per manum: sicut dicitur quisque agnoscere manum suam, cum id quod scripsit agnoscit. Cum ergo multis modis etiam hominis dicatur manus, qui proprie manum habet in sui corporis membris: quanto magis non vno modo intelligendum est cum legitur manus Dei, cui forma corporis nulla est? Ac per hoc melius hoc loco manum Patris & Filii intelligimus potestatem Patris & Filii: ne fortè cum hic manum Patris ipsum filium dictum acceperimus, incipiat carnalis cogitatio etiam ipsius Filii quærere filium, quem similiter credat Christi manum. Ergo* nemo rapit de manu Patris mei: *hoc est*, nemo rapit mihi.

§. 3. Quod nonnulli verba illa vsurpant contra sententiam de electione ex præuisis meritis, aut fide præuisa, non satis considerate faciunt; nam vt de eâ non iudicem, certè verba Domini quibus indicat infallibiliter saluari quos elegit, non impedit, quo minus elegerit præuisis eorum operibus, tanquam mediis, per quæ dare vitam constituit: Nec minus certa est electio, si præscientiam illam sequi, quam si præcedere, nostro intelligendi more dicamus.

Ratio quam reddit, cur nemo possit rapere, vel de sua manu vel patris, diuerso modo legitur apud Græcos, & Latinos. In Græco est: ὃς δέδωκέμοι, μείζων πάντων ἐστί. *Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est.* Et Syrus: מן כלהב חד *præ omni magnus ipse.* Ita ferè legunt Græci. Latini constanter habēt, *quod dedit mihi maius omnibus est.* Syrum etiam sic exponi potest. Nam cum genere neutro careant, pro eo solent vsurpare masculinum. Argumentum vtroq; modo firmum est. Nemo rapere, vel de manu patris, vel Christi potest: quia pater maior est omnibus, & quod Christo dedit pater, vt esset caput omnium in cœlo, terra, & inferno, id maius est omnibus.

VERSVS 30.

Ego & Pater vnum sumus.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus & Pater vnum sint.

§. 1. ADmirabili consensu S. Patres illa verba de essentiæ vnitate, & pro τῇ ὁμοουσίῳ vsurpant. Cum enim dixisset, nec de suâ, nec de manu patris posse quemquam eripere, subiungit, suam & patris esse vnam manum, indiuisam potentiam, consubstantialem essentiam. Ac primo aliquorum auctoritatibus confirmabo, deinde rationem adferam. Idq; præcipue propter Caluinum, & aliquos ex eo grege Arianizantes.

Iusti-

Deitate pater & filius vnum sunt.

Iustinus igitur hunc in modum exponit. *Aliud vero etiam vobis ô amici ex sacris literis producam testimonium. Primum ante omnes creaturas, Deum genuisse ex se virtutem quandam rationalem, quæ quidem & gloria Domini à Spiritu S. vocatur, nonnũquam autem filius, interdum sapientia, aliquando Angelus, aliquando Deus, aliquãdo Dominus & verbũ.*

Nouatianus adhuc orthodoxus de Trinit. *Quod si nullius hominis vox hæc esse posset, Ego & pater vnum sumus, hanc vocem de conscientiã diuinitatis solus Christus edicit.*

Athanasius pluribus locis Arianis ista verba tanquam murum opponit. De assumptione hominis l. 3. cum obiiceret hæreticus. *Quemadmodum in vnam æqualitatem confiteris filii esse cum patre cum ipse de se testimonium perhibeat:* Qui me misit, maior me est? ille respondet. Pro dolor, *si sic intelligis Deum fuisse, ipse se iam apud te impugnare cognoscitur, cum alio in loco dicat* Ego & Pater vnũ sumus. *Qui ergo si minor erat patri secundum ipsa sempiterna natura non deficiebat comparare? Aut quo modo si dissimilis erat, & talis in ipsa Deitate non erat, patri æqualem se coæquabat dicens:* Qui me videt, videt & Patrem meum? *Qui vtiq; euidenter si non esset in his vna inuisibilis imago naturæ veritatis, nunquam prorsus præsumens indicasset:* Qui me videt, videt & Patrem meum.

Et lib. 5. *Audi: quoniam quomodo substantiuus est in diuinitate Deus Pater: sic & substantiuus est in eadem natura & substantia & Dominus filius, sic substantiuus est in eadem natura & substantia Deus Spiritus S. Siue hoc tale dictum referas, quem admodũ Deus est Pater, sic Deus est filius sic Deus est Spiritus S. vides quia substantiuum diuinitatis nomen in his personis dum indicas, deitatis initium nomen demonstras. Itaq; duplex est huius mysterii intellectus. Memento dum vnitum nomen eorum in vnita substantia consistat, & prima nomina in singulis personis distinguuntur. Vel certè per hoc argumentum veritatem intellige:* Ego & Pater vnum sumus.

Et disputatione contra Arianos. & orat. 2. contra Arianos diuersis locis. & orat. 3. contra eosdem. orat. 5. etiam rationem addit: Et intelligit Patrem in filio esse. *Nam cum species deitatis patris, essentia sit filii, bene consequitur, vt filius in patre existere diatur, & pater in filio. Ideoq; merito, quum antea dixisset:* Ego & Pater vnum sumus: *Subintulit ista,* Ego in Patre, & Pater in me, *vt ideticatem diuinitatis, vnitate essentiæ demonstraret. Vnum enim sunt, non veluti vnum in duas partes diuisum, vt nihilo plus sint quam vnum, aut vnum duobus nominibus geminatum, vt idem nunc Pater, nunc sui ipsius sit filius: Id enim cum Sabellius sentiret, hæreseos damnatus est: sed duo sint, eo quod Pater, Pater sit, non filius: & Filius vicissim filius, & non pater, sed tamen eadem natura.*

Et paulò post ex integra deitate dicit, essentiam filii consurgere. Contra vnitatem vero quam aliqui fingebant & hodie fingunt Caluiniani esse concordiam voluntatum, disputat idem Athana. orat. 4. *Multi enim Martyres extitêre & ante Martyres Apostoli, & Prophetæ, & ante Apostolos & Prophetas, Patriarchæ, plurimiq; etiamnum sunt, qui seruant præcepta Patris misericordes videlicet, qualis est Pater cœlestis, & qui hoc ipsum moribus præstant,* estote imitatores Dei vt filii dilecti, & ambulate in dilectione sicuti Christus dilexit vos: *nec pauci sunt, qui se præbẽt imitatores Pauli eodẽ modo, quo ille fuit Christi: quorum nemo tamen neq; verbum, neq; sapientia, neq; vnigenitus filius nec imago fuerit. Neq; quisquam eorum ausus est dicere,* Ego & Pater vnum sumus: *aut ego in patre & pater in me: sed ab omnib. dicitur,* Quis similis tibi inter Deos Domine? aut quis æquabitur Domino inter filios Dei?

Et initio orationis quomodo vnũ sint exponit. Et libro; *quod spiritus non sit creatura,* Patres in Niceno coessentialem, & consubstantialẽ ob illa verba, & similia dixisse refert. Et de decretis Synodi cõtra Arianos. Epist. vero ad Africanos ostendit Patres Concilii hoc loco vsos esse. *Cæterum Episcopi intellecta eorum fraude, collegerunt in vnum has voces ex sacris literis, splendorẽ, fontem, & fluuium, & formam cum substantia. Et illud item,* Et in lumine tuo videbimus lumen. *Et illud quoq;* Ego & Pater vnum sumus, *& pro maiori elucidatione scripserunt filium patri esse consubstantialem. Nam cum superiora omnia hunc intellectum afferant, atq; ita illorum obmurmuratio, quod hæ voces in sacris literis non reperiantur, vana esse deprehenditur, cum ipsi ex verbis in scriptura sacra non receptis impietatem suam instruant: scriptum siquidem nusquã est, illud eorũ ex non entibus, & rursus illud eorũ, Erat quãdo non erat. Sed ipsi interim mirè incusant, quod per voces non in scriptura solennes, sed tamen piè inuentas condemnati sunt: quũ ipsi tanquam è stercorib. exorti verè de terra loquantur. Episcopi cõtra, non has voces ipsi excogitarint, sed eas patrib. confessatas acceperint, & scriptis suis inseruerint. Sigdẽ prisci Episcopi ab hinc annu propè 130. tum qui Romæ, tũ qui in nostra Ciuitate pontificatum gessere, accusauerunt eos, qui filium creaturã dicerẽt, aut qui negarent eum consubstantialẽ patri: neq; eius rei ignarus erat Eusib. Episc. Cæsarien. s, qui cum primum sisset agaretur Arianicæ sectæ, postea tamẽ Nicæni Cõc. decretis subscripsit, & apud suos idipsum propriis literis affirmauit, cuius hæc verba sunt:* Notimus quosdam ex priscis eruditos & præclaros *Antistites, aliosq; Scriptores, quum de patris & filii deitate loquerentur, voce consubstantialitatis vsos esse. Quid igitur Ariminensem synodum allegant, in qua damnati depositiq; sunt? aut quid accusant Nicænum Concilium, in quo etiam ipsorum Patres subscripserunt, & confessi sunt ex substantia consubstantialem esse Patri Filium? aut quid circumcirca discurrunt, quum non solum contra eos, qui Nicææ conuenerunt, sed contra illos etiam, qui diu ante ipsos fuere, magnos scil. Episcopos atq; adeo contra suos præla inceptent.*

Eadem Epist. disputat ex eodem contra Arianos, & hoc sanè notandum, Patres Nicenos, & eos qui eos præcesserant, ita illa verba accepisse, quasi idem valerent, ac si diceretur filius patri consubstantialis. Imo Eusebium Cæsarien sem seu verè, seu simulatè conuersum, eodem loco contra suos vsum.

§. 2. Adeo vero certũ erat priscis hunc locũ de substantiæ vnitate accipiendũ: vt illi qui Trinitatem negabant, eo vterentur contra Catholicos. Eodem lib. Nouatianus. *Si homo tantũmodo Christus, quid est quod ait,* Ego & Pater vnũ sumus? *Quomodo enim ego & pater vnum sumus, si non & Deus & filius qui idcirco vnum dici potest, dum ex ipso est, & dum filius eius est. Et dum ex ipso nascitur, dum ex ipso præcessisse reperitur, per quod & Deus est. Et postea. Nam si sine dubitatione dicuntur Dei, ad quos verba facta sunt, multo magis hic Deus, qui melior omnibus inuenitur. Deum enim se sic intelligi vult, vt filium & non ipsum Patrem vellet intelligi.*

Cum igitur etiam Sabelliani hac rẽ molesti fuerint, nemo tamen orthodoxus, de voluntatum vnitate sola respondit. Et c. 22. *Sed quia frequenter intendunt illum nobis locum quo dictum sit,* ego & Pater vnum sumus, *& in hoc illos aque facilè vincemus, si enim erat vt hæretici putant. pater Christus, oportuit dicere,* ego & Pater vnus sumus. *Vide reliqua.*

Athanas. dial. 2. de Trinitate. *Patrem & filium vnum, essentiam esse totam incorruptibilem.* Et l. quod duæ naturæ sint in Christo. Et q. 71. ad Antiochũ. Et aliis quæst.

Chrys. eod. mod. *Quid igitur protestatẽ Patris nullus rapit, Tu vero fortis non es, seu debilis ad custodiã, Nequaquã, & vt dicas illud. Pater qui dedit mihi, propter ipsos dictũ esse. Ne iterũ ipsum Deũ contrarium dicerent, dicens: q; nemo posset rapere illa de manu meâ. Sed nõ dixit sic: sed de manu Patris mei.*

Pergit deinde Chrys. contra obiectionẽ Arianorũ. *Quod si nemo ob patris protectionẽ eas rapuit, superfluum erat addidisse:* Ego & Pater vnum sumus. *Nam si minor erat, nimis temerarium verbũ esset: nihil enim aliud, quam potentiæ parilitatẽ signat: quod Iudæi intelligentes lapides in eum iecerũt, non tamen hanc Iesus ablatulit suspicionem: quæ si falsa fuisset, corrigenda fuisset, & dicendum: Cur hoc facitis? Non parem meam & Patris affirmans potestatem ista dixit. Sed nunc totũ contra-*

contrarium, eam confirmat, & maximè cum exasperaverunt: neq; accusat, ac si male dixisset, sed illos reprehendit, ac si malam haberent de se opinionem. Cum enim dixissent, De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia cum homo tu sis, facis teipsum Deum. *Audi quid dicat?* Nonne scriptum est in lege nostra: Ego dixi, dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quomodo vos dicitis, quia blasphemo, quia dixi, filius Dei sum? *Hoc est, si hi qui gratis hoc acceperunt, non possunt accusari si seipsos Deos appellant: qui id natura habet, quomodo iure accusari poterit? Non tamen his verbis vsus est, sed postmodum id confirmet: primum remissus loquitur, rem ipsi relinquens intelligendam, cum inquit:* Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum. *Et eorum furore sedato, tunc veram affert sententiam. Primum ergo, vt suam acciperent rationem humilioribus vsus est verbis: inde altiora aggreditur:* si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: sin autem facio, & si mihi non creditis, operib. credite. *Vide quomodo, vt dixi, confirmat quod in nullo sit Patre inferior, sed æqualu in omnibus: cum .n. substantiam eius videre non sit, ab operum æqualitate eandem ostendit cum patre potestatem. Et quid credemus, dic quaso? Quod* ego in Patre, & Pater in me est. *Nihil ego aliud quam quod Pater, manens Filius. Nihil ille aliud quam quod ego, manens Pater:* & qui me nouit, nouit Patrem: & qui Patrē nouit, nouit & filium. *Quid si potentia minor esset, etiam cognitio mentiretur: neq; enim alia per aliam neq; substantia neq; potentia disci potest.*

§. 3. Ambros. eodem modo vt suis præcessorib. didicerat, pro Christi diuinitate defendenda semper illa verba protulit. Hexemeron l. 6. c. 7. *Imago Dei virtus est, non infirmitas, imago Dei sapientia est, & imago Dei iustitia est. Sed Sapientia diuina est sempiterna iustitia. imago Dei est solus ille qui dixit:* ego & Pater vnum sumus. *Ita habens similitudinem Patris, vt diuinitatis & plenitudinis habeat vnitatem. Vbi dicit: Faciamus, quomodo inæqualitas? Cum iterum dicat ad similitudinem nostram, vbi est dissimilitudo? Sic & in Euangelio vbi dicit:* Ego & Pater, *vtiq; non vna persona est. Vbi autem ait,* vnum sumus, *nulla est discrepantia diuinitatis aut operis. Non igitur in vtroq; vna persona est, sed vna substantia est, & benè addidit.* Sumus: *quia semper esse diuinum est, vt coæternum credas, quem putabas dissimilem esse.*

Ambrosius.

Ne vero longior sim vide in editione Parisiensi anni 1603. Tom. 1. 94. & 512. Tom. 2. 661. & 809. Tom. 3. 63. Tom. 4. 94. & 114. & 196. & 206. & 268. & 269. & 277. & 280. & 297.

Augustinus.

Augustinus eisdem armis contra Arianos depugnat. l. 2. de Trin. c. 5. & l. 4. c. 9. & l. 5. c. 3. & l. 6. c. 2. & l. 83. qq. q. 69. Verba eius omitto, tum quod passim habeantur, tum quod in tractatione ferè Athanasium, & Ambrosium sequitur.

§. 4. Nec mirum est Iudæos intellexisse, quomodo se Christus idem cum Patre diceret, nempe ὁμούσιον, consubstantialem. Sapientiam .n. Dei appellabant, & verbum Dei, ipsum Deum Messiam. Et Esaias c. 48. Manum Dei nominat, quod Chaldæus interpres verbum Dei dicit. Sic etiam est in lib. צניעותא דספרא *Tsinighota desiphra*, id est, *pudoris & occultationis.* Quin Isa. 45. Hos. Isa. 41. & 44. & Hos. 9. vbi in Hebræo ponitur Deus, nomen tetragrammaton, in Chaldæâ Paraphrasi valde vsitatâ Iudæis, dicitur verbum Dei, ita R. Ionathas vertit, & verbum Dei Messiam vocare solent. Sic Ps. 110. *Dixit Deus verbo suo sede à dextris meis.* Et quamuis ipsi non viderint, ex sensum tamen sententia ille vertit. Nam veteribus illam interpretationem tribuunt. Sic habet liber קבוצים *Kibutzim, collectionum.*

» [Hoc patet ex eo quod dixerunt in expositione Psal-
» morum, super illud Psalmi. Et dabis mihi scutum sal-
» uationem tuam, & dextera tua perforabitur, & sul-
» ciet me. Dixit Rabbi Iodan. in nomine Rabbi Hama.
» In tempore futuro Deus sanctus, & benedictus sedere faciet regem Messiam ad dexteram suam. Sicut dictum est Psal. 100. quod Ben Vziel vertit. Dixit Deus verbo suo, sede à dextris meis.] «

Eodem modo ista ex vetustioribus probauit R. Ishac Arama, in cap. 47 Gen. in illa verba, mittet verbum suum, & sanabit eos. Et consentit R. Samuel Leuita.

Intelligebant ergo Christum se Deum, & fidem Dei vocare. Sic illud exponebant. Sic Psal. 2. interpretati sunt: *osculamini filium.* Et quidem R. Salomon. *Magistri nostri*, inquit, *hanc Psalmum de Messia exposuerunt.* Testatur idem R. Abraham Auenezra. Itaq; cum Christus dixit, se idem esse & Patrem. Et se filium, expresè & disertè respondit, etiam secundum Iudæorū sententiam, se Messiam esse, se Deum esse, filium Dei, de Deo. Hinc mirum non est Ionathan Is. 28. *In die illa erit Deus exercituum, ad diadema gaudii, &c.* vbi ille quod in Hebræo est יהוה expressè vertit משיחא *Meßicho, Messias.* Itaq; receptissima erat apud doctos Iudæorum sententia Messiam esse Iehouam, quod soli Deo tribuitur, præsertim hoc loco vbi dicitur Deus exercituum. Hæc etiam Psellus c. 3. de differentibus quæstionibus exponit.

Sancta Catholica Ecclesia, in Domino nostro Iesu Christo vnam hypostasin prædicat, duas vero naturas, Hypostasin incarnatum filium: naturas vero diuinitatem & humanitatem. Corpus igitur animatum, & intellectuale, quod assumpsit, non vocat hypostasin, ne inuenientur duæ hypostases. ὅπερ ἐφ λυάει *Nestorius hæreticus Nominat vero* ἐνυπόστατον, *vt qui hypostasi filii, esse acceperit: ipse enim filius Dei, vna existens hypostasis sanctæ Trinitatis factus est corpori, quod assumpsit, hypostasis, ita vt corpus quidem Domini sit in hypostasi, non tamen ipsum sit hypostasis.*

§. 5. Nomen Dei יהוה quod est quatuor literarū Hebræi exponebant, per verba Trinitatem significātia. nempe אב בן ורוח הקדש *ab, ben, veruach, hacadoschi, Pater, filius, & Spiritus sanctus.* & hoc quasi vnum Dei nomen duodecim literarum appellabant: nec fuit hoc nouitium inuentum, sed ante Christi tempora vsitatum. Nam Rabbenus qui dictus est Haccados. Nomen Dei δωδεκαγράμματον, duodecim literarum, per aliud nomen quadraginta duarum literarum explicandum tradidit. Hunc in modum אב אלהים בן אלהים חקדש אלהים שלשה באחד ארך בשלשה. *Pater Deus, Filius Deus, Sanctus (subaudi Spiritus) Deus, tres in vno, vnus in trib.* Alii: *Pater Deus Filius Deus, Spiritus Deus sed tamen non tres dii, sed vnus Deus.* Hæc ante Christum nota erant, & edita est etiam Chaldæa paraphrasis R. Ionathan, vt satis constet, cur & Christus dixerit ista, & quomodo Iudæi acceperint. Quin de Messiâ non aliter quam de Deo loquebantur. Notum erat inter eos ex doctorib. vetustis, nomen Messiæ exponi etiam quadraginta duabus literis. באשר הנפש חמשלח וחכשר אדם אחר כן האל והאדם משיח אחר.

Trinitas apud Iudæos nota.

Sic anima intellectualis, & caro vnus est homo, sic Deus & homo vnus est Messias.

§. 6. Ne vero quispiam existimet liberam esse hāc expositionem posse etiam de solo consensū intelligi: audiendum est Concilium Sardicense, quo altera damnatur expositio. Ita habet apud Theodoretum l. 2. c. 8. historia. Eccl. *Confitemur vnam esse Patris, & Filii diuinitatem. Neq; tamen quisquam est, qui neget, Patrem Filio maiorem, non quod aliam habeat essentiam, aut quod ab eo differat, sed quia ipsum nomen Patris maius, quam Filii. Et ideo depravata est, & execrabilis Arianorum interpretatio, qui contendunt seruatorem ideo dixisse:* Ego & Pater vnum sumus, *quod sit inter eos consensus & concordia: Nos credimus & affirmamus & intelligimus, sacram illam Saluatoris sententiam, quæ ita habet: Ego & Pater vnum sumus, de æternitate essentiæ, qua est vna eademq; in Patre & Filio ca-*

lio capiendam esse. Itemq; illud, perpetuò credimus, hunc sine principio, & sine fine cum patre regnare, & regnum eius nec tempus habere quo terminetur, nec qua consumatur defectionem: Nam quod semper est, nunquam cœpit esse, nec aliquando deficere potest.

Concilii locum exponit. Quo loco non modo essentiæ vnitatem confitetur Concilium, sed etiam huius loci interpretatione ita accipiendam tradit, vt de essentiæ vnitate accipiatur. Vnum autem cum patre Deum esse docent.

Ignatius ad Philipp. & Ephes. & Philadelphianos.

Iustinus contra Tryphonem. Athenagoras legatione pro Christianis. Clemens Alexand. lib. 1. pœdagogi c. 2.

Dionysius Alexand. Epistol. ad Athanasium. Alexander Alexandrin ad Constant. Irenæus li. 3. c. 10.

Basil. M. l. de fide. Nazianzenus carmine de filio.

Epiphanius hæresi. 62. Tert. apolog. c. 21.

Osius Cordub. l. 2. de Synodo Nicenâ. Hieronymus l. 6. commentariorum in Ezechielem.

Vnitas essentialis intelligitur. §. 7. Quod si rem ipsam consideremus non possumus vnitatẽ aliter, quam de essentiali substantialiq; , vnitate accipere ? & Ariani quoque hic hærebant. Cum in Niceno Concilio Athanasius quæreret, & responderet: *Arius constrictus est.* Ἀδανάσιος· ἄπειρ, ὄφελ. μὴ μάχῃ πρὸς τ ἀλήθειαν· ὅπερ γὰρ ῥῆτ δοκεῖς ἔ παύλῳ κραξεῖν, ὥθι θεὸς πατὴρ, ἔτ ἡ ὡθὶ ἔ υἱὸ δύῃσεις παρ' αὐτῷ τῷ ἀποστόλῳ λεγόμενον φησὶ γὰρ, ἡ αὐτὸς ἔθελο ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τὰς ἢ εὐαγγελιστὰς, ἰδὼς ἢ ποιμένας ἡ διδασκάλους, πρὸς τ καταρτισμὸν τῶν λαῶν, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν ἔ σώματο· ἔ χρισ ἔ, μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τ ἑνότητα τῆς πίστεως ἡ τ ἐπιγνώσεως ἔ υἱ ἔ θεῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας ἔ πληρώματο· ἔ χρισ ἔ, ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι, κλυδανιζόμενοι ἡ περιφερόμενοι πάντι ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, ἐν τῇ κυβεία τ ἀνθρώπων, ἐν πανουργία πρὸς τὴν μεθοδίαν τῆς πλάνης, ἀληθεύοντες ἢ ἐν ἀγάπῃ αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ ὁ χρισὸς, ἐξ ἔ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον ἡ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τ ἐπιχορηγίας, ἡ τ ἐξῆς. ὁρᾷς ὅτι ἡ φωνὴ οἰκεῖως κατηγόρηται πατρὸς ἡ υἱ, ἡ σὺ μονομερῶς ἀπὸ πατρὸς ἐξενήνοχας. Vide ne pugnes cum veritate, nã dictum Pauli quod putas valere in causa Dei patris, hoc ipsum quoq; dici de Filio apud Paulum reperies. Ita enim inquit *Et ipse posuit in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas: istos rursum Euangelistas, illos vero pastores, & magistros, ad consummationem populorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec omnes occurramus in vnitatem fidei, & agnitionẽ filii Dei, in virum perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Christi, vt non amplius simus infantes fluctuemusq; & horsum illorsum rapiamur, vndiq; mobiles omni vento humanæ doctrinæ temerariæ & vafræ, ad iter sternendum e vori. Sed veraces in dilectione, adolescamusq; per omnia in eum, qui est caput Christum, ex quo omne corpus ratione & proportione coaptatum, conglutinatũq; per omnem iunctura suppeditationis, &c.* Videns hanc vocem (ex quo) communiter prædicari de patre & filio quam tu duntaxat patri vendicas?

Hic pari modo. Vnum est potentia, cuius de manu nemo ones potest rapere. Et in eod. Conc. Cum Arius negaret filium esse substantiã patris, infert ille. *Cur igitur locutus est Dominus*, Ego & Pater vnum sumus? *nisi idem sit cum Patre per paternam Deitatem, qui potuit dicere*, Ego & Pater vnum sumus? *Quid igitur falsane an vera locutus est: ab vt falsa. Veritas enim nunquã mendaciũ fuerit. Quin & illud*, Qui videt me, videt & Patrem meũ: *nihil aliud dixit quam vnam vtriusq; deitatem. Si enim Filius substantiâ alius est, ac proinde diuersus a patre, qui potest in Filio spectari Pater? Nam si non potest lignea imago virilem formam referens æstimari agnoscíq; ex lapidea, quum res sit diuersæ substantiæ, & aqua è impossibile sit, aut naturam lapideã in ligno, aut vicissim ligneam in lapidea deprehendi, quantum attinet ad substantiæ rationem: Omnino sequitur, Deum Regẽ omnium in Filio suo eiusdem secum substantiæ cognosci. Siquidem similia quatenus sunt eiusdem substantiæ oculis animaduersa eorum, quæ visa non sunt cognitionem offerunt.*

§. 8. Cum Pater & filius vnũ sint naturâ, & essentiâ ab vtroq; necesse est vt procedat Spiritus S. Nam pater & filius vnũ, idemq; simplicissime, & indiuidue sunt, vna est vtriusq; essentia, potẽtia, voluntas, amor, quæ sunt oĩa ipsa Dei essentia. Personis duntaxat diuersi sunt, q̃ relatiuè opponũtur, cum in quâ sint vna simplicissima natura, nec spiratione actiuâ inter se opponantur, necessarium est, vt persona quæ ab vno procedit, ab altero etiam procedat, cum igitur vnum sint, ẽt vnum principium in illis, vbi nulla relatio facit diuersos. At vnum sunt vnum, vnus igitur spirator sunt, ab vtroq; igitur, vt vnũ sunt procedit Spiritus S. Atq; ita est in Conc. Florent. docent Bessarion Genadius, Manuel Calecas. Epiphan. contra Sabellianos: ὥσπὴ ἀληθὰς γεννήσας υἱόν, ἡ υἱὸς ἀληθὰς γεννητὸς ἐν πατρός, ὑποστολ· ἀνάρχως, ἡ ἀχρόνως· ἡ πνεῦμα ἅγιον ἀληθᾶς, ἐκ πατρὸς ἡ υἱ τῆς αὐτῆς θεότητο· ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἡ ἔ υἱὸ λαμβάνον ἀεί. *Pater verè generans filiũ: & filius verè genitus ex patre, subsistens sine principio & tempore, & spiritus verè ex patre & filio eiusdem Deitatis, ex patre procedens, & filio accipiens* τὸ ἀεὶ *semper, seu æternitatem. Quod si eius æternitas à filio accipitur, fieri non potest, quin etiam à filio procedat. A quo autem filius habet vt ab illo, habet vtique, vt etiam de illo procedat Spiritus S.*

§. 9. Ieremias Patriarcha in responso ad Tubingẽses, captiose hoc argumentum retorquet. Ἆρα ἡ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἡ ἔ πατρὸς γεννᾷ τὸν υἱὸν, διότι τῆς αὐτῆς τῷ πατρὶ θεότητος ἐστι. *Igitur & Spiritus sanctus patre regenerat filium; eo quod sit eiusdem cum patre substantiæ.* Nam refutat ipsum ordo originum in personis: filius enim prior est Spiritu S. ille posterior. Ideo ab eo generari non pot. Nisi enim cum vnitate originũ seruetur ordo, posset etiam filius & Spiritus dici principium patris, nam pater dici posset seipsum generare, dum generando filio essentiam communicat. Filio a. est collata potestas spirandi, hoc ipso quod genitus, & Spiritu S. originẽ prior. Vis ergo argumenti est. Quorum eadem est essentia & natura indiuisibilis, eadem facultas spirandi, idem producunt. Sed patris & filii essentia, vis spiratiua, idem producunt. Occurrit Patriarcha. Non sunt idem numero; hoc enim est Sabellianorum.

Sed leuis obiectio, grauis error, nam eo cauillo totam Trinitatem tollit, sunt vnum idemq; numerò si essentiam spectes, non si personas. Sunt vnus Spirator, non vnus suppositio. Vnum spirandi principium, non vna persona. Hic est, & ille est, & bini sunt, sed vnum idemque.

Rationes hoc certè demonstrant, quas patrum citationes continent, & quod Iudæi lapidibus obruere Dominum conabantur. Aug. tract. 48. *Ad illud hoc responderunt, quod dixerat: Ego & Pater vnum sumus. Ecce Iudæi intellexerant, & non intelligunt Ariani, ideo enim mali sunt, quoniam senserunt, non posse dici.* Ego & Pater vnum sumus. *Nisi vbi æqualitas est patris & filii.*

Vide eundem l. 3. c. 22. contra Maximin. Arianum.

§. 10. Calni. contẽptis tot sanctis Patrib. Arianorum interpretationẽ prætulit. [Voluit impiorũ sannis „ occurrere, iactare enim poterãt, nihil ad ipsum, perti- „ nere Dei potentiam, vt discipulis eius præmitteret cer- „ tum eius præsidium. Testatur ergo sibi ita coniunctas “ cum patre rationes, vt eius auxilium sibi ac suis ouib. “ nunquã defuturũ sit. Abusi sunt hoc loco veteres, vt “ probarent Christũ patri esse ὁμοούσιον, neq; in. Christus “ de vili-

Calvinus impugnat Arianos sonat.

de vnitate substantiæ disputat, sed de consensu quem " cum patre habet: quicquid sc. geritur à Christo, patris " virtute confirmatum iri.]

" Quid homini improbo consilii fuerit, non est difficile coniectare. Nouos Arianos adiutare, fouere Samosatenianos, ita & in disputatione ad eius tribunal appellarunt. Dolet hoc cæteri, & Iunius, nollet factũ. Quin & Beza stat contra magistrum, & vnitatẽ patris & filii definit naturæ & essentiæ ταυτότητι, *identitate*. Muscul. tamen Caluini impietatem secutus est. [Ni- " hil, *inquit*, in hac causa ago, nihil possum, nihil præsto, " nihil ipse sum, quod non acceperim à patre meo, il- " lius sunt omnia mea, & quæ ille vicissim habet & fa- " cit, mea sunt, & per me facit. Agimus res easdem nec " diuisi sumus. Cæterum Christus hic non de vnitate " substãtiæ disputat, sed de consensu quem habet cum " patre. Quod sc. geritur à Christo patris virtute confir- " matum iri. Quanquam veteres hunc locum ad diui- " nam Christi substantiam aduersus hæreticos referebant.] Hæc ille ex Caluino, & Erasmo exultantibus Arianis.

Caluinus pugnatur.

Lutherani eisdem verbis non modo vnitatem essentiæ probari existimant, sed etiam nonnulli eorum probant, Spiritum S. à filio procedere, quod nullo modo fieri posset, nisi de essentiâ sermo esset. Ita ad Patriarchæ 2. responsum 272.

[Primum argumẽtum Latinorum eâ forma & mo- " do quo positum est à nobis non probamus. Attamen " ex minoris probatione (quæ est Ioã. c. 10 Ego & pater " vnum sumus) nos euidẽter concludimus, Spiritum S. " ex vtroq; procedere, idq; hac ratione. Pater prima " persona Trinitatis est; quia principium, fons, & origo " reliquarum: filius secunda, quia, origine non tempo- " re posterior patre, & Spiritu S. Spiritus S. tertia perso- " na, quia vtroq; originis ratione posterior. Hoc si non " detur: ordo inter filium, & Spiritum S. ratione origi- " nis nullus erit, nec ratio constabit, cur filius vel spiri- " tus, secunda, vel tertia persona Trinitatis ponatur.]

§. 11. Marganius obiicit. Pater & filius vnum sunt, si vnum in ratione spirandi, seu vnum spirationis principium, ergo & Spiritus S. est spirator. Nam ex Dionysio constat, nihil commune esse patri & filio, quod non sit etiam Spiritui S. commune. Verum ille de essentialibus loquitur, non autem notionalib. Spirandi vero facultas est notionale. Marganius imperitè confundit, personale & notionale: cum non omne notionale sit persona le.

Marganius obiicit.

§. 12. Obiiciunt etiam Ariani apud Athanasium oration. 4. Eunomius apud Basilium l. 7. Seruetus l. 1. de Trinit. Franciscus Dauid ex Act. 2. diei disputationis Albanensis, ministri Transyluani ex Caluino, & Caluinianis. Vnum se & patrem esse dicit consensu voluntatis, nam Ioan. 17. ita loquitur. *Vt sint vnum sicut & nos vnum sumus.* At nos vnum essentiâ non sum⁹, sed concordia. Obiecerat id falsè Athanasio in Nicenâ Synodo Arius.

Marganius obiicit.

Athanasius obiecit.

Respondet Athanasius: Eo modo Angelos & sanctos esse Deo concordes, nullum tamen ausum hactenus dicere, *se vnum esse cum Deo. At ego & Deus vnus sumus.* Sermon 4. Quin & Christus, ex operibus cognoscite, quia ego in patre, & pater in me est. Esse vnũ in illo, non de solo cõsensu, sed essentiâ dicitur. Quin Christus verborum suorum verus interpres, cum dixisset, se & patrem vnum, *Quia dixi*, inquit, *filius Dei sum.* Idem ergo esse, est filium Dei esse, non eo modo, quo sancti vocantur filii Dei, sed naturalem esse filium eâdem potentiâ præditum. Ita Hilar. l. 7. de Trinit. Et Basil. l. 1. contra Eunomium. *Ego & pater vnum sumus*, planè vnum pro æquali, & eodem secundum potentiam accipiens. Ex quibus constat non modo patres, & concilia vnitatem docuisse essentiæ, sed et- iam credidisse hæc verba sic accipienda, & alteram interpretationem, vt deprauatam damnasse.

Athanasii responsio.

VERSVS 31. 32.

Sustulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus, multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

QVÆSTIO I.

Cur Iudæi lapidare voluerunt Dominum?

§. 1. LApides sustulerunt, & roganti Domino, ob quod bonum opus lapidare ipsum velint? Respondent. *Non ob bonum opus, sed quod homo cum sit, faciat seipsum Deum.* V. 12. Aliqua exemplaria habent: ἔργον, alia ἔργων. Ostendere est, non modo facere, sed etiam palam facere, vt negare diuinam in Christo virtutem sese exerentem non possent. Itaque faciunt quod omnes solent improbi; vt quamuis inique sæuiant, non tamen id faciant absque prætextu. Iudæorum impietatem iam destructam esse docet Athanas. orat. 5. contra Arianos.

Sæuiendi prætextum quærunt.

Et Epistola ad Adelphium contra Arianos, contra gentes, & Arianos iuncta impietate blasphemantes: nos hominem seu creaturam in Christo adorare, disputat. Nam circumeuntes τὰς αἱρέσεις simpliciores, deuorabant. *Non enim*, inquit, *creaturã adoramus, absit. In Ethnicos & Arianos ist.iusmodi deliriũ competit: sed Dominũ rerum creatarum, incarnatum Verbum Dei adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta est, neq; istiusmodi corpus seorsum discriminatum à Verbo adoratione prosequimur, nec Verbum adoraturi verbum à carne longè seponimus, sed cum sciamus, vt dictum est, verbum carnem esse factum, illud iam in carne situm Deum agnoscimus. Quis igitur tam vecors est, vt Domino ita loquatur, Abscste à corpore, vt te adorem? aut quis ita impius est, vt cum Iudæis propter corpus dicat ei,* Cur tu cum homo sis, Deum te facis?

Non adoramus creaturam.

VERSVS 33. 34.

Responderunt ei Iudæi, de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Iesus, nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, dii estis?

QVÆSTIO I.

Quomodo se Christus defendit?

§. 1. ARgumentum Christi eiusmodi est. Si illi ad quos sermo Dei factus est, dii in scriptura appellantur, cur non potius, ego quem pater sanctificauit, & misit in mundum, qui sum Dei filius, me, id quod sum nominabo? Non est blasphemia quod me Dei filium appellem. Si mihi non creditis, operibus credite. ideo enim illa facio vt me Dei filium esse credatis? Non ergo se Deum negat, sed Dei fil ũ apertè pronunciat, non eo modo, quo Prophetę, & sancti magistratus, ad quos verbum factum est: sed quod à Deo missus sit, & sanctificatus, ordinatus. Sanctificare, variè dicitur, multi interpretantur à patre proce-

Sanctificatio.

dere, sed rectius de missione ad salutem hominum accipitur. Est autem sanctificare sanctum agnoscere, prædicare, colere. Matth. 6. nomen sanctificatur. Ita Ezech. 36. *cum sanctificatus fuero in eis.* Leuitic. 10. Num. 20.

Sanctificatio est etiam separatio, ad opus aliquod ordinatio, abitio, Ioan. 17. dicit: *Ego me sanctifico pro ipsis.* Est & iustificatio infusa scilicet iustitiâ vt Ioan. 17. *Sanctifica eos in veritate.* Sic Ezech. 20. & Heb. 9. Hęc sanctificatio etiam nostram cooperationem requirit, 2. Cor. 7. *Vbi nostram sanctificationem perficere iubemur.* Et Rom. 6. His modis Christus sanctificatus & missus ad eximium munus redimendi generis humani. Præcipuè sanctificatus secundum humanam naturam, quę ad diuinam hypostasin est assumpta. Verè itaq; ie Deum esse dixit; nam & homo ille Deus est, & Deus homo.

Papa quomodo deus.

§. 2. Iam igitur friuolum apparet, quod crebro obiicere Catholicis solent hæretici. Papam interdum Deum appellari, ipse quidem Christi se Vicarium, & seruum seruorum Dei appellat, nec probat sibi datum Dei nomen, nec tamen alio in eum sensu confertur, quam quo Psalmo 81. dicuntur Prophetæ, doctores, iudices, dii. Et Moses Deus Pharaonis, ex Dei aliqua in ipsos iurisdictione collatâ. Cur enim, cui dedit claues regni cœlorum, non etiam more aliorum iudicum Deus æquiuocè vocari posset? Verum vt dixi, illum ipse titulum non admittit.

Qvæstio II.

Quâ in lege scriptum sit?

§. 1. Legem interdum solum pentateuchum, interdum totam scripturam veteres appellant. Ita, supra cap. 7. Maledictum dicitur vulgus, quòd legem ignoret. Et Ioan. 7. 12. *Audiuimus ex lege, hoc est, scripturâ.* Et Ioan. 15. *In lege eorum scriptum est, oderunt me gratis.* Sic 1. Cor. 14. Ex quo refellitur error Iunii Caluinistæ imperiti, qui idcirco, quod Iosephus, & alii dicunt legem à Septuaginta interpretibus in græcam linguam esse translatam, ad solum pentateuchum refert. Qui à Wittakero etiam hæreticisq;, non solis Catholicis iure merito irridetur.

§. 2. Quia verò scripturam Christus pronunciat solui non posse. Pareus lib. 4. c. 4. de gratiâ, & libero arbitrio, Patrum interpretationes reiicit; Bellarminum enim calumniatur, quod vetet proprio spiritu scripturas interpretari, sed iuxta communem sanctorum Patrum expositionem, occurrit ille. [Vnde verò Bellarmine habes regulam, quam nobis tradis? fuitne illa perpetua etiam ante Patres. Vnde Patres eam acceperunt: Quid si esset plumbea? Scripturæ sacræ nusquam ad Patres nos remittunt, sed ad legem & testimonium: ad Mosen & Prophetas: ad scripturas ipsas quæ solui non possunt. Patres ipsi ad se nos non alligant, sed ad diuinas scripturas pergere iubent. Adiungit Patres sæpè dissentire, Catholicos nolle ad eam regulam astringi.]

Respond. Stultam esse quæstionem: Vnde sit illa regula? Vnde nisi ab ipsa scripturâ? Nonne Scribas & Pharisæos audire Dominus iubet. Quis olim scripturas legere poterat, nisi doctus à magistro? Itaq; audire doctores Ecclesiæ, ite per vias antiquas, accipere à Pontifice summo legem, & sensum legis videbantur Israelitæ. Vnde verò hanc habet regulam Bellarminus? Certè non est ipse eius conditor. Aug. l. 1. de morib. Ecclesiæ, c. 1. eandem nobis regulam tradit. Et l. 2. c. 29. de nuptiis & concupiscentia, Pareanæ superbiæ anteambulones docet esse Manichæos, qui contemnebant Patres, & Pelagianos qui eâdem ratione Catholicis insultabant. Et l. 1. c. 1. contra Iulian. Pelagian. Et deinde eod. lib. *De reliquis sanè non habes quod dicas. Nunquid Irenæus, Cyprian. Reticius, Olymp. Hilar. Gregor. Basil. Ambros. & Ioan. de fœce Sellabariorum.* Et l. 1. c. 2. *Quod credunt, credo: Quod tenent teneo: quod docent, doceo: quod prædicant, prædico: Istis cede & mihi cedes. Acquiesce istis, & quiescis à me. Postremo si mihi per eos amicus fieri non vis, saltem peto, ne per me efficiaris illorum inimicus.* Hæc Pareo non Bellarminus, sed Augustin.

Regula nō plumbea.

§. 3. At sanè constat ad sacras literas rectè intelligendas opus esse doctore: Illum, quem sequemur, nisi veteres & doctos & sanctos? Augu. de morib. Eccl. l. 1. c. 1. *Quis enim mediocriter sanus non facilè intelligat, scripturarum expositionem ab his petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur: fieriq; posse, imo id semper accidere: vt multa, in doctis videantur absurda, quæ cum à doctioribus exponuntur, eo laudanda videantur elatius, quo abiectius asternanda videbantur. Et eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur.*

At est regula plumbea, inquit. Non est vetus illa plumbea, quam à Christi & Apostolicis temporibus, nec hæreticorum artes, nec violentia tyrannorum inflexit, quæ ipsa vetustate magis roboratur: illa quâ Pareus vtitur, iam multis modis in contrarium & reflexa & deflexa. Quisq; enim suo priuato spiritus instinctu scripturam in sua sensa flectit, vt nulla iam sit hæresis tam absurda, quæ non flexuosis errorum labyrinthis regulam illam accommodet. Iulianus audacter patres appellabat multitudinem cœcorum. August. l. 2. Et addit.

Ad legem alligamur sanè intelligendam.

§. 4. *Scripturâ nusquam ad Patres remittit. sed legem, ad Mosen.* Respondeo. Ad legem & Mosen non à quolibet, sed à præsidibus Ecclesiæ accipiendum. Deinde ad legem & Mosem, ex spiritu Dei. Ecclesiâ interprete intelligendum. Patrum, conciliorum, & Ecclesiæ cõsensus ad sensum scripturæ verum non modo alligat, sed etiam damnat refractarios. Nec de illis sententiis agimus, quæ vel ad fidem necessariæ non sunt, vel vbi aliqui Patrum ab Ecclesiâ, non pertinaciter, sed re nondum exploratâ recesserunt.

Quærit etiam fueritne illa perpetua: etiam ante Patres? Respondeo perpetuam fuisse non autem ante patres. Perpetuam non æternã, sed quæ cum scriptura cœpit, Patres autem quibus data est Scriptura, ante scripturam fuerunt, Moses à Deo scripturam accepit, & interpretatus est legem Dei sui, inde Patres Israelitarum consecuti, & nati natorum, & qui nascuntur ab illis. Apostoli nouam scripturam dederunt, veterem exposuerunt, ab illis viri Apostolici, verbo multi, scriptis pauci continua serie reliquerunt, vsusque Ecclesiæ vsq; ad nostra tempora, quibus hæretici multi, sed inter se dissentientes fidem detrahere, sunt conati. Quid de conciliis generalibus Ecclesię nonne illis potius quam pauculis apostatis adhęrendum est? Nos enim de totius Ecclesiæ sententia agimus. Aug. l. 2. c. 1. de baptismo contra Donatistas. *Quod per vniuersæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel vnius Episcopi auctoritati, vel vnius prouinciæ Concilio præferendum est.*

Et l. 3. contra Maximin. & Ep. 152. *Huic tantæ diligentiæ etiam illud est additum, vt & nos, & ipsi, quemadmodum ipse Iudex, verbis nostris subscriberemus, ne quisquam diceret in illis gestis aliquid vel postea fuisse corruptum. Cum enim adhuc viuentibus illis qui subscripserunt, innotuerint eadem gesta omnibus locis, in quibus oportet, vt innotescant, sic etiam ad posteros confirmata veritas perdurabit. Nolite ergo esse ingrati tantæ misericordiæ Dei, quæ per ipsam diligentiam vobis ministrata est. Nulla excusatio iam remansit, nimium dura, nimium diabolica sunt hominum corda, quæ adhuc tanta manifestationi veritatis obsistunt.*

VER-

VERSVS 37.38. & seq.

Si non facio opera patris mei: nolite credere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre, &c.

QVÆSTIO I.

Quomodo doctrinam suam Christus tuetur?

Deus miraculo non probat blasphemias.

§. 1. MIracula iterum proponit. Dico me filium Dei, dico me in patre, & patrem in me esse: hoc operibus confirmo. Non postulo vt mihi credatis, nisi opera facio, quibus nisi peruicaces & cœci estis, credere debetis. Opera patris sunt, opera Dei, ego illa facio, vt me probem Deum. Non sinet id Deus æterna veritas, vt falsitas tanto testimonio persuadeatur. Æqualitas operum, inquit Chrysostomus, æqualem probat potestatem. Itaque hic non est audiendus pro Arianis pugnans Caluinus: Nihil, inquit ago nisi auspicijs patris: hoc non probat Deum esse, sed potius hominem tantum, Christus hic se Deum esse contestatur. Hoc est enim quod ait, ἐν αὐτῷ se esse, seu vt alii, ἐν τῷ πατρὶ, In patre. Ita Athanas. de duab. in Christo naturis. Et de incarnatione verbi.

Et quia semel homo factus erat, necesse erat ista omnia de eo dici, vt re vera verum corpus non specie tenus habuisse videretur. *Caterum vt ex istis deprehendebatur corporaliter adesse: ita ex operibus quæ faciebat per corpus, Dei filium se manifestabat. Vnde ad incredulos Iudæos clamabat dicens: si non facio opera patris mei ne crediderit is: si vero illa facio, etiam si mihi non credatis, operibus credite, vt cognoscatis & credere possitis, & me in patre esse, & patrem in me. Vt enim (quatenus inuisibilis est) ex operibus mundi deprehenditur: ita quoq; homo factus, quamuis in corpore latens, minimè conspicuus sit, tamen ex operibus cognosceretur, eum qui talia operatur, non hominem sed Dei potentiam & rationem esse. Nam imperare etiam ipsis dæmonibus, eosq; extrudere, non opus humanum fuerit, sed diuinum.*

§. 2. Ex eo autem quod in patre est filius. Athanas. diuinitatem eius asserit orat. 4. contra Arianos. *Et hoc est quod ait, Qui cum in forma Dei esset: Nec non & illud, Pater in me. Non autem ex patre aliqua forma Deitatis conficitur, sed ex integra Deitate patris, essentia filii consurgit, & solidus Deus: idcoq; cum par esset Deo, non rapinam arbitratus est se æqualem Deo. Ac è diuerso, quoniã filii Deitas & species, nullius alterius est quam patris inde est illud, quod dixit, Ego in Patre. Ita Deus fuit in Christo mundum sibi reconcilians: nam propria substãtia patris filius est, in quo creatura Deo reconciliabatur: ita fit, vt quæ operatur filius, opera sint patris: quippe cum species deitatis paternæ, quæ author fuit talium operum, filius existat: ita quoq; qui vidit Filium, vidit Patrem: In paterna siquidem Deitate subsistit, & conspicitur filius: & eius paterna species ostendit in ipso ipsius Patrem. Atq; ad istum modum existit pater in filio, & patris in filio proprietas & diuinitas ostendit filium existere in patre, & semper indiuisibilem ab eo esse.*

§. 3. Fuere olim qui vnum Deum ex filio & patre compositum esse fingerent apud Athanasium oratione contra Sabellii gregales. *Sed tu mihi hi obiicis, esto sit vnus Deus, sed ex duabus partibus in quas soliditas Deitatis diffusa est, neutera; sit integer, sed compositus. Caterum ad hanc impietatem operæpretium est aures occludere & abluere animam: Nam qui talia blaterant nec patrem cum filio idem esse cogitant, nec integrum quiddam cum singulis constituunt. Atque, inquit, dictum est, quoniam ego in Patre, & Pater in me est: Recte: sed non est Pater & Verbum cogitabile in corde filii, neq; filius cogitabile Verbum in corde Patris, sed verbum viuum ex viuo patre Deo, æterna prouocatione editum, absq; principio cum patre coexistens, adeo vt nunquam solum Patrem fuisse intelligendum sit, eo quod Trinitas semper fuerit Trinitas, & sit, neq; auctarium Deitatis accipiat, neq; quasi filius qui antea cum patre non fuit, postmodum fuerit: ac cum iam extiterat, aliquid incrementi addiderit aut Filio spiritus super accreuerit. Quæ enim ab aliquo principio ortus traxerunt, creaturæ sunt, & mancipia, & cum Trinitate nequaquam numerantur.*

Ita vndiq; Satanas ad impugnandam Christi diuinitatem, aut alia absurda inducenda intentus instabiles animos concitat.

§. 4. Quemadmodum autem Christi miracula firma erant doctrinæ contra perfidiam Iudæorum testimonia. Ita in Ecclesiâ Christianâ martyrũ, & sanctorum miracula, tam gentes, quam hæreticos impietatis arguunt. Est de hisce Nazian. præclarum testimoniũ. Orat. 3. contra Iulianum. *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, eos qui & post illos, & ante illos pro veritate se periculis obiecerũt? qui cum igni, & ferro, & belluis, & tyrannis, & præsentibus malis, & denuntiatis alacri animo, velut in alienis corporibus, imò quasi corporum expertes, dimicarunt (cur? ne pietatem vel verbotenus proderent) Quibus præclari honores & festa constituta sunt: à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones & prædictiones: quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ siue tangantur, siue honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atq; exigua passionis signa idem possunt, quod corpora.*

Et Elias Cretensis Nazianzeni exegetes. *Quibus de causis & magnificis honoribus afficiuntur, & publica festa in eorum honorem celebrantur. Qui dæmones eiiciunt omniq; generis morbis medentur, ac corporibus soluti, quibusdam tanquam adhuc in corporib. versantes, apparent, ac multa ipsis ad eorum custodiam & præsidium futura prædicunt. Quorum sola etiam corpora disiuncta animis tot ac tanta operantur, quot & quanta animæ. Nam iis qui piè ipsa contingunt, aut etiam honore prosequuntur, vberrima beneficia, & sanitates profundunt. Quid autem corpora dico? Paucæ sanguinis guttæ & pili, & exigui panni, Martyrum cruore sanctificati, parem corporibus vim ac facultatem habent. Quonam igitur modo hos non veritus es? Quonam modo non pertimuisti? sic nimirum huius loci sententia plena & absoluta est.*

CAPVT XI.

ERAT autem quidam languens Lazarus à Bethania, de Castello Mariæ, & Marthæ sororis eius. 2. (Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.) 3. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. 4. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam. 5. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, &

Lazarum. 6. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. 7. Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. 8. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? 9. Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt. 10. Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. 11. Hæc dixit, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado vt à somno excitem eum. 12. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. 13. Dixerat autem Iesus de morte eius: Illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. 14. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est. 15. Et gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo. 17. Venit itaq; Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. 18. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadios quindecim.) 19. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. 20. Martha ergo, vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. 21. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. 22. Sed & nunc scio, quia quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus. 23. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha, scio quia resurget in resurrectione nouissimo die. 25. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. 26. Et omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? 27. Ait illi: Vtiq; Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. 28. Et cum hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. 29. Illa vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum. 30. Nondum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. 31. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia citò surrexit, & exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. 32. Maria ergo, cum venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. 33. Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes infremuit spiritu, & turbauit seipsum. 34. Et dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. 35. Et lacrymatus est Iesus. 36. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. 37. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur? 38. Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentũ. erat autẽ spelunca: & lapis superpositus erat ei. 39. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quadriduanus est enim. 40. Dixit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? 41. Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit. Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. 42. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: vt credant, quia tu me misisti. 43. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras. 44. Et statim prodiit qui fuerat mortuus ligatus pedibus, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum & sinite abire. 45. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. 46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus. 47. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. 49. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam. 50. Nec cogitatis, quia expedit vobis vt moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. 51. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro gente. 52. Et non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. 53. Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. 54. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem iuxta desertum, in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. 55. Proximum autem erat Pascha Iudæorum: & ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha, vt sanctificarent seipsos. 56. Quærebant ergo Iesum & colloquebantur ad inuicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices, & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.

IN CAPVT VNDECIMVM

ARGVMENTVM

IN signe miraculum sub vitæ finem, iam passioni proximus ostendit, Lazaro quatriduano ad vitam reuocato, qui cum inter suos nobilis esset, & honoratus, & in ipsis Ierosolymorum agris suburbanis habitaret, nec ignota mors eius fuit, & resuscitatio principes commouit: vt vitæ auctorem occidendum esse decernerent. Fideles autem confirmauit, vt Christum resurrecturum crederent, quem tantum in mortem habere viderent imperium. A principio vsq; ad versum 47. legitur in quadragesimâ ad oblationem, vt fideles iam mortis memoriam celebraturi, de resurrectione cogitarent.

A versu 47. ad 55. vsq; feriâ quartâ passionis.

Inde ad finem matutinis septimanæ suscitationis Lazari, vocatur autem eorum lingua לעזר Laghazar, vel vt alii malunt Loghozar. interpretantur, Dei adiutorium. quasi dictum sit אלעזר Elghazar, literarum Metathesi.

VER-

VERSVS 1.

Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de Castello Mariæ & Marthæ sororis eius.

QVÆSTIO I.

Quis Lazarus & Sorores?

Lectio diuersa.

§. 1. QVod in Græco est, ἐκ τῆς κώμης Μαρίας καὶ Μάρθας ἀδελφῆς αὐτῆς. Ex Castello Mariæ & Marthæ sororis eius, in Syro est אחוה *Achuach*, frater eius, Verum præferenda est Latina, & Græca lectio, cum paulo post fratrẽ appellet, dicitur porro ἀσθενῶν languens, דבריה quod pro omni morborum genere accipi potest, vt cognoscamus Dei amicos humanorum malorum immunes non esse, quod monuit Theophilactus.

Marjam.

§. 2. Castellum κώμη est, vicus, non arx aut munitio, nec Lazarus & sorores Dominio vici potiebantur, sed incolæ erant, quamuis honoratiores. Syrus קריתא pagum appellat. Porro בית עניא *Beth ghania*, domum humiliationis, afflictionis. Notandum & illud. Mariam hic non Mariam, sed Mirjam per j consonantem in medio appellari, more Syro. Quæ autem Maria fuerit, in Matthæo disputaui & Lucâ.

VERSVS 3.

Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur.

QVÆSTIO I.

Quæ fuit sororum ad Christum legatio?

Legati sororum.

§. 1. Ἀποστέλλω Græci, & Hebræi שלח *Schalach*, vsurpant absolutè, quemadmodum Latini, *Legare*. Periculo ingruente mox ad Deum confugiunt, vt illi 2. Par. 20. non in medico, non vllo in alio spem collocant. Verba legati pauca sunt, & plena fiduciæ. *Ecce quem amas infirmatur*, quod omnes notarunt expositores, Theophyl. Chrysost. Rupertus, Leontius, Beda. Admirantur sanè talem Christi amicum morbo affligi, vt monuit Cyrillus. Fiducia igitur amoris est. Amanti satis est nosse necessitates amici. Itaq; nec tempus sanandi præscribunt, nec vt aduenire precantur. *Sed Domine*. inquiunt, *quem amas infirmatur*, מרן *Maran*, Domine noster, Contentæ indicare, quid rei geratur, non quasi nescienti, sed vt desiderium suum aperiant, & vota.

VERSVS 4.

Ego dixi, dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura.

QVÆSTIO I.

Quomodo infirmitas non sit ad mortem?

§. 1. NVncio Dominus respondet, non esse infirmitatem ad mortem, sed pro gloriâ Dei, vt Dei filius per eam glorificetur, sic enim legendum est, non vt quædam Græca habent exemplaria ἵνὸς ἀνθρώπου, *Filius hominis*. Ariani etiam lectionem alio modo corrumpebant. Nam legebant: ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ δι' αὐτῆς, vt glorificetur filius Dei per eum, nempe Deum: vnde concludebant, Deum non esse. At vero cuncta exemplaria habent, δι' αὐτῆς, nempe ἀσθενείας, *infirmitatem*. Et Christus per miracula glorificatur; nam probatur esse Deus, finis itaque mortis est Dei gloria. Et quidem non modo bonis tribuendis, sed malis inferendis Deus glorificatur; nam in supplicio impiorum iustitiæ diuinæ gloria relucet. Verum hoc loco singularissima sese virtus Christi exerit, ideoque Dei filius glorificatur, non sui, sed nostri causa, vt monet Augustinus tract. 49. in Ioan. *Talis glorificatio ipsum non auxit, sed nobis profuit. Hoc est ergo quod ait*, non est ad mortem, *sed potius ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum, & vitarent veram mortem, sane videte quemadmodum ex obliquo Dominus Deum se dixit, propter quosdam, qui negarent filium Deum esse. Nam sunt hæretici, qui hoc dicunt, quod filius Dei, non sit Deus. Ecce audiant*: infirmitas hæc, *inquit*, non est ad mortem, sed pro gloriâ Dei. *Qua gloria? cuius Dei? Audi quid sequitur*, vt glorificetur filius Dei. Infirmitas ergo hæc, *inquit*, non est ad mortem sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.

Finis morbi Dei gloria.

Christus filius Dei.

Quod vero Chrysostomus ait, τὸ δεῖνα, ἐνταῦθα οὐκ ἀπολογίας ἀλλὰ ἐπεξηγήσεώς ἐστι. *Particulam Vt, non causam significare, sed euentum*, de causa necessaria intelligo; poterat Deus filium glorificare absque morbo Lazari, sed per eum voluit. Quemadmodum vero Augustinus, ita etiam Cyrillus, Beda, Rupertus diuinitatem Christi hoc ex loco probant.

Non fuit igitur morbus ad mortem, nec mors ad mortem, non quod vera mors non secuta fuerit, sed quod more aliorum hominum in morte non manserit, sed mox fuerit excitatus. Somno itaque similior quam morti fuit. Sic aliquando mors accipitur pro ipsa animæ à corpore seiunctione, & omnibus, quæ illam consequi solent, hoc loco talem mortem Christus esse negat.

Morbus non ad mortem permanentem.

VERSVS 5. & 6.

Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

QVÆSTIO I.

Cur interponat de dilectione Christi?

§. 1. VArias reddunt causas, sunt qui rationem reddi putant; cur Lazarum morbo sterni, & mori voluerit, vt ostenderet temporarias pœnas non esse, signa indignantis, sed sæpe diligentis Dei. Alij cur postea venerit, Euangelistam exponere. Mihi rationem reddere videtur, cur sorores Lazari, nunciarint illi, non Lazarum, non fratrem suum, sed eum quem amat infirmari. Singulari enim modo à Christo dilectum esse. Diligebat autem Lazarum dilectione æternâ, quâ illum elegit, & præsentem iustitiam amabat. Itaque etsi auxilium differt, non cessat, tamen: etsi cessat, non dormit. Tardius aduenit, vt mors, sepultura, luctus, fœtor, dies quatuor indubitatam miraculi fidem facerent.

Amor Dei causa omnium bonorum.

§. 2. Qui hinc conficere nituntur, Lazari non fuisse meritum, vt resuscitaretur, sed gratuitam Dei dilectionem; ac proinde nullum omnino esse sanctorum meritum, cum summâ impietate insaniunt. Quomodo ista consectaria sunt. Lazarus non meruit ἀνάστασιν, resur-

Meritum non omnium, sed permissorum.

resurrectionem post quatriduum, nemo ergo quicquam meretur? Deus bonorum operum meritis augmentum gratiæ, gloriam cœlestem promisit, celerem resuscitationem non promisit, sed nec eam Lazarus popoſcit, cui satis erat semel gustasse mortem.

Gratiam merita sejiuuntur.

Mereri igitur non potuit, quod nec Deus promisit, nec ipse quæsiuit. Alioqui dilectio Dei tantum abest, vt merita tollat, vt potius nulla esse possint, nisi Deus & gratuito promittat, & gratiam donet. Ita Augustinus de gratia & lib. arb. c. 6. cum testimonia scripturæ contra Pelagianos attulisset, addit: *His & talibus testimonijs diuinis probatur, gratia Dei non secundum nostra merita dari, quando quidem non solum nullis bonis, verum etiam multis meritis malis precedentibus vidimus datam: & quotidie dari videmus. Sed plane cum data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illa tamen.*

Ante vero amauit, quàm gratiam contulit; ideo enim donat, quia amat. Omne enim meritum in nobis facit gratia. Præmium autem dati meritis testatur Augustinus, de moribus Ecclesiæ, l. 1. c. 25. & tract. 3. in Ioannem, de Paulo agens. *Iam debitum flagitat, iam debitum exigit: nam vide verba sequentia.* Quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus Iudex. *Vt autem susciperet gratiam, misericordem patrem opus habet: vt præmium gratiæ, iudicem iustum.* Consule & tractatu 67. in Ioan. & expositionem in Psal. 93.

Lazarus igitur ex gratiâ Dei, cui cooperabatur viuens præmium habuit vitam æternam, quod meritorum est merces, non autem vllo merito suo à Christo resuscitatus est.

VERSVS 9.

Respondit Jesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi videt.

QVÆSTIO I.

Quorsum spectat, quod ait, duodecim horas diei esse?

§. 1. DIscipulos timentes iterum in Iudæam profici-sci memores sæuitiæ Ierosolymitanorum iubet absque metu esse. *Eamus in Iudæam inquit.* Syrus תר נאזל *Thaunizel, venite eamus. Nolite,* inquit *timere,* etsi nuper benefactis meis ingrati in furorem acti, lapidare me voluerint, & iam ferale decretum fecerint, vt quicunq; me deprehenderit, deferat magistratui, duodecim tamen sunt horæ diei, quibus ego cum ambulem, non offendam etiam inter mille pericula. Lyrani expositio quæ eadem & S. Thomæ multis placuit, & facilis est. Nunquid duodecim sunt horæ diei? & vt horæ, ita animi hominum instabiles, vt quod vnâ hora decreuerint, altera rescindant? furenter irascuntur, temere ponunt iras. Non est illa tam contemnenda, quam multis videtur expositio. Nam solent animi hominum mutari, non in dies modo, sed & in horas; facile iras vulgus ponit, præsertim non legitima causa sumptas. Plerunq; ira cum ingenti flamma exarsit, paruâ mora euanescit, verbo frangitur. Solent ita loqui. Nemo sapit omnibus horis: esto illis nuper furor iraque mentem abstulerint, reddet illis dies insequens magister, & iudex prioris. Consilium in melius referent. Non dissimili vsu, sed alio sensu dictum est, omnium horarum homo. Certe Horatius cum inconstantiam notat: *Et mutatur in horas,* inquit?

Tutos fore ostendit.

Animi mutabiles.

Describit in Hercule Oetæo similem mutationem Seneca:

Euripus vndas flectit instabilis vagas,
Septemq; rursus flectit, & totidem refert.
Dum lassum titan mergit oceano iubar.

Cicero pro Plancio, suffragia totius populi freto & Euripo comparat. Communi ergo argumento animos suorum deiectos consolari, & erigere constituit, duodecim esse horas diei, populum esse beluam δωδεκάμηχανον, singulis horis aliud atq; aliud volentē; his diei horis si quis ambulet, facile posse manus eius euadere, mollia tempora alloquendi, & ducendi captare.

§. 2. Chrysostomus duas adducit expositiones. Vel dicere Christum. Nullius mali se sibi esse conscium, itaque nec metuere, ἤ ὅτι ὁ τὸ φῶς τοῦ κόσμου τοῦτο βλέπων ἐν ἀσφαλείᾳ ἔσται, εἰδὲ τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου βλέπων, πολλῷ μᾶλλον ὁ μετ' ἐμοῦ. ἐὰν μὴ ἀποχήσῃ ἑαυτὸν ἐμοῦ. *Vel, quod qui lucem huius mundi videt, est in securitate. Si vero lucem mundi videns, multo magis, qui mecum est, si non à me seipsum seiunxerit.* Cyrillus nondum esse tempus relinquendi Iudæos, nec puniendi, sed adhuc beneficia in eos porro conferenda, diei enim duodecim horas, nunc eas esse, quibus benefacere constituerit, Augustinus mysticè interpretatur. Ghristum solem esse, Apostolos vero horas, eos sequi, non præire sententia sua debere. Verba eius tract. 49. in Ioan. sunt ista: *Cum ego vellem dare consilium homines Deo, discipuli magistro, serui Domino, agroti medico, corripuit eos, & ait:* Nonne duodecim sunt horæ diei? *Quia vt diem se esse ostenderet, duodecim discipulos elegit. Si ego sum, inquit, dies, & vos horæ, nunquid horæ diei consilium dant. Horæ diem sequuntur, non dies horas. Si ergo illi horæ, quid Iudas, nonne & ille inter duodecim horas? Ad hoc respondet, in hoc Dominum non Iudam sed successorem eius præuidisse. Quo satis ostendit, se non literalem, sed mysticum sensum hac in sententiâ secutum.*

Christus innocens, securos præstat.

§. 3. Verus est sensus. Horas duodecim esse diei, per diem si quis ambulet, quacunque horâ, non impingere, eo quod lucem habeat; at si lapsis duodecim horis ambulare noctu velit, offendere eum, quia lux in eo non est, vt igitur duodecim horæ diei cum luce sunt operum arbitræ, illisq; homines res suas expediunt, noctu quiescunt, ita Christus quoque diem suam, & horas diei, hoc est tempus docendi, miracula faciendi, & omnes illius temporis articulos habet definitos. Itaque quicquid eo tempore, & vbicunq; egerit, non poterunt, vel insidiæ, vel vlla vis hostium impedimenta esse. Nec Domino, nec Apostolis Iudæorum machinationes nocere possunt, cum omnis in irritum sæuities cadat. Solem fallere quis posset? quis cœli cursum posset inhibere? vere dictum.

Hora diei tempus agendi.

πολλὰ ἂν εἰδείης εἰ τὸν θεὸν ἐξαπατήσεις.
Multa necesse est scias, vt Deum fallas.

Hæc quidem non eo pertinent, vt temerè nos periculis ingeramus, sed vt cum officium nostrum requirit constantiam, Deo confidamus, nec salutem nostram ab hominum insaniâ pendere credamus. Fugit aliquando Christus, sed tempus fugiendi erat, nunc mediam flammam ingreditur, hora enim erat; vt omnia imminentia discuteret, & tandem se sponte aduersarijs daret. In Apostolis lucta carnis, & Spiritus ingraueſcit, Domino timent, & sibi: interim tamen rectè faciunt, quod Christum sequuntur.

Metus non deterret à bono apostolos.

De horarum diuersa ratione, de æqualibus, & inæqualibus, vulgaribus, naturalibus, multa apud Clauium alioſque videri possunt. Apud Iudæos erant inæquales, non enim magna est diei diuersitas cum minus absint à lineâ æquinoctiali, minusque obliquiri signiferum habeant.

VER-

VERSVS 11. & seq.

Hæc ait: & post hæc dicit eis, Lazarus amicus noster dormit: sed vado vt à somno excitem eum.

QVÆSTIO I.

Quomodò mortem Lazari discipulis Christus indicat?

§. 1. PRimo, *amicus noster*, inquit, *dormit, sed vado vt eum à somno excitem*, figurâ non modo in scripturis, sed etiam familiari colloquio vsitatissimâ mortem exprimens. Est enim ὕπνος θανάτου καστγνητος, *somnus frater mortis*, aut sanè gelidæ mortis imago. Non tamen Apostoli tropum intellexerunt; putarunt enim de proprie dicto somno esse sermonem. Quapropter Musculus censorio supercilio eos damnat, & seueriore reprehensione pronunciat, quod scripturæ phrases non percipiant, sed frustra quidem ille accusat insontes, quos Christus non reprehendit. Dormire est in scripturâ, mortuum esse, & proprie dormire. Vtrâque significatione & frequentissime scriptura vtitur, frequentius propriâ. Nihil igitur peccarunt, cum propriè acceperunt verba Christi, cum ratio nulla esset, vt metaphoricè interpretarentur. Audierant eum infirmari, audiunt nunc dormire, concludunt conualiturum, tum demum dicit illis Iesus παῤῥησία, manifestè, disertè, *Lazarus mortuus est.* Itaq; ante non dixerat παῤῥησία manifestè, sed obscurè: non igitur peccabant, qui dicti ambigui sensum benigniorem acceperunt.

Mors somnus.

§. 2. Demonstrat autem & animæ immortalitatem, & communionem sanctorum. Dum amicum esse, & non suum tantummodo, sed nostrum amicum appellat. Nam illi qui non sunt, nec amici Dei sunt, nec hominum; & qui dormiunt amici censentur. Quod illis verbis: *ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, resurrectio mortuorum comprobatur, cur non hoc etiam loco cum Dominus, Lazarum amicum & suum, & discipulorum vocat, & dormire asseuerat? si enim non Deus mortuorum, sed viuentium, non sunt etiam amici Dei, nec amici sermorum Dei mortui sed viuentes. Illi, inquam, qui mundo mortui Deo viuunt, secundum optimam sui partem, secundam animam; corpore etiam post resurrectionem immortaliter victuri. Quod si etiam amici sunt, quædam amicitiæ inter viuos & defunctos officia, intercedere necesse est. S. Augustinus l. de curâ pro mortuis, vtrunque complexus est. Nam & beatos amicos Dei existimat, & eorum etiam qui viuunt, quique in purgatorio sunt. cap. 4. *Quod si verum est, profectò etiam prouisus sepeliendis corporibus apud memoriam sanctorum locus, bonæ affectionis est humanæ erga funera suorum: quoniam si nonnulla religio est vt sepeliantur, non potest nulla esse, quando vbi sepeliantur attenditur. Sed cum talia viuorum solatia requiruntur, quibus illorum pius in suos animus appareat, non video quæ sunt adimenta mortuorum: nisi ad hoc, vt dum recolunt vbi sint posita eorum quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tanquam Patronis susceptis apud Dominum adiuuandos commendent, quod quidem facere possent, etiam si talibus eos locis humare non possint. Sed non ob aliud memoriæ vel monumenta dicuntur, ea quæ insignita sunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos, qui viuentium oculis subtracti sunt &c. in memoriam reuocant.* Et deinceps. *Cum itaq; recolit animus vbi sepultum sit cariss mi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis eidem martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus, qui cum defunctus à Charissimis fidelibus exhibeatur, cum prodesse non dubium est ijs, qui cum in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodisse meruerunt. Deinde si talis sepultura non possit haberi. Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum; quas faciendas pro omnibus in Christiana, & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus, quocunque sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, at quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati vel amici, ab vna ijs exhibeatur pia mater communi.*

Mortui amici Dei sunt.

§. 3. Discipuli eo ipso argumento vtuntur; ne in Iudæam Dominus redeat; *si enim dormit*, inquiunt, *saluus erit* מתחלם *Methihalem, valebit.* Somnus enim ægrotis est salutaris, tum ex causa, tum effectu; nam dolori mitigato, & concoctioni meliori succedit, reficitque ipse corpora, vt nouas vires recipiant. *In Misnatoth de benedictionibus* cap. 9. Signa melioris valetudinis recensentur, sternutatio, sudor, alui solutio somnus, somnium, fluxio. Quæ omnia tamen Hippocrates & Galenus sine variâ distinctione non admittunt, somnus attonitus, & grauis, exitij præcursor est, & in lethargum desinit. Veritissima definitio Hippocratis. *Somnus, aut vigilia si alterutrum exceßit modum, malè est.* Interim somnus naturalis, cum ex humore sufficiente, & concocto oriatur, εὐεξίας est signum. Neque enim æstuantes, aut aridi, aut vinolenti somnum capiunt naturalem.

Somnus signum boni.

VERSVS 15.

Et gaudeo propter vos: vt credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum.

QVÆSTIO I.

Cur gaudet non fuisse se ibi?

§. 1. DIscipulorum causa gaudere se dicit; nam ex Lazari suscitatione futurum vt credant. Ante crediderant illi quidem, & confessi erant se credere, at nunc firmiorem promittit fidem. Magna præforibus erat tentatio, scandalum crucis & mortis, ad eam vincendam opus erat recenti, & noto mortui resurgentis aspectu. Hoc præstare suis voluit. Varia autem fuere miracula; nam & mortuum cognoscit absens, & resuscitaturum promittit. At cur gaudet non fuisse ibi? Nonne & Christo præsente mori Lazarus potuit, & post diem quartam resuscitari? Poterant illa fieri, verum vt mirabilius esset miraculum, absentem esse præstabat. Nam & mortuum absens prædixit, cum non vidisset, & omnis fraudum suspicio aberat; si præsens fuisset, sororum lacrymæ, Iudæorum preces, ipsa Christi humanitas, & quam erga Lazarum habebat dilectio, videbantur exigere, ne qui tot sanaret ægrotos mori amicum sineret, interessissent etiam Apostoli, qui vel audiendi, vel non sine repulsæ dolore negligendi fuissent. At vero alio in loco degit, morbus nunciatur; ille cum respondit ad mortem non esse, non putarunt vel Apostoli, vel discipuli vlterius interpellandum.

Tando miraculo fidem confirmat.

Cur non voluerit adesse.

Christus Deus.

§. 2. Diuinitatem suam absentium inspectu, & promissione resuscitandi satis comprobat. Et ita Chrysol. serm 63. *Et erat locus vbi non erat Christus? & quomodo non erat ibi, vnde mortuum Lazarum discipulis nunciabat? fratres, erat ibi Christus Deus, sed non erat ibi homo Christus: erat enim ibi Christus Deus cum moreretur Lazarus, sed tunc ad mortuum venturus erat Christus, quando erat mortè Christus Domi-*

Dominus subitus. Dicebat itaque; quoniam non erat ibi. Hoc est in morte, in sepulchro, in inferno, vbi per me, & per meam mortem, potestas tota mortis est subruenda.

Vbiquitas cadit.

§ 3. Clarum testimonium, & inuictum contra immane Vbiquitatis figmentum. Nam Christus se profitetur ibi non fuisse. Non igitur vbiq; est. Ridiculum est porro quod respondent. *Locali modo non fuisse, non circumscriptiue*: eo venisse verè, realiter, non simulatè. Nam si verè, & realiter erat ibi, & hoc sorores sciebant, quid opus erat legatione? Deinde noua est, & inaudita interpretatio. Non eram ibi localiter, & circumscriptiue, eram tamen immensitate vbiquistică. Absolutè se ibi fuisse negat. Pugnat etiam quod duas præsentias faciunt vnam immensam, & vbiquitariam, alteram localem; nam erat ibi totus Christus, tota humanitas, eaque iam facta omnipræsens: Christus istuc vadens pari modo erat omnipræsens, & ibat eo non localiter inclusus, sed immensus, quod fieri non potest. Denique quemadmodum immensitatem diuinitatis realiter in humanitatem transfusam comminiscuntur, ita quoque de cæteris attributis sentiunt, & sentire debent: cum in Deo omnia sint eadem: nec vnum sine altero communicari possit. Ex quo consequitur immutabilem esse & fuisse humanam Christi naturam, si locum spectes. Deo enim repugnat, aut alicubi non esse, aut ad locum venire, in quo ante non erat; venire inquam translatione deitatis. De nouo enim aduentu per effecta sermo non est. Nos de hac quæstione Vigilium l. 4. contra Eutychetem audiamus; eadem enim ratione nouos Eutychianos conuincemus. *Si verbi*, inquit, *& carnis vna est natura, quomodo cum Verbum vbiq; sit, non vbiq; inueniatur caro? Namque quando in terra fuit, non erat vtique in cœlo: Et nunc quia in cœlo est, non est vtique in terra. Et in tantum non est, vt secundum ipsam Christum expectemus venturum de cœlo, quem secundum Verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum vos, aut Verbum cum carne sua loco continetur: aut caro cum Verbo vbiq; est: Et, quando vna natura contrariorum quid, & diuersum non recipit in seipsa. Diuersum est autem, & longè dissimile, circumscribi loco, & vbiq; esse: Et, quia Verbum vbiq; est; caro autem eius vbiq; non est; apparet, vnum eundemq; Christum vtriusque naturæ, & esse quidem vbiq; secundum naturam diuinitatis suæ: creatum esse, & in tium non habere: morti subiacere, & mori non posse: quod vnum illi est ex natura Verbi, qua Deus est: aliud ex natura carnis, quâ idem Deus homo est. Igitur vnus Dei filius, idemq; hominis factus filius, habet initium ex natura carnis suæ: & non habet initium ex natura diuinitatis suæ: circumscribitur loco per naturam carnis suæ; & loco non capitur per naturam diuinitatis suæ: minor est etiam Angelis per naturam carnis suæ; & æqualis est Patri secundum naturam diuinitatis suæ: mortuus est naturâ carnis suæ; & non est mortuus naturâ diuinitatis suæ. Hæc est fides & confessio Catholica, quam Apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vsq; custodiunt.*

Fictæ immensitas humanitatis.

At nostri Eutychiani, humanæ Christi naturæ tribuunt diuinitatis κτῆσιν, & χρῆσιν, possessionem, & vsum, non quidem ex ipsa, humanitate, sed communicatione. Nam quocunque modo tandem sit infinitum, si in se, & formaliter habet infinitatem Deus est. Nam æternitatem etiam & alia habere necesse est. Imperite respondet Hunnius l. 1. de persona Christi pag. 61. *Immensitatem Dei humanitati realiter communicari, non potest sic communicari æternitatem.* Nec eandem esse omnium attributorum rationem.

Attributa absoluta ita se habet, vt cum, vnum conueniat cætera

Respondeo. Neminem negare posse, singula attributa Dei absoluta de singulis affirmari posse. Nam omnipotentia Dei est, deitas, & æternitas Dei est ipsissima essentialiter deitas, ideoq; est omnipotentia. Omnipotentia est communicata, omnipotentia est æternitas; æternitas igitur est communicata, vt sit Christi humanitas æterna, vt est omnipotens. Hîc etiam communicatum locum habet, quod dici solet, quæ sunt eadem *etiam conuni tertio*, sunt eadem inter se. Quod vero suggerit, cum attributa considerantur respectu naturæ assumptæ, aut prout in creaturis operantur, non quidvis de quibusdam enunciari, adeo vanum est, vt ipse paulo post refutet. Hoc sane conuinco. Si omnipotentia humanitatem vere & realiter facit omnipotentem, & vt hoc parum sit, etiam formaliter, necesse esse, vt etiam ea res quæ est æternitas, communicetur, ideoque etiam realiter, vereque faciat æternam. Si autem æternitas verè communicata non facit æternam, nec ergo omnipotentia omnipotentem. Cur enim vnum attributum effectum habet aliud non habet effectum? Contra Flacianos autem facit exemplum, quod de iustitiâ, quâ punit, & misericordiâ, quâ liberat, proponitur. Nam reuera, ea res quæ punit, etsi est misericordia, est tamen eadem res etiam iustitia, & verè dicitur. Misericordia est iustitia, & iustitia quæ etiam est misericordia punit, effectus enim ille à totâ deitate procedit, licet nos rationes formales diuersas cogitemus. Si igitur illa res quæ est æternitas communicatur homini. Si Deitas ipsa, homo dici debet æternus, sicvt Deus.

Quod vero adiungit æternitatem mediantibus alijs attributis communicari, hoc omnia priora destruit. Nam quod per aliud communicatur realiter, id quoque facit tale, quale denominatur, vt cum per quantitatem candor inest niui, eam quoque candidam efficit.

Illud vero stolidum æternitate diuinâ Christi humanitatem æternam esse in posterum, non ante, ratione principij. Nam vt Christi humanitas totâ Dei sapientia sapiens est, ita etiam æterna est: nam Dei æternitas tota simul est, tota indiuisa: totam ergo æternitatem continet & confert.

VERSVS 16. & seq.

Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: eamus & nos, vt moriamur cum eo. Venit itaque Iesus. & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim.)

QVÆSTIO I.

Quomodo in Bethaniam venit Iesus?

§. 1. THomas qui dicitur Διδυμος, audito; Iesum omnino ire statuisse. *Eamus & nos*, inquit, *& moriamur cum illo.* Quod varie interpretantur. Nam Iansenius, alij; Ire & cum Lazaro mori voluisse censent: alij cum Christo, quem morituram putabat. Idque etiam duplici modo. Alij querentis, alij hortantis ad mortem esse vocé existimant. Chrisostomus timorem interpretatur. Καὶ πίστις μὲν φασὶν, ὅτι ὁπισυμεῖ καὶ αὐτὸς ἀποθανεῖν, ἀ δεῖ δὲ δειλίας γὰρ μᾶλλον τὸ Thomas τῆμα. *Quidam dicunt eum optasse mortem, sed non ita est; imit, nam Verbum est infirmitatis.* Christum tamen ait non reprehendisse, sed tolerasse imbecillitatem. Postea factum esse fortissimum, & insuperabilem, & concludit τοσαύτη ἡ χριστοῦ δύναμις. *Tanta est Christi potentia.*

Quo-

Credere debebant nihil triste sibi eventurum.

Quocunque tandem animo dixerit; etiam si cum Christo paratus ad mortem fuerit, non sine diffidentiâ tamen, & temeritate id asserit, cum credere debuerit, liberos fore se, & collegas ab infestatione Iudæorum; ea enim Dominus dixerat, ex quibus securi esse poterant; sed metus & conturbatio efficiunt, ne omnia perpendat. Interim fundamentum tenent, sequi Christum, quicquid tandem accidat. Thomas Syriacè vocatur תאמא *Thomo*, didymus autem תאומא *Thoumo*, itaque Græcum nomen est Syriaci explicatio.

§. 2. Hoc igitur modo progressi, quarto post mortem die veniunt Bethaniam, extra vicum tamen remanent, Marthæque nunciant, quæ venit obuiam Christo. Aberat autem Bethania quindecim stadijs Ierosolymis, hoc est passus 1875. puratis in singula stadia 125. passibus. Syrus vocat על גגב *ghalgenb*, *ad collem* Ierusalem, stadia vocat אסטרותא *Estaduatha*, & monet nota marginalis esse de linguâ Iauan. Sabbati erat hoc iter, consilio Sacerdotum ita definitum. Hieronym. ad Algasiam. Ita factum ex sententia Rabbinorum Attriba, & Hillel alij tradunt. Ex quo etiam constat, legis diuinæ expositionem Sacerdotum iudicio relictam esse. Martha prior excurrit, vti senior, cuique domus cura incumberet.

Iter Sabbati.

§. 2. Aderant & Iudæi solatij causa τῶν περὶ τὴν μάρθαν, καὶ μαρίαν, quod alij codices haud recte legunt, τῶν περὶ τὴν. Est enim elegantia peculiaris Græcæ linguæ, quare noster interpres imperitè à Valla alijsque reprehenditur, quem non modo nostri, sed Beza etiam defendit. Noti autem & amici erant, qui afflictas solabantur; Eccles. 7. monentur, ne desint plorantibus. Syrus לנמלין בלבחין *lenientes corda.*

§. 3. Hoc opus Iudæorum pium & humanissimum, Musculus ad fugillandas orationes pro defunctis detorquet. [Non habebant aliquid solatij, inquit, quod mortuo impenderent, igitur quod possunt, ad consolationem viuentium, hoc faciunt. Et sic olim agebat Ecclesia fidelium in exequijs, vt vocant, mortuorum. Postquam vero Spiritus errorum, & superstitionum, & quæstuum, mentes Episcoporum & presbyterorum, occupauit, quæ à priscis fuerant ad consolationem viuorum vsurpata, versa sunt ad fictum obsequium, & subsidium mortuorum.]

Respondeo de questu maleuolam esse calumniam, vt enim auari & sordidi nonnulli exequiarum potius questum, quam pietatem viuentium, & solatia mortuorum spectarint, ab Apostolis tamen, sanctisque viris exequiarum, pompa & solennitas adeoque sacrificia & preces pro defunctis adhibitæ sunt, non quæstus sed refrigerij causa. Fuit Aetianorum hæresis id negantium, de quo Augustinus de hæresib. ad quod vult Deum, hæresi 55. *Aetiani ab Aëtio quodam sunt nominati, qui cum esset presbyter doluisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari, & in Arianorum hæresin lapsus, propria quoq; dogmata addidisse nonnulla: dicens: orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere.*

Et sermone 34. de verbis Apostoli. *Sed pro viribus curæ sepeliendi & sepulchra construendi, quia, & hæc in scriptura sanctis, inter bona opera deputata sunt, nec solum in corporibus Patriarcharum, aliorumq; sanctorum, & humanis corporibus, quorumque iacentium, verum etiam in ipsius Domini corpore prædicati sunt, atque laudati, qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris. Verum illa quæ adiuuant Spiritus sanctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis obseruantius, instantius, abundantius impendant, qui suos carne, non Spiritu mortuos, spiritualiter amant.*

Vtilia viuentium, mortuorum solatia.

Hanc fuisse consuetudinem & doctrinam Ecclesiæ vetustissimam, ex S. Dionysio Areopagita alijsque diuersis alibi ostendi. Ita vt nihil opus sit eadem hic recensere, cum etiam in Israelitarum Ecclesiâ orationes illæ vsitatæ fuerint.

VERSVS 21. 22.

Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.

QVÆSTIO I.

An Martha crediderit?

§. 1. CHrysost. δεσμεύεται, sed tamen ἀσθενῶς ἐφρόνει, *Feruentè sed infirmum*, fuisse dicit. Deum fuisse Christū non agnouisse, sic didicisse. ὅτι πιστεύουσι μὲν ἐν τῇ ἀμφοτέραις εἰς τὸν χριστὸν, ἀλλ' οὐκ ὡς ἔδει τοῦτο ἦν. ἔτι γὰρ οὐκ ἀκριβῶς ἠπίσταντο, ἔτι ὅτι θεὸς ἦν, ἔτι ὅτι οἰκείᾳ δυνάμει καὶ αὐθεντίᾳ τῶν τε ποιεῖ. *id est*, Credebant ambæ quidem in Christum, sed non vt conueniebat; non enim accurate sciebant, neque quod Deus esset, neque quod propriâ auctoritate & potestate illa faceret. Quod ex eo probat, quod præsentiam ad miraculum requirerent, de quo postea dicam.

Martham Augustinus laudat, *Non dixit*, ait, *sed & modo rogo te vt resuscites fratrem meum, vnde enim sciebat, si fratri eius resurgere vtile fuerit. Hoc tantum dixit: scio quia potes, & si vis facis. Vtrum enim facias, iudicij tui est, non præsumptionis meæ.* Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.

Musculus & Caluinus eam reprehendunt. [Incipit à querimonia *ait Caluinus*; quanquam hoc modo verecundè significat, quid velit, &c. sic autem affectui suo magis indulget, quam se contineat sub fidei regulâ. Hæc quidem verba partim ex fide profecta esse fateor; sed dico permistos fuisse incompositos affectus, qui eam vltra metas abriperent. nam quod fratrem suum non fuisse moriturum sibi promittit, si ad fuisset Christus: vnde illi hæc fiduciâ? certe non concepta erat ex aliquâ promissione Christi.]

V. 22. Christi promissionem à Marthâ extenuari dicit. Ita operosus est admodum in vitiis Marthæ scrutandis, cum dominus eam non reprehendat, sed plus etiam, quam sperare audeat, vltro promittat. Mihi vt verè, quod sentio dicam: Probabile est Martham de Christi diuinitate non dubitasse eo tempore, sed cum à Christo, tum apostolis didicisse; nam eius confessio eadem planè cum eâ est, quam ante Petrus ediderat; Petrus autem filium dei naturalem cõfessus est, vt patres contra Arianos exponunt, & eo loco docui, Marthæ ergo cũ eadem sint, quæ Petri fuerant verba, ob quæ ille beatus est dictus, non debemus mentem eius interpretari diuersam esse; nam si Marthæ verba interpretemur aliter quam de filio naturali Dei, eodem sensu etiam Petri confessionem accipiet Ariana perfidia.

Martha confessio eadem quæ Petri.

Deinde certum est, hoc ex loco non confici Martham & Mariã Christi diuinitatis ignaras fuisse, Marthæ duas ob causas id imponunt, quarum nullâ probatur. *Si fuisses hic*, inquit, *frater meus non fuisset mortuus*, non ergo credidit esse vbique, non ergo Deum credidit. Hoc nequaquam consequitur. Sensus enim

enim est, si fuisses hic, omnes simul rogassemus te Deum hominem præsentem, ne emori fratrē sineres, idque tu pro tuo in eum & nos amore non negasses; fiduciâ ergo amoris, non autem intredulitate vtitur. Etenim si idcirco Deus esse non creditur, quia præsens sanaturus erat, quod absens non fecerat, consequetur Christum etiam sibi diuinitatem derogasse. Nam gaudet se non fuisse ibi; si enim ibi fuisset Lazarum sanasset, quod etiam absens potuit, sed noluit. Vtique ipse causam habuit, ne absens faceret, quod præsens facturus erat, ita Martha quoque iudicare poterat, eum præsentem facturum, quod absens non fecerat: cum præsertim pleraque miracula præsens faceret.

§. 2. Alterum dictum Marthæ est vers. 22. *Sed & nunc scio, quod quæcunque poposc eris à Deo dabit tibi Deus.* Quasi indicet eum non suâ, sed diuinâ quasi alienâ, & precariâ virtute fratrem posse resuscitare. Hoc refutari à Christo putat Chrysostomus; nam cum dixit: *resurget frater tuus*, ἐκεῖνο inquit πέπαυε ἀναστήσει τὸν ἀδελφόν. *Hoc refutat illud. Quæcunq; popoſcerit.* Verum si accuratè ista perpendamus, facile aduertemus à Martha non negari Christi diuinitatem, sed humanitatem affirmari. Non enim quia quæcunque à Deo popoſcerit, impetrabit, ideo non est Deus. *Nam postulauit à Deo, & dedit gentes hæreditatem illi.* Oratio Christi multa impetrauit, orabat in monte olineti prope Bethaniam, nec eam ob causam negamus esse Deum. Cur igitur Martha Deum negat, cum orationem illi tribuit? Imo Christus vers. 41. & 42. Gratias patri agit, quia audiuit eius preces, & addit, semper exauditum, ex quo constat Lazarum ita Christi diuinâ omnipotentia excitatum, vt tamen humana eius natura precibus suis vitam Lazaro impetrarit. Nihil igitur Martha in eo deliquit, quod precibus tribuit effectum, in quo faciendo se à patre auditum profitetur. Mihi potius contrarium inde consequi videtur. Nempe eum, qui impetrat omnia absolutè, sine restrictione, non modo hominem, sed Deum esse. Omnis creatura, natura mutabilis est & errori obnoxia, ideo vel mala, vel bona male, vel minus bona neglectis melioribus, vel Dei voluntati aduersaria petere potest: possunt enim eius preces, vt aliæ actiones extra orbitam ferri, quod si fiat, non mirum si non id omne, quod petunt, impetrent. At si cui illa sit facta potestas, vt votorum omnium consequatur effectum, eum & Dei voluntatem cognoscere, & sequi immutabiliter necesse est.

Oratio Christi humanitatem ostendit, nō negat diuinitatem.

Oratio semper impetrans argumentum est Deum esse.

§. 3. Caluinus Martham ex meris suspicionibus accusat. Perinde eam loqui ac si diceret. Poteras tuâ præsentiâ fratrem meum eripere à morte, imo nunc etiam potes, quia nihil tibi negabit Deus, hic ait eam se non continere sub regulâ fidei, quod promittat sibi præter Dei Verbum. Imo immoderata vota esse, fidem superstitione non omnino vacuam. Vno verbo: Calumniæ sunt Caluinianæ. Sperabat illa fratrem moriturum non fuisse, si Christus adfuisset; vnde hæc illi fiducia? Non ex scripturâ, non aliquâ singulari promissione Christi, sed quod ab eo Lazarum amari sciebat, ex Christi summâ bonitate. Non credebat hoc Martha fide Catholica, non erat reuelatum, sed fide humana, & spe magna in Christum. Alioqui non est necesse, vt omnia quæ à Deo petimus, certâ fide credamus nos consecuturos: cum Dei voluntas nobis sit ignota. Nec superstitione tenetur vlla, nec hæret in præsentia corporali: sed in Christo sperabat, vt ante ostendi. Nec tamen omnis quæ in præsentia Christi corporali spes reponitur superstitiosa est. Nam & fimbriam Christi tangebant, & ante pedes eius ægros deponebant, & pueros, vt super eos manus imponeret afferebant, nec tamen id superstitiosè faciebant; cum Christus etiam tacta, & præsentia sanaret. Mirum sanè Martham reprehendi quod sine verbo Dei sperarit, fratrem resuscitandum, cum Caluinus suos iubeat credere singulos, se prædestinatos esse. Cum nullum sit in scriptura Verbum quod huic, vel illi salutem promittat, nisi certis conditionibus, quarum seruatarum aut seruandarum illi incerti sunt.

§. 4. Nihil magis à ratione alienum hoc loco, quam Musculi ratiocinatio. [Ex fide generali omnium resurrectionis, argumentum etiam de speciali, quæ fratris futura sit, sumit. Ad hunc modum colligamus & nos. Resurgent omnes, resurgam ergo & ego. Resurgent in vitam æternam, qui credunt in Christum, igitur & ego. Parcit Deus propter Christum pœnitentibus, & credentibus, parcet igitur & mihi. Resistit superbis, igitur & antichristo. Notat etiam ad certitudinem pertinere, quod dicat scio, non credo, ad infirmitatem quod ex ea fide parum consolationis capiebat.]

Respondeo: Ex fide generali firmissimè colligi specialem, ex omnium resurrectione, singulorum resurrectionem. Ratio est, quia absoluta est, & ab hominum operibus, omni modo independens illa promissio. Nam singuli in illa continentur, omnes homines resurgent, Lazarus est homo, Lazarus ergo resurget. Hic omnia certa sunt. At vero in fiducia sectariorum alia ratio est. Resurgent ad vitam æternam qui credunt, in Christum, nempe viua fide, perseuerantiaque, absque peccato mortali, at ego sum, eroque semper sic credens in Christum, igitur & ego resurgam in vitam æternam. Hic minor extra fidei metas est, imo temeraria est; non enim hoctibi scriptura dicit; nec hoc tibi notum est naturaliter; nescit enim homo amore, an odio dignus sit: multo minus, quid se futurum sit. Ideo cum tremore salutem operatur, & dum stat, videt, ne cadat.

Specialis fides vitæ æternæ non nascitur ex generali.

Quod si ex Marthæ argumentatione ad fidem specialem progredi fas, aut nihil aut plus quam oportet, consequetur. Martha enim ex generali promissione de resurrectione, non ad suam, sed fratris resurrectionem procedit; at de aliorum salute nihil statuere possunt aduersarij ex promissionibus. Nec enim Bezam Caluinus, nec ille Caluinum ideo prædestinatum nouit, quod omnibus credentibus æterna vita promittatur; nam de fide Caluini nec Bezæ, nec Caluino de Bezæ fide quicquam potest constare. Totumque hoc illi iudicium caritatis, & probabile existimant.

Absit igitur vt inani præsumptione se fideles deludant: putentque de se atque alijs esse certa iudicia. Multa sunt sic abdita, atque retrusa. Clamat Dauid Psal. 18. *ab occultis meis munda me Domine.* Quis enim delicta intelligit? inquit Augustinus. Si videntur tenebræ intelliguntur delicta. *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Satanæ angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus.* Aurea eius est sententia. *Omnes etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum est, quo perueniant.* Hic aliquando multos bene viuere, & tandem cadere, de corrept. & grat. cap. 13. Et de perseuerantia lib. 2 cap 22. *Quoniam de vita æterna, quam filijs promissionis promisit non mendax, ante tempora æterna, nemo potest esse securus: nisi consummata fuerit ista vita quæ tentatio est, super terram sed faciet nos perseuerare in se, vsq; in eius vitæ finem, cui quotidie dicimus; ne nos inferas in tentationem.*

Nemo securus est.

Imo

Imò Epistola 121. cap. 2. ad Probam, nec sibi notum esse quenquam ostendit. *Sed quotusquisque tale inuenitur de cuius animo, & moribus sit in hac vita securitas? Nam sicut sibi quisq;, nemo alter alteri notus est, & tamen nec sibi quisque ita notus est, vt sit de sua crastina conuersatione securus.*

Nulla ergo certitudo, nulla ex ea consolatio. Sed manet spes tamen consolatrix, non tamen sine metu.

§. 5. Insigne igitur documentum est, hanc fidem Martheę, quam sectarii veram & iustificantem esse concedunt, non esse certam fiduciam propriæ iustitiæ, perseuerantiæ, aut prædestinationis. Ipsa enim Martha obiectum fidei suæ exponit; nempe γὰρ οἶδα nunc scio, hoc est, *credo, quod quæcunque poposcerit à Deo, dabit tibi Deus.* Et: *Scio quia resurget in nouissimo die, in resurrectione*; Syriacè בבוחמא *bechuchama, in consolatione*, ita enim Syri appellant resurrectionem, quod ea sit consolatio omnium fidelium. Non ait scio me iustam esse, & permansuram, nec vlla scelera in posterum, etsi atrocissima committam, imputatum iri. Quorsum igitur ista ad fiduciationis stolidissimæ stabilimentum adducunt, vbi non modo eius nulla est mentio, sed ne de rebus quidem & statu agitur proprio, sed de virtute Christi, & Lazari resurrectione professio instituta est.

Fides Martha non iustificans.

VERSVS 24.

Dicit illi Jesus, Resurget frater tuus. Dixit ei Martha, Scio quia resurget in resurrectione, in nouissimo die.

QVÆSTIO I.

Quid de resurrectione Martha sentit?

§. 1. NOn extenuat Christi promissionem. Dixerat ille: *Resurget frater tuus*: non explicarat de quâ resurrectione loqueretur. Merito igitur illa dubitabat: an communi consolatione Christus vteretur, an speciali. Nam hodieque in vsu est, vt resurrectionis exspectatione solemur eos, qui morte carorum afliguntur, & in luctu sunt. Iudæis etiam fidelibus ex Iob. 19. Psal. 103. Isa. 26. aliisque Scripturæ locis erat vsitatissima, & ad consolationem, & ad fidem contra Sadducæorum errores firmandam ratio. Ità censebant veteres Iudæi, in Psal. 17. in Librum Deuter. R. Simai: *Omnium creaturarum, quæ de cælo creata sunt; anima & corpus ad cælum pertinent. Creaturarum vero quæ de terra creatæ sunt, anima & corpus ad terram pertinet. Si igitur obseruet homo legem, & voluntatem Patris sui, qui in cœlis est; efficitur sine dubio de numero creaturarum supernarum, &c. Quapropter dictum est Rabbi Simai: non extare vllum caput Scripturæ, in quo non fiat mentio de resurrectione, tametsi vis nostra illud penetrare non possit. Et hoc est quod scriptum est?* Vocabit cœlum desuper, & terram ad iudicandum populum suum.

Iudæi de resurrectione.

Et l. Sin ighotha desiphra. *Puri siue qui meruerunt præmium sunt iusti illi, qui recuperauerunt animas suas mediante corpore illo sanctissimo, quod vocatur homo, quod implet totam terram, & donatur corona ab illo. Accipiunt vero & coronam sancti, atq; coniunguntur ibi in illâ caterua, vbi conueniunt.* Pergit plura de Spiritu eorum recensere, & coniunctione cum Deo. Et in Midras Tehillim in Psi 11. vbi ex Daniel. 12. exponit *splendorem iustorũ*. Quamuis fabulas aliquas miscuerint veteres Iudæi, & posteri plurimas Sanctorum itaq; doctrinâ Martha excelluit, tum instituta à Magistris, tum vero à Christo Domino.

§. 2. Præclarum & illud omnem nostram spem, & consolationem in resurrectione consistere, vnde & in Syro dixi vocari consolationem. Ita ad virtutem & aspera subeunda, mortem etiam ipsam hortatur S. Cyprianus spe resurrectionis futuræ. De mortalitate. *Si enim credimus, inquit, quia Iesus mortuus est, & resurrexit; sic & Deus eos, qui dormierunt in Iesu, adducet cum illo, Eos contristari dicit in excessu suorum, qui spem non habent. Qui autem spe viuimus, in Deum credimus, & Christum passum esse pro nobis, & resurrexisse confidimus, in Christo manentes, & per ipsum, atq; in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere istinc de sæculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus. Ipso Christo Domino nostro monente ac dicente, Ego sum resurrectio & vita, &c.*

§. 3. Eâ causa sancti mortem optare soliti sunt, non vt exitium, sed vt resurrectionis sementem S. Isidorus Epistol. 224. Gratulationem de recuperata valetudine non admittit, quod mortem vitâ optabiliorem existimarit. Atq; ita videmus plerosq; sanctorum læta securitate ad Christum venisse, & mortem non exhorruisse. Isidorus ea spe firmatus contra mortem, æternæ vitæ spe ductus Epist. 85. eam commendat potius, & expetendam docet. Nec enim piis est supplicium, vt l. 5. c. 8. constitut. Apost. Quinam hæreticorum, & quomodo articulum illum fidei oppugnarint alibi doceo.

VERSVS 25.

Dixit ei Jesus, ego sum resurrectio & vita. qui credit in me: etiam si mortuus fuerit, viuet.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus resurrectio & vita?

§. 1. DIuinitatem Christus ostendit, dum se resurrectionem & vitam nominat, nec enim tantummodo ex nihilo fecit viuos, sed mortuos in vitam reduxit. Quamuis maius omnino sit creare, quam resuscitare. Tamen dum vita est, vbicunque est. Lactant. l. 4. de vera sapientia. *Iacentia, inquit, mortuorum corpora erexit, eosq; nominibus suis inclamatos, à morte reuocauit. Quid congruentius Deo? quid miraculo dignius omnium sæculorum, quam decursam vitam resignasse? completisq; hominũ temporibus tempora adiecisse? Arcana mortis reuelasse. Sed hæc inenarrabilis potestas, imago virtutis maioris fuit, quæ demonstrabat tantam vim habituram esse doctrinam suam vt gentes in orbe toto, quæ aliena à Deo subiectæ morti fuerũt, cognitione veri luminis animatæ, ad immortalitatis præmia peruenirent.* Christus Deus.

Resurrectio igitur & vita est, quod eius resurrectio est, omnium resurrectio & vita. Et libro 1. de opificio Dei c. 4. contra eos disputat, qui hominem fragilem, morbis obnoxium, mortalem conditum affirmabant: ante autem ostenderat, immortalitatem, & integritatem futuræ vitæ reseruari.

Quocirca vita Christi, lignum vitæ Prou. 3. Psl. 103. 1. Corinth. 1. Sapientia etiam, & salus nostra. Contra Cerinthianos, alioſq; qui secuti Samosatenianos, Arianos, & nostros hæreticos: demõstrat etiam Irenæus, Christum esse Deum, qui cum Mose locutus est. *Sic enim Deus mortuorum non est, sed viuorum, hic autem dormientium Patrum Deus dictus est. indubitate viuunt Deo, & non perierunt, cum sint filij resurrectionis. Resurrectio autem ipse Dominus noster est, quemadmodum ipse ait.* Ego sum resurrectio & vita. *Patres autem eius filij. Dictum est enim à Prophetâ.* Pro patribus tuis facti sunt tibi filii tui. *Ipse igitur Christus cum Patre, viuorum est Deus, qui & locutus est Mosi, qui & Patribus manifestatus est.* Vnus Deus veteris & noui Testamenti.

Et sane etsi aliqui suscitarint aliquos; nemo tamen fuit resurrectio, sed vnus Deus, qui creauit resurrectio

dici meretur. Non enim duntaxat causa secundaria, sed instrumentum resurrectionis fuit, sed ipsa resurrectio & vita, hoc est causa primaria resurrectionis efficiens, & à qua sola vita tanquam à suo fonte dependeat, quæ quanta est tota sit vita, tota sapientia. Non ergo opus exspectare nouissimum mundi diem, vt tum demum excitetur, cum nunc ipsa adsit resurrectio, per quam tum quoque resurgent. Nam vti resurrectio in resurgente, & in viuente est vita, ita Deus solus in omnibus intimè ista operatur, & conseruat, cum ipse sit omnia in omnibus. Atque est vita in malis etiam, qui vitam externam, & animalem habent.

Nemo est resurrectio, nisi Christus.

§. 2. De vita tamen æterna præcipue intelligit, ita dicuntur ituri in resurrectionem vitæ, Ioan. cap. quinto. *qui bona fecerunt.* Sic enim *& mortui viuent*; nam impii non dicuntur resurgere ad vitam; eorum enim viuificatio est ad tormenta, & ad mortem secundam, diriſſima præparatio. Vide Tertullianum l. de resurrection. carnis. Causa igitur est finalis & obiectum vitæ æternæ, cuius in possessione sola est, & perfecta creaturæ beatitudo. Est etiam causa efficiens vt dixi, nec potentia solum efficit, sed passione, & morte etiam meruit, & per humanitatem velut instrumentum coniunctum operatur. Corpora erunt etiam in illa resurrectione gloriæ consortia, non animarum plena duntaxat felicitas: corpore enim viuificato Lazarus resurrexit. Refutatur itaque historia Lazari hæresis Saducæorum, Basilidis, Marcionis, de quibus Irenæus lib. 1. cap. 13. Tertullianus lib. 5. contra Marcionem. Epiphanius hæresi 64. Phorius lib. de septem Synodis cap. 5. Hieronym. Epistol. contra Mineri. & Alexand. Quin etiam Eutychiana insania conuellitur. Resurrectionem verbo ille concedebat, re ipsa negabat. Nam corpus in resurrectione non carneum, & osseum, sed spiritale fore prædicabat; quæ non est eius, quod cecidit resurrectio, sed noui corporis creatio. Vetustior ille tamen error Eutychete; nam ita Origenem sensisse, testis est Hieronymus Epist. ad Pammachium & Oceanum.

Impij non resurgunt.

§. 3. Resurrectionem non modo Iudæi orthodoxi vt ante ostendi credebant, sed eius etiam auctorem, & Dominum Messiam fore docebant, & nunc quoq; articulo illi fidem habent, sed varie corrumpunt, dum corpora resurgentium cibi & potus indiga libidinibus, & voluptatibus polluta describunt. Veterum sincerior fides erat. Nam resurrectionem corporum immortalium credebant, quæ non opus quotidiana resurrectione haberent. Sic in Psal. 3. *Dormiam & resurrexi*, interpretantur per manum Messiæ. Sic in interpretatione Psalmorum Psalm. vndecimo. *Sermo alius*, Videbunt faciem eius. *Hi sunt iusti, de quibus dictum Danielis* 12. Et intelligentes splendebunt, sicut splendor cœli. *Futurum siquidem est; vt facies iustorum fulgeant tanquam sol, tanquam luna, tanquam cœlum, tanquam fulgura, tanquam lilia, tanquam lampades. Probat simul ex Daniel. 12. Nahum. 2. Ex Psal.* Victori super lilia. *Describit deinde septem mansiones iustorum quas Messiam assignaturum profitetur. Qui & ipse merces erit eorum. vt in Isaiæ cap. 40. recte exposuit Ionathæ Chaldæa Paraphrasis.* Ex quo apparet, quantum à vetustis noui Iudæi degenerarint: dum vitam æternam carnali cogitatione definiunt.

Iudæorum error.

Sic etiam illud Daniel. 2. *Et lux cum eo est*, interpretantur esse ipsum Messiam. Ita Seder gholam. & versio Ionathæ. R. Abba cæteriq; e. Ex quo apparet quomodo non modo cum Scripturis, sed etiam interpretibus Christi dicta & facta consentiant. Nam illi quos nominaui Rabbinos, non de sua, sed veterum etiam sententia loquuntur.

§. 4. Caluinus hoc loco omnes præparationes ad iustitiam reiicit. *Eant nunc qui naturæ motui præparari hominem garriunt, ad recipiendam Dei gratiam, perinde est, ac si dicerent mortuos ambulare.* Si contra Pelagianos hæc garrit, non abs re agit, si contra orthodoxos, nihil ad rem est, quod profert. Nemo enim naturæ motui; præparationem animi tribuit, sed gratiæ præuenienti, cui tamen cooperatur libertas naturalis. Viuit autem fide, quicunque corpore moritur, si credat.

VERSVS 26. &c.

Et omnis qui viuit, & credit in me: non morietur in æternum. Credis hoc?

QVÆSTIO I.

An omnis qui credit non moriatur in æternum?

§. 1. QVantum quidem est ex parte fidei, si in ea vera & viua perseueret, morte spirituali non morietur. Itaq; hoc loco non opus est alio commentario, quam illis, quibus similia verba sunt explicata. Hoc vnice notandum est, non esse hic de fiduciatione Caluiniana mentionem. Nam Marthæ fides erat posse fratrem à Domino suscitari, deinde credidit; Christum esse filium Dei viui, qui in hunc mundum venit.

Martha fides non est fiduciaria.

Credidit enim, Christum esse resurrectionem & vitam, & credentem saluari. Non credebat tamen, sed sperabat, se in fide esse, & porro perseueraturam. Occurrit hic Pareus lib. 1. cap. 8. de iustificatione. *At hæc est fides misericordiæ Dei, ex qua & Christus ipse, & vita æterna omnibus & singulis credentibus donatur.* Vera sententia, sed non sensu Caluiniano. Ex ea fide gratia datur; at non est fides de propria cuiusque salute, nec Martha dicit, Ego credidi quia me prædestinasti, sed quia tu, es filius Dei viui.

Hæc cum dixisset Secreto vocat sororem: ne turba simul comitaretur, aut Domino periculum crearetur. CHRISTVS foris mansit, quod monumenta extra vrbes, & pagos & fere ad viam collocata essent.

Quod Iudæi comitantur humanitatis causa faciunt, Christus testes miraculi esse voluit.

Timuisse Mopsuetenus ait, ne manus sibi præ magnitudine doloris adferret. Maria nihil homines verita omnium in conspectu procidens Christum adorat, nec restringit ad præsentiam corporalem Christi virtutem: sed eo modo verba eius intelligenda sunt, quo ante de Marthæ oratione dixi.

VERSVS 33. & 34.

Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea, plorantes, infremuit Spiritu, & turbauit seipsum. Et dixit, vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, veni & vide.

QVÆSTIO I.

Quis Christi fremitus? & quæ lachryma?

§. 1. CAluinus de Christi fremitu, & turbatione parum religiose disputat. [Quia videtur, *inquit*, quibusdam absurdum esse, si Christum dica-

dicamus tanquam vnum aliquem ex numero hominum fuisse, humanis passionibus subiectum, non aliter existimant vel doluisse, vel gauisum esse, nisi quia affectus istos quoties visum est, arcanâ quadam dispensatione in se recepit. Sensum ergo esse putat (Augustinus) quod Christus alioqui sedatus & ab omni passione immunis, fremitum & dolorem vltro accersierit. Atqui meo iudicio potius consentanea erit scripturæ hæc simplicitas, si dicamus filium Dei, cum carnem nostram induit, sponte etiam humanos affectus simul induisse, vt nihil à fratribus, excepto tantum peccato, differret. Hoc modo nihil derogatur Christi gloriæ, cum voluntaria tantum dicitur fuisse submissio, qua factū est, vt in animæ affectibus nobis similis esset. Cæterum postquam ab initio se submisit, non putandum est, ab illis vacuum fuisse, vel immunem, atque in eo fratrem se nostrum probauit, vt sciamus mediatorem nobis esse, qui infirmitatibus nostris facile ignoscat, & succurrere paratus sit, quas ipse in se expertus est. Fuisse tamen affectus in CHRISTO compositos ad Dei obsequium, & omni vitio caruisse.]

Vers. 38. Christum ait tanquam athletam se ad certamen instruere: non mirum esse, si iterum fremat. Violentam enim mortis tyrannidem, ob oculos versatam, quæ illi vincenda erat.

Miscet hic suo more, vera falsis, & Augustini sententiam reiicit.

Primum falsum est in animæ affectibus eum nobis prorsus similem fuisse. Nam etsi affectus similes habuit, vsum tamen eorum, dominiumque in sua liberrima tenuit potestate. Nullus vel minimus passionum, nisi iudicio rationis suadente, & iubente voluntate in illo fuit impulsus, in nobis sua sponte, non exspectato signo ducis prosiliunt. Quemadmodum autem voluntaria fuit affectuum assumptio, ita etiam voluntarius fuit eorum vsus.

Secundo etsi recte possit intelligi, quod dicit, non fuisse ab affectibus vacuum, & immunem, non est tamen ita loquendum, quia male in hac causa intelligi solet; non enim immunem esse, indicat necessitatem aliquam, qua affectibus teneretur. Cum Christus eos & libertimè susceperit, & vsum actionemque in potestate habuerit.

Tertio, Quod v. 38. Violentam mortis tyrannidem ei ob oculos versatam refert, quæ illi vincenda fuerit, ideoque se velut athleta ad certamen instruat, longe petitum est. Non enim ob mortem suam fremuit, ad quam tanquam agnus ad occisionem ductus est, sed alias habuit fremitus sui causas. Falsum autem quod Bullingerus Domino affingit, ita eum turbatū fuisse, vt vocem ad tempus edere non potuerit. Vitiosus ac turbulentus ille nimium est affectus, qui adeo corpus intemperanter concutit, vt loquendi instrumenta vinciat, ac premat, qui facit, vt vox faucibus hæreat.

Ecce qualem nobis Christum illi exhibent, fremitu, & turbatione mutum, qui mutorum linguas soluit.

§. 2. Quis porro affectus ille fuerit, quem fremitus indicat, non satis certum est inter auctores. Est enim fremitus externum vocis signum, affectus interioris index. Psal. 2. Est minantium. *Quare fremuerunt gentes,* רגשו *rágeschu*, quod est cum strepitu & tumultu congregari. Quidam Christum iratum fuisse præsentium incredulitati, at constat cum cæteri flerent ipsum quoque in lachrymas solutum, teneriorem igitur affectus fuit, miserationis, & amoris, quia malis hominum quos liberare venerat illachrymatus est. Chrysostomus & Leontius diuinitate affectum continuisse existimant. Non tamen affectum eo inuito erupisse, sed excitatum. Chrysostomus. Επειδὴ γὰρ τὸ θαῦ-

μα μέγα ἦν, καὶ πόσον ὂν ὀλιγάκις ἐπίστε, καὶ ἔμελλον πολλοὶ πιστεύειν, διὰ αὐτὸ ἵνα μὴ τὸ ἄνδρ αὐτὸν ποιήσωσι, φεύγει τοὺς ὄχλους, καὶ μηδὲν κερδάνωσι διὰ τὸ μεγέθος, πολλὰς θαπαὰ τὴν μάρτυρας ἐπισυγκαλούμενον, ἵνα μὴ πῶς ἡδέως δουλέση. καὶ δείκνυσιν ὅπερ ἦν ἀνθρωπίνης φύσεως. εἰκὸς δὲ πεπιμήσας τῷ πάθει. τὸ γὰρ ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι. τοῦτ' ἔστιν ἐπέσχε πῶς συγχυσιν. *Id est*:

Postquam enim miraculum [magnum erat, & tale, quale raro fecit, multiq; erant credituri per ipsum, ne si absque turba facere nihil ex magnitudine lucraretur, multos attrahit martyras, condescendens amplius, ne prædam perderet. Et ostendit humanam naturam, postea passioni imperauit, & infrenuit Spiritum, hoc est, motum cohibuit.

Voluit igitur reipsa se hominem, & mitem ostendere, vt qui dolore alieno etiam afficeretur. Atque ita testari, quo animo erga omnes sit, quando cum lugentibus quasi lachrymaturus venit ad sepulchrum.

QVÆSTIO II.

Cur locum sepulchri quærit?

§. 1. NOn ignorabat vbi sepultus esset, qui monumentum sat magnum, & speluncæ simile vix etiam purus homo nescire potuit. Sed rogat, vt ostendat se ad sepulchrum non fuisse, vt à sororibus, & Iudæis duceretur. Impii sunt, quia ex interrogatione ignorationem colligunt. Refutat eos Greg. Epist. ad Eulogium. 42. De eo vero loco, in quo mulieribus de Lazaro *dicit*; Vbi posuistis eum? *Ipsa specialiter sensimus, quæ sensistis. Quia si negant sciuisse Dominum vbi Lazarus fuerat sepultus, atque ideo requisisse. Procul dubio compellentur fateri, quia nescivit Dominus in quibus locis, se Adam & Eua post culpam absconderant: cum in Paradiso dixerat*: Adam vbi es? *aut cum Cain corripuit dicens*: vbi est Abel fratres tuus? *Qui si nesciebat, cur protinus adiunxit*: sanguis fratris tui de terra clamat ad me.

Rogare non est ignorantis.

Et Chrysostomus ideo interrogare, vt dicant; Veni & vide, voce & facto testentur, Lazarum esse non alium, qui excitatus fuerit. Nihil igitur Agnoetis, vel priscis, vel nostri temporis subsidii adferre potest. Nisi dicamus Deum in Paradiso rogantem, Adam vbi es? ignorasse, eius latebras; aut quærentem ex Caino vbi est Abel frater tuus? nescisse occisum.

Porro duplex erat de Christo iudicium, quod v. 37. refertur, vbi quidam omittunt, *Nati*. Lapidem remoueri iubet, vt ipsi videant in spelunca iacentem, & exurgentem.

VERSVS 40.

Dicit ei Iesus, Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

QVÆSTIO I.

Quam fidem exigit Christus?

§. 1. NOnne dixi tibi, inquit, *si credideris, videbis gloriam Dei.* χρεὼν θπιμνιῶν ὡς ἂν ἀμνημονήσης, *pene increpat*, inquit Chrysostomus, *quasi oblitam.* Non dixerat eisdem verbis, sed eodem sensu, Dei gloriam appellat gloriam filii Dei. Vt supra docui.

Fides autem quam exigit hoc loco, nō est Marthæ. de propria perseuerantia & salute certitudo. Nec enim de eâ in superioribus actum est, nec illa ad Lazari susci-

Fides non est fiducia.

suscitationem erat necessaria, ac ne vtilis quidem. Non enim eius effectus est mortuorum resuscitatio: Iam multos annos sectarii stolida se securitate deludunt, nec tamen mortuos excitant, illa vero miracula ab iis fiunt, qui præsumptionem temerariam Caluini impugnant. Fidem quam hoc loco Caluinus dicat, non satis apparet. *Eam aperire*, ait, *nobis oculos, vt Dei gloriam in suis operibus fulgentem cernere nobis liceat: Dei potentiæ eam*, ait, *viam sternere, & bonitati, vt se erga nos exerat.* Quod in fidem fiduciariam non conuenit; illa enim credit se iam Dei bona accepisse; credit tamque sibi datam iustitiam à Deo, non sternit viam ad eam dandam.

Prius enim accipitur iustitia, quam credatur accepta. Ex quo constat, cum credere Martha, vel alii in Euangelio iubentur, non præsumptuosam illis fiduciationem iniungi, sed veritati à Deo reuelatæ assentiantur. Chrysostomus fidem hoc loco magnopere laudat, sed eam quæ Catholica est, non fiduciā specialem intelligit. *Magnum*, inquit, *namque bonum est fides, magnum inquam, & multorum bonorum causa vt Dei opera facere homines possint in nomine illius. Probat ex Matth. 17. & Iohan. 14. Actor. 1. Quanam*, inquit, *maiora? Etenim vmbræ illorum mortuos suscitabant, sic enim prædicabatur potestas Christi.* *Fides assensus rei reuelatæ.*

Hoc vero mirabile fuit, post resurrectionem eius à discipulis maiora fieri miracula, quam à viuente facta sint, vnde certo constabat eum viuere, & quidem magna in gloria ac potentia. Fidem autem Marthæ & sororis in eo clarius dicit, quod fœtentem, & quatriduanum esse resuscitandum crederent. Vide quæ magna parte homiliæ disputat, quæ ad fiduciam Caluinianam non pertinent.

Hæc illum de fiducia non posse dicere, ex monitione adiuncta planissimum est. ὅπου γὰρ κέρδος ὠφελεῖ πίστις ὀρθὴ βίος ὄντως διεφθαρμένος, καὶ ὁ Χριστὸς ὁ παῦλος δηλοῖ, τὸ πλεῖον τοῦτο μέρος προσποιοῦνται, *Quod enim nihil prosit recta fides, cum vita corrupta est, docet Christus & Paulus, plurimum huic parti incumbentes.* Addit: *qui hæc non attendunt, facile in vitia delabantur, etiamsi fidem rectam habeant.* Tales autem damnari docet. At fiduciariorum fides iustificans ab omni est parte secura, nullum illi crimen imputatur. Nec modo iusta faciendo, sed etiam animam corpusq; scelerando pulchra iustitiæ imputatione refulget: Corpus, animumq; Christo similis.

VERSVS 41.

Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit; Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.

QVÆSTIO I.

Verene Christus orauerit?

§. 1. QVidam hanc ipsam fuisse orationem, qua gratias agat, alii aliam quæ præcesserit. Et ita sane est; nam gratias agit, quod sit exauditus, imo semper audiatur, quod ad aliquid referendum est eorum, quæ postulata sunt. S. Chrysostomus multus in eo est, vt demonstret, non eguisse precibus Christum, sed ideo adhibuisse, vt populus crederet, qui humilibus eius verbis ædificabatur, sublimibus scandalizabatur. Orat igitur non dubius de voluntate Patris, sed vt populus cognosceret se semper exaudiri.

Proprie orauit. §. 2. Proprie Christum orasse, non modo diuina meditando, Deum videndo, gratias agendo, sed etiam obsecrando, supplicando, dicendum est Hebr. 5. 7. *In diebus carnis suæ, preces, supplicationes ad eum, qui posset illum saluū facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens.*

Et docet Th. p. 3. q. 21. a. 4. Hilar. l. 10. de Trinit. August. Epist. 121. cap. 14. Ambros. lib. 5. in Lucam, Damascen. l. 3. c. 24.

Quæ vero ex Chrysostomo, Euthymioque adferuntur, non repugnant nostræ sententiæ. Illi enim solum docent orationem illi necessariam non fuisse, vt nobis, quod instar hominum aliena virtute non egeret, quod est verissimum. Fuit tamen oratio necessaria quemadmodum & passio, ex diuina ordinatione. Itaque nunc hominis personam sustinet, vt nos orare doceat. Cum autem dicit sciuisse se quod semper exaudiatur, summum sibi cum Patre consensum esse demonstrat, nec opus fuisse precatione, quod opus à Patre mandatum efficiat, ideoq; vere diuinum ac miraculosum fore. *Vt homines rat.*

§. 2. Gratias vero agit propter præsentes, & ideo se dixisse, vt credant, quia Deus ipsum misit. Quamuis enim Deum cognoscere poterant, non omnes tamen Christum ab eo missum agnoscebant. Quemadmodum igitur alia miracula Matth. 8. 22. Luc. 7. 14. Iterum Matth. 9. 6. Marci 5. 41. sine oratione sola voluntate fecit, & diuinitatem quæ suæ est absolutissimę potestatis ostendit, ita Iudæis Lazari amicis, & plerisque Deum timentibus suam ergo Patrem obseruantiam, patrisque in se charitatem oratione commendare voluit.

VERSVS 43.

Hæc cum dixisset, voce magna clamauit, Lazare, veni foras.

QVÆSTIO I.

Quomodo Lazarum resuscitat?

§. 1. MAgna voce supremo imperio mortuum ciat; nominatim appellat: amicitiæ enim Symbolum est proprii nominis honor. Vox magna est, vt omnes præsentes exaudiant eum esse, qui dixit, & facta sunt. Magna etiam tubam & vocem Angelorum in extremo mundi die designat, profundus enim somnus mors est, elato clamore excutiendus. Necinjuria cunctis voluit constare modum quo in miraculo vtitur, ne quis forte occulta arte, aut magico susurro agi existimaret. *Idem resuscitare, qui mortuum facere.*

§. 2. Ipsum egredi iubet, vt certo nobis constet eisdem corporibus nos resurrecturos, quibus morimur, vt olim docuit Irenæus l. 5. c. 13. *Dicant enim nobis, hi qui contraria dicunt, id est, saluti suæ contradicunt. Summi sacerdotis mortua filia & viduæ filius, qui circa portam mortuus eferebatur. Et Lazarus qui in monumento quartum habebat diem. in quibus surrexerunt corporibus? In ijsdem ipsis scilicet, in quibus & mortui fuerant, si non ijsdem ipsis videlicet, nec ijsdem ipsi qui mortui fuerant, resurrexerunt. Et Lazarum vocauit voce magna, dicens, Lazare veni foras, & exiuit, inquit, mortuus colligatus manus, & pedes institis, &c.*

Consulatur & Epiphanius contra Dimoritas. Et Tertullianus de resurrectione carnis, Lazarum vocat præcipuum resurrectionis exemplum. Et Ambrosius de fide resurrectionis, vbi pluribus ista disputat.

§. 3. Hostes Ecclesiæ de iustitia originali sentientes non recte, sed pene more Pelagianorum refutat viuus ipse Lazarus mortali corpore, & iterum morituro, & sine iustitia prima originali.

At vero hæretici negant, DEVM potuisse creare hominem in puris vt aiunt naturalibus, sine iustitia originali, eam homini esse naturalem; quod multis argumentis refutat Bellarminus l. de gratia primi

primi hominis cap. 6. *Quæres ratio. Si humana natura, qualis nunc est remota à culpâ mala est, & necessario labitur in peccatum, & ideo à Deo non potuit creari, vt aduersarij volunt, sine iustitia originali, certè sequitur non posse hominem mortuum, à Deo reuocari ad vitam, nisi præditum originali iustitia: Idem enim sequitur absurdum, siue creetur, siue reparetur à Deo natura mala & quæ necessario peccet. Non enim reparatio illa minus est opus Dei, quam creatio. Et sicut Deus diceretur auctor peccati, si naturam crearet, quæ non posset peccata vitare; sic etiam conferretur peccati auctor, si naturam repararet, præsertim solus, & immediata sua actione, quæ non posset peccato abstinere. Probat exemplo Lazari, & aliorum à morte excitatorum.*

Huic argumento obiicit Pareus in contumeliosis dictatis contra Bellarminum editis: Eo tandem delabitur, vt concedat primam illam integritatem fuisse aliquo modo supra naturam.

Respondeo. Hæc quidem ab illo fingi, verum eos, quos contra Bellarminus disputat, dicere: integritatem primi hominis fuisse illi naturalem, non supernaturalem; ita Caluinus, Lutherus & alii. Naturale enim fuisse Adamo Deum super omnia diligere, &c. nec donum vllum supernaturale accepisse docent. Nec potuisse à Deo hominem creari, qualis nunc nascitur concedunt: nam si peccator, & prauis affectionibus imbutus crearetur, in Deum ista refunderetur iniquitas, & illi auctori peccatum ascriberetur.

Quod si homo qualis nunc est, creari potest, ita vt malus non sit, in eo statu ignorantia, & propensio non erit peccatum, erit à natura; ergo eorum remotio erit per donum supernaturale: argumentum Bellarmini efficax esse, ostendi in eius libri defensione, quam hic repetere, non est necesse.

VERSVS 44.

Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus, Soluite eum, & sinite abire.

QVÆSTIO I.

Quomodo foris?

§. 1. LIgatus pedes, & manus institis, κειρίαις, tæniis, fasciis sepulchralibus; Prouerb. septimo. κειρίαις πέδαια τῶν πλινθίων μου. ζωνίω dicunt, qua lecti vinciuntur, sic & Aristophan. in auibus.

§. 2. Caluinus acerbe hic in Catholicos inuehitur. „ [Ter ridiculi sunt Papistæ, qui auricularem confessionem inde Eliciunt. Christus inquiunt postquam „ Lazarum vitæ reddiderat, à discipulis suis soluiv oluit. „ Ergo non est satis reconciliari nos Deo, nisi Ecclesia „ quoque peccata nobis remittat. Sed vnde soluendi „ Lazari iniunctas discipulis fuisse partes diuinant? „ Quin potius id Iudæis mandasse colligimus, quo illis „ omnem dubitationis scrupulum eximeret.]

Respondeo, non probationem, sed accommodationem esse. Quemadmodum enim Lazarum diuina virtute suscitatum, non Christus, sed discipuli soluerunt, ita peccatores misericordia diuina à peccatis liberari, & solui à sacerdotibus voluit; quibus dixit, *quicquid solueritis*, &c. At non hoc in Catholicos qui hodie viuunt, sed veteres iacit conuitium. Augustini est illa analogia. tractat. 49. *Soluite illum & sinite abire. Quid est soluite & sinite abire? Quæ solueritis in terra soluta erunt, & in cœlo.* Ter igitur ridiculus Augustinus Caluino, qui interpretationis seu accommodationis auctor est, si non primus, certè nobilis approbator. Eadem pene tractat. vigesimo secundo. *Quod dictum est ad funus Lazari: Soluite illum & sinite abire. Quomodo dictum est ministris Apostolis, quæ solueritis in terra soluta erunt & in cœlis, clarissime auctor de vera & falsa pœnitentia cap. 10. Quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, dignus est misericordia. Vnde patet, quòd quanto pluribus confitebitur, in spe veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur misericordiam remissionis. Ipsi enim sacerdotes iam plus possunt proficere, plus confitentibus parcere, quibus enim remittunt, remittit Dominus, Lazarum quem de monumento iam suscitatum obtulit Dominus discipulis soluendum, per hoc ostendens, potestatem soluendi concessam sacerdotibus. Dixit enim:* Quodcunque, &c.

Concione 1. in Psal. 101. Clarius etiam hanc necessitatem exponit. *Quid enim prodesset Lazaro, quia processisset de monumento, nisi diceretur. Soluite eum, & sinite abire? Ipse quidem voce de sepulchro suscitauit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem terreno sepulchro impositam vicit, & processit ille vinctus, Non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis fit hoc in corde pœnitentis, cum audit hominem pœnitere suorum peccatorum iam reuixit. cum audit hominem confitendo proferre conscientiam, iam de sepulchro eductus est, sed nondum, solutus est; quando soluitur? à quibus soluitur. Quæ solueritis, inquit, in terra soluta erunt & in cœlo.*

Ne vero stigmatico scurræ ridiculus sit Augustinus solus, addendus & Cyrillus Alexand. libro septimo. in Ioannem: & Gregorius in hoc Euangelium. Antiquissima fuit illa interpretatio. Irenæus libro quinto, capite decimotertio. cum de Lazaro locutus esset. *Hoc Symbolum*, inquit, *eius hominis, qui illigatus fuerat in peccatis, Et propter hoc ait Dominus:* Soluite illum & sinite abire.

Addam & Augustini magistrum Ambrosium libro secundo, capite septimo. de pœnitentia. Quos cum Papistas esse fateatur, nobis proficit, cum ridiculos appellat, causam suam scurrilitate damnat.

Obiicit ille lib. 3. cap. 4. §. 5. [Dicunt: Dominus „ discipulis præcepit, vt suscitatum Lazarum fasciis soluerent, & expedirent. Hoc primum mentiuntur; nusquam enim legimus, hoc dixisse Dominum discipulis, &c.] „

Ecce tibi impudentiam Caluinianam: Irenæus, Augustinus, Gregorius, Cyrillus, Ambrosius mentiuntur. Caluinus cum Iudæis dictum esse asserit, verum dicit. At vero Christus cum dicit αὐτοῖς εἰς, Apostolis aut solis, aut præcipuè dixit; nam illi proximi erant, & administri, inter Iudæos erant alii maleuoli, alii magnates, aliæ fœminæ, itaque verisimilius est solis Apostolis, proximis, officiosis, fortibus dixisse, vt lapidem tollerent. Iudæis non dixisse. Cætera vide apud Bellarminum l. 3. c. 3. de pœnitentia. *Caluini mendacia.*

VERSVS 45.

Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.

QVÆSTIO I.

Quomodo crediderunt?

§. 1. CAluinus vere credidisse negat. [Tenendus „ est duplex miraculorum vsus; nempe vt vel „ ad fidem nos præparent, vel in fide confirment. Prio- „

rem hic notat Euangelista. Eos enim de quibus hic loquitur, diuinam Christi potentiam miratos ac reueritos fuisse intelligit, vt se illi discipulos subiicerent: alioqui nudum miraculum ad fidem sufficere non poterat. Ideo credendi verbo nihil aliud hic intelligi debet, quam docilitas ad amplexandam Christi doctrinam.]

Miracula & verba tenent.

Vnde vero negat eos credidisse? *quia miracula non sufficiunt ad finem*, inquit. At hic non sola miracula, sed verbum Dei tenent, dicit se missum esse. agit gratias Patri, ideo se dixisse vt credant, dixit autem vt verè credant, non parati essent ad credendum. Non igitur dicendum est, non credidisse, quos Euangelista dicit credidisse. Vnde enim constat Caluino non credidisse, vnde illa glossa, *crediderunt*, id est, non crediderunt, *sed eo se submiserunt vt discipuli esse vellent*: Vnde noua illa exegesis, *crediderunt*, hoc est, *dociles facti sunt*? certe Marlorato ad fidem adductos addit. Musculus credidisse; quia ad vitam electi erant. At Bullingerus non modo credidisse testatur, sed etiam quæ fides fuerit ostendit. [Alii enim, *inquit*, obediunt vocationi Dei, recipiunt sanctam Dei institutionem, & rectè iudicant de operibus Dei, quales hi sunt, qui conspecto tam insigni prodigio; crediderunt Iesum esse Messiam.]

Zvvingliani contradicunt Caluino.

Non igitur dociles duntaxat fuerunt, sed etiam crediderunt, & quidem Iesum esse Messiam, quod credidit Martha. Deinde fides illa non fuit propriæ prædestinationis & iustitiæ, sed Christum credidit esse Messiam. Deprauat igitur diuinam Scripturam dum tantum dociles factos asserit. Id eo est intolerabilius, quod Euangelista dicat; *In eum credidisse*, quod fere interpretantur, non de fide sola, sed etiam affectu in Christum tendente.

VERSVS 47. &c.

Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant, Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.

QVÆSTIO I.

Quod consilium Pontificum?

Pertinacia Pharisæorum.

§. 1. MIraculo tam inusitato & magno, ne quidem ad inquirendam veritatem sunt inducti, sed vehementer exasperati, vt in eum animaduerterent, & occiderent: perinde ac si Lazarum, virum nobilem, & amicum occidisset Dominus, imo & Lazarum occidere cogitabant. Tanto sceleri magna prætenditur causa, Reipublicæ salus. *Omnes credent in eum*, inquiunt; ita vera & multa signa agnoscunt. *Venient Romani & tollent nostrum locum & gentem.* Vnde hoc consequatur: queri tolet. Cur enim Romani qui sua quemque religione viuere sinebant, credentibus infensi essent? Nonnulli negant id eos timuisse, sed quamlibet causam obtendisse, ne sine ratione insanire viderentur. Verum errore suo decepti periculum imaginantur vbi nullum erat. Christum à suis pro Messia habere videbant, Messiam autem magna potentia sublatis aliarum gentium imperiis Monarchiam in Iudæa excitaturum pro certo persuasum habebant, itaque futurum arbitrabantur, vt concursu ad Christum facto tyrannidem arriperet, Romanos depelleret, atque ita cum gentium Dominis grauissimum bellum susciperet, deinde victus Iudæis exitii causa esset. Maturè igitur opprimendum putant, antequam pluribus miraculis inclarescat, factionemque suam augeat, & occupatis locis opportunis rebellionem meditetur.

Rebellionē timent.

Atque hoc est, quod Caiphas respondet, præstare vnius capitis interitu auertere imminentes calamitates, quam permittere vt mora vires auctoritatemque acquirat: vt non nisi gentis exitio malum reprimi possit. Itaque nec crimen examinant, nec spem in Deo habent sed politicis consiliis omnia metiuntur.

VERSVS 49. &seq.

Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis, vos nescitis quicquam.

QVÆSTIO I.

Quomodo Caiphas Prophetauit?

Caiphas non fuit Prophetes.

§. 1. NOn velut arreptitius aut insanus verba nō intellecta fundit, sed cum summa malitia odioque in Christum fureret; suadet, vt mature eum trucident, antequam ingens seditio coalescat, qua in regem eligi possit, vnde bellum maneat cruentissimum, & cruentissimum. Vnum ergo mori mauult quam totum populum in discrimen venire. Non quasi ille morte sua profuturus esset populo, sed quod sublato turbarum, vt rebatur, auctore, populus conquieturus esset, nec esset Romanis occasio belligerandi subministranda. Hoc autem ex se non dixit. Syrus, בִּן צְבוֹת נַפְשׁוֹ *men tzebuth naphschech, ex voluntate animæ suæ.* Non quod ita loqui cogeretur, sed quod cum ex voluntate animæ suæ Christum occidendum suaderet, id eis verbis ageret, quæ alium verum sensum haberent; nempe Christum pro gente ὑπὲρ τοῦ ἔθνους, *pro populo morituru.* Nam ita Deus mentem impiam cogitationes suas exprimere permisit, vt alia verba illi occurrere non permitteret, quam quibus etiam inuitus generis humani redemptionem exprimeret. Nec enim pro gentis Iudaicæ salute duntaxat, sed pro omnibus Dei filiis per orbem dispersis mortem obiuit.

§. 2. Caluinus calumnias & ineptias miscet. [Fuit ergo, *inquit*, tunc quasi bilinguis Caiaphas, impiume- « nim & crudele necandi Christi consilium, quod in animo conceptum habebat, euomuit. Deus vero lin- « guam eius alio flexit, vt sub ambiguis verbis vatici- « nium suum proferret. Voluit, ante Deus ex sede Pon- « tificia manare cœleste oracultum, quo minus excusa- « tionis esset Iudæis. Nec obstitit Caiphæ impietas, « quin lingua eius esset Spiritus sancti organum: quia « Deus sacerdotium à se institutum potius respexit, « quam hominis personam.] «

Hæc verè, & ex vetustis: quod vero subiungit, ex malo, hoc est, ex proprio dicit. [Sed plusquam ridi- « culi sunt Papistæ, qui inde colligunt, habendum esse « pro oraculo, quicquid Pontifici Romano effutire li- « buit. Rationes reddit, quod à Deo non sit creatus, « quod Caipham Iudæi audire, & illi obedire non de- « buerint.] «

Respondeo: nos nec omnia Pontificum dicta pro oraculis habere: nec hoc loco auctoritatem Romani præsulis asserere. Tantum id inde colligere. Vera eum dixisse, prophetasse, quia Pontifex erat anni illius. quod Euangelista refert. Nec negare hoc Caluinus potest, & agnoscit auctor qq. veteris testamenti. q. 11. *Quanta autem sit dignitas ordinis sacerdotalis, hinc aduertamus. Dictum est enim de nequissimo Caipha, interfectore Saluatoris inter cætera.* Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Princeps sacerdotum anni illius

filius prophetauit. *Per quod ostenditur spiritum gratiarum non personam aut digni aut indigni, sed ordinationem traditionu: vt quamuis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus vt officium ministerij exhibeat, Dei autem est effectum tribuere benedictionis.*

Sic Chrysostomus hom. 62. *Videsquanta sit pontificalis potestatis virtus? Cum enim pontifex esset licet indignus prophetauit, nescius tamen quid diceret, & os tantum gratia, non autem scelestum cor attigit. Multi praeterea alij futura praedixerunt indigni. Nabuchodonosor, Pharao, Balaam, & omnium causa manifesta. Quod autem dicit, hoc est, vos sedetis adhuc: pigrius rem intuemini, & nescitis vnius hominis salutem pro communi contemnendam. Videquanta spiritus potentia: à mala mente verba prophetica, & admirationis plena elicere potuit.*

Hoc tantummodo affirmamus, non ideo Ecclesiam deficere, veramque doctrinam, si interdum mali praesides eam regant.

Fugit deinde Christus nondum enim tempus erat moriendi, ideo vocationi & officio suo se non subducit, sed opportunitatem exspectat in ciuitate, quae Ephraim, vel Ephrem dicitur, postea vero publico triumpho in vrbem inuectus publice in templo docet, & miracula facit.

CAPVT XII.

IESVS ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. 2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo. 3. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta est odore vnguenti. 4. Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus. 5. Quare hoc vnguentum non venyit trecentis denarijs, & datum est egenis? 6. Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. 7. Dixit ergo Iesus: Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. 8. Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis. 9. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est: & venerunt, non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis. 10. Cogitauerunt autem principes sacerdotum, vt & Lazarum interficerent: 11. Quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum. 12. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent, quia venit Iesus Ierosolymam. 13. Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant: Hosanna benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel. 14. Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum sicut scriptum est: 15. Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. 16. Hæc non cognouerunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo: & hæc fecerunt ei. 17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. 18. Proptrea & obuiam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum. 19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abijt. 20. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, vt adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Betsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre. 22. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum, & Philippus dixerunt Iesu. 23. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis. 24. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit. 25. Ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. 27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. 28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: Et clarificaui, & iterum clarificabo 29. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est. 30. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. 31. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. 32. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. 33. (hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus.) 34. Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? 34. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus: & abijt, & abscondit se ab eis. 37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: 38. Vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias? 40. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. 41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. 42. Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur. 43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. 44. Iesus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. 45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. 46. Ego lux in mundum veni: vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. 47. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit: ego non iudico eum: non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. 48. Qui spernit me, & non accipit verba

mea, habet qui iudicet eum, sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. 49. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. 50. Et scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

IN CAPVT DVODECIMVM
ARGVMENTVM.

BEthaniam venit Christus sex dies ante pascha, à Maria in conuiuio vngitur, Iudas murmurans compescitur. Principes sacerdotum etiam de Lazaro occidendo consultant. Christus solenni pompa Ierosolymam ingressus, cum colloquium eius gentes peterent, venisse horam dicit, vt clarificetur filius hominis, granum mortuum fructum daturum, animam suam turbatam asserit. Vt clarificari nomen patris postulat, & mox voce de cœlo lapsa hoc promittitur. Iudicium mundi esse, se ad cœlum ascendentem omnia tracturum ad seipsum, adhuc modico tempore lucem in illis esse testatus abijt: illi vero non crediderunt, vt fore prædixerat Isaias, sed multi tamen, atque etiam principum quidam crediderunt: Christus autem ad fidem omnes hortatur, se mundi lucem esse. Infideles à sermone suo iudicandos esse, se non à seipso, sed ea, quæ acceperit à patre loqui protestatur.

In Syriaca Ecclesia à v. 12. vsque ad 23. legitur, Dominica palmarum, quam illi vocant Osanna. Inde vsque ad finem 2. feria hebdomadis passionis.

VERSVS 1. 2. &c.

Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnã ibi: & Martha ministrabat: Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo, &c.

QVÆSTIO I.

Cur Lazarum videre cupiebant?

§. 1. DE cœna & vnctione apud Matthæum dixi, in Ioannis textu quædã notanda sunt, nempe:

V. 4. Pro *dixit*, in aliis est, *dicit*.

V. 6. *Portabat*, alij *exportabat*.

V. 7. *Seruet*, alij *seruauit*.

V. 7. *Sine* alij *finite* Brugensis 1033.

V. 8. Habebitis, alij, habetis, ἔχετε.

§. 2. Quod ait ἐγνω οὖν, *cognouit ergo*, multi ad versum primum referunt: Nempe venit Bethaniam Iesus, cognouit turba: sed potest ad omnia referri; nempe cum Bethaniam venisset, conuiuio exceptus fuisset, latere id turbam non potuit, quare magno numero egressa est ad eum videndum. Nec eum videre modo gestiebant, qui tanta virtute se filium Dei, & Messiam esse probarat, sed etiam Lazarum cuius vita testimonium erat efficacissimũ. Quamuis autem in multis curiositatis esset, velle videre resuscitatum à mortuis, eum audire, colloqui, quid in altera vita illi obtigisset cognoscere, non est tamen dubium vllum, quin multi tam indigenæ, quam aduenæ, optimo animo diuinæ potentiæ, & benignitatis argumenta vsurpare oculis voluerint. Cur autem nunc eo profecti sint, antea non iuerint, duplex ratio potest reddi. Prima, Lazarum cum Christo abeunte, vna discessisse. Altera: Hactenus multis non fuisse animum, aut fidem tantam, vt videre dignarentur; aut sane occasionem defuisse, nunc audito aduenisse Iesum, auctaque fama exiuisse. Quamuis verisimile videtur magnam eorum, qui exierunt partem ex illis fuisse, qui peregre aduenerant, sub idem tempus, quo Christus in Bethaniam venit.

Vita Lazari testis Christi Mssiæ.

VERSVS 10. & seq.

Cogitauerunt autem principes sacerdotum vt & Lazarum interficerent, &c.

QVÆSTIO I.

Quid ad hæc principes?

§. 1. COgitauerunt & Lazarum occidere, Græce ἐβουλεύσαντο, *consultarunt*. Nullo iam iustitiæ respectu, ne famâ quidem, aut specie mouentur. Duo vero in illis præcipue crimina conspectissima sunt: Furor & cæcitas. Ille: quod nulla causa, nullum crimen erat in Lazaro; nam vt Christum calumniis premerent, Lazarum tamen nemo accusabat; nec crimen erat, diuinitus vitam recepisse: itaque plus quam humana rabie contra Deum insurgunt, & quam ille vitam dederat, eripere conantur. Multo præfractiore superbia, quam olim Nabuchodonosor, qui cum tres pueros in flamma inuiolatos videret, Deo cessit, virtutemque illius agnouit, & professus est: Horum in rediuiuum perstat odium, & in Christum inuidia. Vere Chrysostomus: ἔξω, τὸν χειρὸν ὅτι τὸ σάββατον ἔλυεν, ὅτι ἴσον αὐτὸν ἐποίει τῷ πατρὶ, δῆλε τὸς ῥωμαίους, ὃς φασὶ, τῷ λαζάρῳ τὴν ἔχοντες ἐγκαλεῖν, ὅτι χείρονν ἀνεῖλεν. *Esto Christum, quod sabbatum soluerit, quod æqualem se patri fecerit occidere cogitaueritis, quid habetis in quo Lazarum accusetis, quod ei interitum machinamini?*

Furor & cæcitas Iudæorum.

Alterum est, quod Augustinus, Cyrillus, omnes interpretes aduerterunt, cæcitas, & stultitia tanta, quanta in homines cadere vix possit, nedum principes sacerdotum. Nam qui absens mortuum sciebat, qui verbo in vitam restituit, non poterat vel eum monere, vt caueret insidias principum, vel sane tueri eum contra improbam violentiam? Quod si occidissent, nonne iterato resuscitare posset? iam non modo diuinæ potentiæ testem, sed etiam parricidij sacerdotalis? Nonne vel hoc timere debebant, Christum qui verbo quatriduanum è monumento euocauit, posse Lazari mortem verbo etiam, hostibus eius nece illata vindicare? & reuera furor, iraq, mentem præcipitant.

§. 2. Non absimili insania contra Christum eiusque *Hæreticorum rabies.* Ecclesiam hæretici grassantur. Multis quotidie miraculis veterem fidem effulgere magna indignatione sua, & opprobrio sectarum sentiunt, cum vero calumnias

mnias suas, mendaciaque tanta Dei virtute retundi intelligunt, vt etiam furi, sint ludibrio, in rabiem acti, contra templa, martyrum reliquias, arma capiunt, omniaq; deijciunt. *Ad exsincta*, inquit Gregorius hom. 32. super Euangelia. *ad sanctorum corpora viuentes ægri veniunt, & sanantur. Periuri veniunt, & à dæmone vexantur. Dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodo ergo viuunt illuc vbi viuunt, si in tot miraculis viuunt hic, vbi mortui sunt?*

Et Epistolarum l. 3. c. 30. *In omnipotente Domino confido, quia nullo modo, benignissimæ voluntati surrepitur & sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde, & mente diligitis, non ex corporali præsentia, sed ex protectione semper habetis; sudarium vero, quod similiter transmitti iussistis, cum corpore eius est, quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi.*

Hæc plurimis hodie locis videant aduersarij, exscindere templa, exurere statuas, reliquias in prætefluentem proijcere: Plane quasi humanis armis Dei virtutem includi, ne sese exerat, sed qui hab tat in cœlis subsannat eos, plura enim nostro sæculo, quam superioribus, variaque sunt edita miracula: quodque vno in loco deficere videtur, in alio reponitur.

V. 12. In crastinum τῇ ἐπαύριον, Syrus אחרנא acharina, *postera.*

VERSVS 16.

Hæc non cognouerunt discipuli eius primùm: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo; & hæc fecerunt ei.

QVÆSTIO I.

Quæ causa ignorantiæ fuerit?

§. 1. CAluinus causam ait, quia ducem scripturam non habebant. [Cùm dicitur recordatos esse tandem, quod hæc de eo scripta essent, causa notatur tam crassæ ignorantiæ, quæ scientiam præcessit: Nempe quia tunc ducem non habebant scripturam, ac magistram, quæ ipsorum mentes ad rectam, puramque, considerationem dirigeret, nos enim nisi verbo Dei præeunte cæci sumus, quanquam ne hoc quidem sufficit, vt nobis verbum Dei luceat, nisi vis illim illuminet oculos nostros spiritus, qui alioqui ad plenam lucem cæcutiremt.]

Respondeo. Verissime dici scriptura duce apostolos destitutos fuisse, quo minus regium Christi in vrbem Ierosolymitanam aduentum cognoscerent, cæcos esse, qui suo sensu ducuntur. At reuera firmo argumento colligimus, non satis esse scripturam habere, legere audire, nisi verum eius sensum teneamus. Nam apostoli iam crebro Zachariam, aliosque prophetas audierant: nō enim postquam glorificatus fuit Iesus primùm scripturam cognouerunt, sed ἐμνήσθησαν *recordati sunt*, eorum autem quorum aliquando cognitionem habuimus recordamur. Non sciebant de domino scripta, sed post Spiritu sancto magistro didicerunt. Vbi igitur sunt, qui omnes scripturas planas, apertas, nec interpretum indigas iactant? cum apostoli triennio cum domino conuersati, vereque fideles scripturarum verba tenerent, sensum non intelligerent? Quocirca & hoc Caluinus requirit, vt *oculos nostros spiritus illuminet*; at quis eorum fidem nobis, facere possit oculos se illuminatos habere? Ecclesiæ suæ spiritum suum Deus dedit, eam sequi iubet; at de priuatis nihil reuelauit, quocirca temeratio ausu, & scripturarum intelligentiam, & Dei spiritum sibi arrogant, qui ab Ecclesia recesserunt. Hæretici eas depranuant: *Sancta*, inquit Gregorius l. 8. mor. c. 3. *Ecclesiæ nec in lingua iniquitas, nec stultitia in faucibus resonat: quia ea quæ per publicam locutionem prædicat, etiam per intimam fidem seruat, nec in aperto aliud docet, & in occultis aliud retinet, sed & quod sentit, loquendo docet, & quod loquitur, viuendo custodit.*

V. 17. ὅτι τὸν λάζαρον ἐφώνησεν, alij libri εἶπε, quando, conformiter latinis.

V. 19. Totus mundus, ita Syrus בלח *cullech*, totus, libri Græci ὁ ὅλος crebro omittunt. Pro abiit, alij abit, ἀπῆλθεν est in Græco. Theophylactus mundum interpretatur turbam.

Ad semetipsos, πρὸς ἑαυτούς, Syrus חד לחד *chad lechad. Vnus ad vnum.*

VERSVS 20.

Erant autem quidam Gentiles ex his qui ascenderant vt adorarent in die festo.

QVÆSTIO I.

Qui gentiles fuerint?

§. 1. CAluinus Iudæos genere & circumcisos existimat. [Non existimo, *inquit*, gentiles fuisse, vel incircumcisos: Quia paulo post sequitur venisse, vt adorarent. Atqui hoc seuere prohibitum erat legibus Romanis, & acriter vindicabant proconsules, aliiq; magistratus, si quis patrio cultu relicto ad Iudaismum transire compertus esset. Deinde Iudæos negat hoc permissum fuisse, ne templum & sacrificia polluerentur.]

Multo melius docent alij gentiles fuisse, quamuis etiam aliquando exteri vocati sint ἕλληνες, qui tamen Israelitæ erant. At sane in Euangelio ἕλληνες pro illis qui ex Israel non essent, accipiuntur. Syrus etiam vocat בני עברמא אנשא *de gentibus viros*, quod de Iudæis dici non solet, ἔθνη enim gentes exteras appellabant. *Gentes ad Christum veniunt.*

Deinde rationi, & textui conueniens est, vt cum tam honorifice à populo Israelitico exceptus esset, gentium etiam primitiæ in eius conspectum admitterentur. Denique ita plures auctores sentiunt.

§. 2. Cæterum vtcunque sentire libeat, falsæ sunt rationes Caluini. Neque enim leges impediebant ad Iudaismum transire. Nec gentes prohibebantur munera offerre, & sacrificia, aut adorare in statione sua. Imo pro illis quoque orauit Salomon 3. Regum 8. 41. *Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua, propter nomen tuum, (audietur enim nomen tuum magnū, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum vbique) cum venerit ergo, & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus inuocauerit te alienigena.* *Gentibus licitū adorare.*

Ius ergo fuit gentibus vt adorarent, dona mitterent. Ita Cyrus, Darius, Seleucus, aliique fecerunt, cum templum condi iuberent illi, hic dona mitteret. Vide & exemplum Eunuchi Candaces reginæ, Act. 8. Non potest post scripturam certior de his auctor consuli, quam Iosephus, qui vnam porticum gentibus tribuit. Et l. 6. de bello contra Apionem.

Loca autē designata erant, quæ statuta capitis pœna transire gentibus non licuit, quam legem Romani firmarunt, vt constat ex oratione Titi, qua templi profanationem illis exprobrat. Paulus autem accusatur à Iudæis quod gentes introduxisset in templi eam partem in quam solis Iudæorum masculis ingredi licuit. Iosepho consentiunt aliæ quoque historiæ veterum, Iosepho igitur sacerdoti credendū qui illa omnia viderat, etsi non vidisset, certe audire poterat, nec preciū mentiendi habebat vllum. Paulus igitur eum, quem *Locus gentibus constitutus.*

Genti-

Gentilem putabant Iudæi, vltra columnas induxerat.

§. 2. Legem Romanam qua aliena sacra vetarentur fuisse non nego, sed de sacris publice colendis non de priuatis religionibus acceptam aio; nec tamen obstitisse, quin Roma omnium gentium seruiret idolis, quin etiam Cornelius, aliique centuriones Iudaicam religionem susciperent, eatenus certe, vt vnius cultores Dei efficerentur. Quin multos proselytos esse factos constat, ficta est illa legum seueritas. Fictum & illud: Gentium dona non accepta fuisse, & iudicasse Iudæos sacrificia sua illo commercio pollutum iri, vt constat ex 2. Macc. 3. *Nam Seleucus Asiæ rex præstabat de reditibus suis omnes sumptus, ad ministerium sacrificiorum.* Verissimum igitur est, quod Beda docet: *Fama & miraculis templi gentes accitas, preces fudisse, animo quo poterant, & sacrificia obtulisse.* Quod si tanta cura fuit Iudæis, proselytis, aliisque fidem suam publice profitendi, quid à nobis requiret Dei maiestas, postquam in redemptionem vnigenitum suum misit?

Gentes Iudaismũ suscipiebant.

Cur ad Philippum venerint causæ variæ adferuntur, verior illa est, quod ille primus occurrerit. Cur vero non ille Christo statim indicarit, sed Andream consuluerit, ratio fuit, quod meminissent Christum Chananæam reiecisse, nec apostolos quidem intercedentes audisse, sibi etiam mandatum: *in viam ne gentium abieritis.* Nec tutum videbatur coram Iudæis in templi parte exteriore cum gentibus agere. Iam enim contumelioſe quæsiuerant; *Nunquid in dispersionem gentium ibit? & docturus est gentes?* Deliberant igitur præstetne illos dimittere, an domino indicare, posterius consilium placuit, an vero eos admiserit Christus ad colloquium, non liquet.

Cur dubitant eos ad dominũ admittere.

§. 3. Caluinus quod Christum non nisi petita venia adierint reuerentiæ causa factum docet: nec inde „ ramen probari sanctorum inuocationem. [Hoc re- „ uerentiæ signum est, quod Christum non compel- „ lant, sed per Philippum cupiunt patefieri sibi acces- „ sum. Reuerentia enim modestiam semper ex se gi- „ gnit. Quod autem hinc colligunt Papistæ, inuocan- „ dos esse mortuos, vti nobis apud Christum, & patrem „ sint patroni, magis ridiculum est, quam vt refutatio- „ ne indigeat. Loquuntur Græci coram cum Philippo: „ qui mortuos inclamat, à quibus est separatus, quid „ obsecro habet simile: Sanctorum inuocationem te- „ mere commenti sunt Papistæ ex suo cerebro.]

Respondeo. Hinc colligere Papistas, reuerentiæ esse, & modestiæ cum sanctis ad Christum accedere. Hoc sane consequitur: nihil nos gloriæ Christi detrahere, cum per alios eum intercessores precamur. Si enim non peccabant gentes, quod Philippo agente, & quasi admissionali, ac interuentore aditum ad Christum patefieri cuperent, non potest nobis vitio verti, si eadem reuerentia sanctorum patrocinia petamus. Nec est ille humanæ audaciæ fructus, sed diuinæ institutionis, quod enim sanctos vocat mortuos, nos scimus mundo, & corpori mortuos, sed Christo viuere, illi assistere: posse intercedere. Sicut enim angeli vident semper faciem Dei, ita & illi, quos per contumeliam ille mortuos appellat. Quod vero commentum Papistarum esse calumniatur, causam nostram egregie adiuuat, cum omnes qui sanctos inuocarunt, Papistas appellat, hoc est orbem vniuersum, quam late patuit Christianismus.

Reuerentia in Catholicis.

Certe, qui Paulam defunctam sæculo, Christo viuentem hunc in modum inuocat Hieronymus, Romanæ Ecclesiæ assertor fuit. *Vale ô Paula, & cultoribus tui senectam orationibus tuis iuua.* Nec procul eam à Domino agere credidit: cum adiungit. *Fides & opera tua, te Christo sociant: præsens facilius, quod postulas, impetrabis.* Contra Caluinum idem ille respondet, quod contra Vigilantium olim probante vniuersa Ecclesia docuit. Nempe Philippum & Andream viuos & mortuos nostram causam agere, aut potius non mortuos, sed melius viuentes. Ita aduersum Vigilantium c. 3. *Dicis in libello tuo, quod dum viuimus, mutuo pro nobis orare possimus; postquã autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio; præsertim cum martyres vltionem sanguinis sui obsecrantes impetrare non quiuerint, si Apostoli & martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quanto magis post coronas, victorias & triumphos?*

Huius in locum Dormitantij nunc substitutus est Caluinus, & iugulatum olim argumentum protrahit, & nouo fuco indutum, quasi nouum venditat. *Ergo cineres suos amant animæ martyrum,* dicebat Vigilantius, *& circumuolant eos, semperque præsentes sunt, ne forte, si aliquis precator aduenerit, absentes audire non possint.* Cui Hieronymus: *ô portentum in vltimas terras deportandum. Rides de reliquiis martyrum, & cum auctore huius hæreseos, Eunomio, Ecclesiis calumniam struis, nec tali societate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra aliorum Ecclesiam loquitur.*

Aliorum in hunc sensum patrum sententias omitto. Hoc mihi satis totam veterem Ecclesiam in Vigilantio damnasse Caluinum.

VERSVS 21. & seq.

Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes, Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondit eis; dicens: Venit hora, vt clarificetur filius hominis, &c.

QVÆSTIO I.

Quæ fuerit illa clarificatio filij hominis?

Clarificatio ad omnia sequentia pertinet.

§. 1. „ INa δοξασθῇ, vt glorificetur, seu gloria illustretur. Multi auctorum de passione, alij de resurrectione, & ascensione, nonnulli de Euangelij prædicatione, & gloria Christi inter gentes interpretantur. Mihi dubium non est, de omnibus illis coniunctim Christi responsum esse intelligendum. Vixerat annos triginta & medium, supererant ad mortem dies pauci, cætera consecutura erant, nec ratio est, vt ad vnum potius mysterium restringamus, quam ad omnia sequentia extendamus miraculũ, mortem resurrectionem, ascensum, &c. De morte quidem ipsum loqui similitudo indicat: nam vt granum frumenti cum sulcis mandatur resolui, & putrescere videtur, maxime vires exerit, radiculas agit, & parte sui, quæ pinguis & viuida est germinat, quod fieri non posset nisi aliis partibus resolutis, & viua illa particula mollefacta, ita quoque filius hominis, quando iactati, obrui, & sepeliri videbatur, gloriam suam ostendit, mors fuit regerminatio qua tandem caput cœlo extulit, & gloria sua mundum vniuersum impleuit. Gloria ergo cum omnino opprimi, & obscurari videretur, occulte gliscebat, & radices æternitatis spargebat, nec in illa tamen germinatione duntaxat consistebat glorificatio, non enim filius hominis grano morienti & occulte germinanti, sed in spicas, & fructũ multitudinem exeũnti cõparatur, quare resurrectio, & ea quæ secuta sunt, etiam interpretatione sunt comprehendenda, & multus fru-

tus fructus, quem granum adfert, conuersionem gentium indicat, quæ solitudini grani non morientis est opposita. Occasio etiam hoc indicat; dum enim Iudæi & Christum & Lazarū occidere decernunt, gentes eum adoraturi veniunt, eorum enim salus morte Christi seminata, & Christo sub terram complantata lætum initiū habuit. Resurrectionem & ascensionem quoq; glorificationis nomine intelligi præcipue, tum ex eo constat, quod dictum est supra; *Spiritus nondum erat datus, quia Christus nondum erat clarificatus.* Et v. 16. *Quādo clarificatus est Iesus, tunc recordati sunt.* Omnia igitur illa siue dura, siue læta clarificationis nomine proponit, ne morte eius audita animis cadant discipuli.

VERSVS 26.

Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.

QVÆSTIO I.

Quomodo honorificabit eum pater?

§. 1. MInistros à patre honorandos esse dicit: τιμήσει, *nempe honore æterno, honorati enim sunt amici Dei nimis.* Honor enim proprie virtutis est præmium. τιμὴ τῆς ἀρετῆς ἐστὶ τὸ γέρας; *Honor virtutis est præmium.* Aristoteles id recte sensit, l. 1. Ethic. c. 5. & l. 4. c. 23. Natura enim ita comparatum est, vt in hoste quoque virtus & ametur, & honoretur; quocirca gentium prudentiores bonorum virorum virtutes, etiā post mortem laude, & beneuolentia prosecuti sunt: vt docet Eusebius l. 10. de præparatione Euangel. c. 7. l. 7. Ea causa igitur Ecclesia sanctos Apostolos & Martyres perpetuis honoribus celebrauit. Hinc martyrum monumentis omnia iam S. Augustini temporibus plena fuerunt. Ita Gregorius l. 2. dial. c. 8. *Castrum, quod Casinum dicitur, in excelsi montis latere situm est, vbi vetustissimum fanum fuit, &c. itaque illuc vir Dei Benedictus pergens contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis, oraculum B. Martini, vbi vero ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum S. Ioannis construxit.*

Et l. 3. c. 9. l. 1. epist. 54. & l. 5. Ep. 145. & l. 7. Epist. indict. 2. c. 9. Vetustissimus fuit in martyrum festis celebrandis honor. De eo Clemens Romanus l. 5. c. 8. vide editionem Turriani c. 7.

Et Iustinus apol. 2. ad Antoninum imperatorem. Gentiles vero Christianos olim calumniabātur, quasi martyres pro diis colerent, vt constat ex vetustissimis Iustino, aliisque, q. 28. respondet. Eadem Vigilantius ex barathro pectoris sui euomebat, vt est apud Hieronymum Epist. 5. libro contra eundem c. 3. & Epist. 53. ad Riparium, & c. 8. in Epitaphio Marcellæ.

Hæc ergo ratio honorandorum sanctorum iam à principio in Ecclesia fuit: imo & apud veteres. Ossa Patriarcharum ex Ægypto secum Israelitæ extulerunt, Dauidis sepulchrum etiam apostolorum temporibus Ierosolymis visebatur. Honor autem mortuorum ille est, quem ratio, fidesque nobis dictat, cum certo sciamus eos cum Christo regnare, atque adeo Dei esse voluntatem, vt quos honoratos ille voluit, nos quoque honorandos esse censeamus.

§. 2. Meritum etiam, & mercedem esse bonorum operum ex eo discimus, quod secum fore ministrum suum Christus pollicetur, quod ministerium Christo exhibitum pater dicitur honoraturus. Honor enim ille non absolute decernitur, sed tanquam debitus ministerio, debitus inquam ex promisso. Imo hic iam promittitur. Quod si filij ministrum non honorat pater, irrita est promissio filij, qui promissa mercede ad obsequium omnes inuitat. Quinetiam quod miseris Zwinglio veritas illa excidit. Nam in horum verborum expositione diserte dicit, *Christum eos vtilitate, & præmio allicere.* Qui vero præmio allexit, etiam ex iusta fidelitate præmium dare tenetur, quod promisit. Ministrum porro sequi iubet, bona agendo, mala tolerando, crucem ferendo, non seipsum occidendo, vt impie olim circumcelliones docuerunt. Iam olim hunc locum ex apostolorum discipulatu, & sensu exposuit Irenæus l. 4. c. 28. *Nec nostro ministerio indigens iussit, vt eum sequeremur, sed vt nobis ipsis attribueret salutem, & sequi lumen, participare est lumen, &c.* Deinceps vero: *sic & seruitus erga Deum, Deo quidem nihil præstat, nec opus est Deo humano obsequio. Ipse autem sequentibus & seruientibus ei, vitam & incorruptelam, & gloriam æternam attribuit, beneficium præstans seruientibus sibi, ob id quod seruiunt.*

Et Dionysius Areopagita Eccles. Hier. c. 7. Si sanctam vitam egerit, fore vt ἱεραῖς ἀμοιβαῖς *sanctas retributiones recipiat.* Hanc vocat θείαν δικαιοσύνην, *diuinam iustitiam*, qua Deus præmia bene viuentibus tribuit.

Quod si iustitia Dei est, seu vt idem vocat δικαιοτάτῳ κρίματι, iustissima iudicia, non potest Deus non retribuere.

Et l. 3. diuinorum nominum c. 8. δικαιοσύνη ἡ αὐθης ὁ θεὸς, ὡς πᾶσι τὰ κατ' ἀξίαν ἐπινέμων ὁμνεῖται, καὶ εὐμετρίαν, καὶ κάλλος, καὶ εὐταξίαν, καὶ διακόσμησιν, καὶ πάσας διανομὰς, καὶ τάξεις ἀφορίζων ἑκάστῳ καὶ τὸν οἰκεῖον ὄντα δικαίως τόπον. *Diuina rursus iustitia quæ est Deus, laudatur, quod distribuat omnibus pro dignitate, modum bonum, pulchritudinem, ordinem bonum, ornatum, & omnes distributiones & ordines, desiuiens vnicuique reuera termino æquissimo.*

Denique eodem loco etiam causam reddit, cur viris fortibus aduersa obuenire permittat, & quomodo κατ' ἀξίαν, temporaria atque æterna conferat, magna tamen varietate pro cuiusque merito.

§. 3. Eadem doctrina perpetuo vsa est Ecclesia Dei, & Iouinianum damnauit, non absolute merita inficiatum, sed eorum æqualitatem nouo errore docentem. Quid patres illi de nostris hæreticis sentirent, qui non diuersorum paria, sed omnium nulla merita esse contendunt? Imo qui cœlo inferos miscent, & omnium, optimorum etiam operum meritum esse æternam damnationem impie docent? qua disputatione etiam eo deuenerunt, vt Christi meritis derogarent. Molinæus in 51. partem harm. vt Feuardent. dial. 4. hæres. 31. 32. p. 263. *Errarunt monachi*, inquit, *& sacrificuli, doctoresque Papistici, vrgentes merita tum incarnationis, tum natiuitatis, tum tentationum & afflictionum Christi. Nihil hæc omnia proderant nobis, nihil poterant.*

Meritorum diuersitas.

VERSVS 27. 28. & seq.

Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed, propterea veni, in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo, Et clarificaui, & iterum clarificabo, &c.

QVÆSTIO I.

Qua vox de cœlo veniens?

§. 1. ÆTernus Deus vt ostenderet, sibi carissimum esse filium, eiusque orationes exaudiri, publice contestatur eum sibi cordi esse, foreque, vt iterum

rum eum clarificet, δόξαον; orat Christus: Et Deus, δοξάσω, *clarificabo. Clarifica*, inquit, *nomen tuum*, vbi in Græcis quibusdam non recte ponitur μs pro σs. Et quidem cum animam turbatam dixisset, rogassetque vt ex ea hora saluaretur, simul orat, vt nomen Dei clarificetur, quod mox promittitur. De anima turbata in Luca, & Matthæo dixi; Et hoc etiam Caluinus blasphemat, dum Christi votum correctum fingit, & inconsiderate effluxisse iudicat.

Blasphemia Caluini.

Messias nomen Dei.

§. 2. Nomen Dei natiuitate, prædicatione, & miraculis Christi clarificatum fuit, nunc morte, aliisque miraculis, & apostolorum, successorumque concionibus clarificandum erat. Obseruandum est nomen Dei apud Hebræos pro ipso Deo, & Messia poni. Ita commentarius in Psal. midras Tehillim, scriptum est: *Ego Deus facio omnia: extendens cœlos per me: firmans terram per eum qui mecum est. Nam* מאתי *meitthi is qui mecum, vel à me stat, vt latini solent loqui, scriptum est quoque apud Isaiam 44. cum dicitur. Quis ergo fuit mecum? Nomen meum vna mecum mixtum fuit, in creatione sæculi. Dixit ergo Dauid coram Deo sancto, & benedicto. Ex eo quod tu cum nomine tuo creasti cœlum, & terram, nomini tuo illa tribuam. Dicens: Dei est terra, & plenitudo eius.*

Nomen itaque quod cum Deo in mundi creatione fuisse dicit Iudæus commentator, est verbum Dei. Et in Psal. 18. in illa verba. Magnificans saluationes regis sui & faciens misericordiam Christo suo Dauid. Idem commentarius habet: בתוב אחר אמר מגדיל ומיתי מגדול ש נעשה לחם מלב חמשיח במגדול ש נאמר מגדול ישועות מלכו ועושה חסד למשיחו לדוד ולזרעו עד עולם *Vna scriptura dicit: magdil, i. magnificans, alia dicit, magdol*, id est, *turris, & quæ turris facta est illis? Rex Messias, tanquam turris, quæ dicta est turris saluationum, & scriptum est turris fortis nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & eleuatur.* Et R. Hadarsan in Gen. 41. *Non est autem Dei hic dictum nisi Messiæ.* Et R. Tohanan in libro Sanedrin. c. Helec. De Messia dictum ait, Isaiæ 9. *Et timebunt ab occidente nomen Dei, & ab ortu solis, honorem & gloriam eius.* Et ex eo probat, quod mox sequatur, & veniet ad Sion גואל *goel, redemptor.*

§ 3. Mirum videri posset quod turba ait tonitruum factum esse, nam quod de angelo alij suspicantur, non adeo alienum est, opera enim angeli potuit vox illa in aere formari. Fuit autem vox illa articulata, significationem veram habens. Quamuis autem tonitru videri posset, ob magnitudinem soni, intelligi tamen potuit, necenim murmur inane fuit. Quomodo igitur turba putat esse tonitru? Quidam id factum stupore & ignauia, quod diuinis rebus, nec attenderent, nec eas caperent, alij quosdam sonum tantum, alios vocem articulatam audiuisse volunt. Chrysostomus: ἐκεῖνοι ἢ βροντὴν εἶναι ἐνόμισαν, εἰ ἄγγελον αὐτῷ λελαληκέναι. καὶ πόθεν τοῦτο ἐνόμισαν; μὴ γὰρ οὐχὶ σαφὴς, ἢ εὐσημος ἦν ἡ φωνὴ; ἀλλὰ παχέως αὐτῶν ἀπεῖπε, ἅτε παχυτέρων ὄντων, καὶ σαρκικῶν, καὶ ῥᾳθύμων; καὶ οἱ μὲν τὸν ἦχον κατεῖχον, οἱ ἢ ὅτι μὲν ἐναυδὲς ἦν ἡ φωνὴ, ἤδεσαν. τὶ ἢ ἐσήμαινεν οὐκ ἤπ. *Illi quidem tonitru esse existimabant, aut angelum illi locutum. Et vnde hoc existimabant: Nonne plana erat & significationem habens vox? At celeriter ab ipsis auolauit: vt qui crassiores, carnales, & negligentes essent, & hi quidem sonum perceperunt, hi vero, quod articulata vox esset, nouerunt. Quid vero significaret non amplius.*

Quidã verba non intellexerunt.

Fateor difficile videri, quomodo vocem tam claram, non omnes perceperint, adeo vt tonitruum putarent. Videor in primis esponderi posse, magnã turbam fuisse ex vicinis Asiæ Græciæq; vrbibus, quæ verba Hebræa non percepit. Deinde fuit vox antiqua Hebræa lingua prolatam, quam idcirco pauci intellexerint, illi vero tonitru putarint. Hebræa verba breuiora sunt, ideo facilius non attendentes fallere potuerunt. Syra verba sunt: שבחת ותוב משבח *schabgheth, vel ub meschabach*: addo etiam Syram esse variam dialectum; nam cum Græcis mixti cum alioqui varie loquerentur magis linguam corruperant. Esto ergo quacunque dialecto Syriace loqueretur, necesse est, à multis non satis intelligi, qui ex Arabia, Phœnicia, Ægypto, Chaldæa aderant. Illi igitur tonitru fuisse arbitrati sunt; qui autem articulatam vocem perceperunt, non tamen singulatim intellexerunt, quomodo nomen suum Deus honorificare statuisset. Honorificandi autẽ verbo vtitur Nouatianus libro de Trinitate. De glorificatione præclarum extat S. Athanasii dogma de communi essentia patris, filij & Spiritus sancti. *Filius glorificat patrem: dicit enim: Glorificaui nomen tuum in terra. Et pater dicit filio: glorificaui & iterum glorificabo. Pari modo dicit Spiritum glorificari a filio, & vicissim ab illo filium.* Idq; fieri δι' ἑνὸς πρὸς πατέρα καὶ υἱὸν κοινωνίας, Propter communionem quam habet cũ patre & filio.

Glorificatio Trinitatis.

Et de salutari Christi aduentu, de gloria æterna interpretatur. ἡ δόξασὸν με, τῇ ἀϊδίῳ δόξῃ, *glorifica me, æterna* scilicet *gloria.* Quia vero Ariani hoc loco contra Christi diuinitatem sunt abusi, ipse prudenter excipit, οὐ χωρεῖ θεὸς τῆς δόξης τοῦτο λέγει, ἀλλ' ἀδόξως με μετὰ τοῦ σώματος μεγάνως. ἵνα δείξῃ συχωρεῖ ζομένην τῆς θείας δόξης τὸν δι' ἡμᾶς μορφὴν. ἅπερ καὶ τὰν ὑπὸ θεικομένην. διὰ λέγει· ἡ δόξασα, ἡ πάλιν δοξάσω, μίαν τὸν σὺν σώματι δόξαν δείκνυς. *Non separatus a gloria hoc dicit, sed corpore non glorioso natus, vt ostenderet non separatam,* (legendum est, οὐ συχωρεῖ ζομένην) *a diuina gloria formam serui, sed illam ostendit; quapropter dicit: Et glorificaui, & iterum glorificabo. Vnam ante corpus, & in corpore gloriam significans.*

Inter mina Athanas. per nomen, etiã filium intellexit. Ita in Synopsi: idq; Græcorũ testimonio comprobat.

Vbi exp esse dicit δόξασον σὺ τὸν υἱόν. Clarifica filium tuum. Et l. 4. de nominibus singulis, hinc probat diuinitatem, & filium alium esse à patre. Atque hæc de glorificatione, & voce, nec audiendus est Theodorus Mopsuestenus, qui vocem articulatam fuisse negat.

Patrem appellat, & ab eo petit omnia, sicut etiam v. 26. remuneratorem pollicetur, quia pluris id videbatur, cum nondum ille surrexisset, vt monet Chrysostomus Qui etiam turbationem ex dispensatione esse ait. ταῦτα ᾗ τῆς οἰκονομίας ἐστὶν, οὐ τῆς φύσεως. Hæc dispensationis sunt, non diuinitatis. Quamuis autem perturbetur, & moueatur, non mortem fugit tamen. Humanitatis ergo illa fuit imbecillitas.

Diuinitatem, & potentiam suam inde etiam Christus demonstrat, quod negat propter se vocem illam ad aures accidisse, sed propter turbam. Non enim ille confortatione aut instructione egebat.

VERSVS 31.

Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras.

QVÆSTIO I.

Quod iudicium mundi?

§. 1. DVplex est interpretatio. Prima iudicium accipi in partem deteriorem, & condemnationem significare. Chrysostomus vocat δικαστήριον, *tribunal.* δικαστήριον, inquit, ἐστι, καὶ ἐκδίκησις. *Iudicium erit, & vltio*, ille expositionem præcedentium esse affirmat, ideo enim clarificatum esse, vt princeps huius mundi, foras ejceretur, imo clarificatione ejectum esse. Augustinus in hunc locum accipit in bonam partem iudicium mundi esse, quo ipse liberatus sit à tyrannide dæmonis. Verba Augustini sunt: *Dici etiam iudicium, non damnationis, sed discretionis, vnde scriptum est; Iudica me Deus, & discerne causam meam, de gente non sancta,*

sancta, &c. Per Christi autem fidem, quæ morte eius, & resurrectione firmata est, per eius sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium à dominatu liberantur diaboli, Christi corpori copulantur, & sub tanto capite, vno eius spiritu, fidelia membra vegetantur. Hoc vocabat iudicium, hanc discretionem, hanc à suis redemptis diaboli expulsionem.

Eadem eius est sententia de agone Christiano c. 1. siue illius, siue alterius est libet.

Equidem iudicium pro mundo esse, quod iam instabat, redemptio docuit, absolutoria igitur sententia fuit, sed tamen & damnatoria, quia princeps huius mundi eiectus est foras. Coniungi igitur Augustini & Chrysostomi sententia debet. Vt iudicium institui dicatur, quod disceptationem complectitur & vnius partis absolutionem, eorum scilicet, qui credunt, aliorum damnationem, qui credere noluerunt. Qui omnes damnati censentur, cum princeps eorum victus, eiectus est foras. Hoc est principatu priuatus, omni potentia exutus.

§. 2. Princeps huius mundi diabolus vocatur, non quod iure aliquo mundum regat, sed quod eius dolis homines irretiti tanquam milites principem sequantur. Eiectus autem est inchoato Christi regno, in quo omnes eius potestate eximuntur, & quantum quidem ad Christum pertinet coërcitus est, sed multi sponte se illius seruitio tradunt. Olim quidem multi iugum dæmonis excusserunt, non tamen aliis viribus, quam Christi venturi potentia. S. Augustinus ejici quotidie docet, etiam per exorcismos in Baptismo, l. 1. de peccat. mer. & remiss. *Vellem aliquem istorum qui contraria sapiunt, mihi baptizandum paruulum offerret. Quid in illo agit exorcismus meus? si in familia diaboli non tenetur?*

Princeps mundi damnatus, mundus damnatus est.

Quomodo eiectus fuerit.

Baptismus necessarius.

Et l. 2. de peccat. orig. c. 40. *Ipsa sancta Ecclesiæ sacramenta satis indicant, paruulos à partu recentissimos, per gratiam Christi, de seruitio diaboli liberari.*

Principatus igitur diaboli fractus est, & minus ac minus valet, non tamen omnino deficiet, donec dies vltimus adueniat.

Peccata vincunt pij.

§. 3. Confutatur illa victoria Christi, hæresis fiduciariorum, qui negant ita victum ac eiectum dæmonem, vt nō quotidie pugnet ac vincat, hoc est, ad peccata pertrahat quos tentat, sed hoc interesse, quod peccata piis suis non imputentur, sed liberi sint à iugo diaboli, vt etsi millies delinquant, non tamen peccatum noceat illis, quibus non imputetur. Quasi ita ille victus sit, non ad tollendum peccatum, sed ad licentiam peccandi inducendam. Plura Ephes. 6. & Ioan. 14. & 16.

Carpocratiani.

§. 4. Abusi olim sunt his verbis Carpocratiani, turpissimi hæreticorum, vt probarent, dæmonem esse mundi creatorem ac dominum, vt habet Irenæus l. 3. c. 24. Augustinus hæres. 46.

At non eo modo princeps est; sed quia fraude impios circumuenit ad suam illos voluntatem trahit donec in exitium pertrahat, planeque perdat, hoc enim eius regnum vsurpatione, non iure occupatum, vt Gregorius Nazianzen. oratione de calamitate docet. Hinc etiam factum vt ab impiis pro Deo coleretur, quod vitia, in quæ præcipites ruunt impij, non permitteret modo, sed etiam exigeret. Hisce laqueis tenebat humani generis præcipuam partem. Nam id indicat apostolus 2. Tit. 2. *Deus det illi pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad illius voluntatem.* De miserabili hac seruitute, qua diaboli tyrannide premuntur, vide Hier. l. 2. in Epist. ad Gal. c. 3. August. l. 13. de Trinit. c. 12. D. Th. Cyrill. Alexand. in collect. Bernard. Epist. 191. de erroribus Abaelardi. Seruitutem, & libertatem illam Apostolus Roman. 6 explicat. Et August. tractatu 52. Diabolum ait principem huius mundi appellatum, hoc est principem ac dominum malorum omnium, qui sunt in mundo. Et addit: *Possidebat diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum, dominabatur in cordibus infidelium.*

Ad eundem modum exponit etiam Eusebius Emissenus hom. 11. de pascha. Nazianz. orat. 2. de pascha. Orig. in 15. Matthæi.

Omnibus autem veteribus horrori fuit Caluinianorum sententia, qui reprobos ita traditos diabolo mentiuntur, vt illi resistere non possint, sed cogantur necessario diuina potentia ordinante, & impellente peccare. Hoc enim in Borboritis, & Manichæis damnauit Ecclesia, legesque ciuiles.

VERSVS 32. 33.

Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.

QVÆSTIO I.

Quomodo omnia Christus trahat ad seipsum?

§. 1. NOta est hoc loco inter Græcos & Latinos lectionis varietas, libri Græci habent πάντας, latini *omnia*, quasi scriptum esset πάντα. Augustinus admodum pro lectione latina defendenda laborat. Et sane in Græca facile potuit error additione vnius literæ incidere, *omnia* certe efficacius est, non enim homines modo, sed omnem potestatem, & ius regni. Idque *cum exaltatus fuero*. Syrum magis actionem in se designat, אתרוממתי דאתהרימת: nā sua sponte sic exaltatus erit. Hoc ergo significat non esse sibi mortem pertimescendam, nec ignominia crucis apostolos terreri oportere, illo se prælio omnia in suam potestatem esse redacturum. Loquitur autem more imperatoris, qui vicit: nam dici solet, victoris esse omnia. Sic Coloss. 1. 20. per sanguinem suam dicitur pacificasse omnia. Itaque non modo Augustinus, & Ambrosius in Psal. 118. Prosper, Leo, Rufinus, Beda, sed Theodorus etiam Mopsuestenus legit *omnia*, licet Chrysostomus, Theophylactus, & Græci legant: *omnes*. Syrus masculinum genus habet, sed cum neutro illa lingua careat, etiam pro neutro vsurpant. Porro quod addatur particula &, causalis videtur esse; si enim Christus omnia attrahat, diabolum spoliari necesse est.

Lectio varia.

§. 2. Irenæus legem & prophetas intelligit; nam omnia ad Christum tendebant, & ille in cruce omnia adimpleuit. *Sed & legem*, inquit l. 4. c. 5. *pædagogum nostrum in Iesum Christum dixit. Non ergo quorundam infidelitatem legi ascribant; non enim prohibebat eos credere in filium Dei, sed adhortabatur dicens, non aliter saluari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati, in ligno martyrij exaltatur à terra, & omnia trahit ad se, & viuificat mortuos.*

Hanc Irenæi sententiam Augustinus l. 3. c. 2. contra Iulianum ad peccatum originale probandum adducit. *Irenæus Lugdunensis Episcopus, non longe à temporibus apostolorum fuit. Iste ait, nō aliter saluari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem, &c.* Itaq; illa Pelagianis auctoritatem opposuit.

§. 3. Occurrit autem in limine difficultas, quoniam trahere se dicat, omnes, cum multo sit maior mundi pars quæ non trahitur, aut vtcunque trahatur, non venit tamen. Iustinus quæstionem proponit, q. 39. Et respondet, & clarius quæst one 29. At q. 29. respondet, omnia in fine sæculi trahenda. Si ergo trahere, *est prophetias implere*, vt Irenæus docuit, & ferm. 13.

In fine sæculi omnia trahenda.

Leo interpretatur, difficultas facile soluitur, quia tamen de hominibus se mo mouetur, qui seruitio diaboli exeunt, & in regnum Christi, libertatemque vindicantur aliter explicanda verba videntur. Duplex hic est expositio. Primo omnia absolute & generalissime ad Christum trahi. Deinde omnia cum aliqua restrict one. Qui nullam admittunt restrictionem; omnia sub imperium eius concedere dicunt, & hanc vim esse verborum Christi. Ita Paulus ait, *omnia illi subiecta, vt nihil sit illi non subiectum.* Qua autem humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem crucis, propterea Deus exaltauit illum, &c. Et hæc expositio scripturâ nititur, & huic loco consentanea, est. Nam fructum victoriæ prædicit, qui omnibus dominatur. Generatim alij accipiunt, & omnes trahi morte crucis, quantum quidem in Christo est: nam pro cunctis sufficientissimum lytron est persolutum, omnibus dedit potestatem filios Dei fieri, nec vlli negatur gratia, ita Soa ez noster in opusculis.

Omnia sub imperio Christi.

Electi trahuntur efficaciter.

Qui restringunt particulam *omnia* ad certum genus, tres sententias efficiunt. Quidam omnes trahi dicunt prædestinatos, non alios, quod ne impie dicatur, addendum est, omnes prædestinatos, & solos trahi gratia efficace, & perseueranter. Alij omnia genera, vel partes trahi dicunt. Augustinus omnes partes hominis, quod exponit tract. 52. Chrysostomus ex omnibus hominibus, nationibus, Iudæis, gentibus. ἑλκύσω, inquit, δὲ φησὶ, ἅπτε ὑπὸ τυράννου κατεχομένους, καὶ ἀφ' ἑαυτῶν μόνων οὐ δυναμένων προσελθεῖν, καὶ τὰς ἐκείνου χεῖρας οὐ δυναμένους φυγεῖν, ἅπτε ἀντεχομένους. *Trahaam vero, inquit, tanquam sub tyranno detentos, & per seipsos solos adire non valentes, & manus eius effugere, vtpote repugnantis.* S. Cyprianus in expositione symboli etiam ad mortuos refert.

Omnia Christo subdita.

§. 4. Ex hisce expositionibus mihi maxime illa placet, quæ de potestate Christi, & imperio agit, atque adeo influxu in omnes, per quæcunque auxilia gratiamque, huic enim optime conuenit imperium. Vt sit sensus. Cum exaltatus fuero, merebor, & deinde potestatem in omnia quæ in terra, & in cœlo sunt, accipiam, vniuersum mundum sub me traham, omnia etiam dona per me conferentur, omnia iudicia exercebuntur. Ita vt nemo sit, mihi non subditus, nemo quicquam habeat, quod mea benignitate non acceperit. In Christo enim omnes sunt diuitiæ. Improbis etiam gratiam offert sufficientem qua conuerti possent, & frequenter efficacem, vt quædam peccata possint euitare, atque reipsa vitent, quo contingit, vt ipsi quamuis damnandi sint, illius tamen culpæ, quam accepta gratia fugerunt, pœnas non luant. Quocirca multorũ Ethnicorum, & impiorum Christianorum ciuiliter honesta vita, & scelerum enormium seria detestatio de auxiliis gratiæ crucis, manauit in multos.

Exaltatione supplicij summum significatur.

§. 5. De exaltatione crucis alibi dixi; Erat enim modus loquendi Iudæorum, vt generali vocabulo summi supplicij atrocitatem voce tenus mitigarent: vt Latini: *quæstionibus subijci dicunt*, cum per omnia quæ in natura sunt, tristissima rei ad confessionem criminũ adiguntur, addit Euangelista hæc ideo dicta: vt significaret, qua morte esset moriturus. Credo etiam vt Celso aliisque os obturaret, qui Christum aut ignorantiæ, aut imprudentiæ arguebant. Si non præsciuit non erat Messias propheta, nedum Deus, si præsciuit, imprudens fuit, qui non vitarit. Præsciuit enim ideoque non vitauit; venerat enim vt sua morte mundum viuificaret. Quomodo autem præscisset, si vitare voluisset? si enim vitare voluisset, non præsciuisset futurum.

VERSVS 34.

Respondit ei turba, Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis. Oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis?

QVÆSTIO I.

An Messiam manere in æternum, & exaltari repugnet?

§. 1. CHristum turba κρ βίαιον, violenter refutare se putat, & ex propriis verbis falsi arguere. Messiam se professus est: addidit: Gloriam suam morte non obscurandam, sed more grani morientis regerminaturam, & omnia sub suam potestatem ventura.

Hic turba insurgit. Lex Messiam nobis pollicetur, qui maneat in æternum, non igitur filius hominis, qui crucifigendus, potest esse Messias: quis est igitur filius hominis? nos eum ignoramus. Christus plura dixerat, & inter ea, se filium hominis nominarat: compendio enim disputationem Euangelista recenset.

Hic apparet, quam sit periculosa Sciolorum eruditio. Partem legis nouerant, regnum Christi scilicet æternum fore. Psal. 109. 4. & 126. 2. Isa. 40. 6. Ezech. 37. 25. Daniel. 7. & 9. aliisque locis innumeris. De morte Messiæ non pauciora loca testantur, illa neglexerant, aut sane quamlibet calumniæ occasionem aucupati, dissimulabant. Obseruandum autem est, non modo in lege & prophetis doceri, quod hæc turba ignorat, Messiam oportere pati, & sic intrare in gloriam suam: verumetiam ita censuisse, & explicuisse illorum Rabbinos, vt appareat maleuolam omnino fuisse, & affectatam horum ignorantiam, de scribis & doctioribus loquor; nam vulgus hominum ea non intellexisse non est mirum, ipsi apostoli ad mortis mentionem horrebant. Malebant non mori dominum, quam à morte resurgere.

§. 2. Iudæorum Rabbini de passione Messiæ multa ante & post Christum scripserunt, vt appareat mysterium hoc ignoratum nõ fuisse. R. Hadarsan in Gen 1. *Deum ait lumen Messiæ sub throno gloriæ suæ recondidisse. Dixit igitur Satan coram Deo. Domine mundi, hoc lumen sub throno gloriæ tuæ reconditum cuius est? Respondit ei: Messiæ, & generationis eius. ait Satan coram eo. Domine mundi, permitte me, & aduersabor Messiæ, & generationi eius. Dixit ei Deus; non possis contra eum. Ait rursus coram eo Satan. Permitte me, & ego potero. Dixit ei Deus sanctus & benedictus. Si tu fueris Satan ita audax in hoc, ego destruam eum de mundo. Verumtamen nec vnam animam generationis illius destruam. Mox cœpit Deus sanctus & benedictus loqui cum Messia dixitq; ei. Messia iuste meus, isti qui reconditi sunt apud te, eiusmodi erunt, vt futurum sit, vt peccata eorum inducant te in iugum graue oculi tui enim non videbunt lumen: & aures tuæ audient opprobrium magnum, nasus tuus odorabitur fœtorem & os tuum gustabit amaritudinem: adhærebit q; lingua tua palato tuo: & hærebit cutis tua ossibus tuis: & attenuabitur fortitudo tua à luctu, & gemitu. Estne ergo voluntas tua in eis? si enim tu super te ea susceperis, bene quidem erit. Sin autem: Ecce ego abigam ea ex nunc. Tum respondisse Messiam, se omnia in se suscipere.*

Caput 52 & 53. quibus Isaias passionem Christi describit, etiam de Messia, eiusq; doloribus exponunt in Sanedrin Hebræi. Quamuis recentiores aliorsum detorqueant. Nam etiam Chaldæus textus, qui apud Iudæos magnæ est auctoritatis eos cõfutat: diserte enim de Messia propheram interpretatur. Quin in minori expositione Geneseos, c. 22. de lignis quæ tulit Isaac, ita scri-

ta scribitur. *Iste, hoc est, Deus qui fert crucem super humerum suum.* Mirum igitur non immerito posset videri, Iudæos ista ignorasse, sed si quis grauissima eorum temporum vitia considerabit minus mirabitur.

VERSVS 35. 36.

Dixit ergo eis Iesus, Adhuc modicũ, lumen in vobis est, Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus: & abijt, & abscondit se ab eis.

QVÆSTIO I.

De quonam lumine Christus loquatur?

§. 1. AD quæstionem imperite interrogantium nihil respondet, sed proprij eos periculi admonet. Fore vt modicum in illis sit lumen, hoc est breui tempore, nam *modicum* aduerbialiter ponitur, Græce est, τὸν μικρὸν χρόνον, modico tempore; pauci enim dies erant vsq; ad passionem. Ideo subdit, *ambulate dum lucem habetis.* Quamuis lux etiam cum apostolis manserit, ingens tamen erat solatium, habere Deum præsentem, atq; eius ore doceri. Quocirca & Apostolus Paulus se à Christo non ab hominibus Euangelium accepisse, Christum vidisse. De tempore igitur sermo est, & Syrus vertit ad modicũ tempus. Cum igitur maligne κακονέγως vt ait Chrysostomus interrogarent, ad deliria eorum non respondet, sed iubet bene agere, luce præsente vti, fore vt breui auferatur. Athanasius siue alius est auctor, q. 57. ad Antiochum. Lucem virtutes interpretatur. *Lux enim dicitur quod futurum est, arma vero lucis sunt virtutes. Ideo Christus quoque dixit. Dum lucem habetis ambulate, ne tenebræ vos apprehendant, vbi lucem virtutes vocauit, quas virtutes homo, dum viuit, præstare potest, post mortem enim non poterit eas inuenire. Tenebræ vero sunt, præsens hoc seculum, propter tenebricosas illius actiones. Sicut rursus inquit Christus; qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Sequi namq; Christum, est quæ placita sunt ei facere, & eius mandata seruare. Talis non ambulabit in tenebris, hoc est in variis viis huius vitæ, sed accipiet, & inhabitabit æternam lucem æternæ vitæ quæ futura est, & immensum, quod ibi futurum est gaudium, & exultationem.*

§. 2. Quod interpretem nostrum calumniantur hæretici, qui *modicum* absolute posuit, satis fecit omnibus æquis iudicibus noster Maldonatus. *Adhuc*, inquit, *modicum, lumen in vobis est. In Græcis codicibus legitur, ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι, adhuc modico tempore lumen vobiscum est, sed sensu eodem. Nam illud modicum per se sumptum, non cum lumine coniunctum pro breui accipitur tempore, vt c. 13. 33. Filioli adhuc modicum vobiscum sum. Et c. 14. 19. & c. 16. 16. 17. 19. Quibus in locis etiam Græce μικρὸν est absolute positum, quemadmodum & hoc loco credendum est nostrum legisse interpretem.*

§. 3. Augustinus etiam ab inferis extraxisse suos ad seipsum testatur, serm. 137. de tempore: *Vultis tamen audire quid egerit? audite quid fecerit, nulla necessitate, sed propria voluntate in ligno suspendi se permisit, clauis corpus sum perforari non renuit, &c. Per hanc electi, qui quamuis in tranquillitatis sinu, tamen apud inferni claustra tenebantur, ad paradisi amœna reducti sunt. Quod ante passionem dixit, in resurrectione sua dominus impleuit. Si exaltatus fuero, inquit, à terra, omnia traham ad me. Omnia enim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit, omnia abstulit, vtique electa. Quamuis autem quidam de sermone illo dubitent, sitne Augustini, constat tamen esse in hom. 22. Gregorij Papæ in Ioannis c. 12. an ille ex Augustino accepit?*

Quibus verbis discimus, illam tractionem, de qua Euangelista loquitur, non esse tantum efficacem, aut sufficientem ad vitam vocationem, sed ad alia etiam pertinere, eos namque attraxit, qui in sinu Abrahæ apud inferos morabantur, & redemptionem exspectabant. Vnde etiam apparet, quantum à veteri Ecclesia desciuerint Caluiniani, dum Christi ad inferos descensum, aut negant, aut blasphemè interpretantur.

§. 4. Ex versu 26. Christum esse Deum mundi conditorem probat Athanasius orat. 5. contra Arianos. καὶ πάλιν αὕτη ἐστιν ἡ κρίσις ὅτι μὴ πιστεύουσιν εἰς τὸν υἱὸν, ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, καὶ οὐκ ἐπίστευσαν αὐτῷ, δηλονότι τὸ υἱῷ, αὐτὸς γὰρ ἂν εἴη τὸ φῶς τὸ φωτίζον, πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. *Et iterum hoc est iudicium non credentiũ in filium, quod lux venit in mundum, & non crediderunt illi, certum est quod filio. Ipse enim fuit lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ.* Christus lux.

Tanquam certum enim statuit, Ioannis primo capite idem esse lucem, & verbum, *per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil:* cum ergo hic se lucem Christus appellet, etiam verbum nominat, illud scilicet, per quod facta sunt omnia. Quare concludit, aut duos mundos esse fingendos, quorum vnus per verbum, alius per filium sit factus, aut verbum, filium, lucem esse eundem, Deum scilicet, mundi conditorem, rectorem, & redemptorem.

VERSVS 37.

Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.

QVÆSTIO I.

Quæ fuit contumacia Iudæorum?

§. 1. QVasi admiratus duritiem & cæcitatẽ Euangelista, τοσαύτῃ, inquit, σημεῖα πεποιηκότος αὐτοῦ ἔμπροσθεν αὐτῶν, οὐκ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν, *cum tam multa, tam magna fecisset,* cum Lazarum excitasset, & in templo multa fecisset, non tamen in eum credidêrunt: nam eo tempore, in tanto populorum confluxu plurima faciebat. Verum vt olim Pharao, magnis miraculis patem illis contumaciam opponebant, vt conscientia, & rerum euidentia victi Deo obsisterent.

§. 2. Non decrat gratia præueniens, non alia remedia conuersionis, sed indurata malitia excludit etiam ipsam cogitationem, qua se Deo coniungere velle debebant. Qua quidem ex re manifestissime constat, miraculis illam vim fuisse, vt credere debuerint, & peccarint non credendo. Miracula enim in hodiernum vsque diem fidem quam Dominus prædicauit, testantur. Augustinus l. 22. c. 9. de ciuitate Dei.

VERSVS 38.

Vt sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est?

QVÆSTIO I.

An ideo non crediderint vt sermo Isaiæ impleretur?

§. 1. CHrysostomus interpretatur, non causam esse indicatam, sed euentum. Hoc ipsum ex Athanasio vetustioribusque habuit. Nam fuerunt o-

lim, qui nulla alia de cauſa etiam illa quæ in Euangelio facta leguntur facta crediderunt, niſi vt ſcripturæ implerentur. Longa ſed docta & plane Theologica eſt oratio hac de re apud Athanaſium de paſſione & cruce. *Multi*, inquit, *incidunt in Euangelia, & audientes illa verba: Vt impleretur ſcriptura, arbitrati ſunt, ea quæ facta ſunt, nullam ob aliam cauſam facta, quam vt implerentur ſcripturæ.*

Hinc vero in alium errorem inciderunt, καὶ ἐκ τούτων ὠήθησαν μὴ μόνον ἀναιτίους εἶναι τοὺς πεπτωκότας, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἀξίους ἐπαίνου, ὅτι οὐχ ὡς ἁμαρτάνοντες, ἀλλὰ ὡς ὑπακούοντες τοῖς γεγραμμένοις ἐνεργοῦσι. *Atq; ex eo existimarunt, non modo innoxios esse eos qui faciunt, sed potius laude dignos, vtpote, qui non peccantes, sed scripturæ seruientes operati sint. Nam sermones prophetarum veros non fuisse futuros, nisi ipsi ista fecissent.*

Pergit deinde tantam illam refutare amentiam. Non enim si auferas sermonem prophetæ mox credent. Respondet enim ille: *Caterum illa opinio multum abest à veritate, non enim propheta istiu auctor est, neq; Iudæi extra culpam istius incredulitatis consistunt, sed prophe-*
Prophetia non tollit liberum arbitrium.
ta ea quæ ipsi facturi essent prospiciens futura esse denunciauit. Illiq; idipsum postea opere executi verum esse sermonem prophetæ declarauerunt. Neq; vt inseruientes propheticis verbis ista contra Christum ausi sunt, sed suo ipsimet studio, sponte volentesq; illa perpetrarunt, vt non propheta istarum rerum sit causa, aut auctor, sed ipsorum voluntas, quin potius ipsi in causa fuerunt: vt talia de ipsis prophetæ diuinarent. Siquidem prophetæ proprium est, futura prospicere, & in eo non hallucinari. Hominum autem proprie est agere, quod volunt. Et sicut oculis contuentes in contuendo non fallimur, neq; aliter videmus, & aliter res agitur: sed vt agitur videmus, & vt videmus, agitur. Ita quoq; prophetæ futura & præsentia videbant, verum quæ cernebant, oportebat fieri, & quæ fiebant, non poterant non videre. Rursum vt ea quæ nostris oculis videmus, necesse est esse, cum ea quæ sunt, sub aspectum veniant: neq; fieri potest, vt aliter sint, quam à nobis videntur: ita quoq; quæ à prophetis prospiciebantur, necessarium erat ea esse, neq; fieri poterat, vt aliter essent, quam ipsi præuiderant. Nam si ea quæ fiunt, non præuiderent, prophetæ non essent.

Concludit autem neruoso, & veriſſimo dicto diſputationem, quo Auguſtinus aliique vſi ſunt. οὐ γὰρ ἐπειδὴ γέγραπται δι' τοῦτο, ἦ ἀπέβαινον, ἀλλ' ὅτι ἐγίνετο πάντως, δι' τοῦτο καὶ προεῤῥέθη. *Non enim quia scriptæ sunt, idcirco euenerunt; sed quia omnino futura erant, ideo prædicta sunt.*

Alij idem interpretantur de euentuum certitudine: ita enim euenisse, ac ſi ad prophetiæ veritatem ſignificandam fieri debuerit. Vel non magis eos credidiſſe, quam ſi ob prophetiam fuiſſent impediti.

QVÆSTIO II.

Quod brachium Domini?

§. 1. EVſebius l. 3. de demonſtratione Euangelica c. 2. Chriſtum dominum fuiſſe interpretatur.
Chriſtus brachium.
Hoc ipſum ex S. Athanaſii l. de communi eſſentia patris, &c. ſumpſiſſe videtur. εἰκότως, inquit Athanaſius, οὖν ὁ προφήτης ἔλεγεν ὁκ προσώπῳ θεοῦ, καὶ τὸ σωτήριόν μου ὡς λαμπὰς καυθήσεται, καὶ εἰς τὸν βραχίονά μου ἔθνη ἐλπιοῦσι. βραχίονα γὰρ τὸν πατρὸς καλεῖ τὸν μονογενῆ, βραχίονα δ' οὐχ ὡς μέρος θεότητος, καλεῖ, ἀλλ' ὡς τῆς ἴσης συνημμένον. *Merito igitur propheta dixit ex persona Dei. Salutare meum, vt lampas ardebit, & in brachium meum gentes sperabunt, brachium enim patris vocat, vnigenitum, brachium, non vt partem deitatis vocat, sed vt substantiæ coniunctum.* Nam brachium eſt eiuſdem naturæ, cuius homo eſt; non autem brachium hic vt pars dici poteſt, cum deitas non habeat partes.

Quamuis ergo in ſcriptura brachium domini ſoleat vocari potentia, hic tamen apud prophetam de filio, qui eſt patris potentia accipitur: Etenim diuina potentia hiſce, qui ſuperbe brachium contemnebant reuelata fuit. Nam Hebræum זרוע à ſpargendo, ventilando dici videtur, ita vocare ſolent, robur & vires, quod latini dicere ſolent lacertos, armos etiam beſtiarum ſic nominant. Deut. 33. 20. *cepitq; brachium, & verticem*, Sic Pſal. 98. Num. 6. 19. Solet vero redemptio tribui brachio domini, quocirca Chriſtum redemptorem vocant brachium domini. Deut. 7. 19. Viderunt Ægyptij, &c. *brachium extentum*, זרוע נטויה & *brachium extentum*, domini exertam virtutem: Chriſtus autem ex Ægypto filios Dei eduxit. Et Exod. 6. 6. *redimam vos in brachio extento.* Sic 2. Reg. 1. 10. Iſa. 30. 30. Exod. 15. 16. Ezech. 4. 7. Iſa. 63. 5. Pſal. 18. 35. Zach. 11. 17. Iſa. 33. 2. Ierem. 48. 25.

§. 2. Sabellius hoc loco abuſus eſt, vt vnam patris & filij hypoſtaſin probaret. Totius enim hominis, & brachij, quæ pars eſt, vna eſt hypoſtaſis. Quanto rectius, ſi verba aucupari fas eſſet, inde diſtinctionem aliquam confeciſſet: aliud enim eſt brachium, aliud homo. Pars in toto eſt, non ipſa totum eſt. Auguſtinus tractatu 53. etiam Dei filium dicit brachium. *Vbi satis ostendit, brachium domini filium Dei nuncupatum, non quod Deus pater figura carnis determinetur humana, eique filius tanquam membrum corporis hæreat, sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium domini dictum est. Sicut enim tuum brachium per quod operaris, sic Dei brachium, dictum est eius verbum, quia per verbum mundum operatus est.* Sabellius.

Brachium ergo, vt Auguſtinus, Beda, Rupertus, Dei potentia, & vt Athanaſius, aliique, Chriſtus, qui vt eſt ſapientia patris ita & potentia.

VERSVS 39. 40.

Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.

QVÆSTIO I.

Quomodo excæcati fuerint?

§. 1. BLaſphemia nimium hodie eſt vulgaris, qua Deo agenti, & cogenti excæcationem Libertini & Caluiniani tribuunt. Nec enim deſertionem, nec ſolam permiſſionem concedunt, ſed actionem requirunt Dei excæcantis, ἀσύστατον *est*, inquit Pareus, *verba activa significare permissionem, sunt enim secundæ, & tertiæ coniugationis.* Imo ipſe horrendo modo Iudæos hos excuſat. Non magis ait in hominum poteſtate eſſe contumaciam repellere, quam latronis non agi in crucem. Quod ſi eſt verum, ſine culpa contumaces ſunt, nam etſi non ſine culpa latro in crucem agitur, non tamen in crucem agi culpa eſt.

Nec ad rem facit, quod Pareus ait id fieri cum excæcatio peccatorum præcedentium eſt. Nam cum pœna infligitur, rationem peccati non habet, eſt enim coacta, at falſum eſt, hoc ſentire Caluinum, & cæteros Caluinianos, objicit Pareus contra quem demonſtraui eas impias ſententias eſſe ipſius beſtiæ, & ſymſtatum eius. Nunc alia quædam loca adferam. Beza contra Caſtalionem Dei omnipotentiam poſſe conſiſtere negat, niſi peccata velit. *Si est in Deo quadam simplex permissio peccatorum, non est Deus omnipotens; sed Deus Epicuri, ociosus, ignauus, & improuidus.*

Et Caluinus lib. 3. cap. 24. §. 6. contendit, non nu-

da Dei

da Dei præscientia, & permissu, sed nutu omnia fieri. Et l. 3. c. 23. §. 7. & 8. Decretum à Deo vt periret Adam. Imo Dei ordinatione hominem sibi accersisse interitum, & com. in 1. ad Rom. & in c. 9. Tractatus scripserunt contra hæc non modo Catholici, sed Lutherani quoque, Philippus Nicolai, Ioachimus Westphalus, Brentius, Iacobus Andreæ, Heshusius, Grawerus, Hunnius. Imo doctiores Caluiniani toto Belgio, qui exilio certamina sua luerunt.

Blasphemiæ Caluinianæ.

§. 2. Plane autem audacis est impudentiæ, nunc demum id negari, cum non modo libri exstent, sed cum olim Petrus Vermilius Zwinglianus in l. 2. Regum cap. 6. eum refutarit, *Caluini illas blasphemias appellet execrandas, libertinas, abominandas, sacrilegas, & plane diabolicas.* Quid quod Bernates anno D. 1554. libellos Caluini tam horrenda, & humano generi perniciosa continentes proscripserint, laceratione & flammis adiudicarint. Certe totus orbis tum intellexit, Caluinum impia dogmata tueri, sed arte satanæ factum est, vt quamuis primo aspectu mouerentur rei atrocitate, postea tamen quasi non imputaretur, neglexerunt.

Caluini libri damnati ab Zwinglianis.

Isaiæ 10. 9. *Mandabo ei vt auferat spolia.* Omnia eo loco flagitia, & facinora in Deum transcribit. Libertinos ista docere non negat, sed mirum in modum eos exagitat. Libro contra Libertinos cap. 4. *Oculis ipsis intueor, impuros istos, atq; impudentes, nobis, id etiam ignorantibus, quasi lenonibus vti, vt miseras animas corrumpant.* Nimirum Caluiniani horrendum illud Barathri prostibulum in lupanari suo conseruant; Martinum Bucerum in Christo sibi venerabilem fratrem, facillime eam Libertinorum doctrinâ comprobasse refert.

§. 3. Pareus contra Bell. l. 1. de amiss. gratiæ, & statu peccati cap. 14. Mollius loqui videtur, sed tamen rem ipsam Libertinorum agit. Pag. 371. Hæc habet: » [Quod Deus neminem excæcet, induret positiue, » hoc est, ex vidente cæcum; ex molli durum efficiat, » verum est: Quod verum in excæcatione, induratione » ne impiorum nihil positiue operetur, sed sit ociosus » spectator, permissor, est falsum. In pœnis enim inflgendis Deus positiue totum agit, quia agit, vt iudex. » At excæcatio, indurato vbique in scripturis singulatem pœnam peccatorum designat, &c. Ergo in his aliquid positiue egit Deus. Negatiue enim excæcare est » non excæcare, quod directe est contra scripturam & » falsum.] Permissionem sufficere negat, licet fateatur esse communem sententiam patrum.

Verum nusquam scriptura dicit: Deum positiue indurare, excæcare. Negatiue indurare, excæcare, non est simpliciter non excæcare, sed nõ excæcare efficiendo cæcitatem, sed excæcare permittendo non illuminando. Augustinus excæcationem hanc desertione gratiæ fieri multis locis docet. de natura & gratia c. 22. *Materiam peccati dicit esse vindictam si ad hoc peccator infirmatus est, vt plura peccaret, nec cogitat præuaricatorem legis, quem digne lux deserat veritatis. Qua desertus vtique sit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusq; non surgat. Hanc fieri pœnam dicit, deserente luce sapientiæ.*

§. 4. Soboles Marcionitarum sunt Caluiniani, illi Deum veteris testamenti auctorem peccati constituerunt, ex eo quod Pharaonem indurarit. Respondet l. 4. c. 48. Irenæus, non aliter Deum veteris testamenti indurasse, quam Deus noui testamenti excæcauerit. *Vnus enim, inquit, & idem Deus, his quidem, qui non credunt, sed nullificant eum, infert cæcitatem. Quemadmodum sol, qui est creatura eius, his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt, contemplari lumen eius; his autem, qui credunt ei: & sequuntur eum, pleniorem, & maiorem illuminationem, mentis præstat. Secundum hunc igitur sermonem, & apostolus ait, in secunda ad Corinthios. In quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vti non fulgeat illumina-*

non sibi credentes ergo.

tio Euangelij gloriæ Christi. Et iterum in ea, quæ est ad Romanos, &c. Deinde fiat excæcatio, describit. Si igitur & nunc, & quotquot scit, non credituros Deus, cum sit omnium præcognitor, tradidit Deus infidelitati eorum, & auertit faciem ab huiusmodi, relinquens eos in tenebris, quas sibi ipsi elegerunt.

Similitudo solis, & relictio in tenebris, quas ipsi elegerunt, non illuminatio, longe sunt remota à positiua Libertinorum, & coactiua Zwinglij excæcatione. Eodem modo Tertullianus l. 2. contra Marcionem occurrit eidem errori. Et Archelaus Mesopotamienus Episcopus apud Cyrillum catech. 6. Augustinus de prædestinatione, & gratia c. 15. de prædest. sanctorum c. 8. de gratia & l. b. arbit. c. 21. 22. 23.

QVÆSTIO II.

Cur non poterant credere?

§. 1. PArticula *propterea* euentum significat, non causam, vt supra indicaui, alij adeo non credidisse, vt viderentur, non potuisse credere, quia hoc Isaias prædixit. Ita Maldonatus. Bellarminus negat ideo semper adesse gratiam conuersionis. Notant alij ideo credere non potuisse, quod excæcati essent: non quod prædictum esset, non credituros.

Caluinus audâcter in Deum causam transcribit, cur credere non potuerint. [Hic non tam præscientiæ « Dei, quam iudicij & vindictæ habenda est ratio. Neq; « enim Deus quid è cœlo speculetur, facturos esse ho- « mines; sed quid ipse facturus sit pronunciat; nempe « quod stupore, & vertigine percutiet impios: vt de i- « psorum malitia vltionem sumat, nam hic notatur cau- « sa propinqua & inferior, cur verbum suum quod na- « tura salutare est, Deus exitiale Iudæis ac mortiferum « esse velit: nempe quod sua malitia ita meriti essent. « Hanc pœnam ipsis impossibile fuit effugere, quam se- « mel Deo statutum esset, ipsos in reprobum sensum « conijcere, & verbi sui lucem illis vertere in tenebras.] «

Hinc coacta illa peccandi necessitas, quam sæpe Zwinglius inculcat, cum dicit Deum mouere latronem, ad facinora, vt in crucem agatur, de quo egi in idolo Caluiniano, pag. 251.

Plane horrenda contra Dei bonitatem blasphemia. Flecti illa non possunt, frangenda sunt. Vide eadem pagina eadem.

§. 2. Gregorius Nazianzenus sex modis, quibus aliquid posse aut non posse fieri dicitur, proponit, eum recentiores fere secuti sunt.

Nazianzenum secutus est Chrysostomus. ἰδὲ πάλιν, ὅτι καὶ εἶπεν, οὐχὶ αἰτιολογίας, ἀλλ' ἐκβάσεως. οὐχὰρ ἐπειδὴ εἶπεν ἡσαΐας, οὐκ ὤπίστευσαν. ἀλλ' ἐπειδὴ οὐκ ἔμελλον πιστεύειν, διὰ τοῦτο εἶπεν ἡσαΐας. *Ecce iterum, quia & dixit, non causam, sed euentum significat, non enim quia dixit Isaias, non crediderunt, sed quia crediturî non erant, ideo dixit Isaias.* Quod autem dixit *non potuerunt*, ipse significare voluisse ait, τὸ τῆς γραφῆς ἀψευδές, *scripturæ certitudinem.*

Non poterant igitur, quia nolebant. Quod adeo vsitatum fuit tractatoribus, vt ipse etiam Zwinglius hunc locum ad Borborianam suam mephitin torquere ausus non sit. [Cùm autem dixit: (*verba Zvvinglij* « *sunt*) non possunt credere, idem est, ac si dixisset; non « voluerunt credere, sic enim mos est loquendi: non « possum inquit aliquis, hominem istũ diligere. Id est, « non volo. Non potuerunt filij Israel Chanænæum eij- « cere, id est, non voluerunt, propter ignauiam, secor- « diam aut metum.] Ita ille vt posteris demeret occa- « sionem blasphemandi, si sequi eum bene aliquando docentem vellent.

Concludam sententia Augustini. *Quæ sequuntur: dicitur enim nobis, si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis, quod non potest facere? Si autem non credendo peccauerunt, potuerunt ergo credere, & non fecerunt. Si ergo potuerunt quomodo dicit Euangelium, propterea non*

poterunt credere, quia iterum dicit Esaias, excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. Vt (quod est grauius) ad Deum referatur causa qua non crediderunt: quandoquidem ipse excæcauit oculos eorum. Non enim saltem hoc de diabolo dicitur, sed de Deo quod ipsa prophetica scriptura testatur. Nam si arbitremur hoc dictum de diabolo, quod excæcauit oculos eorum, & cor indurauit, laborandum est, quomodo illorum culpam, quia non crediderunt, possimus ostendere de quibus dicitur, non poterant credere. Deinde quid respondebimus de alio propheta ipsius testimonio, quod posuit Paulus Apostolus dicens, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant vsq; in hodiernum diem? Audistis fratres mei propositam quæstionem, nempe quam profunda sit cernitis: sed respondemus vt possumus. Non poterant credere, quia hoc Esaias propheta prædixit: hoc autem propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit. Quare autem non poterant, si à me quaratur, cito respondeo, quia nolebant, malam quippe eorum voluntatem præuidit Deus, & per prophetam prænuntiauit ille cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquis, dicit propheta, non voluntatis eorum, quam causam dicit propheta? Quia dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, aures vt non audiant, & excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excæcat, sic obdurat Deus deserendo, non adiuuando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest. Hoc omnino pietas religiosorum inconcussum debet inuiolatumq; seruare, sicut Apostolus dicit cum eandem ipsam tractaret difficillimam quæstionem. Quid ergo dicemus? inquit; Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Si ergo absit vt sit iniquitas apud Deum, siue quando adiuuat, misericorditer facit, siue quando non adiuuat, iuste facit: quia omnia non temeritate, sed iudicio facit. Porro si iudicia sanctorum iusta sunt, quanto magis sanctificantis & iustificantis Dei? Iusta ergo sunt, sed occulta. Ideo cum quæstiones huiusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic: quare ille Deo deserente excæcetur, ille Deo iuuante illuminetur, non nobis iudicium de iudicio tanti iudicis vsurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? vnde dictum est in Psalmo, Iudicia tua abyssus multa. Non ergo me fratres ad hanc penetrandam altitudinem, ad hanc abyssum discutiendam, ad inscrutabilia perscrutanda, expectatio vestra charitatis impingat.

QVÆSTIO III.

Quando hæc dixit Isaias?

§. 1. CVm videret gloriam eius, & loqueretur de eo. Controuertunt tamen auctores ad quem referantur, pronomina *eius*, & *eo*, ad Patrem, an Filium? Et certe si omnia consideremus, aliud concludere non possumus, quam de Christo Euangelistam loqui. De eo enim ante dixerat; non credebant in eum, & subiungit, multos exp incipibus credidisse in eum. Causa autem non erat, vt de patre diceret, gloriam eius ab Isaia visam, de eo enim dubium nulli erat. At Christi diuinitatem nobis certo argumento significare voluit; nam Deus erat cuius gloriam vidit Isaias c. 6. 1. *In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub erant, replebant templum, Seraphim stabant super illud. Deinde dicitur sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.*

Spiritus Deus.

Christi gloriam vidit prophetes, Deus igitur Christus. Paulus Actor. 28. 27. Spiritum sanctum locutum esse ait, ex quo etiam illius diuinitas colligitur. Athanasius de communi essentia Patris & Filij. Apparuerunt ergo in illa visione filius, & Spiritus sanctus. Hoc est tota Trinitas, & ideo angeli ter repetunt, sanctus, sanctus, sanctus. Nec est excludendus pater; nam non minus apparere ille quam aliæ personæ debuit. Quod Hilarius lib. 5. de Trin. Tertullian. aduersus Praxean, Ambros. in 1. Luc. putant non apparuisse in veteri testamento, forte eo sensu dixerunt, quod pater sicut per filium redemit, ita per eum etiam prophetas erudierit, quadam appropriatione, non autem, quod non gloria patris simul etiam conspecta sit.

VERSVS 43.

Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.

QVÆSTIO I.

An verè principes, & qua fide crediderint?

§. 1. PRincipes in Christum credebant, sed qui suæ existimationis, & auctoritatis tenaces erant, publice fidem non confitebantur, ne cum dedecore è synagoga ejicerentur; amabant enim magis gloriam quæ ab hominibus datur, quam quæ est à Deo. Qua ex re luculentum habemus testimonium, quo probamus à caritate posse fidem separari. Credebant in Christum, sed metu ignominiæ, fidem celabant, Ita Bellarminus lib. 1. cap. 15. de iustificatione. Respondet Pareus, veram eos fidem, & iustificantem habuisse, nec propter confessionis omissionem caritate priuatos. Veram fuisse igitur fidem concedit. Negat principes dilectione caruisse. [Crediderunt, *inquit p. 243. de iustif. lib. 1. cap. 15.* enim in Christum: Igitur non fuerunt hostes, sed amici Christi. Dilectionem igitur Christi aliquam habuerunt. Duo vero illa, quod dicuntur metu excommunicationis, Christum non confessi, & magis dilexisse gloriam hominum, quam Dei, non magis dilectioni, quam fidei eorum derogant. Docent quidem fidem eorum non fuisse vegetam, validam, de qua dicitur: Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem: Non docent vero fidem eorum fuisse nullam, vel euanidam, & mortuam: sed fuisse ægram, infirmam, inualidam, vt eam vocat Cyrillus, quæ nihilominus vera esse potuit. Sicut enim verus homo variis morbis est obnoxius, salua sua essentia, sed non saluis actionibus vitalibus: sic vera fides non raro variis conflictatur morbis, saluo habitu, non saluis actibus.] Exempla Dauidis, Petri, Nicodemi adducit, & ex horum numero principes fuisse dicit.

Nec modo fidem mansisse veram, sed etiam dilectionem affirmat, sed fuisse infirmatam, non enim dicit, non dilexisse gloriam Dei, sed magis dilexisse gloriam hominum, probat hoc auctoritate Bucri.

Principum peccatum.

Respndeo. Principes illos qui magis dilexerunt gloriam hominum, quam Dei, adeo, vt præponerent illam diuinæ, grauiter peccasse, & quidem contra caritatem, quia taciturnitate obstabant cæteris. Nicodemus quidem noctu venit ad Christum, postea tamen & pro domino locutus est, & non consensit actibus eorum. Occultus potest esse quispiam Christi discipulus, verum si eo nomine ne gloriam hominum amittat, si humanæ laudis appetitu diuinam fastidit, excusari non potest. Quod exemplo Dauidis Bethsabeam rapientis, & Petri negantis principum caritatem probatur; tantum abest, vt fidem mereatur, vt potius contrarium consequatur. Nam & Dauid stupro, & innocentis sanguine oblitus caritate exciderat, & Petrus negando, ac peierando iustitiam perdiderat, fidem tenebat. Quod si Dauid in tantis flagitiis caritatem & iustitiam retinuit, nullum scelus facere iniustum potest credentem. Verum Pareus à suo patriarcha Caluino luculenter refutatur. [Quod nulla, « *inquit*, istis iniecta fuerit superstitio, sed solum apud « homi-

„ homines probrum fugitarint, disertè exprimit Euangelista. Nam si plus apud eos valuit ambitio, quam timor Dei, sequitur inani conscientiæ metu fuisse liberatos. Quid magis præposterum, imo quid magis ludicrum est, quam Dei iudicio, friuolos hominum applausus præferre? Hinc ergo mollities, quæ nos ad perfidam simulationem diffluere facit, quod in mundi aspectu omnes sensus nostri hebescunt: nam sincerus Dei aspectus, statim omnes opum, & honorum fumos discuteret. Eant nunc, quibus leue aliquod, & veniale delictum videtur esse, obliqua Christi negatio; cum ex aduerso pronunciet Spiritus. fœdius hoc portentum esse, quam si cœlum terræ misceatur. addit vero. Ergo intelligit Euangelista, ita mundo addictos fuisse istos, vt hominibus, quam Deo, placere mallent.]

Caluinus abnegationem esse grave delictum.

Negat Caluinus veniale delictum esse. At si mortale erat, non igitur in illis charitas erat. Augustinus illos proficisse negat; nam si proficerent, etiam superaturos fuisse illam vanitatem affirmat.

§. 2. Caluinus contra excommunicationem Pontificis, quâ hæretici solent percelli solatium conquirit. Quasi idcirco tyrannica sint illa fulmina, quia Pharisæorum excommunicatio iniqua, & sæua erat.

Excommunicatio Papæ.

Non erat illa par Pontificiæ. Illi excommunicabant Christum confitentes; Papa negantes. Causa diuersa est, ideo comparari non debent effectus. Quod si vspiam inane terriculamentum est excommunicatio, apud Caluinianos est. quod illorum conciliabulo eiici, magna pars est felicitatis. Verum hoc quasi per transennam. ad Principum fidem redeo, quos Bullingerus etiam damnat. *Christus disertè dicit: qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Matthæi cap. 10. vers. 33. Et Brentius, Vanos & infelices vocat, ad ignominiam tendentes. Caluinus etiam obliquam vocat negationem, dum enim inimicis Christi communicarent, & separationem horrerent, hoc ipso ostendebant se à Christo alienos.

VERSVS 44.

Iesus autem clamauit, & dixit, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.

QVÆSTIO I.

In quem credat, qui in Christum credit?

In Christi credere homo non desinit esse.

§. 1. NOn est in ipsis verbis aliqua pugna. Hoc enim duntaxat dicitur. Eum qui in Christum credit: non in eum duntaxat credere, nō in hominem aliquem, sed in eum qui misit ipsum. Gloriosam esse itaq; non infamem confessionem, vt quæ sit ipsorum angelorum, atq; adeo fuerit omnium prophetarum. Qui ergo in Christum credit, in eū credit, & in Deum Patrem, & Spiritum sanctum, non in hominem solum. Creditur autem in eum, vt Deum, non creditur ei duntaxat, vt legato Dei, vt notant Ambrosius, Augustinus, Leontius. Ipse enim & Pater vnum sunt, quocirca, qui in eum credit, ille & in Patrem credit. Augustinus serm. 53. de verbis Domini. Friuola itaque erat obiectio quorundam apud Ambrosium lib. 5. de fide, cap. 5. non esse in Christum credendum: ipsum enim dixisse, qui credit in me, non in me credit. Non enim negat in se credi, sed non in se solum, sed in Deum Patrem etiam. vt cum dixit: Qui vos audit, me audit. Augustinus de bono perseuerantiæ cap. 4. In Christum ergo qui credit, in hominem verū & Deum verum credit, ideoque in totum Deum, totam Trinitatem, quæ est fidei obiectum, non in hominem duntaxat. Pari modo qui videt Christum, videt & eum qui misit. Vnus est enim Deus, & natura non separabilis. Athanasius contra Sabellii Gregales. & oratione 5. contra Arianos.

Tribus modis Christus videtur.

§. 2. Tribus modis Christus videri potest, ideoque & tribus illis modis explicari verba, quæ sunt præ manibus, possunt. Videtur in æterna gloria Christi diuinitas & humanitas clarissimè facie ad faciem à beatis Angelis, & animabus. Cum autem in euidentissimo illo diuinitatis intuitu impossibile sit vnam pernam absque aliâ cognoscere, quod in eadem essentiâ conueniant, necesse est, eum qui Dei conspectu fruitur, omnes simul personas, atque adeo totam Trinitatem intueri. Argumentum itaque maius est, & diuinius, quam primâ fronte videatur. Probat enim eum qui in se credat, etiam in Patrem credere: nam & qui Christum vident Angeli, Patrem simul necessario vident. Itaque vera in Christum fides in personas illas tendit, in quas beata visio, nec separat quas illa coniungit; hoc est tum populus ille minus percepit, non tamen frustra dictum est, cum Christus non pauculos Iudæos, sed totam omnium sæculorum Ecclesiam instruxerit. Confirmat hoc verbum θεωρῶν, quod de rerum diuinarum contemplatione accipi consueuit. Alio modo videtur, & CHRISTVS, & videtur is, qui misit per fidem. Sic Ambrosius lib. 5. de fide capit. 5. Chrysostomus atque alii interpretantur. atque hoc modo non probatio, sed exegesis esset illius, quod superiore versu dixerat. *Qui credit in me*, &c.

Toletus Cardinalis de visione corporeâ intelligit. Qui enim oculis Christum intuetur, hominem quidem cernit, sed tamen & Deum videt, quia Deus est ille, quem videt homo. Quia vero etiam coniuncta est cum illo Deitas Patris atque essentia, Patrem etiam videt. Nec obstat non videri ipsam Deitatem: nam in homine, nec animam, nec substantiam corporis, sed colores, figuram, & lineamenta duntaxat cernimus, & hominem tamen videre nos dicimus. Mihi Dominus de fide loqui videtur, & sua diuinitate, horratur enim eos, vt qui se vident, in se credunt id sine metu & pudore confiteantur, quandoquidem non in hominem mortalem fides, & spes eorum recumbit, sed in Deum æternum, cuius veritatem supprimere graue plane scelus est.

VERSVS 45. 46.

Et qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni: vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

QVÆSTIO I.

Cur in mundum venit?

§. 1. NE in tenebris maneant, qui in eum credunt. Vniuersum igitur mundum caligo occupauit, nec vlla lux est, nisi in credentibus, sine luce illa impossibile est placere Deo. Frustra igitur extra veram fidem salus quæritur. Athanasius orat. 3. & 4. contra Arianos demonstrat hanc lucem esse verbum, & filium Dei, mundi conditorem. Quod ex eo etiam deducitur: quod venisse se cum dicat, antequam veniret, fuisse necesse sit.

VERSVS 47.

Et si quis audierit verba mea, & non custodierit: ego non iudico eum: non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum.

QVÆSTIO I.

An non sit Christus iudicaturus?

§. 1. QVod noster interpres habet. *Non custodierit*, φυλάξῃ, in Græcis variant exemplaria; nam multa habent, μὴ πιστεύσῃ, *non crediderit*. Latina lectio constans est, ideoque præferenda. Quod vero negat, se eum iudicaturum, non abdicat se potestate omnes iudicandi, sed nunc tempore existimationis negat se venisse vt Iudicem, sed vt Saluatorem. Hinc etiam Athanasius probat. Verbum esse Dei filium. orat. 5. contra Arianos. *Forsitan igitur impudentissimè dixerint, non Filij, sed verbi hanc vocem esse, Atque ex superibus dictis clarum est, Filium fuisse, qui ista loqueretur. Cum enim hic dicat, non veni iudicare mundum, sed seruare, in confesso est, non alium esse, quam vnigenitum Filium Dei. Dicit enim superius Ioannes: Ita Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum traderet, vt quisquis in eum credat, non pereat, sed habeat vitam æternam; non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt seruetur mundus per ipsum: qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: eo quod non crediderit in nomen vnigeniti Filij Dei. Hoc autem iudicium est, quoniam lux venit in mundum, & homines dilexerunt magis tenebras, quam lucem, erant enim opera eorum mala. Si is, qui dixit, non venit vt iudicem mundum sed vt seruem, is autem qui venit in mundum seruet non vt eum iudicet, Filius est Dei vnigenitus: manifestum est eundem esse filium, qui dicit: Qui vidit me videt & eum qui misit me.*

Messias Iudex mundi.

§. 2. Quorsum illa verba CHRISTVS attulerit, non indicant auctores. Nihil enim ad institutum facere videtur, quod dicit, se iudicaturum: vt res penitus intelligatur, sciendum Iudæos ex Scripturis certò collegisse Messiam esse mundum iudicaturum. Nam in vetusta expositione Geneseos, quam magnã appellant. in cap. quadragesimum nonum. Vbi dicitur, *Donec veniat Silo.* Explicatur his verbis. *Hic est Messias, & ad eum aggregabunt se gentes. Quia ipse erit iudicans vniuersum mundum. Et hoc ipsum est, quod scribitur Michææ cap. 4. Et iudicabit inter populos multos, & arguet gentes fortes.* Et apud Isaiam 9. *Et iudicabit in iustitiã pauperes, & arguet in æquitate mansuetis terræ. & percutiet terram virga oris sui. & Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Ita eorum interpretes, qui etiam verba Danielis 7. huc accommodant, vt ex R. Iehosua docent, R. Abraham, & R. Selomo, & in Midras Tehillin, expositione Psalmorum. *Simile hoc est filiis hominum, qui venientes ad iudicium apud Tribunal, pertimescebant iudicium, dictumque est illis. Ne timeatis, neque grauetur cor vestrum. Sic enim est futurum, vt Israel stet in iudicio, coram Deo sancto, & benedicto, & ipsi quidem pertimescent; Angeli vero ministerij dicent eis. Ne timeatis, neque paueatis, neque terreamini. Filius quippe ciuitatis vestræ est. Sicut dicitur Isaiæ cap. 45. Ipse ædificabit ciuitatem, & captiuitatem meam emittet. Iterum dicens, ne timeatis iudicium meum. Nonne cognoscitis eum, quia propinquius est.* vt dictum Psal. 149.

Hoc non esse tempus iudicij.

Cum igitur ista Iudæis nota essent, & Christus dixisset, Nunc est iudicium huius mundi, se omnia ad seipsum esse tracturum, modico tempore eos lucem habituros, mansuros in tenebris, qui in se non crederent. Putabant iudicium mox futurum; nam videmus etiam Apostolos secundum Christi aduentum cum primo iunxisse. Ne igitur ea in re errarent, putarentque eos qui non crederent continuo Dei iudicio conterendos; aut si id viderent non fieri, de Messia dubitandi occasionem haberent, diserte monet, se nunc non venisse iudicatum, sed saluatum mundum. Periculum enim erat, vt impii piis, & fidelibus insultarent, ac subsannarent, quod nullas suæ infidelitatis pœnas penderent, cum interim fideles cum maximis calamitatibus conflictarentur.

VERSVS 48.

Qui spernit me, & non accipit verba mea: habet qui iudicet eum: sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.

QVÆSTIO I.

Quomodo sermo sit iudicaturus?

§. 1. INfidelium proteruiæ occurrit. Etsi, inquit, nunc ego iudicandi & vlciscendi potestate non vtar. non tamen impune lasciuiet eorum insolentia, qui verba mea contemnunt. Iudicabuntur in nouissimo. Sermo quem locutus sum ille iudicabit. Sermo enim habet causam, & argumentum eos damnandi. Hinc apparet vers. 47. legendum negatiuè, *non custodierit.* non affirmatiue, vt Nouatiani, & Ambrosius legunt: agitur enim de infidelibus. Sensus igitur clarus est. Impios & incredulos sermo ipse, Euangelium ipsum, quod ex Prophetis probaui, quod miraculis confirmaui, quod sanctissimam doctrinam continet condemnabit, non pronunciando sententiam, sed ostendendo eorum scelera, & quæ illis pœna debeatur. Quemadmodum leges dicuntur damnare reum, quæ in eas commisit, & lege agere dicitur, qui crimen vlciscitur. Cum ergo veram doctrinam ferre nolint, tum dæmum apparebit, quantum bonum neglexerint, quantum malum secuti sint. Consule Augustinum lib. 1. cap. 12. de Trinitate. *Sermo damnat.*

VERSVS 49.50.

Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

QVÆSTIO I.

An mandatum à Patre acceperit?

§. 1. QVidam negarunt. Patrem Filio quicquam mandasse, sed mandatum nihil aliud esse, quam eius cum Patre consentientem voluntatem: Verum cum toties de mandato agat, & obediens fuerit, non est dicendum mandatum non habuisse secundum formam serui, cuius est præceptis Domini obtemperare. *Mandatum habuit secundum formam serui.*

Minatur itaque iudicium, quoniam à seipso non loqui-

loquitur, non ex humana voluntate, cuius minas facile superbi contemnerent, sed Dei mandato illa proferre. Eum & veracem esse, & ad vindictam capiendam fortem cuius manum nemo posset effugere. Ita Cyrillus aliique.

§. 2. Ariani cupide hæc omnia arripuerunt: vt diuinitate Dominum spoliarent. Si enim nihil à seipso loquitur, si omnia mandato Patris mittentis agit, non ipse igitur Dominus est, sed more aliorum legatorum ab imperio legantis dependere cogitur. Si autem DEVS est, à seipso, & propria auctoritate loquitur.

Vt Deus nõ accepit mãdatum.

Respondent Ambrosius lib. 5. de fide cap. 5. & Augustinus Tractat. 54. Etiam secundum Deitatem non loqui filium à seipso, non est enim à seipso, sed à Patre genitus. Quid ergo mirum est, si accepit ab alio, quod loquitur, si ab alio accepit, quod est? Mandatum autem naturam interpretatur. Mutuati videntur hoc ipsum ab Athanasio, dial. 1. contra Macedonianos. vbi concludit tres personas vnam esse essentiam: & ait ὧν ἡ αὐτὴ ἐνέργεια, ἡ αὐτὴ φύσις. *Quorum est eadem operatio, seu vis operandi, est eadem natura.* Quærit deinde Macedonianus, Quomodo igitur dictum est, non loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur? Respondet orthodoxus. Quia filius quoq; ait: Pater qui misit me, præcepit mihi quid dicam, aut quid loquar. Hoc vero vel maxime ostendit, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum eiusdem esse naturæ. Quærit Macedonianus; Quomodo? Respondet orthodoxus. Vnamquamque naturam rationalem ita factam esse, vt à seipsa loqui possit, & sæpe loquatur; aliam voluntatem habeat à Dei voluntate, Spiritum sanctum non habere: nec posse habere nisi diuinam.

Responsio altera est expeditior; non enim loquitur quicquam, nisi quod Pater præcepit, secundum humanam naturam: illam enim in omnibus, & per omnia regit diuinitas. Hoc ergo elogio Patrem vt Patrem honorat, quemadmodum eodem in dialogo Athanasius interpretatur. Nam ipsa humana natura rationalis, & liberæ voluntatis præcepti capax erat. Mandatum porro vocat vitam æternam, quod in eo sit vita æterna. Quemadmodum Christus iustitia dicitur, & redemptio.

CAPVT XIII.

ANTE diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 2. Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ: 3. Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: 4. Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se. 5. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. 6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi laues pedes? 7. Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. 8. Dicit ei Simon Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero, non habebis partem mecum. 9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos sed & manus, & caput. 10. Dicit ei Iesus: qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. 11. Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes. 12. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cum recubuisset iterum dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis? 13. Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis. sum etenim. 14. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. 15. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. 16. Amen amen dico vobis: Non est seruus maior Domino suo: neq; Apostolus maior est eo, qui misit illum. 17. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. 18. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim, sed vt adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. 19. A modo dico vobis priusquam fiat: vt cum factum fuerit, credatis, quia ego sum. 20. Amen, amen dico vobis. Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui misit me. 21. Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est Spiritu: & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia vnus ex vobis tradet me. 22. Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. 23. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. 24. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit? 25. Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine quis est? Respondit Iesus: ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. 27. Et post buccellam introiuit in eum Satanas. Et dixit ei Iesus: Quod facis, fac citius. 28. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. 29. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret. 30. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox. 31. Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo. 32. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuo clarificabit eum. 33. Filioli adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Iudæis: Quo ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modo. 34. Mandatum nouum do vobis: Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. 35. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. 36. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Iesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea. 37. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. 38. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

IN CA-

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM

ARGVMENTVM.

CHRISTVS insigni humilitatis exemplo pedes discipulorum lauat, ad idem officii genus alios hortatur, deinde turbatus Spiritu proditorem prædicit, & Ioanni indicat, Iudas acceptâ buccella, iam plenus Satana egreditur ad vendendum Dominum, qui postquam exiuit, Dominus hortatus est cæteros ad constantiam, filium hominis iam esse clarificatum, mandatum nouum dilectionis dat, & Petro lapsum suum prædicit.

In Syriacâ Ecclesiâ leguntur triginta primi versus in lotione secreta. Ita enim habetur: קריגא רשיגתא ארזניתא *keriana deschigata arzenitha*, *lectio in lotione secretâ.* Secretam autem appellant, non quod Christus eam tantam esse voluerit, cum Iudas fuerit conscius, nec domestici ignorauerint, à quibus peluim, linteum & aquam accepit, sed quod plenam mysterio iudicarent. Sic Daniel. 2. Et Psal. 25. Est etiam 13. Matthæi ארזא *araza*, *secretum.* Et 1. Ioan. 4. & Iud. 4. In rituali Seueri Patriarchæ pro mysteriis Synaxeos accipi solet. Quocirca etiam hic lotionem accipio pro ea quæ mysterium Eucharistiæ antecessit.

VERSVS 1.

Ante diem autem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

QVÆSTIO I.

Quomodo sciuerit Christus mortem?

§. 1. QVod noster interpres vertit: *ante diem festum*: in Græcis est, πρὸ ἑορτῆς, *ante festum.* eodem sensu. Horam cum omnibus circumstantiis sciebat diuina scientia ab æterno, humana autem à prima conceptione. De quare vide Cyrillum Theophylactum, cæterosque: quamuis de æterna notitia præcipuè intelligant. Videatur & Augustinus serm. 127. de tempore. Crebro ante sese faroribus sacerdotum subduxit, nondum enim erat hora eius. Nunc cum adest illa ipsa mortis à Patre constituta hora, ipse vltro se ad mortem comparat, vrbem ingreditur, seq; capientibus facilem offert.

Omnia præsciuit.

§. 2. Quamuis autem experimentali scientia profecerit, non tamen vlla vnquam laborauit ignorantia; nam quæ expertus est eadem ante experientiam perfectissimè norat. Quâ in re Caluinus, Beza, Iunius, Danæus vehementer errant. Cognouit quædam aliter, quam ante, sed non alia. à principio statim vnctus est; omniaque cognouit. Sed ea de dixi Lucæ cap. 2. vers. 40. & 54. Consulatur D. Thom. quæstio. 12. a. 2. in 3. p. Bellarminum libro 4. de Christo capit. 2. & 3. Præcipue Athanasium orat. 4. contra Arianos. Quod vero Damascenus ait, Christum πάντα τὰ φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη ἀνθρώπου suscepisse, non tamen ideo consequitur, nec ille existimat ignorantiam suscepisse.

Non ignorauit.

Nam illa cum est rei, quam posset homo scire, quamque consideratis omnibus circumstantiis scire deceret, multum de dignitate, & perfectione eius detrahit. vt explicat noster Gregorius de Valentia. T. 4. quæstio. 15. pag. 1. Iunius Agnoeticam illam Caluinianorum impietatem emollire se putat, cum vocat, nescientiam, noua voce veterem hæresin, vt vendibilior sit interpolans, negatque esse ignorationem priuatiuam, pure negatiuam appellat. At nos aliquam in Christo nescientiam esse non negamus: Sic vocabulo tantum significatur Deitatem minus perfecte ab humanitate, quam seipsa cognosci. Cum enim anima illius creata sit, finitaque, non potest Deum cognitione sua comprehendere. Verum nouorum Agnoetarum est alia ignorantiæ ratio, quam Christo attribuunt. Contendunt illi omnes infirmitates humanæ naturæ à Christo assumptas, quæ peccata propriè dicta non sunt. Ex illis quoque ignorantiam esse priuatiuam nemo est, qui nesciat. Hanc ergo in Christo esse affirmant, aut sane argumento, quod ipsos euertit, vtuntur. Ipse Danæus scientiam sectam, ignorantiam igitur præcessisse docet. Additque diuinam Christi naturam humanæ per gradus, & tempora dispensasse, quæ ad salutem humani generis erant necessaria cognitu, & factu. Itaque docent, in principio ne quidem ea sciuisse, quæ cognitu necessaria erant.

Nescientia Iunij.

§. 3. Danæus tantopere illam Christi ignorantiam prosequitur, vt nisi in illo reperiatur in diuinitatem putet migrasse humanitatem.

Atque etiam Lombardi sententiam deprauat, Quâ de re vide Cydonium nostrum in erudito opere, quo ipsum confutat, c. 13.

Respondeo. Argumento tam improbo Christi gloriam prorsus obscurari. Si enim idcirco non potest anima Christi à primo ortu extremum iudicii diem cognoscere, ne Deo æquaretur, & ex Lombardo æqualitatē inter Christi humanitatē, & deitatem illa scientia constituit, ideoque probatur Christi ignorantia, ne nunc quidem ad Patris dexteram residens, omnibus in eius potestatem datis, diem illum decretorium cognoscet, neque enim etiam nunc Deo est æqualis anima illius, quamuis beatissima. Neque Durandus, neque Lombardus dum negant CHRISTI Vbiquitatem, ignorantiam asserunt. Imo Danæus dum ex CHRISTI scientia Vbiquitatem se qui contendit, & ea quidem scientia, quam illi in glorioso statu concedit, veritatem prodit Vbiquitariis, qui Christi humanitati omni scientiam, omnipræsentiam, aliaque affingunt, quibus nouum Deum fabricent. Nos nec omnia quæ Deus nouit, nec ipsum Deum tanta perfectione cognoscere Christi animam dicimus, vt eum comprehendat: Denique actum, habitumque scientiæ, quæ in Christo est finitum dicimus, creatumque, ab actu cognitionis quæ in Deo est omnino distinctum. Ipse Hunnius vbi de persona Christi agit, capite de communicatione omni scientiæ, Vere Iudicii diem tradit ignorasse. in statu autem gloriæ, nihil ignorare eorum, quæ Deus nouit.

Anima Christum est Deus qualis.

Quâ

Quâ quidem in re grauius errant, naturarum confusione. Sed huius loci non est ista disputatio.

QVÆSTIO II.

Cur mortem appellat transitum?

§. 1. MOrtem etiam Philosophi, qui animarum crediderunt immortalitatem, transitum appellarunt, ita Plato θάνατον μετάβασιν nominat. Si in prima sua dignitate homo perstitisset, à vita temporali ad æternam sine morte transisset, subita corporis mortalis in immortale commutatione. Nunc in transitu iustorum difficultas inuenitur. Mors enim intercedit, corporumque dissolutio. At CHRISTI mors quam continuò resurrectio insecuta est, transitus potius quam mors dicenda fuit. Alludit etiam ad פסח *pesach*, Pascha, quod transitum significat. Augustin. Tractatu 55. *Vtique vt & ipsi de hoc mundo vbi erant, ad suum caput, quod hinc transisset, eius dilectione transirent: quid enim est, in finem, nisi in Christum?* Finis enim legis Christus, *ait Apostolus*, ad iustitiam omni credenti. *Finis perficiens non interficiens: finis quousque eamus, non vbi pereamus. Sic omnino intelligendum est*, Pascha nostrum immolatus est Christus. *Ipse est finis noster, in illum est transitus noster.*

Mors piorũ transitus.

Non igitur mors timenda est, quæ aditum ad regnum aperit, non magis quam egressus ex carcere, cum eo itinere dux, & legifer noster antecessit.

§. 2. Transitus indicat, non fuisse ante in cœlo apud Patrem secundum humanitatem. Nam quod fingit Hunnius lib. 1. de maiestate Christi. Christum esse illocali præsentia vbique. Id & falsum est, & ad rem non pertinet, stultum est enim, si dicere velit, ideo transire quod in cœlo ante non fuerit illocaliter, cum nullo modo fuerit.

Si enim eo modo quo Deus est vbique, illocaliter humanitas est vbique, ergo & in cœlo, & vbique assumebatur, & nascebatur, imo & æterna erat.

Quod vero eodem loco de illocalitate repetit, & modo Vbiquitatis, etiam absurdius est. Nam & illocaliter in cœlo & vbique assumeretur, nasceretur Christus secundùm humanitatem, & humana natura quæ cum tempore creata est, diuina æternitate donaretur.

Humanitas Christi non vbique.

Si ergo supra, citra, extra, vltra omnem locum est, non est dubium quin sit illocaliter infinita, vt si Angelum, ac animam supra, & extra omnem locum esse imaginemur. Etsi enim in illis corporum, aut quantitatum extensio nulla sit, Vbiquitas tamen illorum habet infinitatem, nulla enim re finitur. Itaque & in cœlo erat, & vbique.

QVÆSTIO III.

Quomodo in finem dilexit?

§. 1. CHrysostomus interpretatus est, εἰς τέλος, quasi dictum sit, τελείως, *perfectè*, & absolutè sine vllo penitus defectu. Cyrillus moriendo dilexisse vult, quod non sic intelligendum est, quasi postea diligere defierit; nam & post mortem dilexit, vt ex, ponit Augustinus. *Nam video*, inquit, *posse ista verba Euangelica quodam humano modo etiam sic accipi, tanquam vsque ad mortem Christus dilexerit suos, vt hoc videatur esse, in finem dilexit eos. Humana est hæc sententia, non diuina. neque enim nos hucusque ille dilexit, qui semper & sine fine nos diligit, absit vt dilectionem morte finierit, qui non est in morte finitus. Etiam post mortem quinquè fratres suos dilexit dives ille superbus atque impius, & vsque ad mortem nos dilexisse putandus est Christus? Absit charissimi, nequaquam ille nos diligendo vsq; ad mortem veniret, si dilectionem nostram morte finiret. Nisi forte ita sit intelligendum, in finem dilexit eos, quitantum dilexit, vsque ad mortem dilexit eos, qui tantum dilexit eos, vt moreretur pro eis. Hoc enim testatus est dicens.* Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Ita sanè non prohibemus intelligi*, in finem dilexit, *vsque ad mortem dilexit, id est, vsque ad mortem illum dilecto ipsa perduxit.*

Finem

Hic ergo probat Cyrilli interpretationem, rectè intellectam. Nam ipse, *In finem*, interpretatus est, *In Christum*, seu *propter Christum dilexit eos.* Quod etiam verum est. Quanquam aliud dici non videatur, esse, *In finem dilexit*; quam constanter vsque ad finem vitæ dilexit, vt etiam pro illis moreretur, atque adeo resurgens etiam diligere pergeret. Suos autem vocat, ἰδίους familiares, quos discipulos elegerat; nam & Iudam sic dilexit, cum ille tamen tandem non perseuerarit. Sed dilectione contempta, odio se dignum fecerit. Dilectionis porro indicium pedum lotio fuit. Suos autem qui erant in mundo dicit, quod alii iam defuncti in requie essent: Patriarchæ & Prophetæ. aut sanè, quod in mediis periculis seu fluctibus eos relicturus abiret, singulari subsidio defendendos.

VERSVS 2.

Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes:

QVÆSTIO I.

An diabolus miserit in cor Iudæ?

§. 1. QVod vetus interpres habet, *facta cœnâ*, in Græco textu legitur tribus modis, γινομένου, γενομένου τοῦ δείπνου. Syrus cum vetere consentit: de lotionis tempore alibi actum esse constat, & ante lotionem cœnasse, & post lotionem cœnam fuisse continuatam. Quod in Græco τοῦ διαβόλου ἤδη διαβεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν ἰούδα, *cum diabolus misisset in cor Iudæ.* Syrus interpres videtur legisse διαβεβληκότος ἑαυτὸν, *cum se iniecisset in cor Iudæ.* רמיא חרחלה לסטנא בלבה דיהודא *Cum iniecisset se Satanas in cor Iudæ.*

Diabolus in corde Iudæ.

Idem opus Iudæ, & Satanæ tribuitur, Iudæ vt patratori, Satanæ, vt auctori. Ideo nec Iudas excusari potuit, qui diabolo paruit, nec Deo adscribi peccatum, quoniam diserte opus dæmonis esse Scriptura testatur.

Quin præcipuè scelèris atrocitas indicatur, cum auctor eius dæmon esse perhibetur, vix enim cadere in hominem videtur posse tanta peruicacia. Etiam Christi clementiam bonitatemque commendat, qui hominem, cuius in animo iam Satanas residebat, non modo non eiiceret è suorum consortio, sed mensa etiam, & charitatis summæ officiis dignaretur.

§. 2. Habuit suos olim Iudas, atque adeo dæmon ipse Patronos. Caiani Iudam defendebant, vt est apud Epiphan. hæresi 38. Alii Christum accusabant

sabant violatæ legis, alij Iudæ à Deo reuelatum vt eum proderet, adeoque diuino id iussu factum. S. Irenæus libro 5. cap. 29. *Omnem malitiæ commixtionem ante diluuium factam esse ex angelica apostasia, nec minus in posteris lex ea valuit, quâ dæmon sibi in hominibus ad flagitium impellendis in hodiernum vsque diem pestilentissimo labore occupatur.* Origenes in Iob, cum in illa verba commentatur: *Vnde venis?* *Ab homicidiis, à sanguinibus, ab adulteriis, à furtis mendaciis, horum auctor & inuentor existens super terram. Vnde venis tu? ab internecione Abel, à Gigantum impudicitiâ, à turri contumaciæ, ab Esau auiditate, à Pharaonis pertinaciâ.*

De Caianis ita refert Irenæus lib. 1. cap. 34. *Alij rursus Cain à superiore principalitate dicunt & Esau & Core, & Sodomitas, & omnes tales cognatos suos confitentur, & propter hoc à factore impugnatos,* &c.

Iudam qui laudent. Hæc Iudam proditorem diligenter cognouisse dicunt. Et solum cæteris cognoscentem veritate perfecisse proditionis mysterium. per quem & terrena, & cœlestia omnia dissoluta dicunt, & confictionem adferunt eiusmodi. Euangelium Iudæ illud vocantes.

Horum consors etiam Iudas fuit. Theodoretus, Caianos dixisse; *Cain superiore auctoritate fuisse liberatum: Eum & cæteros odio habitos à creatore.* Sed nihil ab eo *noxiæ accepisse, sapientiam enim ab eis eripuisse, quod in illis habebat.* Vide etiam Epiphanium contra hæresin 38. alios quoque qui de Manichæis & Gnosticis egerunt. Vide etiam Nicetæ orthodoxiam. Et hi quidem dæmonibus, aut Angelis illa tribuebant auctoribus sua scelera, fœda & horrenda Gnosticorum progenies: eorum tamen insaniam longè superarunt, quos Vsinulca auctore furentes, quidam aptissimo nomine Hyperephanios appellat, qui in Deum ista transscribunt. Verecundius enim veteres Angelos, scelerum auctores, quam Deum nostri appellarunt. Illi quidem ad flagitia sua angelos hortatores, & adiutores sibi esse iactabant, nostri Hyperephanii Deum etiam impulsorem, & coactorem esse blasphemant. Negant quidem nonnulli id se dicere, sed suis libris conuincuntur. Nicolaus Greuinchouius in absterſione calumniarum Adriani Smoutii eos ita sentire probat. vt ostendi in Coronide omnium Iubilorum pagina 289.

Caluinus ita dicitur in Argenide.

Deus Caluinistarũ. Obiecerunt olim ista Borborianis nostris, non modo Catholici, sed etiam Lutherani, & Caluiniani alii. Hunnius, Alberus, Melanchthon, Henningius, Gellius, Snecanus, Anastasius Veluanus, inter cæteros Philippus Nicolai, integris tractatibus docet, Deum Caluinianorum ipsum esse cacodæmonem.

VERSVS 3.

Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, ad Deum vadit.

QVÆSTIO I.

Quomodo Pater dedit illi omnia in manus?

§. 1. NOn sunt audiendi, qui verbum εἰδὼς, *sciens*, ad Iudam referunt, quasi sciuerit Patrem omnia in manus Christi tradidisse. Non conueniunt ista proditori, itaque nonnulli codices Latini addunt nomen Iesus, quod est in pluribus Græcis: εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς. *Sciens Iesus.* Vide Gregor. Moral. lib. 3. cap. 11. Sciens igitur ista CHRISTVS filius Dei naturalis tanto amore, ac maiestate digna opera facturus ponit vestimenta ac pedes lauat. Iam autem omnia danda erant: Imperium in omnes, etiam diabolum, cuius suasione moriturus erat. Omnia dedit, etiam moriendi potestatem, matura iam redemptione. Etsi ergo tradendus esset ipse aliorum potestati, ipsi tamen Domino tradita sunt omnia. Tradita sunt autem vt homini, nam vt Deo omnia ab æterno illi tradita fuerunt, quæ & ille facturus erat; vt enim primum res quæque facta est, ita etiam mox tota quanta est, creatoris est. Et plana quidem est ista responsio, contra eos, qui filium Dei omnia accipientem à Patre, minorem Patre dicebant. Accipere sanè eius est, qui non habuit. *Omnia accepit.*

Chrysostomus tamen aliam responsionem etiam adhibet. Nihilo enim ex eo minorem esse demonstrat.

Cum vero traditionem audis, nihil humanum suspiceris: honorem enim erga Patrem & concordiam signat. Quemadmodum enim Pater ei tradit, ita & ipse Patri: & hoc indicat Paulus, inquiens: Cum tradet regnum Deo & Patri: *hoc autem hoc in loco humanius locutus est, multam eorum curam, & incredibilem dilectionem præseferens, tanquam familiares eos curans, bonorum matrem humilitatem docens, quam & principium & finem inquit esse virtutis.*

§. 2. A Deo se exisse dicit, cum formam serui acciperet, non mutatione sui, aut in alium locum egressu, sed humanitatis assumptione. Redire autem dicitur, cum humanam naturam cum diuinitate iunctam in cœlo collocat: Cum igitur illa consideraret, à Deo se exiuisse, ad Deum redire, tantæ humilitatis opus hominibus ad exemplum proponere voluit, qui non alio modo ad Deum, nisi modestiâ adire possunt, cum eum qui exiuit, non nisi sic redire credunt. Si enim illi tanti stetit reditus, quid nobis futurum est, qui de puluere exiuimus? si tantus sit tumor noster, vt eum cœlestis portæ angustiæ non capiant? Interim nec à Deo exiens Deum deseruit, nec ad Patrem rediens, nos relinquit. *A Deo exisse, uit.*

VERSVS 4. & 5.

Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.

QVÆSTIO I.

Quomodo lauat pedes?

§. 1. CVm tantus ac talis esset, magna diligentia pedes lauat. Docerque nihil boni operis faciendum esse negligenter. Itaque vestimentum ponit, togam superiorem, non enim pene nudus lauit, vt Origenes falso putauit. Deinde linteo se cingit, Græc⁹ etiam λέντιον appellat. Syrus vero סרונא *sedona*, quasi Syndonem dicat. A Sidone esse memorant, at Sidon non per Samech, sed ש scribitur, & licet soleant mitigare asperitatem Hebræam Syri, Sidonem tamen appellant צירן Tsaidon. Verum parum hoc forte ad rem, licet omnia Scripturæ verba magni sint æstimanda. Hoc potius animaduersione dignum est: CHRISTVM præcingi voluisse linteo; venerat enim ministrari. Cinctura autem ministrantium est. Syrus habet cinctum fuisse בחצרוהי *bethatsarohi* *Cinctura ministrantium.*

chatzaubi, in lumbis suis. Ipse denique mittit aquam in peluim, ipse omnia administrat.

§. 2. Illo tamen opere in speciem sordido & seruili maiestatem suam declarauit-quod Apostolorum discipulus Irenæus agnouit lib. 4. c. 39. *In nouissimis autem temporibus cum venit plenitudo temporis libertatis, ipsum verbum per seipsum sordes abluit filiorum Sion, manibus suis lauans pedes discipulorum. Qui enim pedes lauit discipulorum, totum sanctificauit corpus, & ad emundationem adduxit.*

Illam igitur lotionem figuram esse dicit eius, qua quotidie sordes peccatorum, abluuntur, & eundem esse qui pedes Apostolorum, & qui sordes filiarum Sion olim abstersit. Ita & Cyprianus de lotione pedum, siue quis alius est auctor, & Augustinus in hunc locum, & Cyrillus exponunt. Consule & Augustinū de virginit. c. 32. Tert. de patientia. c. 3. Tertull. l. de baptismo c. 9. Notat Christum plurimū aqua vsum, eaque re baptismi sacramentum probat; quin etiam id in veteri testamento factum, elegans est eius ratiocinatio, & ipsum audire fas est. *Quot igitur patrocinia naturæ quot priuilegia gratiæ, quot solennia disciplinæ, figuræ præstructiones, precationes, religionem aquæ ordinauerunt.* Multa recenset aquæ mysteria, & concludit, baptismum illis figuratum, qui & ipse in aqua confertur.

Est autem fœdissimum ministerium alienas expurgare sordes, Dominus tamen sordes omnium sordidissimas, putentissimas, & grauissimas abstersit, sordes peccatorum.

§. 3. Hanc ob causam lotionem pedum quidam inter sacramenta recensent, Est enim cærimonia sacra à Christo instituta, quam etiam esse vsitatam Apostolis Christianisq; voluit. Mysteriū indicat, quod tum Petrus nesciebat, promissionem gratiæ habet, & minas in negligentes; *nisi lauero te, non habebis partem mecum.* Hinc Cyprianus, de ablutione pedum. Ambr. l. 3. de sacram. c. 1. Bernardus sacramentum appellant. At non dicunt illi proprie sacramentum esse, ideoq; falso à Kemnitio alijsque traducuntur, quasi plura sacramenta, quam Catholica facit Ecclesia, agnoscunt. Ambrosius symbolum baptismi esse existimat, nec eos damnat, qui non vtuntur lotione pedum. Cum vero ille Baptismi necessitatem sæpe inculcet, & baptismi symbolū ab ipso baptismo separet, nullo modo pro sacramento proprie dicto vsurpat.

Lotio pedum non est sacramentum.

Quomodo sit sanctificatio & mysterium, ipse vno verbo definit. *Quia in baptismate omnis culpa diluitur.* Itaque cærimoniam dicit, & baptismatis figuram: non autem proprie sacramentum. Cyprianus siue auctor de ablutione pedum non vocat sacramentum, quo vtamur, sed eam lotionem qua Christus Apostolorū lauit pedes vocat sacramentum, & significationem eius purgationis quotidianorū, quæ in nobis fit peccatorum. Verba sunt: *Et ne quid consummationi doctrinæ deesset, inter fixa, & immobilia præcepta, & ea quæ moueri possunt, & repeti, distinctionem posuit, vt cæteris immutabiliter semel statutis, vltima lauacri species, quotidianis expiationibus commodata commendaretur fidelibus.*

Humilitas

Et deinde. *Propter hoc benignissime Domine pedes lauas discipulis, quia post baptismum, quem sui reuerentia non patitur iterari, aliud lauacrum procurasti, quod non debeat intermitti: tamen ipse, quod doces, facis: vt quanti quæstus hoc opus sit, ex tua bonitate discamus, & inclinata ad nostros pedes altitudine tua, stans aduersus proximos, & erigens se contra Deum confundatur superbia hominum, & ad humilitatem Dei, noverit de se humilia sapere lutum.*

Non habet illa lotio gratiæ promissionē, nec iussa est, vt sacramentum, sed vt officium humilitatis & caritatis. Nec peccant illi, qui eam non vsurpant, etiā totæ Ecclesiæ, vt Romana, sed nec vnquam in Ecclesiam ad remissionem peccatorum est inducta.

QVAESTIO II.

Rectene faciant prælati qui subditorum lauant pedes?

§. 1. BVcerus negat Christum lotionem pedum tātum exigere *Nequaquam*, inquit, *lotionem pedum tantum exigit Christus. sed veræ dilectionis officia quæuis.* Ita sane est, si. n. Deus homo, Dominus noster eo se demisit, quid nos facere oportet, & si pedes aliorum lauare, nonne & alia præstare fratribus oportet? Subiungit. *Nihil minus, quam Christum imitantur episcopi, dum quotannis semel aliquot pauperum pedes abluunt, & deosculantur.* Cur vero non imitantur Christū. Quod Christus fecit, faciunt, & ipsi. Linteo se præcingunt, aquā mittunt in peluim, pedes lauant. Cur igitur non imitantur? An quia quotannis semel faciunt? At Christus tota vita semel fecit. Nō ideo igitur accusandi, quod semel faciunt, forte & sæpius faciunt. Cur igitur non imitantur. Quia non modo ante lotos, sed aqua etiā odorata perfusos lauant, & deosculantur. Theatricā lotionem Caluinus appellat. Sed tamen etiam lotos lauare pedes pauperum, & odoratos abluere, & deosculari virtutis est, ministrant illis ad mensam nō modo Episcopi, sed dynastæ, reges, imperatores, & Dominum humilitate sua imitantur, sane figere oscula pauperum pedibus, lauare vtcunq; lotos, opus est illius, qui fratribus humilia obsequia deferre didicerit, qui superbiam fregerit. Quamuis igitur delicatum ministeriū videatur, lotos, & odoratos pedes abluere, tale tamen officium est, vt humilitatis commendationem mereatur, & fastidiosæ magnatū vitæ possit ignosci, quod ad fœtores, & sordes illas abstergendas non satis animi habeant. Imitantur Christum, sed dispare facto. In secundis tertijsq; subsistunt, primas non attigerunt. Quin etiam falsum est, quod de lotis & odoratis pedibus iactant, alibi aliquando factum credo, semper, & vbiq; nego. Imo nec crebro quidē. Interdum pauperes ante domi verecundiæ causa abluunt, non culpabili ciuilitate, ne putorem suarum sordium Episcopo ingerant, alij id negligunt. Vtrisque lauantur pedes.

Episcopi lauant pedes.

§. 2. Caluinus aliam causam cōminiscitur. [Quotannis theatricam pedū lotionem instituunt: Ita inani nudaq; cerimonia se pulchre defunctos putā; defuncti sibi permittunt fratres contemnere. Neque id modo: sed postquam duodecim hominibus lauerunt pedes, omnia Christi membra se suosq; crudeliter lacerant, atq; adeo in faciem ipsius Christi conspuunt.] «

At non ideo lauare pedes malum est, quia contemnere fratres peccatū est. Possunt hoc recte facere, possunt in alijs delinquere. Attamē quos Caluinus Christi membra appellat, Episcopi rectius iudicant membra dæmonis, lupos non parcentes gregi: quos dū expellunt, Christum imitantur. Fures sunt, & latrones quos contra armari pastores oportet, ne mercenariorum ritu gregem prodant: Et mirum esse non debet, si illi quorum audaciā sacra & profana per totā Europam sunt lacerata, fidelium Episcoporum vigilantia, & imperio sint compressi, ne quo arbitrio in vitam & sanguinem miserorum grassari possent. Quid in Belgio, Francia, Anglia egerint satis Theatrum Caluinisticæ crudelitatis demonstrat. Historiæ Gallicæ, Belgicæ, Anglicanæ nobis illa omnia exhibent. Neque vlli ista clarius quam Lutherani depinxerunt.

At noluit Christus annuam esse cærimoniam, sed nos semper paratos esse voluit, ad lauandos fratrum pedes. Respondeo: Paratos nos esse voluisse: ac eo nos externa cærimonia, seu potius exercitium ducit: eo enim admonemur officij nostri, non modo cum doctrinam Christi audimus, sed etiam cum eius imitationem spectamus.

§. 3. Musculus postquam indicauit suos non modo non lauare pedes, sed ne quidem ex mille esse vnũ, qui hoc sibi faciendum agnoscat, in pontificem inuehitur. [Et forsan quisque nostrum paratus esset Christo præsenti lauare pedes: verum vt alij aliorum, fratres fratrum, ministri comministrorum pedes lauent: tale quid est, quod inter mille vix vnus, aut alter non dico faciant, sed quod magis est, faciendum sibi fateãtur, & agnoscant. Præsertim illi qui sunt alijs potiores &c. Romanus ille Pontifex, qui seruum seruorũ Dei vocat, hoc sibi reuerentiæ, & subiectionis, etiam à regibus & imperatoribus deberi credit, vt pedes eius in maiestate non Christi, sed antichristi sedentis deosculentur. Quando vero seruus ille seruorum Dei, ad pedes subditorum exemplo Christi se submittet, qui etiam in humeros eorum, qui sanguine Christi redempti sunt, fastu plusquã Persico, perinde portandus ascendit, ac si à bestijs omnium vilissimis, quo & quomodo velit vehatur.] Post illa etiã indigne fert Monachorum primores lauare pedes suorum, aut simulare se lauare, cum Spiritus Christi non tam exterum factu, quam animum quærit. Inter mille igitur ministros vix vnus est, præsertim inter, priores, qui id quod faciendum Dominus dixit, sibi faciendum agnoscat, aut fateatur. Quid igitur non audierunt illud. *Debetis & vos alter alterius lauare pedes?* Aut si audierunt non intelligunt? & si intelligunt, fateri non volunt? Quid vero pontifex seruus seruorum Dei? Respondeo ad pedes subditorũ lauandos exemplo Christi se dimittit. Plurium pedes vnus pontifex, quam tota prædicãtium colluuies abluit. Nec indignum sua persona putat, vt cuius pedes reges in maiestatis Christi respectũ osculantur, ipse quoq; fratrũ pedes lauet, & deosculetur fratrũ quidẽ pauperum, vti quorum est regnũ cœlorum; nam hoc officij sui esse meminit. Dignitatem vero qua præsidet toti Ecclesiæ sibi periculosissimam, & omnium precibus indigam cognoscit.

Prædicantum superbia.

Lectica.

At lectica etiam vehitur, quæ aliorum humeris attollitur. Miram sanctitatem ministri, qui lecticas, & lecticarios, eorumq; Dominos prorsus cõdemnet. Si enim vti lectica non licet, nec sane ferre eam fas erit. Romanis moribus vsitatum fuit lecticis vehi, vtebantur illa & priuati. Nihil inuidiam veriti etiã Christiani, nec tam indignum alium hominẽ ab alio portari, quam alios ab alio seruiri. Alienis humeris ferri non est iniustum admittere id potest etiam, qui fastũ horret quam alieno ministerio alijs in negocijs vti, descendunt in terram metallarij, in mare vrinatores, in cloacas mercenarij, onera ferunt baiuli, quid mirũ si etiam hominem ferant homines? Vilia ministeria obire & Christianis fas est, quem humero refert pastor, pecudem homo, & scelus erit si hominem ferat homo? si arrogantia id facit Papa, resistet illi Deus, qui superbis resistit, si absque arrogantia potest vti lectica, non impunita erit eorum temeritas, qui in aliena conscientia damnant, quod malum non est.

Lecticæ vsus non vetitus.

VERSVS 6.

Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus. Domine, tu mihi lauas pedes?

QVÆSTIO I.

Cur se Petrus excusarit?

§. 1. PEtrum accusat Origenes, quod suo facto alios, qui lotionem admiserunt, reprehenderit. Basilius eius inobedientiam culpauit. Constat reuerentia quadam negasse hoc officium sibi exhiberi Petrum, in eo tamen errabat. *Habebat in excusatione*, inquit, Auctor de ablutione pedum, *Zelum Dei Petrus, sed non secundum scientiam: & tolerabile aliquo modo videretur, quod humilitas suggerebat, si non obstinato resistere præceptori miteretur.* Non lauabis, *inquit*, mihi pedes in æternum. Ego si oportuerit me mori tecum paratus sum. *Hoc enim debeo, hoc amplector. pro te libenter ceruicem porrigo percussori, sed Deum meum. & Dominum meum, ad pedes meos prostratum non patior, non audeo sustinere.* Reuera sicut Deo patendum est in omnibus, si ingenui discipuli fuit illa non illaudabilis verecundia: Atque adeo maiestatis, quæ in Christo refulgebat, Apostolica confessio, & suę vilitatis agnitio. Cogitare poterat hic deprecationis, suæ locum esse. Errat tamen: quia erat absolutum Dei decretum. Magno igitur documento demonstrat in rebus diuinis rationem aberrare; nec cum à Domino aliquid præcipitur rationem esse quærendã, pro argumento esse debet auctoritas imperantis.

Error Petri valde tenuis.

§. 2. Musculus quæritur nos eam ob causam Petro primatum tribuere, quod ad eum prior Dominus accedat. At profecto non facimus id omnes, multi enim negant lotionis à Petro initium fuisse. Alij quidẽ existimant, non indecorũ putant à primo Apostolo incepisse. Non est vero ille, quem Catholicis tribuit, error, sed nec recens sententia. Conuitiũ illud in veteres patres redundat. *Non egisse Dominum*, ait *vt primatum constitueret, sed vt animos ab ambitu, & studio illius auelleret. Venisse primo ad Petrum, vt ad studium humilitatis eum hortaretur.*

Primatus non pugnat cum officio.

Respondeo. Scelus esse, & graue quidẽ, quod Ecclesiam & Rempublicam pessundet, quod obijcit, non indicari primatum posse illo, quo humilitas docetur exemplo. Non pugnant institutio primatus, & commendatio humilitatis, quæ maxime necessaria est primatibus: ne potestas arrogans sit, ne dignitate sua delectetur, sed humana, & officiosa, seseque proximis & subditis impendat. An stolidus ille sine superbia magistratum creari posse negabit? Nõne Deus cum reges designat, eleuari eos tamen, & dominari per superbiam vetat? Petrum omnino de caritate tribus vicibus examinat, cum oues pascendas commendat. Verum hæretico orthodoxum opponamus Augustinum, cuius sententia etiam ipsis hæreticis potior esse debet, quam Musculi ille tract. 56. huc in modũ ratiocinatur, *Quis enim non expauesceret lauari sibi pedes à Dei Filio? Quamuis itaq; magna fuisset audacia contradicere seruum Domino, hominem Deo tamen hoc Petrus facere maluit, quam perpeti vt sibi pedes lauarentur à Domino & Deo. Nec putare debemus hoc Petrum inter cæteros formidasse atque recusasse, cum id alij ante ipsum libenter vel aquanimiter sibi fieri permisissent: facilius quippe sic accipiuntur ista verba Euangelij quia cum dictum esset, Coepit lauare pedes discipulorũ, extergere linteo quo erat præcinctus: deinde subiunctum est, venit ergo ad Simonem Petrum. quasi aliquibus iam lauisset, & post eos venisset ad primum. Quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum.*

Quod igitur Papistis ille tribuit, Augustini est quẽ ille suo conuitio nobis asserit, dum inscius eius doctrinæ, in nobis illam insectatur, & fragili quærens illidere dentem infringit solido. Hoc etiam cogitandum eos, qui ad Petrum primo accessisse Dominum negant, imo qui Iudam primo lotum arbitrantur, Petro Primatum tribuere. Ita Chrysostomus, & Theophylactus, qui à Iuda incepisse arbitrantur Theophylacti verba sunt. οὐ πεῶτον τὸν πέτρον νίπτει, εἰ καὶ τὰ πεῶτα τῶν μαθητῶν ἐφέρετο, &c. *Non primo lauat Petrum, etsi primas inter discipulos teneret. Sed proditor subito promptus & inuerecundus erat, ante Petrum recubuit, & pedes lotus est, Vnde hoc constat? Ex eo, cœpit lauare pedes discipulorum & abstergere. Postea venit ad Simonem Petrum, vt ostendat, non primum lotum esse Petrum. Non enim dixisset. Venisse, ad Simonem Petrum si non alium ante lauisset. Consentaneum est autem*

autem proditorem id primo ausum. Nam si ab alio aliquo discipulo inchoasset, Dominum ille prohibuisset, quicunq; tandē fuisset, & dixisset quæ Petrus. Domine tu mihi lauas pedes. Sed non est illud factum, non igitur alium prius quam proditorem lauit, deinde petrum. Ex Petro autem reprehenso, cæteros, æquum fuit, non resistere, sed honorem à Domino in ipsos collatum accipere.

Augustinus tamen hoc Theophylacti argumentum iam olim soluerat.

VERSVS 7. 8.

Respondit Iesus, & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis modo, scies postea. Dicit ei Petrus, Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus, Si non lauero te, non habebis partem mecum.

QVAESTIO I.

An Petrus si non lauaretur partem non haberet cum Christo?

§. 1. CHristi verba intelligi duobus modis possunt. Proprie & metaphoricè. Proprie, vt sensus sit, si non lauero pedes aqua vera, non habebis partem mecum, nihil mihi tecum commune erit. Metaphorice, vt Christus de lotione spiritali dicat. Nisi te lauero, mundauero, à peccatis non habebis partem mecum, non quod iam in mortali peccato esset Petrus, sed vel quod etiam à venialibus sanguine Christi mūdandus erat, cum nihil coinquinatum in regnum cœlorum ingrediatur, vel quod mortaliter eum negatione & periurio peccaturum sciebat. Proprie malim accipi verba Christi; nam de ea lotione agebat, quam admittere nolebat Petrus, non autem spiritalem ille lotionem recusabat. Quin & eo modo intelligendū est, quo Petrus, & cæteri Apostoli acceperunt, cum honorem à Dei filio delatum ad plenum humilitatis exemplum acceperunt. Neque difficile est intelligere, cur Petrus si eum Dominus non lauisset, damnaretur. Nam si in sententia perstitisset, mortaliter peccasset tam contumaciter diuinæ sapientiæ resistendo. Ita audito illo decreto animum mutat, additq;, *& manus & caput*. Vehemens in omnem partem, quod est vehementer amantium. καὶ ἐν τῇ παρρησίᾳ σφοδρὸς καὶ ἐν τῇ συγχωρήσει σφοδρότερος γίνεται, ἑκάτερα δὲ ἐξ ἀγάπης. *Et in recusatione vehemens, & in permissione vehementior, verunq; tamen ex caritate. Et manus & caput*, inquit, si ita videtur, *lauabis*; nam Syrus addit verbum תשיגא *Theschig*.

Lotio proprie intelligenda.

§. 2. Partem habere cum aliquo Hebræi dicunt, pro eo, quod est, amicum esse, participemque communium bonorum, 3. Reg. 12. 16. אין לנו חלק בדוד וגו׳ *non est tibi pars in eo*. Hic etiam non tibi mecum pars. Sumpta similitudo ex diuisione hæreditatis, qui enim exhæredantur, partem cum patre, & fratribus nō habent, sed reputantur alieni. Sic & c. 8. Act. *Non est tibi pars in sermone isto*. Hoc est; *Non erit tibi in ea re felicitas, aut successus*. Pars pro portione, & re quæcuique conuenit, solet accipi, siue præmium, siue pœna sit. Psal. 141. Thren. 3. Iob. 31. Isa. 17. Iere. 13. Apoc. 20. Dan. 4. *Pars eius cum bestijs*, id est Societas, communio, participatio, sic Matth. 24. Luc. 12. *partem eius cum hypocritis ponet*. Sic Colos. 1. pars sortis sanctorum. Sic interdū etiam profani loquuntur. Demosthenis verba sunt. τὸ δὲ προσιέσθαι, καὶ μὴ πάντα ὡς ἠβουλόμεθα ἡμῖν συμβῆναι, τῆς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων τύχης τὸ ὑπεύθυνον ἐφ' ἡμᾶς μέρος μετειληφέναι νομίζω τὴν πόλιν.

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

Quod impingimus, quodque non omnia nobis, vt volumus, euentant, vrbem existimo participare partem fortunæ aliorum hominū, quæ pars in nos reuoluitur, seu quæ nobis assignata est.

§. 3. Brentius Petrum superstitionis accusat: *Carnem* ait *superstitiosulam esse*. Caluinus eo exemplo quosdam pudore vetari ne ad Deum in necessitatibus accurrant. Ideo ad sanctos refugere.

Respondeo. Superstitionem in Petro non fuisse, errorem fuisse. De pudore qui à Deo orando retrahat, merum figmentum est, & calumnia. Qui sanctos interpellant, etiam Deum adorant; non enim sine nobis, sed nobiscum ad thronum Dei accedunt, & in illorum inuocatione Deus oratur, & honoratur, qui multa non aliter, nisi sanctorum interuentu dare constituit. *Petrus nō superstitiosus.*

§. 4. Quod vero etiam Petrum culpat Caluinus, *eum ita loqui, quasi nulla remissione peccatorum donatus sit*. valde aberrat, (ita loquitur) quomodo enim Petrus ignorare potuit, sibi peccata remissa, cum Christus ipse eum beatum dixerit? si tamen Petrus in eo errore fuit, vt putaret, se nulla remissione donatum, certè de remissione peccatorum dubitauit, nòn igitur tum ille Caluiniana πληροφορία. tenebatur; Illis enim dubitare fas non est de remissione peccatorum suorum, nec modo præterita sciunt non imputari, sed etiam præsentia & futura. Quod si hoc Petrus non credebat sibi remissa, nec fidelis quidem erat, sed fidem habebat, vt Caluinistæ loqui solent, dæmonum. Valde itaque dum Petrum oppugnat, & eius culpam exaggerat, suam hæresin euertit. *Petrus remissionem peccatorum habuit.*

[Quum audiret Petrus, *inquit*, se esse perditum nisi purgationem, à Christo oblatam admitteret. Hæc necessitas ad eum domandum apta demum magistra fuit, ergo deposita contentione cedit, sed vult lauari totus: & vere quidem agnoscit, se totum, quantus, quantus est, natura sordibus refertum esse. Ideo q; nihil agi, si in vna tantum parte abluatur. Sed hic quoq; per incogitantiam errat, quod acceptum iam beneficium pro nihilo ducit: perinde enim loquitur, ac si nulla adhuc peccatorum remissione, nulla Spiritus sanctificatione donatus esset.] « « «

latum videtur. Quæri solet; & de proprio & Metaphorico sensu. Quomodo mundus totus, indiget pedū lotione? Si.n. totus mūdus est, mundi sunt, & pedes; si pedes immundi sunt, non est mūdus totus. Varia solent adferre: sed dicendū, similitudinē è Balineorū vsu esse, cū enim lauerint, & è solio mūdi exiuerint, pedes in via maculare solent, ideoq; illi antequam in lectulum se componant, pedes abluuntur. Hic est prior pars similitudinis, Christus spiritali puritati hoc accommodat, & Apostolos esse mundos pronunciat, sed opus tamen habere spiritali lotione pedum: Mundos esse totos, exceptis scilicet pedibus, illis lotis sine exceptione mundos fore.

Similitudo vnde sumpta.

§. 2. Quæ sit spiritalis pedum immunditia, quæ post emundationē corporis supereſt quæritur. Chrysostomus nondum omnibus peccatis liberos fuisse dicit. *Quid autem significat?* Scies postea: *Quando? Cum in nomine meo dæmonia eijcies, cum in cœlum me assumi suspicies cum à spiritu intelliges me ad dextram patris sedere, tūc cognosces cur hoc faciam. Christus autem, cum dixisset Petrus.* Non tantum pedes sed & manus & caput: Qui lotus est, *inquit*, non indiget, nisi pedes lauet, sed est totus mundus; Iā vos mūdi estis propter verba quæ locutus sum vobis. *At si mundi sunt, qua gratia lauas pedes? Vt modestiam doceam, propterea vilius membrum elegit. Lotus autē hoc est mundus. Nunquid ergo mundi non erant? Nondum à peccatis erant liberi, neq; Spiritu sancto digni habiti fuerant, peccato & maledicto adhuc regnante, & chirographo non abolito, neq; oblata victima. Quomodo ergo mundos dixit? Ne propterea arbitrareris ideo mundos dixisse, quod nullis essent peccatis obnoxij, addidit*: Iam vos mundi estis propter verba quæ locutus sum vobis: *hoc est. Hac tantum ratione estis mundi. Iam lumen recepistis, iam errore liberati estis Iudæorum, nam & propheta inquit*, Lauamini, mundi estote abijcite malitiam ab animis vestris. *Itaq; talis lotus & mundatus est, cum omnem animæ malitiam abiecerit, & syncera mente Deo adhæserit. Ideo secundum propheticum sermonem inquit:* qui lotus est, iam mundus est. *Neque enim Iudaicam aquæ lotionem, sed opificij purgationem intelligit. Fiamus ergo & nos mundi, discamus benefacere. Et quomodo possumus?* Iudicate pupillo, iustificate viduam, & venite disputemus. Verba Chrysostomi non ita sunt intelligenda, quasi Apostolis putauerit iustificationē abfuisse, Nam cum ait non fuisse τῶν ἁμαρτημάτων ἀπηλλαγμένους, *nondum liberatos peccatis*, non dicit eos adhuc hærere in peccatis, sed tantum nondum omnib. exolutos, ad eum modum quo postea accepto Spiritu sancto, nam in multis adhuc imperfecti delinquebant. Cum negat dignos habitos Spiritu sancto, de eminentibus donis, & copia gratiæ loquitur, quam in pentecoste acceptarunt. Peccatum, & maledictum adhuc regnasse dicit, quia nondum affixum erat cruci Chirographum. Mundos tamen fuisse malitia abiecta, sincera cum Deo adhæsione. Eodem. S. Ambrosius de initiatis c. 6. intelligendus est. Cum ait peccatum aliquod non tolli baptismo. Hoc non ita accipiendum est, vt Ambrosium dicere putemus peccatum originale non tolli baptismo, sed lotione pedum siue propria, siue impropria. Nunquā enim vlla in Ecclesia, lotio ad remissionē peccati originalis nisi per baptismum est exhibita. Nam baptismum iustificare sæpe docet. Vocat salutare lauacrū, in eo ait naturæ primordia renouari, ab omnibus delictorū maculis nos abluī, regeneratione filios Dei effici, sanctificari imo expresse docet originale & actuale tolli. Epist. 33. l. 4. Pelagianos reprehendit, quod baptismo negaret tolli peccatum originale. *Hinc*, inquit *Euacuatio baptismatis paruulorum, qui sola adoptione donari, nullo autem reatu dicerentur ab olui.* Peccata igitur hæreditaria non intelligit ipsum originale, nam illud vnum est, & baptismo tollitur, itaque videntur ita vocari affectus & pronitas ad peccandum, quæ non sunt prōprie peccata, sed ita vocantur, quia causa sunt, & effectus peccatorum, Hæreditaria sunt, nec baptismo tolluntur, sed multa gratia & exercitatione sensim minuuntur, quotidiana itaque cura tolluntur tanta mala.

Quomodo Apostoli liberi à peccato.

Peccata Baptismo tolluntur.

§. 3. Constat autem Christum de munditie spiritali agere, quam corporali comparauerat; nam Apostolos omnes negat esse mundos; Sciebat enim proditorem. Ita Cyprianus. Ambrosius, Augustinus Alij igitur sordes pedum interpretantur peccata venialia: quæ ex affectibus non bene domitis in dies singulos ebulliunt. Mundi sunt ergo, non qui sine omni, sed qui sine mortali peccato inueniuntur. Atque hæc interpretatio à pluribus recepta est: nam in omnibus iustis ista quotidie lauanda sunt, Augustinus in iustis illa peccata agnoscit esse tract. 56.

Apostoli mundi.

Quid fratres mei, quid putatis, nisi quia homo in sancto quidem baptismo totus abluitur, non prater pedes, sed totus omnino? Veruntamen cum in rebus humanis postea viuitur, vtique terra calcatur. Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non viuitur, quasi pedes sunt, vbi ex humanis rebus afficimur, & sic afficimur, vt si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipiamus, & veritas in nobis non sit. Quotidie igitur pedes lauat nobis, qui interpellat pro nobis: & quotidie nos opus habere vt pedes lauemus, id est, vias spiritualium gressuum dirigamus, in ipsa oratione Dominica confitemur, cum dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Si enim confiteamur sicut scriptum est, peccata nostra profectò ille qui lauit pedes discipulorum suorum, fidelis est, & iustus qui dimittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate, id est, vsq; ad pedes quibus conuersamur in terra. Proinde Ecclesia quam mundat Christus lauacro aquæ in verbo, non solū in illis est sine macula & ruga, qui post lauacrum regenerationis continuo ex huius vitæ contagione tolluntur, nec calcant terram vt opus habeant pedes lauare: verumetiam in ijs quibus istam misericordiam præuens Dominus, fecit eos de seculo isto lotis etiam pedibus emigrare. In his autem qui hic demorantur, etiamsi munda sit, quoniam iuste viuunt, opus tamen habent pedes lauare, quoniam sine peccato vtiq; non sunt.* Nec omnes sectarij ab hac veritate recedunt; Augustinum Zwinglius sequitur, & lapsos vocat quotidianos. Cū autem in iustis illi inueniantur, nec iusti esse desinant, constat venialia esse.

Peccata & iustorum.

§. 4. Lotionem nihilominus veteres hæretici, & Augustini interpretationem contra distinctionē peccati in venialia & mortalia detorquent: & suos veteres imitatus Pareus lib. 1. c. 12. de amissione gratiæ & statu peccati. [Ioannes 13. 8. *inquit*, Si nō lauero te non habebis partem mecum. Inde sic. Quæ peccata excludunt à parte Domini sunt mortalia. Etiam leuia excludunt à parte Domini. Ergo &c. Assumptio probatur. Quia dicitur si non lauero.]

Respondet. Bellarminus: Duplici modo posse intelligi, primo, si tu mihi lauaturo non obtemperaueris, inobedientia te excludet. Deinde, nisi lauero te à venialibus, venialia non simpliciter, sed ad tempus excludunt.

De materiali lotione accipiendam iam ante docui de illa enim Petrus intellexit & Apostoli. De spiritali etiam vere intelliguntur. Cum enim manent etiam minima delicta, aditus cœlorum occlusus est, donec eleuantur.

De vtraq; purgatione ne intelligitur Christus

Occurrit tamen Pareus & objcit Bellarmino. [Posterior distinctio spars est falsa. Si enim Christus lauat à venialibus, quis lauabitā criminalibus? Quis Petrum à negatione lauit mortali, nisi Christus sanguis, & Spiritus? Denique venialia in perpetuum arcent à vita.]

Respondeo. Ridiculam esse obiectionem, Christū non purgare à mortalibus, si purget à venialib. Petrus crimina-

criminalia non habebat, cum Christus ad lauandum accederet; mundus enim erat, venialia habebat, ideo pedes eius lauantur. Postea mortali negatione peccantem iterum mũdauit idem qui ante Christus mũdauerat à veniali. Idem ergo omnino est, qui à criminalibus, & à venialibus nos liberat. Augustinus de venialibus loquitur cum ait tract. 56. *In his autem qui hic demorantur, etiamsi munda sit, quoniam iuste viuunt, opus tamen habent pedes lauare, quoniam sine peccato vtique non sunt.* De venialibus autem non est obscura sententia Augustini. De Spiritu & litera c. 36.

Peccatum veniale. Et in Euchiridio. c. 22. *Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro salute quorundam mentimur, peccatum ergo est, sed veniale, quod benevolentia excusat, & ideo fallacia damnat.* consule eum etiam l. 3. c. 3. contra duas Epistolas.

§. 5. Eadem nos Christi doctrina instruit, vt credamus iustos mortaliter aliquando peccare, & fieri peccando iniustos. Petrus testimonio Christi mundus erat, hoc est iustus; lauit pedes illi Dominus, & à quotidianis, seu venialibus eum purgauit vt habet Augustinus tract. 56. *Dominus dicit, veritas loquitur, quod opus habeat pedes lauare etiam ille qui lotus est.*

Quod si peccata non imputantur, quid opus est remissione? Quod vero etiam prædestinatos negant peccare mortaliter, Petrus ipse confutat; nam prædestinatus erat, Matth. 16. vbi beatus dicitur, & mundus ac lotus. Ille tamen prædestinatus, mundus totus etiam pedes lotus, negando, & peierãdo peccat mortaliter. Stolide vero respondet lib. 1. de amissione gratiæ & statu peccati Pareus. [Hoc datur totum etiam; ex propositione vero, amplificatione omissa sic argumentor. Aut Petrus Apostolus ter negando, & eiurãdo Dominum, penitus excussit Spiritum sanctum, & fidem amisit aut non. Si penitus amisit sequitur irritam fuisse Christi precationem. Si non amisit penitus fidem Spiritum sanctum, gratiam. Stat sententia; sanctos quando letaliter peccant, non amittere Spiritum sanctum. &c.

Respondeo. Spiritus sancti gratiam amisisse penitus, qua gratus Deo reddebatur, & iustus, fidem retinuisse. Neque enim cum negaret, fidem perdidit, sed professionem fidei non fecit, contrarium fecit, metus vt contra suam fidem, mentemque loqueretur extorsit. Non autem omnia dona perdunt peccatores cum labuntur, sed ea quibus iusti sunt, & sancti.

§. 5. Non habẽt hic aduersarij quod respondeant, aut quod constanter affirment: pudet enim suæ illos nequitiæ, cum illa, quæ sunt consectaria admoniti intuentur. Bellarminus libro 1. de amissione gratiæ & statu peccati cap. 7. hanc vrget ratiocinationem. *Peccata* illa in Adamo, Dauide, Petro, aut potuerunt consistere cum fide iustificante, aut non. Si non: excuserunt fidẽ iustificantẽ & per hoc fuerunt lethalia. Responsio Parei est. Quod Caluinus lethalia dixerit non esse negandum. Non tamen inde sequi iustificatos habere peccandi licentiam. Addit: Quod Caluinus dicat, adulteria, homicidia periuria &c. posse consistere cum fide iustificante, vel fidem veram, viuam, & iustificantem manere in homine cum grauissimis lapsibus, est pura puta calumnia. Quin etiam fatetur, fidem ægram, sauciam, sordibus carnis oppressam, peccatorum compedibus quasi ligatam non iustificare: nec eum actum posse exercere. Etiam Deum impurare iustificatis peccata, & punire temporali pœna.

Verum omnia illa sese implicant, & Caluino contraria sunt, qui minimam fidem iustificare pronunciat, & iustitiam cum grauibus lapsibus posse consistere, vt in Dauide alijsq; docet: & demonstraui libro de Idolo Caluinistarum.

VERSVS 11. 12.

Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum: & accepit vestimenta sua, cũ recubuisset, iterũ dixit eis, Scitis quid fecerim vobis?

QVAESTIO I.

Cur lauerit discipulorum pedes Christus?

§. 1. MVndos dixerat, *sed non omnes*: etsi enim in medio eorum erat Iudas, tanta aliorum existimatione, vt nemo siniſtram de illo opinionẽ conciperet. Fucus aliorum oculos decepit, veritas Christi aspectibus patebat. In hominum oculis fucus non modo par est sæpe sinceritati, sed etiam sæpe est quam illa spectatior. Fulgor auri in Iuda, & externi nitoris species erat. veritas non erat. Itaque Christus eo stimulo hominem impium monere voluit, ne latere se existimaret. *Fucus simili vero.*

§. 2. Causam operis sui esse dicit, vt illo exemplo ad imitationem incitarentur. Vocatis inquit me, ὁ διδάσκαλος, καὶ ὁ κύριος. Vetus interpres habet in vocatiuo; *Domine*. Et possent Græca more Attico dici, nisi articulus præcederet. Nominatiuos autem esse nihil prohibet. Nam non modo præsentem eo titulo honorabant, sed etiam quod maius erat, & confessionis vim habebat, absentem; cum de illo sermo incideret. Itaque nihil opus erat corrigere, & dicere: *Magistrum.* aut *Dominum.* Verus & singulari modo Dominus erat, & magister, vt hic docet Toletus. Syrus more gentis habet רבן *Rabban, Magister noster.* & מרן *Dominus noster, maran.* Et bene inquit dicitis. Syrus שפיר *schaphir, bene, pulchre.* *Dominus & Magister.*

§. 3. Musculus hic etiam occasionem arripit obtrectandi Pontificibus: [Ergo bene dicit, qui Dominum vocat magistrum. &c. Male dicit qui lupos vocat pastores, Antichristum vocat Christi vicarium, spurcissimum, & abominandissimum, vocat sanctissimum. Tyrannum vocat, patrem, Simoniacos principes, & ociosos ventres, vocat Episcopos, carnalissimos, vocat cardinales, &c.]

Respondeo. Antichristũ non esse dicendũ sanctissimum, nec studium ventris, esse cultum Dei: non tamen improbis pastoribus, & magistratibus honoris titulos negandos, qui officio non moribus debentur. Nõ est pontifex Antichristus, sed Musculus ante ambulo & satelles Antichristi, si vel Pontificum vel Episcoporum nonnulli officio desunt, grauissimo Dei iudicio conterentur, interim dum loca sanctorum, & officia in Ecclesia tenent, etiam honoris appellatione fraudandi non sunt. Apostolus Paulus præsidem Syriæ Felicem Optimũ appellat, Magistratus respectu, hominem pessimum, Optimi titulo dignatus. Pontifex ergo sanctissimus est officio, licet profanus moribus, de quibus non quilibet, sed iustus iudex sententiam feret. Hæc de titulo Pontificum & Episcoporũ At ministros Caluinianos Apostatas, votifragos, Manichæos, Borborianos, Deo scelera sua inscribentes vocare pastores quantum crimen sit, si nostrũ quisquam dubitaret, Lutherani, & Caluiniani molliores satis ostenderent. Quondam in Zachariæ Riuandri Lutherani lupo excoriato titulos Caluinisticos legisse memini. Vocat illos, impios, Dei negatores. Somniatores, blasphemos, irrisores, sine fide agentes, σπιλάδας in quas dæmon omnes suas sordes effudit. Sordes, & stercora, quæ in Ecclesijs, & Scholis magnum *Malo magistratui honor debetur.* *Ministri Caluiniani nõ sunt honorandi.* *Lutherani de Caluinianis.*

fœtorem excitant, nubes, sine aqua, arbores infructuosas, eradicatas, mortuas; fluctus maris, sidera errantia, πλοσωπολήπτας, & superbos, subsannatores religionis, seditiosos, scandulosos. quorum Deus venter est, hypocritas in quibus ne vnica quidem gutta sinceri sanguinis, inflatos sensu carnis suæ adhærentes spiritibus erroris, Doctores diabolicos, in hypocrisi loquentes mendacium, cauteriatam habentes conscientiam & tergũ & caput. Auaros, insatiabiles, vrsilupos, ingratos, contumaces, libidinosos, indomitos, iracundos, vindictæ amatores, calumniatores, verbum Dei mendacij accusantes. Proditores, mulierculas captiuas ducentes, semper discentes, nunquã ad scientiam peruenientes, homines reprobo sensu, Hæreticos, fanaticos, ipsissimum dæmonem in illis contumaciam efficere. Lupos infernales, canes infernales. Et Pouchenius de eiusdem: Bruchi, locustæ, Ciniphes, Ecclesiæ vastatores sunt. Iacobus Andreæ. Leuissimos esse homines, Epicureos, Arianos, Nestorianos, Sataneæ tradendos, Carnalissimos Capernaitas. Vitus ait, ipsum mendacium, non modo mendaces esse Caluinistas. Habere Spiritum Homicidalem, Spiritum Fanaticum, animæ cidalem, efferum, insanientem, sectarium, melancholicum, infirmum, mœstum, esse ipsum dæmonem, esse capita horrida conturbata. Eiusmodi Caluinistas esse voluminibus probant Lutherani, & millesimam partem non recenseo, nec huius loci, tantum ostẽdere volui, qua fama sint, qui Pontifici maledicun'. Deteriora sunt, quæ molles contra rigidos scribunt, de quibus in coronide Iubilorum, atque alibi egi satis.

VERSVS 14. 15.

Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

QVÆSTIO I.

An Christum imitari non liceat, nisi vbi exemplum se dedisse conteſtatur?

§. 1. NOtandum est, *inquit Caluinus*, quod Christus se exemplum dedisse admonet. Neq; enim omnia eius facta promiscue ad imitationem trahi conuenit. Inde concludit. Ieiunium quadragesimale non esse seruandum. Esse enim peruersam æmulationem. Constat non omnia nos Christi imitari facta, aut posse, aut debere. Ieiunium ex illis esse, quæ imitari oporteat satis ipse docuit, cum discipulos suos ieiunaturos prædixit. Quemadmodum autem cœterarum virtutum imitationem nobis ratio, & scriptura indixit, ita temperantiæ quoque legem, & mortificationem carnis, quæ in ieiunio inuenitur, suo exemplo sanciuit: nõ quasi eum nos assequi possemus, sed quo possumus, tendendum est, si non eodem modo, ad eundem tamen scopum actiones dirigendæ sunt. Quadragesimæ porro obseruatio Christi exemplo nobis tradita est, veterum consensu. Ignatius ad Philippenses. τὰς ἑορτὰς μὴ ἀπεμάζετε, τὴν τεσσαρακοστὴν μὴ ἐξουθενεῖτε, μίμησις γὰρ ἀφέλεχει τῆς τοῦ κυρίου πολιτείας. Festa ne inhoneretis, quadragesimam ne spernatis, imitationem enim continet Domini conuersationis. Similia & Clemens Can. 60. Apost. Nazian. de amore pauperum. Clemens Alexand. pædag. l. 2. c. 1. Euseb. Hist. l. 2. c. 16. Epiph. hæres. 29. sed de his alibi plura dixi. Q-

In virtutũ studio Christum imitari oportet.

Quadragesima seruanda.

rigenes Hom. 20. in Leuiticum. Quadragesimæ dies habere nos ait ieunio cõsecratos. Mira porro Caluini impudentia. Ieiunia vetat, quia Christus ieiunans, non protestatur exemplum se dedisse, quod nobis ad imitationem sit propositum. Sed cum de pedibus lauandis exemplo se præiuisse monet, non tamẽ è mille vnus est teste Musculo, qui comministro pedes non dico lauet, sed id sibi faciendum, aut agnoscat, aut fateatur. Hic certo exemplo præitur, nec est qui putet sequi oportere.

VERSVS 17.

Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

QVAESTIO I.

An beatitudo operibus tribui possit?

§. 1. SCientiam sine operibus euanidam esse, & non modo inutilem, sed damnosam etiam nos diuinæ literæ docent. Hoc & Christus indicauit: si creditis pedes fratribus lauandos, & cum vera humilitate officia præstanda, non vos scientia, aut fides beatos reddit, sed opus. Beati eritis si feceritis, non ergo beati, si facere volueritis, ab operibus ergo salus dependet. Quid vero si opus præstare non possis? Respondet Augustinus in Psal. 103. *Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem.* Quare virtutem exscindere conantur, qui clamant, salutem non modo operibus nos non mereri, sed etiam, ne conditionẽ quidem operum ad salutem requiri, vt Mansfeldici in Synodo sua docuerunt. Quin etiam ipsi sectarij quãdoque vi veritatis adacti recte exponunt. Augustinus Marloratus, *Contra, si hæc scitis, nec tamen facitis, miseri estis. Qui enim nouerit recte facere, nec facit, hic peccato tenetur.* Iacob. 4. 17. & Luc. 12. 47. Et Musculus non hic inscientiam culpari iudicat, sed caritatis omissionem & operis [Cæterum *inquit*, locus iste ijs potissimũ obijci debet, qui vbi doctrinam Euangelij audiunt, dicũt: Quis ista nesciat? dicatur ergo illis. Si hæc noueritis, beati estis, si feceritis ea.] Hi igitur scientiam esse posse concedunt, sed inutilem, si opera desint. Caluinus sententiam Christi inuertit, quia suis decretis aduersam experiebatur. [Neq; enim vera cognitio Dei meretur nisi quæ fideles eousq; adducit, vt se capitis suo conforment. Vana potius imaginatio est, dum Christum, & quę Christi sunt, extra nos conspicimus. Hinc collige, donec se quis fratribus suis subijcere didicerit, eum nescire, sitne Christus magister.] Christus: *si hæc scitis*, inquit, *beati eritis, si feceritis ea.* Scientiam esse posse, opus posse negligi asserit. At Caluinus nisi Christo se conformẽt, negat veram esse cognitionem. Nisi lauent pedes vana imaginatio est. Nescire Christũ esse magistrum, nisi se fratribus subijcere didicerit. At contrarium Christus indicat, scire meliora, & probare, sequi autẽ deteriora. Quid honestũ sit omnes Græcos scire, solos Lacedæmonios facere, dicebat verus censor, cum illi senem, quẽ cæteri excluserant, in theatrum ad spectaculũ recepissent, & tota Græcia plausu illos honorasset, se damnasset. Pulchre Theophylactus ipsos scisse, sed de facto quæstionem fuisse. ἵνα μὴ εἴπτωσιν ὅτι τὶ τοῦτο λέγεις ἡμῖν ὡς δὴ ἀγνοοῦσιν, οἶδαμὲν καὶ αὐτοὶ τὸ τῆς ταπεινώσεως καλὸν. ἀλλ' τοῦτ' ἔφησιν εἰ οἶδατε οὐκ ἀρκεῖ τοῦτο μόνον. ἀλλὰ τότε ὄντος ἐσὲ μακάριοι, ἐὰν ποιῆτε αὐτά. *Ne dicerent: cur ista nobis quasi ignorantibus loquerus? Humilitatis honestatem & ipsi nouimus. Propterea dicit: si scitis non hoc sufficit. Sed tunc vere eritis beati, si feceritis ista, addit. Nam & Iudæi præcepta nouerunt: At non beati, imo miserrimi vt qui ea non facerent.* Non igitur præuaricatio signũ est ignorationis, nec hoc Dominus dicere instituit, sed cognitioni cõiungi imperat executionẽ.

Non fides, sed opera saluant.

Caluinus deprauat verba Christi.

Scientia sine operibus damnatur.

Scimus

seruus enim sciens voluntatem Domini & non faciens vapulabit plagis multis. Ipse non ausus est corrumpere textum Zvvinglius. *Non est satis*, inquit, *hæc nouisse, nisi facto præstiteris. Christum imitemur oportet, si beati esse volumus.*

VERSVS 18.

Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim. Sed vt adimpleatur scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum.

QVÆSTIO I.

Quomodo elegit?

§. 1. GRæca multa habent: ἐγὼ γὰρ οἶδα. *Ego enim scio.* Sed causalem plures codices & correctiores omittunt. Triplex est interpretatio. Prima vt electio sit ad vitam, & media quæ idonea sunt. Altera, vt sit ad officium Apostolatus. Tertia, vt dicat quales elegerit; scio quales fuerint, sint, & futuri sint, quos ego elegi. Quarta adiungi solet, vt agatur de electione ad Apostolatum non quauis, sed cum perseuerantia, vt electi non deficiant, vti Iudæ contigit. Sed illa electio à prædestinatione & electione ad gloriam cõiungi debet. Cæterum omnem electionem Christus hoc verbo complexus est. Nam obiici poterat, vt quid proditorem elegisti? tanto honore Iudam dignatus es, cur principum tantorum collegium societate proditoris infamas? Respondet se nequaquam inscium futurorum, elegisse, sibi notum esse non modo quales elegerit, sed etiam quos elegerit ad Apostolatum permansuros, quos ad eandem dignitatem rebellaturos, qui proinde sint filii Dei secundum electionis propositum, qui vero sua culpa rami exscindendi. Nec mirum videri oportere aliquem tanto fastigio indignum in suam familiam esse adscitum, cum Scripturæ id satis indicent futurum fuisse. *Electio varia.*

§. 2. Caluinus Iudam veram gratiam, veramque fidem habuisse negat, sed tantum externa quædam ornamenta: idque de omnibus reprobis Iudicat. » [Reprobos, *inquit*, quidem interdum Deus ornat, » Spiritus sui donis, ad exequendum, quod illis iniun- » git munus. Sic regiæ in Saule virtutes ad tempus refulgent: Sic & Iudas egregiis dotibus pollebat, quales » Apostolum Christi decebant. Sed alia longe est Spiri- » tus sanctificatio, qua Dominus, non nisi filios suos » dignatur: nam eos mente & corde renouat, vt in eius » conspectu sint, & irreprehensibiles] addit: *adoptionem esse perpetuam, &c.* *Videsne non esse indelebilia.*

Nituntur falso Caluinistarum effato de fide indelebili. Non enim vlli fidem dari existimant illi, qui eam aliquando amittat. At si alia dona aliquando reprobi accipiant, & perdant, non potest esse maior certitudo de fide, caritate, iustitia quam de aliis. Quod si virtutes illæ ad tempus refulgent, non potest quisquam certo statuere an perpetuo mansuræ sint, an temporariæ sint. Eosdem enim motus sentiunt reprobi & electi aliquando, & initia pietatis, & progressus magnos habent, quos perseuerantia non coronat. Nemo itaque de sua perseuerantia secutus est. Augustinus timere omnes iubet l. 11. cap. 31. de ciuit. Dei. *Quis enim primos illos homines in paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum: quamuis de sua beatitudine, quam diuturna, vel vtrum æterna esset, incertos? Esset autem æterna nisi peccassent:* De illis vero, qui nunc pie viuunt, sic pronunciat. *Qui licet de sua perseuerantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum, se in actione profectuque virtutum perseueraturum vsque in finem sciat? nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto latentique iudicio, non omnes instruit, sed neminem fallit.*

Idem etiam Epist. 107. docet nonnullos vere iustos deficere, & damnari. & c. 7. de corrept. & gratia. l. 2. c. 1. de bono perseuerantiæ. & c. 13. eodem loco. Docet enim timendum omnibus, quia nescitur, quo perueniendum. Quosdam filios perditionis bene & iuste incipere viuere, & postea cadere, neque de vita priusquam hoc illis contingat auferri. *Iusti sapè deficiunt, & damnantur.*

Si in eodem statu rapti fuissent, salui essent, nunc damnantur, quia malitia mutauit mentem ante, quam morerentur.

§. 3. Interim monemur ne iniuriam inferentibus irascamur, pro illorum potius salute oremus: Omnia eo dirigamus, vt corrigantur, vt serio monet Chrysostomus. Nec etiam animo cadamus, aut miremur, si ad summos in Ecclesia honores aliquando videamus ascendere hypocritas; imo proditores. Apostolus & quidem œconomus Christi talis erat.

QVÆSTIO II.

Quid est calcaneum contra aliquem leuare?

§. 1. SEnsus imperfectus est, subaudiendum enim est, hoc factum esse, vt impleretur Scriptura. Leuauit, est ἐπῆρεν Psalmo 40. 10. Dauid queritur, *hominem pacis suæ qui comedebat panem eius magnificasse super se calcaneum*, הגדיל עלי עקב *Higdil ghalai ghaketbh. Magnificauit super calcaneum*, seu plantam, hoc est, supplantauit, dolo euertit. Dauidi quidem amicitiæ illuserunt fraudulenti, hic tamen locus de Christo literaliter accipiendus est. Dicitur porro de illis, quibus tantum virium non est, vt aperta vi hostem aggrediantur, sed dolo tentant. Græcis est ὑποσκελίζεσθαι; luctatorum erat, calcaneo crura aduersarii impedire, vel ferire, vt deiicerent. ita Psal. 55. 7. *Ipsi calcaneum meum obseruabunt*, hoc est, omnia vestigia, vt deiiciant. Agellius in com. ἐπιβουλεύεσθαι μοι τῷ πτέρναν. τελέσι τῷ τὸ βῖς πορείαν εἰπὼς σκελίζοντες καὶ καθαλῶσί με, καὶ τὰ ἔχνη μὲ παρεληροῦν. *Laborabant solliciti circa calcaneum meum, hoc est vitæ gressum, si quomodo supplantando deiicerent me, & vestigia mea obseruabãt.* at hic calcaneum suum contra vestigia amici eleuat insidiator. *Magnificauit*; nam magnifico se stratagemate vicisse putabat, quod & rem sibi pararet, & scelus latiturum confideret. Similis locutio est Abdiæ 1. 7. Ieremiæ 9. 4. Valde igitur dolose & prudenter se agere Iudas existimabat. *Calcaneũ tollere, dolo perdere.* *Magnificare.*

Pulchre Theophylactus; καὶ οὐκ εἶπεν. ὃν ἐτῶ δῶρα δίδωσί με. ἀλλ' ἦρεν ἐπ' ἐμὲ πέρνισμὸν τετέχι δόλον, καὶ ἀπάτην καὶ ἐμῶ σὺν ἐθηκεν. *Et non dixit: Quod ille tradidit me. Sed leuauit super me calcaneum, siue supplantationem. hoc est dolum, & deceptionem contra me constituit.* Originem locutionis etiam adducit. ὃν μεταφορᾷ τῶν παλαιόντων οἱ ὑποσκελίζοντες τὰς ἀντιπαλαίοντας, δόλῳ τε καὶ τὰς πτέρνας αὐτῶν παίοντες, καταβάλλουσιν. Ex *metaphora luctantium, qui supplantantes colluctatores, dum calces eorum calcant, deiciunt.*

VERSVS 19.

Amodo dico vobis, priusquam fiat: vt cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.

QVAESTIO I.

Cur prædixit?

§. 1. MAgna futura erat inter Apostolos conturbatio, cum eum quem plurimi faciebant & ipsi, & Iudæi, vtpote Oeconomum, & æratii dominici præsidem videt proditorẽ, Hoc scandalũ Dominus anteuertit, vt & ipse qui cogitationes sceleris agitabat animo, intelligeret sciri omnia ipsius consilia, & alii prædicta esse recordarentur, *ideo*, inquit, *prædixi, vt cum facta fuerint sciatis me esse*; nempe ipsum Dei filium. Theophylactus interpretatur, ὅτι ἀληθεύω, *quod verum dico.* Et ante dixerat: ὅτι περὶ τούτου λέγει ἡ γραφὴ ὃν ὁρῶμεν τὸν ἔργον τελέσαντα. *De eo loqui scripturam, quem opus perficere videmus.* Totum ergo hoc Christo est, & ipsius diuinitatem nobis ostendit. Nam & Iudam elegit, quod Deitatis est, & scripturam impleuit, & quid futurum esset, ante prædixit. Nec malum tamen elegit.

Ne turbarentur facto, prædicit.

Sed vt idem Theophylactus ait: Τί φήσομεν περὶ τοῦ Ἰούδα; ἆρ' οὐχὶ καὶ αὐτὸν ἐξελέξατο μὲν οὖν καλὸν ὄντα, ὡς καὶ τὸν Σαοὺλ, ἀπὸ δὲ μετεβλήθη, αὐτεξούσιον γὰρ συγχωρεῖ ὁ Θεὸς ἕκαστον, καὶ βλέπειν. οὐ γὰρ ἀναιρεῖ τὸ αὐτεξούσιον, μεταβληθέντα δὲ τὸν Ἰούδαν ἀπώσατο, εἰ καὶ πρὶν ἐξελέξατο. *Quid de Iuda dicemus? nonne & ipsum elegit? Elegit equidem ipsum cum bonus esset (Iudas) vt & Saulem, sed mutatus est. Nam liberi arbitrij fuit. Permittit vero vnicuique, prout vult, agere. Non enim tollit liberum arbitrium mutatum autem Iudam repulit, etsi prius elegerat.* Itaque & Iudas vt priore quæstione docui, defecit, nec prædictio Scripturæ aut Christi eum prodere coegit. Quam autem vim habeat vera non ex rerum causis, aut coniectura futurorum prædictio, vt ex ea diuinitas colligatur, alio loco docui. Hic vero se verum esse scripturæ interpretem probat; nempe ea quæ futura sunt, prædicendo, *vt sciatis*, inquit, *me esse eum*, de quo Dauid prophetauit, id ex euentu colligetis; nam amicus meus me prodet. cum igitur de futuris, quorum est maxime recondita ratio verissime prophetem, etiam veterem scripturam me intelligere, non erit prudenter considerantibus dubium. Messiam autem fuisse Prophetam creditum ex Deut. 18. satis constat, & in Midras Coheleth manifestum est Iudæos ita sensisse.

Iudas bonus electus, malus reiectus.

VERSVS 20. 21. &c.

Amen, amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu: & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis; quia vnus ex vobis tradet me, &c.

QVÆSTIO I.

Cur iterato prædixit vnum proditorem?

§. 1. PRimo quidem mœstos solatur, ne se putent Deo minus curæ fore, si humiles, & in mundo sint abiecti, si pedes inuicem lauẽt; Tanti enim eos esse, vt qui eos receperit, Christum, & Deum patrem recipiat. Optime Chrysostomus. μεγάλη τῆς περὶ τοὺς δούλους τῆς ἀγαθοποιΐας ἡ ἀνταπόδοσις, καὶ τοὺς. καρπὸς ἐντεῦθεν ἡμῖν ἀποδίδωσιν. ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται. ὁ δὲ λαμβάνων ἐμὲ, λαμβάνει τὸν πέμψαντά με. *Magna Dei remuneratio in seruos, & cultores suos, & merces inde nobis comparatur.* Qui vos accipit, *inquit*, me accipit: & qui accipit me, accipit eum, qui misit me.

§. 2. Protestatus autem est, & turbatus, vt tanti sceleris magnitudinem Iudæ considerandam proponeret, & Apostolis inculcaret, non insciũm, neque inuitum ad mortem ire; omnium quæ Iudas, & sacerdotes machinarentur omnino gnarum. Quin ipsi Domino horrorem incussit Iudæ facinus Apostolicum ordinem infamantis. Qui vero timorem putabant argumentum esse diuinitatis absentis, eos refutat Athanasius oratione 4. & καθ' ὁρους appellat. de quibus iam sæpius actum est.

Deum se ostendit.

VERSVS 23. & 24.

Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est de quo dicit?

QVÆSTIO I.

Cur Petrus per Ioannem rogauit?

§. 1. VErs. 24. Græci codices variant, alii habent: πυθέσθαι τίς ἂν εἴη, alii: εἶπε τίς ἐστι. Posteriorem lectionem Latinus interpres expressit. Ioannem Petrus interrogat, non tanquam maiorem aut sanctiorem, sed Christo viciniorem, & qui posset facile priuatim quærere, cum in eius sinu recumberet, ita monet Chrysostomus.

Quomodo dilexit Ioannem.

§. 2. Ioannem dilexit peculiari quodam amicitiæ humanæ modo, non quod sanctior ille, vel maior Petro vel etiam aliis foret, sed vt ostenderet, inter sanctos etiam humanæ amicitiæ locum esse; nam consuetudine & amicitia quadam plerunque alii aliis conciliati sunt, non sola commendatione virtutis, sed alias etiam ab causas honestas, quamuis interdum, factum aliquod, aut virtus, vt fidelitas, fortitudo, meritum, verecundia caros faciant amicis. Sic igitur Ioannem amabat, & familiarius vtebatur, vt in Ecclesiastico officio legitur ob castitatem, Petrum alioqui magis amabat, & ab eo plus diligebatur, quocirca & oues specialiter illi commendat. Explicuit erudite hanc partem Toletus in comment. in Ioannem.

Permittit prodition

In sinum recubuisse ait, quod veteri more in lectulis recumberent, non ad mensam sederent. Qua de Baronius, ann. 1. & multi viri docti scripserunt. Nostri pictores ridiculè ad mensam sedere fingunt, & reclinato corpore in sinu Iesu recumbere. Augustinus per sinum secretorum societatem indicari docet. Alioqui in sinu ferre vti & in oculis ferre, prouerbium est, quo amor in aliquem indicatur. Hæc tamen cæteris hæsitantibus ἀπερκμώσις dicta non sunt. Iudas vero rupe durior immotus in proposito proditionis perstat.

§. 3. Quod post buccellam dicitur intrasse in eum Satanas, significatur, magis illa Christi benignitate induratum, & Satanæ suggestionibus toto affectu paruisse. ψωμίον panis est embammate tinctus. Offulam alii vocant, Syrus simpliciter לחמיא *lachme*, panem appellat. Consule Augustinum tr. 61.

* *
*

VERSVS

VERSVS 26.27.& 28.

Respondit Iesus: Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis, Iscariotæ. Et post buccellam, tunc introiuit in eum Satanas. Et dicit ei Jesus, Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei.

QVÆSTIO I.

Quid Iudæ Christus significat?

§. 1. QVod facis fac citius. Augustinus tract. 62. *Non præcipit facinus, sed prædixit Iudæ malum, nobis bonum. Quid enim Iudæ petius, & quid nobis melius quã traditus Christus ab illo aduersus illum pro nobis præter illum?* Quod facis, fac citius. *O verbum libentius parati ad passionem, quàm irati ad vindictam. O verbum non tam pœnam exprimens venditoris, quàm mercem significans redemptoris, dixit enim.* Quod facis, fac citius: *non tam in perniciem perfidi sæuiendo, quam ad salutem fidelium festinando, quia traditus est propter delicta nostra, & dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea: Vnde & de seipso dicit Apostolus,* Qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me. *Nisi ergo se traderet Christus, nemo traderet Christum. Quid habet Iudas nisi peccatum? Neque enim in tradendo Christo salutem nostram cogitauit, propter quam traditus est Christus, sed cogitauit pecuniæ lucrum, & inuenit animæ detrimentum. Accepit mercedem quam voluit, sed nolenti est data, quam meruit. Tradidit Iudas Christum, tradidit Christus seipsum. Ille agebat negotium suæ venditionis, iste nostræ redemptionis.* Quod facis, fac citius: *non quia tu potes, sed quia hoc vult qui omnia potest.*

Permittit prodition. Permissionis igitur est quod dicit, vt ostenderet mortem se non fugere, & conscium esse rerum omnium. Chrysostomus adhortationem esse, qua Iudam ad emendationem reuocaret. Quin hoc ipsum indicasse puto, se nec sua præscientia qua cauere insidias potuit, vel fugiendo, vel latendo apud notos. vel etiam discipulorum manu obstaturum Iudæ conatui, insidias & dolos successum habituros, precium etiam fore sceleri dandum. Cur autem hoc diceret illi, nemo cæterorum excepto Ioanne sciebat. Nam de necessariis, aut pauperibus loqui putabant.

VERSVS 29.

Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret.

QVÆSTIO I.

Quæ ratio pecuniæ in Christi familiâ fuit?

§. 1. HOc etiam dignationis summæ fuit, & humilitatis, quod Christus cum imperare omnibus posset, vt sibi necessaria præstarent, cum plurimi sanati id promptissimè facturi essent, cum ipse sibi miraculosè omnia comparare, vel Angelorum ministerio potuisset, acceperit eleemosynas & dona, atq; ita vitam tolerarit. Iudas itaque loculos habuit. Syrus גלוסקמא צאדוחי *Glossecoma ad latus eius.* Ex quo apparet Christum egenis solitum dare eleemosynam; nam si ordinarium id non fuisset, de eleemosyna nequaquam essent suspicati. S. Augustinus Ecclesiarum habentium pecuniam ex Christi facto vult manasse. Tract. 62. *Habebat ergo & Dominus loculos, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primũ Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, vbi intelligeremus quod præcepit non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ seruetur à sanctis, sed ne Deo pro ista seruitatur, & propter inopia timorem iustitia deseratur, nam & Apostolus in posterum præuidens, ait. si quis fidelis habet viduas, sufficienter tribuat eis, vt non grauetur Ecclesia, quo veris viduis sufficere possit.* *Christus Eleemosynam dabat.*

§. 2. Bullingerus Christi exemplo contra paupertatem religiosorum vtitur, qui pecunia carent. Quid vero maleuolis obtrectatoribus facias, qui nec diuitias cleri nec religiosorum paupertatem ferre possunt, vtrisque ex æquo infensi? Anabaptistis etiam nos consociat, qui neminem, nisi omnia in commune referentem in suos cœtus recipiunt. At longe diuersa ratio est. Anabaptistæ Christi exemplum in necessitatem paupertatis trahunt: orthodoxi nulli legem deferendi patrimonii ferunt, qui id sponte & voto ferunt, promisso teneri docent. *Paupertas religiosa.* *Paupertas Anabaptistica.*

Cæterum religiosa paupertas facto Christi magnoperè firmatur; nam priuatim Apostoli pecuniam non possidebant, quæstor omnium erat Iudas, commune ærarium tale erat, vt non modo illis sufficeret, sed etiam libe alitati in egenos, & furtis Iudæ.

Augustinus in Psal. 132. Apostolorum exemplo Monachorum paupertatem probat. *Veruntamen dilectissimi si consideremus de illo pariete circumcisionis prius nata est ista benedictio. Num enim omnes Iudæi perierunt? Et vnde Apostoli filij Prophetarum, filij Excussorum? Sicut iam scientibus loquimur. Vnde illi quingenti, qui Dominum post resurrectionem viderunt, quod commemorat Apostolus Paulus? Vnde illi centum viginti, qui simul erant in vno loco post resurrectionem Domini & ascensionem in cœlum, quibus in vno loco constitutis superuenit Spiritus Sanctus diebus pentecostes missus de cœlo, sic missus sicut promissus?*

Idem Augustinus l. 17. cap. 4. de ciuitate, Apostolorum paupertatem ex voto fuisse scribit. Vide eundem Ep. 89. ad Hilarium. l. 2. c. 104. contra literas Petiliani. In Psal. 75. & 99.

VERSVS 30.31.& seqq.

Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox. Cum ergo exisset, dixit Jesus, Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo, &c.

QVÆSTIO I.

Quid Christus post Iudæ discessum monuit?

§. 1. IVdas accepta buccella continuo exiuit, etiam noctu, tum impellente eum Satana, ne forte ad pœnitentiam cogitati sceleris peruenire, tum etiam ne manifestaretur cæteris id quod videbat iam Dominum nosse. Christus primum sibi, & suis gratulatur, quos blandissime filios appellat. Iam inchoari prælium sciebat, iam moueri Pontifices, armari familias, cohortem conuocari, itaque in Spiritu exultans, *iam*, inquit, *filius hominis clarificatus est*, more Hebræo præteritum pro futuro ponit; *Christus ad crucem suos excitat.*

Iam

Iam enim victoria exiguo tempore differenda erat. ita Origenes, Chrysostomus, Cyrillus, Theod. Mopsuestenus Theophylactus. Imperatores cæteri cum pugna instat, spem vultu simulant, prælium sperare milites iubent, sed premunt animo curas & dolores: Christus certus victoriæ, certus etiam mortis, totum hoc opus clarificationem vocat, Paradoxon autem videbatur, summam gloriæ in crucis ignominia collocare, sed ita Deo visum, vt cunctis certum esset, non posse venire ad regnum fideles, nisi per crucem.

§. 2. Alio autem sensu dicit, Eos iam sequi non posse, alio dixerat Iudæis. Apostoli iam sequi non poterant, diuino decreto ad aliud tempus dilati, Iudæi nunquam secuti sunt, nisi qui à perfidia recesserunt. Nonnulli ad Apostolorum infirmitatem referunt, qui nondum ad obeundam pro Christi gloria mortem sat animo erant parato, & firmato, quod experientia declarauit.

VERSVS 34. 35. & seq.

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem, &c.

QVÆSTIO I.

Cur mandatum dilectionis vocet nouum?

§. 1. SYrus suo more habet חד לחד chad lechad, *vnus ad vnum*. In Græco etiam est quædam varietas lectionis, quæ tamen sensum non immutat.

Cur autem nouum vocat mandatum, cum olim Iudæis dictum sit: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, omnes auctores quærunt; præsertim cum Ioannes in Epistola sua, nouum vocet & vetus. Chrysostomus nouum ait: τῷ τρόπῳ modo, nempe, vt diligant se mutuo, *sicut ipse dilexit eos*, non frigide, non inconstanter, sed in finem, sed vt vitam pro fratribus ponere sint parati. Sic etiam Theophylactus; nempe hoc Christum exigere, vt sicut ipse gratuito, nullo discipulorum merito antecedente dilexit, imo inimicos humana natura corrupta, ita quoque se mutuo diligant, hostes etiam & fratres à quibus iniuria afficiuntur, beneficiis sibi conciliare nitantur. Hanc perfectionem amoris postulare noua lege Christum. Verum hæc omnia etiam in lege veteri commendata fuere. Nam perfectam caritatis normam lex diuina constituit.

Noua non ideo quod sine cæremoniis.

Nouitatem legis nonnulli in eo constituunt, quod absque figuris, & cærimoniis diserte promulgetur, Verum tam claris, tam emphaticis etiam olim verbis promulgata fuit, vt nullæ cærimoniæ obscurare lucem illam potuerint, iuuerint omnes potius ac promouerint. Nec decorum vt Deum tales cæremonias dedisse populo suo dicamus, quibus à fine legis & perfectione, vnde lex & Prophetæ, omnesque ritus pendebant, auerterentur.

Noua quod innouet.

Augustinus mãdatum interpretatur nouum, quod renouat. Tract. 65. *Nonne iam erat hoc mandatum in antiqua Dei lege, vbi scriptum est; Diliges proximum tuum, tanquam teipsum? An ideo nouum, quia exuto vetere homine, induit nos hominem nouum? Innouat quippe audientem, vel potius obedientem, non omnis sed ista dilectio, quam Dominus mandat. & vt à carnali dilectione distingueret, addidit: Sicut dilexi vos. Dilectio nos innouat vt simus homines noui,* Hæc eadem omnes quoscumque Deus in suos recepit, à mundi principio, renouauit, lex renouans, reformans, regenerans.

§. 2. Non ambigo modo illo nouum mandatum posse dici. Nouum tamen appellari malo, quod moribus in contrarium prævalentibus antiquatum erat, ita vt in paucissimis eius vigor resideret. Pauci Christum sequebantur, nec omnes illi sinceri erant, interipsos Apostolos ambitio gliscebat venenum caritatis. Pharisæi cum dicerent. *Diliges proximum tuum*: addebant; *& odio habebis inimicum*, quo additamento, penitus caritatis legem corruperunt. Nouum igitur mandatum dedit, nouum & vetus vocat Ioannes. Vetus quia olim datum in deserto, nouum quia renouatum, & in mores reductum, postquam vitia antiquam legem prope obruerunt, aut aboleuerunt. Hanc igitur Christus iterum renouatam suis inculcat: in ea enim omnia consummantur: Hanc non modo vt Dei legis summam, sed vt suæ incarnationis causam, & Ecclesiæ toto orbe dispersæ vinculum commendet. Quasi omnium incurius hoc in mandato solo hæret. *Nouum mandatũ.*

§. 3. *Quum hac mutuâ dilectionis notâ suos Christus discernat ab alienis*; inquit Caluinus. *frustra se fatigant qui relictâ caritate nouos & commentitios cultus suspiciunt, qualis hodie vanitas in Papatu regnat.* Hoc in Sectarios conuenit, qui relicta caritate, vnitate, fide, nouos cultus, nouas opiniones suscipiant, apud quos multi, & contrarii regnant errores. Nouos cultus non habet Ecclesia. Quicquid nouitatis nomine inuisum populo reddere laborant nouatores, antiquum est. *Ecclesia nouos cultus non habet.*

Quod si mandatum Apostolis proponitur, sola fides non sufficit, mandati enim obseruatio requiritur. ipse Caluinus hoc agnoscit. *Quisque vero Christi esse & à Deo agnosci cupit, totam vitam componat, & dirigat ad amandos fratres, & huc se assidue sollicitet.* Itaque à Deo pro alieno habetur, qui fratrum amore careti omnia enim facere potest inimicus Dei, amare non potest, aut si amat, iam est amicus. Itaque vera est, & trita Augustini sententia. *Fides sine caritate potest esse, non potest prodesse.* Idem lib. 50. homil. hom. 7.

Et Enchiridii c. 67. *Librum autem de hac quæstione scripsi, cuius titulus est*, de Fide & operibus. *Vbi secundum scripturas Sanctas, quantum Deo adiuuante potui, demonstraui eam fidem saluos facere, quam satis euidenter expressit Paulus Apostolus dicens*, In Christo enim Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides quæ bene per dilectionem operatur. *Si autem male & non bene operatur, proculdubio secundum Apostolum Iacobum, mortua est in semetipsa. Qui rursus ait*, Si fidem dicat se quisquam habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum? *Porro autem si homo sceleratus propter fidem solam per ignem saluabitur, & sic est accipiendum, quod beatus Paulus Apostolus*, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: *poterit ergo saluare sine operibus fides, & falsum erit quod dixit eius Coapostolus Iacobus. Falsum erit & illud quod idem Apostolus Paulus dixit*, Nolite, *inquit*, errare, neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici, neque ebriosi, neque rapaces regnum Dei possidebunt. *Si enim etiam in istis perseuerantes crimnibus, tamen propter fidem Christi salui erunt, quomodo in regno Dei non erunt?*

§. 3. Hoc autem Christianorum symbolum est, mutua caritas. Proprium enim discipulorum est, imitari magistrum. Vide Augustinum q. 71. in lib. qq. 83. Athanasius illis qui mirabantur, misericordes, & caritate præditos plures fieri à multis, quam eos qui miraculis illustres erant, respondet. *Non à seipsis hoc sufferunt: Sed cum audierint seruatorem nostrum digium dixerunt: Sed cum audierint seruatorem nostrum dicentem: Hinc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, non si signa feceritis, sed si dilexeritis vos inter vos.* *Caritas pluris est, quam miracula.*

CAPVT

CAPVT XIV.

NON turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. 3. Et si abiero, & præparauero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. 4. Et quo ego vado scitis, & viam scitis. 5. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis: & quo modo possumus viam scire? 6. Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me. 7. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. 8. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. 9. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrē. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? 10. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipsa facit opera. 11. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? 12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. 13. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. 14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. 15. Si diligitis me, mandata mea seruate. 16. Et ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. 17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. 18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. 19. Adhuc modicum: & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis. 20. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. 21. Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo meipsum. 22. Dicit ei Iudas non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? 23 Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonē meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: 24. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem, quem vos audistis, non est meus: sed eius, qui misit me, Patris. 25. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. 26. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. 28. Audistis, quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior est. 29. Et nunc dixi vobis prius quam fiat, vt cum factum fuerit, credatis. 30. Iam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. 31. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM

ARGVMENTVM.

CONSOLATIONE & variâ doctrinâ plenum est caput decimum quartum; mœsti erant auditâ de cruce Prophetiâ, maximè sollicitos habuit. Petro prædicta negatio, & incerti proditoris scelus. At Christus promissione regni afflictos solatur, se esse viam veritatem & vitam ostendit, Patrem in se videri, alio modo non posse ostendi, operibus suis credendum esse. Mandata sua ab illis custodiri, qui eum diligunt. Venturum spiritum veritatis, omnia docturum, caritatem seruandis mandatis cerni. Pacem illis relinquit, & rediturum promittit.

Quatuordecim versus initio apud Syros leguntur in commemoratione Thomæ Apostoli, & Philippi. Syriace ברוברנא beducherana. *in commemoratione, &c.* Cætera vesperæ Dominicæ Pentecostes.

VERSVS 1.

Et ait discipulis suis: non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.

QVÆSTIO I.

Cur admonet ne turbentur?

§. 1. MAgnum præ manibus certamen videbant, magnam θλῖψιν & δυσολίας aiunt Chrysostomus & Theophylactus: Circumstantes procellas, & molestias ex verbis Domini coniiciebant, quod fortissimo eorum Petro lapsus grauis prædiceretur, odia, fraudes hostium norant, toties de morte Domini admoniti dubitare non poterant, tristia igitur omnia & sæua augurabantur. Christus cogitationibus varia agitantibus vario solandi genere occurrit, & initia mollire conatur, nam intrantibus affectibus si quis obsistat, facile exeludit, admissi hominem rapiunt. Ne igitur dolori indulgerent, qui ex magistri morte grauissima, contumeliisq; iam animo perceptis tantum doloris contraxerant, monet. Dolere, & angi in mortib. carorum naturale est, at Christus grauius eos conturbari vetat. μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία. Ne conturbetur, vt mœrori succumbat, spem abiiciat. Nam tristes esse aliquo modo, & intra metas rectæ rationis, non prohibet. Flere cum flentibus, & lugere cum lugentibus pietatis pars est.

Dolori succumbere Apostolis vetat Dominus.

Quia

Quia vero metus in periculo frangere animos, & fidem, constantiamque excutere facile potuit, ideo tam serio hortatur, vt conturbationem culpabilem ex animo reiiciant.

§. 2. Interim magna consolationis pars erat, cum animaduerterent, non modo Christum ea, quæ sibi erant euentura prædicere, sed intimis etiam cordium suorum disceptationibus, & affectibus interesse, proditores dolentes, negaturos cognoscere. Annotarunt id Theodorus Mopsuestenus, Leontius Maldonatus. Nam Deum se esse contestatur, etiam Augustino interprete. Turbari cor vetat, rationem metu excuti, vt Cyrillus, l. 9. c. 19. Quod aliqui Græci codices habent adiectum. καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. *Et dixit discipulis suis*, ex glossa marginali in textum irrepsit. Est tamen apud D. Thomam Rupertum, Bedam, Augustinum, quamuis apud hunc paulo aliter. Sed correctiora exemplaria, vt & Sixtina editio omittit.

Ad constantiam igitur eos Dominus hortatur, vt nos quoque exemplo Apostolorum aduersum aspera obduremus, non stoica apatheta, sed fide & veritate Christiana: Ambrosius in Ps. 118. 8. multis id admonet. Nunquam enim bene viuentibus desunt aduersa, quæ sint vincenda: quin etiam læta, & secunda animum fortem postulant, ne emolliatur?

QVÆSTIO II.

Quod remedium contra tentationes proponit?

Fide vincitur mundus.

§. 1. FIdem. *Creditis in Deum, & in me credite.* In Græco textu verba ambigua sunt. πιστεύετε εἰς τὸν θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. Quod verti potest. *Creditis in Deum & in me creditis.* vt causa reddatur, cur constantes esse oporteat. Vos, inquit, in Deum creditis, etiam in me Dei filium creditis, fides fulcrum est animorum, ne agitentur, & concidant. Fide statur. Altera versio est, vt sit iubentis, aut consilium dantis. *Credite in Deum, & in me credite.* Faciessent illa terribilia carcerum, & vltimi supplicii, si in Deum, & in me respicitis. Fides omnium est victrix, etiam mortis. Fide ergo vincite, credite me resurrecturum: & mors facile contemnetur. πάντως, inquit, Chrysostomus παρελθοῦσα τὴν δεινὰ: ἡ γὰρ εἰς ἐμὲ πίστις, καὶ τὸν γεγενημένον δυναμωτέρα τῶν ὁπλούντων ἐστί. Omnia grauia præteribunt, nam fides in me & patrem, insurgentib. est potentior.

Hanc videtur sequi Syrus qui habet הֵימְנוּ Heimenu credite ergo, & non turbabitur, non premetur cor vestrum נִתְרוּר nethdauzd.

3 Tertia expositio. Credite in Deum, & in me creditis. quam fere nemo sequitur.

4 Quarta est Latini interpretis. *Creditis in Deum & in me credite.* Nemo vestrum non confitetur in Deum se credere. At si in Deum creditis etiam me in credite; nam & Deus ego sum. Vide Rupertum. Vigilium l. 4. contra Eutychetem. *Ne mortem* ait Augustinus, tractatu 67. *tanquam homines timerent, & ideo turbarentur, consolatur eos, etiam se Deum esse contestans. Creditis, inquit, in Deum, & in me credite. Consequens est enim vt si in Deum creditis, in me credere debeatis. quod non esset consequens si Christus non esset Deus. Creditis in Deum, & in eum credite, cui natura est, non rapina, esse aqualem Deo.* Non enim creaturæ id diceret, si creditis in Deum & in me credite: Fides enim in Deum tendit.

§. 2. Quid sit credere hoc loco controuertunt hæretici noui. Pareus l. 1. c. 6. de iustificatione. *Credere* „ ait poni pro *confidere*. [Sicut fidei, *inquit*, vocabulum „ ὁμώνυμον sumitur modo pro notitia vel assensu, mo„ do pro fiducia, vel seorsum vel coniunctim, sic ver„ bum *credere*, etiam ὁμώνυμον sumitur, modo pro as„ sentiri, modo pro *fidere*, idq; seorsim, vel cõiunctim.] Hic ait accipi pro confidere, & Bellarminum inde expugnat. Atqui Dominus fidem exigit, vt credant esse vera, quæ dixit: non vt credant se omni in scelere fore iustos. Hoc iubet credere. quod v. 10. quod ipse in patre, & patre in ipso sit. Eodem v. 11. & 12. Ex illa fide nascitur fiducia, non est ipsa fides. Et Augustinus obiectum fidei, quod exigitur proponit; *mortem metuitis formæ serui, non turbetur cor vestrum, suscipiet illam formæ Dei.* *Credere est assentiri.*

Non hoc dicebat Petro, ne turbetur cor tuum, et negabis, peierabis, iustitiam tamen retinebis & spiritum Sanctum. Imo si tu ipse me proderes, non tamen tibi imputaretur. Abest vt hoc credi Dominus voluerit, totum Sacræ Scripturæ corpus illabla'phemiam excludit. Imo illa ipsa disiunctio satis indicat agi de fide quæ pro obiecto Deum habet, & Christum: non autem hoc velle: credite vos prædestinatos. Credite iustos. Non ignoro ab illis mira pro indelebili iustitia adferri, sed euanida sunt. aiunt eos credere iussos, se non perdituros iustitiam, nec Petrum perdidisse. Zanchius ex Aristotele probat. Aristotelem in Ethicis tradere: Nautam cum propter tempestatem, merces proiicit in mare, hoc facere partim ἑκόντα, partim, ἄκοντα, id est, *partim volentem, partim nolentem*, quod Latini dicunt, non ex animo, non tota voluntate. Petrum non odio Dei, sed infirmitate peccasse hoc quidem verũ est. At si Philosophia vtemur, iam quicquid ira, auaritia, amor, metus impium suadebit, cum non tota voluntate fiat, iustitiam non auferet, & si quis Christum negarit, si electus sit, non perdet negando iustitiam. Hoc Manichæi, Hoc Priscillianistæ velint, & magno mercentur Simoniaci. Hinc Oecolampadius dubius fuit, & inconstans in hac sententia. Super Epist. Ioan. p. 60. Spiritum Sanctum auferri docet: aliique fere ante Caluinum, quasi medii inter Zvinglianos, & Lutheranos. *Indelebilis iustitia Caluinii.*

Et mortalia posse peccata committi ab illis, qui illuminati sunt. Quod postea tanto ardore resumpserunt Arminiani in Belgio, vt ab aduersariis, omnibus modis vexati sint, nec pacem, nisi exilio obtinere potuerint.

Idem etiam docet Hemmingius in Syntagmate. p. 124. Quin etiam Conradus Schlusselbergius alios multos contra rigidos Caluinistas in testimonium producit: vt iam eam sententiam pene pro desperata habeant.

Atque ex his initiis Belgæ Caluiniani doctiores cum Arminio, à stolidissima illa præsumptione docenda recesserunt. Fidem vero interpretantur, vt nequaquam suæ iustitiæ, aut prædestinationis certitudinem esse dicant.

§. 3. Caluinus graui calumnia hic orthodoxos onerat Negat eos Christum pro scopo habere propositum. [Se ergo Christus quasi scopum proponit, ad „ quem fides nostra dirigatur. reperiet in promptu vbi „ quiescat. Est enim vetus Immanuel, qui simul ac fide „ quæritur, intus nobis respondet. „

Theologi papales cum de obiecto fidei disputant, „ vel garriunt potius. nudam faciunt solum Dei men„ tionem: Christi nulla ratio. „

Pudet superbos homines humilitatis Christi.] „

Respondeo. Nos quoque Christum pro scopo tenere, per Christum ire ad patrem. Obiectum fide & Theologiæ, Deus est. Sed Christum non excludimus, cum Deum ipsum esse cõfiteamur. Sicut igitur Deum esse, & remuneratorem esse fide credimus, ita quoque Christum Deum esse credimus, & hominem, & fidem nostram in Deum referimus. Fidei obiectum duplex Theologi statuunt: Primarium & adæquatum. Illud appellant in quod omnia referuntur, quod inter omnia excellit, à quo omnia dependent. *Non solum Deum est obiectum fidei.*

Quod

Quod est Deus, summa, prima, creatrix, increata veritas, Deus trinus & vnus. Adæquatum est, quod æque late patet, atque ea quæ reuelata sunt, Deum, Christum etiam hominem, totam scripturam, traditionesq; complectitur. Falsum igitur nudam nos Dei facere mentionem, cum de obiecto fidei agitur: omnium rerum reuelatarum mẽtionem facimus, inter quas iustitiam inter scelera sartam, tectam, & in animis facinorosorum manentem numerare fas non iudicamus. Multi autem sunt, qui Christum seu Deum hominem obiectum fidei existiment.

Christus etiam obiectum fidei est.

Quin Gregorius de Valentia in analysei fidei hanc primam propositionem probandam suscipit. *Necessarium omnino ad salutem esse, firmâ fide credere, doctrinam supra rationis naturalis captum, à Christo traditam esse diuinam, atque verissimam.*

VERSVS 2.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus, dixissem vobis, Quia vado parare vobis locum.

QVÆSTIO I.

Quæ vera sit lectio versus secundi?

§. 1. LEctionis varietatem Valla, Erasmus, Brugẽsis, Maldonatus, Toletus, cæterique annotarunt. Verba Brugensis p. 1089. *Hũ verbũ non est præponendum,* & ait discipulis suis. *quod optima quæque manuscripta, cum Græcis & Syricis libris prætereunt, astipulantibus tractatoribus tam Græcis, quam Latinis, vt autem hoc non est præponendum, ita nec quod alij libri habent*; neque formidet: *postponendum est: est enim non huius loci, sed versus 27. subsequentis.*

Cardo in eo vertitur, an sit versus legendus, quasi vna periodus. *In domo patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus, dixissem, quia vado parare vobis locum.* ita vt significet, se si multæ mansiones non essent, dicturum fuisse se iturum, & locum, paraturum, vt mansiones si non essent, fierent. In Græco non est ὅτι, seu *quia.* ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ πατρός μου μοναὶ πολλαί εἰσιν, εἰ δὲ μὴ εἶπον ἂν ὑμῖν, πορεύομαι ἑτοιμάσαι ὑμῖν τόπον. Possunt tamẽ, & Græca ita exponi, vt vna sit periodus. *Dixissem vobis, vadam parare vobis locum.* Possunt sic intelligi, vt post, *dixissem vobis*; sit perfecta distinctio. Et noua periodus inchoetur ab illis verbis: πορεύομαι *vadam.* Erasmus contendit ὅτι *quia* esse superfluum. Beza à πορεύομαι nouum versum inchoat, vt omnino distinguat. Sed & in Græcis vna est periodus, ita Chrysostomus, Cyrillus, Nonnus, Leontius, Theophylactus. Ab hac igitur lectione non est recedendum, nec noua versuum facienda distinctio.

Vetus lectio probatur.

Ratio est, quod veteres Græci & Latini ita legunt. Nam etiam Augustinus, & Latini Græcis quos nominaui consentiunt. vt Rupertus, Beda. Deinde etiam Syrus in vnam sententiam omnia concludit, & etiam illud ὅτι addit, non enim simpliciter dicit אזל sed דאזל dazel, quod est: *nam vado*; eam particulam in versione Bibliorum regiorum non bene omissam video.

§. 2. Sensus est apud Theophylactum & aliõs nonnullos. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt; quod si ita non esset, vobis dixissem, me ire & parare illas,* vt vos securos redderem. Verba Theophylacti sunt. ὥστε οὐ χρὴ θορυβεῖσθαι πρὸς τοῦτο, πολλαὶ γὰρ μοναί εἰσιν ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ πατρός μου. τοῦτέστιν ὥσπερ πολλὴ ἐξουσία τοῦ πατρός. οἰκίαν πᾶν ἐξουσίαν καὶ ἀρχὴν νόει. εἰ δὲ καὶ μὴ ἦσαν οἰκίαι, ἐγὼ ἂν ἐποιησάμην καὶ ἡτοίμασα ὑμῖν. *Vt non oporteat turbari circa locum; multæ sunt enim mansiones in domo Patris mei; Hoc est, sub potestate Patris, Domum enim potestatem, seu principatum intellige. Si vero non essent domus,* (οἰκίαι puto legendum μοναὶ mansiones) *ego iuissem & parassem vobis*: Addit: *vt neutrâ ex parte vos turbari oporteat, siue paratæ sint, siue non, Etsi enim non essent paratæ, ego omni studio eas vobis pararem. Siue etiam ad parandum vobis locum profectus essem, non tamen, sicvos deseruissem, sed assumpsissem, vt vbi ego sum, vos etiam essetis. Vides consolationu, & animum mulcentia verba? Vbi ego sum, illic & vos eritis, non igitur ratio est, cur turbemini, cum mecum futuri sitis.*

In hac explicatione illud minus commodum videtur, quod dicit: *Si non essent parata loca, fore vt pararet ipse.*

§. 3. Perspicua igitur & sibi cohærens sententia est. Non oportet turbari, mecum eritis, in regno cœlorum, non mihi tantum, & Petro, sed cunctis fidelibus & piis parata est mansio. Hoc si factum non esset, non vos inani pollicitatione frustratus essem, sed diserte dixissem vobis: nam vado vt locum vobis parem. Cum ergo ipse in me susceperim, vt eam parare locum, eam vero aspera, & horrida via crucis, non fefellissem promissione loci, quem habere non potestis. Cur enim pro vobis morerer, si mortis nulla vtilitas in vestram salutem redundare posset? Itaque sensus non est: Dixissem vobis me ire parare locum, qui imparatus est. Sed ille: Si non essent multæ mansiones, & vobis destinatæ, id dixissem vobis, nec falsæ beatitudinis exspectatione decepissem, quando quidem iam ibo, & omnia parabo. Eodem modo Theodoretus.

Non fallit suos Christus.

§. 4. At quomodo iam erant, & quomodo parandæ? Paratæ erant ab æterno, ante mundi constitutionem, prædestinatione & electione hæredum futurorum. Parandæ erant patefacto aditu per Christi in cœlos ingressum, cum Sancta sanctorũ intrauit, & propalauit viam sanctorum. Duplex igitur loci præparatio est, per electionem, & acceptam in Christo possessionem.

Paratur duplici modo locus.

QVAESTIO II.

Quid mansiones significent?

§. 1. MOras vocauit, quo æternum in illis manerent. alioqui mansiones Latinis etiam διαῖται vocantur, & diuersoria, quæ Hebræis dicuntur מסע & מלון & משכן, mischan, malon, masagh. Syrus hic apppellat אורנא *auane.*

Omnes veteres in cœlo distinctos mercedis, & honoris in cœlo gradus esse, ex multis mansionibus collegerunt. Nam ad consolationem omnium pertinebat in tanta inæqualitate perfectionis, quæ est in hac vita, gloriæ diuersitatem in cœlo cognoscere. Caluinus Iouiniani fautor omnes antiquos reprehendit, quod distinctos honorum gradus in cœlo faciant.

Diuersa in cœlo mercedis.

Causa cur reuocet olim damnatam hæresin, est, vt nouam inducat; nempe merita omnia tollat, si enim diuersus virtutibus gloriæ modus attribuitur, negare non potest, quin operum ratio à Deo iusto Iudice habeatur, cadatque iustitiæ imputatiuæ figmentum. At veteres magno consensu inæqualitatem docuerunt, & contra Iouinianum propugnarunt. Cyprianus de disciplina, & habitu Virginum. *Nec hoc iubet Dominus, sed hortatur; nec iugum necessitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat: Habitacula illa meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, maioris gratiæ præmium, in cœlestibus obtinetis.* Et Iren. l. 3. c. 21. plura in hanc sententiam habet Augustinus *quia* (tract. 67.) *etsi alius alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior, in domo pa-*

mo patris mei mansiones multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansionem pro suo quisque acceptur⁹ est merito. & paulò post: Sed multæ mansiones diuersas meritorum, in vna vitâ æternâ significant dignitates.

Et Serm. 45. de verbis Domini. & de Sancta Virginit. c. 26. Et sermone 59. de verbis Domini. At sermone 191. de tempore. *At Iouiniani*, inquit, *damnamus errorem, qui dicit nullam in futuro meritorum distantiam.* Pari modo Hieronymus l. 2. contra Iouinianum. Vbi etiam hæreticam interpretationem refutat, Ecclesias habitationum nomine venire. Et eodem libro ca. 15. *Locus & mansiones, quas præparare se Christus dicit Apostolis, in domo vtique sunt patris hoc est in regno cœlorum, non in terrâ, in quâ præsens Apostolos relinquebat. Simulque sensus scripturæ intuendus. Dicerem inquit vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, si non mansiones multæ essent apud patrem. Hoc est, si non vnusquisque mansionem sibi, ex largitate Dei, sed ex propriis operibus præpararet.*

Et l. 1. aduersus Pelagium. *Multæ mansiones sunt apud Patrem, quia & merita diuersa.*

Diuersa præmia. Basilius l. de Spiritu Sancto ad Amphilochium c. 8. Nazianzenus orat. 33. *Multæ ne apud Deum mansiones sunt, quemadmodum scriptura docet, an vna tantum? Multæ, inquies, non vna. Recte. Age vero easne omnes impleri? Deinceps quærit. Estne aliquid, quod nobis has mansiones conciliet? vt mea est sententia, an omnino nihil? Est sane, inquis, Quid nam hoc? Hoc nimirum, quod diuersa sint viuendi genera & institutâ, quodque pro fidei proportione alia vita alio ducat, quas nos vias appellamus.*

Diuersa ergo viuendi, mansiones diuersas faciunt. Non enim propter locorum discrimina, sed propter domorum ordinem ita vocantur, in vna enim domo sunt, & simul, *Nam vt*, inquit Nicetas, *si vnam domum, vna lucerna tantum collustret suo splendore, quilibet seorsum peculiarẽ lucem percipit, quanquam lumen in multas faces non diuidatur. Sic in futuro seculo, vniuersi homines iusti recipientur, eodem loco, & non separatim, singuli pro suo modo, ex eodem lumine spirituali splendorem haurientibus, rationeque sibi conueniente gaudium, ac lætitiam capientibus.*

Gregorius Magnus diuersas mansiones, sed diuersitate concordes esse ait. l. 4. mor. c. 42.

Eodem l. 4. Dial. c. 35. & l. 35. mor. c. 24. & hom. 16. in Ezechiel. Ambrosius in psal. 38. *Quem autem numerum quærat, accipe. In domo, inquit, patris mei, mansiones multæ sunt. Dat ergo vnicuique locum Dominus Iesus, hoc est, aptam pro vniuscuiusque meritis mansionem. Vnusquisque enim in suo ordine.* Et l. 1. c. 48. de officiis. *Ideo & dies illos, requirit vita æterna, qui sunt, non qui prætereunt, vt cognoscat, quid sibi desit, quæ terra sit repromissionis, perpetuos fructus ferens, quæ prima apud Deum mansio, quæ secunda, quæ tertia, in quibus pro ratione meritorum vnusquisque requiescit.* Propter meritum itaque, & meritorum prærogatiuis respondentia præmia litem antiquitati Caluinus indixit.

§ 2. Fuit olim etiam alia hæresis, quæ beatos paruulos extra regnum cœlorum constituit. Contra eos Augustinus argumentatur tract. 67. *Proinde resipuendi sunt, à corde Christiano, qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cœlorum erit aliquid, vbi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vitâ emigrarunt, quia sine illo in regnum cœlorum intrare non potuerunt. Hæc fides non est fides, quia non est vera, & Catholica fides.*

Innocentes in mansione ponebãt Pelagiani.

Mentio horum est apud Augustinum l. 3. de anima & eius origine, cap. 11. & l. 5. Hypognosticõn: Erant vero Pelagiani. At regnum Dei, & domus Dei in quam Apostoli vocantur, idem est. Et si diuersa fingantur, domus ipsa regia regno dignior est: Domestici enim regis propiores illius sunt maiestati, quam subditi cæteri: apud eos enim dignus rege splendor & copia.

VERSVS 3.

Et si abiero, & præparauero vobis locum: iterum venio & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.

QVÆSTIO I.

Quomodo locum parabit?

§. 1. ETsi abiero, inquit, καὶ ἐὰν, non est locutio hypothetica, sed particula ἐὰν accipienda est more Hebræo, apud quos אם, *si* frequenter accipitur, pro, quando, vel postquam. Certe enim Dominus abiturus erat. Gen. 28. 9. ita loquitur Moses. Et Donatus illos Vergilii versus sic interpretatur.

Præterea si nona diem mortalibus agris
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem.

Interim Theophylactus pro καὶ ἐὰν interpretatur.

§. 2. Ante Christi mortem nemo in regnum cœlorum admissus est: Sed in lymbo patres redemptionem expectarunt; post Christi ascensum in cœlos liber est omnibus aditus. Caluinus ita disserit, vt vtrum- que non obscure neget. [Exoritur tanta quæstio, qualis fuerit Patrum conditio post mortem, antequam Christus in cœlum ascenderet: Vulgo enim colligunt, fideles animas in limbo inclusas fuisse, quasi dicat Christus, suo in cœlum ascensu paratum iri locum. Sed reponsio facilis, quod locus hic parari dicatur in diem resurrectionis. Natura enim exulat humanum genus à regno Dei. ante reconciliationem animas ait, velut in specula fuisse.] *Anima in specula.*

Hic exulare humanum genus ait; In specula fuisse ait, quod si quæras quo loco illa specula fuerit, supra an infra, nihil facile respondebit. Atqui alibi illam collocet necesse; nec enim nullibi, nec vbique fuerunt. Nec exponit, quid sit, quod ait, non fruemur tanto bono, nisi quo vsque iterum in cœlo appareat, neque quid per illam quietem intelligat; an pannychiam quandam, an vero diuinæ præsentiæ fruitionem. Lib. 2. instit. c. 26. §. 9. Limbum habere magnos auctores, sed fabulam appellat.

Vbi & speculam vel turrim speculatoriam pro limbo illis attribuit, nouo inuento.

De animabus mortuorum alibi existimat eas nec tormenta, nec gloriam experiri ante extremum diem Iudicii. qui error fuit, Albigensum, Almarici, Hermanni Kisvvik. Caluinus verò de Dæmonibus. *Quocunque pergunt, sua trahunt secum vincula, & tenebris suis obuoluti manent, interea in magnum diem extremum eorum supplicium differtur.* Vide nostrum Gualterium in anno 1500. p. 778.

Atqui in abyssum Satanas ire formidat, & dives epulo apud inferos in flamma cruciatur. Verum illâ de quæstione alibi disputatum est.

VERSVS 4. 5. & 6.

Et quo ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quo vadis: & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus, Ego sum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus via, veritas, vita?

§. 1. CONsolatur suos Dominus, quod mors grauis videri non debeat, cum sciant, quo eat, nempe ad patrem, viam etiam norint, ideo & ipsi secuturi sint. Respondet Thomas & amans, & timens, *neſcire ſe viam*, & quomodo scire possit, interrogat. Chrysostomus alio illum animo interrogare dicit, quam Petrum. Hunc enim vt sequeremur animos è quæsisse, Thomam timuisse. Forte & magistro, & sibi timuit: omnia autem illa proponit, vt instruantur, & viam discant. Erat vero obscura & confusa in Thoma vt & in cæteris cognitio. Ad regnum iturum credebat, & viam esse mortem crucis etiam audierat, deinde viam, qua ad ipsum patrem veniretur esse Christum. At quomodo regnum auspicaturus esset, quomodo ipsi eum secuturi, ignorabat. Viam sciebant, quia Christum norant, sciebant, quæ non recogitabant, ideo scire se nesciebant, quod vbi se collegerant, scire poterant.

Thomas interrogat.

Sciebant, & non ſciebant.

§ 2. Viam se dicit qua ad regnum itur, non modo qua homines, sed qua ierunt & Angeli vt docet noster Soar. T. 1. in 3. partem. Nam & doctrinam cœlestem tradidit, vt tanquam via regia sine diuerticulis, & anfractibus ad patriam pertingere possent; Fidem etiam dedit, & gratiam, denique præiuit, vt eum imitarentur. Vide Basilium de Spiritu S. c. 8. Leonem ser. 2. de resurrectione. Theophylactus viam esse, quia per ipsum eundem. Et pari modo Augustinus. *Ipsum iuisse per ſeipſum, ad ſeipſum; nos quo imus niſi ad ipſum; & quà imus, niſi per ipſum? Ipſe igitur per ſeipſum ad ſeipſum, imo & ad patrem, & nos & ipſe.* Qua autem re proprie viam nobis esse se docet, nisi qua mediator est, qua facta est via per inuia, per immane chaos quod nos à Deo separabat. Via est, præter quam quisquis, graditur, quantumcumque currat, etiam si volet, non tamen ad patrem perueniet, quantumcumque currat, quia extra viam est. Egregie nobis viam Chrysosto, mus describit. ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς: τῦτο ἀποδείξις τῦ, ὐδεὶς ἔρχεται εἰ μὴ δι ἐμῦ, τὸ δὲ καὶ ἀληθεια, καὶ ἡ ζωὴ, &c. ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, ἀ δεήσεσθαι τῦ χειραγωγῦντος, &c. *Ego ſum via. Hæc demonſtratio eſt eius: Nemo venit niſi per me. Veritas quia ſine dubio hæc erunt. Ego ſum via, non indigebitis manu ductore.*

Ad Ad Christum ire per Christum docet S. Leo serm. 16. de passione Domini, cum per semitam humilitatis & obedientiæ incedimus. Et serm. 18. *Viam*, ait *eſſe in formâ conuerſationis noſtræ.* Augustinus l. 1. de Trin. c. 12. *Viam esse secundum formam serui.* Nazianzenus oratione. 5. *Via dicitur, vt quæ per ſeipſam nos ducat;* Et Elias commendator.

Ad Chriſtum quomodo eatur.

Via quid.

In Christo igitur ambulamus, & mouemur quasi in via, sumus quasi in veritate, viuimus quasi in vita æterna. Via igitur doctrina est. Isaiæ 2. *docebit nos vias ſuas.* Mos est & agendi ratio. *Sic videtur via homini aliquando recta, ſed quæ ducit ad interitum.* Isaiæ. 8. & 10. Amos. 8. opera etiam actiones conatus, Iob 40. Prouerb. 3. Psal. 24. omnibus illis modis Christus nobis via est. Vide & Ambrosium T. 1. p. 301. & T. 4. p. 173. & 282.

§. 2. Hinc facile apparet quantum illi aberrent à vero, qui solam fidem sufficere arbitrantur, cum per viam, quæ Christus est, etiam cæterarum virtutum comitatu esse cinctos oporteat, non nuda fide securos vitiorum cloacas secum trahere. Obseruauit l. 3. stromatum Renatus Benedictus, demonstrauitque non posse viæ huius, veritatis, & vitæ participes esse, nisi sanctitatem colant. Identidem id in horum verborum expositione inculcant Patres, præter os quos citauit: Augustinus Epist. 49. atque aliis locis plurimis. Non patitur via illa impuros gressus, non imputat veritas improbis iustitiam.

Via iuſtos requirit.

§. 3. Bullingerus nos monet, vt & nos Caluinianos moneamus, ne neglecta via vnica salutis, quæ Christus est. Vias Zvinglianas, Caluinianas, Libertinas sequantur, laxas quidem illas, & dealbatas, sed vias ad exitium ducentes. Nam miratur ille, quis malus genius illos in transuersum rapiat, quibus allubescit, via Francisci, Dominici, Benedicti potius, quam Christi. Cui promptum est respondere esse vias non modo eorum quos enumerat, sed etiam viam Augustini, Basilii, Antonii, Pauli, Apostolorum, atque adeo viam Christi. Christus ipsa via est, Apostolici, & viri Apostolici per eam ambularunt, magnis virtutibus, & miraculis in Ecclesia inclyti. Quod si dubitet quisquam, qui de amœnis mundi diuerticulis in hanc viam quasi per obliquum prospicit, accedat propius, cumq; arctam virtutis, & abnegationis propræuiam esse cognouerit, cum mundam, & puram, cum veritate statam, & munitam, & cœlesti lumine fulgentem non dubitabit asserere viam esse Christi.

Via Monachorum, via Chriſti.

QVÆSTIO II.

Quomodo Christus est veritas?

§. 1. CLemens Alexandrinus lib. 1. stromatum varias esse veritates docet, vnam Christi, μόνη ἡ κυρία αὕτη ἀλήθεια ἀπαρεγχείρητος, ἣν παρὰ τῷ υἱῷ τῦ θεῦ παιδεύομεθα. *Vna principalis eſt ipſa veritas, quæ per manus non traditur, quam à filio Dei didicimus*: addendum illi elogio, quæ ipsa est Dei filius. Nam Iudæorum sententia Messias veritas dicebatur. Ex Psalmo 67. vt Galatinus folio 145.

§. 2. Non itaque anxie quærendum, cur Christus se veritatem dicat, cum viam dixisset; multæ enim reddi causæ possunt. Nam cum viam dixisset, etiam veritatem addit, quæ luce cœlesti sine errore duceret, quæ sit ipsa vita, vt ostenderet eum qui in via esset, & veritatem, & vitam tenere. Leo ser. 18. de resurrect. Via in forma conuersationis iustæ, veritas doctrinæ diuinæ; & vita beatitudinis sempiternæ. Ambrosius l. de bono mortis c. 12. Eodem pene modo interpretatur.

August. l. 1. de Trinit. 12. secundum formam serui esse viam, secundum formam Dei veritatem. Alii viam esse; & veritatem absque legis cæremoniis Nazianzenus viam falsitatis expertem.

Denique vitam dicit, nam felicitatis æternæ obiectum est, & vitæ nostræ spiritalis effector, gratiæ, & gloriæ dator. Ita quidem, vt etiam mortui in hanc vitam perueniant.

QVÆSTIO III.

Cur nemo veniat ad patrem niſi per ipſum?

§. 1. VNum atque vnicum se mediatorem esse Christus profitetur, per quem vita æterna percipiatur. Quare fugiendi sunt noui Samosateniani, Sociniani, qui mediatorem non agnoscunt, etiam Osiandriani, qui redemptos nos morte & sanguine Christi negarunt, Synodus Osterrhodensis ait, duas iustitias esse à Wirtenbergensibus positas, vnam prædicatam in Euangelio, opera quæ Christus in sua humanitate fecit, pro nobis, item, fidem, remissionem peccatorum, sanguinem, passionem, queriturque Osiandricam mediationem & iustitiam à Brentio & Wirtenbergensibus induci Osiander enim omnibus Christi actionibus neglectis, iustitia Dei essentiali nos iustos es-

Chriſtus mediator.

Oſiandriſmus.

stos esse sensit. Ita Christum mediatorem negauit. Nam à Brentio & Wirtenburgensibus Christi meritum ac passionem, negari, ac damnari, & petulantibus quidem verbis, affirmant, abnegari dominum, qui nos redemit. Osiander Christum mediatorem negauit, dubitauit an humanitas Christi in vtero virginis fuisset sancta; negauit esse in scriptura. Posse Deum nos per alium hominem redimere. nec in eâ extare, passione Christi nos iustificari. Hæc omnia ille libere; fretus vt dicebat, tribus A. A. A. Hoc est; Er traut auff dem Allmächtigen / Albertum ducem Borussiæ, Adam den Scharffrichter/ impium hominem animaduertis, Deum, ducem, carnificem, qui Adam vocabatur coniungere. Damnatus deinde est in Synodo hæreticorum à suismet Osiander, tum Regiomontana, tum Naumburgensi, verum in Poloniam illis contemptis abiit: cæteros Lutheranos hæreticos, apostatas, Simios, sues, canes, appellauit, scholam Wittembergensem vero Cothurnum, locos communes, lotium. ita est in confessione & Synodo Osterhodensi pag. 331. Contra illa omnia vnicum hoc pronunciatum Christi sufficit; nemo venit ad patrem nisi per me, & quidem per me, tanquam viam; sum enim via; ostendit enim necessarium esse suum abitum, hoc est mortem & passionem: mediator igitur est morte & passione sua.

Fiducia hæretica.

Lutherani Osiandro occasionem dederunt.

§. 2. Furori Osiandrico occasionem dedisse ruditatem Lutheranorum intellexit Stancarus, apostata quidem ipse, sed qui Theologiam Orthodoxam olim audisset, ideoque cæteris doctior Osiandro se opposuit. Lutherani cum Christum esse mediatorem secundum diuinam naturam docerent, esse, hoc ipso & diuinitatem falsam fingebant, & passionis meritum, ac satisfactionem ita extenuabant, vt ex eorum opinione, eam contemneret Osiander. Si enim Christus non modo secundum humanitatem, sed etiam diuinitatem mediator est, non dubium est, eum etiam sibi vti Deo reconciliasse genus humanum, per suam diuinitatem, at qui sibi ipsi alium reconciliat per se ipsum non est mediator. Imo eo procedit insciticæ Wigandus: vt Christum orasse secundum vtramque naturam contendat. l. 2. §. 18. de stancarismo. p. 106.

Hactam impudente responsione offensus Stancarus atrocia dixit in Lutheranos, Osiandrũ, Mörlonũ; alios etiam, vt Simlerum, Alesium, Caluinum, Tigurinos, nam illi miserum oppugnarunt, omnesque in eum concitarunt. Vocabat Doctorellos, Lutheranellos, indoctos, imperitos Theologiæ. Atque hæc eius erant de Lutheranis iudicia, vt l. 2. de stancarismo in principio habet V Vigandus.

§. 3. Verissime, nihil enim in eos dici dignum tanta fatuitate, & impietate potest, qui Deum filium, etiam nondum incarnatum supplicem esse patri, & pro nobis orare, docere non verentur, supplicem esse alteri, adorare alterum, pro aliis intercedere, minoris est potestatis. Nec animaduertunt homines imperiti errore illo totum induci Arianismum, filioque non aliud quam creaturis attribui adeoque si Semiarianos audiamus, secundariam quandam diuinitatem primariæ adiungi.

Cur non eodem etiam modo Spiritui sancto, & sibi supplicat? Respondet ille. l. 1. pag. 11. non esse id sacris literis traditum, considerandum tamen ait patrem esse fontem Deitatis? Quid hoc obsecro, an ideo supplicare patri solet, quia fons est Deitatis? an maior filio pater? & maior ante incarnationem? Quis vero dubitat, Christum si secundum diuinam naturã orauit, sacrificauit, obediens fuit, minorem fuisse eo secundum illam naturam, qua alterius excellentiam professus est? Quin non potuit id agere secunda persona, nisi & pater oraret. Secundum personam Wigandus etiam ante incarnationem orasse pro nobis affirmat. orare autem, supplicare, intercedere, non sunt actiones personales, sed absolutæ & conueniunt Deo vt Deo, ideoque omnibus personis. Quemadmodum igitur mundum condere, eligere ad vitam æternam, velle saluare iustos, damnare impios, omnium sunt personarum, & si aliqua nonnunquam vni personæ attribuantur, vt sanctificatio Spiritui sancto, non tamen ita sunt vnius vt non etiam aliæ idem præstent personæ, si igitur secunda persona orauit patrem, orauit & pater, & Spiritus Sanctus, & si patrem adorauit, adorauit & Spiritum Sanctum, ideoque & pater orauit, & Spiritus Sanctus, imo pater filium, & Spiritum Sanctum orauit, illi supplicauit, oratio enim qua vni personæ supplicatur, ad alias etiam se personas extendit. Atque hoc est, quod merito gloriatur Strancarus vniuersam scripturam, Patres, & concilia à se stare. Eodem modo legem implesse Christum, secundum vtramque naturam, & sic redemisse fingit, pag. 113. & negat potuisse legem impleri Christo secundum humanam naturam, pag. 114. Respondet ille quidem omnes personas cooperari in hoc opere, sed seruata proprietate. at vero non potest esse vnius personæ proprietas, vt se alteri subdat, alteri supplicet. Imo tandem eo procedit: vt p. 128. vt filium fuisse seruum secundum diuinam naturam dicat. Nam ad argumentum Stancari hoc respondet.

Christus ante incarnationem orauit.

Quia Deus secundum suam diuinam naturam, aut personam non potest esse seruus, nec alteri in sedare dominium. Respondet Wigandus. Posse etiam secundum diuinam naturam seruire filium.

Quanta hic insciticæ est confidentia? Isaias Christum seruum appellat, non secundum naturam, qua æqualis est patri, sed quam accepit ex semine Dauid. Filium suum Pater misit redemptorem, & mediatorem; Vere enim Deus mediator est, vti & mortuus, sed mediator, orator, sacerdos, mortuus secundum humanam, non diuinam naturam. Liberare diuinitatis, & potentiæ, seruire, supplicare, mori, humanitatis. Si seruire diuinitas potest, etiam mori potest. Tam enim repugnat diuinitati dominium in se alterius, quam potestas Iudæorum qua eam occiderent. Diuinam itaque maiestatem de throno istæ insciticæ deturbant, cum illi proprie & secundam naturam eius tribuunt, quod ratione naturæ assumptæ de ea prædicatur. Quod autem æternum est peri e non potest, nec mori secundum naturam, qua æternum est, ita nec quod natura sua non potest habere dominum, aut superiorem, quodque essentialiter est supremum, non potest seruire, non potest esse in aliena potestate, secundum naturam, qua super omnia est. Ita Cyrillus intelligendus est in Apologia.

§. 3. Cyrillus nunquam diuinitatem orasse, aut mortuam dicit, aut mediatricem esse, sed Deum, non qua Deus est, sed qua formam serui accepit. Alius in Polonia impium scriptum edidit, quod postea Cracouiæ eiurauit. cui etiam noster Gregorius de Valentia respondit. l. 5. c. 10. Vbi notandum est, humanam naturam ita mediatricem fuisse, vt illa fuerit principium operum obedientiæ, caritatis proximum; Sic enim & Augustinus l. 9. c. 15. de ciuitate. Non ob hoc mediator est Christus, quia est verbum, sed mediator est, secundum quod homo. At si considerationem alia vtamur, & quæramus vnde meriti infiniti valor, & actionum humanarum dignitas originem habuerit, dicendum est, ex diuinitate id esse. Atque hoc modo dici potest mediator, qua Deus & homo. Actiones dignitatem sunt hominis qua homo est, dignitas autem actionũ

Deitas non meretur, est tamen causa vnde

merito.

à per-

à personæ præstantia sumitur, quæ Deus est. Interim etsi orationis, obedientiæ, sacrificii dignitas est à Deitate, non tamen orat, obedit, aut sacrificat Deitas. Nam labor Christi, fames, sitis, fatigatio, dolor, lachrymæ, mors, merendi & satisfaciendi immensam dignitatem ex personæ diuinitate traxerunt, nec tamen diuinitas laborauit, esuriit, sitiuit, doluit fatigata est, aut mortua: ita vere & proprie secundum humanam naturam Christus mediator est, & via, qua ad Deum venimus.

Sic Athanasius in expos. fidei. ἀρχὴ γὰρ ὁδῶν ἐτυλίωθη ὁ κυριακὸς ἄνθρωπος, ὃν εἰς σωτηρίαν ἡμῶν ἐφανέρωσε. Διὰ τοῦτο γὰρ τῷ πρὸς τὸν πατέρα ἔχομεν προσαγωγὴν. αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ ὁδὸς καθ' ὡς λέγει. *Principium enim viarum conditus est homo dominicus, quem in salutem nostram manifestauit, propterea habemus ad patrem aditum, ipse enim est via, quemadmodum dixit.* adiungit viam esse, σωματικόν τι θεάμα, corporeum aliquid spectabile, quod est homo dominicus.

Eodem modo fere l. de salutari Christi aduentu, dicit. ἐκαίνησεν ἡμῖν πρόσφατον καὶ ζῶσαν, *recentem & viuam viam innouauit.*

Christus Deus, & veritas immutabilis.

§. 3. S. Athanasius etiam hinc Deitatem Christi & Spiritus S. probat. disputatione contra Arium in Conc. l. Niceno *Scriptum est: estote sancti, sicut ego sanctus sum: sanctificans vos. Et Seruator iterum ad suum patrem de sanctificatione discipulorum locutus est: Pater sanctifica eos in veritate tuâ. cum tamen idem de se ipso dicat. Ego sum veritas. ac proinde secundum ista ipsa patris filiique diuinitas, & sancta est, & sanctificans, vt quæ sanctificet omnia rationalia, quæ digna habentur ex libero studio, & arbitrio recipere, beatam essentiam, in communionem sanctificationis.*

Ex eadem veritate Christi immutabilitatem probat, disputatione secunda cõtra Arianos, cum enim se veritatem dicit, τὸ ἀτρεπτον, inquit, *immutabilitatem suam demonstrat.* Et oratione 4. contra Arianos, probat etiam eandem incommutabilem Christi veritatem.

Quomodo autem sit veritas demonstrat lib. de passione & cruce. *Verus est autem Deus, non modo scilicet, quod non moriatur; nihil enim contrarium est in illo: neque vt homo homini, ita ille testimonium verum præbet, cum nemini sit obnoxius: sed quod ipsam ex se veritatem gignat, paterque sit Domini ita loquentis: Ego sum veritas: veritati porro nunquam mendacium amicum fuerit.*

Veritas est igitur originalis, & fons omnium veritatum.

QVÆSTIO II.

Quomodo filius est vita?

§. 1. S. Athanasius vitam esse verbum, & Deum probat, oratione 4. contra Arianos. εἰ γὰρ ὁ υἱός ἐστιν ἡ ζωὴ, καὶ αὕτη πρὸς τὸν πατέρα, &c. ὁ μὲν τοιοῦτος τὸν ἰωάννην θεὸς οὐκ ἀπλῶς, ἀλλ' ἀληθινὸς θεός ἐστι καὶ τὸν αὐτὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, ἐλέγετε ὁ υἱὸς, ἐγώ εἰμι ἡ ζωή. *Si vero filius est vita & ipsa apud patrem, &c. Si vero filius est vita, secundum Ioannem non simpliciter, sed verus Deus, & secundum ipsum: Et Deus erat verbum, dicitque filius ego sum vita.* Qui vitam igitur se nominat, satis indicat, se Deum esse, alioqui vere vitam se non nominaret. Vitam autem spiritalem per Messiam sibi reddendam etiam Iudæi crediderunt. Vulgatum quippe apud eos. *Merces bonorum operum in hoc sæculo non est.* Et כל ישר אל יש להם חלק לעולם הבא *omni Israeli est pars in sæculo venturo.*

Vita est Deus.

VERSVS 7.

Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.

QVÆSTIO I.

Quomodo ex Christi cognitione orta est cognitio patris?

§. 1. QVod Patrem tanquam viæ terminum non cognoscant, causam reddit, quod non satis ipsum cognoscant. In posterum tamen fore vt cognoscant, מִן הַשָּׁעָה *ab hoc tempore*, Nam breui misso Spiritu Sancto illuminandi fuerunt. *Et vidistis eum*, inquit, *qui Christum viderunt, qui Deus erat, vnius cum patre essentiæ. Sed quia Christi diuinitatem non satis cognouerunt: nec ex ea patrem etiam cognouerunt, Confessi patrem erant cum Petro, sed multa hoc tempore fidem non turbabant modo, sed cum de morte audirent, non poterant ista conciliare, quomodo filius Dei, hoc esset, ipsa vita moriendo, & non viuendo redimeret.*

Patrem nõ satis nouerunt.

Quod alii legunt *cognoscitis*, non potest probari, cum sit in Græco particula potentialis ἄν. Non cognoscebant Deum vt patrem quemadmodum monet Chrysostomus. Et Theophylactus: ἤδεσαν γὰρ τὸν πατέρα οὐχ οὕτως ἐχεῖν, ὡς θεὸν γὰρ ἤδεσαν ὡς πατέρα ἢ οὔπω. Nouerant enim patrem vt Deum, nondum autem vt Patrem. De perfectiore aliqua cognitione, & distinctiore intelligendus est. Deinde addit. εἰ δὲν ἐγνώκειτε ἢ ἐμὴν κοινωνὸν τῆς ἀξίας τοῦτε πατρὸς ἂν ἐγνώκειτε. *Si igitur cognosceretis meam essentiam, & dignitatem vtique Patris cognosceretis.* Nazianzenus oratione 36. filium habere se ad patrem ait, quo definitio ad definitum, ideo cognitionem vtriusque esse coniunctam. *Verbum porro, quia ita se habet ad patrem, vt sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter coniunctionem ipsius cum patre, vimque enunciatricem.*

Vbi notat Elias illa verba: *peculiari modo*, μονοτρόπως, quod nullam comparationem admittat cum illis, quæ corporaliter gignuntur, æterna generatio. Fit enim ἀχρόνως, ἀῤῥύτως, ἀπαθῶς *sine tempore, sine fluxione*, scilicet, nouæ substantiæ, quæ sit in genito, non in gignente, eadem enim numero essentia communicatur filio, quæ est patris. Sine vlla passione aut mutatione, vel gignentis vel geniti, alter enim ab æterno immutabiliter gignit, alter generatur.

Generatio æterna.

VERSVS 8. & 9.

Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem?

QVÆSTIO I.

Quomodo Philippo volenti patrem ostendi, respondit?

§. 1. CVm vere crederet, & tamen confusa, & obscura omnia sibi esse animaduerteret, ostendi patrem postulat. Hoc sufficere professus, ne opus esset in posterum interrogare, vel occasio esset dubitandi. Caluinus hic queritur Philippo ingratitudinem obstitisse quo minus patrem videret; verum ille facit quod solent anxii, certus esse cuperet, aliquo signo quod in perpetuum ipsum confirmaret. Perinde est ac si dicat, filius Dei es, à Patre diligeris, & exaudiris, patrem etiam adeo tibi similem asseris,

Quomodo voluerit videre patrem?

vt te cognito & illum cognoscere possimus, age ergo ostende nobis patrem. An oculis corporeis eum apparere aliqua specie externa, an cognitione aliqua, quæ euidentiam habuerit in attestante, cognoscere voluerit, incertum est, hoc certum est, cognoscere voluisse, modum ostendendi credo Domino reliquisse.

§. 2. Respondet Dominus. Tanto tempore vobiscum sum: Syrus הנא בלה זבנא *Hana cullech zabna.* Toto hoc tempore vobiscum sum, frustra ne laborauí, docendo vos? & non cognouistis me. Chrysostomus, Hilarius, & alii nonnulli habent ἔγνωκας, *cognouisti*; nam ad solum Philippum refert. Non infert, *& non cognouistu patrem, sed non cognouistis me.* Triennio enim cognosci potuit & debuit. Tamquam certissimum igitur statuit se & patrem eiusdem esse omnino essentiæ. Nam poscentibus ostendi patrem, se substituit, tanquam verissimam, expressissimam & coessentialem imaginem patris. Quod si oculis corporeis patrem videre voluit, vt putat Theophylactus

Philippus certus esse cupit.

οὐ δυνάμεθα οὕτως μαθεῖν τὸν πατέρα, δεῖξον οὖν ἡμῖν αὐτὸν τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς. *Non possumus sic discere patrem, ostende illum corporeis oculis.* Si hoc fuit desiderium Philippi, non tamen aliud illis oculis exhiberi potuit, quam Christus: pater enim corporis expers erat, & in Christo tota erat essentia patris.

§. 3. Firmam rationem nobis verba Christi suppeditant pro eius diuinitate contra Arianos, & pro personarum diuersitate contra Sabellium. Contra Arianos quidem: Nam nulla creatura esse potest, quæ nobis diuinitatem ita referat, vt ea cognita, cognoscatur & pater. Omnis enim creatura infinitissimis modis minor est creatore. Contra Sabellianos autem. Quia se & patrem semper distinguit; qui me cognoscit, cognoscit & patrem, alium & alium; Si enim non sunt diuersi, verum ita loquitur, ac si quis diceret, qui cognoscit Tullium, cognoscit & Ciceronem, fraude discipulos circumueniret, si de vna eademque persona, quasi de pluribus loqueretur. Itaque merito fronte meretricia esse pronunciat eos, qui post illa verba adhuc in Christo negant, vel æqualem esse cum patre diuinitatem, vel eandem personam, quod idem vehementius vrget Theophylactus. Per se enim patrem cognosci Christus affirmat, vt qui suam substantiam videat, etiam videat patris. Basilius eodem modo l. de Spiritu Sancto cap. 8. probat duplicem in Christo naturam. Augustinus: *Non quod ipse esset pater & filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patripassiani, Catholica fides damnat: sed quod tam similes sint Pater & filius, vt qui vnum nouerit, ambos nouerit. Solemus enim de similimis duobus ita loqui eis qui vnum eorum vident, & qualis sit alius volunt nosse; vt dicamus: Vidistis istum, illum vidistis. Sic ergo dictum est, qui videt me, videt & Patrem. Non vtique vt ipse sit Pater, qui filius, sed quod à Patris similitudine in nullo prorsus discrepet filius.*

Filius similimus patri, non est Pater.

Addit Augustinus Philippum patrem voluisse ostendi, tanquam filio meliorem, idcirco à magistro illum argui, qui cor postulantis videbat. Se ait in Patre esse, & in se patrem. Non esse dissimiles substantiarum distantia, non posse inseparabiles separatim cognosci. Sic & Amb. l. 1. in Lucam. Victor Vticensis l. 2. de persecutione Wandalica. *Hoc non dixisset*, inquit, *nisi Patri per omnia esset æqualis.* Cyrillus l. 1. Thesauri cap. 6. Et Epist. 29. Hanc vocem competentissimam diuinitati esse affirmat. Plura de eisdem Augustinus de verbis Domin. serm. 18. de Trinit. l. 1. cap. 8.

Contra Maximinum Arianum l. 3. c. 24. Hilarius l. 7. de Trin. Vide D. Thomam hoc loco, Bedam etiam atque alios.

§. 2. Nazianzenus hoc ex loco præcipue ὁμοούσιον probare instituit. orat. 49. *Ergo ipsum quod est, hoc erit substantia huius rei, quæ esse defenditur, quod tamen, vt iam dictum est, quantus & qualis sit, nec mente concipi, nec sensu æstimari, nec animo definiri potest. Summodo constet esse, quod creditur, vt de eo ipso quod Deus est, nude sit filius, & verus sit filius, & verus sit pater in filio, & filius in patre.* Hoc erit ὁμοούσιον, *i. vnius essentiæ cum patre: Sicut ipse dominus ait. Ego in Patre, & Pater in me. Ego & pater vnum sumus. Declarat hoc exemplo luminis, brachij, & multis deinde testimoniis Sacræ Scripturæ.* Consentiens est Iustini sententia de veritate religionis Christianæ. Tertullianus contra Praxeam. Epiphan. contra Sem arianos: Clemens lib. 5. stromatum ex Platone quædam similia producit.

§. 3. Præ omnibus tamen hoc loco vtitur Athanasius contra Arianos. oratione breui contra Arianos, initio. Dialog. 1. monet θεωρίαν idem esse quod γνῶσιν. Dial. 2. Exprobrat Anomeo, quod philosophetur in vocibus, ἀγέννητον & ἀνόμοιον, ingenitum, & dissimile. Loqui de ἀφθάρτῳ & ἀθανάτῳ mallet. interim notanda eius sententia. *Abit autem ad patrem, vt qui formam serui accepit; quatenus vero est Deus, habet patrem in semetipso, dicens. Ego in Patre, &c.* Et paulo post, ex eo quod dicit, Qui videt me, videt & patrem, probat ταὐτότητα eius esse ἀπαράλλακτον, inuariatam ab essen-

Vna essentia, tia patris,

tia patris, nisi enim esset talis qualis Pater, eo cognito, non continuo cognosceretur & Pater. & Dialog. 3. *filii.* qui est contra Macedonianos vbi orthodoxus sic concludit. ὁ δὲ ἑωρακὼς τὸν υἱὸν ἑώρακε τὸν πατέρα. μία ἄρα θεότης πατρὸς καὶ υἱοῦ. *Qui videt filium, videt & patrem, vna igitur patris & filij Deitas.* Et Dialog. 5. Hanc visionem de Deitatis cognitione intelligendam docet, non enim aspectores Deum patrem viderunt. Et l. 3. de assumptione. Inde probat vnam esse, inuisibilem naturæ veritatis imaginem. Idem repetit in regula confess. fidei. & addit: *Cur ipse clamat, pater in me, & ego in patre, si in his natura diuersa, vel exisa est?* Disputatione in Niceno, etiam æqualitatem probat. Et secunda disputatione demonstrat de personis, non ex rerum naturis ratiocinandum. οὐ βλέπε τὴν κλίσιν, *ne intueare naturam.* nam omnia ex creaturis similia hic deficiunt. Et oratione secunda contra Arianos, nobilis eius est sententia. ἡ γὰρ τοῦ υἱοῦ ἔννοια, καὶ κατάληψις, γνῶσις ἐστὶ τοῦ πατρὸς, διὰ τὸ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἴδιον εἶναι τὸ γέννημα. *Filij intellectio & comprehensio est cognitio de patre, eo quod ex substantia eius sit propria proles.* & orat. 2. *Hic loqui filium, vt est verbum, & imago patris.* Et orat. 3. *Absolute illum loqui, nec causam addere, ne secundus aut posterior videretur illis, ob quæ talis esset.* Et orationem quartam hac sententia concludit, eaque triumphat. Pariterque oration. 5. vbi ostendit, neminem sanctorum ita loqui ausum, atque etiam deinceps probat vnam atque eandem esse in patrem & in filium fidem. oratione 5. Quid maius aut perfectius, quam hoc: *Ego, & pater vnum sumus*: aut illud: *Ego in patre, &c.* Tandem oratione eadem concludit: *non separandam Deitatem verbi ab eo, qui ex Maria genitus est* Oration. de Christi diuinitate. *Quæ vides in patre, vides in filio.* Et lib. *quod Spiritus non sit creatura.* æternitatem, & ὁμοούσιον declarare ait. In expositione fidei docet ὅλον ἐξ ὅλου, *totum ex toto similem esse patri.* Idem etiam est in decreto Concilii Niceni contra Arianos, vbi reprehendunt eos qui his verbis auditis non retrahuntur à sua opinione, qua filium putant à patre alienum. Eadem exprobratio est in sententia Dionysii Alexandrini. De incarnatione vero probat, id non habere vt sit consubstantialis, sed quod ex substantia patris natus est.

Contra Sabellii gregales Athanasius hunc in modũ argumentatur. *Non seipsum*, patrem dicens: quî enim id fieri posset? Cum Pater sit inuisibilis, sed talem se dicit: qualis Pater est. Nam superius dixerat; si cognouisse.

uisſetis me, etiam patrem cognouisſetis, dualitatem perſonarum expreſſis verbis nobis declarans. Prolixe locum tractat Epiſtola ad Africanos. *Quid? credantne filio ita dicenti: Ego & Pater vnum ſumus? Certe, inquiunt, quoniam ita ſcriptum eſt, credimus.* Interpretantur tamen hoc de ſimilitudine, cum vero vrgerētur, vt ſimilitudinem exponerent, ad concordiam voluntatum omnia reuocabant. Quos ille refutat, & ait. Illam concordiam rerum creatarum cum Dei voluntate eſſe mutabilem.

Pergit deinde reliqua parte ſimilitudinem hanc eſſe ſubſtantiæ identitatem, non conſenſum voluntatis. Similia paſſim apud orthodoxos patres inuenies. Nyſſenum Leonem, Fulgentium, Vigilium, Boetium, Iſidorum, Anſelmum, Richardum, D. Thomā, alios. Ex quibus facile conuinci poſſunt Blandrata, Seruetus, aliæque peſtes, à quibus nunc religionis ſinceritas oppugnatur.

Patres hac ſententia ipſi omnes.

§. 4. Magna mihi cauſa fuit, vt ſtudioſe veterum expoſitiones colligerem, vimq; earum oſtenderem; nā illa verba pro clypeo, & haſta fuiſſe, & patribus ſingulis, & integris concilijs, videmus contra Arianorū perfidiam. Ita vt Conc lium miretur, hæreticos ſola tam claræ ſcripturæ auditione errorem non ponere. Noſtri tamen Caluiniani nihil hic dici contra Arianos arbitrantur, ac proinde fidem, quantum inſtar in ipſis eſt, produnt. Caluini iſta ſunt in commentario [Hæc verba non ad diuinam eſſentiam refero, ſed ad
„ modum reuelationis. Chriſtus enim quo ad arcanam
„ ſuam d uinitatem, nihil nobis notior eſt, quam pa-
„ ter; Verū dicitur eſſe expreſſe Dei imago. Quia ſe to-
„ tum in illis patefecit Deus. Neque tamen perperam
„ veteres, qui hinc teſtimonium ſumunt pro aſſerenda
Chriſti diuinitate, ſed quia non ſimpliciter differit
„ Chriſtus, quis in ſe ſit. Sed qualis debeat agnoſci à
„ nobis; virtutis potius, quam eſſentiæ elogium eſt.]

Et eſt in editione ann. 1581.

Non habet in editione Stephani: *Neque tamen &c.* anno. 1555. Marlo atus addit alia verba, nempe; *non tamen veteres perperam hinc Chriſti diuinitatem probaſſe.* At reuera perperam fecerunt, ſi hic nō de eſſentia ſed de modo reuelationis agitur. Quin ante Caluinum Zwinglius aditum Arianis patefecit. Cum etiā hinc deitatem probari negaret. Quem primo Caluinus ſecutus eſt, poſtea vt mutigaret, ſibi contradicere voluit.

Zwinglius & Caluinus arianizant

Zwinglius quamuis ex miraculis probari diuinitatem concedat; non tamen recte exponit, illa verba. *Qui videt me*, hoc eſt miracula mea: nam eodem modo & illa interpretabuntur Ariani, *ſi cognouiſſetis me, cognouiſſetis & patrem meum.* Denique ſi cum dicit: *Me*, intelligit miracula & opera: quo ſenſu dicitur. *Ego in patre, & pater in me*, hoc eſt, *miraculis meis*? Quæ omnia ita abſurda ſunt, vt poſteros eorum pudeat, & patrum interpretationem ſequantur. Multa impia interim ſcripta ſpar ſerunt, quale eſt illud Ioachimi Vadiani, vbi circulis includit Trinitatem. Hinc Paulus Alciatus; Valentinus Gentilis, Matthæus Gribaldus, Lælius Zozinus, Petrus Statorius, Georgius Blandrata, Bernard. Ochinus, Ioannes Syluanus, Franciſcus Balduinus, Sebaſtianus Caſtellio, Eraſmus Ioannis, cum veterum ſanctorum interpretationes faſtidiunt, noua ſque cudunt, ad Arianiſmum, Anabaptiſmum, imo etiam Turciſmum deflexerunt. Adamus Neuſerus miniſter Caluiniſta Heidelbergenſis per Arianiſmū factus eſt Machomediſta; Cuius extat poſteris notāda ſententia anno 1574. 2. Iulij ad Stephanum Gerlachium ſcripta. *Nullus*, inquit, *noſtro tempore, mihi notus, factus eſt Arianus, qui non antea factus fuerit Caluiniſta, Seruetus, Blandrata, Alciatus, Franciſcus Dauidis, Gentilis, Gribaldus, Syluanus, alij. Igitur qui timet ſibi ne incidat in Arianiſmum, caueat Caluiniſmū.* Hæc ille. Vt vero caueat Caluiniſmum, in primis eorum in ſcripturam commentarios plenos veneno mortifero caueat. Alemannus Pedemontanus Bezæ familiaris, & ferox, dum ſcripturam de Trinitate à ſuis corrumpi videt, paulatim dubitare cœpit, donec ad Iudaiſmum defecit. Atque hæc de loco celeberrimo, quem patres contra hæreſes præcipue vſurparunt, quemque nunc Caluiniani extorquere conantur orthodoxis. De quo nihil nunc habeo quod addam, quam in Syriaco textu pulcherrimam eſſe alliterationem. דאנא באבי ואבי בי *Dena babi, vabi bi. Ego in patre, & Pater in me.* Nam verbum omittunt.

QVAESTIO II.

Quomodo pater in filio manens faciat opera?

§. 1. NOn modo pater in me manet, ſed & ego in patre, Deus de Deo, Deus in Deo, ille autem opera facit, facio & ego, non aliter ille, aliter ego, ſed vnā vterque atque indiuiſa potentia ac ſapientia. Nō autem in me eſt, vt in ſanctis, aut prophetis eſt, velut in legato, ſic enim non eſt in principe legatus, at ego ita in patre ſum, vt omnia eius mea ſint. Quorum vero opera ſunt communia, illorum etiam eadem eſt ſubſtantia, vt Theophylactus vere argumentatur. Itaque ope a non facio vt filius Ioſephi, ſed vt filius Dei. Verba autem quæ loquor, non loquor vt homo, ſola mea auctoritate hominis, ſed pater mihi illa dedit, Homini Deus. Diuinæ auctoritatis itaque ſunt. Beda data Chriſto verba, ſeu auctoritatem docendi vult æterna generatione, alij concinnius Chriſtum vt homo eſt, ea accepiſſe. Opera non modo miracula, ſed etiā internam, qua corda illuſtrat, gratiam, omniaque alia intelligi poſſunt. Vide hoc loco quæ Auguſtinus habet de quinque hæreſibus c. 6. de verbis Domini ſerm. 56. & 55.

Opera & patris & filij.

§. 2. Auguſtinus tractatu 61. verba à patre data ait, quia filius eſt à patre, quem Beda ſecutus eſt. *Sed quid eſt à meipſo non loquor, niſi à meipſo non ſum, qui loquor, Et quippe tribuit, quod facit, de quo eſt ipſe, qui facit: Pater enim Deus eſt, non de aliquo, filius autem Deus eſt quidem patri æqualis, ſed de patre Deo. Ideo ille Deus ſed non de Deo, lumen ſed non de lumine. Iſte vero Deus de Deo, lumen de lumine.*

Oſtendit deinde ex his ſententijs duas hæreſes exortas eſſe, Arianorum & Sabellianorum. Ariani dicunt: non eſt æqualis, quia à ſeipſo verba non loquitur. Sabelliani, ſeu Patripaſſiani, pater eſt filius, quia in ipſo manens facit opera: Ille vtroſque à via, ſed cōtrario errore exorbitantes reducere conatur. Sabellianis obijcit, Tam non eſſe eoſdem patrem & filium, vt Ariani negent æquales. Arianis vero; Tam eſſe æquales, vt Sabelliani dicant eoſdem. Longius itaque eos à ſe mutuo, quam à veritate abeſſe docet. Interim ideo filium demonſtrat non loqui à ſemetipſo, quia non eſt à ſemetipſo, ſed ab altero, nempe à patre. Qui tamen æqualis, eſt patri, nam quæcunque pater facit, ea & filius facit. Ita tamen æqualis eſt, vt ſit tamen alter, ideo patrem in ſe eſſe dicit, & in ſe manere, idem autem in ſeipſo eſſe non dicitur. Sic etiam Fulgentius l. 3. cap. 6.

Ariani & Sabelliani contrarij.

§. 3. Non acquieſcunt tamen in veterum Catholicorum expoſitione noui Ariani, Imo ſe capere illa diſſimulant, cum nihil certius ſit, quam duobus modis poſſe aliquid ab alia accipere perſona diuina Chriſtum, vel per æternam originem, vel ratione humanitatis. Hoc de doctrina, operibuſq; pariter accipi poteſt. Nam hoc ipſo quod filius æterna generatione poteſtatē creandi ac operādi accepit à patre, ēt operatur in eo, & cū cooperāte patre. Hinc Io. 5. *Eadē quæ facit*

pater, facit & filius. Vterq; abdita perspicit, saluat, sanctificat, eligit, prædestinat, peccata remittit. Prouerb. 8. Ioan. 1. Colos. 1. 1. Cor. 8. Psal. 31.

§. 4. *At vero pater inquiunt omnia dat filio, etiam ipsa verba & opera. Pater ergo maior, filius minor. Beatius est enim dare quam accipere. Dare enim est abundantis, accipere vero indigentis. Qui dat actu perfectionem habet, qui accipit est in potentia. Quod si negemus filium cum accepit in potentia fuisse, cum accepit à patre, haud recte dictum videtur. Nam filius, quod à Patre accepisse dicitur, potuit recipere. si non potuit, non recepit, si potuit in potentia fuit. Deinde etsi nunquam caruerit, eo quod recepit, nunc etiam perpetuo recipiat, hoc ipsum tamen imperfectionis est, recipere, non à se habere. Sic materia nunquam informis fuit, nec tamen idcirco non est ignobilior, forma, à qua perfectionem suam accepit.* Hæc Blandrata, & Franciscus Dauid, atque alij ex posteris Serueti. Huic argutiæ respondendum est. Secundam personam in diuinitate non esse inæqualem primæ, quod per generationem accipiat substantiam, nec tertiam esse duabus minorem, quod eandem essentiam accipiat per æternam processionem à patre filioque. Ratio est, quia in eadem indiuisibili essentia, sapientia, potentia, vnum sunt, atque idem perfectissime: Deinde communicatur accipientibus perfectissime tota essentia cum attributis absolutis, quocirca tanta est præstantia in accipiente, quanta est in dante, quia vtriusque est eadem deitas, ab hoc data ab illo accepta. Tam necessario accepta, quam necessario data. Vnum autem sunt dans, & accipiens. Non autem filius dicitur esse in potentia Physica ad actum aliquem recipiendum, sed illud ipsum posse accipere à patre eandem essentiam, est pollere, & valere accipere, atque adeo diuinitatis. Itaque in diuinis personis tam magnum, diuinum, ac dignum est posse generari, quam generare, posse spirari passiue, quam posse spirare actiue, Generare, generari spirare, spirari, procedere, verba sunt non dignitatis inæqualium personarum, sed ordinis, & originis. Ac pati ratione dare, ac dari, communicare, & communicari, cum eadem sit necessitas accipiendi, quæ est dandi: nec mendicato & precario accipiant personæ, quibus aliquid datur. Nam cum vna sit, simplicissima omnium essentia, omniaque omnium personarum cum ea identificentur, non potest non esse summa omnium æqualitas. Dare autem est beatius quã accipere, in auxilijs humanis, cum aliorum benignitate & abundantia, egentium inopia subleuatur. Nam alioqui sæpe accipientium, quam dantium maior est dignitas, & dona crebro sunt seruitutis & obsequiorum, non præstantiæ & dignitatis argumenta. Quin etiam in rebus naturalibus videmus membra ignobiliora multa dare nobilioribus. Cum ergo dare sit superiorum, & inferiorum, etiam esse patium potest, quod in diuinis perfectissime fieri dicimus, in quibus nulla dantis est eminentia, nulla accipientis subiectio.

Accipere non est minoris.

Dare & accipere in diuinis æqualia sunt.

QVAESTIO III.

Cur credi iubeat?

§. 1. *NOn creditis quia pater in me est, & ego in patre?* Alioqui εἰ δὲ μὴ, *si non* mihi creditis, *propter opera credite.* Latinus & Syrus textus habet interrogationem: *non creditis*, Græcus, *Credite mihi*, absque interrogatione. Ita etiam Theodorus Heracleotes, & aliqua nonnulla exemplaria Græcorum. Operum ergo cõmunio eiusdem naturæ signum est. Ambr. lib. 1. de fide. c. 2. *Denique habes in Psalmo 44 quod Deum Patrem dicit Propheta, & Deum filium declaraut, dicens: sedes tua Deus in sæculum sæculi. Deinde de operibus subiungit. Operationis enim vnitas, non facit pluralem diuinitatem, sicut ipse Dominus ostendit dicens: Credite mihi, quia ego in Patre, & pater in me, alioqui vel propter opera ipsa credite, & hic aduertimus quod vnitatẽ diuinitatis, per vnitatẽ operationis designauerit.*

Vbi est notandum legisse illum. *Vel propter opera*, aut quod probabilius est, explicationis ergo, particulam *vel*, addidisse. Solet autem Christus & Iudæos, & discipulos Ioannis Baptistæ, atque adeo suos Apostolos ad opera, hoc est miracula remittere, vt quod sibi non tribuitur, istis tribuatur. Quare & merito nos quoque ab hæreticis opera postulamus; quandoquidem enim nihil adferunt, nisi scripturas mancas, sensu, aut stylo adulteratas, vitamque improbam, merito flagitamus aliud ab illis indicium veritatis. Quod cum præstare non possint, non modo illis quæ non credunt sua præmia debentur, verum etiam illi, qui credunt sunt inexcusabiles. Cum nulla sit causa credendi, multæ aũt quibus impostura detegi possit. Cũ enim sit auctoritas, qua stultos oportet ad sapientiam peruenire, vt docet Augustinus, considerandum est, qua parte auctoritas illa stet, quæ mouere posset dubitantes, vt credant hos, non illos Dei legatos esse. Nam si hinc signa multa & magna, illinc nihil supra communẽ naturæ cursum appareat, sine excusatione nouis Apostatis, sine vllo veritatis symbolo creditur.

Ad opera dubios Christus remittit.

§. 2. Occurrit tamen Caluinus. *At illis ipsis miraculis freti sumus, quæ Apostolis ediderunt, quandoquidem non nisi illam ipsam doctrinam proponimus, quæ ab ipsis Apostolis est explicata.* Arqui hoc ipsum est quod controuertitur. Catholici se eam doctrinam retinere docent, nõmodo ex scripturis, sed per seriem & successionem ætatũ omnium, & miraculis continue probatam integritatem, quæ nec dum in Ecclesia cessant. Itaque Apostolorum miracula esse nostræ doctrinæ testimonia docet non interrupta series. Nec veritas doctrinæ quam iactant id efficit, falsam enim esse plures norunt, pauci veram esse credunt. Hoc autem ipsum est, quod in quæstionem venit; an doctrina eorum vera sit? Hoc non vita, non miraculis, non ratione, non scriptura vtuntur; vt nempe ad suos sensus scripturæ verba, & sententiam detorqueant. Cum vero quæritur. Qua nobis ratione illam nouam scripturæ interpretationem, quam vel mundus ante nesciuerat, vel in hæreticis notissimis damnauerat, probẽt, nullam amplius reddere vrgentibus rationem possunt, quam Spiritus sancti, quam sibi adesse imaginantur, instinctum.

Hæretici nunc improbant, non consensu patrum. Vnica ratio est, qua pudentia.

VERSVS 12.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet.

QVÆSTIO I.

An credentes maiora fecerint, quam Christus miracula?

§. 1. PRecium mortis suæ, & fidei in ipsum ostendit. Non est, inquit, virtus mea & potentia corporali præsentiæ alligata, nolite mœrere, aut metuere, ne me abeunte, etiam gloria, & memoria destituar, ne illi qui in me credunt, auxilio destituantur; nam cum in regnum venero, de solio meo illustriora munera largiar, illi ipsi quos misero non modo opera quæ facio, æquabunt verum etiam superabunt. Facient vero mea virtute & gratia, vt me non perijsse, sed dominari mundus intelligat. Facient vero non sua, sed mea virtute, vt me mundus agnoscat. Nam ego in omnibus operabor, ἐντὸς, inquit Chrysostomus, πάντα ἐνεργεῖ, ὁρᾷς τὴν αὐθεντίαν, ipse omnia operatur, vides Dominium?

Opera nunquam destituent.

§. 2. *Ma-*

Maiora sanctorū, quā Christi miracula.

§. 2. *Maiora horum faciet.* μειζονα τούτων, noster Græcismum retinuit. Quomodo fecerint sancti maiora, quæritur, & variæ sunt sententiæ, hoc enim difficillimum adiecit, vt monet Augustinus. Quærimus qui faciat opera, quæ Christus fecit, quomodo inueniemus qui maiora faciat? Idem Augustinus duas adfert responsiones. Prima est; Maiora miracula facta; nā Petrus vmbræ tactu sanabat ægros, hoc Christus non legitur fecisse. Deinde ad Apostolorum prædicationē, & miracula multo maior facta est conuersio, quam ad Christi conciones: non quod illi maiores fuerint vnigenito Dei filio, sed quod per eos vnigenitus illa facere dignaretur.

Alij maiora facta, quod in alio genere facta sint: Nā Christus non nisi miracula fecit, quibus humano generi bene faceret. Apostoli etiam miraculis punierunt, act. 5. v. 8. 9. 10. 1. Cor. 5. 5.

Alij ad multitudinem referunt, nec mirum esset, quosdam per annos quadraginta aut quinquaginta plura operatos, quam Christus triennio fecit, quod tamen vix credibile est. Nonnulli in eo excessum collocant, quod Apostoli gentes conuerterint. Nec desunt qui hoc ipso maiora miracula esse aiunt, quod dæmonem per seruos suos vincat, non modo per seipsum. Vt Origen. hom. 7. in Esaiam.

§. 2. Dicendum tamen est, quosdam sanctos fecisse maiora miracula, quam ipsum Dominum comparatione operum inter se, de his enim loquitur, & modo etiam faciendi. Maximum fuit miraculum resurrectio Christi sed de illa non agimus, sed miraculis quæ hominum aspectibus exhibita, vt Apostolos, aliosque Christi ministros esse, Christum autem dominum & Deum esse crederent, ne minus potentem putarent post resurrectionem quam fuit in mortali corpore. At quæ fuerunt illa maiora? Quidam ægros vmbra Petri sanatos, alij semicinctijs Pauli restitutos, & sane non eo modo videtur fecisse Christus miracula. Excitauit Christus mortuos, sed excitarunt, & alij, & quidem Paulus Act. 20. adolescentem qui de tertio cœnaculo ceciderat, excitauit, in quo non modo fuit mortui resuscitatio, sed etiam membrorum collisorum, & fractorum subita redintegratio, & consolidatio, quæ in mortuis à Christo excitatis nulla fuit. Hac igitur ex parte multo maius miraculum fuit. Gregorius Thaumaturgus montem loco mouit, stagnū siccauit, Lycum coercuit, nihil de Christo tale est auditum. Legio fulminatrix pluuiam impetrauit, ne exercitus Romanus periret siti. Ambrosius 3. de fide notauit verbis prioribus similitudinem nobis miraculorum donari.

Si igitur illa verba: *Et ipse faciet*, similitudinem indicant, necessario sequentia, & maiora horū faciet, excessum significare debent. Petrum certe multa fecisse, & posteros, si quis historiam recenseat, cognoscet. Aratus in hunc modum exponit.

Apostolorū miracula.

Excute Petre gradus: tecum medicina salutis
Ambulat, adde viam, ut pes est ad gaudia velox.
In pedibus non esse moram, tua semita vita est,
Si properas, iam nemo iacet: tu motibus vmbra
Corpora cuncta leuas, atq; hoc simul inscia voti
Sumit turba tacens, quod cum rogat, accipit vnus.

Et Lactant. l. 4. de vera sapientia. c. 21. *Discipuli vero per prouincias dispersi, fundamenta Ecclesiæ vbique posuerunt, facientes & ipsi in nomine magistri Dei magna & pene incredibilia miracula; quia discedens instruxerat eos virtute, & potestate, qua posset noua annunciationis ratio fundari, & confirmari.*

§. 3. Caluinus miraculorum faciendorum gratiam, non esse aliquid commune singulis pijs, sed ad totum Ecclesiæ corpus pertinere: nec solis Apostolis conuenire. Nam diffusum esse per totum Ecclesiæ corpus. At corpus Ecclesiæ non facit miracula, sed nonnulli, qui in corpore illo versantur. Si igitur aliquis sit vbicunque cœtus, qui Ecclesiæ nomine se vēditet, in quo nemo sit, qui miracula faciat, nullus locus, nullum oratorium, nullum templum miraculis illustre; certissimum esse debet, in eo veram Christi Ecclesiam non esse. Miraculorum enim potestas est dos Ecclesiæ, vt nunquam desint, qui illa faciunt, quemadmodum alio loco ex S. Augustino docui.

VERSVS 13. 14.

Quia, ego ad Patrem vado, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

QVÆSTIO I.

Quid promittit petentibus aliquid à Patre?

§. 1. NOn vno modo se Deum esse demonstrat. Nam primo si quid petant, in nomine suo se facturum, nempe si patrem rogent, se facturū. Vt Pater in filio glorificetur. Syrus habet בבורה *babberech in filio suo.* Quædam adiunctum, *Patrem*, quod est etiam in correctis, & addendum videtur omnino. Nam postea versu 14. habet, *si quid petieritis me.* Deinde cū addit, *vt glorificetur Pater in filio, satis indicat patrem rogatum per filium dare.* Brugensis ita de lectione huius versus iudicat. *Quinque manuscripta nostra Brug. Lobb. Clar. & Audomarensia duo. Aliaque Hentenij & Zegeri, & Epanorthota, omittunt patrem, consentanee Græco ac Syro, ac fauentibus tractatoribus veteribus Augustino, nisi quod Nonnus eiusmodi quid addat, paraphrasten agens.*

Solatium nostrū in eo est, quod Christus vadit ad patrem.

Summa est illa consolario, cum se iturum ad patrem dicit: Sed ita tamen, vt quicquid petierint à patre, vel à se id sit ipse facturus, ideo enim ad patrem ire, vt eos exaudiat. Postquam cœleste sanctuariū intrauit eius humanitas maiore quodammodo intercedit.

Vbi non sunt miracula nō est Ecclesia.

§. 2. Qua ex re etiam clarum ac manifestum est. Christum, cum pro omnibus intercedat, petentibus postulata concedat, etiam miraculorum gratiam Ecclesiæ non negare. Ideoque constat & illud; eos cœtus, quibus nullius vnquam signi potestatem dedit, nō pertinere ad eorum numerū, quibus dictum est: si quid petieritis me, faciam. Ecclesia itaque expers miraculorum, non est vera Ecclesia. Sic Apoc. 11. 3. Testibus suis Deus promittit miraculorum potestatem. *Dabo duobus testibus meis, & Prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti sacco. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum. Et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint.*

Per hos testes intelligunt suos aduersarij ministros, & reformatores, alij Hussum, Hieronymum Pragensem. Alij Lutherum, alij Zwinglium, aut Caluinum, aut Mennonem, & prout quisque in partibus est, suæ factionis aliquē Coryphæum nominant. At illi miraculorum, non modo sunt expertes, sed cum ludibrio, & periculo ingenti tentarunt, nullo euentu.

Miratus sum Brentij impudentiam, cum refert in commentarijs siue homilijs. Ideo suos miracula nulla

nulla patrare, quod à Deo non petant, si peterent impetraturos. Cur vero non petendum sibi illam potestatem arbitrentur, causam esse, quod iam miracula gloriam Dei non illustrarent. Ita nolunt sibi eam fieri potestatem. Vtrunque falsum est. Nam & misere cuperent vel, vnico miraculo suas sectas inclarescere, & miraculis Dei gloria etiam hodie illustratur.

Hæretici non volũt miracula.

Miraculorum effectione cupere illos hęresin suam confirmare docet nobile Lutheri exemplum, quo ipsum pene dæmon oppressit. Quin ipse lib. de seruo arbitrio. *Mandatum esse nobis dicit, vt prorsus nullum dogma admittamus diuinũ signũ non ante probatum.* Et in Deut. 18. *Deum ait solere signis firmare dogmata, nullo sæculi carnalis respectu.* Quod si miracula facere possent, vt duo illi testes, iam dudum nos ignibus & aquis oppressissent. Non orare quidem credo illos, vt miracula impetrent, non quod ea non cupiant, sed desperatione impetrandi.

§. 3. Diuinam porro gloriam miraculis illustrari etiam hoc tempore probatius est, quam vt probatione egeat. Cur enim olim facta sunt miracula gloriæ diuinæ illustrandæ, iam fieri non debent? Apostolorum tempore non ab illis modo verum & successoribus innumera facta esse nec aduersarij inficias eunt. Post eorum tempora plurima fuisse, auctor est Iustinus Dial. contra Tryphonem.

Et Apologia ad Marcum Imperatorem, & Senatum. Irenæus etiam sui temporis miracula recenset l. 2. c. 57. & ex eo hæreticos confutat. *Super hæc arguentur, inquit, qui sunt à Simone & Carpocrate, & si qui alij virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque in veritate,* &c. Sed in perniciem &c. & addit: *Tantum absunt ab eo, vt mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitauit, & Apostoli per orationem, & in fraternitate sæpissime propter aliquid necessarium, ea quæ est in quoque loco Ecclesia, vniuersa postulante per ieiunium & supplicationem multam, reuersus est Spiritus mortui, & donatus orationibus sanctorum: & ne quidem credant in totum hoc posse fieri, esse autem resurrectionem à mortuis, agnitionem eius, quæ ab eis dicitur veritatis.* Hostes autem Catholicorum ab illis sæpè sanitatum accipere beneficia protestatur. *Quando igitur apud eos error & seductio & magica phantasia, in speculatu hominum impie fiat: in Ecclesia autem miseratio, & misericordia & fraternitas, & veritas ad opitulationẽ hominum, non solum sine mercede & gratis, impertiatur, sed & nobis ipsis erogantibus, quæ sunt nostra, pro salute hominum, & ea, quibus hi qui curantur indigent, sæpissime non habentes à nobis accipiunt, vere arguuntur* &c.

Veterum miraculũ.

Et Iustinus in eodem dialogo. Ex rebus gestisque quotidianis Christianorum, Ethnicos accurate confutat.

Hæc talia apud Tertullianum, Cypriaanum, Eusebium, Hyeronimum, Augustinum, Gregorium, Leonem cæteros prope innumera reperiuntur, & doctissime persecutus est noster Adamus Tannerus anatomiæ p. 2. Demonstr. 9. Si igitur omnibus sæculis miraculorum effectores habuit Ecclesia, eaque res ad gloriam Dei cessit, fideique confirmationem, etiam hoc tempore ad eiusdem gloriam pertinet, vt inter tot hęreses, schismata, versiones, euersiones, lacerationesq; scripturæ vera Ecclesia & genuina nota & symbolo miraculorum sese exerat, & supra spurias Satanæ synagogas caput attollat. Tot animæ inter contrarias hæreses, velut depugnantes procellas pendent, cur non illæ, vt olim, ita & nunc mirabilium operum aspecta cognoscere possint, vbi sit digitus Dei? Illa igitur vera est Ecclesia in qua sermonem Dominus confirmat sequentibus signis, quæ confirmatio cum ab omnibus hæreticorum congregationibus procul absit, non possunt Ecclesia Dei esse. Hæreticis autem vera & propria miracula Deus negauit, præstigias in lucem hæresis produxit, vt Anaxilai πεῖγμα, Marcum eius imitatorem, similesque impostores, Veteribus igitur vera negauit, nostris vt Caluino & Luthero, ne falsa quidem permisit, ne saltem miraculorum veterum imitamentis simplicium ruditatem, circumuenire possint. At omnes fidei nostræ articulos, multas etiam Cærimonias miracula probarunt.

Ecclesia sola miraculis claret.

§. 4. Verissime itaque nos affirmare possumus, non modo Apostolicis, sed continua serie sequentiũ sæculorum, per miracula fidem Catholicam esse confirmatam. Multi hoc docuerunt, & demonstrarunt. Doctissimus Pammelius in l. 1. c. 9. Irenæi commentarius id neruose & breuiter demonstrat. *Hinc primum obserua quantæ, qualesue sint Hæresiarcharum artes, & cacodæmonis vires in propagandis erroribus: quippe qui Apostolos, prophetas, & Martyres Catholicum dogma innumeris miraculis Constabilisse cernentes, illisque hominum mentes facile conmoueri: hoc charismate se omnino destitui iniquissimo animo ferunt, & tanto liuore tabescunt, vt sanctorum miraculis quam maxime possunt detrahant. Vt autem vel illos æquare saltem videantur, ad Diabolicas magorum fraudes se se conuertunt, quibus incautis imponant, auaritiam suam expleant, & gloriæ inseruiant. Nec deest furoris sui satellitibus, technarumque ministris mendaciorum parens, qui cum exigentibus hominum delictis permiserit æquissimus & supremus Iudex, nihil non potest. Hinc stupendæ impostura Appollonij Thyanei, quibus apud Eusebium, Hierocles illum conatur Christo adæquare. Inde oracula illa Delphica, Pythica, Claria, Dodonea, quæ saluberrimo Christi aduentu periisse scribit idem Eusebius. Ex eadem officina prodierunt insignes Simonis Magi illusiones, quas fusissimè describunt Clemens, Abdias, Iustinus, & hic noster Irenæus. Similibus artibus grassabitur filius ille perditionis, cuius aduentus erit in signis & prodigijs mendacibus. Postremo & hic obseruare licet impios illos priores Gnosticos, relicto Catholicorum ritu, quem Christus per Apostolos omnibus Ecclesijs tradiderat, celebrandæ Eucharistiæ, recentes formulas cuiusdam cœnæ finxisse, quod & posteriores nostro hoc æuo sedulo imitati sunt. Contra Hieroclem. Lib. 4. de præpa. cap. 1. & 2. & lib. 5. cap. 1. 2. 3. 4. Lib. 6. de consist. Apost. c. 9. & l. 2. recog.*

Sanctũ intercessio.

§. 5. *Alios patronos Caluinus putat omnes excludi, cum dicitur, si quid petieritis in nomine meo ego faciam.* Respondeo. Christum quidem orationes in suo nomine factas exaudire. Nam serio ait, *ego faciam* אנא עבר אנא *Ego faciens, ego.* Nec admittit vllum patronum, qui exaudire, & præstare id possit, nisi data à Christo potestate. At vero cum aliorum pro nobis orationes petimus, eas quoque in nomine Christi petimus, vt nobiscum illi thronũ regis nostri adeant. Si enim Christi patrocinium aliorum hominum viuorum, vel cum Christo regnantium appellatione lædit, peccauit Apostolus cum Ecclesiæ pro se orationes postulauit, peccant hodie principes cum subditorum publicas orationes postulant. Aliorum igitur suffragia ad Christum, in Christo, in communione fidei & caritatis petimus, non quasi ipsi Christo æquentur, sed vt Christo nostri causa supplicent. At ego nec illos qui fratrũ se precibus commendant, à Christo abire iudicio, & S. Ambrosium, dum sanctorum se intercessionibus committit, cum illis Christum adire certum habeo. Ille l. de viduis. *Isti sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumq; nostrorum, Non erubescamus eos intercessores, nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatẽ corporis etiam cum vincerent cognouerunt.* Et serm. 3. de natali Nazarij & Celsi. *Quæ cum ita sint, carissimi, licet hic tantus Christi testis,* (Nazarius) *pretiosus confessione, pretiosus sanguine, crudeli vulnere pretiosior, & ideo tincta veste candidior, licet hic Mediolanensium peculiaris putaretur priuilegio sepulchri, sed omnium est, communione suffragij.*

Patronos & aduocatos dicere non veretur, sub magno patrono, & Domino conseruos, iam Domino carioles

riores. Sensum suum ipse Ambrosius oratione 2. Præparatoria ad Missam mirifice expressit. *Et vt efficax mea fit deprecatio, Beatæ Mariæ Virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret. &c. Martyrum preces deposco, confessorum orationes expostulo, orat. 2. præpar. ad Missam.* Vide etiam exhortationem ad virgines.

VERSVS 15.

Si diligitis me: mandata mea seruate.

QVAESTIO I.

An qui diligit, mandata seruet?

§. 1. HOs versus eandem, eamque vtilem ac necessariam doctrinam continentes coniungere visum est, licet disiuncti sint, ne eadem opus sit repetere. Seruare in Syro טרר נטר *à Taru à netar*, forte huc pertinet Græcum τηρεῖν.

V. 21. *Qui habet mandata mea*, in Syro est, *apud quem sunt mandata mea.*

Custodia legis amor Dei. Cum Christus promisisset omnia, quæ peterentur se facturum, conditionem adiungit, vt se diligant, vehementer autem eum se diligere putabant, quod discessu illius tantopere dolerent; At Christus aliud dilectionis signum exigit, non lachrymas, & fletus ob discessum, sed mandatorum suorum custodiam. Nã probatio dilectionis est exhibitio operis, vt docet Gregorius. *Tanto autem quisque magis à superioribus disiungitur, quanto inferioribus delectatur.* & Chrysostomus *Semper Deo inhærendum docet.*

Caritate lex impletur. §. 2. Caritate legem impleri hinc docemur; *Qui enim diligit, legem impleuit*, & qui diligit mandata seruat. Verissime Theodoretus in Gal. 5. *Es amator legis serua quæ sunt legis necessaria.* Habe caritatem in proximum, per eam enim lex vniuersa impletur, circumcisionis autem & præputij discrimen fides sustulit, neque enim in militibus albedinem, aut nigredinem, sed rei militaris peritiam duces postulant.

Sine caritate lex non seruatur. §. 3. Econtrario etiam constat non posse sine caritate legem seruare, cum caritas præcipua sit legis pars, & omnium legum particularium caput. Ita Chrysostomus in Psal. 7. Quicquid enim in singulis liberalitatis, benignitatis, auxilij proximo adfertur, id totum ad communem legem caritatis pertinet.

Mandata seruari possunt. §. 4. Concludimus etiam falsam esse opinionẽ, qua negatur posse seruari mandata. Christus enim tanquam certum, & euidens statuit, Apostolos diligere non modò diligere posse. At qui diligit mandata seruat, seruari igitur mandata possunt. Dilectionẽ autem esse possibilem probatur ex v. 15. *Si diligitis me mandata mea seruate.* Alioqui respondere potuissent, non possumus te diligere: at postea Petrus respondet. *Domine tu scis omnia, tu scis, quia diligo te.* Deinde 21. Aliqui à patre diliguntur, & à filio, & Ioannes erat discipulus quem diligebat Iesus, at nemo à patre diligitur. nisi & ipse diligat, nemini nisi diligenti se manifestat, loquor autem de amore, qui est Dei erga iustos. Denique ad aliquem veniunt filius & Pater, at non nisi ad eum, qui sermonem Christi seruat. Itaque opera & obseruatio mandatorum Dei, ad iustitiæ augmentum facit, imo & gloriæ. Ad diligentes enim, hoc est, iustos venient Pater, & filius.

Respondet ad ista tam perspicua Pareus lib. 4. cap. 19. de iustificatione, *Nihil hoc ad iustificationem maiorem coram Deo per opera: sed diligentibus Deum quales sunt iustificati fide, promittitur dilectio, & benedictio gratuita.*

Atqui promittitur dilectio, & mansio Dei, illa noua dilectio, & inhabitatio fit per gratiam, & maiorem sanctitatem, illa vero maior est iustitia. Per effectum venire docet Augustinus. *Ecce exposita est causa, quare se suis manifestaturus est, non alienis, quos mundi nomine appellat, & ipsa est causa, quod hi diligant, illi non diligant. Qui enim diliguntur, quia diligunt, eliguntur, qui vero non diligunt, si linguis hominum loquantur, & angelorum, fiunt æramentum sonans, aut cymbalum tinniens.*

Mereri autem dicimus, quia Deus se ad dilectores venturum promisit, itaque dilectionis, & obseruationis mandatorum respectu venit, gratuita benedictione, seu promissa; ex facto autem non potest non venire posita conditione dilectionis. Audiẽdus ergo Augustinus tract. 74. qui multum hoc facere ad iustificationem per opera dicit. *Restat ergo vt intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit: & habendo mereri, vt plus habeat, & plus habendo plus diligat. Iam itaque habebant Spiritum discipuli, quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant: nec tamen eum adhuc habebant, sicut Dominus promittebat, habebant ergo, & non habebant, qui quantum habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaq; minus, dandus erat amplius.* *Augmentum gratiæ ex meritorio.*

Si igitur exspectamus Spiritus sancti maiorem gratiam, & consolationem; nam paracletus est, quod nomen adeo notum fuit Ecclesijs, vt etiam Syri retinuerint, vocant enim פרקליטא, *paraclita*, quod glossa interpretatur מנחם *consolatorem.*

§. 5. Prior quidem nos ille diligit, sed postquam à nobis vicissim diligitur maiore dilectione vicem reddit, illis autẽ se diligentibus sese manifestat. Porrò cum veram dilectionem, non modò studium dilectionis quærat, eodem modo etiam quæ de mandatorum obseruatione dicuntur sunt intelligenda. Itaq; deprauat sensum scripturæ Caluinus, & Catena Marlorati, dum solius doctrinę obseruantiam, cum studio incumbendi ad mandata seruanda requirunt, etsi effectus conatui non respondeat.

§. 6. Quomodo se ostensurus esset Apostolis non Iudæis dubitauit Iudas, an forte semel atque iterum id futurum esset; nam regnum restituturum existimabant Theophyl. Non per somnum apparituram, sed vt æquum est patrem apparere, sic etiam se apparitu- *Clarè apparebit.* rum. Somnia enim prætereunt, se vero permansurum οὐκ ὄναρ ἀναῤῥώσῃ ἔσῃ ἡ ἐπιφοίτησις μοῦ. Non enim per somnum aduentus meus. Id dixit, ne vt phantasma venturum existimarent. Excitat vero ad obseruationem præceptorum, cum illa seruantibus apparitum se promittit, & simul etiam fore secum patrem. Manifestauit autem se tam in hac, quam futura vita, ampliorem sui cognitionem tanquam peculiare præmium nostri in se amoris pollicetur. Hoc opus Paracleti erit ille ὑπομνήσει, *suggeret.* ὁ παράκλητος τὰ ἀσαφῆ καὶ δυσνόητα εὐγνωστα κατασήσει. *Paracletus illa quæ sunt obscura, & difficilia cognitu, facilia cognitu efficiet.* Et Theophylactus. τὸ οὖν ἅγιον πνεῦμα, καὶ ἐδίδαξε, καὶ ὑπεμνησε. ἐδίδαξε μὲν ὅσα εἶπεν χριστὸς αὐτοῖς, ὡς μὴ δυναμένοις βαστάσαι. ὑπεμνησε δὲ ὅσα εἶπε μὲν ὁ κύριος, οὐκ ἤδυνήθησαν κατανοῆσαι οἱ ἀπόστολοι. *Spiritus sanctus igitur, & docuit, & in memoriam reduxit. Docuit, quæ illis Dominus, vt ferre nonvalentibus non dixit. In memoriam reduxit, quæ Dominus dixit, sed vel propter obscuritatem, vel intellectus imbecillitatem non poterant Apostoli capere.*

VERSVS 16.

Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis; vt maneat vobiscum in æternum.

QVAE-

QVAESTIO I.

Quis alius Paracletus?

§. 1. CVm vtraque in vna, eademque sit hypostasi, suaſq; actiones proprias, ac iura contineat, Christus modo vt homo, modovt Deus loquitur, cũ rogaturum se patrem promittit, human ędispensationis est actio, cum mittere se Spiritum sanctum, diuinæ maiestatis est professio. Monet Chrysostomus promitti Spiritum sanctum, ne alterius incarnationis posset esse suspicio. Paracletus enim quem promittit, non est futurus homo, qui aspectabili præsentia, aut verbis auditum pulsantibus, sed qui interna inspiratione & energia animas consoletur. Quare quod Erasmus queratur non consolatorem vertisse, sed paracleti nomen retinuisse, nulla ratio est. Nam & Syrus Græcum nomen vt dixi retinuit.

Christus modo vt homo, modo vt Deus loquitur.

§. 2. Contra Sabellianos tres distinctas personas veteres probarunt, & Christi, ac Spiritus sancti diuinitatem. Αἰχύνθησαν inquit Chrysostomus p. 376. δ. καὶ οἱ τὸ σαβελλίου νοσοῦντες. καὶ οἱ πρὸς τὸ πνεύματος οὐ τὴν προσήκουσαν δόξαν ἔχοντες. *Erubescant, inquit, qui illa quæ Sabellij sunt, sapiunt, & qui de Spiritu sancto veram sententiam non habent.* Mirum enim esse dicit duas est è diametro pugnantes hæreses vno ictu cõfectas. τῷ μὲν γὰρ εἰπεῖν, ἄλλον δείκνυσιν αὐτὸ τῆς ὑποστάσεως τὴν διαφοράν. τῷ δὲ εἰπεῖν: παράκλητον, ἕνωσας τὴν συγγένειαν. *Dicendo eum Alium, subsistentiæ differentiam ostendit. Dicendo vero paracletum, substantiæ cognationem.*

Consulatur & Nazianzenus oratione 37. quæ est de Spiritu sancto. p. 597. πῶς γὰρ ἡγῇ τὸ ἐκπορευτὸν; εἰπέ μοι, μέσον ἀναφανὲν τῆς διαιρέσεως, καὶ πρὸς κρεῖσσον, ἢ κατὰ σε θεολόγε τὸ σωτῆρος ἡμῶν εἰσαγόμενον. *Vbi igitur id quod procedit collocabis? Dic mihi, quod medium indiuisione tua apparet, quod à Theologo meliore, quã tis, Saluatore nostro inductum est.* Vt vero accuratissimi Theologi disputatio & modus plane Scholasticus cognoscatur; plura eius verba apponere visum est. καθ' ὅσον μὲν ἐκεῖθεν ἐκπορεύεται οὐ κτίσμα. καθ' ὅσον δὲ οὐ γέννητον, οὐχ υἱός. καθ' ὅσον δὲ τὸ ἀγέννητε, καὶ γεννητὸ μέσον θεός. *Quatenus illinc procedit, non est creatura. Quatenus non est genitus non est filius. Quatenus inter ingenitum, & genitum est medius, Deus est.*

Processio Spiritus sancti.

Non vero quis quæreret, quæ esset illa processio. Ipse quærit quid sit ἀγεννησία τὸ πατρὸς. *Patris ingenitura.* Hæc autem non posse vllum φυσιολογεῖν, nisi se præcipitare in insaniam velit, vt qui nec catenas maris, nec pluuiæ guttas, nec alia, quæ sunt ante pedes cognoscere possimus. Vide quæ de relationum differentia ibidem disputat.

Spiritus Sanctus dat vires seruandi præcepta.

§. 3. Hoc etiam ex Caluino obseruandum: Existimare eum; Christum dum Spiritum sanctum promittit simul etiam polliceri, *se præceptis suis seruandis vires daturum. Nam alioqui parum efficax esset exhortatio.* Quod si verum est, vt est verissimum: Consequitur omnino Dei præcepta obseruari posse. cum ad id Christus vires promittat, & quod promittit, etiam præstet. Curenim vires ad inefficacem, & imbecillem conatum voluntatis duntaxat, præstare, non ad effectum prestare fingit. Quin etiam illud satis constat, dari gratiam sufficientem omnibus. Nam sine illa fatetur fore exhortationem non efficacem.

VERSVS 17.

Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscitis eum quia apud vos manebit, & in vobis erit.

QVAESTIO I.

Quare mundus non possit accipere Spiritum sanctum?

§. 1. MVndum sine dubio appellat homines carnales peccato deditos, quos id citeo negat posse accipere Spiritum sanctum, *quia non videt eum, nec scit eum.* Hic autem est Spiritus veritatis, qui vmbris, creaturis, erraticis hominum enthusiasmis opponitur. At cur non dando Spiritum suum Deus fecit, vt eum possit accipere mundus videre & scire? Nonne multi impij accepto Spiritu eum sciuerunt: Theophylactus non posse videri & cognosci, & corporaliter suscipi, non enim incarnandus, itaque mundi nomine externam susceptionem Verum nec scillum Apostoli acceperunt, non enim viderunt. Augustinus vero; mundum nõ posse accipere, quandiu suo in statu permanet; nam si aliqui è mundo accipiant, iam in mundo esse desinunt. *Sic autem mundum dixit, non posse accipere Spiritum sanctum, sicut etiam dictum est; prudentia carnis inimica est in Deum. Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest: velut si dicamus iniustitia, iustitia esse non potest, mundum quippe ait hoc loco, mundi significans dilectores, quæ dilectio non est à patre.* Adiungit. *Non habet inuisibiles oculos, mundana dilectio, per quos videri spiritus sanctus potest, qui videri nisi inuisibiliter non potest.*

Mundus nõ accipit Spiritum sanctum.

Mundus vt talis nõ potest accipere Spiritum sanctum.

Falsum est autem solos electos accipere Spiritum Dei. Vt Caluinus hoc loco fingit, cum multi reprobi eum excutiant: Ideoque necesse est vt habuerint.

§. 2. Caluinus ad πληροφορίαν suam stabiliendã hunc locum inducit. Pareus l. 3. c. 9. de iustificat. Sic argumentum format. [Si fideles cognoscunt Spiritũ « sanctum in se manentem, & arcanam sui cum Deo « coniunctionem, quam mundus nec nouit, nec com- « prehendit: fieri non potest quin eiusdem Spiritus in- « habitantis testimonio indubitanter cognoscant pro- « priam gratiam. Spiritus enim ille sanctus, inquit Do- « minus v. 26. docebit vos omnia.]

Hæc erudite l. 3. c. 9. refutat Bellarminus. Respondeo. Ex priore loco solum colligi, eos qui per fidem Spiritum sanctum noscunt, non sine eius gratia, & auxilio noscere. Non potest accipi Spiritus sanctus, nisi prius cognoscatur, nec cognosci, nisi accipiatur. Duobus modis est in nobis, per fidem & iustitiam integram. Mundus eum non potest accipere ad iustitiã perfectam; quia non habet per fidem. Apostolos autem cognouisse constat Spiritum sanctum, & certi fuerunt, ea quæ acceperunt, non esse sine Dei auxilio. Possunt autem habere Spiritum sanctum, nec tamen id certo scire. Videri autem, & scire, vt videndus & sciendus est, non potest à nobis, nisi sit in nobis, monet tract. 74. Augustinus. Nec Spiritus sanctus prorsus omnes omnia docet, sed pro Dei ordinatione omnia, vt alibi exposui: nec enim omnibus futura prænunciat.

Occurrit Pareus. [Ex priore *ait*, colligi cognitio- « nem ipsius Spiritus. Ergo cognitionem eorum quæ « sunt Spiritus, inter quæ facile primum est cognitio « proprię gratiæ.] «

Hæc ille contra scripturas tot manifestas, & toties excussas. Quasi Spiritum sanctum non noscat quispiam, nisi omnia quæ ipsius dona & officia sunt penitus perspecta habeat.

Deum cognoscentibus, multa sunt incerta.

Assumit ergo veluti certum id, quod probandum est. Si fide cognoscimus Spiritum sanctum, omnia igitur quę sunt Spiritus cognoscimus. Nihil absurdius dici potest; Deum nouimus per fidem, nec omnia tamen

meñ quæ sunt Dei cognoscimus. Nam Deum cognoscimus ex parte. Consilia Dei, & decreta nobis ignota sunt. Quod si omnia cognoscimus ex eo, qui Deum cognoscimus, etiam aliorum iustitiam, vel iniquitatem cognoscimus. At Deus etiam amicis suis multa incerta esse voluit.

VERSVS 18. 19.

Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicum: Et mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis.

QVÆSTIO I.

De quo reditu loquatur?

§. 1. SYrus verba duo priora, quæ inchoant versum 19. iungit cum versu 18. hoc modo *Redibo ad vos paulo post.* בלויל אחרין *Calil acharin*: sed facile appareret nec Latino, nec Græco textui conuenire, nec adeo sensui: consueta itaq; lectio retinenda est.

S. Augustinus de secundo aduentu verba interpretatur. Alii de resurrectione, & Spiritus sancti missione. Mihi certum est, non illa modo, sed perpetuam etiam suam prouidentiam, & fidelium conseruationem indicare. Non enim solis Apostolis hoc promittit, sed Ecclesiæ suæ & fidelibus, quos resurrectione, alloquio, missione Spiritus sancti, miraculis, variis auxiliis inter dæmonis, mundi & carnis tentationes tuetur, & regit, donec tandem immortalitate donatos secum in regnum adducat, quamuis orphanorum instar omnibus inutilibus expositi videantur, non tamen deserti sunt, sed benevolum & potentem habent tutorem, qui eos in adolescentia huius vitæ sic exercet, vt totam illis hæreditatem multo fœnore multiplicatam iam maturis optimâ fide reddat, immensum gloriæ pondus apud se depositum, quod illi in hac vitâ cognoscere non potuerunt. Huc enim pertinet orphanorum mentio. Nam tutorem se omni Patre amantiorem, & sapientiorem dicere voluit.

Perpetuus Ecclesiæ defensor Christus.

§. 2. Nec obstat, quod v. 19. negat, à mundo se videndum. Non enim mundus eum videbit: nam etsi iudicem, & hominem visuri sunt, diuinitatem tamen non videbunt, in extrema die. Sed neq; eum homine à resurrectione cõspexerunt. Ratio redditur: Quia & ille, & Apostoli viuent, vitam scilicet æternam, mundus mortuus est. In Christo autem viuunt fideles. Quo autem in Deo quisq; magis est, eo magis viuit. Egregie Nazianzenus οἱ κόσμῳ χωρὶζοντες ἑαυτὸς, καὶ τὴν ἔρημον ἀσπαζόμενοι, ζῶσι θεῷ πάντων μᾶλλον τῶν σὺν σώμασι. *A mundo se separantes, & eremum amplectentes, magis Deo viuunt, quam omnes, qui in corpore versantur.* De illis verè loquitur, qui Ægypti sacra monasteria ingressi sunt. Omnes quidem fideles Deo viuunt, dum fide, spe, charitate instructi illi seruiunt, sed generosior est quorundam certatio. Illi cum vitam solitariam, & puram agunt, sibi ipsis, & Deo colloquentes, & hoc in mundo solum scientes, quod in eremo vident. Alii legem charitatis in vita sociali amantes, eremitæ sunt, & cœnobitæ; aliis quidem hominibus, & negociis mortui, quæ in medio & versant, & versantur, nosque subitis murationibus deludunt, sibi mutuo sunt mundus, & collatione virtutem acuunt. Hoc ille modo veram, & quæ in Deo sit vitam describit, cui Deus, & proximi salus, solus atque vnicus sit mundus.

VERSVS 20. & seq.

In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea & seruat ea: ille est qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum, &c.

QVÆSTIO I.

An hinc certo cognoscant se electos esse?

§. 1. CAluiniani ita plane iactant. *Nam qui cognoscit se in Christo esse, & Christum in se; ille nouit certo se iustum esse. In Christo enim esse non potest, qui iustus non est.*

Augustinus & Cyrillus de cognitione beata vitæ æternæ interpretati sunt, ideoque in eorum sententiâ non habet res difficultatem. Quod si de cognitione fidelium in hac vita accipiamus. Ne sic quidem de electione certitudo constabit. Nam etsi discipulis & ante, & post resurrectionem specialibus verbis prædestinationem, & in doctrina infallibilitatem prædixit, non tamen id omnibus contigit; videmus enim Apostolis multa specialiter concessa. Nam Pauli prædestinationem non ipsi modo, sed etiam Ananiæ, & Ecclesiæ indicauit. Cognouerunt igitur discipuli se accepisse Spiritum sanctum, se esse in gratia confirmatos; nam & Ecclesia vetus eorum temporum hoc agnouit: alia tamen est cæterorum ratio. Qui tamen Christum in nobis esse cognoscunt, hoc est caput esse Ecclesiæ, ab eo quicquid bonorum in fidelium cœtum tenetur, manare. Nullius igitur momenti est, quod priuilegium Apostolorum ad omnes extendit Pareus lib. 3. cap. 9. de iustificatione. [Non possumus « esse in Christo, nisi sanctificati, non sanctificati, nisi fi- « de iustificati? Et cognoscere nos esse in Christo, est « cognoscere, nos iustificatos.] Concedi illa possunt. « Si vero pergat dicere. Omnibus concedi eam cognitionem; negandum est. Nam hoc priuilegium eorum duntaxat est, quibus consilium suum Deus dignatus est reuelare.

Apostoli multa sunt specialiter concessa.

Non omnes iustificati sciunt esse tales.

§. 2. Quod dicit: se in patre esse, similitudinem indicat, nõ paritatem, quæ sit inter esse in patre, & Apostolorum in Christo, aut Christi in Apostolis. Agit autem de essentia æterna, quam communem cum patre habet. Chrysost. p. 378. Ἐπὶ μὲν ὁ πατὴρ, καὶ οὐσίας ἐστὶν. Ἐπὶ δὲ αὐτῶν, ὁμονοίας καὶ βουλήσεως τῆς πρὸς τὸν θεὸν ἐρημίαν. *In patre quidem substantiæ est. In ipsis vero, concordiæ, & auxilij quod est à Deo.* Nec mirandum esse monet, quod eodẽ modo loquatur, nam solet interdum verbis eisdem de Deo, & hominibus non eodem modo vti. Cum enim nos Dei vocamur, & filii Dei, non eandem vim habet idem verbum de Deo, & de nobis positum. Sic & imago & gloria dicitur filius similiter & nos, sed longe alio modo. *Et sicut misit me Pater, ita ego mitto vos,* & multum inter Christum, & inter Apostolos interest. Hæc Chrysostomus.

VERSVS 28. 29.

Audistis quia ego dixi vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem;

trem; quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis prius quam fiat: vt cum factum fuerit, credatis.

QVÆSTIO I.

Quòmodo maior Pater Christo?

§. 1. ARianorum hic scopulus erat. ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι. *Pater meus maior me est.* Syrus רבא מנני חו *Magnus ille præme.* Responsio orthodoxorum communis, Christum loqui secũdum humanitatem. Vide August. de fide, & Symbolo. c. 7. lib. 83. quæstionum. De Trinit. sæpius. Contra Maxim. Arian. l. b. 5. cap. 24. & 25. Athanasium variis locis. Argutabantur Ariani; *Comparatio non est nisi eiusdem generis: non ergo hominẽ Deo, sed Deum Deo cõparat.* Quibus recte Basilius occurrit. *Si non sit nisi in eodem genere comparatio, Christum Deum esse. Nam Deo se comparat, non humanitatem suam, vt aiunt Ariani, igitur diuinitatem.* Falsa tamen est Arianorum illa maxima. Res enim diuersi generis inter se comparari videmus, niuem, & lanam, perfectionem hominum, & Dei. Baptistam & Angelos. De tota hac materia multa erudite disputat Nazianzenus orat one 35. vbi ad omnia similia respondet. *Iam dicentibus vobis, Patrem, quantum ad causam, filio maiorem esse, ipsi hanc propositionem assumant. At causa naturâ maior est. Hinc post concludunt, ergo maior naturâ. Haud scio, ne magis, an eos quibuscum disputant hac captiosâ argumentatione circumueniant. Neque enim omnia, quæ de aliquo dicuntur, etiam de eo quod ipsi subiectum est dicuntur, sed perspicuum est, de quo, & quenam dicantur. Alioqui quid vetat, quo minus ipse quoque allatâ hac propositione. Pater maior naturâ est, ac deinde assumptâ alterâ. Non omnino maior naturâ, neque Pater, ac postremo concludam. Maius igitur non omnino maius. Vel Pater non omnino Pater. Vel si mauis adhunc modum agam: Deus est essentia: Essentia non est omnino Deus. Quod sequitur ipse ridet. Ergo Deus non est omnino Deus. Verum ab eo quod secundum rationem aliquam dicitur, ni fallor, ad id quod simpliciter dicitur. Captiosè producitur hac argumentatio, quod artis huius studiosis vsitatum est & familiare.* Ἡμῶν γὰρ, inquit, τὸ μεῖζον τῇ τε αἰτίᾳ φύσει διδόντων, αὐτοὶ τὸ τῇ φύσει μεῖζον ἐπάγουσιν. *Nobis enim nomen* μεῖζον, maius *tribuentibus naturæ eius quod causa est, ipsi nomen illud* μεῖζον *maius, ipsi naturæ tribuunt, obscura sunt ista. Verus sensus est. Fatemur Patrem quâ est* αἴτιον *seu vera causa, maiorem esse eo, cuius est causa; non tamen ideo rectè Eunomiani dicunt; Ergo Pater naturâ maior est filio. Nam Pater vt habet rationem veræ causæ cum humanâ Christi naturâ comparatur, quâ maior est, at Patris natura est eadem quæ natura filij Dei: & relationes paternitatis, & filiationis pares sunt. Hoc simili exponit: Quemadmodum dicentibus nobis: ille est homo mortuus; illi simpliciter inferrent esse hominem. Nam causam habere filium negat, & secundum relationes docet esse. Atque adeo insigne eius dictum est.* Ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον εἰπεῖν θαῤῥήσωμεν. ὅτι εἰ καὶ μέγα τῷ πατρὶ, τὸ μηδαμόθεν ὁρμᾶσθαι, ὅσον ἔλαττον τῷ υἱῷ τὸ ἐκ τοιούτου πατρός. *Nos vero tantum dicere audemus. Quod si magnum est Patri à nullo profectum esse, non minus est filio, ex tanto Patre esse.*

Deus & homo comparatur.

Scio interdum apud Græcos αἴτιον pro principio poni, sed eo modo Pater filio maior non est, sed par esse ingenitum ostendi. Quamuis alii velint Nazianzenum dicere Patrem esse filio maiorem ratione principii.

VERSVS 30.

Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.

QVÆSTIO I.

Cur Princeps mundi in Christo non habet quicquam?

§. 1. SYrus רבי ליה לה במרם. *Et in me non illi quicquam.* Non multa locuturum se ait: Venire enim Principem mundi, acturumq; vt discedat. Principem mundi appellat, non quod iure mundo imperet, *Domini est enim terra & plenitudo eius.* Multum enim non à fide modo, sed etiam ratione naturali abierunt Valentiniani, Manichæi, & qui Manichæissimum Patrum memoria renouarunt. Ἄρχων ὁ τῆς κτίσεως, inquit Theophylactus, ἀλλὰ νυδαίως λαὸς καὶ τὸ κόσμου φρονῶντος. *Princeps non creaturæ, seu creationis, sed dissoluti populi, & ea, quæ mundi sunt, sapientis.* Suis deditiis & apostatis dominatur, in Christum nihil habuit potestatis, nihil iuris, planè per omnia victus est. Cum hæc diceret, iam in procinctu erat Iudas, & satellites dæmonis, sed nihil tamen inuito Domino Satanæ illa cohors potuit; nam cum diceret: *ego sum; abierunt, & ceciderunt retrorsum.* Augustinus. l. 13. c. 14. de Trinit. & super Deut. q. 55. Theophylactus. οὐκ ὑποδύομαι δὲ ὧν τῷ θανάτῳ, οὐδὲ ὀφείλων τῷ διαβόλῳ, ἀλλὰ δίδωμι τῷ πατρὶ ἀγαπῶν ἐκὼν ὀφείλομαι τὸ πάθος. Non enim morti obnoxius, neque obligatus diabolo, lubens ob amorem erga Patrem, sustineo passionem.

In Christo nihil iuris dæmon habuit.

VERSVS 31.

Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: Surgite, eamus hinc.

QVÆSTIO I.

Quo ierint?

§. 1. SVrgite eamus hinc. Iubet exurgere à mensa, atque inde discedere. Nam obuiam inimicis ibat. Verba autem quæ sequuntur alio loco dicta sunt. Vt Chrysostomus, & Theophylactus docent. Hic addit. Eos à Christo quasi in locum secretiorem, & tutiorem ductos, ne nimium turbarentur, sed timorem paulum excuterent, sed re uera fuisse ἐκούσιον ἔκδοσιν voluntariam deditionem, etsi videretur ἀναχώρησις, secessio.

In atrio vel in vicinatu est.

Hæc igitur paulò post dicta sunt, dum enim à mensa surgunt, seque ad exeundum parant, iam stantibus vel in conclaui, vel atrio ista dixisse, vel etiam dum exeunt, maxime inter vrbem, & hortum crediderim; non enim cum adeo mœsti essent, in via tacitus eos sine consolatione reliquit.

§. 2. *Eamus hinc*, inquit, non igitur in eodem loco manfit, sed locum mutauit; si enim vbiq; esset, nec illinc, nec alio se conferret. De quo dictum Ioan. 11. in illa verba: *Quia non eram ibi.* Quæ lector consulat.

CAPVT

CAPVT XV.

EGO sum vitis vera: & Pater meus agricola est. 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. 3. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. 4. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. 5. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potest facere. 6. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignē mittent, & ardet. 7. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis. 8. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. 10. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. 11. Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. 12. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. 13. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. 14. Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio vobis. 15. Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunq; audiui a Patre meo, nota feci vobis. 16. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat: vt quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. 17. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. 18. Si mundus vos odit: scitote, quia me priorem vobis odio habuit. 19. Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. 20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. 21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. 22. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 23. Qui me odit: & Patrem meum odit. 24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum. 25. Sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. 26. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. 27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. dña 6 post paschа

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM
ARGVMENTVM.

CONSOLATVR discipulos Dominus variis argumentis, atque charitatem mutuam, constantiamq; hortatur. Præcipuum consolationis est caput; vt intelligant, se à Christo moriente, atq; ad Patrem abeunte non deseri, sed non modo cum illo, sed etiam in illo, tanquam membra illius manere, quod pulcherrima similitudine vitis & palmitum exponit, ex quo consequitur, eos illi adhærere, vitam vigoremque ex eo ducere, fructus producere. Cum ergo sint in eandem vitem insiti surculi, naturâ steriles, de gratiâ redemptoris fœcundi, amare se mutuo, & mandata seruare necesse esse, si enim vel infructuosi sint, vel degeneres, vti spuria vitulamina abscindendos esse pronunciat. Nunc amicos suos vocat, beneuolâ electione, non eorum meritis, mitum non esse si mundus eos oderit; de mundo enim selectos esse: & in eam vitem insitos, quam mundus semper oderit. Non esse meliorem seruorum, quam Domini conditionem. Nec tamen mundum impune odia iniusta & persecutiones habiturum minatur, & Spiritum sanctum denig; illis promittit.

A vers. 8. In Syro titulus est. *In Matutinis Dominicæ Pentecostes*, quam vocem, & Syri retinent, ܦܢܛܩܘܣܛܝ *Pentecusti.* & monet glossa marginalis esse מן לשון יון *de linguâ Iauan*, seu Ionicâ.

VERSVS 1.
Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est.

QVÆSTIO I.
Cur vitem se Christus appellat?

§. 1. OBseruandum est hoc loco, quod in aliis parabolis aliquando monui, non omnia singulatim excutienda, sed scopū esse considerandū, quo omnia dirigēda sunt. Græcè dicitur ἄμπελος quod vineam, seu terrā vitibus consitā significat, quemadmodum & Syriacè ܓܦܬܐ quod notationes in Syrum testamentum appellant Hebraicè גפן *Gophen.* Vitis etiam apud Latinos frutex est, & terra vitibus consita seu vinetum. Pauperum agellos & viticulas Cicero appellat, rus in quo vites sunt, vel fruges. Cum autem Dominus non modo vitis, sed etiam ipsa terra vitium propagatrix & altrix eâdem metaphorâ vocari possit, hoc tamen loco comparatio non inter vites, & terram, sed inter truncum qui radici iunctus est, & ramos seu palmites est instituta. Palmites enim vel degeneres, vel infructuosi à vite abscinduntur, & exuruntur. Vitis autem similitudine frequenter Spiritus sanctus vtitur. Isaiæ cap. 5. Iudicum cap. 9. vers. 13. Oseæ 10. v. 1. Psal. 128. v. 3. *Vitū ager & frutex.*

§. 2. Nec vitem se modo, sed emphaticè vitem se

Vitis Metaphorice.

veram appellat. Ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή, *Ego illa vitis, illa vera.* Syrus vocat vitem ארשרא *daſcheraa, vitem veritatis.* Est enim ea dictio idem quod אמרת Hebræis, vt obſeruauit Syrus ſcholiaſtes. Porro vera dicitur vitis, non vt metaphoricam excludamus, ſed quod veros effectus vitis habeat, non proprietate formæ, ſed efficacia conſeruandi, vegetandi, fœcundandi ſibi inſitos homines, ſicut propriè dicta vitis palmites. Meliore & nobiliore ſucco palmites ſuo imbuit, quam botros ſuos vitis terrena. Pari ratione vere lux dicitur; quæ multo præſtantior animis ſe infidelium infundit, quã oculis illa quæ videtur. Ita optimè Rupertus, & hoc loco Auguſtinus. Sic verum ſacrificium Auguſt. l. 10. c. 16. de ciuitate Dei vocat, pietatis & charitatis opera, *non proprietate naturæ, ſed præſtantia*; eſt enim charitas omnibus holocauſtis præſtantior. Vera igitur vitis eſt, quæ fructus optimos, immortales proferat, Deo caros, non acidos, non labruſcas.

Picturæ decent.

§. 3. Multa ſunt equidem in quibus vitis, & Chriſtus: palmites, & Apoſtoli conueniunt: quæ facile fuerit cuiq; inuenire. Huius autem parabolæ ſcopus eo tendit, vt demonſtret, fruſtra omnia alia tentari, non poſſe vllam eſſe vitæ æternæ, fructuumq; ſpem, niſi in Chriſto. Areſcere, & perire quicquid viti illi non inhæret. Quicquid infructuoſum eſt, quantumcunque lætis pampinis luxuriet, amputandũ nõ eſſe in rem vllam vtile, niſi in ignem. Hoc igitur vnicè agendum vt radici, & trunco fixi hæreamus. Hoc enim toto capite Chriſtus vrget, vt Eccleſiã & illi doceãt: omnes fideles Chriſto inſeri Chriſto complãtari, Chriſti mẽbra eſſe.

Sine Chriſto nihil poſſumus.

§. 4. Inſanire mihi videntur hoc loco Aretius, & Rudolphus Gualterus: qui occaſione ſimilitudines à vite ſumptæ, imagines ſacras impugnant, non modo hoc conati, ne colantur, ſed ne ad memoriam quidem myſteriorum reſeruentur. *Seruit hoc iis confutandũ*, inquit, *qui imagines tuentur, quod libri ſint laicorum, vt per eas excitentur, & eruditiantur, qui literas ignorant.* Rectè illi quidem, ſed quonã illos argumento refellit? *Quid*, inquit, *mutis ſimulachris opus eſt, & arte factis, quando Deus nobis paſſim imagines proponit minime otioſas?* Addit parabolis fere omnium conſecraſſe agriculturam, ſementem, meſſem, vineas, vindemiam, arbores omnis generis, rem paſtoritiam, militarem, piſtoriam, mercaturam, rem domeſticam, nuptias, ſolem, ſtellas, terram, aquam, aerem, vias, oſtia, & quid non? Ex quo concludit ſtultos, & in Deum ingratos, iniquiſſimos eſſe, qui his non contenti inſuper ſimulachra fingunt, quæ ab illo legibus ſeueriſſimis prohibentur.

Vitis imaginibus non obſtat.

Reſp. Contrarium ex Chriſti doctrina potius concludi. Parabolis & ſimilitudine rerum, quæ in vſu ſunt Chriſtus vtitur, vt nos erudiat, atq; excitet, pictura igitur vti non licet? Quin potius conſectarium eſt, etiã picturis vti licitum? Parabola quædam pictura eſt, ita hoc loco, fateri in erroris ſui euictionem Caluiniſta cogitur. *Etſi*, inquit, *cœleſtis regni myſteria terrenis omnibus longe excellentiora ſint, imo captum quoq; humani ingenij ſuperent, propter nos tamen eo ſeſe demittit ille, vt fidiſſimi & indulgentiſſimi præceptoris inſtar exemplis, & ſimilibus vtatur, quibus myſteria hæc adumbret, & quaſi depicta ſenſibus noſtris proponat, quæ ex iis fere rebus deſumit, quæ in frequenti vſu hominũ ſunt, vt perſpicua magis ſint omnia, & nunquã non occurrat occaſio cogitandi de illis, quæ ad ſalutẽ noſtrã faciunt.* Si parabolæ excitant, & depicta tradunt imaginationi, cur non eadem depingere licet oculis? Voce pinxit Chriſtus, calamo pinxit Ioannes, cur nõ penicillo nobis pictor exhibeat vitem cuius palmites alii vuis gra-

Vinea vera & picta eiuſdem rei ſymbola.

ues, alii folioſi, alii ſint exciſi, & arentes? Proponet vinea picta, quod vera, veram non omnes adire, pictam domi habere omnes poſſunt. Eadem eſt ſemẽtis, meſſium, arborum, nuptiarum, militiæ ratio, quæ in templis, aut ædibus depicta, non minus ſalutarium cogitationum fomenta præbent, quam ſi res ipſas natãs audiamus. Cur enim, ſi quis nec exire domo queat, nec legere poſſit, nec concionatorẽ domi habeat, non oculis ſubiicere picturas liceat, quibus & myſteriorum meditatione animũ reficiat, & affectum paſcat. Quid intereſt, an verborum ὑποτυπώσεις, an Apellæa arte iſta oculis ſpectanda proponat? quod verba per aures cogitationi ſuggerunt, hoc per oculos fideliter tradũt lineamẽta picturæ. Et ſane ſimilitudines imaginũ maius, quam parabolæ excitamentũ habent: dum vineã, militiam, arbores, nuptias, aliaq; legimus, ſæpe in res ipſas, abripitur cogitatio, non viuaciter ſemper in id, cuius cauſa eſt allata ſimilitudo, fertur: at vero ſi Chriſtum in cunis, inter doctores, in horto, in prætorio, in cruce, in ſepulchro, in reſurrectione depictũ liceat ſpectare, occaſione violẽta ad myſteria redemptionis cogitanda mens rapitur, & picturis idiotæ eruditiuntur. Quod vero fingit imagines legibus prohibitas, eſt friuolũ. Imagines quæ pro idolis adorentur, gentiũ ritu, ſunt vetitæ, quæ memores nos diuinorũ myſteriorum faciant, nuſquã reprehenduntur. An ſuorũ Principum imagines, ad memoriã poſteritatis proponere ipſis ius eſt, nos Chriſti trophæa demoliemur? Vide Damaſcenũ ex Athanaſio Archiep. & Patriarcha Antiocheno ad Simeonem Boſtrenſem & Baſilium in Iſaiam. vt Damaſcenus refert l. 3. Et vero quod mireris Beza cum ſociis Caluinianis in colloquio Mompelgar. imagines inter adiaphora collocat, modo ne idololatricè adorentur, atq; ea in re cum Lutheranis conſentit. At vero imagines ad excitandum, vel eruditendum populum habere, non eſt idololatriæ crimen.

Arianorũ argutia.

§. 5. Ariani apud Ambr. l. 5. de fide c. 5. Baſil. li. 4. contra Eunom. ſtolida argutia τὸ ὁμοούσιον impugnabant ex eo, quod Chriſtus vitis, Pater agricola eſſet, eiuſdem autem ſubſtantiæ vitis & agricola eſſe non poſſent. Acceperunt ab ipſo Ario hoc poſteri; nam in Conc. Niceno ille cum Athanaſ. diſputans, vt probet Patrem, & filium non eſſe vnum, hoc loco vtitur. Ἀρειος ἔφη· πῶς ἂν ὁ κύριος λέγῃ, ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή, ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐστιν; δύναται ἄμπελος, καὶ γεωργὸς εἶναι ὁμοούσιος; *Arius dixit. Quomodo igitur Dominus dicit: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt, poſſuntne vitis & agricola eiuſdem eſſe naturæ?*

Reſpondet multis Athanaſ. Summa eſt ex figuris non eſſe de eſſentia filii & Patris conſtituendum, hic tantummodo hoc agi, vt Chriſtus ſe vitem oſtendat bonos fructus ferentem, & omnes fideles ſuos eſſe palmites. Clarius reſpondet in explicatione ſententiæ S. Dionyſ. Alex. qui cõtra Sabellianos ea ſententia vſus eſt.

Ea autem de humanitate ſeruatoris dicta, vel hic ſentiri animaduertiq; licet, quandoquidẽ Agricola quantũ ad ſubſtantiã vitis pertinet, natura ab ea externus, & alienigena cenſerẽ debet, palmites contra, congeneres cum vite, indiuiſumq; cohærentes, & ipſi interim eãdem naturam poſſidere, ſi igitur filium eiuſdẽ nobiſcũ ſubſtantiæ eſſe velit, eandemq; naturã poſſidere, ſi igitur eatenus alienus à ſubſtãtia Patris, eo modo quo vitis ab agricola. Sin aũt filius aliud eſt, & diuerſũ à nobis, nimirũ verba, ratioq; Patris, vos contra nil niſi terrigenæ & poſteri Adæ. Certũ eſt illud dictũ de vite & agricola, nõ referri ad deitatem verbi, ſed ad eius humanitatẽ, cum ad iſtũ modũ Dominus ſua verba ẽxperẽrit, Ego ſum vitis, & vos palmites, Pater verò meus agricola eſt. Nos n reſpectu corporis noſtri Domini cognati ſumꝰ ac proinde ab illo dictũ eſt, Annunciabo nomẽ tuũ fratrib. meis. Et vt palmites ex vite ſunt, eoq; cõſubſtantiales habentur, ita & nos cognati ẽxtũ Domino corpora ſortiti incrementũ ex eius plenitudine accipimus. eiuſq; radice ad reſurrectionẽ & ſalutẽ nutrimur. Pater verò agricolæ nomẽ meretur, eo q; ipſe per verbũ, vitẽ, quæ eſt humanitas Saluatoris, cõdiderit, atq; ideo nemo ad Dominum venire poteſt, niſi Pater eo illũ traxerit. Cum igitur iſte ſit huius ſententiæ intellectus, opportuniſſimè ea de hac vite ſcribuntur, fidelem eum fuiſſe illi, qui ipſum fecerat.

Ad

Ad humanitatem tamen Cyrillus pertinere non putat, sed verior est Dionysii, Arhanasii, & Augustini sententia; Cæterum Arianorum ratio futilis est; Non enim Pater & filius diuersis similibus conferuntur, eiusdem naturæ esse desinunt. Cum Patrem ipsum, diuersis hieroglyphicis Spiritus sanctus depingat. Si enim Arium audimus dicentem: Pater est agricola, filius est vitis; agricola & vitis non sunt eiusdem substantiæ; nec ergo Pater & filius. Pari modo duos filios aut plures faciemus. Filius est agnus, filius est leo de tribu Iuda. Leo & agnus non sunt eiusdem substantiæ. Sic Christus cap. 10. ostium est, & Pastor, nec tamen idem est ostium & Pastor. Itaque hominis imperiti est, ac cauillatoris ex metaphoris, & parabolis proprietatem sermonis euertere.

VERSVS 2.

Omnem palmitem in me, non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.

QVÆSTIO I.

Quis sit fructus quem ferunt palmites?

Fructus virtutes.

§. 1. FErunt palmites fructum aliquando rationem, eos vinitor purgat, vt vberiorem prouentum præstent. vt ferant πλείονα καρπὸν, Syrus vocat דמארא כדירא *dephire sagie*, plurimos fructus: nam qui nullum ferunt, eos falce putat maturè vinitor.

Palmitum fructus non est sola fides, sed opera etiam charitatis, aliarumque virtutum exercitia. Aurea sunt hoc loco verba Theophylacti. Πᾶν γὰρ κλῆμα φησὶ μὴ φέρον καρπὸν, αἴρει αὐτὸ, τουτέστι, πᾶν ὃ ἂν θεωρῶν, τὸν δι' αὐτὸ τῆς πίστεως μὴ μέρος θεωρούμενον τῆς ῥίζης, καὶ ἐνωθέν γε τῷ κυρίῳ, καὶ ὑποτιμώμενον αὐτῷ ὑγρούμενον, δεῖ καὶ καρπὸν φέρειν, τουτέστι βίον ἔχειν ἐναρέτον, ὡς ἐὰν γὰρ μόνῳ ψιλῷ λογισμῷ τῆς πίστεως ἔχῃ τις, ἀμοιρεῖ καὶ αὐτὸς τηρήσεως τῶν ἐντολῶν καὶ παραφθορᾶς, νεκρὸν γὰρ κλῆμα, πίστις δὲ χωρὶς ἔργων νεκρά. πᾶς ἐν πίστει ἐν τῷ Χριστῷ μένειν δοκεῖ, καθὸ πιστεύει, πᾶν δὲ κλῆμα φησὶν, ὃν οὐκ ἐμοὶ ἔοικεν μὴ φέρῃ καρπὸν, αἴρει αὐτὸ ὁ πατὴρ, τουτέστιν, ἔξω τῆς ἐμῆς κοινωνίας πήγνησι, τῇ μὴ καρποφορίᾳ, καθαίρει.

Operibus seruantur.

Nam in vite nullus est palmes, nisi per fidem. Qui enim non credit in Christo non est. Fructus ergo operum est ex fide procedentium. Per opera enim seruamur, vt optime Cyrillus lib. 10. cap. 13. p. 644. *Conseruamur autem in hoc statu, & ad hoc (vt ita dixerim) inserti quodammodo ipsi sumus: id est, firmiter retinentes tradita nobis ab ipso mandata, studentesq; huius nobilitatis bonum seruare. Quod fit, si Spiritum sanctum per quem in nobis Deus habitat non offendamus.*

Non modo credendo, sed faciendo seruantur mandata. Atq; illa est voluntaria palmitum cum vite conglutinatio, &, vt ita dicam, coalescentia. Natiuo enim succo radicis imbuti degeneres fructus non ferunt. Quæ autem vel superflua, vel eruda sunt, ea vinitoris industria, recidiuntur, aut corriguntur.

Palmites qui excidiuntur in vite fuerunt.

§. 2. Redarguit Caluinum similitudo palmitum, qui tolluntur. Ille eos qui fructum non ferunt, nunquam in vite fuisse contendit; solum errante hominum opinione in vite visos fuisse. Si enim in vite non fuerunt, nec palmites esse potuerunt, non enim crescit palmes nisi de vite. Spinæ igitur, & rhamni cum fuerint, nec prima origine, nec insitione vitibus coniuncti, quid opus erat tollere de vite? at hic αἴρει tollit de vite, & putator Deus sarmenta inutilia abscindit: sic ramos idem Deus apud Paulum ex olea excidit: ramos inquam, & naturales, & insititios qui pinguedinis oliuæ participes facti sunt. Quin etiam hoc loco abscisli palmites arescunt, aliquando ergo fronduerunt, succum autem nullum, si in vite nunquam fuerunt habere potuerunt. Falsa est igitur Caluini opinio, eos qui deficiunt, fideles non fuisse, & fideles non posse deficere. Docuit hoc multis modis Athanasius in concilio Niceno contra Arium disceptans. *Ego sum vitis illa vera*, inquit, *cuius fructus vita est: gaudium, pax, dilectio, iustitia, fides syncerissima, cognitio, religio, sanctitas, grauitas, humanitas, mansuetudo, continentia, aliaque similia. Et quoniam palmites, qui eiusdem generositatis sunt, veræ illius vitis palmites sunt, oportet eos similem fructum proferre cum ea vinea cuius palmites. Apostolis igitur dixit dum eos instruit, vt manerent in fide, ne dum desiliunt è veritate quemadmodum Iudas fecit, infructuosi reddantur. Qui enim delabuntur è Domini charitate & fide; quasi palmites amputati abijciuntur extra diuina.*

Vbi dicit eos ὑποτεμνομένους abscissos. Et deinde eos & fuisse in vite & defecisse demonstrat. *Dominus igitur personam vitis palmitosæ & opacæ sustinens, tum propter multitudinem discipulorum populorumq;, vndiq; ad eum pro auxilio ventitantium, adeo vt numerus fidem superet, partim desiderio eius, quo illi, vt palmites inseparabiliter adhærescerent: partim spiritualis commodi gratia, neutiquã extra eum esse sed cum illo esse cupientes: aliq; ab eo sanitatẽ quærerent, aliq; rursus nomine Messiæ excitti, cum illum audirent aduenisse, ad eum se conferrent, quo illud admirabile spectaculum Deumin homine præsentem cõtuerentur, eumq; in corpore cum hominibus cõuersari. Hic cum omnia gaudio redundarent, nemoque ab eo discedere vellet, velut densa aliqua vitis, inter tot myriades agminum secum ambulantiũ incedebat, verum omnibus Christo ob eius desiderium vnitis, vt experimentum de tot sectatoribus caperetur; cœpere hyberni venti summa cacumina perflare, multisq; proinde frondium instar exarescentibus euenit, vt non pauci e vitali ista vite excciderint, dum isti metu Principum sacerdotum, ne exularent è synagoga, vitam suam abnegant, quarum rerum exempla etiamnum videmus, cum hypocrita nostri temporis cæterorum omnium securi, malunt gloriam persecutorum Ecclesiæ, quàm gloriam Dei.*

Ex quo etiam colligimus verissimum esse, quod Chrysostomus docet: Christum demonstrate: ὅτι χωρὶς ἔργων ὅσα ἐστὶν ἐν αὐτῷ εἶναι. *Quod sine operibus non possit in eo quispiam manere.* Cum igitur fructus sit bonorum operum, facile apparet, ea à fide posse separari. Nam rami in vite sunt, & tamen fructum non ferunt, in vite esse non possunt, nisi per fidem: Fidem igitur habent, sed infructuosam ideo excciduntur. de quo plura Epistola ad Romanos. Interim dum in vite esse, & à Patre purgari tradit: Omnia quæ à se exspectari nouit, se præstitisse declarat.

Recte Theophylactus. ὅδεν τὸ παρ' ἐμοὶ ἐνέλειψε, δεῖ ὑπάρξαι λοιπὸν καὶ τὰ παρ' ὑμῶν. *Nihil ex mea parte defuit, oportet & illa adesse, quæ à vestra parte requiruntur.*

VERSVS 3.

Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.

QVÆSTIO I.

Quomodo mundati sunt?

§. 1. PAtri vt agricolæ palmitum munditiem tribuit, nunc sermoni eandem transcribit, quem ex ore illius audierant, ac proinde sibi ipsi, quod tract. 80. in Ioannem Augustinus annotauit, & ex Chrysostomo, Theophylactus, Euthymius, Beda, qui etiam ex eo Christi diuinitatem probant: nam corda mundare solius est diuinæ potestatis. Quapropter & erudite Cyrillus toti diuinitati hoc commune esse demon-

strat. lib. 10. cap. 13. *Nam si alia Patri, alia filio seorsum accommodabimus: quoniam vitis filius nuncupatur, Pater verò agricola; à solo filio contineri & nutriri videbimur, à Patre autem nuda solummodò visitatione coli. Vitis enim palmites suos nutrit, agricola verò visitat solummodo vitem, & colit, Quare nec illud à Patre, nec hoc à filio, nec vtrumq; à Spiritu separandum. Omnia enim à Patre per filium in Spiritu sunt. Idcirco enim Patrem cultorem vitis appellauit, ne quis vnigenito soli salutem nostram attribuat: & ad hæc vt discamus visitatione diuina nos indigere. Commodissime igitur cum vitem & palmites nominauerit, cultoris quoque fecit mentionem, cura, prouidentia, gubernationeq; Dei adduci ad virtutem, continerique nos demonstrans. Si verò credimus filium in Patre, & Patrem in filio naturaliter esse, & ex ipsis esse omnia in Spiritu, vt ab vna Deitate: nec Pater ab alendo nobis separabitur, nec filius à cultura erit alienus: & iure id quidem. Vbi enim summa naturæ identitas est ibi quamuis multis variisq; modis fieri nonnulla videatur, vna tamen est operatio nullo modo distincta. Vna verò natura in Patre, Filio, & Spiritu sancto est.*

Videmus igitur Patri, filio, sermoni mundationem attribui, sed modo plane diuerso; verbum vt ministra causa, Pater & filius tanquam principalis emundant. Sic Christus vt homo suam habet efficientiam, vt caput Ecclesiæ, vt caput in membra. Fertum enim candefactum propter insitum sibi ignem adurit, vt Damascen. l. 3. c. 15. & 18. de fide orthodoxa. Basil. hom. 25. de humana Christi generatione. Et D. Th. 3. p. q. 8. art. 1. & q. 29. art. 4. & q. 7. art. 11. & Aug. tract. 47. & Tract. 18. vbi cõtra Pelag. verè Christũ gratiã omnib. tanq; palmitib. præbere, nõ tñ id posse facere nisi ēt Deus esset.

§. 2. Quocirca futile cauillum est, quo Aretius hoc loco veritatem vellicat. *Verbum, non oleum ergo mundat, non aqua baptismi, non alia sacramenta.* Profitemur enim mundari à solo Deo palmites, à solo Deo dari gratiam à quo facta est, & natura; solus Deus, aliis plantantibus in crementum dare potest: suo sibi tamen arbitrio causas secundarias non necessitate, sed ad nostram institutionem assumit. Hic enim verbum additur diuinitati, alibi fides alibi lauacrum baptismi, alibi oleum: nam & mundauit sibi eo lauacro Ecclesiam, & ægrum oleo vngere iubentur presbyteri, vt peccatis soluatur. Facere ista propria auctoritate, excedit ejus imangelicam dignitatem, vt monet Augustinus, nec pertinet nisi ad agricolam Trinitatem. Hæc nos elegit ante mundi constitutionẽ, & gratos fecit Eph. 1. & Coloss. 2. donauit omnia. Sed omnia in Christo, omnia per ea, quæ voluit organa. Sunt n. plantatores rigatores, aqua ipsa rigatrix, quæ locum in emundatione habent. atq; adeo hæc ipsa simil tudo causarum Deo subditarum multitudinem requirit. Vitis n. postquam in palmites germinat vt fructum ferat, sole, vento, pluuia, solo pastinatione multaq; cura indiget, non quod non solo nutu bonos efficere Deus posset, sed quod creaturarum cooperationem requirat.

Deus agendi organa cum vult assumit.

Qvæstio II.

Quis est sermo quo mundati sunt?

§. 1. Fertilitati palmitum obstat impuritas, quæ partim ex palmitum natura, partim extrinseco. Multa enim vitem lædunt, vt singula fructũ impediant. Christus porro nos consolatur iã mundos esse pronuncians vt sciant, nihil iam deesse sibi, quo minus magnos fructus ferant. Mundatos autem verbo διὰ τὸν λόγον *propter sermonẽ*. Rupertus interpretatur, passionẽ, alii ipsum Christum. Verum aliud est quærere cur sint mũdi propter sermonẽ aliud quid sit hoc loco sermo. Mundati sunt ab agricola Trinitate, vt Aug. ideo à verbo quod erat in principio apud Deum, mundi etiam passionis merito & satisfactione futuræ. At verò hoc loco λόγος verbũ Euangelii, seu doctrinã Euangelicã significat: disertè enim Dominus addit τὸν λελάληκα ὑμῖν, *quẽ dixi vobis*, Ita Cyrill. l. 10. cap. 15. Et Augustinus tract. 80. *Quare*, inquit, *non ait, Mundi estis propter baptismum quo loti estis: sed ait, propter verbũ, quod locutus sum vobis: nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum & fit sacramentũ, etiam ipsum tanquã visibile verbum: nam & hoc vtiq; dixerat, quando pedes discipulu lauit: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manẽs. Hoc est verbũ fidei, quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo quia Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris. Corde n. creditur ad iustitiã, ore autem confessio fit ad salutẽ. Vnde in actib. Apostolorũ legimus: Fide mundans corda eorum.* Et in Epistola sua B. Petrus, *Sic & vos*, inquit, *Baptisma saluos facit, non carnis depositio sordiũ, sed cõscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbũ fidei, quod prædicamus, quo sine dubio vt mũdare posit, consecratur & Baptismus. Christus, quippe nobis cũ vitis, cum Patre Agricola, dilexit Ecclesiã, & seipsũ tradidit pro ea. Lege Apostolũ & vide quid ad iungat: Vt eam sanctificaret*, inquit, *mundans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento nisi adderetur in verbo. Hoc verbum fidei tantũ valet in Ecclesia Dei, vt per ipsam credentem offerentem benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Iam vos mundi estis propter verbũ quod locutus sum vobis.*

Mundi propter sermonem Euangelij.

Verbum fidei mundat.

§. 2. Verbo igitur mundati sunt; sed maior controuersia oritur, verbone concionali, an verò sacramẽtali & Apostoli mundati sint? & in Ecclesia Christi mundentur fideles. Ad quod respondendũ est, vtroq; verbo eos mundatos. Nam & baptizati sunt, & deinde Christi doctrinam audierunt, cui credendo mundiores sunt effecti. Quod vero hæretici nullum in sacramentis verbum nisi concionale agnoscunt, in eo Scripturæ & patribus repugnant. Nam neq; qui baptizant concionantur omnes, neq; illi qui concionantur hoc ipso baptizant, diuersa sunt enim munia. Non n. concio est forma sacramenti, nec de eius essentia, baptizat enim qui concionari non possunt. Quin facto hoc ipsum probant: nam in Catholica Ecclesia etiã à fœminis, & priuatim sine vlla cõcione baptizatos Caluiniani, si ad ipsos defecerint, sine anabaptismo recipiunt. Ita Calu. l. 4. c. 15. §. 16. instit. Sanè infantes sine concione baptizantur, quã intelligere non possunt. Constat igitur verbũ quod proprie sacramentum est, non esse cõcionale, verbũ quo instructi illi qui sacramenta suscipiũt, credũt, & fide iustificantur: nam de infantib. palã est, nõ intelligere illos quid dicatur. De hoc tamẽ verbo hoc loco Christus nõ agit, sed de doctrina, quã audierãt Apostoli. Atq; hæc de verbo sacramentorũ.

Verbum sacramenti est in elementis.

§. 3. Vento ad Augustinum cuius à me citata, Bucerus, Bulling. Gualt. aliiq; corrumpunt. At vero Aug. nusquam docet verbum sacramentorum esse concionarium, sed generatim verbum Dei siue in sacramentis siue in concione mundare. Non enim mundat tantummodo cum creditur, sed etiam cum nondum intelligitur. *Hoc verbum fidei*, inquit, *tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum de quo Dominus ait: Iam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis.* Si igitur infans nondũ credens mundatur, non mundatur concione fidem excitante, quam non intelligit, & crebro non audit, non est opus concione in baptismo. Cum ergo Augustin. detracto verbo negat aquam esse aliud, quam aquam, at si concionem Baptismo auferas nõ ideo desinit esse Sacramentum: nec concio suo accessu sacramentũ efficit. Aqua vim habet à verbo, nõ habet à cõcione, potest verbũ quod iunctũ aquæ facit sacramentũ

Verbum mundat infantes, non concionando.

materia

materia concionis esse, sed vt est forma sacramenti, non est concio. Nam verbo, vt mundare possit baptismus consecratur. Augustinus vero generaliter de verbo loquitur, siue concionali, siue sacramentali, nam & forma baptismi ex Christi est doctrina. Baptismus enim mundat infantem propter verbum quod Dominus locutus est, cum doceret apostolos; sed verbum idem cum iam mundat infantem, non facit id concionis titu, sed efficientia sacramentali.

Mundat sermo quia creditur.

Abutuntur præcipue istis verbis, aduersarij, quæ sunt apud Augustinum. *Vnde tantum virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Si verbum igitur quia creditur, dat virtutem aquæ, vt cor abluat, verbum igitur concionarium, quod fidem excitat audientes instruit.

Respondeo. Non posse sensum illum tribui Augustino, cum perpetuo ille consecrationem, & vim internam ac sacramentalem vrgeat. Deinde falsus ille sensus est, & contra Caluinianos. Negant enim illi cor ablui per aquam, negant aquæ adferri aliquam virtutem, qua cor abluit, magiæ eam vim infamant. Denique nemo eorum est, qui concione sua virtutem illam aquæ conferri doceat. Sed neque nos ideo à verbo vim aquæ collatam dicimus quia creditur, fide nimirum actuali, nec hoc sensit Augustinus, qui infantem nec credentem, nec intelligentem mundari pronunciat. Non mundatur autem ille, quia verbum creditur fide actuali, ideo nec ideo, quia concionariũ est. Quid est igitur, quia creditur? Quia res sacra est spiritalis, obiectũ fidei, inuocatio Trinitatis. Nã in ipso verbo est aliud sonus transiens, aliud virtus manens, non ideo mundandi vim cõfert aquæ, quia sonus est, & aeris impulsu vocẽ efficit auribꝰ perceptibilem, sed quia virtus manens est in eo, non enim vt est res naturalis, sed vt à Deo ordinata, & fide percipi potest vim mundandi habet. Atque hoc est, quod Cyrillus ait, per inuocationem S. Trinitatis aquam accipere sanctitatem.

Secundum id quod in eo creditur, mundat.

§. 4. Caluinus mundos, interpretatur non omnino puros, quod verum est; omnis, etiam magna mortalium puritas admistione terrenæ fæcis immunda est, omnis pulchritudo suos habet næuos. Rudolphus Gualterus eos mundos interpretatur, qui se mundos credunt. Ex quo consequitur vt frugiferos palmites, dicat, qui ferre se fructum credunt. Quo nihil dici potest absurdius. Nam qui vel maxime improbi sunt, si Caluiniani sint, facile sibi persuadere possunt, mundos se esse. Tum quod credant scelera sua sibi non imputari, tũ vero quod certo statuant, si furantibus, adulterantibus, latrocinantibus studium bonorum adesse. In eo etenim munditiem, & fructum bonorum operũ consistere sibi imaginantur. Sic Aretius, Bucerus ac cæteri, cũ tamen Christus in vite nõ conatũ, non gemmas, aut flores, nec fructuum duntaxat initia, sed maturitatem exposcat. Sic munditiem etiam non quamlibet in palmite postulat, sed eam qua bonos, non malos fructus ferre possint, si enim et alibus criminibus contaminati sint, qua venenato siccoimbuti, non censentur mundi; at Caluino etiã & Gualtero mundi habentur in grauissimis flagitiis, modo mundos se esse ipsi iudicent. Quod si verum est nullus vnquã palmes tolletur, arescet, & in ignẽ mittetur: cum enim constet Caluinistis Dauidem in adulterio, & homicidio, & arrogantia manifestum fructuosum palmitem, mundũ etiam, & Spiritus sancti retinentem, multosque alios, vt Abrahamum & Iacobũ in diuturnis adulteriis vt ipsi iudicant, puritate sua fructus protulisse bonos, & salubres, non putant sibi grauius aliquid timendũ, etiam si grauissimis lapsibus collidantur. Atque hoc est, quod Otho Brunsfeldius inculcare contendit: *Si fides & verbum mundat, non ergo opera.* Quasi verõ non sit opus, credere, sicut est opus amare proximum. Verbũ mundat cum creditur, cũ quod præcipit, efficitur: si enim non obtemperatur mandanti, inquinat non verbum, sed inobedientia ex verbo occasionem cõtumaciæ nacta.

Mundities est solius imputationis.

Fructus Caluinistis.

VERSVS 4.

Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis.

QVÆSTIO I.

Quid manere in vite?

In vite manere, Christo adhærere per fidẽ & caritatem.

§. 1. VIti coalitum esse, ex vite vitam ducere; nam animam nostrã Christus sibi συγκεκραμένην conglutinat, vt ait Theophylactus: & Cyrillus interpretatur, in vite manere esse ardenti caritate Christo inhærere per mandatorum obseruationem. Sunt enim in vite palmites vt inde viuant, vitis in palmitibus, vt alimentum subministret illis, non sumat ab illis, docet Augustinus tract. 81. ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo discipulos interpretatur. Sic & de Genesi ad lit. l. 8. c. 12.

§. 2. Falsa est vero Othonis Brunsfeldij interpretatio. Manere in Christo esse in fide perseuerare. Porro in fide perseuerare, idem ille stolide exponit. *Certos esse se à Christo diligi*, at Christus hoc requirit, vt mandata obseruent, & sic maneant in dilectione sua. Quod si illa præsumptio satis est: *Certum esse se à Christo diligi*, nec aliud requiritur omnem disciplinam, omnem caritatem excidere necesse est.

Caluini interpretatio.

Caluinus licet ambigue hic loquatur, aperte tamen Brunsfeldio contradicit. Nam ad curã retinendæ gratiæ qua præditi sunt, Christum eos hortari asserit, quia nunquã satis expergefieri possit carnis securitas. Nec alio spectare Christũ, quam vt nos quasi gallina, pullos sub alis cõtineat, ne nostra leuitate in exitiũ auolemus. Non ergo potest esse fides certa, nos in eo esse, in eo semper mansuros: cur enim tã serio Christus moner, vt in se maneant, si sciunt in fatis esse, vt non excidant? Excidunt autẽ multi, & suppliciis se tradunt, vt monet Cyrillus. Et posse excidere docet l. 10. c. 16. *Quoniam igitur dictũ est, mundos illos fuisse propter sermonem Christi: ne quis putet nequaquã se posse, si semel purgatus fuerit, ad peiora delabi, in eo permanere imperauit. Quod nihil aliud est, vt mihi videtur, quã illud Pauli: Qui putat se stare, videat ne cadat. Mille namq; pericula, nisi vigilanter studeamus, etiã stantibus imminent. Quare oportet omni cura, opera, studio, ad maiora semper niti. Quam magnum enim detrimentum patiatur qui per negligentiam à Christo decidit, subiecit dicens: nõ posse illos fructum ferre nisi in se manentes: sicut palmites à vite, sic inde humorem trahant, quo mirabiles alant botriones. Vt enim palmes decisus à vite nunquam fructum feret sic nos à Christo decisi, nunquam secundum virtutem germinabimus.*

Possunt excidere.

§. 3. Melanchthon de perseueran ia in Ecclesia interpretatur, manifesto errore; nam in Ecclesia sunt, qui in vite nõ manent. Nam nõ modo hypocritæ, reprobi, & scelerati in intimis ecclesiarum adytis versantur, sed etiã multi, qui fidei professione sola, & cærimoniis ac sacramentorũ vsu ecclesiã colunt: ideoq; non nisi tristissimos fructus ferunt. Quie tamen insigne testimonium hoc loco Ecclesiæ hostis illius profert, quo ipse, & collegæ illius possunt cõuinci, verba eius describam. *Nunc sequuntur*, inquit, *duæ sententiæ valde memorabiles, quæ docent rursus, vbi, & quæ sit ecclesia: & quis sit præcipuus cultus. Coniungantur autem cũ hoc dicto multæ sententiæ suprarecitatæ, prorsus similes quæ idẽ docent, Ecclesiam esse cœtum amplectentium Euangelium, nec pingentiũ Ideam Platonicam, sed loquimur de visibili ecclesia. Nulli sunt electi ad vitã æternã nisi in hoc visibili cœtu, q profitetur Euangeliũ Dei. Sicut Paulus*

Ecclesia.

inquit, quos elegit, hos & vocauit, & in Psalmo dicitur. In omnem terram exiuit sonus eorum. Vult Deus recte agnosci, & inuocari, vult suum Euangelium exaudiri in toto orbe terrarum, & vbiq; propagari. Quare non abdit Ecclesiam suam in latebras, sed vult eam notam esse, & vocem eius audiri. Cum igitur legimus has dulcissimas consolationes huius concionis Christi, & similium, non reijciamus eas ad aliam Ecclesiam nobis ignotam, sed accommodemus ad hanc visibilem Ecclesiam, & eius membra, hoc est, ad nos ipsos. Quid efficacius dici potest contra eos, qui Ecclesiam defecisse, multis annorũ centuriis abditam latuisse, vocem eius non auditam fingunt, vt sua ipsi pseudoecclesiam stabiliant?

In hac ergo Ecclesia, qui non inuenitur, imo qui eã perisse calumniatur, in illam Ecclesiam primitiuorum quæ est in cœlis nunquam transscribetur. Verum vt dixi de Ecclesia non agitur, sed de coniunctione cum Christo, in qua manentes per fidem & caritatem operantur.

QVÆSTIO II.

An nemo nisi in Christo manens possit quicquam facere?

Pelagiani & nostri hæretici extremos errores tuentur.

§. 1. SOlus ille locus Augustino & patribus visus est Pelagianis refutandis sufficere: Verum nostrates sectarij ita ad oppugnationem Pelagianorum imprudenter incubuerunt, vt in contrarium errorem impegerint. Pelagiani adiutorium gratiæ libero arbitrio necessarium negabant, sed posse illud suis viribus ad virtutem, & iustitiam eniti. Nostri hæretici ita totum gratiæ tribuunt, vt arbitrium de medio tollant; adeoque consequenter nec gratiam admittunt, cum nihil quod adiuuari possit, relinquant, nos de vtroque errore breuiter dicamus.

§. 2. Pelagianos igitur, & Semipelagianos verba Christi diserte, & omnium patrum consensu refutant. Verba Augustini tract. 81. *Magna gratia commendatio fratres mei, corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Ecce cui si audent respondeant, qui ignorantes Dei iustitiam & suam volentes constituere, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Ecce cui respondeant sibi placentes, & ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes. Nonne huic resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui respondent, & loquuntur iniquitatem dicentes: A Deo habemus, quod homines sumus, à nobisipsis autem quod iusti sumus? Quid dicitis? quid vosipsos decipitis, non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrij, ex alto elationis per inania præsumptionis in profunda submersionis? Nempe vox vestra est, quod homo ex semetipso facit iustitiam, hoc altum elationis vestræ, sed veritas contradicit & dicit: palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite. Ite nunc per abrupta, & non habentes vbi figamini, ventosa loquacitate inflamini. Hæc sunt inania præsumptionis vestræ. Sed quid vos sequatur videte, & si est in vobis vllus sensus, horrete, qui enim à semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est: qui in vite non est, in Christo non est; qui in Christo non est, Christianus non est. Hæc sunt profunda submersionis vestræ. Etiam atq; etiam considerate quid adhuc veritas adiungat & dicat: Ego sum, inquit, vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Ne quisquam putaret saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum dixisset, hic fert fructum multum: non ait, quia sine me parum potestis facere: sed, nihil potestis facere. Siue ergo parum, siue multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest, quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat agricola, vt plus afferat: tamen nisi in vite manserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre. Quamuis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset. Verum quia ita sine ista gratia non potest viui, vt & mors in potestate sit liberi arbitrij.*

Nazianzenus orat. 42. ἐπεὶ ἡ ἐν αὐτῷ τῶν ὄρει θεὸς ἀνθρώποις φαντάζεται τὸ μὴ τι καὶ ἁβδαίων ἀνῆκες τῆς οἰκείας ὠφελιμότης, τὸ ἧμᾶς ἀναγαγὸν ἐκ τῆς κάτω ἐν ταπεινώσει, ἵνα χωρηθῇ μετέωρος γ' ὢν θνητῇ φύσει, ἡ ὅσον ἀσφαλὲς, ὁ ἀχώρητος. ἔ γὰρ οἷτός τε ἄλλως ἐν ὠφελοίᾳ. Ἢ ἐπὶ ῥύσει σώματος ὑλικῇ ἡ δεσμὶς νοὸς πάχος μὴ βουθούμενον, τότε σοφὸν οὐ πάντες τῆς αὐτῆς ἀξιωθέντες φαίνονται τάξεως τε ἡ στάσεως. ἀλλ' ὁ μὲν τῆς, ὁ δὲ τῆς, ὡς μέτρον οἶμαι τῆς ἑκάστου καθάρσεως ἕκαστος. *Nam in ipso quoq; monte Deus hominibus apparet, partim de specula sua ipse descendens, partim nos ex terrena depressione in altum euehens, vt à creata natura leuiter saltem, & quatenus tutum est, incomprehensibilia ille concipiatur. Neq; enim alteri terreni corporis, ac mentis vinctæ crassities Deum concipere potest, nisi diuinitus adiuuetur. Tunc igitur non eodem statu atq; ordine omnes dignos habitos fuisse constat, verum hunc alio, illum alio, vnumquemque, vt opinor, pro purgationis suæ modo ac ratione.*

Et Theophylactus: χωρὶς γὰρ τῆς ἄνωθεν αὐτοῦ πνευματικῆς καὶ ζωογονίας οὐ δυνήσονται ποιῶν οὐδέν. *Sine efficientia enim seu auxilio, quod ab ipso est, & viuificatione non possunt quicquam facere.* Sic pluribus locis Augustinus. Et ipsa similitudo adeo clara est, vt omnem præiudicium contentiosis auferat. Virgultum enim ferro præcisum non potest vllo modo reuirescere, nedum fructus ferre, nisi iterum inseratur, & succum de vite trahat, similitudo autem illa ita olim sermone trita fuit, vt etiam apud veteres legamus. Agammennon sic apud Homerum lib. 1. iurat.

Ἀλλ' ἐκ τοι ἐρέω, καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι,
Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσι λέλοιπεν,
Οὐδ' ἀναθηλήσει. (περὶ γὰρ ῥα ἐχάλκευε τέλεψε
Φύλλα τε καὶ φλοιόν) νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
Ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵ τε θέμιστας
Πρὸς Διὸς εἰρύαται. ὃ δέ τοι μέγας ἔσσεται ὅρκος.
Sed tibi dico, atq; adeo magnum iuramentum iuro
Certe per hoc sceptrũ, quod quidem nunquam folia & rami
Producet, postquam primũ incisionem in montibus reliquit,
Neque pullulabit (circum enim ipsi gladius decorticauit
Foliaque & corticem) nunc iterum ipsum filij Achiuorum
In manibus portant iudices, quique leges (ramentum.
A Ioue acceptas protegunt: hoc autem tibi erit magnum iu-

Ex Homero sumpsit Virgilius, cum in simili ait:

De matre recisum est. Et: *Posuitq; comas & brachia ferro.*

§. 3. Nihil igitur eorum quæ ad salutem pertinent, sine Deo possumus, vel agere vel cogitare. Nec Deum sine Deo duce inuenire possumus. Isaiæ 65. 1. Cor. 4. Philip. 2. & 4. Hoc Concilium Palæstinum contra Pelagium definit art. 7. *Nullum actum sine gratia ad salutem pertinentem fieri posse.* Inde secuta sunt Africana concilia, Arausicanum, cæterique doctores, qui magno conatu, profectuque se Pelagianis opposuerunt. Neq; est hoc concedendum: posse se quenquam disponere, cor præparare, posset enim Domino obijcere: Ecce sine te cor meum præparaui.

QVÆSTIO III.

An liberum arbitrium negandum sit, quia sine Christo nihil possumus facere?

§. 1. HÆretici duplicem arbitrij seruitutem comminiscuntur. Prima omnium est miserrima, *Hæretici tollunt arbitrium.* cum gratia Dei destituitur; nam in eo statu nihil aliud facere, quam peccare contendunt, omniaq; eius operatra esse mala. Quia nihil boni inquiunt potest facere sine Christo, quæ ergo facit mala sunt. Altera seruitus est, cum iam gratia Dei præuenta est, neque enim tum agere libere & cooperari gratiæ concedunt. Catholici negant adeo corruptam naturam vt semper peccet, & peccare cogatur. Nam & illi qui regenerati non sunt quædam adiaphora, quæ moraliter sunt bona, faciunt: nõ tamen ad salutem pertinentia. Quam multa clementer, liberaliter, fideliter faciunt etiam gentiles? Quæ si quis omnia inter scelera damnabilia ecen-

seat, to-

feat, totam naturam euertat necesse est inter damnatos Lutheri articulos est. [Etiam in ipso malo & peccato liberos non esse nos, liberum arbitrium tam in malum, quam in bonum amissum esse, ideo propter corruptionem naturæ, hominem non solum semper de facto, sed etiam necessario peccare.]

Peccandi necessitas.

At vero cum homo sine Christo nihil facere posse dicitur, non negatur posse eũ aliquod ad vitæ bonum conueniens efficere, in quo nõ delinquat, illud autem cum ordinari possit ad verum vltimumq; finem, non potest esse malum, vt S. Thom. 2.2.q.23.art.7. exponit. Nam proposita peccandi occasione aliquando eã vitare etiam peccator potest: cum potest transgredi, potest & nolle transgredi, atque adeo aliquid facere non malum natura, nec malum intentione praua. Gentes enim quæ legis sunt, naturaliter faciunt. Et Augustin. l. de spiritu & litera c. 28. *Sicut*, inquit, *in homine iusto non desint peccata venialia, sic sine aliquibus operibus bonis difficillime vita pessimi cuiuslibet hominis inuenitur.* Sunt steriles quidem istæ improborum virtutes, nõ vitia tamen, & licet nõ proficiant ad vitam æternam, non tamen damnabilia sunt, nisi mala intentione peragantur, vitioue aliquo seruiant. Augustin. l. 4. c. 3. contra Iulianum. *Scito*, inquit, *nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad Dei regnũ perduci.* Addit non esse à Deo, ideo non esse opus beatificũ. Idem etiam Epistola 130. l. 1. c. 3. de nuptiis & concupiscentia, epist. 99. & 5. l. 5. c. 15. de ciuitate, concedit non esse peccata opera gentilium laudabiliter facta.

Peccatorũ non omnia opera peccata.

§. 2. Alter error est, quod liberum arbitrium negent etiam illis, qui Dei gratia præditi sunt.

Eorum hæc est rationis insania. [Sine me nihil potestis facere: non igitur est in nobis libera faciendi potestas. *Caluinus:* Hanc sententiã Papistæ nõ extenuant modo, sed eneruant; imo prorsus eludunt. Etsi enim verbotenus fatentur nos sine Christo nihil posse, aliquid tamen facultatis nobis suppetere somniãt, quod per se quidem non sufficiat, Dei tamen gratia adiutum cooperetur. Neq; enim hominem ita exinaniri sustinent, quin aliquid ex se cõferat. Verum tã clara Christi verba eludere non ita promptũ est. Tale est commentum Papistarũ. Nos sine Christo nihil posse: ab eo tamẽ adiutos habere aliquid ex nobis præter eius gratiã. Christus vero cõtra pronunciat, nos nihil posse ex nobis. Palmes inquit fructũ non fert à seipso. Ergo non tantũ cooperantis suæ gratiæ auxiliũ hic commendat, sed nos penitus priuat omni virtute, nisi quam suppeditat ipse nobis. Ergo hæc particula sine me sic resoluenda est: Non nisi ex me.] Eundem in sensum Rudolphus Gualterus philosophatur nullas esse vires liberi arbitrij.

Gratiæ adiuuanti cooperamur.

Respondeo. Somniũ vocat homo impurus, quod fidei orthodoxæ decretum est. Gratiæ enim Dei cooperamur, adeo vt qui cooperationem tollit, in gratiam ipsam sit iniurius, necesse sit. *Deus*, inquit Apostolus, Philip. 2. *est, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Quod explicat Augustinus de gratia & libero arbitrio. *Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et l. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 8. *Homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor.* Et deinde: *Quamuis enim nisi adiuuante illo sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperiemus illius adiumento & opere nostro, impletur autem illud Dominus sine opere nostro. Nam quid est præparare cor & os aperire, nisi voluntatem parare? & tamen in eisdem litteris legitur, præparatur voluntas à Domino: Et labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Ecce Dominus admonet vt præparemus voluntatem in eo quod legimus, Hominis est aperire cor: & tamen vt hoc faciat homo, adiuuat Deus, quia præparatur voluntas à Domino.*

Voluntas gratiæ iungitur.

Explicuit id Prosper Aquitanus l. 2. de vocatione gentium, c. 26. *Hanc quippe abundantiorem gratiam, ita credimus atq; experimur potentem, vt nullo modo arbitremur esse violentã, quo quicquid in saluandis hominibus agitur, ex sola Dei voluntate peragatur, cum etiam ipsis paruulis per alienæ voluntatis subueniatur obsequium. Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: sed etiã voluntas hominis subiungitur ei atq; cõiungitur, quæ ad hoc prædicta est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritũ quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos, omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ. Siue igitur initia, siue profectus fidelium, siue vsq; in finem perseuerantium cogitemus*

genus,

genus, nulla ſpecies cuiuſquam virtutis occurrit, quæ vel ſine dono diuinæ gratiæ, vel ſine conſenſu diuinæ voluntatis habeatur. Ipſa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, vt in eo quem vocat primam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præparet voluntatem. Nam virtus nolentium nulla eſt, nec poteſt aſſeri vel fidem, vel ſpem, vel charitatem eis ineſſe, quorum ab hîs bonis conſenſus alienus eſt.

Eadem eſt Ambroſii, Hieronymi & poſterorũ ſententia, qui voluntatis cooperationem agnoſcunt in conuerſione. Caluinus ne tantos habere ſuæ hæreſeos aduerſarios videretur, vno verbo Papiſtas appellauit.

„ §. 3. Pergit tamen: [nihil poteſt palmes ferre à ſe-
„ ipſo, ergo nec nos ex nobis, non enim Chriſti verba
„ promptũ eſt eludere] intelligit vt ſupra, etiã præſento.

Reſpondeo. Chriſti verba nos venerari, Caluini verbis, quibus Chriſti verba deprauat, non credere. Tale Caluini commentum eſt, nihil nos poſſe etiam gratia Chriſti adiutos, palmites enim nihil poſſe à ſeipſis. At Chriſtus non dicit: meo auxilio, mea gratia, in me nihil poteſtis facere, ſed trunci inſtar ἀνεργῶς, & immobiles eſtis, mere paſſiue, vt aliqui loquuntur, vos haberis, ſed ſine me, ſolis viribus naturæ corruptæ, ſola voluntate veſtra, niſi in ea ego operer nihil poteſtis facere. De palmite vero dicit, nihil poſſe à ſeipſo, ſed addit, niſi manſerit in vite, ſi manſerit in vite ferre fructum multum, non quem vitis ſine palmite formet, educat, maturet, palmite inſtar ſaxi nihil opis conferente, ſed ſocia vtriuſq; efficientia. Itaq; ferre fructum à ſeipſo duplici modo intelligitur. Primo ex deprauatione Pelagiana: Vt dicatur arbitrium à ſeipſo poſſe ferre fructum, hoc ſuis viribus naturalibus, ſine adiutorio gratiæ, licet gratia aliquando egeat, non vt operetur, ſed vt facilius operetur. Hoc Chriſtus refutat: nam ferret à ſeipſo nõ manens in vite ferret ſine Chriſto. Auguſtinus l. 1. contra Pelagium & Cœleſtium de gratia Chriſti, & originali peccato, cum eorũ iſta verba recitaſſet. *Vt quod per liberum homines iubentur facere arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam.* Reſpondet: *Tolle facilius & non ſolum plenus, verumetiam ſanus eſt ſenſus, ſi ita dicatur, vt quod per liberum facere iubentur homines arbitrium, poſſint implere per gratiam. Cum autem Facilius additur, adimpletio boni operis etiam ſine Dei gratia poſſe fieri tacita ſignificatione ſuggeritur. Quem ſenſum redarguit, qui dicit, ſine me nihil poteſtis facere.*

Caluinus deprauat Chriſti verba.

Gratiæ neceſſitas.

Et c. 27. *In libro quippe ad virginem ſacram, quod & ſupra commemoraui, cum dicit, Diuinam mereamur gratiam, & facilius nequam ſpiritui ſancti Spiritus auxilio reſiſtamus: ſignificat profecto quid ſapiat. Vt quid enim hoc verbum interpoſuit, id eſt, facilius? An vero non erat integer ſenſus, vt nequam ſpiritui, ſancti Spiritus auxilio reſiſtamus? Sed quantum detrimentum hoc addimento fecerit, quis non intelligat? Volens vtiquè credi tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, vt etiam ſine auxilio Spiritus ſancti etſi minus facile, tamen aliquo modo nequam ſpiritui reſiſtatur.*

Hanc nos Pelagianam interpretationem vt in Dei gratiam iniuriam deteſtamur. Aliam vero amplectimur, quæ gratiæ Dei omnia defert, ſed ita tamen, vt naturam hominis in ſaxa & truncos nõ transformet: nihil poſſe nos à noſmetipſis, ſine Deo, ſine adiutorio, à Deo adiutos poſſe vti noſtris facultatibus ad ſalutem, & reipſa vti, non noſtris viribus innixos ſed adiutorio gratiæ. Vt ſi medicus extremum ſpiritum trahenti ſuccurrat, cibum & medecinam porrigat, ille manu vel ore recipiat, totum medico debet, nec tamen nihil ille omnino egit, ſed nihil ſine medico. Eodem libro c. 28. Auguſtinus clarius exponit.

Millies Auguſtinus adiutorium, auxiliũ, adiumentum appellat: Quia ſcilicet & Deus agit, & nos cooperamur. *Operatur ille velle & perficere.* Quid clarius: Eleemoſynam dat Cornelius, filium offert Abraham, lachrymatur & orat Daniel, dubium non eſt, quin nihil iſtorum iſti ſine Deo fecerint, nec etiã hoc dubium ita Deum operatum perficere, vt tamen & illi manum admouerint, Cornelius gratia adiutus, naturali manum opere nummos diuiſerit, Abraham ligna fiderit, filium ligarit, gladium ſtrinxerit, Daniel clamarit, lacrymas fuderit, ſi igitur perficit Deus, vt homo ſua etiam facultate naturali vratur, nõ tamen ſine Deo, quid mirum eſt, ſi etiam ſic Deus operatur velle, vt tamen naturalis volendi facultas operationem exerat adiuta per gratiam ſupernaturalem, vere tamen ipſa velit?

Homo cum Deo operatur.

§. 4. Hæc adeo certa ſunt, vt non modo conſtans fuerit ſemper patrum ſententia, ſed etiam Arminiani in Belgio, Caluinum cæteroſq; reliquerint, aliter ſentientes. Quinetiam Aretius Caluiniſta multo ante cõtra Caluinum ſic interpretatus eſt, vi veritatis compulſus. [κλῆμα dicitur ferre fructum à ſeipſo, *inquit*, « dum in vite non eſt ſterile: ſed fructũ teſtatur, ſe in vi- « te bona inſitum, ac fructum à ſe fert, quia naturale hoc « illi eſt, vtpote vnius cũ vite naturæ. Eundem fructum « viri debent tanquam origini & fonti, à qua ſuccum ha- « bet. Ita ſancti Chriſto debent, quicquid habent. Idem « tamen à ſe facere dicuntur, quia in illis Chriſti ſpiritus « agit σύμφυτος. Hinc apoſtolis tribuitur rigatio, plan- « tatio, diſpenſatores eſſe myſteriorum Dei. Quod « Deus in nobis ſua coronet dona: cum ipſe omnia in « omnibus agat Deus.] Hæc ille: vbi oſtendit κλῆμα à « ſeipſo agere: ſed in Chriſto, & Deus omnia agit, ita tamen vt nos cooperemur. Denique ait Chriſtum eſſe *αἴτιον ἀνδ' ὃ μὴ, cauſam ſine qua non.*

Quamuis autem Lutherus hominem libero arbitrio priuarit, eum tamen errorem multi Lutherahorũ tandem damnarunt, idq; auctore Melanchthone qui varius licet ſit, hunc tamen locum à corruptione collegarum vindicauit. Cum enim quæſtionem propoſuiſſet: [*Si ſine Chriſti auxilio nihil agimus, quid* « *prodeſt humana diligentia. Reſpondet*: Primum ſimus « inſiti in vitem, à qua palmites ſuccum trahunt, id eſt, « audiamus Euangelium, & amplectamur, per quod « Deus trahit, & mouet corda noſtra. Moti vero non re- « pugnemus, ſed obtemperemus, nec voluntas eſt ſa- « xum, aut truncus, ſed poteſt repugnare ſua malitia, ſic- *Lucta voluntatis ſpiritui.* ut Dauid volens excuſſit gubernatorem Spiritum ſan- *eſt eius effectus.* ctum. E contra cum iam voluntas iuuatur Spiritu ſan- ctõ, retinere donum Dei poteſt. Et hic ingens lucta & *inuitis.* difficultas manifeſte teſtatur, voluntatem non eſſe o- « cioſam, nec inanem eſſe diligentiam, vt Ioſeph non « ſine lucta retinet donum Dei. Quod ſi voluntas ſe ha- « beret vt ſaxum, ac tantum pateretur impreſſionem « nouæ virtutis, nulla lucta eſſet retinendæ fidei aut a- « liatum virtutum.] «

Probat hoc ex 2. Cor. 6. Philip. 2. Itaq; imbecillitas noſtra adminiculũ diuinæ virtutis requirit, vt ſuſtentetur, & agat. Nec humana ſapientia, aut philoſophia ad morum innocentiam ſufficit, ſed gratia Dei opus eſt, vt ſecundum Deum viuamus & operemur. Quæ omnia tum variis locis, tum vero c. 14. de correptione & gratia S. Auguſtinus explicuit: *Sic enim omnia ait eſſe in voluntate, vt diuinam non impediant poteſtatem.* Non eſt in hominis poteſtate vita eius, niſi cum eam Deus ſuppeditat. Hinc etiam conſequitur, voluntatis cooperantis eſſe merita, quia bona eſt actio, bonus fructus, & agens liberum, quod promiſſo præmio operatur. Merita autem non ſunt ex nobis, ſed ex gratia, ideo dicuntur & gratia, augmentum vero meritorũ eſt etiam gratia, quia meritis datur, quia & ipſa ſunt gratia.

VERSVS 56. & ſeqq.

Ego ſum vitis: vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum

Etiam multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet, &c.

QVÆSTIO I.

An possit aliquis non manere in vite?

§. 1. CAluinus: proposita ingratitudinis pœna eos ad perseuerantiam acuit, & sollicitat. Quos vero sollicitat; nonne eos qui iam in vite erant? si timor non erat defectionis, quorsum ad constantiam hortatur? Respondet ille: *Est quidem hoc Dei donum: sed non est superuacua ad timorem Dei exhortatio: ne caro nostra exultans nos eradicet.* At quomodo si Caluinistas audiamus nō est superuacua, cum certissimum sit carnem vtcunq; exultet, proteruiat, non posse nos eradicare? Et ille ipse, negat electum vllum posse excæcari, id autem dici de hypocritis, qui sæpe florent, & virent, sed fructum non ferunt. At sane hypocritis nihil magnopere aduersi accidit, si excæcentur; si non nisi opinione hominum in vite erant. Cur vero toties Christus hortatur, vt permaneant, idemq; fecere prophetæ ante Christum, & post eum apostoli, si Dei spiritus ita fidelium corda obsignat, vt certo illis constet, non magis se posse, quam Christum ipsum eradicari? tam certam esse palmitum, quam vitis ipsius vitam? consule Rom. 11. Isaiam 40. Vide Hieronym. in cap. 5. Ezech. in c. 2. Isaiæ. Augustinum de prædest. & grat. c. 13. de perfection. instit. c. 19. Caluinus in c. 13. Matth. v. 20. Fidem quam Spiritus sanctus piorum cordibus insculpsit euanescere, impossibile esse ait. Beza negat eam à perseuerantiæ posse separari, at multi non manent, qui sunt in vite. Et hoc in c. 13. Ioannis, Caluinus fatetur. [Plus satis apparet, quam teneri simus ad accipienda ex malis exemplis vulnera, ita fit vt vnius hominis defectio ducentis aliis letale infligat vulnus ad exstinguendam eorum fidem.] Et in c. 16. Ioan. & 20.

Quin ipse in c. 26. Matth. v. 70. hos ipsos non mansisse in vite contendit. Petrum ait tertia negatione *in summum infidelitatis erga præceptorem cumulum peruenisse*, non mansit ergo in vite qui vitem esse non credidit. Et nos quidem fidem perdidisse negamus, non enim infidelitate, & errore mentis, sed metu peccauit, & mentitus est. Augustinus toto libro de bono perseuerantiæ docet posse bonos deficere. *Adhuc pergat & dicat, cur quibusdam qui eum coluerunt bona fide, perseuerare vsq; in finem non dedit? Cur putas, nisi quia non mentitur qui dicit? Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, manssissent vtiq; nobiscum? Nunquid ergo hominum naturæ duæ sunt? Absit: si duæ naturæ essent, gratia vlla non esset; nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderetur. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perseuerantiam vsq; in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse iudicauit, miscere quosdam non perseueraturos certo numero sanctorum suorum; vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi: multos enim à perniciosa elatione reprimit quod ait Apostolus; Quapropter qui videtur stare videat ne cadat. Voluntate autem suæ cadit, qui cadit; & voluntate Dei stat, qui stat. Potens enim est Deus statuere illum: non ergo ipse seipsum, sed Deus. Verumtamen bonum est non altum sapere, sed timere. In cogitatione autem sua vel cadit quisque vel stat.*

Et initio libri. *Asserimus ergo donum Dei esse perseuerantiam quæ vsque in finem perseueratur in Christo: finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaq; vtrum quisq; hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit incertum est. Si enim priusquam moriatur cadat, non perseuerasse vtiq; dicitur, & verissime dicitur. Quomodo ergo perseuerantiam qui non perseuerauit, accepisse vel habuisse dicendus est? Nam si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat atq; incontinens fiat, si iustitiam, similiter si patientiam, si ipsam fidem recte dicitur habuisse, & non habere. Continens enim fuit, vel iustus fuit, quamdiu fuit: cum vero esse desiit, non est quod fuit: qui vero non perseuerauerit, quomodo perseuerans fuit; cum perseuerando quisque ostendat se perseuerantem, quod iste non fecit?*

Amisisse igitur fidem satis constat aliquos ex illis, qui illa præditi fuerant, & quotidie id experimur, dum naufragia fidei, ex cupiditatum variarum procellis in Christianis videmus. Quod etiam suo tempore factum, testis est Chrysostomus hom. 47. in Ioan. Cyrillus lib. 4. cap. 20. in eundem.

Manendum ergo in dilectione, & fructus plurimus adferendus, vt constantes discipuli efficiantur, in hoc enim glorificatus est pater: Piorum enim sancta opera gloriam Dei illustrant, sicut eorum peccata faciunt, vt nomen Domini blasphemetur. Manere autem in dilectione sua admonet, tum vt diligant, tum vt diligantur.

VERSVS 10.

Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.

QVÆSTIO I.

An præceptorum obseruatio necessaria sit, vt in dilectione maneatur?

§. 1. AVgustinus in hunc locum ostendit, non esse obseruationem præceptorum primam dilectionis causam, sed eam consequi; seruando enim mandata diligere nos ostendimus: & mandata non seruantur nisi à diligentibus: augetur tamen obseruatione legis dilectio, & amando crescit amor. Hinc vetus error Beguardi refutatur, qui docebat, iustos cum ad perfectionem peruenissent, non debere amplius bona opera facere. Vide Clementin. *ad nostrum.* Semper enim requiritur, vt plurimum fructum adferant, semper proficiant. Inutilis enim arbor, quæ infructuosa est.

Prima causa dilectionis non nostra dilectio.

§. 2. Verbis potius, quam re discedunt à tam pernicioſa interpretatione Caluiniani. Nam præcepta seruare apud eos est, non ea quæ Deus facere iussit, facere, & omittenda omittere, sed vt interpretatur Aretius: *habere studium præcepta seruandi.* Non interpretantur studium modo quo pertendant, & efficaciter velint, ac faciant facienda: sed etiam imbecillum, quodque tentationibus, frequenter succumbat, faciatque non facienda, & omittat non omittenda. Manere autem in dilectione se prædicant. Caluinus mira arte interpretationis suæ impietatem obtegit. [Modum, *inquit*, perseuerantiæ ostendit: si sequamur quo ipse vocat; nam vt dicit Paulus. Qui in Christo sunt, non ambulant secundum carnem, sed secundum spiritum.] Vera ista sunt: sed sensu Caluiniano falsa, vt ostendam. Vti & quæ sequuntur. [Non reconciliare Christum patri fideles, vt impune lasciuiāt, sed vt spiritu suo ipsos gubernans sub manu patris & imperio contineat. Vnde sequitur, abijcere Christi amorem, nisi qui vera obedictia probant se eius discipulos esse.] Quia vero ea doctrina suam interimi hæresin videbat. Ipse sibi obijcit. [Si quis obijciat: pendere igitur à nobis nostræ salutis firmitudinē: perperā trahi in illam partem Christi verba. Quia obedientia

quam

Excidunt, qui malè viuunt.

quam illi præstant fideles, non tam causa est, cur suum erga eos amorem continuet, quam effectus.]

Nihil ad rem illa responsio. Nam nisi fideles secundum spiritum ambulent, à gratia excidunt, si opera carnis perpetrant, regnum Dei non possidebunt, teste apostolo, nisi probent vera obedientia se eius esse discipulos, inter eos recensentur, qui cum sint operarij iniquitatis clâmant irrita præsumptione: Domine, Domine, ab ipsis pendet vt in dilectione maneant, si spiritu viuant: aut dilectione excidant, si secundum carnem vixerint, & moriantur. Siue enim dilectio est causa seruandarum legum, siue obseruatio est maioris dilectionis, & causa salutis, siue conditio sine qua non datur salus: à dilectione & salute custodia mandatorum Dei, & obedientia separari nō potest. Quocirca nulla est cuiquam certitudo suæ salutis, nisi cui certa est sua iustitia, non modo, quæ nunc est, sed quæ etiam futura est. Soli autem Deo cognitum est quales in morte futuri sint, qui nunc vel boni sunt, vel mali. Hoc nullus hominum nouit, nisi cui voluerit Deus reuelare.

§. 3. Aliam etiam quæstionem hic proponit, ad „ quam respondet flagitiosissime. [Sed videtur nimis „ conditio nobis imponi, vt Christi præcepta seruemus, quibus continetur exacta iustitiæ perfectio: quæ „ modum nostrum longe superat. Nam inde conficitur, irritum fore amorem Christi, nisi angelica puritate prædi simus. Solutio facilis est. Nam cum de „ studio rectè sanctèque viuendi agit Christus, quod in „ sua doctrina præcipuum caput est, minime excludit, „ nempe de gratuita imputatione, qua fit vt per indulgentiam veniæ Deo placeant nostra officia, quæ mutila per se, & impura reijci merebantur. Censentur igitur fideles seruare Christi præcepta, cùm huc studium suum applicant, etiamsi longe à meta distent, „ quia soluti sunt ab illo rigore legis: *Maledictus qui non „ impleuerit omnia.*]

Verum est à fidelibus angelica puritate non seruari legem, corpus enim deprimit animam, & ipse animus prauis affectibus imbutus non recto semper itinere in

Opera nostra sunt imperfecta.

metam tendit. Cum enim optimus & sanctissimus quisque pietati se dedit, multa cogitationibus, verbis, factisque delinquit, quibus opera sua reddit imperfecta: Quia vero illa peccata sunt quotidiana, eadem quoque quotidiana pœnitentia expiat: vt enim criminibus non implicatur, ita venialia non vitat, & quamuis multis abstineat, multa tamen committit. Nec tamen nimis arduam sibi cōditionem imponi cum Caluinianis queritur, sed facile iugum, & suaue, mandata enim Christi grauia non sunt amanti, quem gratia Dei confortat vt possit omnia. At Caluini ratio longe aliud proponit. Nam Christum fingit solum studium seruandi mandata postulare. *Censentur fideles seruare præcepta, si studium suum huc applicant.* Quod sic intelligunt: Quamuis à meta longe absint, nomen Dei in vanum accipiant, peierent, occidant, mœchentur, furentur, aliena rapiant, si rapere non possint concupiscant, si tamen cum illa vel agunt, vel agere constituunt, studium pietatis, veritatis, mansuetudinis, iu-

Imputatio Caluiniana.

stitiæ, castitatis habeant, manere in dilectione, & sub Dei manu, & imperio contineri, secundum spiritum non secundum carnem ambulare obedientia sua vero Christi discipulos probare, bona conscientia frui, & in nouitate vitæ ambulare. Quod si obijcias eos qui talia agunt esse maledictos à lege, pœnas mereri. Respondet: Legis rigorem pertinere ad eos, quibus Christus peccata imputat, ad se non pertinere, qui soluti sint à rigore legis, quibus dominus nihil imputet. Quia peierantibus, occidentibus iustitiam imputat, quod studium iustitiæ in animis foueant, & credant sibi ista non posse nocere. De barbarâ illa hæresi, & omnium scelerum auctore in Epistolam ad Romanos egi. Nunc ex præsenti doctrina refellitur. Primo enim mundos discipulos Christus pronunciat; illa vero mundities in eo non versabatur, vt reipsa crimina patrarent, solo studio virtutis, eoq; imbecillo, & tentationibus succumbenti puritatē tuerentur. Deinde in palmite qui in vite mansurus est, requiritur, nō modo conatus, & inchoatio bonorum fructuum, sed fructus ipsi. Quamuis enim more salubrium palmitum gemmascat, floreat, fructus inchoet, si tamen deinde virulentos & venenatos producit plurimos, nullos vero bonos maturet: nemini dubium est, quin falce prouidi vinitoris rescindendus sit. Est vero etiam illa interpretatio in gratiam Dei contumeliosa, quasi ideo in vite maneant, ideo illo auxilio adiuuentur, non vt faciant fructum cum eo, sine quo nihil possunt facere, sed vt studium faciendi inane, & irritum foueant, non vt agant. An gratia Dei non potest eo deducere, vt superata tentatione inimici, proximum diligant, Deum colant, non modo vt studeant facere, & velle quod nec faciunt, nec volunt? Nec video quomodo non sint depraua tissimi eiusmodi interpretes. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis, petetis & fiet vobis. Hic velle suos intelligit non diuitias, vel honores, vel aliquid simile, quod stulte expetit caro: sed vitalem Spiritus sancti succum, quo fructificent.* Hic semper eos exaudiri cōtendit. Cupio sane cognoscere, qua mente precentur. Si enim orant, vt succus vitalis à vite sibi submini stretur, quo salubres fructus producant, pietatem, iustitiam, castitatem, ita vt nec furentur, nec adulteriis polluantur, nec alia faciant, quæ legibus decalogi prohibentur, à Deo illa obtinent, vt Caluinus docet: & dono Dei consequuntur, vt præcepta obseruent, iustique sint non futili studio virtutis, sed custodia fideli mandatorum. Si vero eam perfectionem à Deo poscunt; verum solum studium pietatis desiderant, petuntque sua sibi flagitia non imputari, fateanturq; se rigore legis solutos, ad solum studium obstringi, impudentiam obstupesco.

Mundities apostolorū imputata.

Oratio Caluiniana.

Verum Christus quasi suis eos verbis retundere fatageret. Non modo studium obseruandæ legis, sed etiam imperauit effectum. *Sicut & ego*, inquit, *patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Non requiro hic parem in præcepto seruando perfectionem. Christus enim vt exemplar omnium virtutum absolutissime omnia obseruauit, & quidem perfectissima caritate, & nos imitatores suos esse iussit non studio inefficace, quod tollatur voluntate peccatrice, legem violante, sed seria executione, vt sicut ipse non blasphemauit, non alia præcepta transgressus est, ita manum & voluntatem nos contineamus. Misertus est dominus creditor serui debitoris, & omne debitum remisit ei, ab eo tamen postulauit, vt & ipse non modo misericordiæ studeret, sed re ipsa conseruo clementiam, quam sibi sensetat esse salutarem, exhiberet. Non est enim vera imitatio Christi cum inter scelera studium virtutis & innocentiæ iactatur. Pauci sunt quibus non displiceant scelera quæ faciunt, nec ideo tamen innocentes sunt. Denique hoc præceptum vt diligant inuicem, nō studium dilectionis tantum imperat, nec de rigore tantum remittit, vt odisse permittat. Sed verum amorem requirit. Clarius hoc ipsum est in præcepto fidei, quod credendo, & reuelatis assentiendo perficitur, non studio credendi, cui adiuncta sit, vel adiungi possit infidelitas. Verum audiatur Augustinus toto libro de libero arbitrio. Nam gratia omnia impleri posse docet. *Et fidem orando impetrare, quod lex imperat.* Clarius ita definit controuersiam. *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui, præparatur voluntas à Domino; de quo dictum est; A Domino gressus hominis dirigentur, & viam*

Non sua est sanctos discutere, quorum merita non scimus.

& viam eius volet: de quo dictum est; Deus est, qui operatur in vobis & velle. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Cum dicit, faciam vt faciatis: quid aliud dicit, nisi, auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis, & dabo vobis cor carneum, vnde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo vobis cor obediens vnde faciatis? ille facit vt faciamus, cui dicit homo, pone Domine custodiam ori meo: hoc est dicere, fac vt ponam custodiam ori meo: quod beneficium Dei iam fuerat consecutus, qui dixit: posui ori meo custodiam.

Qui ergo vult facere Dei mandatum & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruam & inualidam: poterit autem, cum magnam habuerit & robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna vtiq; voluntate, hoc est, magna charitate fecerunt: de qua charitate ipse Dominus ait, Maiorem hac charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vnde & Apostolus dicit: Qui diligit proximum legem impleuit: nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces; & si quod aliud est mandatum, in hoc sermone recapitulatur; Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis, dilectio.

VERSVS 11.

Hæc locutus sum vobis: vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.

QVÆSTIO I.

Quod gaudium, & quomodo impleatur?

Gaudium de electis.

§. 1. GAudium duplici modo intelligitur. Nam Christi gaudium est in discipulis, gaudet enim eos fructum facere, mandata seruare. Itaque gaudium in vobis interpretantur gaudium de vobis, sicut dicitur sibi pater in filio complacere, alij gaudio illo discipulos gaudere censent; vt Chrysostomus, Euthymius. Nec multo aliter Leontius, qui in discipulis tale gaudium esse existimat, quale in Christo est. Magna occasio gaudendi, vt quibus omnia aduersa ad salutem prosint, & gaudij materiam suppeditent. Crescit indies hoc gaudium donec in æterna gloria consummetur. Magnus Christi affectus in eo ostenditur, quod de miseris, sed ad vitã electis se gaudere dicat, illis etiam gaudiũ suadeat, ita & Matth. 5. & Paulus Phil. 4.

Ideo vero præceptum est additum de dilectione: nam præcipua gaudiorum causa est inter caros dilectio, adeo vt nec inter impios sine amicitia vlla vitæ suauitas esse possit.

VERSVS 12. &c.

Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

QVÆSTIO I.

An nulla maior sit caritas, quam eius qui animam pro amico ponit?

Christus mortuus pro inimicis.

§. 1. SYrus habet: *Nulla maior est caritas, quam vt quis animam ponit pro amico.* Particulam *quam* multi omittendã censent. Maiorem habuisse caritatem quidam existimant, qui pro inimicis animam posuit. Verum recte respondent communiter, Christum etiam pro amicis animam posuisse, cum pro inimicis mortuus est; amicos enim hic Dominus appellat, qui diliguntur, etsi vicissim non ament, nec digni sint, qui diligantur, sed quos gratuito amore, beneficiisque prosequitur benefactor. Amici quia diliguntur, inimici, quia oderunt.

§. 2. Non esse vlla supererogationis opera sectarij efficere conantur ex verbis Christi. [Si namque non est maior caritas, quam illius, qui animam ponit, vel pro Dei gloria, vel proximorum salute, & hoc tamen est in præcepto, non potest quicquam maius esse.]

Opera supererogationis.

Respondeo. Quamuis maius opus esse non possit, quam animam ponere, non ideo tamen effici, non posse esse minus aliquod opus non præceptum. Magnum opus erat, quod Paulus ab Illyrico vsque Euangelium impleuerat, vt præceptum illi erat. *Væ enim*, inquit, *mihi si non euangelizauero.* Quod autem sine sumptu Euangelium posuerit, id supererogationis erat: Nam præclarum erat factum, nec à Deo mandatum. Talia vero opera supererogationis vocamus. Nonnulli existimant in martyrio nõ iustificari quemquam ex opere operato. Nam caritatem iam habet, antequam animam ponit, ipsa autem caritate iustificatur, nam caritas iustitia est, & magna caritas magna iustitia, vt docet Augustinus. Bellarminus tamen l. 1. de sacramentis c. 6. In ipso martyrio infundi caritatem ex opere operato docet. Vt si quis rapiatur ad necem pro Christo subeundam, non caritate Dei, sed metu gehennæ, vel spe cœlestis præmij, eum hoc ipso quod patiatur iustificari, ac proinde illi caritatem infundi censet.

VERSVS 16.

Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos: vt eatis, & fructum afferatis; & fructus vester maneat: vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.

QVÆSTIO I.

De qua electione loquatur?

Electio ad apostolatũ, & ad vitã.

§. 1. ELegit eos ad apostolatum, & ad vitam æternam, non tamen electi ad honorem apostolatus, etiam electi sunt ad vitam æternam. Iudas enim excidit. De electione ad apostolatum Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Theodoretus, Thomas interpretantur. Augustinus vero etiam de electione ad vitam æternam. Quocirca vtrunque hæc electio complectitur. Ad apostolatum electi erant, vt abeuntes fructum plurimum ferrent, & fructus eorum maneret. Cum addit, elegisse vt quicquid petierint in nomine suo, impetrent satis insinuat etiam electionem ad vitam æternam. Hocenim & petierant & petebant, atq; hoc est, quod ait se eos delegisse de mundo, mundum eos odisse. Vtrique electioni commune est, vt nulla præcesserit in apostolis causa, sed gratuita sit, neque enim illi ante Christum elegerant, vt Euangelium promulgarent, neque vt ei seruirent, nisi postquam eos Dominus elegit, & eorum præueniens voluntatem mouit, vt vtrunque vellent. Cum vero ipsos elegerit vt abeuntes fructum ferant, zeli Christiani admonet, vt vltro se ingerant, & doceant, non exspectent, donec adnocentur. Positi enim ad hoc sunt vt fructum faciant. Optime Theophylactus: ὁρᾷς τὴν ἰσότιμον πατρὸς καὶ υἱοῦ· ὁ πατὴρ γεωργὸς, ὁ υἱὸς νῦν δείκνυται γεωργὸς.

Christi dei tas.

γὸς, ἀιαχύνην ἐνδυσάμενος, μετὰ τῶν σὺν σοὶ εἰς ἀσέβειαν ἐκτεθαχηλιασθέντων, ὅσα δὲ καὶ ἕτερον, ἵνα ὅσα ἂν αἰτήσητε τὸν πατέρα δῶ ὑμῖν, ἐγὼ δώσω. *Vides æqualitatem patris & filij, pater Agricola est, & filius nunc ostenditur Agricola. Pudore induere ô Ari, cum illis qui tecum sunt ejecti, vide & aliud, vt quæ petieritis patrem, do vobis, Ego dabo.* Cum tamen textus exigere videretur, vt diceret, dabit vobis.

§. 2. Elegisse autem eos constat, amici vt essent, non serui, quod latius patet, quam vocatio ad apostolatum. Alludit vero ad pristinum morem, quo homines Deus est allocutus, vt est apud Iren. l. 4. c. 27. *Hic est autem Dominus noster verbum Dei, qui primo quidem seruos attraxit Deo, postea autem liberauit eos qui subiecti sunt ei, quemadmodum ipse ait discipulis, Iam non dico vos seruos: quia seruus nescit, quid Dominus eius faciat. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. In eo enim quod dicit, Iam non dico vos seruos, manifestissime significauit se esse, qui primo quidem eam seruitutem, quæ est erga Deum, hominibus per legem constituerit, post deinde libertatem eis donauerit. Et in eo quod dicit, Quoniam seruus nescit quid faciat Dominus eius, ignorantiam seruilis populi manifestat per suum aduentum. In eo autem, quod amicos Dei dicit suos discipulos, manifeste ostendit se esse verbum Dei, quem & Abraham voluntarie & sine vinculis propter generositatem fidei sequens, amicus factus est Dei.*

Hanc suam amicitiam totius mundi odio, cunctisque periculis, & tormentis tyrannorum opponit; Deus enim toto mundo fremente saluare potest, quē amicum dixit.

Quæ audierit.

§. 3. Amicos esse ex eo probat, quod secreta illis sua reuelarit. Omnia quæ audiuit à patre, eo tempore indicanda significarit, sic enim generalis particula restringenda est; multa enim supererant dicenda, quorum hoc tempore capaces non erant, interim multa admiranda derexit, & opportune cætera detecturum promisit. Amicis autem secreta committi solent, non seruis. Nazianz. orat. 6. *Amico fideli nulla est comparatio: & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem illius. Amicus fidelis protectio fortis, & munitum palatium: Amicus fidelis viuus thesaurus. Amicus fidelis super aurum & lapidem pretiosum multum. Amicus fidelis hortus conclusus, fons signatus, qui opportune aperiuntur & communicantur. Amicus fidelis solatij portus.*

Serui erant, & seruos appellant, nec negat hoc dominus, sed etiam amicos esse asserit. Liberali illa seruitute, & spontanea Deo obtemperantes, quæ est proprie fidelium amicorum, adeoque filiorum. Vide Iren. l. b. 4. cap. 21.

Mandata obseruanda non sola conatu, sed effectu.

§. 4. Inculcat Christus abiturus crebro mandatorum obseruationem, & hic amicitiæ suæ necessariam conditionem demonstrat, sine qua consistere nō possit. *Si feceritis quæcunque ego mando vobis.* Non ait quod hæretici inde colligunt, *si studium faciendi adhibueritis, licet, contra, quam præcipio faciatis.* Nunquam vel in veteri, vel noua scriptura legis obseruatio in hunc præcipitur modum. Nempe circumcides omnem masculum, sabbatum seruabis, decimas solues, vt solum studium requiratur, soli conatui iustitia imputetur, si re ipsa contrarium agatur. Sane in paradiso peccatum est, violatione legis, non modo conatu ad seruandum neglecto. Quod vero impossibilia sunt obseruatu præcepta, cur non etiam conatus impossibilis est? an non poterit hoc efficere gratia, vt possit, quæ facit, vt conetur? Quomodo porro verum est, esse Christianos sine criminibus, si seruare præcepta nulla possunt? vide Augustin. tract. 41. in Ioan.

§. 5. Hoc etiam inter friuola cauillationum referri debet, quod Rudolphus Gualterus mouet. *Omnia Apostolis tradidisse Dominum, nihil itaque superesse Ecclesiæ, conciliis, nullas traditiones.*

Solutio non modo facilis est ex textu, sed etiam scriptoribus aduersariorum. Non enim omnia absolute docuit, sed quorum eo illi tempore capaces erant. Nam paracletus postea multa docuit. Quo si omnia sine exceptione Christus tradidisset, non ideo traditiones ἀγράφως, & decreta conciliorum reijcienda essent, & sola scriptura pro norma habenda. Non enim omnia, quæ norunt, scripto tradiderunt.

VERSVS 20. 21.

Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis, Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt: & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrū seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.

QVÆSTIO I.

Cur persecuturi sint apostolos?

Persecutionis causa, Dei ignoratio.

§. 1. SVo illos exemplo pati aduersa docet, non enim aliam fore eorum in mundo fortē, quam suam prædicit. Causam porro tantæ persecutionis fore confirmat, ignorantiam Dei, qui ipsum misit. Vexandis enim & omni suppliciorum genere torquendis apostolis gratum se Deo præstare obsequium arbitrabuntur. Non nouerunt autem, qui scire noluerunt, obsistente malitia, prauisque moribus fidei, qua sola emendari poterant. Philosophia enim & scientiæ cæteræ inflabant, non ædificabant, sola fides Christi erat, qua induci spes & caritas poterant, vt iustificarentur, sine illa radice non remissio peccatorum, nō iustitia esse poterat. Duplex igitur erat iniquitas, & quod patrem nescirent, & filio docenti ac corrigenti resisterent. *Quomodo autem oderunt, si nescierunt?*

Oderunt patrem.

Respondet Augustinus. Quia nollent esse talem, qualis est, nempe exactorem iustitiæ vindicem iniquitatis. Partim enim cognoscebant Deum generali notione, tanquam legislatorem & dominum, sed vt patrem Domini nostri Christi Iesu ignorabant; perinde enim est ac si dicat: Ideo discipulos suos nō ferre, quod nesciant esse eum à quo missi sunt, filium Dei, qui patris nomine salutem, atq; Euangeliū attulerit. Quod prætexebant sæuitiæ suæ iustitiam, hoc etiam ratione caret. Dicebant se Dei causa Christum persequi, vt qui legem violaret. At Dominus contra excipit eos, qui se oderint, tam multa ex patre documenta suæ legationis adferentem, etiam Deum odisse. Deum enim etiam oderant, legemque Dei sceleribus suis aduersam. Ignorantia itaque culpabilis erat, & odium ignorantiæ causa.

VERSVS 22.

Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

QVÆSTIO I.

An si non venisset peccatum non haberent?

Singulare peccatum, cōtumacia.

§. 1. IN confesso est, sermonem non esse de omni peccato: Verum de singulari crimine incredulitatis, quod tot auditis exhortationibus, visisque mi-

racu-

raculis credere noluerint, illis detraxerint, illa dæmoni attribuerint. Alia vero peccata, & plurima quidem haberent, auaritiam, fœuitiam, superbiam, & omnium detestimum hypocrisin. Ex eo constat, induratos excusationem peccatorum non habere, cum sua culpa indurentur, & in pertinacia perseuerent.

§. 2. Durandus sola fide infusa, sine externa vite, & miraculorum Christi effectione negat Iudæos credere potuisse, eadem in sententia etiam Gabriel fuit. Nam si Christus non venisset, & dixisset, & miracula fecisset, peccatum infidelitatis non habuissent; Causa autem excusationis adfertur, quod sine illis mediis credere non poterant, si enim credere sine his potuissent, & alia sufficientia fidei adminicula habuissent, non poterant habere infidelitatis excusationem.

Respondendum vero est. Si fidem infusam habuissent aliaque dona, etiam sine miraculis credidissent. Et qui credidissent, peccatum non habuissent. Qui vero sine externa prædicatione & miraculis non credidissent, non eiusdem conditionis erant omnes. Nonnulli eorum fidem habuerunt veram, & infusam, sed cum Christi conciones audirent, & miracula viderent, monerenturque vt in eum tanquam Messiam crederent, qui odio, auaritia, inuidia aliisque vitiis impliciti, primo quidem consensu & dissensu abstinere; non enim habitus fidei necessario inclinat, deinde positiue desciuerunt, & iudicio fidei contrario Christum falsa docere definiuerunt, quare fidem excusserunt, & idcirco Christus illis fuit in ruinam. Exemplum est Capernaitarum, quorum multi crediderunt, sed audito nouo fidei articulo, de corporis Christi manducatione, credere desierunt. Hi idcirco excusationem non habuerunt; quia tot verbis, & miraculis fidem Christus sanxit, sufficientissimeque proposuit, vt excusari non possent. Quod si non fecisset, non peccassent, si nihil noui credidissent: nam sine propositione sufficienti nemo fidelis, tenetur nouum dogma, aut articulum credere, quem hactenus non audierat. Nec opus erat Christum credere Messiam, si non fecisset miracula, quæ facturum prophetæ olim prædixerant. Alij vero erant, qui fide vera carebant, vel quod Atheï essent, vel quod hæretici, vt qui fatum stoicum amplecterentur, vel resurrectionem negarent, aut aliis in erroribus versarentur, quales Pharisæorum, & Saduccæorum recenseri solent. Hi peccatum infidelitatis iam ante habebant, quod oraculis Dei non crederent, nec orthodoxos, vt Simeonem, Zachariam aliosque audirent. Postquam dominus aduenit, & clarissime illa quæ prophetæ docuerant, exposuit, insuper se Messiam dixit, & operibus, quæ nemo alius fecit, doctrinæ veritatem comprobauit, nouo peccato infidelitatis, contemptusque Dei, & odio Messiæ sese obstrinxerunt, præsertim cum gratiam sufficientem etiam internam, seu auxilia accepissent. Hoc tam graui peccato caruissent, si Christus non venisset, nec mirabilia opera fecisset.

Fidem quidam perdiderunt.

Miracula excusationē incredulis adimerunt.

VERSVS 23. 24.

Qui me odit: & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit: peccatum non haberent, nunc autem & viderunt & oderunt & me, & Patrem meum.

QVÆSTIO I.

An fecerit opera quæ nemo alius fecit?

§. 1. ALij de multitudine: alij de genere operum interpretantur. Prophetæ multa signa olim fecerunt: etiam mortuos excitarunt. Veruntamen multa sunt, quæ solius Christi sunt, quæ filio pater reseruauit, vt cap. 9. *à sæculo non est auditum, vt quis aperuerit oculos cæci nati.* Etsi ergo aliqua non omnia tamen prophetæ fecerunt, quæ Christus. *Opera quæ nemo fecit.*

§. 2. Augustinus admonet alios etiam fecisse, quæ ipse non fecit. *Nulla quippe tract. 91. in operibus Christi videntur esse maiora quam suscitatio mortuorum: quod scimus etiam antiquos fecisse prophetas. Fecit hoc etiam Helias, fecit hoc Heliseus: & cum in hac carne viueret, & cum in suo monumento sepultus iaceret. Nam quidam portantes mortuum cum irruentibus hostibus, eo refugissent, eumque ibi posuissent, continuo resurrexit: Fecit tamen aliqua Christus, quæ nemo alius fecit, quod millia hominum de quinque, & quatuor millia de septem panibus pauit, quod super aquas ambulauit, & Petro vt hoc faceret præstitit, quod aquam mutauit in vinum; quod aperuit oculos cæci nati, & alia multa, quæ commemorare longum est. Sed respondetur nobis, & alios fecisse quæ ipse non fecit, & quæ nemo alius fecisset. Quis enim nisi Moyses Ægyptios plagis tot tantisque percussit; diuisa mari populum duxit, manna de cœlo esurientibus impetrauit, aquam de petra sitientibus fudit? Quis nisi Iesus naue populo transituro Iordanis fluenta diuisit, & currentem solem emissa ad Deum oratione frenauit & fixit? Quis præter Samson propter suam sitim maxilla asini exundante satiatus est? Quis præter Heliam curru igneo in alta sublatus est? Quis præter Heliseum quod paulo ante commemoraui, sepulto suo cadauere, cadauer alterius reddidit vitæ? Quis præter Danielem inter ora incluforum secum leonum esurientium vixit innocuus? Quis præter tres viros, Ananiam, Azariam, Misaelem, in flammis ardentibus & non vrentibus deambulauit illæsus? prætereo cætera, quoniam hæc satis esse arbitror, quibus demonstretur & alios sanctos quædam opera miranda fecisse, quæ nemo alius fecit. Sed qui tam multa vitia & malas valetudines vexationesque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorum. Vt enim taceamus, quos iubendo sicut occurrebant, saluos singulos fecit: Marcus Euangelista quodam loco ait, vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & damonia habentes, & erat omnis ciuitas ad ianuam congregata, & curauit multos qui vexabantur varijs languoribus, & damonia multa eiciebat. Id autem cum commemorasset Matthæus, etiam testimonium propheticum addit dicens: Vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægritudines portauit. Item alio loco dicit Marcus, Et quocunque loco introibat in vicos, vel in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, saluifiebant. Hæc nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum est quod ait, in eis, non inter eos vel coram eis: sed prorsus in eis quia sanauit eos. Hæc quippe intelligi voluit, quæ non solum facerent admirationem, verumetiam manifestam conferrent salutem, pro quibus beneficijs vtique amorem, non odium tribuere debuerunt.*

His miraculis aliud non effectum, quam vt gratis ipsum odissent Syriace ܒܛܠ quod glossa interpretatur חנם frustra. Psalm. 34. 9.

VERSVS 26.

Cum autē venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritū veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

QVÆSTIO I.

Quæ de Spiritu sancto traduntur hoc loco?

§. 1. PRimo paraclerum appellat: quod fideles in hac vita semper afflictos spe futuræ retribu- *Paracletus.*

tionis consoletur: qui Christo absente mittendus est: non erat enim adeo necessarius illis, quamdiu Domini præsentia fruebantur apostoli. De magna autem & vbere consolatione agitur.

Trinitas. §. 2. Cyrillus fieri docet mentionem Spiritus sancti, vt de Trinitate suos instituat: *Nemo enim*, inquit, *impiorum nos ad ea, quæ intelligere nefas est, verbis suis impellere conetur. Nemo, inquam, spiritum patris per filium vt per ministrum mitti ad creaturas credat. Nam etiam id nonnulli dicere ausi sunt. Credere namque debemus, quoniam spiritus sic proprius filij est, sicut sane ipsius quoque Dei patris: idcirco ad sanctificationem suorum discipulorum ab eo mittit.*

Identitatem etiam hinc satis exponit clare: *Identitatem ergo substantiæ filij ac patris ostendens, cùm veritatis spiritum dixerit, à patre illum procedere asseruit: ita Christi hostem Dei esse hostem comprobauit. Qui enim in filium insultat, illum non veneratur vnde filius est. Quando igitur venerit paracletus, ait, spiritus veritatis, id est, meus, qui ex patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quomodo ergo autem perhibebit? magna in vobis, & per vos miracula faciens, diuina meæ potestatis, atque virtutis testis erit grauissimus. Spiritus enim meus est, qui operabitur in vobis, sed sicut meus est, sic & Dei patris. Necesse autem est intelligere omnes etiam qui in persona Christi (in quo habitauit corporaliter plenitudo Deitatis, secundum Paulum) miracula per spiritum ad probationem fidei fecerunt, non minus iniuriis contemptu prædicationis affici. Sed ad testificationem spiritus, ait: Vos quoque qui mecum semper fuistis, & signa oculis vestris vidistis, testimonium perhibete.*

Et Hilarius lib. 8. de Trinitat. *Sed audiant quam à nobis vnanimitas non negetur. Vnum sunt pater & filius natura, honore, virtute: nec natura eadem potest velle diuersa. Et audiant ad hoc enim naturæ sibi cum patre vnitatem filium testantem, ait enim: Cum venerit aduocatus ille quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre meo procedit.*

Idem affirmat Theodoretus, Euthymius, & in primis Theophylactus. Et Augustinus lib. 4. cap. 20. de sanctissima Trinit.

Spiritus sanctus Deus. §. 3. Nazianzenus etiam diuinitatem Spiritus sancti illo testimonio probat. Si enim Deus non est, diuinitatem asserere non potest, pag. 429. *Si Spiritus sanctus Deus non est, Deus prius efficiatur atque ita demum me, aqualem suum Deum efficiat. At nunc quæ hæc gratiæ impostura est, vel eorum potius qui gratiam tribuunt, velut in Deum credere & Atheum recedere? aliud professum esse, & aliud doceri? Quales verborum nexus & captiones, per aliam interrogationem & confessionem alio ferentes.*

Plane similia sunt, quæ nostri Ariani in Transylvania, & Polonia machinantur, omnibus insidiantes.

Et eiusdem essentiæ cum Christo esse, p. 430. *Caput autem sermonis hoc sit: cum Seraphim diuinam gloriam prædica, tres sanctitates in vnam dominationem contrahentibus, primamque essentiam hactenus indicantibus, quatenus eam studiosis hominibus eorum alæ paulùm aperiunt. Cum Dauide illuminare, lumen ita alloquente, In lumine tuo videbimus lumen, hoc est, in spiritu filium: quo quid fulgidius esse possit? Cum Ioanne illo tonitrus filio, intona, nihil de Deo abiectum ac terrenum insonans, sed excelsum & sublime, nempe verbum illud, quod in principio erat.*

Et 736. *Non sic vnum Deum quasi solitarium, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse & filius, sed patrem verum, qui genuit filium verum, vt est Deus de Deo, lumen de lumine, vita ex vita, perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno: non creatum, sed genitum: non ex nihilo, sed ex patre, vnius substantiæ cum patre, Spiritum vero sanctum, Deum, non ingenitum neque genitum: non creatum nec factum, sed patris & filij, semper in patre coæternum veneramur. Vnum tamen Deum, qui ex vno patre totum quod patris est, Deus natus est filius, & in patre totum quod inest, totum genuit in filium. Pater filium generans, non minuit, nec amisit plenitudini suæ deitatem. Totum autem quod Deus pater est, id esse filium ab eo natum certissime tenentes, cum Spiritu sancto vnum Deum pissime confitemur.*

Falsum itaque esse concludit, quod eum Pneumatomachi Peregrinum vocant, vt docet p. 593. *Vnde nobis peregrinum Deum, nulloque scripturæ loco proditum introducis? Atque hoc illi quoque obiiciunt, qui æquiores se erga filium moderatioresque præbent.* *Spiritus sanctus non est peregrinus.*

Et Saduccæos confutat p. 595. *Spiritum sanctum Sadducæi penitus non esse censuerunt, quem admodū nec Angelos nec resurrectionem: quibus haud scio quid acciderit, vt tot ac tanta de eo in instrumento veteri testimonia pro nihilo haberent. Qui autem apud ethnicos Theologiæ laude magis excelluerunt, propiusque ad nos accesserunt, per imaginem quandam ipsam, meo quidem iudicio, conceperunt, tametsi nomine dissenserint, vniuersitatis nempe mentem, & extrinsecam mentem, aliisque id genus nominibus eum appellantes.*

Ethnicorum etiam testimonia habet p. 595. *Alios etiam quodammodo sapientiores audiui, qui diuinitatem metiuntur, ac tria quidem, perinde ac nos, intelligi confitentur, sed ea ita inter se disiungunt, vt vnum eorum & essentia & potestate infinitum statuant, alterum potestate, non item essentia, postremum vtroque circumscriptum. Sic alio quodam modo eos imitamur, qui opificem & cooperarium & ministrum nominant, atque ordinem & gratiam, quæ nominibus inest, rerum quoque seriem, esse arbitrantur. Nos vero, nec cum iis, qui ne spiritum quidem esse censent, nec cum nugatoribus ethnicis verba illa commutabimus.* *Ethnici de Trinitate.*

§. 4. Spiritus sancti diuinitatem Ariani, & Macedoniani ex hoc loco oppugnabant. *Nam qui mittitur minor illo est, à quo mittitur.*

Quibus orthodoxi responderunt, eum qui alieno imperio, vel consilio mittitur, vel potestate, vel sapientia imparem esse eo, à quo mittitur. At Spiritum sanctum alio modo mitti; quia à patre & filio procedit. Ita Augustinus l. 2. c. 5. de Trinit. Multis hoc Tertullianus aduersus Praxean exponit, l. aduersus Praxean, c. 8. *Protulit*, p. 1076. *enim Deus sermonem, quemadmodum etiam paracletus docet: Sicut radix fruticem, & fons fluuium, & sol radium. Nam & ista species probolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitauerim filium dicere, & radicis fruticem, & fontis fluuium, & solis radium: quia omnis origo parens est: & omne quod ex origine profertur, progenies est: multo magis sermo Dei, qui etiam proprie nomen filij Dei accepit: nec frutex tamen à radice, nec fluuius à fonte, nec radius à sole discernitur, sicut nec à Deo sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere, Deum & sermonem eius, patrem & filium ipsius. Nam & radix & frutex dua res sunt, sed coniuncta. Et fons & flumen duæ species sunt, sed induisa. Et sol & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit eius necesse est, de quo prodit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem vbi est, duo sunt. Et tertius vbi est, tres sunt. Tertius enim est spiritus à Deo & filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice. Et tertius à fonte, riuus ex flumine. Et tertius à sole apex ex radio.* *Qui mittitur quia procedit ab alio, ille ut minor est mittente.*

Vide etiam Dionysium Alexandrinum aduersus Sabellium. Athanas. oratione de æterna substantia filij & Spiritus sancti in Deo Patre. Nyssen. orat. 2. Chrysostom. hom. 5. de visione Isaiæ. Rufin. in Symboli exposit. Fulgent. de Trinit. libro singulari Euthymium in panoplia orthodoxa.

§. 5. Græci etiam erroris sui firmandi occasionem hinc sumpserunt. *Non enim à patre filioque, sed à patre procedit*, inquiunt.

Respondeo. Hoc ipso quod à filio mittitur, ab eo etiam procedere Spiritum sanctum. Nam cum vna persona diuina alterius imperio, vel auctoritate non mittatur, in summa omnium identitate cum essentia, ideoque & inter se paritate, non potest aliter missio intelligi, quam processione, vt iam ex Tertulliano declaraui. *Spiritus à filio nō mitteretur nisi procederet.*

Nec

Nec aliud est Græcorum effugium, quam vt Arianos adiuuent. Nam mitti Spiritum sanctum aiunt significare dona Spiritus sancti.

Sed eos textus refellit, atque adeo ipsa verba euidentia. Cum enim dicit: Venturum paracletum consolatorem, eum se à patre missurum, non de donis modo, sed ipsa persona loquitur.

Deinde Rom. 5. caritas diffusa est in cordibus nostris, per spiritum qui datus est nobis, 1. Cor. 6. templa Spiritus sancti fideles vocantur. Sic Ioan. 14. & iterum 16. Dona vero illa tam Patris sunt, & Filij, quam Spiritus sancti, itaque filius etiam patrem mitteret, cuius dona mittit.

Quod si spiritus dona significat, non possunt illis locis contra Arianos vti Græcorum scriptores, & id tamen faciunt, probantque Athanasium, qui hinc diuinitatem Spiritus sancti astruit. Nam lib. ad Serap. vbi docet Spiritum sanctum non esse creaturam inter multa testimonia hæc etiam adducit, & librum sic claudit. οἱ ἀληθινοὶ p. 370. προσκυνηταὶ, προσκυνοῦσι μὲν τῷ πατρὶ, ἀλλ' ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ ὁμολογοῦντες υἱὸν, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ πνεῦμα· ἀχώριστον γὰρ ἔχει τὸ πνεῦμα· ὡς ἀχώριστος ὁ υἱὸς τοῦ πατρός· αὐτὴ ἡ ἀλήθεια μαρτυρεῖ ἡ λέγουσα, πέμψω ὑμῖν τὸν παράκλητον τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται ὃ ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν ὅς ἐστιν οἱ ἀγνοοῦντες αὐτὸν ἐκ τοῦ πατρὸς ἐν τῷ χριστῷ. *Veri idcirco adoratores adorant quidem patrem, sed in spiritu & veritate confitentes filium; & in filio spiritum, cum sit spiritus inseparabilis à filio, vt inseparabilis est filius à patre. Quod & ipsa veritas suo testimonio probat, quum dicit: Mittam vobis paracletum spiritum veritatis, qui à patre procedit, quem mundus capere non potest, hoc est, illi qui eum negant ex patre procedere, & in filio esse.*

Itaq; improbe faciunt, dum suos errores ita tuentur, vt omnia contra Arianos præsidia demoliantur.

Et libro de humana natura suscepta. οἶδε γὰρ πρὸ τοῦ θεοῦ πατρὸς ὄντα τὸν υἱὸν πηγὴν καὶ ἁγίου πνεύματος. *Nouerat enim apud patrem, filium esse fontem Spiritus sancti.* Eodem modo Cyprianus de Spiritu sancto: *Spiritus sanctus, inquit, procedens à patre & filio.* Et Epiph. contra Sabellianos: *Non etiam Spiritus sanctus seipsum vnquam Christum nominauit, sed Spiritum sanctum, spiritum Christi, qui per Christum datur à patre procedens, & quæ sunt filij accipiens.* Sic Chrysost. Cyrill. alij, vt est sess. 7. & 8. conc. Florent. Etiam Didymus lib. de Spiritu sancto. Fulgentius de fide ad Petrum: *Firmissimetene & nullatenus dubita, eundem Spiritum sanctum, qui patris, & filij vnus est spiritus, de patre & filio procedere.*

Hic Spiritus de Christo testimonium reddit, & ipsi apostoli, vt ministri, quos spiritus regebat, ad testimonij porro veritatem pertinebat, quod ab initio cum Christo essent.

CAPVT XVI.

HÆc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. 2. Absque synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. 3. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. 4. Sed hæc locutus sum vobis: vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. 5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: Et nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? 6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implenit cor vestrum. 7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. 8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. 9. De peccato quidem: quia non crediderunt in me. 10. De iustitia vero: quia ad Patrem vado: & iam non videbitis me. 11. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. 13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. 14. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. 15. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. 16. Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. 17. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem? 18. Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur. 19. Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum videbitis me. 20. Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium: quia natus est homo in mundum. 22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. 23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 24. Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. 25. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. 26. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. 27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui. 28. Exiui à Patre, & veni in mundum, & vado ad Patrem. 29. Dicunt ei discipuli eius. Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. 30. Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus tibi vt quis te interroget: in hoc credimus, quia à Deo existi. 31. Respondit eis Iesus: Modo creditis? 32. Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est. 33. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM

ARGVMENTVM.

GRauissimas apostolis persecutiones & certamina prædicit, quorum tamen atrocitatem auxilio Spiritus sancti superabunt, à quo omnia percepturos promittit, quorum nunc capaces non sunt. Diuinitatem Spiritus sancti varie astruit; & expedire docet vt vadat, alioqui non venturum paracletum: Eum aperte omnia traditurum, etiam futura annunciaturum, eorum dolores comparat mulieri parturienti, cuius dolor breuis, & acer, mox prolis in lucem editæ fructu pensatur. Abire se & rediturum promittit, omniaque interim quæ postularint à patre accepturos, nec de eorum iam imminente terrore & defectione tacet.

Syra Ecclesia à versu 16. ad 31. legit in vesperis Dominicæ tertiæ post resurrectionem. Hinc vsque ad v. 13. c. 17. Matutinis Dominicæ ignis post resurrectionem, & consecrationem presbyterorum. Syriace רביורטוניא vechirutonia, quod ex Græco sumptum est, χειροτονίαν enim vocant, & Glossa notat esse de lingua Iauan. De consuetudine porro antiquissima vide Dionysium de Hierarchico ordine c. 5.

VERSVS 1. 2. 3.

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.

QVÆSTIO I.

Cur persecutiones, & quas prædicit?

§. 1. MAxima est timidis consolatio, ea quæ piétatis causa patiuntur aduersa, iam olim prædicta esse, non præuisa modo. Nec modo animos apostolorum dominus prophetia tam insigni excitat, vt ne improuiso illos calamitatum procellæ obruant, sed muniti ac obfirmati contra mundi desæuientis fluctus persistant, quanquam & hoc vsitatum est; cui enim meditata iam sua mala sunt, facile illa contemnit: & qui sub re mortem decreuit, ferum libenter recipit: sed maius & altius solatiū, quo Ecclesiam vniuersam & singulos fidelium ad certamen roborare Deus voluit. Qui egestate premuntur, in carcere tabescunt, fortunis exuuntur, excruciantur; facile in voces querulas erumpunt, se Deo cutæ non esse, inde animi contractio ac mœstitia enasci solet. At Christus ipsa veritas non modo omnium Deum esse memorem prænunciat, sed iam ab æterno præuidisse, tantique fecisse suorum patientiam ac dolores, vt tanquam res magnas prædixerit. Cyro & deinde Alexandro Israelitarum pontifex de monarchia veterum vaticinia ostendit, & mirifice vtrunque ad res gerendas, quarum administrationem diuinitus sibi datam cognouerant, accendit. Patri modo amicorum suorum contumelias, tormenta, pulchraſque pro veritatis testimonio mortes, tanquam res maximas præsignificauit, vt cum eorum tempora incidissent, martyres reminiscerentur per illa iter esse ad regnum æternum. Hoc quisquis animo perpenderit, nunquam aduersis offendi poterit, siue ipse patiatur, siue videat, vt ait Chrysostomus: πολλὰς ἀπειθοῦντας, καὶ δεινὰ πάσχοντας, multos incredulos & dira patientes.

Sanctorum passiones vt res maximas prædixit.

§. 2. Persecutiones autem & aduersa in hoc mundo suis Deus amicis constituit, vt vera virtute, non cupiditatibus prauis numen conciliare sibi consuescerent, & sincero animo fortique, mundo contempto ad Deum tenderent. Explicuit hoc Dionysius Areopagita de diuinis nominibus c. 8. *An non propius accedunt ad Angelicas virtutes tum, cum pro virili parte diuinarum cupiditate ducti, à terrenorum bonorum studio secedunt, atq; ad hos fortiter exercentur in iis periculis & malis, quæ honesti causa perferunt? Itaq; hoc vere dici potest potius esse diuina iustitiæ proprium, non demulcere & dissoluere virilem optimi cuiusq; animum terrenorum bonorum largitionibus: nec si quis hoc facere conetur, auxilio præsidioque desertor esse sinere, sed confirmare eos in præclaro immutabilique statu, eisque qui eiusmodi sint tribuere pro dignitate. Hæc etiam diuina iustitia, vt omnium salus laudatur, quod suam cuiusque & ab aliis solutam ac liberam essentiam atque ordinem conseruet atq; tueatur, causaque sit suæ cuiusque rei actionis.*

Virtus aduersis cernitur.

Cum autem talium rerum affectus abesse debeat à seruo Dei, non potest id rectius fieri, quam si res ipsa, occasioque tollatur. Certamina vero quæcunque siue athletarum, siue militum, si delicioſa essent, coronas non meterentur; Quis non eos rideret, qui ciuica aut murali donarentur, quod in rosa vix sient? Egregie Theodorus Pelusiota Ep. 201. τὸ δὲ τὰς δικαίας, καὶ πάσῃ τῇ ἀρετῇ κομώσας, πολλὰ ἐν τῷδε τῷ βίῳ ὑπομεμενηκέναι τὰς ἐυπειθοπόνους αὐτὰς ἐκεῖσε στεφάνους μηνύει. *Quod vero iusti & omni virtute ornati, multa hic patiantur, hoc conuenientes ipsis illic coronas significat.* Quemadmodum igitur cum fortiter certantem videmus coronam illi dandam iudicamus, ita quos hic pie viuentes cum dura rerum sorte videmus colluctari, præmia æterna illa fortunæ asperitate designari certum habemus.

Delicijs merces non datur.

§. 3. Atque hinc apparet aduersitates esse Ecclesiæ velut condimenta, vt Nazianzenus oratione 3. in Iulian. exposuit, probatque exemplis, & scripturis, Prouerb. 16. Psalm. 118. Deut. 31. In gentilibus vero hoc præcipue deplorat, quod huius vitæ tranquillitate beatitudinem, contraque aduersis casibus infelicitatem definiant. Ipse Iulianus non ignarus Christianorum virtutem vexationum, & aduersitatum tolerantia acui atque augeri, blanditiis potius emollire, quam tormentis frangere eorū robur constituit. Rem hunc in modum recenset Nazianzenus oratione tertia. *Hæc prima ipsius facinora extiterunt. Cum autem iam, quod parturiebat continere non posset, persecutionq; erumperet, quiddam animaduertere cœpit, sapienti in vitio atque in impietate excellenti viro dignum: aut certe ab iis qui ipsum ad eam acuebant, ac velut inungebat edoctus est. Sic enim secum reputauit, si bellum aperte susciperet, seq; impietatis ducem profiteretur, præterquam quod id nimis temerarium atq; imperitū futurum esset, huic insuper scopo ad quem collimabat, omnino contrarium fore. Nos enim si vis inferretur, acriore cōtentione in victoriam incubituros, ac tyrannidi obnixum pietatis studium obiecturos cogita-*

Aduersitates Ecclesiæ.

cogitauit. *Solent enim fortes & generosi animi, ei, qui vim asserre parat, contumaciter obsistere, non secus ac flamma quæ à vento excitatur, quo amplius perflatur eò vehementius accenditur.*

De eisdem persecutionibus etiam oratione 32. initio multa. Et oratione 15. hortatur, vt iam nunc malint πυθόδυῆναι καὶ καθαρθῆναι, quam in altera vita βασάνῳ παθεῖν μυθῆναι. Huius enim vitæ castigatio est expiatio, at illius tormentum.

Ignominiæ cum tormẽto ferendæ.

§. 4. Duplicem porro suorum in hac vita cladem prædicit Christus. Ignominiam, contumeliam, quæq; ad famæ, atque honoris detrimenta pertinent, Deinde graues cruciatus ac mortem. Nam si tormenta quidem & necem cum gloria proponeret, iam virtus ipsa intercideret hominum laudibus ancillata. Fecerunt ingentia facinora homines alioqui improbissimi quo gloriam, vt illi putabant, nominis æternam consequerentur; mortem voluerunt pro laude pacisci. Illa stultissima vanitate cætera vitia præsserunt. At Christiano sanctissima facienti, atrocissima propter iustitiam toleranti satis est à Deo videri, illi se probare. Testes alios non quærit, qui vel errore, vel malignitate corrumpere testimonii religionem possunt. Itaque non modo patiuntur, sed veluti extrema exempla meriti, vt Tacitus iudicauit, vt hominum genus superstitionis maleficæ, vt Suetonius, vt impii, Athei, venenifici, catharmata & eiectamenta. Occiduntur vt qui corrigi non possint, qui suis sceleribus alios inficiant. Itaque primum est vt communione sacrorum, orationum, lectionum arceant, & excommunicent, hoc est enim facere ἀποσυναγώγους, extra synagogam fieri, vide cap. 9. 22. & 12. 42. Magna erat illa ignominiæ nota, quasi detestabiles, & profanos conspectu & conuersatione populi Dei indignos iudicari, nam cæteris etiam honoribus consequens erat, vt excluderentur. Imitatus id postea est sæuissimus persecutorum, Dioclet ianus, qui edicto Christianos ab honoribus capessendis prohibuit, vt Eusebius habet libro octauo historiæ.

Non sufficit solum studium.

§. 5. Vbi igitur sunt, qui in Christianis veris ac iustis studium duntaxat bonorum operum requirunt? ipsa opera negligunt? non enim eo se vsque legis rigorem extendere commini cuntur? Ecce contra excommunicationem, contumeliam, tormenta, morte stare iubentur Christiani, nec sufficit niti, & conari contra, re autem ipsa succumbere. Qui enim Christum negarit, qui scelus fecerit iam è piorum numero eiectus est. Quærit Augustinus. Quid mali sit in eo quod synagoga impiorum eiiciantur fideles, cum vltro, & sua se sponte separare debeant? Et mysterium in eo agnoscit, quod illi qui nollent esse in Christo, eos eiicerent, qui non poterant esse sine Christo. Habuisse autem eos zelum, sed non secundum scientiam. Pœnæ enim magnitudo non consistebat in eo, quod improborum societate seiungeretur, sed quod tanquam impii, omnium odio digni, omnium alloquio indigni, ab illis qui se Dei populũ iactabant arcerẽtur.

Lutheri scrupulus.

§. 6. Lutherus in expositione horum verborum anxie disputat de sua excommunicatione. [Nam Catholicos habere dicit baptisma, sacramenta Scripturam, ab Apostolis, in eorum sedere cathedra, si hic Deus non est, vbi erit.] Hoc argumentum ait esse, quod supra modum illis difficile sit capere, & eloqui.] Imo sibi difficile esse soluere, & refutare: præsertim cum tam multa illis concedenda sint. Verum esse, in papatu esse verbum Dei, munus apostolicum, suos ab illis scripturam, baptismum, sacramenta, concionandi potestatem ab illis accepisse. Quid alioqui de illis, *inquit*, sciremus? Quocirca oportet & fidem, & Ecclesiam Christi, Christum & Spiritum sanctum cum illis esse. Quid igitur facio, cum discipulus contra magistros concionor. Hic eiusmodi cogitationes in animum faciunt impetum. Nunc errasse me video. Vtinam ne verbo quidem vnquam cõcionatus essem. Quis enim audeat Ecclesiæ aduersari, à qua fidẽ accepimus? Credo sanctam Christianam Ecclesiam. Hanc etiam in Papatu inuenio. Quare necessario consequitur si eam condemnem, me summa in excommunicatione esse, abiectum, & à Deo, omnibusq; sanctis damnatũ esse.]

Consolatio improba Lutheri.

His cogitationibus subinde Deus pulsabat obduratum pectus. Quid vero ad hæc respondit? Ieremiæ se exemplo tuetur, & Apostolorum. Ieremias solus contra Israelem prophetabat, Apostoli è Synagoga eiiciuntur: non esse illam veram Ecclesiam à qua eiectus sit.

Malim Ecclesia non tollunt Ecclesiam.

§. 7. Verum quamuis illa argumenta emendationem impedierunt, non tamen animum tranquillum reddiderunt, nec sane potuerunt. Quid enim exemplum Ieremiæ ad Lutherum? Ieremias sanctificatus est in vtero, à Deo nominatim missus est, & quidẽ deprecatus multum tam magnam Prouinciam iussus est obire exitium prædixit mores impios corrigere conatus est: Dogmata fidei, quæ tum Ecclesia illa tenebat non mutauit. Lutherus nunquam Dei se voce missum dicere ausus est. Arrogantia, licentia, libido eum à societate Ecclesiæ remouit. Apostolorum facta eum omnino conuincunt, eiecti sunt à Synagoga, cum iam in ipsis Apostolis & Christianis esset Ecclesia, ab illa Synagoga, quam desituram leges ipsius, quibus constituta fuit, prædixerunt. Fidem suam sanctitate vitæ, & miraculis probarunt. *At Ecclesia Catholica non est vera Ecclesia, non enim omnes Israëlitæ, sunt filij Israel.* Quid hoc ad rem? sint multi sane in Ecclesia reprobi, an ideo Ecclesia non est vera Ecclesia? an ideo potestatẽ non habet hæreticos eiiciendi? In republica maior fere pars est malorum, nec illa tamen ius suum amittit. Quod si illa sequimur Hussiana errata, nulli Ecclesiæ ius excommunicandi relictum est; nulla est, quæ non habeat malos, ac reprobos, vna sola quæ habet bonos. Nam in Ecclesia impiorum iusti esse non possunt. Si vera illa Ecclesia fuit, à qua verbum Dei, baptismum, concionandi munus accepit, vera etiam fuit, cum errantem excommunicauit. Quem enim verum imperatorem accipiendo donatiuo miles agnoscit, etiam delicta castigantem ferat necesse est. Ecclesiæ verbum Dei tenenti, tradenti, explicanti credidit, sacramenta, & cathedram porrigentem agnouit, Et sane credere, & agnoscere debuit. Nisi enim illi crederet, nulla erat alia cui posset credere. Si credẽdi necessitas audienti & accipiẽti imposita fuit, ẽt Ecclesiæ fidei inconcussa veritas cõcessa est, qua nõ falleretur. Nõ n. illi quę fallit, credere nos Deus iubet, sed ei quæ est columna, & firmamentum veritatis. Par autem Ecclesiæ in fidei & morum doctrina auctoritas. Cum ergo crediderit discens docenti, & necessario crediderit, credere etiam debet errans corrigenti. Nam eadem prorsus Ecclesiæ potestas, quâ veritatem ostendit, & firmat, & qua errores manifestat, & dissoluit, quaque contumaces errorum propugnatores à consortio fidelium abscindit. In Ecclesia enim illa iam olim coniuncta, fuere. *Cogimur*, inquit Tertullianus apolog. cap. 39. *Ad diuinarum litterarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina. nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu: summumque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis & conuentus & omnis sancti commercij relegetur.*

Ecclesiæ non fallit.

Vide Cyprianum Epist. 55. & 72. Proteruus autem

filius est, qui matrem agnoscit alentem, abnegat corrigentem, quasi non eiusdem sit, & vitam tueri, & mores formare. Bona docere, mala docere. probare honesta sectantem, exorbitantem frenare, & coercere.

§.7. Non dispar Caluini causa. *Anathemata Papæ negligenda: excommunicationem tamen in Ecclesia retinendam persuadere conatur.* Quâ quidem in re bis fallitur. *Excommunicatio Caluiniana.* Nam & Pontifici ius est in omes suas, vt pascat, & exitiosas contagione aliquâ remoueat: vt Caluino nullũ ius est alios excommunicandi, cum ille in nulla sit Ecclesia, nisi quam sibi ipse fecit. Cur sit enim sicut Ethnicus & publicanus, si quis Caluini Ecclesiam non audierit falsa docentem. Clemens l.7. Stromatũ, Eos qui à vetere Ecclesia recedunt pios, & viros Dei desinere esse docet, sicut illi quos Circe mutabat in corpora beluarum homines esse desierunt. Nam verissime docet. Δι' αἰτῶν τῶν γραφῶν ὅλων ἡνίκα δοκιμαστέον, ὅπως μὴ ἀπεσφάλησαν αἱ αἱρέσεις, ὅπως ἡ ἐν μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ, ἢ τῇ ἀρχαίᾳ ἐκκλησίᾳ ἡ τ' ἀκριβεστάτη γνῶσις, καὶ ἡ τῶν ὅλων αἵρεσις ἄφεσις. *Ex ipsis*, inquit, *Scripturis necesse est vt clarissime discamus, quomodo hæreses aberrarint, & in sola veritate, & veteri Ecclesia cognitio sit exactissima, & reuera optima secta*: Ea est in illis, qui Caluinismi succo & colore sunt imbuti, mutatio.

Vnde vero ius illud veteri Ecclesiæ aufers, & nouæ transcribis? nonne idem omnes sectæ faciunt, vt iam diabolo etiam suæ sint excommunicationes? Pontificiorum ius illud iam olim concessum est; cum pastor à Domino constitutus est totius Ecclesiæ ad eum toto orbe appellatur, ab eo non appellabatur. Constitutio Sardicensis Concilii est. c.4. Præscriptionem ergo habet illa Ecclesia, vt hæreticos excommunicet, potestatem nullam excommunicandi habet Caluinus, aut Beza: nec modo nos eos legitimos pastores negamus, verum etiam ipsi in Anglia faciunt Episcopi & presbyteri, quos tamen collegas existimant.

§.8. Cum vero Christus tot suis monitionibus apostolos instruat, ne scandalizarentur, quis nostrum est, qui securum se à scandalo præsumere audeat? & Caluinus tamen arbitratur; *minime fuisse periculum, ne quis à recto cursu auertatur, modo infixa admonitiones hæreant.* At si illæ excidant? excidere sane possunt: ac proinde scandalizari poterunt. Quid autem opus tam frequenter inculcare, si semel dicta non possant excidere.

§.9. A calumniis & contumeliis ad crudelitatem proceditur, non quamuis, non vsitatam sæuitiem, sed inauditam: vt existiment obsequium se præstare Deo: Græcè λατρείαν προσφέρειν, *quasi sacrificium offerre*. Tam carum Deo opus esse Christianos occidere, quam gratum Deo sit sacrificium. *Sæuities in Christianos.* vide de latreia Deuter. 13.9. & 17.25. Zach. 13.3. Quod dicitur ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, *sed venit hora*. Theophyl. Leont. sed ponit pro *etiam*, aut, vt alii pro οὖν, ὄν. *Quia enim*. Itaq; sensus, è synagogis vos eiicient, *quinetiam venit hora*, vt existiment se obsequium præstare Deo, si vos occidant. Cultum religionis & sacrificium esse arbitrabuntur. & totam crudelitatem pietati imputabunt. Syrus de sacrificio interpretatus est: קורבנא מיקרב לאלהא *Corbenam offerre Deo*, seu *facere appropinquare Deo*. Quanto odio orthodoxos hæretici, & Christianos Gentiles persecuti sint, omnium temporum historia edocuit. Et nunc quoq; & Patrum memoria nimium acta Germaniæ demonstrarunt. Proponam vetus exemplum vnum è millibus, quod mutatis nominibus in Caluinianos ita conuenit, vt iam non historia, sed Prophetia videri possit orat. 3. *Vt enim edicta eius, (Iuliani) preteream quæ aduersus ades sacras, tum publicè proponebantur, tum priuatim explebantur, & votiuorum donorum ac pecuniarum expilationem, non magis ab impietate quàm ab auaritia manantem, & sacrorum vasculorum, quæ prophanis manibus petulanter & contumeliosè tractabantur, direptionem, vt etiam sacerdotes & subditos, quæ pro his rebus abstrahebantur, acerbissimeq; torquebantur, & columnas cruoris plenas, horum manibus atq; complexu dum virgis caderentur, per orbem cinctas, vt etiam sagittarios per regiones & vrbes discurrentes, atq; ipso etiam qui hæc imperabat, acriores & crudeliores (quo nos videliçet cum Persis & Scythis aliisq; Barbaris in ditionem suam atq; imperium redigerent) vt hæc, inquam, omnia prætermittam, eccui tandem Alexandrinorum crudelitas ignota est, qui præter multa alia, quæ aduersus nos designarunt, temporis licentia immoderate abutentes plebs etiam alioqui seditiosa & furiosa, hunc quoq; impietatibus suis cumulum addidisse referuntur, vt sacrosanctum templum nostrum duplici cruore, hoc est victimarum, & hominum imbuerent, idq; Imperatorij cuiusdam Philosophi ductu atq; auspicijs perpetrasse (Pythiodorus is erat) ab his tantum rebus nominis famam consecuti? Eccui Heliopolitarum concursio incognita est? eccui Græcorum, (qui apud eum in admiratione & honore erant: propterea quod ipsius magnificentiam probe persentiebant) effrænis audacia? Eccui Arethusiorũ furor, qui cum prius obscuri atq; ignobiles essent, ab eo tempore perquam etiam nobiles ac celebres fuerunt? Nec enim præclara duntaxat actio celebritatem hominum parit: sed etiam improbitas prauorũ hominum gloriam sperans. Illi enim, (vt vnum ex multis commemorem, quod etiam Atheis horrorem incutere queat) Virgines castas, & mundo sublimiores, quæq; vix etiam viris in conspectum venerant, in medium productas, vestibusq; nudatas (vt per aspectum contumeliam ipsis prius inferrent) ac postea prosciss as atque dissectas (ô Christe, quomodo tuam illius temporis patientiam feram?) partim propriis etiam dentibus comminutas ediisse, atque, vt eorum execrandum furorem dicebat, crudo hepatibus sese ingurgitasse feruntur, ac cibo illo perfunctos, communem & vsitatum admisisse: partim palpitantibus adhuc visceribus suillum pabulum inseruisse, ferocissimisq; porcis immissis hoc spectaculum obiecisse, vt simul cum hordeo carnes laniare atq; exedi perspicerent, mixtum alimentum, ac tum primum conspectum & auditum: quo sanè is solum damones suos alere merebatur, qui horum scelerum architectus erat: quemadmodum etiam, vt par erat, & sanguine illo & vulnere aluit, quod in præcordiis accepit: etiamsi miseri homines ad res huiusmodi sensu careant, ac præ impietate, ne mentis quidem sint compotes.*

Veterum crudelitas.

§.10. Quod vero v.3. dicuntur id facturi, quinon nouerunt, neq; Christum, neq; Patrem, non dicitur ad impiorum excusationem, sed vt Apostoli fidentius contra eos insurgant, docere, ac corrigere pergant. Crassa enim & affectata ignorantia fuit, quæ ipsa peccatum erat, qua etiam Deo illudere tentabant: itaque odium, reprehensione irritatũ, furor, cœcitus omnia præcipitabant. Non aliam agendi rationem hæretici tenent, prætextum omnium furorum faciunt pietatẽ. *Furor hæreticorum cœcus.* Nõ omniũ vna est ratio, seductis ignosci potest, seductores veniam non merentur. Tenenda lex quam habet orat. 21. Nazianz. *Non quemadmodum Leonum cæterorumq; animantium non iidem sunt motus atq; impetus, nec virorum ac mulierum, nec senum ac iuuenum; verum & ætatũ & generum haud exiguum discrimen est: sic nec præfectorum & subditorum. Nam plebeis hominibus, qui per errorem id admiserint, ignoscendum fortasse fuerit, quibus illud plerumq; saluti est, quòd animum à curiosa exploratione alienum habent. At Doctori quo tandem modo idem concedemus, qui aliorum etiã insciticias emendat, nisi id falso sibi nomen arroget. Nam cum Romanorum legem nemini, quamlibet rustico & indocto, ignorare liceat, nec lex vllà extet, quæ crimini bus per ignorantiam commissis opem ferat: nonnè absurdum est, salutis Doctores & Antistites salutis principia nescire, etiamsi aliquando simpliciores sint hebetioriq; animo? Verùm his sanè ignoscatur, qui impij dogmatibus per ignorationem assensum præbuerunt. Quid autẽ de aliis dixeris qui etiam ingenij laudem sibi vendicantes, ob eas tamen, quas commemorauimus causas, hæreticis rerum potentibus manus dederunt, & cum pietatis personam diuturnio tempore tanquam per ludam gessissent, simul & aliquid apparuit,*

uit, quo conuinci atque coargui possent, protinus corruerunt?

Hæc omnia maiore furore faciunt nostri Sectarii. Non enim excusari possunt, qui vt exosos redderent Catholicos, eos concionibus, calumniis, famosis libellis, ita depinxerunt, vt si quis omnia consideret, facile deprehensurus, plura, grauiora, & quidem notorie falsa contra Catholicos confinxisse iam à centum annis, quam totis reliquis mundi ætatibus, quibus contra hæreses fides luctata est.

VERSVS 4.

Sed hæc locutus sum vobis vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis, &c.

QVÆSTIO I.

An à principio non dixerit?

§. 1. COntrouersa sunt verba Christi. Nam siue de Spiritu sancto dando, siue de tribulationib. intelligantur, non apparet, quomodo non ante dixerit. De Spiritus sancti aduentu Auguſt. Beda, Rupert. interpretantur. De Spiritu sancto dando mentio est. c. 2. & 3. v. 5. & 6. & c. 4. 38. & v. 13. & c. 7. 39. Verum persecutiones etiam sæpenumero prædixit. mittam tanquam oues in medio luporum: itaque variæ sunt expositiones.

Ab initio non dixit.

Chrysostomus, Cyrillus, ac pleriq; de afflictionib. hoc est, præsenti materia intelligunt, atq; etiã Euthymius. Quidam de tanto odio non dixisse, vt morte eorum sacrificium iudicarent. Alii de persecutione quidem mentionem factam, non de morte. Nonnulli de gentium non Iudæorum persecutione ante locutum. Mihi contra illas interpretationes disputare necessarium non puto: Probabilis illa est, quâ dicitur ab initio Christum illis non dixisse, cum colligeret discipulos, sed in medio cursu, cum iam fortiores essent. Quamuis autem narrationem Matthæus habeat ante vincula Ioannis recensita, & legationem, Lucas tamẽ postponit; nec sane initio discipulos ad prædicandum misit, sed postquam ab ipso satis ad docendos alios instructi essent. Hoc obstare videtur, quod ideo non dixisse asserit, *quia cum illo erat.* quod ad secundum, & tertium annum etiam extendi potest.

Respondendum mihi videtur, dixisse quidem de illis quæ euentura erant, vt ex Matthæo, & Luca constat: verum non eo modo, quo hoc loco, & quamuis totum dixerit, id tamen quod formidolosissimũ erat Apostolis non est intellectum. Duo nunciant, quæ illis denunciat, suum abitum, & discipulorum tristitiã, persecutiones post abitum, hoc vero erat, quod in malis tristissimum videbatur, abeunte Domino, se mundi dubriis, suppliciisque relinqui: cum ante moneret fore vt eos mundus persequeretur, discipuli, qui de eius morte nihil tum conceperant, non æstimabant illa omnia, quibus præsente Domino nihil triste videbatur, quod ad eum refugium sibi paratum viderent, qui se læsos facile sanari, occisos resuscitari posse viderent. At nunc duo illa coniungit, & se in mortem traditum iri, & eos odio omnium, iniuriisque obnoxios fore. Hortatur tamen ne animum despondeant: non relinquendos orphanos, sed Spiritu sancto corroborandos. Quamuis autẽ de morte Domini audierãt, & suis aduersitatibus, nunquã tamen illa apertè Domino coniunxerat, ne nimia tristitia absorberentur.

Prænunciat & suum abitum & persecutiones.

§. 2. Cur autem non dixerit, causam reddit: *Quia vobiscum eram.* Quia vobis nulla acerbior erat oratio, quam de meo abscessu, tanquam filios nuptiarum, cum essem sponsus, nolui vos contristare. Nunc vero omnia dicenda sunt, ne cum venerint scandalizemini. Dicenda etiam posteris vestris, ne alia conditione mihi seruituros arbitrentur, quam vt crucem tollant, & sequantur me: & quamuis aspectabilem præsentiam non habeant, vti vos nunc habuistis, Spiritu tamen eodem firmentur. Optime Theophyl. Διὸ οὐκ εἶπεν ὅσα ἂν αἰτήσητε, παρακαλέσω τὸν πατέρα, καὶ ποιήσει, ἀλλ' ἐγὼ ποιήσω, ἵνα οἰκείαν ἐξουσίαν δηλῶν, ἵνα δοξασθῇ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ. ὅταν γὰρ φανῇ ὁ υἱὸς μεγάλα διὰ ἀμῶν, τότε δοξάζεται ὁ ποιῶν μόνον γενναίως. ὅσα δὲ ἀνηλωθέντα τοῦ πατρὸς δόξης. ἐν τῷ ὀνόματί μου ἐκεῖνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐφάνοντο τὰ σημεῖα, ὅπερ τῶν σημείων ὀλίγῳ τῷ λόγῳ τῶν ὅπου φάλων, καὶ λοιπὸν εἰς θεογνωσίαν ἐρχόμενοι, ἐπιγνωσκον τὸν πατέρα, καὶ ἔτως ἐδοξάζετο ἐν τῷ υἱῷ. Noua igitur nunc sorte viuendum est; Nuptiæ transierunt, ad certamen vos accingite, finiti sunt dies Alcedonii, iam venti & fluctus omnia turbabunt.

§. 3. Temere hic Bullingerus argutatur, ex eo quod dicit: Vobiscum eram, sequi postea cum illis non futurum; atq; ex eo demum in sacramento Eucharistiæ non esse concludit. At Christus hoc loco non de quatis absentia loquitur, sed ea quæ familiarem cum illis congressum, & aspectum auferret. De Sacramentali præsentia nulla est mentio: Eâ se ad futurum promisit, cum corpus suum illis, dedit & sanguinem, iussis, vt idem etiam illi facerent, vt in Matthæo docui cap. 26. Quæ vero relicta nobis sit Christi præsentia, omnes docent veteres. Iustinus Dialogo cum Triphone. *Diaconi dant vnicuiq; adstantium communionem panis consecrati, & vini aqua mixti. Non enim vt communem panem, neq; vt communem potum ista sumimus. sed quomodo per verbum Dei incarnatus Iesus Christus Seruator noster, carnem & sanguinem pro salute nostra habuit. Ita & cibum benedictum per orationem verbi Dei ab ipso, ex quo cibo caro & sanguis per mutationem alitur, carnem & sanguinem illius Christi incarnati esse docti sumus.*

Et Eusebius Emyssemus hom. de Paschate quomodo non sit nobiscum, & quomodo nobiscum maneat verbis disertis exponit. *Et ideo quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat vt nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysteriũ quod semel offerebatur in pretiũ vt quia quotidiana & indefessa currebat pro hominũ salute redemptio perpetua esset etiam redemptionis oblatio & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia: verè vnica & perfecta hostia, fide æstimanda non specie nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Vnde meritò cœlestis confirmat authoritas: Quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit dicens: Accipite, & edite, hoc est enim corpus meum, & sanct sticatione repetita accipite & bibite, hic est sanguis meus: Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt, excelsa cœlorum & profunda fluctuum, vasta terrarum pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi præcipit virtus, & seruit effectus.*

VERSVS 5. & 6.

QVÆSTIO I.

Cur dicat neminem rogare quo vadat?

§. 1. MIrum etiam hoc videri posset, cur dicat neminem rogare quo iret. Cum tamen & viã nescire se profiterentur, & sequi paratos ostenderent, atq; adeo scire se cupere ostenderent, quo esset iturus. Quidam reprehendi eos existimant, quod non rogarent; idq; tribus modis, vel quod mœrore impediti nõ quærerent, quæ ad salutem erant, necessaria. Vel quod non instarent, vrgerentque, vt explicatè omnia cognoscerent. Vel quod cum ante rogassent, quasi secu-

secuturi, nunc cum ad rem ventū est, taceant, quasi fugituri. Augustinus ait, non rogare, quia sciunt. Sciebant, quidem: dixerat enim se ire ad Patrem, sed vterius quærendum erat, vt tristitiam animo eiicerent. Proficiscebatur ille ad Patrem, ad capessendum summum imperium, dominaturus creaturæ vniuersæ, de hac re, seu de conditione qua proficiscebatur, quærere oportebat. Solent eorum ministri, qui ad regna ex humili fortuna euehuntur sibi gratulari, & maiestatem dominorum non vanesua incrementa existimare, cum ergo Christus exuta mortalitate æternum totius vniuersi imperium accepturus esset, magna alacritate, & fiducia triumphos imperatoris prosequi primos militum, Apostolos oportebat, nec causas mœroris fingere, sed plura à regnante exspectare. Atque nos saltem cum res friuolæ turbant, eo animos attollamus, vbi verum est solatium, verum bonum: & non vbi simus, sed quo migremus, nobiscum quotidie pensemus, nec tristitia impleret cor nostrum, nec lætitia exinaniret, nec spe, nec metu miseram vitam diuideremus.

VERSVS 7.

Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam, Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

QVÆSTIO I.

Cur Christo manente paracletus non erat venturus?

§.1. IN confesso est potuisse Spiritum sanctum etiam Christo manente venire, atque omnibus donis ornare Apostolos, qui iam ante B. Virginem gratia impleuerat. Itaq; non est hic quærendum quid fieri potuerit, omnia enim Deo erant possibilia. Nec dicendum est, potuisse quidem, sed non decuisse, neq; apparet cur indecorum fuerit, Apostolos & discipulos Christi viuentis tales fuisse, signis, virtutibus, sermone, constantia quales post Spiritum sanctum mundo apparuerunt Rupertus respondet. Non futurum fuisse paracletum, seu consolatorem, non enim Christo non abeunte tristitia discipulos oppressisset, quocirca nec consolator fuisset necessarius. Verum etiam Christo præsente, si aduersa contingerent consolatione opus habebant. Alii alias adducunt causas. vera est, decretum Dei; statuerat, enim post Christi ascensionem mittere Sp. sanctū, vt doceret ūr homines, quanta eius illius maiestas, qui post morte tam magna operaretur.

§.2. *Expedit*, inquit, *vt ego vadam*. Recte Chrysostom. hic Macedonianos refutat. *Quid hic dicunt, qui veram de Spiritu sancto sententiam non habent? An expedit abire Dominum, vt veniat seruus?* & ex Chrysostomo, Theophylactus eodem modo argumentatur. Et Spiritus sancti diuinitatem demōstrat, ne minor videatur, quia posterior venit. Vterq; ex S. Athanasio sumpsit qui libello contra omnes hæreses sic interpretatur. Ἰδὲ τὸ πνεῦμα ἐν τῇ ἀληθείᾳ, ἡ ἀλήθεια ἐν τῷ πατρὶ, ἰδοὺ ἡ τριὰς ἀδιαίρετος, τὸ τρίπλοκον σχοινίον, ἐν ᾧ τὰ δράγματα σφίγγοντες, προσφέρομεν τῷ πατρὶ, *ideſt*: Ecce Spiritus in veritate, & veritas in Patre, ecce Trinitas indiuidua, & funiculus triplex, in quo manipulos constringendo offerimus patri.

Spiritus sanctus Deus.

Quin etiam ex eo quo Id dicit, mittam: Chrysostomus Christi diuinitatem demonstrat. *Quomodo enim qui vbiq; est mittitur? præterea & personarum differentiam ostendit, cum duas ponit: & cum ita inseparabiliter se habeant, vt Spiritum complectantur & colant, suadet. Poterat & ipse hoc facere, sed propterea Spiritum miraculis clarere permisit, vt eius intelligerent dignitatem. Sicut enim Pater quæ sunt producere potuit, filius autem ea facere dicitur, vt eius potentiam intelligamus: ita & hoc: Et ideo ipse carnem accepit, Spiritui operationem reseruauit: & ita his silentium imposuit, qui in ea rabilis benignitatis materiam in impietatis argumentum accipiunt. Cum enim dicant propterea filium incarnatum, quoniam inferior erat Patre: dicemus ad illos: Quid de Spiritu dicetis? Non accepit carnem, neq; propterea ipsum filio maiorem asseretis. Ideo in baptismate Trinitatis accipitur. Etenim Pater totum facere potest, & filius & Spiritus sanctus, sed cum nemo de Patre, sed de filio & Spiritu dubitaret, in initiatione accipitur, vt in communione Societatis illorum arcanorum bonorum, & dignitatis communicationem intelligamus.*

VERSVS 8.9.

Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem: quia non credunt in me.

QVÆSTIO I.

Quomodo mundum arguet de peccato?

§.1. LOci huius obscuritatem peperisse varias interpretationes etiam hæretici fatentur, in primis Caluinus, tantum igitur abest, vt tota Scriptura plana sit, & aperta, vt etiam hodie post innumeras interpretum volumina de sensu eius disputetur. Diuini Spiritus efficaciam, & dominatum ostendit, quamuis enim Apostoli mundo exosi sint futuri, atq; extrema passuri, in medijs tamen persecutionibus Spiritus adiutorio mundum vincent, & reum ad Dei tribunal statuent. Non ergo impune habebunt contumaciam homines impij, qua contra Dei seruos proterunt, & quamuis inuisa sit illis veritas, errorum & scelerum incorrupta expultrix, excellentiam tamen præconum testabitur, qui Dominos & tyrannos quorum sub ictu stant, conuincent, & arguent. Spiritus enim sanctus arcana virtute eos instruet, & roborabit, vt aut predicatione persuadeant veritatem Euangelij, aut qui conuicti nolue rint, ita conuincantur, vt ratione nihil aduersum eos valeant, atque ea ratione iurisdictionem quandam in mundum vniuersum exercebunt, tanquam legati à Deo cum potestate missi.

Argumt docendo, conuincendo.

§.2. Arguere, ἐλέγχειν, non est modo comprehendere, sed demonstrare, verbis aut re conuincere, 1. Cor. 14. *arguitur ab omnibus*. Sic Theodor. Peluſiota Ep. 366. εἰδὲ ἐλεγχόμενος εἰς ἀναισχυντίαν τραπείη, si postquam conuictus es ad impudentiam conuersus fuerit. Solent, nim impij, cum ratione & argumentis se constrictos animaduertūt, ad calumniandi, aut perspicua negandi impudentiā prolabi. Sic etiam interpretatur, Theophyl. Δείξει αὐτὸς ἁμαρτωλὸς, ostendet ipsos peccatores. Syrus ܢܒܣܝܬܗ *Nachsiuhi*, *increpabit*, vel, arguet, à verbo ܒܣ vel ܒܪܣ *Cas*, vel *cus*. quod tamen non solam in correptionem, sed blandum etiam colloquium significat. Hoc igitur munus est Sp. sancti mundo demonstrare peccatum, quod odiosissimum est, & periculosissimū. Nam conuitium toti mundo, aut humano generi facere, eius esse videtur, qui omnes oderit, aut contemnat. At Spiritus ideo facit, non vt contumelia vexet, sed vt miseri delicta cognoscentes, & fatentes, remissionem accipiant. Arguet ergo mundum de peccato, inquit Chrysostomus, πάσαν ἀπολογίαν αὐτῶν ἀνελεῖ, ἐκ δείξει πᾶσιν ἐμεμελημένον ἀσυγγνώστως, *Omnē eorū excusationē abscindet, & ostendet non ignoscenda patrasse.*

Arguere.

§.3. Mundum non eodem modo interpretantur, quidam reprobos & impios tantummodo, alii omnes intel-

intelliguht etiam electos, etiam regenitos. Controuersiam illã satis ipsa Scriptura decidit. Deinde arguit de peccato, quia non crediderunt in eum. Infidelitas improborum est, igitur & eorum est redargutio. Non tamen negandum etiam renatis Spiritum sanctũ sua ostendere peccata, tam ea, quæ olim antequam renascerentur, habuerunt, quam illa quę quotidie infirmitate carnis admittunt: sed Spiritus hic mundum seu vt Syrus habet עלמא sæculum conuincit, quod Apostolis obsistebat, de fidelibus peccata sua agnoscentibus & deflentibus non agitur: illos enim consolatur, non arguit, eo modo quo mundum in omnem illos veritatem deducit.

Mundus infideles hic significat.

§. 4. *Arguet de peccato.* Lutherus Spiritum sanctum ait mundum arguere de illo peccato, quod non nouit mundus esse peccatum. Nam alia peccata quæ nouit mundus esse peccata, multi non commiserunt, hæc autem redargutio ad omnes pertinet. Cruciger infidus Lutheri socius in comment: huius loci. Eodem pene modo, caliginem mentis & inclinationẽ in peccata, non habita esse pro peccatis à mundo, ideo de his Spiritum sanctum arguere mundum. Caluinus docere Spiritum sanctum, sine Christo, ne vel guttam rectitudinis esse. Extra Christum regnare peccatum. Et Bucerus; Eos nihil quam peccare posse, qui non credunt. At Lucas Lossius, solam infidelitatem argui, cætera etiam peccata à lege damnari. & Aretius: Solus Spiritus sanctus ἀμαρτίαν arguet. Apparet hic magna diuersitas hæreticarum opinionum.

Diuersitas hæreticorũ.

Quidam enim vnam infidelitatem, alii omnia peccata, alii etiam illa quę verè peccata non sunt argui volunt à Spiritu sancto. Alii deniq; alia paradoxa stabilire conantur, nempe malos nihil aliud posse, quam peccare.

§. 5. Spiritus sanctus arguit mundum de omni peccato: nam ostendit omnes esse sub peccato, nisi quos gratia Christi à peccato liberauit. Incipit autem à peccato, quoniam omnes peccatores inuenit. Qui enim iusti erant, non suis viribus, aut philosophorum legibus iusti erant. Nullum igitur peccatum excipiendum est, quia nullum irreprehensum, nullum vel non expiatum, vel non punitum. Spiritus enim scrutatur corda, & renes, dicta, facta, cogitata, & horum intentiones, atq; adeo intentionum radices; ideo iustus vix saluabitur. Fidelem sanè doctorem, cui salus Ecclesiæ cordi est, non vni alteriue vitio exstirpando operam dare oportet, sed vniuersam aciem, & robur peccati opprimere. Hanc nos expositionem Apostolorũ conciones, & Epistolæ docuerunt, adeoq; sanctorum Patrum in hodiernum diem continuata ministeria. Nullum enim peccatum adeo reconditum est, ac subtile contra quod non in omnibus cathedris, ac libris Spiritus sanctus concionetur. Non igitur ad vnum peccati genus restringere oportet, quod videmus contra omne vitium fieri.

De omni peccato arguit.

§. 6. Cur igitur sola nominatur infidelitas, si omnium est redargutio? Respondeo. Eam ob causam illam nominari, quia principalis est causa, cur mundus etiam de aliis sceleribus arguatur. Si enim credetent in Christum, & fidei charitatem coniungerent, Spiritus sanctus iam deleret peccata, non argueret, redargutio enim eorum est, quæ non fatentur rei. Sic dicitur Iudex reum conuincere de crimine, cum factum negat; testes enim, & argumenta producuntur: si ipse fassus est, & ignosci petit, cessat quæsitoris industria. Sic etiam conuincitur, cum factum concedit, sed recte factum defendit; probandum enim est actori non rectè factum esse. Si quæras, cur actor arguit? cur conuincere nititur, testes tabulasq; producit?

Omnis actio reus.

Respondetur, quia reus inficiatur factum, aut legitime factum esse defendit. Non quod sola facti infitiatio, aut praua defẽsio id sit, quod actor incusat, sed quod conuictione & probatione non esset opus, si fatentem haberet reum. Ita causa ad sancti Spiritus tribunal disputatur. Mundus totus in maligno positus erat, nullum scelus tam atrox, nullum flagitiũ tam turpe erat, cuius passim non exempla cernerentur. Plerique innocentes haberi volebant, esse pauci studebant, quibusdam etiam peccatis virtutum nomina imponebant, nasci se in peccatis negabant, sua se virtute, & philosophia iustos esse iactabant, in Christũ credere nolebant. Hic se magna vi Spiritus sanctus opponit, & omnium ac singulorum mundum conuincit, teste lege Dei, voce naturæ, ac cuiusq; conscientia vsus. Tot conciones, tot miracula, tot adhibet disputationes, vt arguat, & conuincat; quia non crediderunt in Christum, quod si facerent, viua fide, iam causa peracta esset, & venia etiam sceleratissimis concessa. Infidelitas igitur respondet inficiationi rei contumacis, quæ causa est laboriosæ quæstionis, & sua peruicacia rigorem legis irritat, iudicis condonare parati misericordiam inhibet, quam humilis, ingenua, & facti pœnitens confessio prouocaret. Atque hoc modo verba S. Augustini sunt intelligenda, quæ de infidelitate habet. De peccato igitur conuincitur mundus, quia in illo pertinaciter hæret, & eius infidelitas est conuersionis impedimentum. Se ipsi igitur separant, & arguuntur à Spiritu sancto. *Quemadmodum*, inquit Irenæus l. 5. c. 27. *In immenso lumine, qui excæcauerunt semetipsos, vel ab aliis excæcati sunt, semper priuati sunt iucunditate luminis: non quod lumen pœnam eis inferat cæcitatis, sed quod ipsa cæcitas superinducat eis calamitatem. Et propter hoc Dominus dicebat, qui credit in me, non iudicatur. i. e. non separatur à Deo: ad vnitus est enim per fidẽ Deo.* Qui autem non credit (*ait*) iam iudicatus est, quoniam non crediderit in nomine vnigeniti filii Dei, *id est, separauit semetipsum à Deo voluntaria sententia.* Hoc est enim iudicium, quoniam lumen venit in hunc mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Omnis enim quidem malè agit, odit lucem, & non veniet ad lumen, ne traducantur opera eius. Qui autem facit voluntatem, venit ad lumen, vt manifestentur opera eius, quoniam in Deo est operatus. *Quoniam igitur in hoc mundo quidam quidem accurrunt lumini, & per fidem vniunt se Deo, alij abstant à lumine, & separant seipsos à Deo.*

Omnis actio reus.

§. 7. Facessant igitur, qui iniurioſe contra Spiritum sanctum insurgunt, atque eius impulsu peccare se iactant; arguit ille mundum de peccato, arguere non potest, cuius ille auctor est, mundus instrumentum. An contra gladium causam agent latrones, quod hominem confoderit; aut contra falcem furtiua manus quod messem alienam desecuerit? Quomodo Zwingliani in Deum peccata sua referant alibi demonstraui.

Spiritus sanctus non se iactant; impellit ad peccata.

VERSVS 10.

De iustitia vero: quia ad Patrem vado: & iam non videbitis me.

QVÆSTIO I.

Quomodo mundum arguet de iustitia?

§. 1. DVplex est interpretatio. Prima: Spiritus sanctus mundum conuincet, de Christi iustitia; nam probabit eum iustũ fuisse: iniquo, imo infando iudicio damnatũ. Altera: Conuincet mundũ, non esse iustitiã nisi per Christum: quod Epist. ad Romanos & Galat. maxime probat Paulus. Argumentum quod id probat Spiritus sanctus est; quia vadit ad Patrem, hoc est in cœlum, paternũ regnũ possessurus: eum autem iustitia & innocentia conspicuum fuisse necesse

Christus iustitia est & sine illo non est iustitia.

est.

est. Profectum vero ad Patrem esse, multiplicia signa, quibus doctrinam Apostoli confirmabant, indubitato demonstrant. Eodem argumento etiam secunda expositio comprobatur. Ab eo enim nostra iustitia, & sanctitas manat, qui pro nobis mortuus ad Patrē abiit; qui pro nobis interpellat, & remissionem peccatorum impetrat, resurrexit propter iustificationem nostram: hoc ergo Spiritus sanctus ostendit, in alio nullo salutem nobis sperandam esse, nisi in Christo; ille enim hanc ob causam sedet ad dextram Patris, & passionis merita pro nostra redemptione exhibet. Priorem habet Chrysostomus. Conuincet inquit, ὅτι ἄληπτον παρεχόμενον βίον ἦν, τοῦτο πεπιθέναι τὸν κόσμον πρὸς τὴν πατέρα προὔβαινεν. *Conuincet inculpabilem egisse vitam, cuius indicium est, profectio ad Patrem.* Neque enim illa signa facere possunt peccatores. Theophylactus paulo aliter in parte. ὅτι ἐστέρηται τῆς δικαιοσύνης. *Demonstrabit, quod mundus iustitiâ careat.* Commodissimè vtraque expositio coniungitur.

Nam Christi ad Patrem profectio, & ipsum iustum ostendit, & ab eo vti omnium capite manare omnem iustitiam, absq; eo nullam esse necesse. Conuincet igitur Spiritus sanctus mundum de iustitia Christi quæ in illo formaliter vt loquuntur inhæret, quæque efficax est, atque in omnibus membris suis iustitiæ productrix, seu de iustitia Christi, origine & fonte iustitiæ, omnis quæ in fidelibus est.

Profectio ipsa non est iustitia.

§. 2. Iustitiam nostram esse ipsam profectionem ad Patrem multis conatur Lutherus ostendere, at totum hoc est falsissimum, nisi de causa meritoria, & efficiente, intelligatur. Eousq; vero æstu mentiendi abripitur, vt fingat de Christi iustitia nihil hactenus à Theologis cognitum esse.

Hanc quidem iustitiam, quam illi sceleratissimis à Deo imputari fingunt, omnis retro ætas non tam ignorauit, quam iam damnauit, Christi iustitiam omnes iustificantem agnouit, iustitiam peccati expultricem, animę ornamentum, donum gratię inhærens, ad opera virtutum inclinans, à vitiis seuocans. Hanc iustitiam in suis requisiuit maiorem ac meliorem iustitiâ Pharisæorum. Respondemus Lutheranis, quod Irenæus Marcioni lib. 4. cap. 2. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Quid autem erat plus? Primò quidem non tantum in Patrem, sed & in filium eius iam manifestatum credere: hic est enim, qui in communionem & vnitatem Dei hominem duxit. Post deinde non solum dicere, sed & facere. Illi enim dicebant, sed non faciebant: & non tantum abstinere à malis operibus, sed etiam à concupiscentiis eorum. Hæc autem non quasi contraria legi docebat, sed adimplens legem, & insigens iustificationes legis in nobis. Illud autem fuisset legi contrarium, si quodcumque lex vetasset fieri, idipsum discipulis suis iussisset facere. Et hoc autem quod præcepit, non solum vetitis à lege, sed etiam à concupiscentiis eorum abstinere, non contrarium est, quemadmodum diximus, neq; solentis legem, sed adimplentis, & extendentis, & dilatantis. Etenim lex quippe seruis posita, per ea quæ foris erant corporalia animam erudiebat, velut per vinculum attrahens eam, ad obedientiam præceptorum, vt disceret homo adseruire Deo. Verbum autem liberans animam, & per ipsam corpus voluntariè emundari docuit: quo facto necesse fuit auferre quidem vincula seruitutis, quibus iam homo assuuerat, & sine vinculis sequi Deum, superextendi verò decreta libertatis, & augeri subiectionem quæ est ad regem, vt non retrorsus quis renitens indignus appareat ei, qui se liberauit. Eam vero pietatem & obedientiam, quæ est erga Patrem familias, esse quidem eandem & seruis & liberis: maiorem autem fiduciam habere liberos, quoniam sit maior & glorioſior operatio libertatis, quàm ea quæ est in seruitutem obsequentia.*

Iustitia ergo Lutheri hoc loco est Christi ad Patrem profectio, ita vt nulla sit in ipsis sanctitas, qua iusti reddantur, sed nulla peccata imputentur. Tales apud Irenæum lib. 1. sunt Valentiniani. *Quapropter & immoratè omnia quæ vetantur, hi qui sunt ipsorum perfecti operantur. De quibus Scripturæ confirmant, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non hæreditabunt. Etenim idolothyta indifferenter manducant, nihil iniquinari ab ijs putantes, & in omnem diem festum Ethnicorum pro voluntate in honore eorum factum primi conueniunt, vt in nihilo quidem abstineant, quod est apud Deum, & apud homines otiosum muneris homicidiale spectaculum.* Hæc illi liberè, & sine vllo Dei timore faciebant.

Caluiniani Simoniani pares.

§. 3. Similis iactantia fiduciariorum, se, cum semel fidem receperunt, ob omni peccatorum imputatione liberos esse; Christi iustitiam esse suam. Et quemadmodum nostri sectarii à rigore legis se liberos iactitant, pari modo olim Simoniani, vt Irenæus libro 1. c. 20. *Prophetas autem à mundi fabricatoribus Angelis inspiratos dixisse Prophetias: quapropter nec vlt erius curarent eos, hi qui in eum & in Selenen eius spem habeant, & vt liberos agere quæ velint: secundùm enim ipsius gratiam saluari homines, sed non secundum operas iustas. Nec enim esse naturaliter operas iustas, sed ex accidenti quemadmodum posuerunt, qui mundum fecerunt Angeli per huiusmodi præcepta in seruitute deducentes homines. Quapropter & solus mundum & liberari eos qui sunt eius ab imperio eorum qui mundum fecerunt, repromisit.*

Illi quidem in Selenen, seu Helenam spem habebant, nostri in Christum sperare se fingunt, sed reuera ex Christo Simonem & Selenen faciunt. Cum legis rigore se exsoluros clamant, & placere Christo solo conatu bonorum operum, etsi malorum pleni sint.

VERSVS 11.

De iudicio autem: quia Princeps huius mundi iam iudicatus est.

QVÆSTIO I.

De quo iudicio conuincet mundum?

§. 1. QVorundam interpretatio est, iudicii nomine, intelligi, ordinē, & mundi compositionem atq; opponi τῇ ἀταξίᾳ, perturbationi, & rebus incompositis: excogitatum est Caluini, quod nouatoribus multis placuit, non omnibus tamen, ne ipsi quidem Bezæ. Qui de auctoritate & potestate iudicandi interpretatur, quam Christus in Ecclesia, totoque mundo exercet, de qua Matth. 28. Caluini expositio sanè displicet, dum nimium à proprietate verbi κρίσεως recedit: deinde inconcinnè adderetur, Princeps mundi iam iudicatus est, κέκριται: nec causa est, cur in eâdem sententiâ, cum sit causæ expositio, æquinocè Dominum locutum dicamus. Etsi enim dæmone iudicato & eiecto, Respublica mundi sit composita, de iudicio tamen non republicâ hic agitur. *Iudicium.*

§. 2. Conuincet igitur mundum de iudicio, quod contrà Christum ipse magnâ iniquitate pronunciauit. Illud iniustum fuisse. Iudicium etiam falsum, quo Euangelium damnat, Ecclesiam perituram arbitratur. Hoc ex eo probat, quod Princeps mundi iam iudicatus sit, & victus. Cum ergo CHRISTVS Principem ipsum mundi vicerit, iudicarit, eiecerit, prauum est mundi iudicium CHRISTVM damnantis, sanctissimum Christi Angelorum malorum Principem iudicantis. Iudicatum autem & victum mundi Principem Spiritus sanctus multis modis edocuit, dum dæmonas mundi Deos, non Apostoli modo, sed pueri etiam puellæque fugarent. Tertull. apol. cap. 23. *Si altera parte, verè Dei sunt, cur sese dæmonia mentiuntur? an vt nobis obsequantur? Iam ergo subiecta est Christianis diuini-* *Princeps mundi victus.*

diuinitas vestra, nec diuinitas deputanda est, quæ subdita est homini, & si quid ad dedecus facit æmulis suis. Si altera parte dæmones sunt vel Angeli, cur se alibi pro Dijs agere respondent? Nam sicut illi qui Dij habentur, dæmones se dicere noluissent, si veri dij essent, scilicet ne de maiestate se deponerent: Ita & isti, quos directo dæmones nostis non auderent alibi pro dijs agere, si aliqui omnino dij essent, quorum nominibus vtuntur. Vererentur enim abuti maiestate superiorum sine dubio, & timendorum: adeo nulla est diuinitas ista quam tenetis, quia si esset neque à dæmonijs affectaretur in confessione, neque à Deis negaretur. Cum ergo vtraque pars concurrit in confessionem Deos esse negans, agnoscite vnum genus esse, id est dæmonas. Verum vtrobiq; iam Deos quærite. Quos enim præsumpseratis dæmonas esse cognoscitis. Eadem vero opera nostra, ab eisdem dijs vestris non tantum hoc detegentibus, quod neq; ipsi Dei sint, neque vlli alij. Etiam illud in continenti cognoscitis, qui sit vere Deus & an ille, & an vnicus quē Christiani profitemur, & an ita credendus colendusq;, vt fides, vt disciplina posita est Christianorū. Sane per Tertullian. tum Catholicum, vt per alios clarissime gentes conuicit. In eodem apologetico verba eius sunt. *Dicent ibidem, ecquis ille Christus cum sua fabula? Si homo communis conditionis, si magus, si post mortem de sepulchro à discipulis surreptus, si nunc denique penes inferos, si non in cœlis potius, & inde venturus cum totius mundi motu, cum horrore orbis, cum planctu omnium, si non Christianorum, vt Dei virtus & Dei Spiritus, & sermo & sapientia & ratio & Dei filius. Quodcunque rideris, rideant & illi vobiscum: negent Christum omnem ab æuo animam, restituto corpore iudicaturum. Dicant hoc pro tribunali (si forte) Minoen & Radamanthum secundum consensum Platonis & poetarum hoc esse sortitos: suæ saltem ignominiæ & damnationis notam refutent. Renuntient se immundos Spiritus esse, quod vel expabulis eorum sanguine & fumo & putidis rogis pecorum, & impuratissimis linguis ipsorum vatum intelligi debuerit. Renuant ob malitiam prædamnatos se in eundem iudicij diem cū omnibus cultoribus, & operatoribus suis. Atquin omnis hæc nostra in illis damnatio & potestas de nominatione Christi valet. & de commemoratione eorum quæ sibi à Deo per arbitrum Christum imminentia expectant. Christum timentes in Deo, & Deum in Christo subijciuntur seruis Dei & Christi. Ita de contactu, deque afflatu nostro contemplatione & repræsentatione ignis illius correpti etiā de corporibus nostro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes. Credite illis cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides prona est in aduersus semetipsos confitientes, quam pro semetipsis negantes. Hæc denique testimonia Deorum vestrorum Christianos facere consueuerunt, quia plurimum illis credendo, in Christo Domino credimus. Ipsi litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostræ fidentiam ædificant. At colitis illos quod sciam etiam de sanguine Christianorum. Nollent itaque vos tam fructuosos, tam officiosos sibi amittere, vel ne à vobis quandoque Christianis fugentur, si illis sub Christiano volente vobis veritatem probare mentiri liceret.*

VERSVS 12.

Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo:

QVÆSTIO I.

Quæ illa multa, quæ portare non poterant?

§. 1. VErba clara, nec sensus ambiguus est. Multa enim habere se Christus profitetur dicenda Apostolis, sed quæ non possint portare modo, quorū nunc idonei non sint auditores, intellecturos postea cum acceperint Spiritum sanctū. Hæretici nonnulli quæ Apostoli nondum portare poterant, suas hæreses esse dicebant, vt testatur Augustinus tract. 97. *Omnes autem insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maxime horret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palam docere atq; prædicare, quantalibet feratur audacia, Spiritus erubescit immundus. Hoc Apostolus in Spiritu sancto præuidens ait: Erit enim tempus quo sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum desideria sua Magistros sibi coacernabunt prurientes auribus: & à veritate quidem auditum suum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Illa enim secreti furtiq; commemoratio qua dicitur, panes occultos libenter attingite, & aquæ furtiuæ dulcedinem: pruritum facit audientibus in auribus spiritaliter fornicantibus, sicut pruritu quodam libidinis etiam in carne corrumpitur integritas castitatis.*

Hæreticorum veterum superbia.

Id Tertullianus fecit, dum bigamiam damnat, c. 2. Hæc ille pro Montani Paracleto ex Valentinianis & Gnosticis, aliter c. 28. & 29. de præscriptionibus locutus est.

§. 2. Augustinus tractatu 97. in Ioannem fatetur illa, quæ portare non poterant, magna & sublimia fuisse, quæ vero fuerint non posse sine temeritate defiMagna quæ portā- niri. Theophylactus. *Qualem autem veritatem dicit? aut fuerunt, de omnibus cognitionem. Ipse quidem Dominus, nihil de se magnifice dixit, simul humilitatis typum exprimens, simul ob re non poaudientium imbecillitatem, & Iudæorum ignorantiam, sed nō tuerunt. palam recensuit legalium obseruationum dissolutionem. Ne omnibus videretur esse Deo contrarius. At postquam venit Spiritus sanctus, & filij maiestas manifestata est. & vera omnium cognitio eluxit, & sublatis è medio legalibus typis, & mutilibus factis, in verum cultum qui est in spiritu traducti sumus, per signa quæ in Spiritu perfecta sunt, stabilitâ fide.*

Eodem sensu etiam Irenæus disputat contra eos qui hæreticorum nouitates docuisse Spiritum sanctum volunt.

Catholicorum est vera expositio; quædam nimium sublimia mysteria eo tempore prætermisisse, quod eorum imbecillitati conuenire non posse videret, ea tamen deinde per spiritum sanctum tradidisse.

§. 3. Hæretici calumniosa & improba obiectione Catholicos omnes grauant, cui Lutherus homilia in hunc locum initium dedit. Fingit enim Catholicos ex hoc loco *traditiones, & cærimonias Ecclesiasticas probare*, quas ipse scurriliter enumerat, ostenditque eas non esse tales, quas Apostoli portare non potuerint, cum nunc eas pueri, ac mulieres capiant. Lutherum tam Caluiniani, quam Lutherani sequuntur. Bucerus præCalumniæ hæretico- sertim, qui multus in eo est, vt probet, illa quæ Spiri- rum. tui sancto reseruata sunt, cærimonias non esse. Eadem Cruciger, Musculus, Lossius, Aretius, Caluinus. Bullingerus, cuius verba adferam, tum quia posteriores fere ex eo descripserunt, tum vero, vt Calumniæ notoriæ modum formamque lector inspiciat. [Abutuntur præsenti Euangelij loco Pontificij Sophistę, hinc fulcientes omnia sua commenta, quæ vel extra, vel contra scripturæ canonem, Ecclesiæ tradiderunt obseruanda. Non omnia tradita sunt, inquiunt ab Apostolis, quia nec omnia his quoque reuelata sunt. Multa enim reseruata sunt patrum in concilijs determinationi. Vnde scriptum est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare. Atque hinc iā numerant Missarum celebrationem, Idolorum cultum, cœlibatum clericorum, Vota Monachorum. & quæ huius generis alia sunt.] Contra ista deinde disputat adeo vehementer, quasi nesciat confictam esse à se calumniam, mirumque ait, nos illa futilia capita proferre audere, & pro ijs venditare, quæ Dominus in cœna illa reuelare noluerit.

Respondeo. Quæ illa sint, quæ reseruarit Dominus nobis incognitum esse, vt etiam docet Augustinus, grauia esse & sublimia non dubitamus, nec tamē necessariū est, omnia grauissima, & difficillima intelle-

Grauia fuerunt quæ reseruauit, aut talia, quorum tunc capaces nõ erant.

ctu fuisse, duæ enim causæ erant, cur portare non possent. Prima, recondita rerũ maximarũ obscuritas, cui nõdum idonea erat ruditas Apostolorũ. Altera mœror, timor & consternatio Apostolorũ, ob discessum Domini, & imminens omnibus periculum, quo circa ne facilium rerum expositioni quidem valde attendere poterant. Verissime Augustinus docet, esse quædam quæ illi tum capere non poterant, nunc etiam Christiana plebs capere possit. *Sed quænam sunt ista*, inquit, tract. 96. *quæ ipse non dixit, temerarium est velle præsumere & dicere nam & mori pro Christo nondum erant idonei tunc Apostoli quibus dicebat, Non potestis me sequi modo. Vnde primus eorum Petrus qui hoc iam se posse præsumpserat, aliud expertus est quam putabat: & tamen postea & viri & mulieres, pueri & puellæ, iuuenes & virgines, senes cũ iuuioribus innumerabiles martyrio coronati: & posse inuentæ sunt oues, quod tunc quando ista Dominus loquebatur, nondũ poterant portare pastores. Nunquid ergo debuit illis ouibus dici in illo tentationis articulo, quo certare vsq; ad mortẽ pro veritate oportebat & pro Christi nomine vel doctrina sanguinẽ fundere: nunquid inquã debuit eis dici, Quis vestrum audeat idoneũ Martyrio se putare, cui Petrus idoneus nondũ fuerat, quando eum os ad os Dominus ipse instruebat? Sic itaq; dixerit aliquis, non debere dici populis Christianis audire cupientibus quæ sint de quib. Dominus tunc dicebat,* Ad huc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo. *Si Apostoli nondum poterant, multo minus vos potestis: quia forte sic multi possunt audire, quæ tunc nondum poterat Petrus. Sic multi possunt martyrio coronari, quod tunc nõdum poterat Petrus.* Non igitur rectè concluditur ea quæ nunc capiunt multi, & illos potuisse portare. Verũ hac in re non hæremus. Nescire nos quædam dicimus, quæ præsens Dominus docuerit, quæ Spiritui sancto reseruarit. Nam multa Apostoli cognouerunt, quæ in Euangelio nõ scribũtur.

Quæ non dixerit, in certum.

Addit Bullingerus temerarium esse definire quæ illa sint, idq; probat ex Augustino: id nos & dicimus, & operosæ ac verbosæ calumniæ negatione occurrimus. Nec Bullingerũ tamen excusare possumus, qui contra sententiam, quã probat, quæ sint illa temerariè pronunciat. *Dixit Dominus*, inquit, *plura se potuisse dicere, nõ de ijs capitibus, quæ isti numerant, sed de peccato, iustitia, atq; iudicio: eã differtationẽ, quia nec breuitas temporis, nec auditorum perturbatio admittat, dilaturum in tempus aliud, atque commodius.* Hæc Dominũ dixisse non docet scriptura, non dicit se de cęremonijs, missa, veneratione sanctorũ, votis monachorũ non dicturũ per Spiritum sanctũ, nec de peccato plura dicturũ. *Cum ille tacuerit quis nostrũ dicat, illa vel illa sunt*, inquit Augustinus. Aut si dicere audeat, vnde probat? *Quis .n. est tam vanus aut temerarius, qui cũ dixerit & vera, quibus voluerit, quæ voluerit, sine vllo testimonio diuino affirmet, ea esse quæ tunc Dominus dicere noluit?* At Bullingerus non modo definit, quæ ea sint, quæ tunc noluit, postea voluit, sed etiam quæ ea, quæ nec postea dicere noluit. De missa, cæteris q; non est iã dicendi locus, consulantur, quæ Matt. 26. dixi. Nos hoc ex loco solũ colligimus: Ante mortem suam Apostolis non esse perfectã fidei, & mysteriorũ cognitionem à Christo collatam, eam vero perfectam die pẽtecostes accepisse, cum munus Apostolicum sunt aggressi. Atq; hęc est expositio Catholicorum: Augustini, Chrysost. Theodor. Bedæ, Ruperti, Theophyl. Euthym. Maldonati, aliorũq; recentiorũ.

§. 4. Hæreticorũ quorundam opinio est. Multa illa quæ iã portare non poterant, non esse alia, quã docuit imo nec alia, quam quæ ab Euangelistis scripta sunt; Spiritum sanctũ eadẽ in memoriam reducere, & latius explicare. Ita Hunnius hunc in locũ, & Lucas Lossius. Causa cur eo redigi se patiantur est, quod alioqui dicere cogerentur non esse integrã doctrinã ab Euangelistis conscriptã, ideoq; opus esse traditionibus, & explicatione Conciliorũ, ac Pontificũ. Hos conuincit ipse Apostolus Thess. 2. 25. *Tenete traditiones.* Illa tamen nunc omitto. *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo.* Illa multa si ante docuit, si ex illis sunt, quæ in concionib. Euangelicis habentur, portare potuerunt, cũ audirent, & sanè nunc ẽt poterant. Quid vero erat necessariũ illa repetere, cũ nec ita multa essent, nec probabile Apostolos obliuioni tradidisse? Nõ igitur illa sunt, quæ audierant? Non .n. omnẽ veritatẽ audierant, sed eã, quã pro captu, & statu eorũ diuinitas reuelare decreuerat, cætera deinceps auditurũ. Non aũt omnia in Euangelio scripta esse, quæ postea Apostoli docuerũt, & scripserunt clamant libri ipsi. Quod si obscurè à Christo dicta, vt sine explanatione, quã postea Sp. S. adderet, percipi non possent, quid illis in mentẽ venit, vt scripturam, & sine interprete omnibus notissimam esse sibi imaginentur? Cur vero Christũ ita locutũ tradunt obscure suis, vt eo tẽpore, quo loquebatur, intelligi nõ posset, sed postea demũ: Neq; nobis concedunt, vt explicationẽ aliquã factæ scripturæ à patrib. quos Deus Ecclesiæ Doctores dedit, petamus? An magisteriũ Spiritus sancti cũ ipsis Apostolis sublatũ est? Consentiunt veritati manifestæ contra suos collegas ẽt ipsi hæretici. Bullingerus, quia alia quædã docuisse fatetur, atq; adeo Caluinus, qui ẽt addit: *Sp. S. à Christo acceptã sapientiã per manus tradidisse.* Nec mirũ si dicamus alriora Apostolos ignorasse, quod ẽt Caluinus dicit, cum ẽt Bucerus fateatur, *sanctos ad quædã, quæ indubitatò Dei sunt, stupere.* Nunc multa ignorabant, imo ne portare quidem poterant, postea imo perfectam scientiam acceperunt. Frustra itaque se hic iactat Rudolphus Gualteri, cum accusat nos, quasi ignorantes Apostolos dicamus: & maligne omnino Bullingerus. Hoc tempore ignorantes & tyrones dicimus, postea perfectos Ecclesiæ Doctores. Indignũ est nos ab illis reprehendi, quod Apostolis ante Christi passionem ignorantiam tribuamus, cum ipsi Christum Dominum ignorantem fuisse existiment. Brentius hom. 19. in Lucam, vt corpore ita & animo creuisse fingit, Osiander idiotam appellat. Gallasius ignorasse adeo, vt discceret more hominũ. Molinæus scientiam per gradus acquisiuisse. Quæ omnia Ariana sunt. Quod si igitur pro Apostolorum honore solliciti sunt, cur non magis pro gloria redemptoris. Cur non potius lustinum audiunt. q. 58. πεοσάπτειν τῷ χεῖ-ςῷ ἄγνοιαν ἀσεβὲς. *Ignorantiam Christo tribuere impiũ est.*

Quædam non tradidit.

Apostoli ignorantes, postea scientissimi.

§. 5. Hunnius in huius loci expositione negat opus fuisse supplemento patrũ & traditionum. *Nam omnia se tradidisse ante professus est.* Nos quoq; concedimus omnia accurate docuisse Christũ, quæ ante passionem docenda acceperat, non omnia absolute; nam multa Spiritui sancto ref ruauit, ipse Hunnius fatetur opus fuisse Spiritu sancto, qui dicta illustret, explicet, in memoriam reducat, obsignet, in omnẽ inducat veritatem, mentes eorũ aperuisse, vt non modo ipsi portare, sed alijs etiam possent annunciare, atq; hoc est, quod dicimus opus esse doctoribus, qui scripturã lectam explicent, illustrent, hoc in Ecclesia per ordinarios pastores Spiritum sanctum facere. Cur enim ipsi tam pestilentioso labore textum deprauãt, si omnia aperta sunt? Hac de re consulat Apostolorum discipulum Dionysium Areopagitam Epist. 9. ad Titũ. Multa autem illa scripta esse nemo hactenus ostendit. Et traditiones quidem aliquas antiquissimas esse admittendas ne Hunnius quidem negare in Colloquio, quo victus est, potuit. Deinde illustratio, atque explicatio qua Spiritus sanctus scripturam exponit, traditio est: quæ in Ecclesia non minus necessaria est, quam ipsa scriptura. Testem cito eum, qui scripturam, & traditionem de manibus Apostolorum accepit, Dionysium, l. de Ecclesiastica Hierarchia, quasdã traditiones ne scribi quidẽ testatur, cũ iã notæ sunt.

Opus explicatione scripturæ est.

Tam necessaria est explicatio quam scriptura, quam ipsa scriptura.

τὰς δὲ

τὰς δὲ τελεστικὰς ἁπλήστως, ἃ θεμιτὸν ἐν φανεραῖς ἀφερμηνέυειν, οὐδὲ τὸ μυστικὸν αὐτῶν ἥπτοις ἐπ' αὐτοῖς ἐνεργηκύας ἐκ θεῦ δυνάμεις ἐκ τῆ κρυφίᾳ πρὸς τὸν κοινὸν ἐξάγειν. ἀλλ' ὡς ἡ καθ' ἡμᾶς ἱερὰ παράδοσις ἔχει, τοῖς ἀνεκπομπεύτοις μήστσιν αὐτὰς ἐκμαθῶν, καὶ πρὸς θειοτέραν ἕξιν καὶ ἀναγωγὴν ἑρωπθείῳ καὶ ἐνεργείαις ἱεραῖς ὁποτελεσθείς, ὑπὸ τῆς τελεταρχικῆς ἐλλάμψεως ἀναχθῆναι πρὸς τὸν ὑπερτάτην αἰτῶν ἀπιστήμην. *Precationes autem quæ in mysteriis adhibentur, nefas est scripto interpretari, & mysticam eorum intelligentiã aut vim, quæ in eis Deo auctore, efficacitatem habet, ex adyto in publicum efferre: Sed quemadmodum à maioribus nostris traditum accepimus, cum eas doctrina quæ foras exire non debet, hauseris & ad diuiniorẽ animi constitutionem & mentis eleuationem, diuino amore, sanctisq; actionibus perfectus euaseris: diuino (Sacramenti ordinis) lumine ad summam earum scientiam deducere.* Nec opus est vt traditio patrum decreta exspectet. Simul cum scriptura datam fatetur idem Dionysius eodem libro. *Nostræ enim hierarchiæ vis omnis in verbis, quæ à Deo tradita sunt cernitur. Sanctissima autem veneratioque dignissima verba ea esse dicimus, quæ nobis à Sanctis nostris præceptoribus in sacrosanctis atq; Theologicis libris sunt prodita, quæque ab ijsdem sanctis viris institutione, quæ magis à materia abhorret, proximaq; iam quodammodo esset, ac similis cœlesti hierarchiæ, ex mente in mentem, vel corporeo illo quidem, sed quod minus materiæ est particeps, sine scripto studiorum nostrorum duces principesque didicerunt, neque hæc hierarchis scilicet Apostolis, in commune sacrificij bonum diuino numine permotis apertis intelligentijs, sed sanctis signis tradiderunt. Neque enim quiuis Sanctus est: Nec omnium est, vt ait Paulus scientia.* Vide & Maximi & Pachymerij Scholia, & manifestissime apparebit, semper traditionem χωρὶς γραφῆς ἐκτὸς, *extra scripturam, fuisse comitem scripturæ.*

VERSVS 13.

Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

QVÆSTIO I.

Quis est ille qui veniet?

§. 1. GRæce signanter, ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. *Cum venerit ille paracletus, τὸ πνεῦμα, qui est spiritus.* Nam ἐκεῖνος quod est masculinum, non potest ad πνεῦμα quod neutrum est referri. Quod Augustinus, Cyrillus, alijque notarunt. Vocatur autem Spiritus veritatis, vt per entithesin dæmoni opponatur, qui est Spiritus mendax, & pater mendacij. Nec quocunq; modo veritatis est Spiritus, sed ipse veritas creatrix est increata, fons & scaturigo veræ doctrinæ, qua mundum imbuere Apostoli debebant Ita Athan. oratione 2. contra Arianos, cum filium parẽ facit Spiritui sancto. Datur autem Christo vt Deo, à quo acceptus erat, vt homo. Monet autem Augustinus l. 4. de Trinit. c. 21. Non ideo patre minorem esse, quia missus fuerit, sed propter principij auctoritatem commendandam. Quomodo autem veniat cum sit vbique Spiritus Sanctus non est arduum cognoscere; Est enim missio personæ diuinæ ab alia processio cum habitudine & respectu alicuius effectus, qui circa eos, quibus mittitur, effici solet. Itaque nec persona quæ non producitur, mitti potest, nec ea quę producitur mitti potest, sine nouo in rebus creatis effectu; mitti enim aliqua sui mutatione non potest, cum sit omnino immutabilis, & immensa; nouo ergo modo alicubi esse dicitur, cum noua dona gratiæ confert, quia vero vt id possit habet à mittente, mitti dicitur. Itaque nec à Spiritu sancto mittitur filius, nec vlla persona à seipsa, quia filius à solo patre à quo procedit, mitti potest, & nulla persona à seipsa producitur. Quamuis autem effectus per ἰδιώματα & proprietatem vni personę tribuatur, non tamen vnius est, sed omnium; omnes enim vna essentia conueniunt. Estque omnium cum omnibus intima coniunctio & inhabitatio, quam περιχώρησιν Græci appellant. Datur autem Spiritus sanctus, non modo dona eius, vt Augustinus l. 15. *Deus enim dat Deum.* & Amb. lib. 1. c. 4. de Spiritu sancto. & c. 3. Lombard. distinct. 15.

Processio quid sit.

QVAESTIO II.

Quomodo docebit omnem veritatem?

§. 1. GRæcè est ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν ἀλήθειαν, *ducet vos in omnem veritatem.* Vetus videtur legisse διδάξει, *docebit*, Syrus habet גרברבון *nedabbarchun, ducet vos*, quod glossa interpretatur גרחון *duxit.* vtroq; modo in libris veterum legitur, & idem est sensus. Quamuis enim deducere esse videtur plus quam docere, idem tamen sensus est.

Omnem igitur veritatem Apostolos docuit, non eam modo, quæ singulis etiã idiotis necessaria est ad salutem, sed etiam eam, quæ sublimior est, sine cuius cognitione multi saluantur, qua Iudæos gentes, hæreticos erudire, & conuincere possent, vt Spiritui & sapientiæ eorũ, ne totius quidem mundi calliditas posset obsistere. Qua ex re concludimus, Ecclesiam ita regi à Spiritu sancto, vt in rebus ad salutem necessarijs non erret. Nã Spiritus sanctus non Apostolis modo, sed eorum etiam successoribus necessarius erat, vt nimirum in fallibilis certitudo dogmatũ semper apud aliquos resideret, ne deesset discere volentibus certus magister, & errantibus corrector ac ductor, cum enim scripturę sensus in varias interpretationes rapiatur, cũ minima pars eam in lingua primęua intelligere possit. Si nemo est, qui eã sine errãdi periculo explanare potest, non est Ecclesia firmamentũ & columna veritatis, in qua etsi multa multi vera doceant, & plures vbique terrarum veritatis professione glorientur, non erit tamen cui tanquã veraci fidere possit, qui ad Ecclesiã tendit, si errare omnes possunt. Vereri. n. debẽt, ne quod fieri posse norunt, reipsa fiat. Cum ergo Spiritum ductorem Ecclesiæ Christus polliceatur fore, non potest errare, nisi & Spiritum errare dicamus. Nã quantum ad res fidei pertinet, ne falsum Deum, aut falsa fide verum Deum colant Chriſtiani ad prouidẽtiam Spiritus sancti maxime pertinet. Nec in omnem veritatem ducitur, qui contra aliquem tuetur errorẽ. Ideo veritatem toties repetit scriptura, vt suspicionẽ erroris excludat. Hinc in concilijs illa sanctæ fiduciæ verba: *Visum est Spiritui sancto & nobis.*

Semper necessarius fuit Spiritus sanctus Ecclesiæ. Fallaci nemo credere tenetur.

§. 2. Apostolis datum esse Spiritum sanctũ, vt errare non possent, hæretici fatentur; magnopere enim contendunt eos post pentecostẽ omnia fidei dogmata perfectè tenuisse: itaq; percepisse veritatem, vt falsa docere non possent: In eorũ igitur doctrina certitudo fuit, seu vt vocant, infallibilitas, quã etiam discipuli agnouerunt, & tuto crediderunt, tanquã Spiritui sancto per eos loquenti, seu ipsi Christo. At vero cũ posteritati non minus consultũ Deus noluerit, quã Ecclesiæ, quæ prima ætate floruit, non deseruit eã Spiritus sanctus. Hunnius hoc loco promissionẽ primo & principaliter in Apostolis ait impletam, quos Spiritus sanctus ita in omnẽ induxit veritatẽ, vt in doctrina fidei non errarent. Deinde secundario impleri in Ecclesia vsque ad finem mundi. *Quæ quamdiu audit vocẽ pastoris, ac se baculo verbi Dei regi, ac duci patitur, tamdiu*

Non potest fallí.

in veritate inducitur, quando vero baculū è manibus, quasi dimittit, errare vtiq; potest & deficere. Illa argutia promissionē Christi nō tantū extenuat, sed prorsus elidit. Christus .n. cū promittit Apostolis eos ducendos in omnē veritatē, hoc ipsum dicit; *Eos contra verbum Dei nihil iudicaturos.* Nā sub omni veritate, etiā continetur omnis verbi Dei & scripturæ veritas. Nulla est autē eminentia promissionis, si hypotesis Hunniana locum habet, non *Errabis*, inquit, *si rectam viā teneas, non falleris si veritati obsequaris, recte ædificabis turrim, si ad normam architectonicam, si ad perpendiculū exstruas.* Apostolis promittitur cognitio omnis veritatis; Hoc est dogmatū fidei, morū, sensuum scripturæ. Nō illa conditione; *Inducet in omnē veritatem, si scripturam recte intellexeritis*, promissio .n. conditionem ipsam includit. Quod si Ecclesiæ dicitur. Non errabis, si recte scripturā intelligas, nihil singulare promittitur, nihil quo se tueatur, Spiritus largitur. Datur autem Sp. S. Apostolis, & Ecclesiæ, vt scripturam recte intelligant, atq; ad hunc finē manet in Ecclesia vsque ad finē sęculi. Quod si verum est, nō deficit Ecclesia. Ea autem firmitate manet in Ecclesia veritas, qua mansit in Apostolis: si enim veritas abijt, etiam Spiritus abscessit, nulla igitur tum erat Ecclesia. Non erat igitur iudex controuersiarū, ac proinde nec verus scripturæ sensus vspiā, qui sine Ecclesia esse nullus potest. Nec ignorat illa distinctiuncula non modo Conciliorū auctoritatē eludi. Nam contra primā synodū excipere poterant turbones illi Iudaizantes, eos recte iudicare, si Sp. S. accepissent, si ductum eius sequerentur. Idem exceperunt contra Synodum Nicenā Ariani, idem omnes sectæ faciunt, quarū auctores tantum stolidæ arrogantiæ indulserunt, vt certo statuerint, sibi datum Spiritum, à se baculum non demitti, veterem Ecclesiam lapsam esse.

Absolute Ecclesiæ promittitur veritas

Ecclesia est scripturæ custos, & interpres non Domina.

§. 3. Nec tamen Ecclesiā commendandā scripturā contēnimus, nec Ecclesiā extra scripturā cōstituimus, nec supra scripturam: sed fidelē scripturæ custodē, & interpretē agnoscimus. Neq; .n. de literarū apicib. sed de sensu scripturarū cōtrouertitur. Caluiniani corpus Christi in vno dūtaxat loco, Lutherani in omni loco esse asserunt. Nō errare se vtriq; profitētur: & ideo nō errare: quia scripturā sequātur: At illa nec in vno duntaxat loco, nec in omni loco dicet esse corpus Christi. Interpretantur itaq; diuersa scripturarū verba, vt aliqua quidē in vno loco, alia in omni esse corp° Christi velint dicere. Si quæras cur illis hoc, alijs aliud videātur? Respondēt, hoc scripturā dicere, hoc se Sp. S. auctore, & ductore intelligere. Hoc quod quisq; sibi arrogāter attribuit, Christus Apostolis, & Ecclesiæ promisit. Vide Tertullianum de præscriptionibus c. 28.

QVÆSTIO III.

An non loquatur à semetipso?

§. 1. SYrus interpretatur בין רעין נפשה *men reghian naphschech: De voluntate animæ suæ.* Nam Syrum verbum, voluntatem, beneplacitum significat. Itaque & Glossator monet esse בעוי רצה *idem quod Ratza.* Abusi sunt contra Spiritus diuinitatem illa periodo Macedoniani, & ante eos Ariani, qui interpretabantur, quasi non sua, sed aliena, hoc est Dei auctoritate tanquā minister veniret Sp. S. Sanctus Athanasius Epistola ad Serapionem hinc probat diuinitatē Sp. S. & dial. 1. de Trin. Quærit Anomœus πῶς οὖν εἴρηται περὶ τοῦ πνεύματος, ὅτι οὐ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἀκούσει, λαλήσει, ἕνεκεν τῆς αὐτῆς ἐστι φύσεως, *Quomodo ergo de spiritu dicitur quod non loquetur ex se, sed quæcunq; audiet loquetur: siquidem iustum est naturæ?* Respondet orthodoxus, & alternis locum exponunt hunc in modum.

Deitas Spiritus sancti.

Imo hoc ipsum ostendit eum quoq; mentiri non posse & eiusdem esse naturæ. Anom. Quomodo? ORTH. Quoniam quicquid factū est, siquidē sit rationis particeps, quidquid vult & ex se loquitur, quandoquidem etiā peculiari sua prædita est voluntate, cui silentiū imponit, vt Dei voluntatem ducat. At Spiritus nō ita est, sed vt Dei Spiritus, eandem habet atq; Deus ipse volun-

tatē: & hoc est. Non loquetur ex seipso. Nā & filius de se dixit, *Ex meipso nihil facio, sed vt docuit me Pater ista loquor. An igitur sermo ille Dei & illa Dei sapientia nesciebat quid loquuturæ esset? Absit vt quisquam Christianus hoc existimet: Sed ista nos docemur, vt & naturā vtriusq; eandē esse sciamus, & voluntatem quæ diuisionem nullā patitur. Sin minus Paulus quidē dicit, De virginibus non habeo mandatū, sententiam aūt edo, vt qui misericordiā sim consequutus. At Filius mandatū accipit de eo quod docturus & locuturus est, & Spiritus ex semetipso non loquitur. Anom. Spiritus vero nonne propriā & peculiarē habet voluntatem? ORT. Absit, quæ quidem Deo ex aduersorespondeat: nec .n. modo vult quæ Dei sunt, modo vero quæ suipsius: sed si quid vult Sp. S. hæc est Dei voluntas: & siquid vult Deus, hæc est spiritus voluntas.* Addit Athanasius Prophetas interdum ex seipsis loqui, vt Aaronis Matiæ, Ionæ, Dauidis exēplo demonstrat, & concludit. *Nam omnia quoq; sic condita vt ratione prædita sint, interdū sua, interdū quæ à Deo sunt loquuntur. At non ita Spiritus: nec .n. modo quæ Dei sunt, modo sua loquitur, quū ei non insit alia quapiā voluntas: (vt ne in filio quidē) sed vna sit Patris, Filij & Sp. S. voluntas. Idcirco dictū est de Spiritu, Non loquetur ex seipso: & de filio, Nihil ex meipso facio, sed sicut docuit me Pater ista loquor: non quod nesciat quidquam loqui, sed quia nō aliud vult Pater, aliud vult Filius & aliud Sp. S.* Athanas. sententiā, quā ille dial. 1. cōtra Macedonianos eisdē pene verbis repetit, & habet Aug. tract. 99. cū dixisset, in Sp. S. nō esse aliā naturā diuinitatis, aliam humanitatis, ideoq; magnā oriri difficultatē. *Ardua quæstio est,* inquit, *nimis ardua.* Respondet: *nostrā substantiā posse mutari. At diuina non potest* p. 201 *quia id quod habet est, ac per hoc non sic habet scientiam, vt aliud illi sit scientia quā sit, aliud essentia quam est, sed vtrumq; vnū est: nec vtrumq; dicendū est, quod simpliciter vnū est: sicut habet Pater vitam in semetipso, nec aliud est ipse quā vita quæ in ipso est, & dedit Filio habere vitā in semetipso, hoc est genuit filiū, qui & ipse vita esset. Sic itaq; debemus accipere quod de Sp. S. dictū est, Non .n. loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur: vt intelligamus non eū esse à semetipso. Pater quippe solus de alio non est, nam & filius de patre natus est, & Sp. S. de patre procedit. Nec ideo sane aliqua disparilitas in summa illa trinitate cogitationi occurrat humanæ. Nā & filius ei de quo natus est, & Sp. S. ei, de quo procedit æqualis est. Quid aūt illic intersit inter procedere & nasci, & longū est quærēdo disserere, & temerariū cū disseruerīs definire quia hoc & menti vtcunq; cōprehendere, & si quid forte mens inde comprehenderit, lingua difficillimum est explicare, quantuslibet sit Doctor quantuslibet adsit auditor. Nō ergo loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur, ab illo audiet à quo processit. Audire illis scire est: scire vero esse sicut superius disputatum est. Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia. Ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quā scientia. Nec moueat quod verbū futuri tēporis positū est, non .n. dictum est, quæcunq; audiuit, aut quæcunq; audit sed quæcunq; audiet loquetur. Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna est scientia. In eo aūt quod sempiternū est, sine initio & sine fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur, siue præteriti, siue præsentis, siue futuri, non mendaciter ponitur.* A semetipso igitur non loquetur inquit, quia à semetipso nō est. Ne quispiā creaturā esse putaret, aut posse esse fallacē, Deū esse contestatur. Tertull. *Quæ audiet loquetur,* aliter legit. Chrysost. ēt hinc filium esse Deum probat, quia Sp. S. à filio habet, quæ loquitur, Deus aūt cū sit Sp. S. non habet à creatura quæ loquatur, sed à diuina persona à qua processit. διὰ τοῦτο καὶ οὐ τὸς εσαρκώθη τῶν πνεύματος πρῶν ἢ ἐνηνέναι, καὶ ἐμφράττων τὰ σώμματα ἢ ἢ ἰπήχησιν ἢ ἐφάπτε φιλανθρωπίας εἰς ἀφορμὴν ἀσεβείας λαμβανόντων. ὅτ' ἂν δὲ λέγωσιν, ὅτι διατοῦτο ἐσαρκώθη ὁ υἱὸς, ἐπειδὴ καθοδηγέστερον ἦν δὲ πατὴρ, ἐρῶμεν πρὸς αὐτὸς, τί οὖν ἂν εἶπεν περὶ τοῦ πνεύματος, ἐδὲ ἔλαβε σάρκα, καὶ οὐ δή που διατοῦτο μείζονα ἔχει αὐτὸ ἐρεῖ τε, οὐδὲ τὸν υἱὸν αὐτοῦ κατεδέεστερον. διατοῦτο καὶ οὐδὲ τὸ βαπτίσματος ἢ τελὰς παρελαμβάνετω. καὶ γὰρ ὁ πατὴρ, τὸ πᾶν ἐχάστοθη δώματω, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸν ἅγιον. *Et ideo ipse carnem accepit, spiritui operationem reseruauit: & ita his silentiū*

A seipso non loquitur quia à seipso non est.

Christus à Deo habet.

imposuit quū inenarrabilis benignitatis materiam in impietatis argumentum accipiunt. Cum enim dicant propterea filium incarnatū, quoniam inferior erat patre dicemus ad alios: Quid de spiritu dicetis: Non accepit carnem, neq; propterea ipsum filio maiorem asseretis. Theophylactus quoque Spiritum sanctum nihil à se dixisse, sicut Christus nihil dixit à se, existimat. Chrysostomus, ὥσπερ οὖν εἶπον ἐγώ, ταῦτα κἀκεῖνο φησὶν ἐρεῖ, οὐδὲν ἐναντίον, οὐδὲν ἴδιον ἔχων τὰ ἐμά. *Quæ ego dixi, ille & ille dicet: nihil contrarium, nihil proprium præter mea.* Non quod nihil noui, sed nihil non à Christo, hoc enim ipse explicat. ὥσπερ οὖν καὶ ἑαυτὸν λέγων, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ τοῦτο φησὶν ὅτι κάθεν ἐκτὸς τοῦ πατρὸς, οὐδὲν ἴδιον παρ' ἐκεῖνον καὶ ἀλλότριον οὕτω καὶ περὶ τοῦ πνεύματος. *Quemadmodū igitur de seipso loquens, à me ipso non loquor, hoc dicit: quod nihil sine patre, nihil proprium præter illum, & alienum, sic & de Spiritu sancto.* Quemadmodum igitur non omnia ante Pater dixerat, quæ ipse docuit, ita neque omnia ipse quæ Spiritus sanctus postea suggessit licet non aliena.

§. 2. Calumnia vera est, cum nos sectarij accusant quasi ex nobis ipsis aliqua doceamus. Ita Rudolphus Gualteri, Bullingerus, Hunnius, alijq;. Et Bullingerus quidem omnia Catholicos à seipsis loqui, quæ in sacris literis disertè expressa non sunt, quod idem etiam Caluinus oggannit. Bullingerus quidem omnia dogmata in scripturis clarissime proposita imaginatur, imo Apostolos perfidiæ accusandos si non omnia scripsissent accurate, quæ in Ecclesia sunt credenda.

Respondeo. Hæc omnia ipsos loqui à seipsis & iacere in nos calumniā παλινδρομοῦσαν, quæ in ipsos recidit. Nā nihil in Ecclesia docendū esse, quod non est in scriptura. nulla docet scriptura. Omnia disertissime ex pressa esse nusquā legimus. Ne alia quidem eorū dogmata, vt corpus Christi esse figurā corporis, credere esse simulare fidem. Homicidas & adulteros retinere Sp. S. & iustitiam. hæc aliena Christo, hæc nō à Spiritu sancto, sed à seipsis, imo à patre diabolo loquūtur.

Hæreticorū dogmata nō sunt in scriptura.

Apostoli ad prædicandum non scribendū missi.

At Apostoli cur non omnia scripserunt? Cur Christus nihil scripsit, nec viuus scribi curauit? Ad prædicandū, non scribendū omnes missi sunt, cū visum est opportunum, scripserunt. Cur vero non nisi paucis, & vt visum est hæreticis, non nisi Græce scripserunt? An Hebræis, Latinis, barbaris Euangelium inuiderunt? An ideo illarū gentiū Ecclesiæ non fuere veræ, qui verbo tradito non scripto vtebantur? At explicata est illis scriptura Græca, ita sanè: traditione ergo Euangelium didicerunt, vti illi qui legere nesciunt. Legunt Germani, & Poloni sonantes sua lingua scripturas, nec tamen scriptū est, eas esse veras scripturas, sed credunt tralatoribus. Cur non etiam & explicatoribus? Non putarunt Apostoli omnibus linguis scribendum, sed successoribus explicanda reliquerunt, & quæ scripserunt, & quæ prædicarunt.

QVÆSTIO IV.

Quæ futura annuntiabit?

Summa auctoritas Prophetarum.

§. 1. Consolatio ad hoc pertinet, vt ostendat eos fore magnæ auctoritatis, quā possint cōuincere Iudæos & gentes, atq; inter cætera promittit donū Prophetiæ. Summa aūt erat inter Iudæos auctoritas prophetarū. Nam humanæ mentis curiositas præsentium fastidiosa, futurorum auida, maximi eos æstimat, quos futura prænidere cognoscit. Futura illa quidam restringunt ad statū Ecclesiæ, & spiritalia, verum ad omnia quæ cognouerunt per Spiritum prophetiæ homines diuersi, tam Apostoli, quā alij. Lutherus negat iā opus esse miraculis, nec iā futura cognosci. Sed refellitur Christi verbis. Ecclesiæ suæ promisit Spiritū prophetiæ, τὰ ἐρχόμενα futura annuntiabit Sp. S. & tēpore Apostolorū Agabus, & filiæ Philippi prophetiā habuerunt, atq; adeo, vsq; ad nostra tempora non defuerunt, qui longe dissita, & futura prædixerint. Prophetiæ igitur donū inter cæteras notas veræ Ecclesiæ

Opus etiā nunc miraculis.

signū est, vt illa sit Ecclesia in qua Prophetæ sunt, & ea nō sit in qua nulla est futurorū presensio. Ita Io. Apoc. 19. *Testimonium Iesu est Spiritus prophetiæ.* Et Ephes. 4. ad extremum vsq; diem vt alia dona, ita etiam Spiritus prophetiæ in Ecclesia continuatur. Inter cæteros vide de his Bozium l. 6. c. 11. de signis Ecclesiæ.

VERSVS 14.

Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

QVÆSTIO I.

Quid sit quod ait Dominus, de meo accipiet?

§. 1. Ne maiorem forte Spiritum sanctum filio esse existimarent, fore ait, vt ipse Spiritū clarificet & illustret, δοξάσει glorificabit; docebit enim eius diuinitatem maximisq; miraculis cōfirmabit. Ipse quasi legatus Christi omnia præstabit, caritatem diffundet in corda fideliū. Expositio est triplex. *De meo accipiet,* hoc est ex scripturis accipiet. Deinde de meo, hoc est de mea doctrina accipiet. Tertio de meo accipiet, quia à me procedit. ita vt procedendo essentiam, ita etiam docendi munus aliaq; accipiet. Prima expositio est aliena; non enim sola scriptura vsus est, sed multa non scripta reuelauit, nondū nouum fœdus erat scriptum: sed ipse reuelauit, quæ scribenda, & quæ non scribenda fuerunt. Deinde scriptura tam Spiritus sancti quā Christi erat. Illo. n. inspirati locuti sunt prophetę quę inspiratio Spiritui sancto appropriatur. De scripturis tamen accepit, dum eas interpretatus est Apostolis, & memoriam bibliorum illis momento contulit.

De meo quid?

De scripturis accepit.

§. 2. Altera interpretatio duplici modo intelligi potest. Primo vt nihil docturus dicatur, nisi quod Christus docuit, eiusq; doctrinā in memoriā reuocaturus. Hunc sensum nonnulli hæretici frustra contra traditiones vrgent, & supra refutaui. Alius sensus verus est: nempe de mea doctrina factisq; accipiet & docebit, quæ ego docturus eram, si iā idonei esseris auditores. Chrysostomus monet, non ideo accipere, quod indigeat aliena institutione, ἐξ ὧν ἐγὼ ἔμελλον διδάσκειν ἐκ τούτων καὶ αὐτὸς ἐρεῖ *Ex quibus ego docturus eram, ex eisdem & ille loquetur.* Addit ille Spiritum plura locuturū, quā locutus sit filius, ideo filium clarificare. Non ergo à Christo abducet, sed Christum commendabit, idque de meritis Christi; nam omnis etiam gratia, quam nobis donat, de merito redemptoris donabit.

§. 3. Tertiam interpretationē magno consensu habent patres interpretes, atq; adeo etiam multi hæretici. De meo accipiet, quia à me procedit. Quia eadē mea, & illius scientia, sicut essentia. ἐκ ἐμοῦ ἤτοι σαυτοῦ καὶ κατὰ γνῶσεως inquit Chrysostomus, *Ex eodem thesauro, & diuitijs scientiæ.* Et Nazianzenus. Ex eo vtiq; quod est filius, quia & filius ex eo, quod est pater. Orat. 5. Et Theophylactus: *Glorificabit me, nam in nomine meo omnia loquetur, & faciet, & nihil contrarium dicet: vt ego propter facta per ipsum miracula Deus credar, vobis meū discipulis diuite gratiā infusa & per meam mortem nomen meū magis effulgeat. Postea cum audierunt Dominum dicentem: quod vnus nobis dux Christus est. Vt ne existimarent: quod postquā vnus magister es ipse, quomodo nobis dicū & alium fore magistrum Spiritum? subinfert: Ex meo accipiet; hoc est. Ex meo thesauro, qui est patris. Postquam enim omnia, quæ habet pater, mea sunt, & meæ diuitiæ, & Paracletus ex illis quæ patris sunt, loquetur, merito dico, Ex meo accipiet: hoc est, Thesauro, & diuitijs, & cognitione.* Quare hinc deitatem Spiritus probat: Nulla enim creatura eo modo accipere potest de illis quæ sunt Dei. Eadem est sententia Ignatij ad Ephesios, Martialis ad Burdegal. c. 10. Cyrilli Ierosolymit. catech. 17. Epiphanij. Sed eam præcipue in disputationibus cōtra Arianos Athanasius illustrauit. Maxime ad consolationem pertinebat, vt intelligerent,

Ex Christi accipit prō cedendo.

Spiritum eiusdem secum esse naturæ, atque essentiæ, atque adeo se quoque semper cum illis fore. Athanasius contra Vrbicum. *Si pater non est, sed ab eo procedit, si filius dicit: de meo accipiet, nec tamen factus est, quid tibi esse videtur?* Et oratione secunda contra Arianos. Dominum qui Sp. S. accepit, vt hominum, etiam misisse, & dedisse, καὶ μὴν αὐτὸς ὁ κύριός φησι. τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. καὶ ἐγὼ αὐτὸ ἀποστελῶ. καὶ λάβετε πνεῦμα ἅγιον τοῖς μαθηταῖς. καὶ ὅμως ἄλλοις παρέχων ὡς λόγῳ καὶ ἀπαυγασμα τοῦ πατρὸς, λέγεται νῦν ἁγιάζεσθαι. ἐπειδὴ πάλιν γέγονεν ἄνθρωπος καὶ τὸ ἁγιαζόμενον σῶμα αὐτοῦ ἐστιν. *Quin & ipse Dominus loquitur discipulis, Spiritus de meo capiet: &, Ego illum mitto: &, Accipite Sp. S. Attamen is qui alijs donat, vtpote verbū & splendor Patris, nunc dicitur sanctificari postquam homo factus est: & ipsius est corpus quod sanctificatur.* Et de communi essentia patris filij & Sp. S. probat, ὅτι ἡ τελὰς ὑφ' ἑαυτῆς δοξάζεται. *Quod Trinitas à seipsa glorificetur.* Et eodem libro communem doctrinam contra Arianos asserit, qui inter illa verba ἐξ οὗ, & δι' οὗ hanc distinctionem faciebant. attribuentes illud ἐξ οὗ, *Ex quo*, patri, at vero δι' οὗ, *per quem*, filio. *Inuenimus enim*, inquit, *in scripturis & de patre dici δι' οὗ, & de filio, ἐξ οὗ, & de Sp. S. similiter.* De filio hunc locum citat. Quin etiam illi qui de donis interpretantur, hanc tamen ὁμοουσιότητα identitatem naturæ hinc probare concedunt.

§. 4. Hinc facile refellitur, quod Theodorus Vitus obijcit. *Sp. S. nihil à seipso dicere, à Christo accipere, non igitur Papam posse à seipso legem ferre, aut dogmata præponere.* Nam ridicula consequentia est, quæ à personarum in eadem essentia coniunctione sumitur, ad leges Ecclesiasticas ferendas. Cur enim Papa nō possit, aut de moribus aliquid cōstituere, aut scripturam explicare, aut errores damnare, aut traditiones à maioribus datas tueri, idcirco, quod à patre filioq; procedat Sp. S. Ita vero locum eum etiam hæretici interpretantur. Bullingerus, de meo accipiet. *Hoc est, meæ est naturæ.* Rudolphus Gualteri, hic ait indicari Trinitatis mysteriū Strigelius; *De meo, accipiet aliquid essentiale.* Et Hunnius hūc in locū. [Octauus (locus est) de summo & ineffabili plane mysterio admirandæ illius κοινωνίας, quā in Trinitate habent, Pater, Filius, & Sp. S. Eam paucis verbis expressit Christus, inquiens, Omnia quæ habet pater mea sunt. Cū igitur omnia sint patris, & Christus probet, ideo Sp. S. de suo accipere, quia omnia patris sua sint, clarum est. Eius hanc esse argumentationem. Sp. S. accipit de eo quod est patris, omnia patris sunt filij, ergo accipit de eo quod est filij. Quod de essentia veteres & recentiores interpretantur.] Verba Hunnij sunt. [Quicquid igitur pater esse, & habere dicitur, exceptra personæ suæ singularitate, id totū filij quoq; est, cum quo æternā suam diuinitatē, essentiam, maiestatem, gloriam, & vitæ suæ plenitudinem, in vnitate essentiæ sine vlla diuisione, & distractione communem habet pater: Ita pater & filius communem quoq; habent Spiritum, qui ipse quoq; in vnitate essentiæ, cum patre filioq; viuit, regnatq; Deus benedictus in sæcula.] Hæc non ideo dico, quod si concedamus de donis sermonem esse, sequatur quod infert hæreticus. Nam quicquid Pontifex ex auctoritate docet Ecclesiam, à Christo accepit, non de suo commentus est.

Trinitatis processio non impedit leges Ecclesiasticas.

Caluini error in Trinitate.

§. 5. Quæ ēt Caluinus passim contra Sp. S. blasphemat, ex hisce confutantur, vt cū patri primū, filio secūdū, tertiū honoris gradū Sp. S. tenere docet, vt in c. 6. Io. in 26. Matt. & in confess. 6. Beza in Geneuensibus. *Essentiā diuinam realiter, & ab æterno distinctam dicit, in personis.* & Caluin. l. 1. c. 8. §. 19. 23. *Sp. S. non habere essentiam seu deitatem à patre & filio per æternam productionem, aut communicationem, sed à semetipso.* Eodem modo contra Valentinū gentilem disputat. Hinc Trinitarij in Illyrico & Dacia tres se Deos habere ex doctrina Caluini profitentur. Contra hæc Athanasius multis locis, & l. de susceptione humanæ naturæ. Si n. non habet à patre & filio eandē essentiā, aut plures Dei sunt, aut creatura est Sp. S. vt Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Sylanus, cœteriq; semiariani docuerunt. Vide & Theodoretū l. 2. fabul. hæreticarū. Basiliū contra Eunomiū. Ambrosium Hilariū, cœteros. Verū ille essentiā habere vnāquamq; personam à seipsa comminiscitur, & Patres Nicenos durius locutos, & stolidā texuisse Battologiam. In actis serueti. p. 44. At si tres essentiæ sunt. necesse est, tres esse Deos. Tres personas appellat aliquando in vna essentia residētias. Et Beza fane à Christo non accepit, quod in confess. c. 2. habet. *Scriptura sacra perspicue nos docet, hanc diuinam essentiam, in tres personas vere realiterq; distinctam nempe patrem, filium, & Sp. S.* At nusquam hoc scriptura dicit, nusquam iubet illud eradi, *Deum de Deo.* Hinc Statorio & Blandratæ tres Dei esse visi sunt.

VERSVS 15.

Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia. &c.

QVÆSTIO I.

Quomodo omnia quæ habet pater, sua dicit?

§. 1. CVm se omnia à patre accepisse sæpius sit testatus, nunc obiectioni, quę discipulorū animos pulsare poterat, occurrit, cur non dicat ēt Sp. S. accipere à patre? Responsio est. Omnia quæ habet pater mea sunt, itaq; quicquid à patre accipit, etiā à me accipit. Caluinus de donis ita interpretatur, vt de naturæ communione neget. *Alij exponunt*, inquit, *cōmune esse filio, quicquid habet pater, quatenus idē est Deus. Sed hic nontā de arcana & intrinseca, vt sic loquar, potentia disserit, quā de iniūcto sibi erga nos officio. Deniq; suas diuitias prædicat, vt nos ad fruendū inuitet: atq; inter dona, quæ per eius manū à patre accipimus Spiritum recēset.* Caluinū refutat patrū expositio imo & Zwingliani, vt Bullingerus: Omnia esse substantiæ paternæ, & esse Characterē docet. Accurate Cyrillus l. 11. c. 2. & Hilar. l. 8. de Trin. docet non esse Deū solitariū, & opes has ad essentiā pertinere, *A filio*, inquit, *igitur accipit, qui & ab eo mittitur, & à patre procedit: & interrogo vtrū idipsum sit à filio accipere, quod à patre procedere? Quod si nihil differre creditur, accipere à filio & à patre procedere certe idipsum atq; vnū existimabitur, accipere à filio, quod sit accipere à patre. Ipse. n. Dominus ait: Quoniam de meo accipiet & annūciabit vobis. Omnia quæ habet pater mea sunt, propterea dixi, de meo accipiet & annuntiabit vobis. Hoc quod accepit siue potestas, siue virtus, siue Doctrina, filius à se accipiēdū esse dixit: & rursum hoc ipsum significat: accipiendū esse à patre. Cū. n. ait: Omnia quæcunq; habet pater, sua esse, & idcirco dixisse se, de suo accipiendum esse, docet ēt à patre accipienda, à se tamen accipi: quia omnia quæ patris sunt, sua sint. Nō habet hæc vnitas diuersitatem: nec differt à quo acceptum sit quod datum à patre datum referatur à filio. Nunquid & hic voluntatis vnitas afferetur? Omnia quæ habet Pater filij sunt: & omnia quæ filij sunt, patris sunt. Ipse. n. ait: Et mea omnia tua sunt, & tua mea. Nondum loci est vt demonstrem cur ita dixerit, Quoniam de meo accipiet: futuri. n. temporis significatio est vbi accepturus ostenditur: nunc certe ideo à se accepturum ait, quia omnia patris sua essent. Dissecta naturæ huius, si potes, vnitatem: & aliquā dissimilitudinis inter necessitatem, per quam filius non sit in vnitate naturæ. A patre enim procedit Spiritus veritatis: sed à filio mittitur, & à patre. Omnia quæ patris sunt filij sunt: & idcirco quidquid accipiet à filio accipiet ille mittendus, quia filij sunt vniuersa quæ patris sunt. Natura itaque in omnibus tenet suā legem, & quod vnum ambo sunt, eiusdem in viroq; per generationem natiuitatemq; diuinitatis significatio est: cum id, quod accipiet à patre Spiritus veritatis, id filius dandum à se fateatur. Non permittenda igitur ad impiæ intelligentiæ libertatem hæretica peruersitas est vt dictum hoc Domini quod quia omnia patris sunt, sua sunt, idcirco à se accipiet Spiritus veritatis non ad vnitatem confiteatur referendum esse naturæ.* Athanasius clarissime in ipso Cōcilio Niceno disputans cōtra Arium

Omnia patrū & filij.

Arium sic verba interpretatus est: quod nobis magno esse argumento debet, ne eum sensum excludamus, quem videmus in præsentia tot sanctorum virorum contra hæreses valuisse. γινώσκων γὰρ ἑαυτὸν μὴ διεξῶσα ὅτι ὁ πατὴρ καὶ ἐγώ ἐσμεν, ἀλλ' ἡνωμένον τῇ θεότητι τῷ θεῷ πατρὶ αὐτοῦ, τῷ ἑαυτὸν προγνῶσιν ἐν τῇ τοῦ πατρὸς προγνώσει ἐσήμανεν, ὡς φησὶν, ὁ κύριος, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν, καὶ πάλιν, πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ἐμά ἐστιν. οὐχ ἕνεκεν κλεῖων ἀγαθημάτων τοῦτο ἔφη ὁ σωτὴρ, τὸ πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ἐμά ἐστιν, ἀλλ' ὅσα ἀνῆκεν τῇ θεότητι, τοῦ πατρὸς αὐτὰ ἴδια, ἔφη ὁ κύριος. οἷον τὸ ἀΐδιον, τὸ ἄφθαρτον, τὸ ἀκτίστον, τὸ ἀπερίληπτον, τὸ δυνατὸν, τὸ προγνωστικόν, καὶ ὅσα ἐστὶν ὁ πατὴρ ταῦτα ἴδια τοῦ υἱοῦ τυγχάνει. *Cognoscens enim se à patre non distingui substantiâ, sed Deo Patri Deitate vnitum, suam in Patris prouidentiâ prouidentiam significauit, vt dicit Dominus. Ego & Pater vnum sumus. Et rursum: omnia quæ habet Pater mea sunt, Non hoc dicit propter res creatas Saluator, omnia quæ habet Pater mea sunt, sed quæ sunt in Deitate patris illa propria, dicit Dominus: vt immortalitas, incorruptibilitas, incomprehensibilitas, immutabilitas, potentia, prouidentia, & quæ est Pater, illa propria sunt filij.* Patris diuinitas est filij.

Oratione 2. contra eosdem, eum cum dicitur sedere ad dextram patris, indicare non patrem sinistrum sibi esse, sed id quod δεξιὸν est, & ἦμιον, *dextrum, & magnificum* patri, id quoque suum esse, atque inde esse, quod dicit. Omnia quæ habet Pater mea sunt. Idem confirmat oratione. 4. In hoc autem dictum. Omnia mihi tradita sunt, hunc locum manifestissimum esse dicit. Diuinam substantiam verbi vnitam esse naturaliter suo patri. & illud dictum quod in manibus habemus, clarissimam rei claritatem, quam quærimus exhibet; dicente saluatore: *Omnia patris mea sunt.* Quid sit à dextra esse.

Constat ex eodem Athanasio non modò eum locum sic vsurpasse, frequenter contra Arianos, & Macedonianos, nec ab illis vnquam responsum, sed etiã interpretationem à patribus Nicenis approbatam. Verba etiam eius referam, quia sententiam 318. patrũ continent. l. ad Serapionem: *Spiritum non esse creaturã. Cæterum quia omnia Patris illi propria sunt, consubstantialis esse Patri merito reputabitur. Ita enim patres rem intelligentes, confessi sunt in Nicæna Synodo coessentialem, & ex substantia Patris filium esse. Satis enim perspiciebant, creatam substantiam nunquam sibi posse arrogare hoc dictum, omnia quæ Pater habet mea sunt. Quomodo enim quæ initium existendi sortita sunt haberent in se illud, qui est, & qui erat in æternum? Ideoque cum filius habeat hæc omnia & quæ patris sunt, necessarium est, filij naturam non creatam, sed substantialem patri existere, præsertim cum natura illa creatitia neutiquam capax esse possit eorum, quæ propria sunt Dei. Propria autem Dei sunt, ex quibus cognoscitur Deus, qualia sunt, omnipotentia, ipsa essentia & immutabilitas, aliaque superius dicta: ne consubstantialis cum suis creaturis ipse creator appareat secundum istos stultos, habeatque tantummodo ea quæ res creatæ in se habere possunt. Et ita refutaueris impietatem eorum, qui dicunt Filium Dei creaturam esse.*

Nollem ergo ab eã interpretatione recedere, quã venerabilem fecit, tanti Concilii assensus. Vide & Bellarminum l. 1. c. 6. de Christo, & l. 2. c. 22.

VERSVS 16.

Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem, Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, & , quia vado ad Patrem? Dicebant ergo, quid est hoc quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur.

QVÆSTIO I.

Quod illud modicum?

§. 1. NOn discipuli duntaxat tristes, & afflicti dubitant, sed hodie etiam à multis ignoratur. Abiturum audierant, sed quomodo post modicum rediturum sperarent, non inueniebant. Prima interpretatio. *Modicum & nõ videbitis me*; nam post exiguum tẽpus capiar, crucifigar, moriar, quæ omnia intra diei spacium euenient. Et modicum iterũ, & videbitis: nã tertia die resurgam, & ostẽdam me vobis. Hæc Chrys. & qui sequi eum solent. Secunda. Modicũ tẽpus, quo me visuri non estis, hoc est tempus, quo in sepulchro ero. & modicum tẽpus fore ẽt illud tempus quo post resurrectionẽ visuri erant: nam dies erunt quadraginta. Tertia. Post modicum tempus nũquam visuros in corpore mortali, post aliud modicum semper visuros, nẽpe in regno suo, & gloria. Quarta. Modicum tẽpus erit, post quod non videbitis me, nempe vsq; ad ascẽsionem, & modicũ erit, post quod videbitis me, nẽpe ab ascensione ad extremũ iudicii diem. Nã videtur illud etiam longissimum tempus modicũ esse. 2. Pet. c. 3. Omnibus expositionib. conuenit ratio, quã subiecit: Quia vado ad patrẽ. Deinde etiam tristitia, & quæ inde consecuta est lætitia. Omnes expositiones suos habent, & bonos auctores. Vltima Augustini est, & Maldonati. Cui solum obstat, quod Christus de consolatione aliqua loqui videtur, quę breui eos exhilaratura esset, non quã post multa sæcula acceptari essent. Rationis etiam consentaneum videtur, vt inter illa modica sit aliqua proportio; quæ nulla est, si primo modico pauci dies, altero vero duo annorũ forsan millia designantur. Neq; necesse vt flendi & plorandi tẽpus ad totam Apostolorũ vitam extendatur: nã accepto Spiritu S. quamuis aduersa passa sint, & tristitiam habuerint, non tamen plorauerunt, & fleuerunt, sed iuerũt gaudentes à conspectu consilii. Quin v. 24. *Petite accipietis, vt gaudium vestrũ plenũ.* in hac ergo vita petierũt, & gaudium plenũ fuit, & gaudium nullo ab illis abstulit Quare secunda interpretatio accõmodatior videtur. Varia interpretationes.

§. 2. Hanc etiam partem Ariani allatarunt. Vadit ad patrem, non ergo est Deus. In promptu est solutio. De natura enim assumpta loquitur, qua mortus est, & sepultus, & resurrexit.

VERSVS 20. 21. & 22.

Cognouit autem Jesus, quia volebant eum interrogare: & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi vobis, Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, &c.

QVÆSTIO I.

Quid promittit?

§. 1. FVturorum cognitionem à Spiritu Sancto discipulis promisit. Nunc occultarũ cogitationum se cognitorẽ demonstrat; cũ scire se dicit, quibus de rebus inter se cogitarent, & agerent. Nec videtur tamen rem exponere: sed tamẽ cũm tristitiam eorum Breuem dolorẽ fore promittit.

prædicit, & lætitiæ vicissitudinem, maximam consolationem adfert. Exiguum vero tempus tristitiæ definit, lætitiæ maximum, quod etiam parturientis exemplo declarat, cuius est acutissimus, sed breuis dolor, & gaudio de nato filio compensatur. Quæ promissio maxime dolorem lenit. Mundi ex paruo & fluxo gaudio æternos dolores tacet: non enim ad eorum consolationem hoc necessarium erat. Pulchre expressit Nonnus.

Κλαύσετε καὶ θρήνυς ἐπαΐσσετε, λισσαλέως ἡ
Κόσμος ἐφ' ἁχθόσοισι χαρήσεται, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς
Πένθιμος ὑμείερης μεταγνίσεται οἴστρος ἀνίης,
ὅττι γυνὴ βαρυφόρτος ἀχος πελέθυμον ἐλέσσει.
ὀξυλεροὺς βελέεσσιν, ἰμαστιμένη τοκέτοιο,
ὥρην γὰρ τεμέει βαρυώδινον, ἣν δὲ λοχεύσῃ,
θρύπτεται παπαινομένης ὀδύνης ἀχθος ἀνίης,
καὶ πεσέρης ὠδῖνος οὐ μνάεται, ὅττι καὶ ἄλλο
Αὐλὶ φανὴς βλάστησεν ἀνὴρ παλινάυξει κόσμῳ.
Ἀγχίλοκος μίμημα λεχοῖδος, ἄφελε καὶ ὑμεῖς
πρῶτα μὲν ἀγλαΐσητε ἀμιξέλε θυμὸν ἀνίης.
Ἀλλὰ πάλιν θρήσω ὑμέας, ὑμείερη δὲ
μηδήσει κραδίη πλινάγρεϊ, ὑφιφανὴς δὲ
χάρμα πάρ' ὑμείων ἀμέλατον πόρῃ, οὐ λίς ἀμέρσει
εἰς χρόνον οὐ λήγοντα.

Plorabitis & threnos occinetis, rabiosè vero
Mundus in rebus non sanctis gaudebit, sed & iterum
Lugubris vestræ doloris stimulus abibit,
Vt mulier grauida dolorem circum animum voluit,
Acutis telis partus vexata,
Horam enim tremit dolorum partus, postquam vero peperit,
Acerbum concocti doloris onus excutit,
Et prioris doloris non meminit. quod & alius
Apparens floruit vir mundo qui iterum angetur.
Vicini partus instar, nunc & vos
Primum vigilacibus animum doloribus pungetis,
Sed congregabo vos, vestrum autem
Cor gaudebit, iterum collectum, sublime vero
Gaudium à vobis immutabile nemo auferet.

VERSVS 23.

Et in illo die me non rogabitis quicquam. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

QVÆSTIO I.

Quo die non rogabunt quicquam?

§. 1. VErbum Græcum est ἐρωτᾶσθε, quod proprie est, interrogare, explicetur, quod nescias. Sic ἐρώτημα & ἐρώτησις significant quæstionem, aliquando tamen est idem quod precor, peto. Quidam illum diem interpretantur diem iudicii: & vitæ æternæ, quo pii omnes Deum videndo, ita omnia ad se pertinentia cognoscent, vt nihil interrogaturi sint: nec pro se nec aliis rogaturi. Verum de hoc præsenti tempore accipere malo, quo illuminati, Spiritu Sancto, non interrogabant, quid dicendum esset, sed omnia à spiritu dictabantur. Non quod os Domini non consulerent Apostoli & successores, sed quod in quæstionibus talibus, quales nunc vt difficiles proponuntur, hæsuri non sunt. Nunc enim tirones sunt, postea perfecti euadent, & tales quales Ierem. c. 31. 34. describit. Theophylactus, non rogabitis πίστιν οἷον καὶ πρώην, πῶς ὑπάγεις; *Tale quale prius; quo vadis?* Et Chrysostomus. Τί ἐστιν ἐμὲ οὐκ ἐρωτήσετε; οὐδὲ ἠσθόμεσθα τίτε, ἀλλ' ἔοικε τὸ ὄνομα μόνον εἰπόντας, πάντα λαβεῖν, δείκνυσι δὲ ὀνόματος τὴν δύναμιν, ἡνίκα ἐρώμεν, μηδὲν προσκαλούμενον, ἀλλὰ ὄνομα ζόμενον μόνον, καὶ πάντα τῷ πατρὶ παιεῖ διὰ τούτου. *Quid vero est, non rogabitis? neque egebitis mediatore, sed sufficit nomen solum proferentes omnia accipere; ostendit vim nominis, quod neque visus, neque inuocatus sed nominatus solum, à patre facit mirabilia.*

Non rogabunt quæ ante.

Quod vero Caluinus nugatur, Apostolos magis truncis similes fuisse, quam hominibus, consuetum est illi conuitio sanctos incessere: Christus infirmos non truncos æstimat. Trunci ne rudes quidem quæstiones proponunt.

QVÆSTIO II.

An omnia quæ in Christi nomine petunt, sint impetraturi?

§. 1. ALio loco, quo modo restringendum sit, quod dicit, *omnia*, docui. Nunc quid sit in nomine Christi petere, explicandum est. Theophylactus, solo nomine Christi, seu nominatione dicit omnia posse impetrari.

Hic ergo vnus est modus. Alter, vt Deum rogemus per Christum redemptorem, quo Ecclesia perpetuo vtitur, & omnes orationes ea inuocatione concludit. Sic Athanasius de vita Antonii. *Saluatoris enim promissio est ita dicentis: Si habueritis fidem vt granum sinapis, dicetis huic monti, Transfer te & transferetur, & nihil impossibile erit vobis. Et iterum: Amen Amen dico vobis, omne quod petieritis patrem in nomine meo dabit vobis: Petite & accipietis. Ipse enim suis discipulis, & vniuerso credentium cœtui nunc subiectionem dæmonum, nunc variarum infirmitatum pollicens curationem, aiebat: Gratis accepistis, gratis date. Nunquid sua virtutis imperio curabat Antonius? Nunquid suæ possibilitatis arbitrabatur esse quod fecerat? orationibus non præceptis dæmones morbique cesserunt, & ad Christi Dei nostri nominationem semper vniuersa perfecta sunt. Nemo sapientum sanitatum admirationem adscribat Antonio, sed Domino Iesu, qui solitam erga creaturas suas ostendens benevolentiam, nūc quoq; per electū famulum suum indulgēter exercuit. Antonius tantū orabat, & ob vitæ eius merita, cuncta Dominus largiebatur.*

§. 2. Nomen hoc diuinum esse, & indicare filium esse eiusdem cum patre substantiæ, & Spiritum S. pariter, & tamen diuersas personas demonstrat Athanasius l. 2. de propriis personis. *Sed & si Spiritus S. in suo nomine tantum veniisset, & nō in substantia communi, tam proprium nomen eius in persona esse videretur, non secundum cōmunem naturam, vt tātum vnusquisq; nomina singula in personis suis ostenderet, Deitatis autem vnitum nomen non indicaret, Porro in hoc nomine Deitatis venit filius, in quo est natura cum patre. Et in cuius natura nomine venit Spiritus paracletus, quæ in hac ipsa sacrosancta trinitate vniter consistit, sicut superius prædixi, patre de filio suo indicante: Nomen meum est in illo: Et filio hac dicta confirmante:* Ego veni in nomine patris mei & non recepistis me. Cum autem alius venerit in nomine suo, illum recipietis. *Sed & de Spiritu Sancto ipso rursum repetente:* quem mittit Pater meus in nomine meo. *Et deinceps eum de nomine suo audi discipulos adhortantem:* Omnia quæcunq; petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis. *Sed Apostolum Paulum eadem testantem:* Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & Spiritu Dei nostri. *Audi & Esaiam de vnito nomine gloriæ S. Spiritus declarantem:* Descendit Spiritus à Deo, & eduxit eos: Sic eduxisti populum tuum facere tibi nomen gloriæ. *Discè iam vnitum nomen esse in natura diuina trinitatis.*

Nomen Christi diuinum.

§. 3. Sectarii omnes pene, vt Lutherus, Caluinus, Theodorus Vitus, Hunnius, petulantissime Bullingetus, ex hoc loco, inuocationem sanctorum damnant Idololatriæ. Hunnius qui recens scripsit, cum non ignoraret, quid Catholici respondere soleant, mēdacio grauare nos maluit, quam tritum cauillum suorū omittere. [Damnanda quoq; Pontificiorū idolomania mul-

„nia multiplex, qui hunc summum cultum inuocatio-
„nis ad sanctos defunctos, atq; Angelos transtulit rũt.]
„Sed argumenti vim inspiciamus [Orandus est Deus in
„Christi nomine, ergo inuocare Angelos est crimẽ ido-
„lolatriæ: & multo magis defunctos.] Cõsequentiam
alio modo probare non possunt, nisi dicãt eodem in-
uocationis genere, nos inuocare Deum, & sanctos,
quod nobis securus veri, & famæ Hunnius impingit.

Sanctis nõ tribuimus honorem diuinum

Nos enim omnibus libris & concionib. protestamur, alio genere, nos Deum, alios sanctos inuocare. Deum vt creatorẽ & Dominum rogamus, vt sua nos benevolentia, & potentia protegat: Sanctos rogamus vt nobis adsint, pro nobis, & nobiscum Deum orando. Atq; adeo profitemur & verbis cõceptis cõtestamur. Sanctos Dei amicos, Dei famulos, Dei creaturas, nihil de nobis scire, nihil posse, nisi quod benignissima misericordia Deus illis dederit: nihil nisi precario nobis conferre posse. at qui misero precibus auxilium à Deo impetrat, non est ille Deus: Sed minister eius quem adorat. Hæc cum omnes Catholici, & pueri clamitẽt, effrons est calumnia, cum dicimur summum cultum ad Angelos & sanctos defunctos transferre. Blasphemus est, quisquis inuocationem sanctorum ad Deum transfert, Deum enim fingeret alteri Deo supplicem. Sanctos viuos eodem modo inuocamus, nec Deos tamen dicimus.

§. 4. Hæc cum ita sint, alii mitius in speciem nos
„accusant: [Et Christum mediatorem nos fugere cla-
„mant, cum alios patronos, aduocatos, intercessores
„adsciscimus: & suo nos officio Christum spoliare
„contendunt.]

Christus solus mediator.

Graue etiam hoc crimẽ est, quam autem graue est, tam ab illo longe nos absumus. Non cognoscunt illi mediatoris officium, nec dignitatem; nam aliorum intercessione derogari Domino suspicantur: quod omnino falsum est. Christus mediator est, infinito merito, quo nobis omnia dona quæ à Deo accipimus, ex vera iustitia promeruit. Infinita etiã satisfactione, qua nos à delictis redemit. Efficacissima interpellatione apud patrem, qua ex iustitia semper exauditur. Hoc meritum, hanc satisfactionem, & intercessionẽ, si quis in alios transfert, Christum negauit, & est infideli deterior. At vero si quis alios amicos, siue viuos, siue defunctos roget, vt secum orent in nomine mediatoris, simulq; cum fiducia meritorum Christi ad thronum gratiæ accedant, Christum honorãt non contemnũt. Si enim orationis alienæ pro nobis postulatio, est idolomania, non potest Paulus excusari, qui Ecclesiarum preces exposcit. Imo si quis pro potestatibus, regibus, ducibus, fratribus orat, Christi officium inuadit, cum vnicus sit ille mediator: si aduersariis credimus. Si igitur nos cum pro aliis rogamus patrem in nomine filii, non substituimus nos in solium filii Dei, nec patri nos nouos mediatores obtrudimus, sed ante pedes filii supplices iacemus, pacemq; fratribus per eius merita exposcimus: cur id non possint Angeli sine idolomania. Moses prostratus humi iacet ante arcam, & orat pro gente exasperatrice, cur Angelus qui eos præcedebat orare non possit. Si autem honesta est oratio alterius pro alio, siue hominis pro homine, siue Angeli pro homine, cur eam petere honestum non est? Cur non liceat rogare alium vt faciat, quod eum facere etiam Scriptura iubet? Parui autem refert, in hac vita, an in altera degat, qui rogatur: quantum quidem ad hoc vt intelligamus, non obstare officio mediatoris preces aliorum pro aliis, sed multitudine comprecantium agnosci vnicum mediatorem. Nec nostrum est, aut recens inuentum petere sanctorum cum Christo regnantium intercessiones, quarum nulla nisi in nomine Iesu Christi fieri potest: Sed Ecclesiæ est vsus antiquissimus, quo Vigilantius, Copronymus, Waldẽses, Wicleffus, aliiq; damnati sunt. Cyprianus Epist. 2. *Orantes Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, vt intercedentibus Sanctis eius Apostolis, maculæ purget peccatorũ vestrorum.* Et Hieron. contra Vigilantium c. 3. *Dicis in libello tuo, quod, dum viuimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autẽ mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio; præsertim cum Martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiuerint. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: Et Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentos septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt mutire non poterit.*

Orantium multitudo ad vnum mediatorẽ conuertitur.

Id quod de mortuis dicit, habet ex Dionysio de Ecclesiastica c. 3. vbi ostendit etiam in sacrificiis sanctorũ fieri mentionem, non quasi mortuorum, sed vere viuentium. Idque ostendunt Liturgiæ vetustissimæ D. Petri, D. Iacobi, Æthiopica, quam Matthæo tribuunt, & Mediolanensis. Ita & Augustinus in Ps. 88. Hil. in Psal. 124. Amb. l. de viduis, Damasus de S. Agnete Nyssenus de S. Theodoro. Chrys. hom. 26. in 2. Corin. Cyrillus die Ioan. Baptist. in Ephesino. Vbi in tanta Synodo [illegible] his verbis inuocat. *Quis obsecro is est, qui in terrarum orbem ingressus est? quo quaso modo in illum inductus est? Mysterium hoc aperi ô Euangelista: essare nobis ô beate Ioannes, magnum quippiam & eximium. Tu qui tonitrui filius appellatus es, tu qui orbem totum singulari tua doctrina in admirationem rapuisti, tu qui voces habes immortales, tuis ô Apostole obluio & tempus cedunt verbis. Ecce tantus hic pastorum cœtus ad te venit, remoue nobis lapidem, sicut beatus Iacob pastoribus Haran: resera nobis puteum vitæ; da, vt nunc quoque de fontibus hauriamus, immo vero tuum nobis fontem appone.*

Quanta ergo impudentia est, totam antiquitatem, viros sanctos, & martyres accusare idolomanias? Quamuis cum solos Pontificios accusat, eorum probat antiquitatem; necesse est enim veteres illos omnes esse hac in re Pontificios, Lutheranum nẽ vnum quidem fuisse, multo minus Caluinianum.

QVÆSTIO III.

An Christus adorandus sit?

§. 1. CHristum cultu latriæ, vt verum Deum adorare conuenit. Cum enim Pater adoratur, etiam reliquæ personæ includuntur eadem oratione, cũ vnius sint essentiæ. Cum vero diuinitas Christi sic adoratur, etiam respectiue, & improprie, eius humanitas adoratur, tãquam coniuncta diuinitati, quemadmodum cum homo adoratur, etiam vestis adoratur, improprie tamen, & quasi per accidens. Potest tamen ẽt Christi humanitas sola seorsum spectata adorari, verũ cultu inferiore, qui creaturæ, non Deo conueniat. Quare impie dicit Lambertus Danæus: [Eum Dei o-
„re esse maledictum, qui ad ipsam carnem Christi, ẽt vt
„filio Dei hypostatice cõiũcta est, inuocationẽ dirigit.]
Ita ille Exam. l. Kemnitii. Et Petrus Richerus aduersus Iacobũ Andreæ. [Eum qui dixerit Iesum Chri-
„stum necessario orandũ, & inuocãdum; hæreticũ esse.
„Et per Christum quidẽ orandũ esse patrem, sed filium
„nũquã inuocãdũ, ne humanitati eius honor haberet.]

Christi humanitas adorãtur.

Christus adoratus est.

Non igitur mirum est, ab illis sanctorum orationes reiici, qui nefas putant ipsum Christum adorare: quos iam olim damnauit in cruce pendens latro, Luc. 23. & Ioan. 4. 10. Christus ipse. ille Samaritanam ad orationem hortatur, ille ad se venire iubet, vt reficiat, à multis adoratus, diuinitatis eius non satis gnaris, vt testantur iidem Caluiniani.

§. 2. Cal-

§. 2. Caluinianos ita Deum orare in confesso est, vt mediatorem Christum non admittãt. Negant esse posse mediatorem secundum humanam naturam, hoc officium fingunt exercuisse secundum naturam diuinam. contra illud: *Vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.* Deum vero esse mediatorem, sacerdotem, satisfactorem, interpellatorem secundum naturam diuinam, tam repugnat æternę maiestati, quam repugnat, non esse Deum. Deum enim & mediatorẽ diuersos esse oportet, at personæ à Deo non differunt, si mediatoris officium exercet filii diuinitas, ipsa etiam sibi mediatrix est, sibi sacrificat, & cum opus illud sit commune, etiam Pater & Spiritus mediatores dicendi sunt. Deus quidem nos sibi reconciliauit, non sacrificando sibi, sed dando mediatorem Christum Iesum, qui cum nõ sit minor patre, quoad diuinitatẽ, non potest se patri per preces & sacrificia submittere, eius excellentiam sibi adorandam, & in se dominatũ protestari. Hæc ergo humanitatis sunt opera. Nos cum vetere Ecclesia hoc teneamus: Eum, qui Deo sacrificia, preces, satisfactionem offert, meretur, secundum illam naturam, qua ista præstat Deo minorẽ esse. Ac proinde secundum illam naturam Deum nõ essẽ. Quod si quis Deum esse contendat, etiam secundam illam naturam, dum mediatoris dignitatem attollit, diuinitatem partitur, in maiorem, & minorem: ideoq; Deos multiplicando, & Deum mediatorem abnegauit. Id facit Beza q. & resp. p. 33. [Cum ait Christum ẽt secũdum Deitatem humanæ naturæ coniunctam intercedere pro nobis apud patrem, non tamen inde sequi quod apud seipsum intercedat.] Id omnino nõ sequitur. Nam ipse & Pater vnum sunt: nam intercedere non est personale, aut notionale, sed absolutum, & nos cum patrem oramus, etiam filium, & Spiritum S. adoramus, par ergo in filio Dei est ratio. Imo sicut intelligere, velle, amare, opera sunt talia, quæ cunctis personis conueniant, ita etiam intercedere, orare, sactificare. Si igitur filii diuinitas ista facit, non est negandum etiam Patris & Spiritus Sancti diuinitatem idem operari.

Diuinitas non est mediatrix.

Diuinitas non orat.

VERSVS 24.

Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis: vt gaudium vestrum sit plenum.

QVAESTIO I.

An hucusque nihil in nomine Christi petierint?

§. 1. VAria est admodum verborum interpretatio. Cyrillus non petiisse quicquam, quod mediatorẽ ignorent. Euthymius in nomine Christi multa petiisse, à Patre nihil rogasse in nomine Christi. Bucerus hæreticus, & alii nonnulli, spiritale nihil rogasse, non enim ea intellexisse, sed animales fuisse. Alii non petiisse quicquam à patre, contentos corporali Christi præsentia.

Si illa quæ certa sunt, constituamus vt confessa, cætera facile intelligemus. Primo itaque certum est Apostolos Deum Patrem orasse, & spiritalia precatos. Nam orationem Dominicam à Christo didicerunt, in qua, & Pater oratur, & spiritalia petuntur. Certum etiam deinde est. Christum orasse, & spiritalia petiisse. Adauge nobis fidem. Deniq; eos per mediatorẽ orasse ex communi Iudæorum consuetudine, & fide etiã manifestum, per Messiam omnia impetrari credebãt. Postquam vero Christum agnouerunt Messiam esse, non videntur expresse per eum orasse patrem, sed ad eum ipsum orationem direxisse: quãuis implicite per eum orarent, seu in nomine eius. Itaq; non ita accipio verba Christi quasi reprehendat Apostolos, quod in suo nomine nihil petiuerint; Sed quid in posterũ futurum sit ostendit: nempe fore, vt fide vera qua credãt Christum residere ad dextram patris per eum absentẽ precentur, quod eo modo hactenus non fecerant, vt expresse, in precationib. Christum nominarent, nec enim in oratione Dominica illa mentio est diserta mediatoris: at vero postea in omnibus orationib. vsitata fuit clausula, vt mediator interponeretur. Apparet hoc in Epistolis Apostolorum, qui singulis pene versibus ingeminant in Christo Iesu, est etiam apud Clementem l. 8. c. 6. Vbi Diaconus loquitur fidelibus. Ipsi soli ingenito Deo per Christũ Iesum vos commẽdatẽ. Et Episcopus in Benedictione danda. *Et aggrega eos Ecclesiæ tuæ Sanctæ, & participes fac sanctorum mysteriorũ, per Christum Iesum qui est spes nostra, quiq; pro nobis mortuus est, per quem tibi gloria, & adoratio in Spiritu in secula, amen.* Et pro energumenis. *Vnigenite Deus magni Patrũ fili, increpa Spiritus nequam, & libera opera manuum tuarum ab illum oralieni Spiritus vexatione: quoniam tibi gloria honor adoratio, & per te tuo patri, & Spiritui Sancto, in secula amen.*

Apostoli Patrem orarunt.

Per absentem sedentẽ ad dextrã patris orabunt.

Per Christum terminate.

Atq; ita cæleræ orationes terminantur, vt etiam in aliis liturgiis, qui modus orandi ante non fuit, non enim Apostoli eo modo per nomen Iesum Christum orarunt. At postea cum in nomine Iesu omne genu flecteretur, in omnibus orationibus nomen Iesu additum est. Varie tamen. vt, *Per Christum Deum, & saluatorem nostrum, per quem tibi gloria & adoratio in S. Spiritu per secula. Amen.* Vel, *rogemus Deum per Christum eius,* Vel. *omnes Deum attente per Christum inuocemus.* Vel. *Excitemus nos orantes intentè, & mutuo nosmet commendemus Deo viuo, per Christum eius.* Vel. *& dignos fac eos vita æterna, quæ est in Christo filio tuo vnigenito, Deo & Saluatore nostro per quem tibi gloria & honor, &c.* Vel. *Christo tuo digni efficiamur.* Hęcatq; similia vsitata sunt in Liturgiis, atque aliis orationibus, de quibus Christus hic intelligendus, non quod finis tantum orationum Christi mentionem habeat, sed quod ex eo significetur modus orandi per Christum ante non vsurpatus.

VERSVS 25.

Hæc in prouerbiis locutus sum vobis: Venit hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.

QVÆSTIO I.

Cur in prouerbiis locutus sit?

§. 1. Ἐν παροιμίαις, in paroemiis. Theophylactus παροιμία ἐστὶ λόγος πλαγίως, καὶ ὑπεκκεκυμμένως, καὶ τὸ ὅλον παραβολικῶς ὑπακούμενον ἢ δεικνύον. *Paroemia est quæ oblique, & absconditè, & omnino parabolicè rem ostendit.*

Postea non loquetur in parabolis post resurrectionem, vt Chrysostomus ἔστι καιρὸς, ὅτε πάντες εἰσόμεθα σαφῶς. λέγει γὰρ τὴν τῆς ἀναστάσεως χάριν, τότε παῤῥησίᾳ περὶ τοῦ πατρὸς ἀναγγελῶ ὑμῖν, καὶ γὰρ ὅλη πεπαρρησίασται ἡμέρας σωτὴρ καὶ διελέχθη αὐτοῖς ἀναλιζόμενος, καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. *Erit tempus cum omnes scietis clarè, dicit vero tempus resurrectionis. Tunc liberrime de patre annunciabo vobis. nam dies quadraginta erat cum illis, & colloquebatur, & conuersans agebat de regno Dei.*

Alii tamen de vita æterna interpretari malunt, Conciliari ista possunt, vt claritas post resurrectionẽ incipiat, & ad vitam æternam vsque perueniat, & augescat. de hac tamen vita loqui Dominum constat. Cum dicat: *In illo die petetis.*

§. 2. Omnes

§.2. Omnes hic aliquam verborum obscuritatem agnoscunt. Etiam hæretici. Instar paroemiarum quæ fere obscuritatis aliquid habent, vobis sermones mei fuerunt, tecti scilicet. Et: *Quæ rem manifestam obscuritate tegunt.* Erant igitur sermones obscuri, non modo ob eorum turbatos animos ac ruditatem, sed etiam quod reuera interprete egerent. quemadmodum hodie in illis ipsis exponendis omnium fidelium doctorum labor desudat. Verum de obscuritate scripturarum aliis dictum est. Quocirca etiam ἄσαφες & κρύψιν Vocat Aretius Caluinianus. *Quod planum non sit, verum abscondatur, ne percipiatur intelligentiâ quod dicitur.*

Obscuritas in scripturâ.

VERSVS 26. & 27.

In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui.

QVÆSTIO I.

Cur non est Christus rogaturus pro suis?

§. 1. CVm Christus Pontifex sit ingressus sancta sanctorum, & pro nobis interpellet, mirũ videri posset ipsum se abdicare suo sacerdotio, atque officio redemptoris; si igitur non desinit agere aduocatum, & patronum pro nobis, necesse est, id cum dicit, se non oraturum, eo modo intelligendum, ne honorem redemptionis & intercessionis ab eo tollamus.

Christus non desinit orare.

Theodorus Mopsuestenus putat cum dicere, non rogaturum *vt Deum*, sed *vt hominem*. Verissima doctrina, Deus enim neminem rogat, sed neq; ante vt Deus, sed vt homo rogauit. Euthymius, in verbo, *Non dico*, vim facit, quasi sensus sit, *nõ dico me oraturum, sed repræstabo.* Non opus erit promissione dona ipsa & postulata repræsentabo. Chrysostomi, & Leontii vera sententia est. Non ideo vos iussi in meo nomine petere, quasi à vobis alienus sit pater, & velut exosos audire nolit, imo ita celeriter, promptequeoccurret obsecrationibus vestris, quasi mea intercessione non egeatis. Itaq; non dico me oraturum quasi pro iis quos Pater non amat; amat enim ille vos, quia vos amastis me. Amicis autem rogantibus omnia dantur. Amici sunt omnes iusti, sed tamen reconciliatore Christo, nec pro illis orare desinit, quos redemit, vocauit, iustificauit, neq; negat illos egere oratione sua, sed tantum significat, non egere intercessione quasi ipsi Deo cari non sint; hoc enim ratio significat, cum dicit: Quia ipse Pater amat vos, duo ergo præsidia apud patrem habetis, patrocinium meum, & amorem patris.

Pater Apostolos amat.

§. 2. Causam paterni erga eos amoris reddit, quia vos me amastis. Rationi consentaneum est, vt parentes diligant eos, à quibus filios suos amari sciunt. Nec opus est hic illa quæstione de amore Dei erga homines, qui prior est amore nostro; nam & inimicos dilexit, & dedit filium vnigenitum pro nobis. Est Dei amor in omnes deinde singularis in electos, etsi nondum regenitos, maximus vero erga eos, qui iam diligunt. Diligentes se diligit. Ex quo apparet bona opera apud Deum esse in precio, nec caritatem qua filium Dei Apostoli dilexerunt peccatum mortale fuisse. Non enim eos diligeret Deus, quia mortaliter peccarent, Christum amando. vt docet Calu. in Antid. Concilii Tridentini.

Amor diuinus est amore.

Et in c.2. Luc. v.6. *Opera bona esse immunda, dimidiata, indigna Dei conspectu, nedum amore.* At hic Christus eos amari à patre asserit, quia filium amarunt, & id quod petierint impetraturos. Quorsum eos ad opera hortatur, si tam sunt pernicioſa, si digna damnatione. Nullum peccatum Deo gratum esse potest. Nos contrarium scriptura docet, quæ præmia operibus pollicetur. Matth. 25. quæ quosdam sine peccato esse dicit: Iob 1. Vide & Tob. 1. 1. Cor. 7. Thess. 2. Act. 10. Apoc. 5. Exod. 20. 1. Petri 1. & Rom. 2. vbi Latius exposui in horum verborum consideratione. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum.*

VERSVS 28.

Exiui à patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

QVAESTIO I.

Quomodo exiuit à Patre, & redit?

§. 1. NVnc apertè monet, quo vadat, Exiui à patre, & veni in mundum, inquit, Exire à patre est procedere ab eo more filii, hoc est generari, venire in mundum, est assumere carnem, & redemptionem operari in medio terræ. Redire ad patrem est assumptã humanitatem glorificatam in cœlum adducere, & in æterna gloria collocare Athanasius l. contra Vitalicum diuersum esse patrem, & filium ostendit. *Sed dicas mihi hæretice quemadmodum Spiritus de vnitâ naturâ constitit? Ecce filius de eo testatur. A patre procedit. Et sic prosecutus est: de meo accipiet, Quod testimonium Pater comprobat, dicens: Spiritus à me procedit. O homo si Spiritus hic paraclitus Pater non est; filius non est, factura non est, quid tibi videtur?*

Exire à Patre & redire.

Tractatu vero contra omnes hæreses, æternitatem Christi adeoq; diuinitatem probat, quod ab æterno à patre exierit. Vtrunque complexus est in expositione fidei. οὔτε γὰρ ὁ πατὴρ υἱός ἐστιν, οὔτε ὁ υἱὸς πατὴρ ἐστιν· ὁ γὰρ πατὴρ υἱὸν πατὴρ ἐστι, καὶ ὁ υἱὸς πατρὸς υἱός ἐστιν. ὡς γὰρ οὐκ ἔστιν ἡ πηγὴ ποταμὸς, οὐδὲ ὁ ποταμὸς πηγὴ, ἀμφότερα δὲ ἓν καὶ ταὐτόν ἐστιν ὕδωρ, τὸ ἐκ τῆς πηγῆς εἰς τὸν ποταμὸν μεταχωρῆσαν, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς ἐκ πατρὸς εἰς τὸν υἱὸν θεότης ἀπορρεύσασα καὶ ἀναιρέτως τυγχάνει. *Neque enim Pater filius est, neque filius est Pater, vt neque fons est fluuius, neque fluuius est fons sed vna sunt eademque ambo aqua, quod ex fonte in fluuium transfunditur, sic Deitas ex patre in filium sine fluxu, & diuisione est.*

§. 3. Egressus est à patre, non habet essentiam à seipso. Error Caluini est l. 1. instit. c. 13. 13. *Fateri*, inquit, *necesse est, Filium Dei eum esse, cuius Deitas sæpius apud Isaiam probatur ex mundi creatione. Quomodo autem creator, qui omnibus esse dat non erit ex seipso, sed Essentiam aliunde mutuabitur? Nam quisquis Essentiatum à Patre filium esse dicit, à seipso negat esse. Reclamat autem Spiritus illum IEHOVA nominans: quæ vox Hebræa eum qui ex se suaq; virtute est, significat.*

Filius essentiam habet à patre.

Contra clamat Scriptura. *Exiui à Patre*, & Ps. 109. 3. *ante Luciferum ex vtero genuite.* Non est enim egressus à patre absq; aliqua natura in sua natiuitate. Hil. l. 6. de Trin. *Essentiam habet à Patre, & quidem diuinam, nec enim filius est, nisi à patre.* Gregorius Naz. orat. 3. *Quid ergo, inquies, si filius, & Spiritus Patri coæterni sunt, quid afferri potest, si principij quoq; quemadmodum & ille, sint expertes? Ista deinde quæstioni posita respondet. Quia ab ipso sunt, licet, non post ipsum, quod enim principio caret, æternum quoq; est: quod autem æternum est, non protinus quoq; principio vacat, quamdiu ad patrem, velut ad principium, & originem referatur.*

Nec sequitur creaturã esse, quod essentiam habet alio: vti nec creatura est, id quod procedit ab alio, aut nascitur ab alio, sed quod procedit, vel nascitur in tempore. Quod essentiam accipit ab alio aliam quam habet ille alius: at si eandem accipiat essentiam, quæ est in alio, eamque ita accipiat, vt sit tantum alius relatio-

relatione & personalitate, non aliud realitate, & substantia, non est res creata. itaque recte dixit Eusebius l. 2. hist. cap. 3. ἐξ αὐτοῦ τοῦ θεοῦ πεποίησται, τοῦτ' ἔστι, πρὸ τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως ὑσιαμένου. *Ex ipso Deo ante Luciferum, hoc est, ante mundi constitutionem essentiatum*, ὑσιαμένου dicit, quod substantiam à patre acceperit. Patris igitur maiestatem minuunt, qui filii negant natiuitatem æternam Hil. l. 2. de Trinit. *Quod Pater est, patri adimunt, dum volunt filio auferre, quod filius est, adimunt autem, cum ea non de naturâ sit filius. Non ex naturâ est, quando non eandem in se habent, ortus & generans. Neque enim filius est, cui alia ac dissimilis erit à patre substantia. Pater autem quomodo erit, si non quod substantiæ atque naturæ est, genuerit in filio?*

VERSVS 29. & 30.

Dicunt ei discipuli eius, Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget, in hoc credimus quia à Deo existi.

QVÆSTIO I.

Verène Apostoli cognouerint, quæ Christus dixit?

§. 1. CAluinus suo more grauiter discipulos accusat. [Exultare eos ante tempus, perinde ac si „ quis vno nummo aureo diuitem se putaret, perinde „ gloriari ac si nihil deesset. Atqui ab ea notitia longe „ adhuc aberant, quandiu non tenebant, qualis sibi futurus in posterum esset Christus nimium sibi placuisse, iactasse se quasi fide refertos.] Hæc ille: at nihil horum Scriptura meminit, non exultationem, non inanem gloriationem. Tantum ex eo, quod occultam voluntatem cognoscere videbant, colligebant tanquam ex miraculo, verum esse quod à Deo se exiuisse diceret. Sincera est autem fidei confessio, qua filium Dei agnoscunt, non gloriatio vana, ita non modo veteres fidem confessionemque laudant, sed etiam Caluiniani interpretes. Musculus eos laudat, *recte dicere, & credere, nec Dominum repugnare illis fatetur.* Quod idem etiam Bullingerus asserit.

Apostoli fidem sincere profitentur.

VERSVS 31. & 32.

Respondit eis Iesus: Modo creditis? Ecce, venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.

§. 1. VArie legitur Latine nam πιστεύετε, esse potest & præsens, Creditis, & imperatiuum, Credite. Syris est הימנתון credite. Creditis alii legunt cum interrogatione. alii absolute asserendo. Fidem laudat, sed infirmitatem prædicit, qua cedent mox persecutioni, itaque cum vtraque lectio id indicet, perinde est, quam sequamur: correcta tamen interrogationem, & melior, magisque emphatica.

Cum dicit dispergendos in proprias, non intelligit, domos suas statim abituros, vt patum considerati sint, qui inde probare nituntur Apostolos se reb. suis non abdicasse, alioqui domos proprias non habuissent. Nam τὰ ἴδια non significant domum cuiusquam, sed locum, quo se priuatim ex fuga quisque recepit. Id ita esse historia docet; nam Iesosolymis manserunt, vbi domos non habebant.

§. 2. Fere exstinctam fidem Caluinus affirmat, mansisse tamen aliquid vnde iterum pullularet. Hoc posteriores pluribus exponunt. Mansisse fidei habitum, mansisse iustitiam, etiam in Petro cum negatione & periurio. Quod quam sit absurdum, de iustitiæ habitu alio loco dictum est. Quin & illud falsum quod Caluinus de suo addit. si euentu dubio certemus, studium concidet. Nam dum spe incerta in agone decertant, spe eriguntur ad laborem, atque hoc ipsum industriam acuit, si desperent, pusillanimes, si certi sint, lenti & securi certabant, victoriæ non spe, sed πληροφορίᾳ, summa certitudine. Petris inquit ille tanquam Cæsaris candidatus. Pari ergo modo securitas & desperatio reddit inertes.

VERSVS 33.

Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

QVAESTIO I.

Quam habere illos pacem iubet?

§. 1. PAx illa est, vt Christo adhæreant æterno fœdere sociati, fidem, spem, caritatem retineant, dominum suum agnoscant. Neq; etiam totius mundi terroribus à Christo se auelli sinant. Contra imminentia pericula munit ac roborat: Dæmon & mundus totus, Romana Monarchia, Iudæorum sacerdotes, & Scribæ conspirauerant contra Dominum, & aduersum Christum eius: *nolite*, inquit, *esse solliciti*, nolite à meis castris more transfugarum ad hostes meos desciscere, si apud me paucos inermes, apud illos totum mundum, omnia arma diaboli, & furorem conspiciatis. Nam hos ego iam vici, factis, doctrina, certamine, & moriendo perfectius vincam. Miseris se nemo solet socium iungere, præsertim si nocentes sint: nolite timere eos, turba est, sed morituorum & iam pene cadauerum: Mea igitur signa sequimini, signa victricia, à me donatiuum exspectate. Facile exercitum sibi victor, & dives spoliis cõparat, facile retinet spe triumphi. Latet igitur in eo verbo similitudo à duce sumpta, qui ne in periculo mutatis animis transfugiant ad hostem milites hortatur. Theophylactus de eadem perseuerantia loquitur, μένετε ἀκλόνητοι καὶ ἀδιάσειστοι τὰ πιστὰ, ἅπερ εἶπον ὑμῖν. *Manete imperturbati, immoti, amplectentes fida quæ dixi vobis.* Frustra itaque sunt Caluiniani, qui pacem, quam suis Dominus imperat, certitudinem salutis interpretantur. Quasi vero illa maneat inter scelera, negantium Christum: non est illa pax, sed acerrimum bellum. De hac pace Christi Dionysius Areop. l. de diuinis nominibus. *Vnam esse & simplicem coniunctionis & pacis diuinæ naturam, quæ omnia inconfusa, & imperturbata conseruet. Hanc ad omnia pertingere diuina virtute, quæ cum omnibus se communicat, omnia penetrat, maxime mentes, & voluntates fidelium summo bono cohærentes*, considera totum caput 11. quo de pace agitur.

Hanc pacem si quis tenuerit facile ille etiam mundum vincet, iam à Christo victum. Omnes enim ille tentationes subiuit, vt victoriam pro nobis operaretur, vt Athanasius de salutari aduentu Christi docet, & de incarnatione. Hinc fieri experientia docet, vt in summis persecutionum bellis veri, & fortes Christiani,

ſtiani, quaſi in media pace Deo ſuo adhæreant, & mente munda immobiles perſiſtant, in ipſos carceres, & rogos pacem illam ſecum ferunt.

Pax ergo eſt in Chriſti obſequio, fide & caritate, perſeuerantia, ſine quibus quæcunque pax fingitur, bellum eſt.

CAPVT XVII.

HÆC locutus eſt IESVS: & ſubleuatis oculis in cœlum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te: 2. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam. 3. Hæc eſt autem vita æterna: Vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM. 4. Ego te clarificaui ſuper terram: opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciam: 5. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate, quam habui prius, quam mundus eſſet, apud te. 6. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo: Tui erant, & mihi eos dediſti: & ſermonem tuum ſeruauerunt. 7. Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt: 8. Quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis: & ipſi acceperunt, cognouerunt vere quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me miſiſti. 9. Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt: 10. Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt: & clarificatus ſum in eis. 11. Et iam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: vt ſint vnum, ſicut & nos. 12. Cum eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, cuſtodiui: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. 13. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. 14. Ego dedit eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut, & ego non ſum de mundo. 15. Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo. 16. De mundo non ſunt, ſicut, & ego non ſum de mundo. 17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. 18. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. 19. Et pro eis ego ſanctifico meipſum: vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. 20. Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorũ in me. 21. Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint: vt credat mundus, quia tu me miſiſti. 22. Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis: vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. 23. Ego in eis, & tu in me: vt ſint conſummati in vnum: & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti. 24. Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum: vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. 25. Pater iuſte, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me miſiſti. 26. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM

ARGVMENTVM.

EXHORTATIONEM claudit oratione, in quâ primum de ſua clarificatione, & patris gloriâ agit, deinde pro diſcipulis ac totâ tandem Eccleſia precatur. Multis autem rationibus diſcipulos cœleſti patri commendat, idque non neceſſitate alieni auxilii, cum ille omnipotentiâ ſuâ eos ſeruare poſſet, ſed vt eos conſolaretur, cum præſentes audirent, quam ex animo patri à filio commendarentur. Exemplo etiam præiret, quo ipſos doceret orare.

A verſ. 15. In Eccleſiâ Syrâ legitur dominicâ tertiâ poſt feſtum crucis, ܕܨܠܝܒܐ *dazeliba.*

Orationem hanc in horto habitam exiſtimat Rupertus, verũ eo in loco proiectus in terram, & à ſuis ſeparatus orauit, hic ſublatis in cœlum oculis, ac diſcipulis audientibus precatur. Deinde occaſionem eius erroris ſcripturæ amputat; ταῦτα εἰπών, inquit, *cum iſta dixiſſet egreſſus eſt.* Quamuis autem Syrus habeat, ܗܠܝܢ ܐܡܪ *halen emar iſta dixit, & egreſſus eſt*; eodem tamen recidit.

VERSVS 1.

Hæc locutus eſt Jeſus: & ſubleuatis oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te:

QVAESTIO I.

Cur orat, & quo geſtu?

Orando humanitatem denam naturam monſtrat.

§. 1. ORat Dominus, non quod ipſe auxilio egeret, qui Deus eſſet: Sed vt verum etiam ſe hominem eſſe demonſtraret: Ideoque quoad humanam naturam à Deo totum depẽdere. Sine Deo nihil poſſe. In Deo omne pſidium collocare. atq; ita exemplo præit, ne nobis fidamus, ne noſtris viribus aliquid moliamur. Ita ergo ſe exhibuit precatorem, vt præſtaret nobis doctorem. re ipſa non monitis erudiret: ne homine indigna videretur ſupplex oratio, quam redemptor adhibuit. *Poterat*, inquit Auguſtinus, tr. 104. *Dominus noſter vnigenitus, & coæternus patri, in formâ ſerui, & ex formâ ſerui, ſi hoc opus eſſet orare ſilentio: ſed ita ſe patri exhibere voluit precatorem, vt meminiſſet noſtrum ſe eſſe doctorem. Proinde eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit, & nobis; quoniam tanti magiſtri non ſolum ad ipſos ſermocina-*

mocinatio, sed etiam ipsius pro ipsis ad patrem oratio discipulorum est ædificatio.

Atque eodem modo Hieronymus, Cyrillus, Leontius, Chrysostomus Beda. Theophylactus interpretati sunt. Non modo ergo cõcionibus, & vitæ exemplis erudiendus est populus, sed oratione iuuandus. Omnia enim opera Deo grata, vt oratione impetrata sunt à Deo, ita quoque oratione obsignanda sunt, & eorum fructus Deo referendus.

Oratio necessaria.

§. 2. Lutherus concione in hunc locum, orandũ esse docet: Nam sine oratione fidẽ negat seruari posse, aut permanere. Quod quamuis sane intelligi oporteat, ipsum tamen refutat. Nam initio fidem docet esse delebilem, quippe quæ sine orationis fomento frigeat, atque euanescat. Deinde constat hinc fidem non posse solam sufficere; nam oratione indiget, vt maneat, vt consistat. Nemo igitur de fidei, & salutis perseuerantia certus est, nisi, qui de orationis efficacia certus, cum sit illa conditio, sine qua fides non permanet. *Qui enim non orant, ostendunt se præsumptuosos & securos esse*, inquit, *quasi omnino non egeant Dei gratiâ, ignorant necessitatem & pericula sua, &c. eos à dæmone præcipitari, vt non aduertant.* At vero cum doceat idem difficillimum esse bene orare, idque paucorum, non potest ex oratione colligi certitudo. Quod vero idem fingit, in choro cum canuntur Psalmi, neminem esse, qui vel cogitet à Deo quippiam petere, mera calumnia est.

Gestus in oratione non præceptus.

§. 3. Gestu etiam, ac compositu corporis mentem in Deum eleuare nos docet, cum oculos subleuat. Sic Ps. 123. Dauid oculos in mõtes tollit. Falsum est, quod Rudolphus Gualtheri fingit, oculorum subleuationẽ nobis præceptã esse prœmio orationis dominicæ; cũ orare iubemur. *Pater noster, qui es in cœlis.* Non enim diuina lex corporum suspectum, aut despectum exigit, sed animi cogitationem, & affectũ in Deum dirigi imperat. Cærimoniæ quę orationi adduntur, vel ex affectu nascuntur, vel affectum, cum imbecillis est, excitant. Alii flexis genibus, alii facie proni in terram: 1. Tim. 2. Marc. 11. Matth. c. 14. v. 14. & 26.

Orare pro aliis licet.

§. 4. Ridiculè hoc loco Otto Brunfelsius ex medico stolido, insanus Theologus. *Christus hic patrem orat, non igitur sancti orandi sunt.*

Perinde ac si dicat: Christus à nulla Ecclesia, à nullo homine intercessionem expetiit, non igitur sine flagitio id facere nos possumus. Pro fratribus orare nos caritas docet, pro Christo orare blasphemum est. nec sanctos pro Deo colimus sed cũ illis comprecatoribus ad communem Dominum supplices cum supplicibus accedimus. Qua de re vide Franciscum Horatium l. 3. locorum communium c. 14. & 15. contra Caluinum.

QVÆSTIO II.

Quæ sit hora?

Hora ex decreto Dei.

§. 1. VEnit *horâ*. tẽpore præterito legẽdum, ἐλήλυθεν vt & Syriacũ ܐܬܬ *Ethath* lã ergo propinquauit. vt iam pati inciperet. Dum enim ista loquitur iam cohortem instruebat tribunus, & ad iter se parabant inimici. Significat autem aduenisse horam à sanctissima Trinitate ab æterno constitutam, non fatalem ex causis naturalibus ortam, non εἱμαρμένην, sed quam sibi filius Dei ab æterno constituit. non est hora in quã impegit, sed quam elegit; spõte enim & omnium præscius in horam illam venit, vt qui non modo omnia momenta passionis, sed gressus etiam, & hostium machinationes in numerato tenebat. Ita interpretatur l. 3. c. 3. de Trinitate Sanctus Hilarius. Cum enim Ariani obiicerent verba Ioannis c. 5. *Non veni vt voluntatem meam faciam, sed eius, qui me misit.* Ipse hæc verba opponit, vt ostendat, etiam filii voluntatem fuisse. *Non quod nolit* ille quod faciat: Sed obedientiam suam sub effectu paternæ voluntatis ostendit, volens ipse voluntatem patris explere. Erat autem hæc efficiendæ voluntatis voluntas, cuius ipse testis est, dicens: *Pater venit hora*, &c.

Voluntas Dei volita à Christo.

Hæc autem sibi exponenda sumpsit Hilarius contra Arianos, contra quos magno periculo, & labore depugnauit, & tandem triumphauit.

QVÆSTIO III.

Quæ sit clarificatio?

Clarificatio cruciatio eorum.

§. 1. PAssionem Christi quidam clarificationem appellant, S. Augustinus potius exaltationẽ ita appellandam censet. nam passio humilitatis est, nõ claritudinis. Est tamen in ipsa morte etiam claritas, nõ quidem si interitum carnis spectemus, sed caritatem, fortitudinem, constantiam. Sic Petrus sua morte clarificauit Deum, sine dubio multo illustrior fuit mors Christi, cum qua ne in comparationem quidẽ venire mors Petri debuit. Hilarius l. 3. de Trin. c. 3. cruce clarificatum docet. nec de sola tamen passione interpretatur, sed de signis quæ Deus ad eius claritudinem edidit, & filium suum esse contestatus est. Verba Hilarii audire præstat. *Ait: Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Non diem, non tempus, sed horam venisse dicit, in horâ diei portio est. Et quæ hæc erit hora? nempe illa, de qua tempore passionis, discipulos confirmans locutus est. Ecce venit hora vt filius hominis clarificetur. Hæc ergo hora est, in qua se à patre clarificari orat, vt patrem ipse clarificet.* Quid deinde sit glorificari contra mundi sophistas, & Græciæ sapientes se explicare profitetur. Non enim passio nobis solum hominem erat contestatura. *Clarificat Pater filium*, inquit. Quomodo tandem? suffigitur cruci.

Deinde quid sequitur: Sol non occidit, sed refugit. Sed quid refugisse dico? non receptus in nube est, sed de cursu operis sui defecit, & interitum suum cum eo reliqua mundi elementa senserunt. Pergit de terra, rupibus & Saxis miracula recensere.

§. 2. Obiiciebant Ariani. [Ergo clarificatione egebat filius, quam orabat, & infirmus reperitur, dum clarificationem potioris exspectat.]

Respondet Hilarius. *Hæc ita vt sunt, intelligenda sunt: Sed cauendum ne apud imperitos gloriam filij honor Patris infirmet: nec infirmari se patitur hæc ipsa clarificatio postulata. Ad id enim quod dictum est: Pater clarifica filium tuum, sequitur & illud: vt filius tuus clarificet te. Non ergo infirmus est filius, vicem clarificationis ipse cum clarificandus sit, redditurus. Sed si non infirmus, quid postulat? Aut nunquid infirmus est, & Pater? &. Sed neque hic eguit, neque ille desiderat, sed tamen alteri alter impertit. Ergo expostulatio clarificationis dandæ, vicissimque reddendæ, nec patri quicquam adimit, nec infirmat filium. Sed eandem diuinitatis ostendit in vtroque virtutem, cum clarificari se filius à patre orat: & clarificationem Pater non dedignetur à filio. Sed hæc in Patre & filio virtutis vnitatem per vicissitudinem danda, & referendæ clarificationis ostendunt.*

Est ergo in morte decus omnium virtutum, claritudo signorum, redemptio mundi, omnibus ad tolerandam crucem incitamentum. Locum illum egregie expositit. Horatius l. 4. locorum communium c. 3. *Cum itaque pati & crucifigi, inciperet, supinos suos hostes prostrauit, serui auriculam suo loco restituit, vniuersa illa sua mirificâ mansuetudine finiuit, suspensus mirabiliora patrauit, solis radios auertit, lapides fregit, pridem defunctos excitauit, scelerati vxorem iudicis per somnia terruit, infinita prædixit coram tribunali, & quod omnia vincit, in ipsa cruce clamat, &c.* Vide cætera apud eundem auctorem, ex quo apparet eodem Spiritu Athanasium, & Hilarium scripturam interpretatos; nã Athanasius in disputatione

Lau-

Laodicena ad eandem obiectionem, eodem modo respondens, hunc locum pro Christi diuinitate adducit. Idem libro de communi essentia patris & filii, & Spiritus Sancti, hinc etiam probat Trinitatem. Sponte autem passum docet in Apolog. sua pro fuga. ὁμοῦ οὖν κύριος καὶ προφήτης ὢν καὶ λόγος τοῦ πατρὸς, καὶ εἰδὼς τὰ μετὰ ταῦτα τοῖς πᾶσι δι' αὐτοῦ καιρὸν, καὶ χρόνον ὡρισμένον, ὃν αὐτὸς ἤλεγε, καὶ τῷ ἰδίῳ σώματι χρόνον εἰς τὸ παθεῖν, ἐπειδὴ δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος γέγονε μᾶλλον, πρὸ τοῦ τὸν χρόνον ἐλθεῖν ἡμέρας, καὶ αὐτὸς ὡς ἡμεῖς ὑπερῆλθε ζῆλον, διωγμόν τε ἔφυγε. *Dominus quidem est Deus & verbum patris & gnarus omnib. à se tempus statutum, & noscens quod ipse definiuerat, & proprio corpori tempus patiendi, cum ante tempus quæreretur, & persecutionem pateretur, fugit.* Ac cum venit tempus quo corporaliter pati ipse voluit, allocutus est patrem hisce verbis. Pater venit hora, clarifica filium tuum.

Libere patitur.

§. 3. Clarificatio illa fuit partim diuinitatis apud homines prædicatio, & fides recepta, partim humanæ naturæ exaltatio. De posteriore nemo dubitare potest. De priore etiam res certa est: nam quemadmodum Christus patrem clarificat eius bonitatem, & potentiam manifestando, ita Pater quoq; filium clarificat. Athanasius oratione 4. contra Arianos de sola carne interpretatus est. Quod verissimum est, si intelligatur, de donatione, qua Christo dignitatis aliquid accederet, non etiam de sola manifestatione gloriæ. Ariani vero de priore glorificatione locuti sunt. Nam manifestationem etiam Pater ipse accipit.

Ex Basilio autem apparet Photinum ex his verbis argutias blasphemas contra Christi diuinitatem confinxisse. Cui ille l. 4. contra Eunomium respondet. οὐ προσθήκην τῆς δόξης αὐτοῦ, ἀλλὰ τῆς οἰκονομίας τὴν φανέρωσιν γενέσθαι. *Non additamentum gloriæ ipsius, sed dispensationis manifestationem factam.* Et paulo post: φαίνεται ἄρα Παῦλος τὴν οἰκονομίαν τῆς ἀνθρωπότητος, οὐ κατ' ἔλλειψιν τῆς θεότητος εἰρηκώς. *Apparet illa secundum œconomiam, vel dispensationem humanitatis, non ex defectu diuinitatis dixisse.* Atque hoc ipsum est, quod Athanasius vrget. Clarificatio ergo est humanitatis καὶ προσθήκην, *ex accessione.* Diuinitatis καὶ οἰκονομίαν, *ex dispensatione.* Quia manifestatur mundo.

VERSVS 2.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt, omne quod dedisti ei, det eis, vitam æternam.

QVAESTIO I.

Cur dedit illi potestatem omnis carnis?

§. 1. POtestas omnis carnis, est potestas in omnem carnem. Ita expressit disertè Syrus interpres שולטנא לה על כל בסר *Schuletana ghal cul besar, potestatem super omnem carnem.* Carnis autem nomine homines significat. Plenissimum autem ius, & absolutum Dominium Christo dedit pro beneplacito suo statuendi de omnibus. 1. Cor. 15. 27. Ephes. 1. 22. Colos. 1. 18. Data autem potestas homini: nam qua Deus ab æterno eam cum patre æqualem habuit, quamuis à patre eam accepit, sed generatione æterna, sicut etiam essentiam.

Homini data potestas.

Porro similitudinis particula sensum imperfectum esse ostendit: Supplendum est igitur. Sicut dedisti illi potestatem omnis carnis, sic illum clarifica, vt nimirum quod datum est illi ad salutem omnium id norint omnes, vt salutem consequantur. Sic ille te etiam clarificet. Omnes, non necessitate seruili, sed libera ac prompta voluntate illi sese submittant, imperata faciant.

§. 2. In his verbis, *vt omne quod dedisti ei, det illis vitam æternam.* ἵνα πᾶν ὃ ἔδωκας αὐτῷ δώσῃ αὐτοῖς duplex est Hebraismus. Nam sensus Latinis & Græcis est. ἵνα πᾶσι, οὓς ἔγωκας αὐτῷ, δώσῃ, *vt omnibus, quos dedisti illi, det vitam æternam.* Ponitur igitur primum nominatiuus, pro datiuo, & relatiuum pro antecedente, vt Psal. 70. 4. *Dominus in cœlo sedes eius.* Syrus pro αὐτοῖς habet לה *ei.*

Causa vero cur illi sit data potestas in omnem carnem additur. *vt det illis vitam æternam.* Ad hoc enim filius clarificatur, vt ad eum saluatorem omnibus accessus patefiat, non Iudæis solis, sed omnibus, neque Iudæorum Deus tantum, sed & gentium. Nam etsi Dei gloria in se nec augeri potest, nec minui, apud homines augeri, & decrescere censetur, ante erat notus in Iudæa Deus, nunc autem posito Christo in lucem gentium magna est apud omnes gentes gloria eius.

Omnibus dat vitam æternam.

§. 3. *Quos dedisti*, inquit. Non omnes accipiunt vitam æternam, sed quos dedit illi Pater. Sunt quidem omnes eius subditi, sunt sub eius imperio, sed multi improbi, in peccatis suis permansuri, qui sunt etiam eius. καὶ μιῶν τὸ μέρος αὐτοῦ πάντες. *Nam & omnes sane pars eius sunt*, vt ait Chrysostomus. Quod vero non veniant, οὐ τοῦ διδάσκοντος ἔγκλημα, ἀλλὰ τῶν οὐ δεχομένων. *Non est culpa docentis, sed eorum, qui non recipiunt.* Non dedit omnibus, quia noluerunt. Frustra igitur hæretici nonnulli fingunt, impossibilem illis esse ad salutis suæ spem, & dona fidei accessum. Caluinus ipse hoc docet. *Ceterum non dicit Christus se toti mundo præfectum esse, vt vitam omnibus promiscue conferat: sed gratiam hanc restringit ad eos, qui sibi dati sunt.* Verum Caluinum optime refutat Aretius Caluinianus, imitatus verba Chrysostomi. *Quod non omnes accipiunt*, inquit, *non docentis est crimen, sed nolentium culpa.* Nihil autem certius, quam Dei voluntate antecedente ad omnium salutem venisse Christum: Verum hac de quæstione paulo post dicetur.

Illis.

§. 4. Deum esse Christum manifestum est etiam ex eo, quod credentibus det vitam æternam. Cum enim vita æterna sit possessio summi boni, certa, immutabilis, Dei visio, amor, fruitio, non potest à creatura dari, quomodo enim creatura det possessionem creatoris? Nec Christus non est Deus, quia Pater illi dedit; nam & essentiam filio dedit, & humanitati vitam dedit, sed ille vt Deus dat vitam æternam. nec rursus ideo Deus non est, quia Deum rogat; hoc enim facit vt homo. Clarificat filius patrem, & honorat, non adorat vt Deus est. Olim erant illa Arianorum Cauilla, vt est apud Augustinum contra sermonem Arianorum c. 25. *Filius*, inquiunt, *pro nobis interpellat patrem & Spiritus pro nobis postulat filium.* Respondet, superius se respondisse, quomodo filius interpellet patrē. non inueniri vbi Spiritus pro nobis postulet filium. Spiritum vero Sanctum dicit, non interpellare Christum aut patrem, sed facere vt nos interpellemus.

Christus Deus.

§. 5. *Vitam æternam dabit*, inquiunt Fiduciarii, *certa est ergo cuique sua salus.* Respondeo. Certam omnino esse illis, quibus certum est, se à patre datos esse filio, non extemporaria aliqua donatione, sed electione æterna. nemo autem certo id scire potest, nisi cui Deus reuelauit. Lutherus quidem valde in huius loci deprauatione præsumptionem prædestinationis vrget, vt ex qua omnia pendere arbitretur. Sed tamē etiam Bernardum sanctum eodem in discursu appellat, qui certe ab illa fiduciatione lōgissime abfuit. Sermone primo de septuagesima. *Quis potest dicere, ego de electis sum? Ego de prædestinatis ad vitam? Ego de numero filiorum? Quis hæc inquam dicere potest? reclamante nimirum scriptura. Nescit homo si sit dignus amore, an odio? Certitudinem vtique non habemus: sed ipsei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur.*

Propter hoc data sunt signa quædam, & indicia manifesta salutis, vt indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint: & paulo post. Hoc enim est, vnde semper solliciti, & in timore, & tremore humiliemur, necesse est sub potenti manu Dei, quoniam quales sumus nosse possumus, vel ex parte: quales autem futuri sumus, id nosse nobis penitus impossibile est.

VERSVS 3.

Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.

QVÆSTIO I.

Qualis visio sit vita æterna?

§. 1. QVam vitam æternam intelligat, mox declarat; nempe vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. δὲ autem pro γὰρ positum esse videtur: vt causa reddatur cur dicat, se dare. Vitam æternam magna pars Theologorum interpretatur, declara, & beata Dei cognitione, qua in cœlo electi fruuntur. Adeo vt inde conficere conentur, essentialem beatitudinem in sola visione consistere: quod necesse non est, etsi demus Dominum de beatitudine loqui: nam beatitudo etsi prima eius pars sit clara visio, non tamen eam integram efficit. Dupliciter vero interpretantur patres, Catholici interpretes, atque etiam hæretici. Cyprianus ad Demetrianum de fide accipit. *Deum vel sero cognoscite, quia Christus aduenies hoc admonet*, & docet, dicens: *hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum, Deum, & quem misisti Iesum Christum. Credite illi qui omnino non fallit. Credite illi, qui hæc omnia futura prædixit. Credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit.*

Visio non est integra beatitudo.

Augustinus etiam tract. 105. *Sic te igitur, filius glorificat, vt omnibus quos dedisti ei cognitum te faciat. Alios nominare non est necesse.* Hos sequitur Maldonatus. Et ex aduersariis Caluinus. At Hunnius de cœlesti visione interpretatur.

§. 2. Rectissimè vtraque interpretatio coniungitur: Christus vitam æternam cum nominat, sine dubio de illa loquitur, quæ vere æterna est, quæ est eorũ, quos dedit pater, de qua dicit. *Volo vt vbi ego sum, sit & minister meus.* Hæc enim vere ac proprie est æterna. Deinde hanc inchoat à vero principio, & semine quæ est vera Dei cognitio, quæ in hac vita incipit, in illa perficitur. Hæc est etiam Augustini loco citato sententia, Porro si cognitio Dei est vita æterna, tanto magis viuere tendimus, quanto magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vita æterna. Tunc ergo cognitio Dei perfecta erit, quando nulla mors erit. Summa Dei tunc clarificatio, quia summa gloria. Eodem modo etiam Prosper Aquitanus intellexit; nam cognitio vocatur vita æterna si tota spectetur, vt perfecta est, parit, si accipiatur, vt semen est. Verba Prosperi contra collatorem. c. 37. *Frustra ergo vt inuidiam damnati erroris euadas, summam salutis negas in fidei nostræ ditione consistere: cum omnino salus nisi ex fide esse non possit: iustus enim ex fide viuit. Quoniam veritas dicit: Amen, amen, dico vobis, quoniam qui audit verbum meum, & credit in eum, qui me misit, habet vitam æternam, &c. Et iterum: hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c. cum itaque huic fidei, quam ideo meritis, & laudibus honorasti, qui magis eam inter liberi arbitrij bona, quam inter Dei dona numerari, æternam beatamque vitam constet partam.*

Vita æterna cœlestis beatitudo.

Vbi notandum est, quod ait: *Qui credit habet vitam æternam*; nempe in spe, in herba, arrhabonem habet Deinde adiungit, fide partam vitam æternam.

Quod vero Lutherus multis verbis hic fiduciationem exaggerat, extra rem, est. Certitudo enim vitæ æternæ non modo fidei certitudinem, sed etiam bonorum operum, & perseuerantiæ requirit.

§. 3. Non minus imperite cognitionem vrget: nã sola fide iubet esse contentos: & Si opera adiungantur, Christi meritis detrahi clamat. *Cognitio est*, inquit, *vita æterna. Et quæ cognitio? nempe, me per Christum fore salium, quamuis opera desint.* Quocirca etiam hoc loco. S. Hilarionem condemnat, post diuturnum Dei seruitium, & miracula de corpore exire trepidantem. Seseque excitantem recordatione vitæ anteactæ.

At vero iniuriam facit sanctissimo viro. Non enim ille suis meritis sine gratia Christi saluari se putauit. nondum insanierat tum Pelagius, sed vita anteacta se consolabatur, quod nihil sibi conscius esset, vt qui peccata pœnitentia deleuisset, eamque Deo vtiomnia bona gratiæ diuinæ accepta referret. Verba autem sunt confidentis in Christo, & bona conscientia fruentis, non vanè gloriantis. Alioquin nec Dauid dicere debuisset; *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Nec Ezechias innocentiæ suæ mentionem inferre. Porro Hilarionem ad mortem semper *S. Hilarionis* paratum fuisse, eadem historia ostendit. *Cum habitaret in tuguriolo annos sensus. natus decem, & octo, latrones ad eum nocte venerunt. Porro clara luce reperto puero, quasi per iocum. Quid, inquunt, faceres, si latrones ad te venirent? Quibus ille post alia respondet. Possum, possum occidi, & ideo latrones non timeo, qui mori paratus sum.*

Non autem damnatum esse, etiam quæ post mortem fecit miracula testantur. *Iamque modius*, inquit Hieronym. *calor tepebat in pectore, nec præter sensum, quicquid viui hominis superer at: & tamen apertis oculis loquebatur. Egredere quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annos seruisti Christo, & mortem times? in hæc verba exhalauit Spiritum.* Hesychius post decem menses corpus eius furatus est, & in antiquo monasterio condidit, illasa tunica, cuculla, & palliolo, & toto corpore, quasi adhuc viueret integro, tantisque fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis videretur. Addit Hieronymus. *Cernas vsque hodie miram inter Palestinos & Cyprios contentionem, hic corpus Hilarionis illis Spiritum se habere certantibus, & tamen in vtrisque locis, magna quotidie signa fiunt, sed magis in hortulo Cypri, forsitan quia illum locum dilexerit.* Hæc ad S. Hilarionis defensionem.

QVÆSTIO II.

An Pater solus Deus?

§. 1. ARianorum famosissimum est hoc loco argumentum. *Hic patrem appellat solum Deum, & filium excludit.* Ita apud Hil. l. 4. & 5. de Trinit. Nazianz. orat. 4. Ambr. l. 5. de fide Augustinum tract. 105. Apud Theophylactum ita proponunt: ὁ πατὴρ θεὸς ἀληθινός, οὐκ ἂν υἱὸς εἴη θεὸς ψεῦδος. *Pater solus est verus Deus filius ergo falsus.* Quibus ille reponit similem argumentationẽ. υἱὸς τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, *filius est lumen verum*, non sequitur tamen, *patrem esse lumen falsum.*

S. Athanasius de suscepta humana natura Christi diuinatem ex hoc loco probat. καὶ ὅτε λέγει ὁ κύριος vita æterna ἐν τῷ κατ' ἰωάνλεω διαγγελίῳ. αὕτη ἐστὶν ἡ αἰώνιος ζωὴ, κα. &c. *Et cum dicit Dominus, in Euangelio secundum Ioannem, hæc est vita æterna, &c. Nouimus enim, inquit, venisse filium Dei, deditque nobis intellectum. vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius Iesu Christo, qui verus est Deus, & vita æterna.*

Ambro-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ambrosius simili modo, Deum esse illum, cuius in cognitione vita æterna ponitur. Non enim creaturæ id conuenit. Theod. Heraclet. respondet patrem dici solum Deum ὡς τὸ ἀγέννητον, quod sit ingenitus. Melior est responsio communis, Nazianz. Cæsarii, Basilii, Cyprian. Theophyl. Euthymii & aliorum. Patrem vocari solum Deum, non vt filius & Spiritus Sanctus excludantur, cum in essentia patris intime includantur, & vt Theologi loquuntur identificentur, sed vt à sanctissima Trinitate omnia idola, omnes dii gentium excludantur.

Optima est responsio Augustini. Ambrosii, Chrysostomi, verba sic coniungenda. Vt cognoscant te & quem misisti Iesum Christum solum verum Deum: illum etiam solum Deum. Nam vna est, & sola vtriusque Deitas. Chrysostomus similem locutionem adfert ex 1. Cor. 9. *An ego solus, & Barnabas non habemus hanc potestatem?* Verba Augustini tract. 105. *Ordo verborum est, vt te & quem misisti Iesum Christum, cognoscant, solum verum Deum, consequenter enim Spiritus intelligitur, quia Spiritus est patris & filij, tanquam caritas substantialis, & consubstantialis amborum, quoniam non duo dij Pater & filius, nec tres dij, Pater & filius & Spiritus Sanctus: Sed ipsa trinitas vnus, solus, verus Deus.*

§. 4. Ariani & Trinitarii recentiores alia sophismata accumulant. *Qui non misit filium, non est Deus, Trinitas non misit, non est ergo Deus. Qui nō habet Christum mediatorem non est Deus. Trinitas non habet mediatorem, non est ergo Deus.*

Respondeo ad primum antecedens esse falsum. At solus Deus est, cuius filius est Christus, Respondeo: Solus exclusis diis falsis, non solus respectu personarum, quæ sunt idem Deus, qui est Pater.

Alterius sophismatis occasionem dedit Caluinus & eius asseclæ, qui Christum mediatorem secundum diuinitatem esse finxerunt. In orthodoxa sententia facile soluitur. Tota enim Trinitas habet mediatorem, Christum secundum humanitatem, quæ adorat, patitur pro humano genere, nec patrem solum colit, sed etiam filium. Quicquid vero creatura obsequii præstat vni personæ, id toti Trinitati exhibetur Hieronymus in cap. 4. Ephes. *Sivt existimant Ariani, Deus Pater est Deus solus; eadem consequentia solus erit Iesus Christus, & sic ne Pater erit Dominus, nec filius Deus, sed absit, vt non sit vel in dominatione Deitas, vel in Deitate dominatio. Vnus est Deus, & vnus est Dominus, quia patris & filij dominatio vna est diuinitas. Præterea, & fides vna dicitur: Quia similiter in patrem, & filium, & Spiritum Sanctum credimus.*

Vbi enim vnus est Dominus, ad vnum obsequia deferuntur: quod etiam Augustinus l. 6. c. 9. de Trinit. exponit. Singulæ enim personæ sunt vnus solus verus Deus, & omnes simul. Ex Domini ergo testimonio inquit, & patrem vnum verum Deum dicimus, & filium vnum verum Deum, & Spiritum Sanctum vnum verum Deum; simul & patrem, & filium, & Spiritum Sanctum, id est simul ipsam Trinitatem, non tres Deos, sed vnum verum Deum.

VERSVS 4.

Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam:

QVÆSTIO I.

Quod opus consummauit?

§. 1. PRimaria pars operis superesse videbatur. tota crucis ignominia, sed consummatum di-

cit, vel de futuro locutus in præterito, quod iam certo certius, & Breui absoluendum esset, vt Augustinus. Vel quod iam inchoasset vt Leontius, vel denique de prædicatione accipiendum est. Vt expositio sit verborum præcedentium; *Clarificaui nomen tuum super terram*; nam in cœlo iam notum erat. *Opus inquit quod dedisti mihi.* Syrus addit: לְאַבָּרָא *ad operandum*, deinde relatiuum adiungit שְׁלִמוּתָא *schalemthech absolui illud.* Christo enim vnicus erat scopus propositus in omnibus, & singulis actionibus, Deum clarificare. In quem omnes etiam homines nascuntur, adeo vt qui id sponte non faciunt, nec virtute; pœna luenda inuiti sint facturi. Quisque enim pensum sui operis à Deo accepti, cuius vel absolutione beatus, vel neglectu futurus est miser, perficere debet.

Finis Christi gloriæ Dei.

Quidam apud Aretium de impletione, & abrogatione Mosaicarum cærimoniarum interpretati sunt: At primarius finis erat Dei clarificatio ex hominum redemptione, consequens erat, vt vmbræ crederent, luci venienti, & figuræ cessarent veritate præsente.

§. 2. Inter hæreticorum interpretes diffusissimus Rudolphus Gualteri, Christi verba ad cofirmationē hæreseos atripuit. [Christus opus à Deo datum consummauit, nullum est ergo opus Dei, nisi sit à Deo imperatum. Proinde peccatum est, quicquid obsequii Deo exhibetur, cuius mandatum non habetur in Scripturâ.]

Respondeo. De scripturâ nihil conuinci. Nam satis est verbo mandari. Nec scripto Christus Apostolis legationem mandauit: nec illi primis Christianis. Hoc ergo in medio relinquimus, tanquam manifeste falsum, cum Sectarii etiam diem dominicam celebrent nullo diplomate iussi. Nulla vero consequentia est: *Christus opus sibi datum absoluit. Nihil ergo faciendum est, nisi de mandato Domini.* Seruus cum mandatâ Domini exhausit, si aliquid faciat iniussus, non peccat. Malum est non obedire mandato, bonum tamen est benefacere sine mandato. Eius generis multæ sunt cærimoniæ, quas si mandatum Dei habere concedant Sectarii, seipsos non obseruando condemnent, necesse est. Si vero absque mandato scelerata esse contendant, sine causa primitiuam Ecclesiam, & viros Apostolicos magnorum criminum accusant. Dionysius Areopagita de Hierarchia cap. 2. varias Baptismi cærimonias recenset, & explicat, & eas quidem iam tum in Ecclesia vsitatas, non contemnas sacratum literarum monumentis: Si illæ tum laudabiles fuerūt, cur nūc non modo irridentur, sed etiam vt damnabiles ἐθελοθρησκείαι accensentur? Si illæ etiam Ecclesiæ tam criminosæ fuerunt, vt Episcopi, martyresque fidem abnegarent, cur Apostoli non obsisterunt? nam Dionysius Apostolorum discipulus, cum sui temporis recenset historiam, & consuetudinem, id narrat, quod ab Apostolis institutum nouit. Ideo mox initio ex λογίοις, docet esse tradenda, & interpretatur S. Maximus διὰ τὼν ἱερεργικὼν διατάξεως παρέλαβεν, *Quod Hierarchiam scientiam ex traditione acceperit.* Quod ipsum initio profitetur. Quod si Augustinū audiamus, tract. 105. date non est hoc loco iubere. *Non ait, iussisti, sed dedisti, vbi commendatur euidens gratia. Quid enim habet, quod non accepit, etiam in vnigenito humana natura?* An accepit, vt nihil mali, sed bona faceret omnia, quando in vnitatem personæ, susceptā est à verbo, per quod facta sunt omnia?

Non omnia scripta.

Quædam non iussi bene facimus.

VERSVS 5.

Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui prius quam mundus esset, apud te.

QVÆSTIO I.

Quæ sit claritas, quam habuit apud Patrem antequam mundus fieret?

§. 1. VErba alioqui clara, si quis sine interprete legat, expositionum diuersitas ambigua reddidit. Nunc, inquit, nam ante te clarificaui, viciſſim me clarifica, atq; adeo ab hoc tẽpore, vt Theophylactus, & Euthymius docent. Clarificatio est claritatis prædicatio, atque demonstratio. Sensus itaque est: Mundo ostende me esse talem, qualem ab æterno me esse nouisti, non seductorem, non prophetam duntaxat, sed filium tuum vnigenitum.

§. 2. Quidam hæc verba sic interpretati sunt, quasi humana natura eâ clarificatione mutanda esset in diuinam, quæ fuit ante mundi constitutionem. Errorem illum Augustinus vt facile confutaret, à veterum interpretatione recessit: & claritatem quam habuit ante mundum conditum, de prædestinata gloria intelligit, atque hæc se dicere propter contentiosos asserit. Verba Augustini sunt. *Ordo* (tract. 105.) *verborum est, quam habui apud te, priusquam mundus esset. Ad hoc valet quod ait: Et nunc clarifica me, hoc est, sicut tunc, ita nunc. Sicut tunc prædestinatione, ita & nunc perfectione fac in mundo, quod apud te fuerat ante mundum. fac in suo tempore, quod ante omnia tempora statuisti. Hoc quidam sic intelligendum putarunt, tanquam natura humana, qua suscepta est, à verbo, conuerteretur in verbum, & homo mutaretur in Deum: Imo si diligentius quod opinati sunt, cogitemus, homo periret in Deo. Ad hanc opinionem nihil vrgere non dicit: Si intelligamus prædestinationem claritatis humanæ. Causa ergo cur sic interpretur, est vt obiectionem illam declinet.*

Humana natura nõ est mutata in diuinitatem.

§. 3. Vetustissimorum scriptorum alia est interpretatio. Clarifica filium, vt mundus agnoscat claritatem diuinitatis eius, quam ante rerum creationem habuit. Hoc enim argumento contra negatores Christi diuinitatis vsi sunt orthodoxi.

Solet vero æternitas describi cum dicitur, aliquid fieri ante mundi constitutionem. Eph. 1. *Elegit nos ante mundi constitutionem.* & Hebr. 7. & 13. Ioan. Epist. 1. c. 5. Si ergo æternus, ergo Deus non extemporarius, sed æternus. Ita Athanasius orat. 4. contra Arianos. καὶ τὸν ἐξουσίαν, ἣν ἔλεγε μὴ τὸν ἀναβασιν εἰληφέναι, τοῦτον ἔσχε καὶ πρὸ τοῦ λαβεῖν, καὶ πρὸς τῆς ἀναβάσεως. *Et potestatem, quam se dixit post resurrectionem accepisse, habuit antequam acciperet, etiam ante resurrectionem.* Et oratione contra Sabellium & eius Gregales. *Memor sit patris dicentis ex vtero ante luciferum genui te. Item filij qui erat ante mundum apud Patrem. atque etiam tũ gloriam Dei posidebat, de se testimonium tale perhibentis: Clarifica me Pater illâ gloriâ, quam habui antequam mundus existeret apud te. Quibus verbis gloriam quidem secundum hominem postulabat, cum testaretur tamen, se gloriam secundum Deum ante mundum habuisse. Habuit autem gloriam ὧν καὶ ὑπάρχων, cum esset, & existeret.* οὐδὲ δόξαν ὧν δεδόξασται. *non enim non existens glorificatus est.* Hæc Athanasius.

Ante Athanasium Nouatianus. *Et quomodo post mundum, qua homo nascitur, sic ante mundum, qua Deus fuisse perhibetur.* Et c. 13. *Quoniam vsque ad summum, nec quisquam in cœlum ascendit, nisi qui de cœlo descendit. Filius hominis, qui est in cœlis. Repetens hoc ipsum dicit: Pater clarifica me eo honore, &c.*

VERSVS 6.

Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo: Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum seruauerunt.

QVÆSTIO I.

Quomodo Apostoli sermonem seruauerunt?

§. 1. MAnifestasse se nomen Dei profitetur, ideo præmium petit, & pro illis orare incipit. De futuro etiam intelligit Augustinus, Theophylactus. Solis fere Iudæis manifestauit, & paucis gentilibus, sed ita vt iam plurimis manifestandum foret. Hier. in Psal. 75. vtitur verbo *reuelandi.* Iudæis etiam Dei nomen qua Pater est reuelauit, *Omnia enim filius,* vt inquit Hieronymus, *nomen est patris.* Adrianus Pontifex hoc testimonio tanquam primario vtitur contra errorem Elipandi Episcopi Toletani. Vide Concilium Francofur. T. 3. parte 1. pag. 412. editionis Binianæ.

Solũ pene Iudæis reuelauit.

Sermonem autem seruauerunt, reuera obediendo, non studio tantum inani, & succumbente tentationibus voluntate. Nam Apostoli cum Christo mãserunt in tentationibus, deinde reipsa non modo conatuum tenus crediderunt, seruati erant à malo. Si autem veram fidem, non elumbem credendi operationem requirit, non dubium est, quin eodem modo & caritatem, & spem requirat. Hinc erroris etiam Caluinus arguitur, qui adeo certam hinc fiduciæ præsumptionem deducit, perinde ac si de ipso Dominus dixisset: *Sermonem meum seruauerunt.* Et dedisti illos mihi.

Vere seruarũt sermonem Apostoli.

Rudolphus Gualteri ex pronomine *Tuum,* etiam concludit: *nullas esse in Ecclesiâ leges à præsulibus dandas, vel obseruandas. Sermonem tuum seruauerunt, non ergo sermo Episcopi vel Pastoris est seruandus.*

Puerilis inscitia est. Imperium regis seruandum est, & ducis à rege missi. Nam si omnem aliam legem excludit sermo Dei. Cur quotidie nouas sibi condunt Respublicæ? Audire propositos iubemur: non contradicere sacerdoti. Obedientia enim magistratui debetur, siue verbo imperet, siue lege aliquid sanciat; Cor. 13. 1. Rom. 13. Ita Concil. Chalced. Act. 15. Romano sub Hilario primo can. 1. Concilio 6. Act. 4. & in 8. Synodo Act. 1. Dei verbo data est prælatis auctoritas imperandi, ideo & subditis imposita necessitas parendi. Nulla est iubentis potestas, si manet in subdito parendi, vel non parendi libertas.

Christi & eius legati sermo seruandus est.

VERSVS 7. & 8.

Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt vere quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.

QVÆSTIO I.

Quid Apostoli cognouerunt?

§. 1. SVperiore capite v. 30. cum discipuli respondent: *In hoc credimus, quoniam à Deo existi,* eos grauiter Caluinus reprehendit, *quod plus sibi tribuant, quam cognouerint. in eo deceptos, quod plus sibi sapere viderentur, gloriari ac si nihil deesset.* Christus autẽ eos defendit. Nomen enim suum ait illis manifestasse, sermonẽ ab illis

illis seruatum nouisse omnia sibi à patre data, verba illos accepisse, & credidisse quod verè à Deo exierit. Eisdem imo euidentioribus asserit, quod ipsi professi sunt. *Credimus quia à Deo existi.* Non est ergo fides fiducia, qua certum haberent, omnia sibi peccata etiã manentibus in illis condonari. Nec Petrus credebat se in abnegationis mendacio, periurio, & anathemate iustum permansurum. Quid ergo nouerunt? Quid credunt? *Omnia à patre data esse Christo, Christum à Deo exisse.* Hoc est obiectum fidei: cui spes deinde adiungitur. Fidem autem assensu definit hic Christus, non volũtatis affectu. Porro ex his omnibus clarum efficitur, fidem non esse ex nobis, sed Dei donum vt crebro inculcat August. & Prosper responsionibus ad excerpta Genuensium. dubio. 4. 5. 6.

Fides non est fiducia.

VERSVS 9.

Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi: quia tui sunt:

QVAESTIO I.

An non pro mundo roget Christus?

§. 1. FAcile est intelligere, quomodo pro discipulis oret quia amici, quia à patre dati. Cur se neget rogare pro mũdo, magna disputatio est. Hæresis Prædestinatianorũ hoc loco exultat; *non orat pro mundo, hoc est reprobis, non ergo passus est pro illis: non ergo possunt illi saluari.* Caluinus *preces pro omnibus fusas ad electos* ait *restringi*, nos ait, *quãuis pro electis oremus simul tamen à Deo petere, vt hostes perdat.* Christi tamen exemplo vti non posse, quod arcana Dei ignoremus. Vt veteres prædestinatianos, taceã, Boquinum, Pincerius, Clebitius, seu vt eum Lutherani vocant Cleinvvitzius, eodem in errore versantur. Sic Simon Simonius l. 2. cõtra Scheckium. Gommarus contra Arminium. Aretius patte secunda problematum. Zanchius in miscellanea doctrina, eumq; secuti Vrsinus, Pareus alij. Qui negant pro omnibus Christum venisse, sed pro paucis tantũ electis. Quos Ioan. c. 1. v. 29. refutat. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Rom. 3. 23. Verum hunc locum cõsideremus: nam paulo post pro crucifigentibus orat in cruce pendens, & merito cum satisfecerit pro omniũ nostrum peccatis, & pro peccatis totius mundi.

Pro omnibus passus est.

§. 2. Ex diuina voluntate antecedẽte, & caritate sua omnium salutem quæsiuit, precium sufficiens, & satisfactionem obtulit, quia tamen etiam hominum in propria salute consensum requisiuit, non fuit efficax redemptio in illis, qui contumaciter restiterunt. Origen. in Epist. ad Rom. l. 2. *Sanguis Christi adeo pretiosus fuit, vt solus pro omnium redemptione sufficeret.* Verissime dictum, sed magna pars preciũ quo redimeretur contempsit, spreta libertate. Sic etiam oratio Christi efficax fuit, vt tamen consensum requireret eorum quibus erat profutura: nec enim inuitos saluare voluit. Sic Euseb. Cæsarien. l. 10 in præfat: Hoc etiam obseruandum, doctores hæreticorum non detorquere ista verba ad blasphemiam, prædestinatianorum, Lutherus in hom. huius loci. *Non orare Christum pro mundo vt eius insaniam*, superbiam, tyrannidem tueatur, & prauis consilijs, actibusq; det successum. Aretius Caluinianus. *Non orare Dominum pro mundo inemendabili, sed alijs:* Speciales esse vero has preces pro Apostolis, & ad solos illos pertinere; illorum enim tutelam commendari singulatim, quod maius onus illis incumbat. Alias pro amicis, inimicis, hostibus, alijsq; omnibus orare filium Dei. Rudolphus non oro pro mundo, *qui pertinaciter in corrupta massa hæret, nec ad Christum accedit, nec admittit venientem.* Sensus verissimus: Christũ, qui pro inimicis orauit, & mortuus est, hoc tempore orare pro solis Apostolis, vt eos consoletur; vtitur vero ratione admodum efficaci & vsitata, cur à patre ex auditi debeat, non enim orat pro inimicis, blasphemis, contemptoribus, idololatris, sed pro amicis, seruis, filijs Dei, quos Deus sibi dederat, has ergo preces Deum exauditi æquum existimabit, qui pro mundo orantem etiã audijt. Nec Christus protestatur se pro mundo nunquam orasse, nec oraturum, sed nũc speciatim Apostolos commendare. Cuius hoc indicium est, quod postea seorsum orat pro creditur is per verbum Apostolorum. Hoc ergo versu solos Apostolos complectitur. Non enim necesse est; omnem orationem semper esse pro omnibus. Sed pro vno alteroue orare licet, non comprehensis omnibus alijs, qui oratione indigent. At si orauit pro mundo, cur non exauditus est, vt se mundus conuerteret? Respondeo: orationem pro illis fuisse sufficientem, vti & dona gratiæ, auxiliaque fuere sufficientia, vt si ipsi quoque vellent, conuerti possent, qui manserunt obdurati. Atq; hac ratione exaudita est oratio mediatoris: non est autem progressa vltra Dei voluntatem cognitam, qua ille salutem illis dare voluit, sed obduratas deserere statuit. Semper autem vt corpora aluit, ita mentes viuificat, gratia sua, non æquali omnes, sed sufficiente tamen singulos præuenit. Optime Prosper. l. 2. de vocatione gentium. l. 2. c. 10. *Patienter igitur & longanimiter tam remotum ab humana cogitatione secretum. Nec tamen quia nequeunt clausa penetrari, ideo etiam reseratorum est praetereundus introitus. Manifestauerunt enim diuinorum eloquiorũ multæ auctoritates, & communia omnium seculorum experimenta docuerunt, iustam Dei misericordiam, misericordemq; iustitiam, nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docendis, iuuandisq; eorum mentibus defuisse. Probat hoc ab initio mundi, etiam ante diluuium fuisse.*

Fides pro solis Apostolis orat.

Non desinit mundo Dei gratia

§. 3. Obijcit Brunsfeldius. *Christus orat pro Apostolis, non fuit ergo in illis liberum arbitrium.*

Respondeo. Imo vero idcirco orauit, quia erat in illis liberum arbitrium, quod deficere poterat, & quo multi abutuntur. Liberum arbitrium gratiæ est indigum, vt rectè faciat, vitia declinet, non destruit gratiam, nec ab ea destruitur. Audierat forte homo & indoctus, & temerarius Pelagianos à patribus conuinci; necessariam esse gratiam, liberum arbitrium bonæ vitæ non sufficere, hinc in eam suspicionem venit, vt putaret liberum non esse arbitrium. Qua in re imprudens Pelagianis subscribit, quorum erat error. Gratiã quam orthodoxi prædicabant, destruere liberũ arbitrium, vt docet Prosper. Epist. ad Ruffinũ de libero arbitrio. *Nimium vero* ineptè *nimiumq; inconsiderate ab aduersantibus dicitur, quod per hãc Dei gratiam nihil libero relinquatur arbitrio. Quamuis enim in paruulis baptismũ transeuntibus manifestissime nullum opus, nullusq; appetitus eorum voluntatis existat: & plerosq; vtentes quidem libero arbitrio, sed auersos à vero Deo, vitamq; in flagitijs exigentes liberatrix regeneratio in ipso exhalandi Spiritus fine sanctificet:* Et paulo post. *Proinde homo qui libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus. Sed per se malus, per Deũ bonus.* Eadem insania laborabãt etiam sem pelagiani, vt videre est in libro Prosperi contra collatorem. Dicemus igitur, & medico sectario. *Quid de elisarum argumentationum ratiunculis fracta studes arma colligere, quid cineres exstincti dogmatis refouendo, deficientis fumi nidorem in redituam flammam conaris accendere? Non est periculum libero arbitrio ex gratia Dei, nec voluntas auferetur, cum in ipsa bene velle generatur? Nam si ideo non putanda est nostra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur; spoliantur libertate filij Dei, qui aguntur Spiritu Dei.*

Gratia nõ tollit arbitrium.

Origenes Lutherus.

Et de vocatione gentium l. 1. c. 8. *Fuit enim in Adam natura sine vitio, qui per voluntatis inobedientiam multa mala contraxit, & in posteros magis, magisque multiplicanda*

Voluntas agit cum Spiritu Dei.

transfudit. Qua vt vincantur atq; in nihilum deducantur, nō effecit, nisi gratia saluatoris, qui opus suum opere suo reparat. Sic enim dicit Ioannes Apostolus: In hac apparuit filius Dei, vt soluat opera Diaboli, & sic rumpit vincula captiui, sic vestit nuditatem spoliati, sic sanat vulnera sauciati, vt quod in ipso agit, etiam per ipsum geratur. Cui vtiq; contra hostem suum non expedit, sine protectore consligere. &c. Nec quia Spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere: quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum est non ablatum.

Christus orauit pro nobis orant & sancti.

§. 4. Aliam etiam hastam, sed retusam, & fractam resumit idem Brunsfeldius. *Christus pro nobis orat, non igitur sancti.* Retorsit iam olim Apostolus hoc imbelle telum: Ecclesiæ enim pro se preces expetit. Quin pro captiuo Petro Ecclesia orabat, nec tum quisquam erat, qui moneret, Christum orasse pro Petro, nouas preces in Christi preces esse contumelios as. Orabant illi Christum, & orationem lacrymasq; iungebant, vt pastorem Dominus liberare dignaretur: orauit Christus pro nobis, vt etiam pro inuicem, imo etiam pro persequentibus, & calumniantibus oremus. Nostras orationes suis iungi. & in vnū quasi colligari voluit, & virtute suarum orationum exaudiri. Non iam hac de controuersia disputo. Hoc tantum dico Christi oratione non modo sanctorū pro alijs preces non prohiberi, sed formari, cum Dominum in illis imitentur. Brunsfeldio oppono Concilium Chalcedon. act. 11. *Flauiano æterna memoria. Ecce vltio, ecce veritas. Flauianus post mortem viuit, martyr pro nobis orat.*

VERSVS 10.

Et mea omnia, tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis.

QVAESTIO I.

Quomodo filij sunt patris, & è contrario?

Christus quomodo accepit.

§. 1. ROgaturum se promiserat, accepisse se à patre professus erat, suboriri hinc cogitatio poterat; filium esse patre minorem: ideoque nec Deum. Eam suspicionem remouet, & omnia patris esse sua, omnia sua esse patris contestatur, non modo Apostolos, mundum, Angelos, sed diuinitatem, substantiam, naturam, sapientiam, omni scientiam, omnipotentiam. Ac proinde qui patris sint etiam filij esse, nec se aliter accepisse, quam æterna generatione, qua Deus est; vel libera donatione, qua homo. Athanasius oratione 4. contra Arianos. p. 254. & Synodis arimini, & Seleuciæ habitis. p. 711. & de sanctissima Deipara. Nā omnia intelligit, excepto solo, quod filius non sit pater, nec pater sit filius. Cætera omnia ait communia εἶεν τὸ θεὸς. Nulla autem creatura, quantumcunque glorios a dicere potest. Omnia Dei mea sunt, quamuis hoc recte dicat, omnia mea Dei sunt, & ego quoque quicquid sum Dei sum. & dial. 2. de Trinit. probat non esse ἀσύγκριτον patrem ad filium, hoc est, incomparabilem, cum filius dicat: *Omnia tua mea sunt,* Et dialogo contra Macedonianos probat; non hoc de solis Apostolis intelligi, sic enim illi interpretabantur, omnes Apostoli tui, mei sunt, & omnes mei sunt tui: Instat Athanasius. οἶδα κἀγώ ὅτι σοὶ τῶν μαθητῶν ἐλάλων εἶπεν τοῦτο. ἀλλὰ συνῆψε τοῖς μαθηταῖς πάντα. οὐκ ἐτι ἐιτῶν, οἱ ἐμοὶ σοί εἰσιν. ἀλλὰ, πάντα ἐμὰ σὰ ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά. *Noui & ego quod de discipulis loquens illa dixerit. Sed discipulis coniunxit omnia. Non amplius dicens: Mei sunt tui, sed omnia tua sunt mea & mea tua.* Eadē in disputatione Laodicena contra Atium repetit, & instantius vrget.

Spiritus sanctus à filio.

§. 2. Si omnia itaque patris sunt filij, necessario consequitur Spiritum sanctum esse etiam à filio. Nā si à solo patre procedit, pater solus spirator est, ac productor Spiritus sancti; hoc ergo cum patre commune filio non est. Non ergo omnia patris sunt filij. Imō cum ratione spirationis filio pater non opponatur, necessario in ea vnum sunt, & idem. Ita Augustinus argumentatur l. 5. c. 14. de Trinitate. Et orthodoxi in Concilio Florentino.

VERSVS 11.

Etiam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos.

QVAESTIO I.

An non iam sit mundo?

In mundo esse est more hominū viuere.

§. 1. ADhuc in mundo erat, si naturam spectes at iā morali quodam loquendi modo aberat, iam enim post aliquot horas abiturus erat, vt solent qui iam in procinctu sunt inter absentes, & qui in extremis, inter mortuos semet numerare. Hinc argumentum sumit Apostolos commendandi Deo Patri. Iam non sum, abeo enim, in itinere sum, & vale dixi. Illi medijs in periculis hærent, defendendi sunt igitur, vt intelligant, meo discessu nihil detrimenti se facere. Sanctum patrem appellat, vt magno se affectu orare ostendat. Quorundam inepta, & si consequentiam spectes, impia est interpretatio. Non sum in mundo hoc est, mundana non sapio, quasi vero ante mundana saperet, qui Deus, nihil nisi diuinum etiam in humana natura cogitauit.

§. 2, Bullingerus sacramentariæ hæresi prodesse putauit, quod dixit: *se non esse in mundo.* Atque in eos grauiter inuehitur, qui alio quodam modo inuisibiliter in mundo esse profitētur. Nullo tamen argumēto, sed sola negatione pugnat. Quasi non possit & adesse suis, & ab illis non videri, qui ostio clauso ingressus est, conclaue, qui per medium hostium ibat, nec videbatur. Non esse in mundo, est, non hominū more viuere, corpore mortali, cibo, potu, somno, cæteraque corporis cura egere. Nam alioqui & corpus etiam post mortem in sepulchro mansit, & post resurrectionem dies quadraginta discipulos instruendo totus in terra mansit; non tamen erat hoc esse in mūdo non enim nisi per interualla, & ad exiguum tempus cum illis agebat, eodem modo nunc quoque in mundo nō est, vt more humano nobiscum versetur, sed modo prorsus admirabili in sacramento, quo nobis sese in cibum & potum donauit.

Sic inuisibiliter nobiscum omnes liturgiæ docent. Liturgia S. Basilij. Et Epiphanius in Ancorato Alijq;, qui præsentiam Christi inuisibilem agnouerunt. Sed alibi, & suo loco de ea controuersia disputaui.

Basilius quidem cum Angelis adesse dicit: σιγησάτω πᾶσα σαρξ βροτεία, καὶ στήτω μετὰ φόβου, καὶ τρόμου ὁ ἁγὸς βασιλεὺς τῶν. Βαλεύοντων προσέρχεται σφαγιασθῆναι. τοῖς πιστοῖς. *Sileat omnis caro humana, & stet cum timore & tremore progreditur enim rex regum vt immoletur fidelibus.* Singulatim Patriarcha Constantinopolitanus, Germanus μεταπεποιῆσθαι *conuerti ait panem & vinum in corpus & sanguinem.* De Caluinianis recte Magnes auctor antiquus. οὐκ ἔστι εὐχαριστία τύπου τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος, ὅπερ τινες ἐφαντάσθησαν, πεπληρωμένοι τοῦ νοῦ, μᾶλλον δὲ σῶμα, καὶ αἷμα *Non est Eucharistia figura corporis & sanguinis, vt aliqui mentis expertes cocinunt, sed potius corpus & sanguis.* Illi fuisse videntur reliquiæ Caphernaitarum. Idem monuit Anastasius contra Caianitas. μὴ γένοιτο ἡμᾶς εἰπεῖν ἀντίτυπον τοῦ σώματος χριστοῦ τὸν ἁγίαν κοινωνίαν, ἢ ψιλὸν ἄρτον, ἀλλ' ἀληθῶς σῶμα, καὶ αἷμα τοῦ κυ-

τῶ κελεύω. *Absit vt dicamus sacram communionem esse antitypon corporis & sanguinis, aut nudum panem; sed vere corpus & sanguinem Christi.* Christus igitur in mundo est etiam secundum humanam naturam, sed ἀοράτως inuisibiliter, non humanæ conuersationis modo, & aspectui conspicuus.

QVAESTIO II.

Quomodo Apostolos vnum esse velit?

§. 1. ARiani veteres & noui, vno ore contra Christi diuinitatem hæc verba contorquent. *Vnũ esse Apostolos vult Christus, vt ipse & pater vnum sunt. Apostoli, non essentia, aut substantia, sed consensu, fidei caritate vnum sunt, eodem ergo modo filius & pater vnum sunt.* Ad hoc Athanasius, Cyrillus. Theodoret. Euthymius, cæteri respondent.

Apostoli aliter, filius & Pater aliter vnũ sunt.

Respondeo. Christum petere, vt Apostoli sint vnũ, non essentia, nõ substantia, sed voluntate & consensu. Argumentum ducit à simili vt vnum sint, sicut pater & filius vnum sunt, voluntate, & consensu, qui necessitate vnũ sunt, vna est enim patris & filij voluntas, quia vna essentia, nec potest esse vlla diuersitas. Hoc exemplũ ponit concordiæ, non æqualitate in vnitate posita, sed similitudine. Vt cũ dicit estote misericordes sicut & pater vester cœlestis misericors est, nõ hoc imperat, vt per essentiam infinitam, immutabilẽ misericordes simus, & Dei infinitam, bonitatem, humana infirmitas adæquet, sed vt pro nostro modulo misericordiam Dei imitemur. Nec inepta est illa cõparatio vt l. 1. de Trinitate blasphemat Seruetus: nam inter disparata esse potest. Summum. n. atq; absolutissimũ consensionis & amoris exemplar est in Deo, vbi personarũ inter se amor, est vna, indiuisa simplicissima essentia, & perfectio infinita, hoc vtcunq; creatura rationis particeps imitetur, tantum tamen abest à perfectione, quantum creatura à factore suo.

Athanasius orat. 4. contra Arianos, hoc Argumentum dissoluit. Objiciebant illi, ἕτως ἐστιν ὁ υἱὸς, καὶ ὁ πατὴρ ἓν, καὶ ἕτως ἐστιν ὁ πατὴρ ἐν τῶ υἱῶ, καὶ ὁ υἱὸς ἐν τῶ πατρὶ, ὡς ἂν καὶ ἡμεῖς ἐν αὐτῶ γενώμεθα. *Sic est filius & pater vnum, & sic pater in filio, & filius in patre, sicut, & nos esse possemus.* Deinde hunc locum adducunt. Commodum autem fuerit Athanasium ipsum audire, orat. 3. *Si enim, (vt sapius iam dixi) verbum est in nobis idem, quod est in Deo, neq; id vllam præterquam in modo temporis differentiam habet: Esto, sit simile verbum Dei nobis, & eundem locum nobiscum apud patrem possideat. &c. Æquum erat, nos tales esse, qualis & ille est.*

Et paulo post. *Vt igitur bene & recte eo sensu hæc verba intelliguntur, ita quoq; in verbis Ioannis similis intellectus cõstituendus est: & non prout filius est in patre, ita & nos simus. Qui enim aut vnde id fieri poterit, cum ipse sit verbum & sapientia Dei, nos autem terreni? Ipse natura & essentia verbum, & verus Deus; nos contra non natura sed adoptione & gratia filij reddimur per eum, idq; participatione ipsius Spiritus?*

VERSVS 12. & 13.

Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

QVÆSTIO I.

Cur Iudas perierit?

§. 1. SEruasse se omnes affirmat, solum Iudã excipit. Seũ enim perijsse, vt scriptura impleretur. Scriptura est Psal. 41. 10. & Psal. 69. 26. & Psal. 108. 8. Act. 1. 10. Omnes interpretes adnotarunt, particulam ἵνα non causam, sed effectum significare. Ita Theophyl. Alijque, Cyrillus, Augustinus, & quod Mireris Caluinus & Aretius; *non enim prædictio causa est, vt res eueniat, nec enim præuidendo peccaturum peccare cogo.* Improbe ergo causam proditionis Deo transcribit Zwinglius, & eum imitati rigidi Caluiniani, non enim ille causa est malitiæ Iudæ, nec Deus illum in scelus impulit, sed sponte sua, & Satanæ tentatione ausus est immane nefas. Obseruanda etiam & admonitio Aretij, *neminem oportere securum esse: si enim ille concidit, quid alys metuendũ est?* Si metuendus est lapsus non est promissa perseuerantiæ securitas. *Scriptura non est causa facti.*

§. 2. Seruarat igitur eos in nomine patris, tanquã legatus illius, nunc se commendasse eos patri profitetur, vt gaudium suum sit plenum in ipsis, nempe vt gaudium quod dedit ipsis discessu non pereat, sed impleatur, vt nunc doceantur, fore, vt ipso absente etiam plura accepturi sint è cœlo dona.

§. 3. Bullingerus in suo commentario multa subinde ex Cyrillo describit, hoc loco prolixus est, in eodẽ citando, imaginatur enim sibi eũ fauere. [Rursus aũt gratissimam rem lectoribus facturus mihi videor, inquit, si sanctissimi & acutissimi viri S. Cyrilli enarrationẽ huius loci ex libro eius in Io. 11. c. 21. in hoste nostros cõmentarios transcripsero. Propter eos præsertim qui bonorum librorum inopia laborant. Paulatim clarior saluatoris redditur sermo, & quasi ab vmbra ad solis radios aut à fluctibus ad stationem reducitur. Putabant enim discipuli absentiam Christi, vt hominis dico, (Deus enim vbiq; adest) multorum enim incommodorum causam futuram, cum non adesset, qui ab omnibus posset eos malis eruere. Sed oportebat, (vt liberè dicam,) si luminaria orbis postea facti sunt, non solum in carnem Christi, verum etiam in deitatem respicere. Et: oportuit eos intellexisse, ineffabilẽ deitatis potestate, vna cum eis semper futurũ, etiamsi carne abesset. Et: aperte significans eos deitatis ratione, non carnis præsentia posse seruari. &c. 22. Nam cum præsens esset carne Christus cum discipulis, vniuersa se facile superaturos pericula putabãt. Illo absente omnia extrema passuros esse arbitrabantur. His Dominus respondit, vt ait Cyrillus, in hunc sensum. Nihil mali vobis accidere potest, si carne abfuero, cum deitatis meæ potestas, quæ vos hucusque seruauit, in posterum conseruatura sit.] *Deitas nõ humanitas Christi seruat.*

Hæc ille ex Cyrillo, quæ cũ omnia sint orthodoxa, solent tamen Caluiniani ad errores suos vsurpare. Primo vt doceãt carnis Christi præsentiam nullam esse: Deinde eam nihil prodesse. Posterior quidam error à Cyrillo refutatur, *nũ enim caro vt caro: caro vt humana caro potest quicquam, sed vt Dei caro.* Atque ita quidem non omnia omni potest modo. Nam tantum vt Dei caro potest, vt organum diuinitatis. Nam qui potest facere quod Deus, & quomodo Deus, ille Deus est. Nec tamen sequitur carnem Christi, vt est Dei caro vtilem nobis non esse, Quia etiam tum cum secundum carnem adesset Christus, deitate suos seruabat, nec tamen carnis præsentia erat inutilis, nec inutilis est Solis præsentia, quamuis Deus incrementum det, & plantatoris ac rigatoris laborem prospero exitu prosequatur. Quandoquidem autem Bullingerus Cyrillum Alexandrinum & sanctissimum & acutissimum appellat, merito ex eo quærimus, cur ipse non sequatur, cur nos eum sectantes con- *Caro Christi vt caro Dei prodest.*

tes condemnet? Verba sanctissimi, & acutissimi auctoris sunt, approbata etiam à Concilio. *Si quis carnem Domini non confitetur esse viuificam, & ipsius verbi, quod ex Deo patre est, propriam, sed tanquam alterius præter ipsum: &c.* Ita anathematismo vndecimo, contra eos qui veritatem illam negabant. In Eucharistia esse idem corpus demonstrat. In declaratione vero proprie sanguinem & corpus esse docet. *Sanctum ac viuificum, incruentumq; in Ecclesia celebramus sacrificium, non hominis alicuius nobis similis, & communis corpus, consimiliter & pretiosum sanguinem, quod præponitur credentes, sed magis tanquã proprium viuificantes verbi corpus & sanguinem accipimus. Communis enim caro viuificare non potest.*

Veritas Eucharistiæ.

Et Epistola ad Calosyrium. *Nec dubites* an hoc verũ sit, eo manifeste dicente; *Hoc est corpus meũ: sed potius suscipe verba saluatoris in fide. &c. Insaniũt igitur, dicentes mysticam benedictionem, à sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ eius remanserint in diem sequentem. Non enim mutabitur sacrosanctum corpus Christi sed virtus benedictionis, & viuificatiua gratia iugis in eo est.* Et: *Ne enim horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ, quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis. Vnde subdit: Hoc facite in meam commemorationem.* Quod si vinum sanctissimum & acutissimum sequi ipse detrectat, eos saltem qui doctrinam eius amplectuntur, non contemnat.

VERSVS 14. & 15.

Ego dedi eis sermonem tuum, & mũdus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.

QVAESTIO I.

Cur non sint de mundo?

Apostoli non sunt de mundo.

§. 1. INter cæteras causas commendationis est & illa, quod non sint de mũdo, vti nec Christus de mũdo, ideo mundus eos oderit, Duplex hic ratio; quod hostibus Dei sint odio, tanquam hostes; & quod secum sint quasi eiusdem patriæ, & iam in aliam ciuitatem transcripti, patriæ & populi peccantis obliti. Magna interim consolatio, in mundi odio diuinum in se amorem experiri, Deo carum esse, in cuius conspectu mundus est, quasi arena exigua. De mundo tamen nõ tollit, quia certamini permittit, sine quo coronari non possunt.

§. 2. Seruari eos à malo, est defendi & adiuuari ne vincantur à diabolo. Nam Græce est ἐκ τοῦ πονηροῦ, ex malo, improbo, scelerato dæmone, qui noctes & dies circumit, quærens, quem deuoret. Syrus habet בִּישָׁא *men bischa*, quod vt Latinum ad rem & personam refertur. Quibus ex verbis etiam Pelagiani refutantur, qui hominem suis viribus à malo liberari, & vincere malignum posse docebant.

VERSVS 16. 17. & 18.

De mundo non sunt: sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.

QVAESTIO I.

Quomodo sanctificati Apostoli?

Sanctificatio Apostolorum.

§. 1. Ἁγιάζειν varie vsurpat scriptura, vt etiam Hebræi verbum קִדֵּשׁ *kadasch*. Duæ sunt significationes, primariæ. Nam significat separari, atque ad munus aliquod destinari. Deinde infusa sanctitate iustificari, idque vel prima iustitia, qua pellitur peccatũ, vel augmento iustitiæ, quo sancti magis ac magis sanctificantur. Vide Gen. 2. 3. Exod. 20. & 29. 11. & 13. 18. Num. 3. 18. & 8. 18. & 11. 22. 26. Certo tenendum est, vtraque sanctificatione Apostolos præditos, iustificatos erant, & accepto Spiritu, ingenti virtutum ac gratiarum incremento ornandi. Destinati erant ad conuersionem gentium, & paulo post reipsa in opus mittendi, matura iam messe. Sunt deinde illa connexa, legitima vocatio ac missio, & sanctificatio, seu dona, quæ ad fungendum officio sunt necessaria. Caluinus etiam sanctitatem & iustitiam complectitur nomine sanctificationis, quod alij Caluiniani negant, iustitiam enim sola imputatione definiunt.

Vera sanctificatio.

§. 2. In veritate sanctificari eos vult, hoc est sermone Dei, in Christo, in cœlesti sapientia, fide vera, viua, non mera & falsa imputatione sanctitatis, & iustitiæ, vt sint quidam adulteri, homicidæ, qui à Deo pro iustis habeantur. In veritate non modo vmbris, & inuolucris antiquæ legis. Hoc ergo modo omnib. numeris iustitiæ, sanctitatis, & donis sapientiæ, prophetiæ, linguarum absolutissimos legatos in mundũ misit, vt nemo qui eos audisset, à Deo missos esse posset ambigere.

Ecclesia.

§. 3. Hæc sanctificatio eo tendebat, vt certo constaret, Ecclesiam Christi ea Spiritus sancti prærogatiua fruituram, vt in dogmatibus fidei non aberraret. Nec modo collegium Apostolicum ea gratia claruit, *suam habet semper* sed fideles etiam, qui Apostolis crediderunt, quique discipulis Apostolorum, in omnem posteritatem; nã *auctorem* pro illis etiam Dominus orauit. Quamuis vero fide- *tatem.* les errasse singuli potuerint, in Ecclesia tamen publica perseuerauit auctoritas, quæ nec falli potest, nec fallere. Ita vt non in verbo retinendo, & legendo, sed etiam exponenda eius sancta sint dictata.

§. 4. S. Athanasius dial. 3. contra Macedonianos, docet Spiritum sanctum Deum esse. Cum enim Macedonianus obijceret: *Spiritus sanctus ἁγιάζει sanctificat ὃν κτίζει* non *creat.* Subijcit orthodoxus. *Dei quidem opus esse creationem, sed non maius, quam sanctificationẽ.* Nam sanctificare Dei esse opus, ex hisce probat verbis. Christum quidem Deum esse qui seipsum sanctificet, nos autem seruos, qui ab eo sanctificamur, idem docet. Nos per imitationem virtutis imbuimur, & reddimur filij. Itaq; ille filiationem in sanctificatione ponit.

QVAESTIO II.

An sanctificatio quæ est in veritate contraria fit consecrationi sacerdotum?

§. 1. MOuent quæstionem nonnulli sectariorum. Rudolphus Gualteri impotentiore stoliditate rem vrget pag. 341. [Docet præterea locus in- « quit hic, sanctificationem veram per verbum Dei fie- « ri, non inanibus cærimonijs, aut superstitiosis pre- « cularum anilium, aut exorcismorum demurmura- « tionibus. Quare sancta censeri debent, non quæ suf- « fitu, aquæ lustralis aspersione, crucibus, & histrioni- « ca gesticulatione consecrata sunt, sed quæ Dei certo « mandato ad bonum vsum destinata sunt?] Hic om- « nes consecrationes, & benedictiones recenset.

Respon-

Consecrationes probata.

Respondeo si quidem de cærimonijs & benedictionibus cõtrouersia moueatur; habere nos expressum Dei verbum & factũ; *Omnis enim creatura per verbum Dei, & orationem sanctificatur.* Quin Christus panes benedixit, vt suo loco ostendi. Porro sanctitas seu locorum, seu vestium, seu aliarum rerum in eo consistit, quod singulari modo ad cultum Dei atque vsus sacros deputentur. Alia est prorsus ministrorũ Dei sanctitas, qui præterquam quod ad munera diuina ordinantur, interiora etiam dona à Deo recipiunt, seu gratiam sacramentorum, qua legitimè officium obire possint. Non enim debet se alijs ducem, præstare, τὸν οὐ μετὰ πᾶσαν ἕξιν αὐτὸ γεγονότα θεοειδέστατον, καὶ πρὸς τῆς θείας ὑπεροψίας καὶ κρίσεως ἀριθμὸν ἀναδεδειγμένον, *qui non secundum omnem sui habitum Deo similimus sit effectus, & Dei instinctu iudicioque moderator designatus.* Cuius cõtrarium fieri in sua Ecclesia ipse Rudolphus calũniator fatetur. Non sine cærimonijs suffitu, crucis consignatione ministros docet nos Dionysius Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia. ὁ μὲν ἱεράρχης ὑπὸ τὴν ἱερατικὴν τελείωσιν προσαγόμενος, ἀμφοτέρῳ πόδε κλίνας ὑπὲρ προθύρου τῆς θυσιαστηρίου, ὑπὸ κεφαλῆς ἔχει τὰ θεοπαράδοτα λόγια, καὶ τὴν ἱεραρχικὴν χεῖρα. ἣ τούτῳ τῷ τρόπῳ, παῖς παναγεστέρας ὑπακήκοεν ὑποτελεῖται. ὁ δὲ ἱερεὺς ἅμφω τὼ πόδε κλίνας ὑπὲρ προθύρου τῆς θείας θυσιαστηρίου, ὑπὸ κεφαλῆς ἔχει τὴν ἱεραρχικὴν δεξιάν. καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ πρὸς τὸ τελοῦντα αὐτὸν ἱεραρχικὰς ἱεροποιοῖς ὑπακήκοεν ἀγαλίζεται. ὁ δὲ λειτουργὸς ἑνὸς τῶν ποδῶν κλίνας ὑπὲρ προθύρου τῆς θείας θυσιαστηρίου, ὑπὸ κεφαλῆς ἔχει τὸν τὰ τελοῦντα αὐτὸν ἱεραρχικὰ δεξίαν τελοῦμενον ἐπ' αὐτοῖς τοῖς τῶν λειτουργῶν τελεστικοῖς ὑπακήκοεν. ἑκάτερον δὲ αὐτῶν ἡ σταυροειδὴς ἐνσημαίνεται πρὸς τὸ τελοῦντα ἱεραρχικὰ σφραγίς, καὶ καθ' ἕκαστον ἀναῤῥήσεις ἱερὰ γίγνεται, καὶ τελειωτικὸς ἀπασμὸς, ἀπαρξομένου παντὸς ἱερατικὰ παρόντα ἀνδρὸς, ἢ τὰ τελεσθέντα ἱεραρχικὰ τὸ πρὸς τι τῶν εἰρημένων ἱερατικῶν ταγμάτων ὀνομοθέτηται. *Pontifex quidem, qui ad consecrationem in pontificem adducitur, vtroque genu flexo ante altare, supra caput habet Euangelia à Deo tradita, manumq; pontificis, atque hoc modo ab eo pontifice, qui eum consecrat, sanctissimis precationibus appellationibusque consecratur. Sacerdos autem flexis ante aram genibus, capiti suo admotam Pontificis manum dextram habet: Atq; ita pontifice, qui eum consecrat sanctis precationibus consecratur. Minister vero genu altero flexo ante altare, dextram manum Pontificis, qui eum consecrat, super caput habet, ab eoque consecratur ijs precationibus, & inuocationibus, quibus ministri consecrari solent. Vnicuique vero eorum signum crucis à consecrante pontifice imprimitur, & singulorum nomen & gradus declaratur, perficiensque salutatio, adhibetur omnibus Ecclesiastici ordinis consalutantibus ac pontifice consecratore, eum, qui in aliquem ordinem Ecclesiasticum eorum quos enumeratimus, cooptatus est.*

Quo loco sunt etiam cærimoniæ non nominatæ ab hæretico. Vide & S. Maximum in eum locum περὶ τῆς θυσιαστηρίου καθιερώσεως, *de altaris consecratione*, καὶ τῶν ἱερατικῶν χειροτονίας, *& Ecclesiasticorũ ordinatione.* Nec anileum precularum demurmurationibus, aut Episcoporum histrionica saltatione fiunt ista, sed sanctis orationibus, gestu graui, lectione scripturarum, hæc omnia areopagita vocat, non preces aniles, sed πλεστουργοὺς εἰκόνας τῆς θείας δυναμέως. *Perfectionis seu consecrationis effectrices imagines diuinæ potestatis.* Habere eos ait Deum τῶν οἰκείων ἐνεργειῶν ἐν παντὶ καθηγεμόνα. *Suarum actionum in omnibus ducem.* Crucis signum ferre nõ potest nec dæmon nec vero Rudolphus: At vero crucis signum, seu sigillum, σφραγίδα enim vocat Dionysius mysterium continere docet. ἡ σταυροειδὴς δὲ σφραγὶς τὴν ἀπίστων ὁμοῦ τῶν σαρκικῶν ὀρέξεων ἀνενεργησίαν, καὶ τὴν θεομύητον ζωὴν, ἀφορῶσαν ἀκλινῶς εἰς τὴν ἀδελκὴν ἡσῦ θειότητα ζωὴν, ἄχρι σταυροῦ, καὶ θανάτου μετὰ θεαρχικὴς ἀναμαρτησίας ἐλληνθότα, καὶ τὸς οὕτω ζῶντας, ὡς ὁμοειδεῖς ἐνσημαίνοντα τῇ σταυροειδεῖ τῆς οἰκίας ἀναμαρτησίας εἰκόνι. *Signum figura crucis impressum significat omnium simul corporearum cupiditatum cessationem, seu inefficaciam, diuinæ vitæ imitationem, quæ constanter, humanam Iesu, diuinissimam vitam intueatur, qui ad crucem vsque & mortem cum impeccabilitate à diuina subsistentia procedente peruenit, & eos qui sic venit, quasi similes figurã gerentis crucem, propriæ impeccabilitatis, insignit.*

Contemnunt templorum consecrationem, & basilicas hæretici exemplo maiorum Eustachius martyrum basilicis contemptis priuatum conuentus agebat, vt est in concilio Gangrensi c. 5. 6. 20. apud Sozom. l. 3. c. 13. Socratem l. 2. c. 25. De Eunomianis testis est Hieronymus contra Vigilantium, eos Basilicas Apostolorum & Martyrum ingredi nõ solitos & Gennad. c. 73. Amb. vero l. 3. c. 85. Epistolarum, se basilicãni dedicasse. Verum hæc obiter; alius est enim de his dicendi locus. Tantum responderi homini improbo oportuit, qui hæc inducta sub regno Antichristi fabulatur. Ignarus se Ecclesias omnes, etiam Apostolicas hoc nomine infamare.

VERSVS 19.

Et pro eis ego sanctifico meipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate.

QVÆSTIO I.

Quomodo pro suis se Christus sanctificet?

§. 1. SAnctificat se Christus pro Apostolis, ac toto mundo, offerendo se hostiã, vt omnes qui nà tura erant peccatores sanctificarẽtur. Pro Ecclesia itaque iam se à principio sanctificabat, vt Apostoli quoque sanctificarentur, & alij partim ad prædicandum, partim ad martyrium destinati, omnes vero ad veram sanctitatem, quam non nisi ex Christi sanctitate habere possunt. Vere Chrysostom. τί ἐστιν ἁγιάζω ἐμαυτὸν. προσφέρω σωτῆρίαν, αἱ δὲ θυσίαι πᾶσαι ἅγιαι λέγονται. καὶ κυρίως ἅγια τὰ τῷ θεῷ ἀνακείμενα. *Quid est sanctifico meipsum? Offero tibi sacrificium, omnia vero sacrificia sancta dicuntur. Et proprie sancta, quæ Deo sunt dedicata.*

Sanctificatio est oblatio.

§. 2. Hinc constat mortem proprie sacrificium fuisse, cum ipse se sanctificaret offerendo, & animâ suam poneret pro multis. Sic enim nobis sanctificationem parauit. Quare impium est dogma Socini par. 2. c. 2. p. 21. Christum non alio modo nobis propitiationem esse, aut sanctificationem, quam olim fuit arca fœderis. Nam illa erat etiam ἱλαστήριον, & sacrificia erant ἱλασμοὶ propitiationes, sed arca tantum idcirco, quod in ea se Deus propitium ac placatum ostenderet, non quod cedrus, vel aurum Deum placaret, in veterum etiam sacrificiorum oblatione nulla vis erat, vt Deum redderent propitium, aut sanctificationem conferrẽt. Quid enim carnium nidores, aut sanies & cruor ad diuinam misericordiam, aut munditiem animarum conferret? Par ratio est in Christo vt mentis expers argumentatur Socinus. At longe diuersa erat typorum, alia veritatis ratio. Illa sacrificia nihil poterant, tantum præfigurabant, vnicum quo Deus placandus erat sacrificium, quod erat in sanguine dilecti; Arca & sacrificia solam significationem remissionis peccatorũ & sanctificationis continebant, qui tamen rite, adorabant, & sacrificabant, reuera sanctificabantur, sed in sanguine agni olim fundẽdo, in morte inquam mediatoris. Misericordiam autem Deus in arca ostendit, vt in figura Christi, ad quem nos illa ducebat. Occasio tam tætri erroris dedit Caluinistarum opinio de sacramentis nouæ legis. Nam cum viderent Socinus omnia loca scripturæ, quæ illis vim lauandi, mũdandi, sanctificandi, tribuũt, eludunt, atq; ad nudã significationẽ referunt, Animaduertit igitur

tanto

tanto magisterio edoctus Ostorodius & Socinus, eadem interpretatione etiam efficientiam omnē, quæ Christi sacrificio tribuitur posse euerti.

§. 3. Hinc Christum nobis sanctificationem dedisse videmus: atq; inde colligimus: eū nobis esse iustitiā, vt est sanctificatio. Caluinus de sanctificatione recte, de iustitia nō recte. [His verbis clarius explicat, ex quo fonte fluat illa sanctificatio, quæ per Euangelij doctrinam in nobis peragitur: Nempe quia seipse patri consecrauit: vt eius sanctitas ad nos perueniret. Sicuti enim à primitijs benedictio diffunditur in totū prouentum ita nos Spiritus Dei Christi sanctitate aspergit, facitq; eius participes, neq; id imputatione solum (nam hac ratione dicitur nobis factus esse iustitia.) Sed dicitur etiam factus esse nobis sanctificatio, quia nos in sua persona patri quodammodo obtulit, vt Spiritu eius renouemur in veram sanctitatem.] Errat dum iustitiam sola imputatione definit, & ab ea sanctitatem diuersam facit: Christus nobis facta est iustitia, dum veram iustitiam infundit, sanctificatio dum nobis eandem iustitiam donauit, & Deo consecrauit. Hæc sanctificatio in morte Christi vim omnem exercuit, cū sese sanctificans immolaret summus Pontifex, & vt in Syro est: מקדש אנא נפשי *sanctificans ego animam meam.* Animam enim hoc est seipsum Deo obtulit, vitam, merita, omniaque quibus nos sanctificauit.

Christus nobis est iustitia vt est sanctificatio.

VERSVS 20. & seqq.

Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: &c.

QVÆSTIO I.

Quid pro credentibus petat?

§. 1. VT omnes sint vnum, sicut tu pater in me, & ego in te. *Vt & ipsi in vnum sint: Deinde vt credat mundus quod tu me miſisti.* De primo prolixe agit Athanasius oratione contra Arianos. *Non identitatem, sed similitudinem significare.* Nam qui dicit καθὼς, non ταυτότητα sed εἰκόνα, & paradeigma dicit. *Non dicit autem vt vnum sint in te, vel ego & ipsi in te vnum, sed vocem quemadmodum subinsert.* Verum de vnitate iam ante dictum est. S. Cyprianus Epistola 75. monet non posse esse inter eos vnitatem, qui à Deo sunt separati.

Aliter nos vnum, aliter pater & filius.

§. 2. Mundum nonnulli hoc loco pro electis, alij pro reprobris accipiunt. Malo accipere vniuersè pro hominibus, quorum aliqui nō credebant, postea crediturі, alij ne postea quidem erant crediturі, sed cogebantur tamen fateri illa esse signa, eam vitam Apostolorum, vt prudenter negari non posset Christianæ fidei veritas. Ideoque & mundus, qui conuictus, non tamen manus dat Deo, condemnabitur. Mundus etiam credens sed fidem operibus negans, in eadem est damnatione.

Mundus hic omnes continet.

VERSVS 24.

Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi &c.

QVAESTIO I.

Quod præmium credentium?

§. 1. BReui sententia, sed insigni proponit. *Vt sint vbi & ipse est*, nec modo præsentes, sed tanquam amici omnibus eius fruātur bonis. Atq; hoc est, quod Philip. 3. dicit: *conuersatio nostra in cœlis est*, Tales, inquit Cyprianus, libro de mortalitate, *nos futuros & Christus Dominus pollicetur, quando vt cum illo simus, & cum illo in aeternu sedibus viuamus, atq; in regnis cœlestibus gaudeamus patrem pro nobis precatur dicens*: Pater quos dedisti mihi, &c. *Venturus ad Christi sedem, ad regnorum cœlestem claritatem, lugere non debet, & plangere, sed potius secundum pollicitationem Domini secundum fidem veritatem, in profectione hac sua, & translatione gaudere.*

§. 2. Verbum *volo* multi precantis, non absolute volentis quasi ex auctoritate existimant, atque ita accipi solent interdum verba cum magna fiducia orantium: Cerealis tamen contra Maximinum diuinam Christi auctoritatem exinde probari existimat. Magnopere obsetuandum est hoc loco præmiorum spe Christum discipulos ad virtutē excitare. Exinde clarū est, spe præmij cœlestis recte agere licitum esse. Quod contra suos symmystas hunc in locum, pagina 345 etiam docet Rudolphus Gualteri. Nunc, inquit, de futuri sæculi præmijs admonet, quæ in finem vsque perseuerantibus præparata sunt, & eorum consideratione confirmati, aduersa omnia patienter ferant. Quin etiam Deum iustum redditurum præmia affirmat, & si non reddat fore iniustum.

Volo vitiū precantis est.

CAPVT XVIII.

HÆC cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius. 2. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. 3. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc laternis, & facibus, & armis. 4. Iesus itaq; sciens omnia quæ ventura erant super eum processit, & dixit: Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenū. Dicit eis Iesus. Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. 6. Vt ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. 8. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. 9. Vt impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. 10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit pontificis seruum: & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. 11. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? 12. Cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum: 13. Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat autem socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. 14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis; Quia expedit vnum hominem mori

Non est in Cedron

mori pro populo. 15. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ: & introduxit Petrum. 17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. 18. Stabant autem serui, & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se, erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. 19. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. 20. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. 22. Hæc autem cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu dicens: Sic respondes Pontifici? 23. Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se: Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? negauit ille, & dixit: Non sum. 26. Dicit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? 27. Iterum ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit. 28. Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur sed vt manducarent Pascha. 29. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? 30. Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam. 32. Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit significans qua morte esset moriturus. 33. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? 35. Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? 36. Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaq; ei Pilatus. Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum. 40. Clamauerunt ergo rursum omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barrabbas latro.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM

ARGVMENTVM.

IN hortum venit cum milite, & Iudæorum satellitio Iudas, obuius venientibus vadit Christus, & interrogat quem quærant, clamantibus vero; Iesum Nazarenum: respondet: *ego sum.* Quo audito supini cadunt. Tandem se illis permittit, iussis Apostolos dimittere, Petrus Malcho auriculam abscindit: Christus restituit, à Pontifice Christus examinatur, & alapâ cæditur.

In Ecclesiâ Syriacâ legitur ad versum 28. vsque. *In nocte parasceues crucifixionis.* Inde verò matutinis feriæ sextæ. Pleraque exposita sunt in aliis Euangelistis. Quædam tantummodo notanda occurrunt.

VERSVS 1.

Hæc cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius.

QVÆSTIO I.

Quis torrens Cedron?

§. 1. QVi legerunt πέραν τ χειμάῤῥ τ κέδρων similitudine nominis lapsi sunt: neq; enim in valle illa Cedri erant: nec locus Cedrorum in Hebræo vocatur, nec in Syro mentio est ארזין Cedrorum, sed legitur לעברא דרגלתא דקדרון *Leghebra dargeltha dekedrun, ad transitum vadi Kedrum.* Error itaq; est in Regiis & plerisque aliis libris Græcis, ex Latino, Syro, & vera historia corrigendus. Nam 2. Reg. 15. 23. Septuaginta vocant τ χειμάῤῥον κεδρων, vbi legitur κεδρὼν accentu in vltima, non prima, & paulò ante significat vallem vocatam Cedron ἐν χειμάῤῥῳ τ κεδρων in torrente τ κέδρων, Cedronis, nempe vallis. Hebr. בנחל קדרון *in torrente Kidron,* Quamuis etiam נחל sit vallis, quamuis aqua careat. 3. Reg. 15. 13. in eadem valle idolum combussit. & Iosias 4. Reg. 23. 12. cinerem idolorum proiecit in torrentem Kidron. Torrens igitur & vallis Kidron, hoc est, obscura, tenebrosa, tristis, appellatur, ab Hebræo קדר Kadar, non à Cedris. Iosephus his suffragatur l. 5. c. 8. de bello Iudaico. πρὸς ἑπτάκοντα ὁ ἀὼ τοῖς ἀπέχουσας τ ἱεροσολύμων ἐξ ἀπεχουσας σταδίοις σταυροπεδοῦσθαι, κ τὸ ἐλαιῶν ἀκαλέμυον ὄρ, ὁ τὴ πόλει πρὸς ἀνατολὴν ἀντικειται μέσῃ φάραγγι βαθείᾳ διειργόμυον ἡ κεδρὼν ὀνόμασται. *Præceptum illis erat sex stadiis Ierosolymis distantia castra metari, ad montem dictum oliuarum, qui contra vrbem ad Orientem situs est, Media valle profunda discretus, quæ Cedron appellatur.* Sic penè etiam Hebræum exemplar histo iæ Iudaicæ Veneris impressum l. 6. Titum enim ait venisse ad montem oliuarum, quem vallis illa dist rminat, addit etiam גאין מי מים רבים תמיד. *Et non in illa aquæ multæ semper.*

Non est vallis Cedrorū.

Dauid itaque Typus Domini transeuntis erat. Ille quidem filii furias euasit, Christus se obtulit; nam ad locum venit, non fugæ causa, sed vt inueniretur.

VERSVS 2.

Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.

QVÆSTIO I.

Vnde sciebat Iudas?

§. 1. FRequenter eo solebat accedere Dominus, nec dubitabat, ea etiam nocte venturum Iudas. Voluit in horto capi Dominus, nam in horto captum erat humanum genus, frequenter eo se conferebat Dominus, quasi in Palęstram, in qua initium erat sumpturus sui certaminis. Hinc & Iudas locum norat. *Iudæ locum nouit.*

§. 2. Oportune monet hoc loco Rudolphus Gualteri Caluinianus, Iudam typum esse hæreticorum, qui Scripturas corrumpunt, maxime apostatarum. [Vt enim, *inquit*, eius, (*Scripturæ*) mysteria quodammodo degustarunt, ita norunt fere, qui primi oppugnandi sint, quibus vtendum artibus, & qua parte vires adhibere maximas oporteat. Exempla huius rei in hæreticis habemus, qui cum Ecclesiæ societatem reliquunt, fere horribiles turbas dant, dum ex Scripturæ hortis decerptos flores, sophisticis artibus contexunt, & infirmis fucum faciunt, quorum multos suis dolis in errorem inducunt. *Probat exemplo Iuliani. Et concludit:* Norunt enim hortos illos, & sæpe in eos ingrediuntur, non vt Christum & Ecclesiam eius iuuent, sed vt prodant: itaque, vt quæ per se salutaria sunt, illis lethifera fiant.] *Iudas typus hæreticorum.*

Nihil dici potuit melius, nihil quod in dicentem conueniat aptius, qui apostata præceptores habuit, qui hortos Scripturæ ingressus, flores eius dictis impiis, & laculentis alumniis suis, tanquam aconito intexuit, & illos qui mendacium amplexi resistunt veritati fucum facere pergit. Omnes autem hæretici Scripturam ingrediuntur non ducti à Christo, nec eas ex Christi mente interpretantur, sed Iudæos & gentes eo ducunt, ratiocinationes philosophicas, fabulas Iudaicas: imo nostrates cum fingunt nihil credendum nisi Scripturæ verbis contineatur, hoc Scripturarum sibi fidem auferunt; hoc est enim ἄγραφον. Traditiones autem de veritate, & interpretatione Scripturæ reiiciendas non esse, etiam interdum ipsi hæretici fatentur, sicut & Iudas cum proditionem suam ipse damnauit. *Hæretici Scripturas corrumpit.*

Aretius T. 3. cap. de traditionibus inter multa falsa hæc vere docet. *Secunda quæstio quæ sint igitur admittenda ἄγραφα? Respondemus, quæ sacris literis consona sunt, & quæcum Apostolorum scripta non pugnant.* Hoc rectè. Nihil enim pugnans alteri veritati, verum esse potest. *Eius generis*, inquit, *quædam sunt apud Epiphanium.* T. 1. l. 2. & 3. & apud Basilium, & Tertullianum. *Qualia sunt sanctificatio diei dominicæ, Baptismus infantium, Symbolum Apostolorum, qui sint libri canonici. Quæsit verè Scripturæ interpretatio.* Paulo ante dixerat. *Vniuersales traditiones & obseruatu necessariæ sunt: Symbolum Apostolorum, qui sint libri canonici, quæ sit interpretatio præcipuorum locorum Scripturæ*, &c.

Has igitur cum violent hæretici, horum Scripturæ ingrediuntur, non vt iuuent, sed vt prodant Dominũ. Nec magis illis credendum est de Scripturâ disputantibus, quam Iudæ Christum quærenti.

VERSVS 3. 4. & seq.

Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros: venit illuc cum laternis & facibus & armis. Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis, Quem quæritis? &c.

QVÆSTIO I.

Quæ miracula facta dum ad capiendum Dominum veniunt?

§. 1. PRimum est, quod oculos eorum percussit cæcitate, ne vllus sæpe visum agnosceret. Deinde vocem quoq; sæpe auditam ignorabant. Nam multos fuisse qui eum audissent, verba Christi ostendunt, cũ dicit: *Interroga hos his sciunt, quid dixerim ego.* Tertio vno verbo cum diceret: *Ego sum*, velut turbine omnes prostrauit, vt supini caderent, magno sonitu cohors integra cum Iudæis, eorumq; ministris, ingenti etiam indignatione cum ad terram cum armis allideretur, multiq; vt conferti stabant, in se mutuo impingerent. Denique cum etiam Apostolos inermes Petrum præsertim, qui gladium in seruum Pontificis strinxerat, facile capere potuissent, omnino abstinuerint, arcano dominicæ vocis imperio ligati. *Christum non cognoscunt.* *Caduerũt.*

§. 2. Opportuna vero erat illa diuinæ potentiæ demonstratio; etsi enim militum furor sic non est mitigatus, sed magis casu territus atque exasperatus, conuincere tamen voluit etiam contumaces, quibus non sine infirmitatis exprobratione dicit: *Dixi vobis, quia ego sum*, quasi dicat. Cur in me manus non iniecistis, cum dicerem me esse? cur retrorsum abijstis? Ecce tota vestra potentia quasi arena exigua in mea est manu, & quos verbo deieci, poteram surgendi lapis vires auferre. Neq; dubium etiam huius miraculi fuisse aliquam efficaciam; cum audita Apostolorum prædicatione recordarentur Christum sponte se in mortem dedisse, se nec cognoscere, nec oblatum vltro apprehendere potuisse. Quin etiam illud quod milites passim narrabant sibi accidisse, magnam admirationem commilitonibus, & cæteris tam fidelibus, quam infidelibus pariebat, Apostolos etiam animosiores reddidit, cum totum exercitum supinum iacere ante pedes cernerent; hinc & Petrus postea in inuentes gladium strinxit, de quo, & auriculæ redintegratæ miraculo apud Matthæum dixi. *Diuinæ potentia opportune ostensa.*

§. 3. Quæsitum est à multis, quomodo ausi fuerint in Dominum manus iniicere, postquam adeo facile se prostratos viderunt, nec timuerint grauius aliquod malum? Non est mirum in vltimo actu tam fuisse obstinatos, quos nulla olim miracula mouerunt, qui etiam Lazarum occidere cogitabant. Videntur Pharisæorum cohortationibus incitati, quia potentiam diuinam, quam experiebantur, magicis artibus tribuebant. Depingit ista grauibus verbis Nonnus, in quo tamen non probo, quod πένητες pronos cecidisse dicat. pag. 103. *Obstinati non mouentur.*

Καὶ ὡς ἐφθέγξατο λαῷ
Ἀξιοπίτων, ἀσίδηρος ἀναξ ἐνέηνοεν φωνῇ
Πάντες ἐπ' ἀκλοισι μαχήμονες ἄσπιδι πίπτω
Ἀυτόματοι πίπτοντες ἐπεστενύχθησαν ἀκοντῇ
Πρηνέες, οἱ πρὶν ἔμιμνον, ἀτὸν χαλκὸν λαὸς ἀπὸ φωνῆς.

Vt

Vt verò populo locutus rex, molli thorace vestitus, ferro carens, vocem viuorum ruptrice, omnes super se inuicem bellatores clypleati, vltro cadentes, prosternabantur in puluerem. Proni, inermi procella vocis, quasi œstro stimulati.

Itaq; iam domitos & trepitos cõfirmat, & quasi imperator mandata dat, vt Apostolos dimittant, qua voce illis in se potestatem permisit. Recte Chrys. p. 421. *Τίς ὢν αὐτὸς κατεῖχεν; ἀλλ' οὐδεὶς, ἡ δύναμις αὐτὸς ἀνέκοπτε. Quis igitur ipsos continuit? Alius quidem nullus. Verum quæ ipsis supinos deiecit potentia. Fuit igitur non Apostolorum hoc facinus, sed superna virtutis.*

VERSVS 9.

Vt impleretur sermo quẽ dixit, Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.

QVÆSTIO I.

An nulla sint merita sanctorum quia Christus socios Apostolos in morte noluit?

§. 1. INterpretes & Patres in eo conueniunt, vt inter alias causas, cur subire solus mortem Dominus voluerit, etiam hanc esse. Ne satisfactio pro peccatis nostris, ne meritum salutis, ne redemptio vlli alteri quam Christo adscriberetur, nec enim Petrus pro nobis crucifixus est, nec gladio cæsus Paulus. Optimè Cyrillus, quem citat Rudolphus Gualteri. Vnum mori oportuit, sufficientem pro vita omnium redemptionem: vt & mortuorum, & viuorum imperium acciperet: Ne quis illud ridiculum verum esse putaret. *Apostolorum mortem ad destructionem interitus aliquid contulisse, cum libertatis enim ab interitu, etiam Apostoli iure connumerantur. Vnius enim nobiscum illos fuisse naturæ constat, in quos imperium mors suum exercuit. Solus ergo qui ex vno Patre est, pro vita omnium carnem tradidit suam quæ post mortem, coniunctam secum verbi naturam secuta, vitam nobis dedit, qua mortis laqueos possimus superare.*

Solus Christus pro nobis est mortuus.

» Hic Sectarius. [Vides in his, quam procul ab iis » abfuerint veteris Ecclesiæ doctores, qui hodie diuo» rum cœlitum meritis salutem nostram adiuuari clà» mant, & eo argumento superstitiosum illorum cul» tum tuentur.]

Respondeo. Cyrillum ne quidem latum vnguem à nobis recedere: nos enim soli Christo redemptionis integerrimæ, sufficientissimæ, infiniti meriti gloriam tribuimus. Imo non modo factum fuisse, sed nec fieri potuisse docemus, vt homo purus, qualis fuit mater Dei, Apostoli, aut etiam Angeli satisfacerent & ex iustitia mererentur redemptionem. Dicimus illum non modo satisfeciſse æqualiter, sed abundanter, ipso operum valore, pro peccatis, pro pœnis. Satisfecit vt homo, si actiones spectes, sed earum dignitas, & æstimatio moralis erat ex diuina persona. Et si millenæ essent mundorum myriades, & omnium peccata in maiora infinitis modis quàm huius mundi, omnibus tamen delendis vna sanguinis gutta sufficeret. Tantum abest, vt additamento humanorum meritorum, vel auxilio egeant merita Christi. Hæc doctrina Catholica. Clement. 6. Extrau. *Vnigenitus.* Sic omnes Scholastici in tertiam partem D. Thom. lege Suarezum T. 1. disput. 4. tota. Calumnia igitur maligne doctrinam Catholicam grauat: contrarium enim omnes docemus.

Homo non potuit pro nobis satisfacere.

§. 2. Necidcirco tamen veteris Ecclesiæ doctores merita sanctorum reiecerunt, etsi negarint Christi meritis auxilio fuisse: nec enim nationem, ieiunia, mortem sanctorum reiicimus, quia illa & Christus fecit: nec ideo illa honesta non sunt, quia Christi fuerunt honestissimæ, nec ideo ingrata Deo, quia Christi opera fuerunt gratissima. Sanctorum merita aliis siue sanctis, siue improbis nihil conferunt ad redemptionem, nec enim alteri mereri alter vitam æternam potest, de vero merito, & quod de condigno vocatur loquor. Nam de congruo fieri potest, vt Dei bonitas alicui misericordiam impendat alieni meriti respectu, & efficaciter eum sanet merito Christi, non quod meritum Christi iuuetur meritò seruorum Christi, sed quia hoc serui Dei expetunt, sicut, cum Stephanus pro lapidatoribus orauit, pro Paulo exorauit, pro quo tamen & Christus rogarat iam ante mortem, non quod Stephani oratio Christi orationem adiuuaret, absit blasphemia. Sed quod Christi merito Paulum iustificare Deus voluit, orante Stephano; nam etiam respectum martyris sui Deus habuit, cuius oratio erat ex fide, spe, charite, & vt ista omnia, sic & ipsa ex meritis Christi. Quod de oratione dicimus, id etiam de meritis veteres dixerunt. De meritis sanctorum alibi ostendi veteres sentire nobiscum, nunc quia aduersarius Cyrillum quasi consentientem suæ Ecclesiæ producit, & Diuum appellat, eius solius vtar auctoritate, quam ipse cum laudarit, subtergere non potest.

Sanctorum merita non repugnant Christi meritis.

Ille libro 4. de vita hominis iustificati hunc in modum scribit. Palladius. *Sic igitur*, pag. 377. *erit nobis existimandũ participes vos futuros eorum, quæ sancti viri ad suum ipsorum commodum, atque gloriam feliciter gesserint, in eo quod viros se præstiterint, summoq; studio curarint, vt laudem mereri possent.* Respondet Cyrillus, verum id esse. *Tamen in nos quoq;*, inquit, *sua ex charitate Dei dona refundũt.*

Et paulò post. *Aliá quoq; ratione, non inutilis, est cæterùs hominibus ille sanctorum virorum splendor: illorum namque rebus bene gestis, nostræ infeliciter gestæ obruuntur. Et cum nobiliorum virorum animi magnitudinem noster ille virtutis amator*, &c.

Versu 14. Quæ interiecta sunt, in quibusdam sunt omittenda. de quibus in notis Franciscus Brugensis in Matthæo explicui.

Versu 15. Quis fuerit ille discipulus incertum est, plerique putant Euangelistam fuisse. Vide 1. T. Baronius.

Versu 20. In occulto aliqua locutus est, instruens discipulos, non autem erant illa ad turbas, aut seditiones concitandas. Ita Chrysostomus hoc loco. & Theophylactus.

Pro mundo, Syrus habet: apud populum.

Omnes Iudæi, est in Latino & Syro, Græca pleraque πάντοτε, semper.

Versu 21. Iniuriam grauem sibi factam indicat: id ideo, ne agnoscere videretur in responsione delictum. Non præbet alteram maxillam ne magis concitet, vt monet Augustinus.

Versu 36. Anabaptistarum error, non posse regnum CHRISTI defendi armis, in Matthæo refutus, &c.

CAPVT XIX.

TVN C ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. 2. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius: & veste purpurea circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue rex Iudæorum: & dabant ei alapas. 4. Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. (5. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum:) Et dicit eis: Ecce homo. 6. Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige eum. Dicit eis Pilatus. Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. 7. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. 9. Et ingressus est prætorium iterum: & dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. 12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabãt dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari. 13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum: & sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. 14. Erat autem parasceue Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce rex vester. 15. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur. Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt. 17. Et baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locũ, Hebraice autem Golgatha: 18. Vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, mediũ autem Iesum. 19. Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. 20. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus: Et erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine. 21. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. 22. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. 23. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes: vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. 24. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. 25. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. 26. Cum vidisset ergo Iesus matrẽ, & discipulũ stantẽ, quẽ diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eã discipulus in suã. 28. Postea sciens Iesus, quia omnia cõsummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. 29. Vas ergo erat positum aceto plenũ. Illi autem spongiam plenam accepto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. 30. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit Spiritum. 31. Iudæi ergo, (quoniam Parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho, (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. 32. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cũ eo. 33. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. 34. Sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua. 35. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit: vt & vos credatis. 36. Facta sunt enim hæc, vt Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. 37. Et iterũ alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. 38. Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu. 39. Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. 40. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. 41. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. 42. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorũ, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

IN CAPVT DECIMVMNONVM ARGVMENTVM.

HIstoriam flagellationis, vsque ad sepulturam, continet. Multa quæ apud alios sunt, omittit, quædam adiungit. Vt vero toto Euangelio, ita hic quoque præcipue recenset quæ ad eius diuinitatem probandam faciunt.

Syri hoc caput à versu 5. ducto initio in quatuor membra partiuntur, à versu 5. ad decimo quinto, legunt, *hora tertia*. Nam titulus est: רחלת שעין *dathelath schaghin*. A versu decimo quinto, ad vegesimo tertio, legunt, *hora sexta*, hinc ad versum 31. *hora nona*. Atque inde vsque ad finem. *vespere Sabbathi annunciationis* דסבראתא *leti nunciy* Euangelii. Posset vocari etiam Sabbathum spei, exspectationis, sustinentiæ, quod eâ die Maria mater, Apostoli, cunctique fideles summo mœrore resurrectionem sequenti die futuram exspectarent. Nam & hoc ipsum

ipsum habet verbi Syriaci significatio. Ita in Chaldæo Genes. 49. Psal. 5, Ierem. 14. Prouerb. 11. Malo tamen vocari Sabbathum annunciationis, vel quod Iudæorum Principes nunciarunt Pilato de eo quod Dominus se resurrecturum prædixisset, & vt sepulchrum custodiret, quæ res sine dubio notissima per vrbem fuit, & timoris signum, quo Pharisæi vrebantur: vel potius, quod festum paschatis à Sabbathi vesperâ, vt cætera omnia ordiatur illa Ecclesia, ideo tum resurrectio, vt in nostris Ecclesiis annuncietur.

V. 1. GRæcus ἔλαβεν habet, & Latinus, *apprehendit*, sed in Syro omittitur. Reliqua de flagellatione dicta sunt in Matthæo.

V. 7. Filium Dei se dicere graue erat, sed totiam signis se filium Dei probarat, vt occasio calumniæ nulla esset. Constabat id ipsum ex Prophetis, ex Psalmis. Psal. 2. 7. & 105. 3. & 44. 7. Isaiæ 9. 6. Non igitur lex obstabat vlla Christo Domino, in Græco & Syro additur ἡμῶν. *secundum legem nostram.* Persequuntur Christum Iudæi, quia filium Dei se dixit, & Messiam, eo modo quo nunc sectarii persequuntur vicarium Christi, quem infamant, quasi Antichristum.

Pontificem sectarij persequuntur.

» V. 8. Recte Caluinus. [Exemplum hoc imprimis
» notatu dignum est, cum tam deformis esset Christi
» conspectus, simul tamen ac Dei nomen audit Pilatus,
» eum inuasit timor, ne diuinum numen in homine plus
» quam abiecto, & contempto violet. Si tantum in ho-
» mine profano valuit Dei reuerentia, nonne ter repro-
» bos esse oportet, qui hodie de rebus diuinis, per luum
» & iocum secure, & absq; vllo metu iudicant?] Verè omnino ac grauiter. Sensus enim reprobus est, sibi tribuere soli rerum diuinarum cognitionem, spiritusque sancti instinctum: toti vetustati denegare. Ideo dico in sensum reprobum coniectos esse, quos in tractanda Scripturæ doctrina, non magis afficit Dei maiestas, quam si de vmbra asini esset disputatio. Sentiet tamen olim in suum exitium, quam venerandum sit Dei nomen: cui hodie tam contemptim, imo contumelioseè illudunt. Dictu horrendum est, quam superbe, ac ferociter à Caluinistis damnetur clara & testata veritas, & innoxius sanguis fundatur. Vnde obsecro tam ebrius stupor, nisi quia in mentem illis non venit, quicquam sibi negocii esse cum Deo? Clara veritas est Hoc est, corpus meũ, testata est scriptis Apostolorum, consensu quindecim sæculorum, sanguine martyrum. Illi dati in reprobum sensum diuinam maiestatem falsi arguunt: figuram pro veritate inducunt.

Deum hæretici contemnunt.

V. 9. Non dat Pilato responsum: Nam sat erat innocentia eius cognita, nec Pilatus aut capax erat, aut vllo modo dignus qui acciperet de diuinitate Christi doctrinam. Noluit autem tanquam fictitius Deus, de Iouis aut Martis adulterio natus videri: quæ omnia facilius homini fabulis dementato in mentem venirent, quam mysterium incarnationis. aut sanctissimæ Trinitatis.

Cur non respondit Pilato?

VERSVS 11.

Respondit Jesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

QVÆSTIO I.

Vnde Pilato in Christum potestas?

S. Pilatus tanquam Christi silentio contemptus, mox vim potestatis intentat, sibi in eum ius vitæ & necis esse. Proinde se non contumaci taciturnitate irritandũ, sed blandis precib. ambiendũ: miratur autem reum, non supplicem, non metuentem sui iudicis iram. Nec tamen ita ægrè silentium tulit, vt animum Christi seruandi deposuerit: Christus illum admonet; Nullam habere eum potestatem nisi è cœlo datam. quâ ille quidem abutatur, sed maius tamen peccatum apud eos residere, qui inuidiâ atq; odio ad peccatum pertrahant. Syrus addit: מן קדמיך *prætę*, vel *quam tu.*

§. 2. Potestas Pilato ordinaria & magistratus à Deo constituente datus erat, etsi eius forte initia tyrannica fuerant. Fuit & alia potestas à Deo permittente, quam potentia sua abusus in exitium innocentium conuertebat. Quæ potestas multis conceditur regibus & Tyrannis: quæ omnino est infelix potestas, & hoc efficit, vt potentes potenter tormenta patiantur. Talem Principum potestatem fideles quotidie experiuntur, quâ bonis, fama, vita spoliantur. Cyprianus pag. 270. *Potestas vero dupliciter aduersus nos datur, vel in pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur: sicuti de Iob factum videmus, manifestante Deo, & dicente: Ecce omnia quæ habeo in manus tuas do, tantum ipsum ne tangas. Et Dominus in Euangelio, tempore passionis loquitur ad Pilatum. Nullam haberes aduersus me potestatem nisi data tibi esset desuper.*

Potestas duplex.

Augustinus l. 2. 1. ad simplicianũ. Eodem modo de potestatibus aduersum bonos, vel pro bonis disputat.

§. 3. Non possunt tamen pro sua libidine, & furore illam exercere potestatem impii, sed eos Deus frenat, coercet, alia permittendo, alia inhibendo peruenire eo finit, quod suam gloriam facit. Nam & malorum peccata in Dei sunt potestate. Pulchre de hac disputat Prosper dubio 7. ad excerpta Genuensium. *Subnexuisti* p. 144. *etiam, quod post multa differens,* ait: Est ergo in malorũ potestate peccare: vt autem peccando hoc vel illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei, diuidentis tenebras, & ordinantis eas, vt hinc etiam, quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.

Potestas impiorum à Deo cohibetur.

Hoc in hunc modum Prosper interpretatur. *Male enim velle facilimum est malis; & eorum damnabilem voluntatem, non dubium est, à Dei voluntate concludi, vt effectum cupiditatis suæ nisi ille permiserit, habere non possit. Vti nat malæ autem sapientiam, & iustitiam Dei, etiam malorum operibus, per à bonum. quæ ex ipsorum prodeunt appetitu, ad implenda consilia, & iudicia sua, nullus vel tenuiter secundum pietatem doctus, ignorat: Qui videt Dei Patris optimam voluntatem, non parcentis filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima traditorum Iudæ, & Iudæorum voluntate completam.* Probat hoc ex hoc loco. & addit. *Tantum progredi sinens malitiam nocere cupientium, quantum eam sanctis suis vel castigandis nouit vtilem, vel probandis.*

Deus ordinat.

Atque hinc tyrannorum insaniam semper martyrum fortitudo contempsit, & quamuis illos sine causa non irritarent, nunquam tamen illis supplices facti sunt, totiè enim, à diuinâ prouidentiâ pendebant, cuius absque nutu sciebant capillos capitis, omnes numeratos, nec vniuerso dæmonum regno in se minimam esse potestatem, nisi quam optimus Pater permisisset.

Versus 13. Λιθόστρωτον Syriacè vocatur רציפתא רבתא *pauimentum lapidum.*

Cabbata à גבה quod excelsũ significat. Alii à גבע

quod est pauire. Syriace est גבירתא quod *loricam, peribolum* significat.

V. 17. Baiulans sibi crucem, σκευὸν αὑτῷ, noster legit αὐτῷ.

De Golgatha apud Matthæum dictum est.

V. 19. Titulum Syrus vocat, לוחא *lucha*, tabulam.

V. 24. Cuius sit. Græcus ἔσται Psal. 21. 19.

QVÆSTIO II.

Quid tunica inconsutilis?

Tunica Ecclesia.

§. 1. DE eâ etiam abunde alibi dictum. Cyprianus, Alexander, Athanas. Ecclesiam dixerunt. De vnitate Ecclesiæ Cyprianus p. 254. *Hoc vnitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur; quando in Euangelio tunica Domini Iesu Christi non diuiditur omnino, nec scinditur. Sed sortientibus de veste Christi, quis ipsa potius indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta atque indiuidua tunica possidetur.* Et. *Vnitatem illa portabat de superiore parte veniente.*

Augustinus eodem modo. Caluinus affingit nos Ecclesiam fingere sine Scriptura, cum non modo cum Scriptura, sed etiam cum sensu, & interpretatione Scripturæ vera, eam formemus.

VERSVS 26.

Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

VERSVS 27.

Quomodo Ioannes recepit matrem Domini in sua?

§. 1. CAluinus Apostolos suas habuisse familias contendit; nam dicitur εἰς τὰ ἴδια. Syrus dicit: *Ad se.* Constat id falsum fuisse; nam τὰ ἴδια, Ierosolymis Ioannes non habebat, ea significatione, quam solam probat Caluinus. Sed erat siue apud hospitem notum, & discipulum, siue in conducto, quo in loco & matri Domini habitationem curabat, eique seruiebat. Ita Augustinus, & refutarunt Caluinum etiam „ ipsi sectarii, inter quos Bullingerus. [Sed in quæ sua „ matrem Domini Ioannes accepit? Non vtique præ„ dia, quæ nulla propria possidebat, sed officia quæ pro„ pria dispensatione exequenda curabat.] Hæc ille ex Augustino.

VERSVS 31.

Iudæi ergo (quoniam Parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.

32. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo.

QVÆSTIO I.

Cur ossa fracta?

§. 1. DEponere eos qui cruci affixi essent ante noctem lex iubebat. Deut. 21. 22. de qua re dictum eo loco. Ea tamen 2. Reg. 20. 9. Nō videtur obser-

Crurifragium.

uata. Nec id Romanos fecisse constat, vt patet ex Lipsio, & nostro Gretsero de cruce. Quocirca hoc in gratiam Sabbathi petunt, ne maneant in cruce corpora, fiatque Sabbatho ad ea viuentia forte concussus, & curiosorum atq; inimicorum, atq; etiam amicorum, & religio Sabbathi magni impediretur. Frangi igitur crura postulant, ne effugere possint, aut si auferrentur, viuere. Ita enim comminuebant omnia, vt vitæ spes nulla esset. Vide Plinium l. 11. c. 45. Verum de crurifragio consuli possunt auctores à me nominati.

VERSVS 34.

Sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.

QVÆSTIO I.

Quid sanguis & aqua?

§. 1. CAluinus naturaliter aquam & sanguinem fluxisse commemorat. Hallucinatos ait esse quosdam, miraculum hic fingentes. Naturale est enim dum coagulatur sanguis, amisso rubore fieri aquæ similem.

Notum est etiam membranâ quadam præcordiis vicinâ aquâ contineri. Verum ista minoris momenti sunt, quam vt mouere nos debeant. Constat sanguineo, bilioso, Melancholico, Phlegmatico humore venas viuentium impleri, eorum vero in sanguine effuso fieri aliquam paulatim separationem. At vero in sanguine cadauerum, non nisi longo spacio id fieri solet. Nam in vasis naturalibus etsi vita euanuerit diu seruatur integra sanguinis natura: quo experientia quotidiana nos edocet: non igitur iam sanguinis in corpore Domini facta fuit coagulatio, imo cum illa separatio humorum quæ apparet in sanguine post venæ sectionem sit corruptio, non est tribuenda sanguini Domini ne quidem iacentis in sepulchro. Sed vti caro eius non sensit corruptionem, ita nec sanguis. De membranula quam Caluinus recenset, fabulam esse existimant, nusquam enim in corpore bene constituto talia reperta sunt. Ex latere autem Christi seorsum sanguis & aqua effluxerunt, vt videri oculis etiam possent.

§. 2. Cum vero Scriptura sanguinem & aquam nominet, non debet animus cuiusquam tam esse à veritate alienus, vt coagulatum sanguinem interpretetur, qui calore perdiderit. Non enim vocatur sanguis & aqua, sed sanies, aut corruptus sanguis, nec aqua, nisi omnia liquida aquam vocare placeat, nec video cur pituita, aut bilis potius aqua appellari debeat, quam cætera quæ χυμὰ sunt, vt oleum vinū, albugo & vitellus oui. Quod si sanguis proprie dictus & incorruptus fluxit, colorem ille, cæteraq; sanguini propria retinuit. Aquam igitur pari modo proprie dictam, non corruptam saniem accipere oportet. Mysterium vero ductum sacramentorum fluxisse inde, omnes Patres, & multi sectarii consitentur, Baptismi, & Eucharistiæ.

Verus sanguis fluxit.

§. 3. Nec Catholici reprehendi debent, quod in sacrificio aquā vino misceant. Nam quod hic Caluinus calumniatur, quod etiā Rudolphus Gualterii argumentatur, non ideo miscendum vino aquam quod in cruce de latere Domini fluxerit. Alioqui posse sine pane sacrificium peragi. Nullam vim consequentiæ: nam panis in cœna vltima, non in cruce fuit. Nos alia causa nitimur, sed tamen nec hanc reiicimus. Maximè hinc probant veteres veram aquam, qualis in baptismo, & verum sanguinem. Cyprianus seu auctor de passione p. 487. *De latere tuo fons egreditur in vitam æternam profiliens; & de eadem consubstantialique origi-*

Sanguis & aqua in sacrificio.

ne, di-

re, diuisis limitibus aqua & sanguis, emanant ad complementum, perfectionem totius iustitiæ, sacramenta perpetuum duraturæ, & fontis illius libertas, perenni lapsu vniuersam Ecclesiam irrigat, & fœcundat.

Et in expositione Symboli, quæ Rufino tribuitur, pag. 552. *Scribitur Iesus in latere percussus aquam simul & sanguinem profudisse. Hoc quidem mysticum est, ipse enim dixerat, quia flumina de ventre eius procedent aquæ viuæ, sed produxit & sanguinem, quem petierant Iudæi venire super se, & filios suos, produxit ergo aquam quæ credentes diluat: produxit, & sanguinem, qui condemnet incredulos.*

Est ergo ista consentanea quædam, non tamen conuincens ratio, vt aquæ misceatur vinum; imo nobis in memoriam reducit, vt totam passionem ita esse sanguinis cum aqua profluuium. Ideoq; causa illa à quibusdam adfertur, non cur oporteat absolute fieri, sed cur recte fiat, nimirum ad mysterium illud significantius exprimendum.

Miscebant vinum.

§. 4. Vinum itaque mistum aquâ offerimus, quia sic Dominus fecit. Constat satis omnium iudicio, meracum seu ἄκρατον purum vinum sine aqua non solitum ab hominibus temperate viuentibus in Iudæa & multis Græciæ locis, bibi, adeo vt κεραννύω, & miscere perinde sit ac infundere, non enim sine temperatura aquæ tam calidum Palæstinæ vinum bibebatur. S. Cyprianus epistola 63. huc adducit illud Prouerbiorū 9. *Macauit hostias*, inquit, p. 144. *miscuit in cratera vinum suum, & paravit mensam suam, &c.* Bibite vinum quod miscui vobis. Vinum mistum declarat, id est, calicem Domini, aqua & vino mixtum, prophetica voce prænunciat; vt appareat in passione Dominica id esse gestum, quod fuerat ante præd ctum.

In benedictione.

Et deinde: *Quod si & à Domino* p. 143. *& ab apostolo eius hoc idem confirmatur, & traditur, vt quotiescunque biberimus, in commemorationem Domini, hoc faciamus, quod fecit & Dominus, inuenimus non obseruari à vobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & calicem Domini, pari ratione miscentes, à diuino mysterio non recedamus.*

Et paulo post: *calix vtique inebrians vino mistus est.* Aliud etiam mysterium exponit in mistione vini & aquæ pag. 146. *In aqua*, ait, *populos intelligi, in vino sanguinem Christi. Quando autem* inquit, *in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunitur, & credentium ei in quem credidit, copulatur, & coniungitur. Quæ copulatio, & coniunctio aquæ, & vini sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa non possit, ab inuicem separari.*

Cypriani sententiam probat Augustinus de doctrina Christiana l. 4. c. 21. *Beatus* subinde eo genere dicendi vtitur in eo libro, vbi de sacramento calicis disputat. *Soluitur quippe ibi quæstio, in quâ quæritur, Vtrum calix Dominicus aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere. Sed exempli gratia aliquid inde ponendum est. Post principium ergo Epistolæ iam soluere incipiens propositã quæstionem. Admonitos autẽ vos scire vis, inquit vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à vobis, quam pro vobis Dominus prior fecit, vt calix qui commemoratione eius offertur, vino mistus offeratur. Et libro de Ecclesiasticis dogmatibus. In eucharistia non debet pura aqua offerri, vt quidam sobrietatis fallantur imagine, sed vinum cum aquâ mistum.*

Eidem habent concilium 3. & 4. Carthaginense, quæ præsente Augustino habita sunt, quæ aquæ & vini mistionem semper requirunt.

Ἐνεφράχθησαν.

§. 4. Theophylactus hoc loco vtitur contra Armenios, qui aquam vino non miscebant. Διαχυθῆσαν οἱ Ἀρμένιοι οἱ μὴ μιγνύοντες ὕδωρ τῷ οἴνῳ ἐν τοῖς μυστηρίοις, οὐ γὰρ πιστεύουσιν (ὡς ἔοικεν) ὅτι τὸ ὕδωρ ἐξηνέχθη τῆς πλευρᾶς τοῦ σωτῆρος μόνον αἷμα. *Erubescant Armenij, non miscentes aquam vino, in mysteriis, non enim credunt, vt apparet, aquam de latere fluxisse, quod est magis præter opinionem, sed solum sanguinem.*

Itaque nobis prosunt probra Rudolphi, cum ait. [Quod vero Papistæ, hinc suum morem sumpsere, « quo vinum in cœna mystica, vel potius missa sua di- « luunt, adeo friuolum est, vt vix mereatur, aliquam « confutationem.] «

Nullam profecto meretur confutationem: sed cauillator moris sancti, moris antiqui fustuarium meretur. Nam in orientalibus morem concedit Wolffg. Musculus in locis cõmunibus de cœna Domini. Deinde quanta impudentia est, morem irridere, qui non apud veteres modo inuenitur, quos citaui. Sed est in liturgiis pene omnibus expressus, Petri, Iacobi, Marci, Clementis l. 8. constit. c. 12. Basilij, Chrysostomi, Æthiopum. Idem testatur Iustinus orat. ad Antoninum, consuetũdinem esse in Ecclesia, at ille anno 160. scripsit, & ante eum Alexander Papa anno 110. epist. 1. *In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum sollennia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius cuius corpus, & sanguis conficitur, passio celebretur. Ita vt repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum, & vinum, aqua permistum in sacrificio offerantur, non debet enim, vt à patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrunque permistum, quia vtrunque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur.*

Iulius Papa anno 336. Ambrosius de sacramentis c. 4. l. 4. & l. 5. c. 1. & in liturgia. Hieron. in c. 14. Marci. Augustinus tract. 120. *aqua illa salutare temperat poculum.* Eucherius Lugd. de pascha re. *& omnes qui secuti sunt.*

§. 5. Inter cæteras caussas fuit hæc vna, quæ nobilissimum virum Nicolaum Villagagnonem mouit vt à Caluinistis recederet. Libro ad articulos quosdam Caluinistarum, c. 73. multis probat argumentis.

Merito igitur homo improbus fustibus non argumentis conuincendus, qui nobis ritum illum velut impium obijcit, quem à temporibus apostolorum, imo ab ipsis apostolis accepimus: Id vero maxime, quod magno suæ hæreseos detrimento, omnes veteres Papistas appellat, qua in re suam nouitatem, nostram antiquitatem probare cogitur. Nec cõtemnendum est, quod hoc Ecclesia faciat licet in scriptura præceptum non habeat, sed id fecisse dominum ex traditione credat: & ex communi omnium more, quo vinum aqua temperabant, vt supra dixi. Non modo apud Hebræos. sed Græcos etiam, vbi maior erat potandi, hoc est Græcandi licẽtia, & vinum natura debilius, in vitio erat ἄκρατον merum, & meracũ bibere.

§. 6. Quod militem illum lanceariũ nobis Caluinus obijcit, non moramur; apocryphorum sunt fabulæ. Verior historia centurionem Longinũ appellat.

VERSVS 37.

Et iterum alia scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt.

QVÆSTIO I.

Quis sensus horum verborum: videbunt, in quem confixerunt?

§. 1. VErba sunt Zachariæ 12. 20. *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me, quem confixerunt. Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.*

Duplex est interpretatio. Quidam de vindicta sumenda loqui Chr stum putant, alij vero de misericordia exhibenda crucifixoribus. Constat autem quod in Hebræo est דקרו de hoc milite intelligendum qui ἔνυξε percussit, seu confodit. Septuaginta interpretum exemplaria pleraque habent,

καθ' ὧν κἀλωρχήσαντο pro eo quod insultarunt, alia tamen habent ἐξενόντησαν confixerunt. Quæ lectio etiam est apud Symmachum, alioſque. S. Athanaſius l.1. de Trinit. hoc loco præteritum pro futuro poſitum dicit. Cauſa diuerſæ lectionis eſt vna in litera. Nam דקר dakar, eſt perfodit, transfixit, דקר eſt ſubſilijt. inſiſtit. Longior huius loci expoſitio pertinet ad prophetam ipſum, in quo vide Riberam, & Ariam Montanum.

CAPVT XX.

VNa autem ſabbathi, Maria Magdalenæ venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum à monumento. 2. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum. 3. Exijt ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. 4. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. 5. Et cum ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, non tamen introiuit. 6. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina poſita. 7. Et ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum. 8. Tunc ergo introiuit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit. 9. Nondum enim ſciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere. 10. Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos. 11. Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum. 12. Et vidit duos angelos in albis, ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. 13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum: & neſcio vbi poſuerunt eum. 14. Hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem: & non ſciebat, quia Ieſus eſt. 15. Dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum: & ego eum tollam. 16. Dicit ei Ieſus: Maria. Conuerſa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magiſter) 17. Dicit ei Ieſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meũ, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. 18. Venit Maria Magdalenæ annuncians diſcipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. 19. Cum ergo ſero eſſet die illo, vna ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. 20. Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino. 21. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. 22. Hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. 24. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Ieſus. 25. Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. 26. Et poſt dies octo, iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis. 27. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. 28. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. 29. Dixit ei Ieſus: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt. 30. Multa quidem, & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. 31. Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei: & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.

IN CAPVT VICESIMVM ARGVMENTVM.

RESVRRECTIONIS fidem confirmat Euangeliſta, ex angelorum aſſeueratione, vacuo loco ſepulchri, apparitione facta Magdalenæ, & duabus quarum prior contigit eadem die, Thoma abſente altera poſt dies octo eodem præſente, & credente. Quæ omnia ſcripta eſſe teſtatur Euangeliſta, vt credamus, pleraque iam ante expoſita ſunt. Vſque ad verſum 19. omnia legunt Syri Dominica reſurrectionis in matutinis. Quæ vero ſequuntur vſque ad c. 21. v. 15. diuidunt in tres lectiones, à verſu 19. ad 26. Dicitur *lectio veſpertina Dominicæ nouæ.* Hinc ad c. 21. *Lectio matutina Dominicæ nouæ*, ab initio c. 21. ad verſum 15. *ad oblationem Dominicæ nouæ.* Dominicam nouam ſeu שבא חדתא *Sabba chadetha, ſabbatum nouum.* Vocant à nouis, & candidis veſtibus baptizatorum, vti nos Dominicam in albis. Quæ conſuetudo nunc deſiit, quod non vno, alteroue die ſollennis baptiſmus celebretur, ſed fidelium parentum liberi mox ad baptiſmum adferantur, non multo poſt partum tempore. Sabbatum interdum illi proprie dictum ſabbatum, interdum hebdomadem totam, aliquando quamlibet diem appellant, præſertim Dominicam, quæ in ſabbati locum ſucceſſit, vocant autem & שבא & שבחא Sabba, & Sabbetha.

VERSVS

VERSVS 17.

Dicit ei Iesus, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meũ: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meũ, & Patrem vestrum, Deũ meum, & Deum vestrum.

QVÆSTIO I.

Cur vetet tangere?

§. 1. DE ea quæstione in Matthæo actum est. Non enim voluit admittere consueta, quasi adhuc viueret, officia. Non autem causa fuit, quam hæretici quidam fingunt, quod noluerit adorari humanitatem. Nam reuera etiam Christus vt homo adoratur, quia coniuncta est verbo humanitas, Athanasius de incarnatione verbi contra sectarios hoc omnino conuincit: *O stulti, cur non cogitatis, creatum Domini corpus, non auferre debere adorationem eius quia eius qui increatus est, corpus est?* Et rationem veram reddit, οὗ γὰρ σῶμα γέγονε, τούτῳ προσάγεται ἡ προσκύνησις. *Cuius enim corpus est illi defertur adoratio, debita enim, & diuina adoratione colitur, Deus enim est verbum cuius corpus est proprium, itaq; & cum mulieres accesserunt ad dominum, vetans dixit, noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem, indicans opus esse ascensione, & vnam esse ascensionem, tamen accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt,* πόδας ἐκράτησαν, θεὸν προσεκύνησαν, *pedes tenuerunt, Deum adorauerunt.*

Humanitas adoratur.

Ascendit ad patrem secundũ humanitatem.

§. 2. Quod addit, *ascendo ad patrem meum & patrem vestrum*, eodem modo de humanitate est intelligendum. Tristitiam enim mulierum minuere, & tollere constituerat, nulla re huius mundi proposita, sed gloria cœlesti, in quam & illas secuturas promittat, cum dicit, & patrem vestrum, si videlicet in ea qua erant fide ac caritate permaneant. Optime Chrysostomus: τὸ δὲ πατέρα μὲν ἡμῶν, καὶ θεὸν μὲν καὶ θεὸν ὑμῶν τῆς οἰκονομίας ἐστί. *Hoc vero: ad patrem & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, dispensationis est.* Ratio est: quia ascendere carnis est, non diuinitatis.

Obijciebant & hunc locum Ariani apud Nazianzenum contra Christi diuinitatem; quibus ille respondet: *Patrem suum vocare Deum suum, secundum humanitatem assumptam, qua ascendebat, quaq; à patre differebat.*

VERSVS 19.

Cum ergo sero esset die illo, vna sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis: Pax vobis.

QVÆSTIO I.

An clausis ianuis sit Dominus ingressus?

§. 1. IN expositione Matthæi de egressu ex sepulchro manente lapide, & ingressu in conclaue clausis ianuis dixi: Quia tamen iterum hoc loco sacramentarij verba deprauant, nec credunt diuina potentia fieri posse, vt corporum penetratio fiat, pauca addenda existimo. Matthias Hoe cum temerarie pronunciasset in Græco esse, *per ianuas clausas*, διὰ θυρῶν κεκλεισμένων, vehementer à legato Anglicano agitatus & irrisus est. Caluiniani nonnulli interpretati sunt *ianuis clausis*, hoc est, cum serum esset, vt ianuæ clauderentur, seu eo tempore, quo claudi ianuæ solent. Alij ianuas esse apertas manu angeli, alij alia sunt commenti.

Ianuis clausis ingressus est.

Hos Caluinus refutat: [Circumstantia hæc diserte addita fuit, quia diuinæ in Christo potentiæ illustre specimen continet. Nam quod quidam putant, reseratas fuisse illi fores per aliquem, & humano more ingressum prorsus à mente Euangelistæ discrepat. Sic igitur habendum est, Christum non sine miraculo ingressum esse, vt documentum ederet suæ diuinitatis, quo suos discipulos magis attentos redderet. Interea tamen verum esse minime concedo, quod asserunt Papistæ, Christi corpus penetrasse per ianuas clausas. Hoc ideo contendunt, vt corpus glorioſum, non modo reddant simile spiritui, sed immensum esse, nulloq; contineri loco obtineant. Verum tale nihil sonant verba: quia non dicit Euangelista penetrasse per ianuas clausas: sed repente stetisse inter discipulos, cum tamen clausæ essent ianuæ, nec tamen adtus illi esset patefactus manu hominis.]

Respondeo: Improbe nominari Papistas cum sit omnium sanctorum Patrum sententia, Caluinus autem in solos Catholicos deriuare absurdum sensum conatur, vt impudenter dicere queat, ex ea sequi multa delira, hoc enim postea concludit. Deinde inuidiose & ambigue garrit, nos corpus glorioſum reddere spiritui simile. Dicimus cum apostolo, *seminari corpus animale, resurgere spirituale*, cum Christo docemus: Beatos fore sicut angelos Dei, non immutatione essentiæ, qua in aliam substantiam transeant, sed qualitatum, & accidentium diuersitate à mortali, similitudine cum angelis. Inter eas qualitates & eam numeramus, quod nulla corporum crassities, nulla duricies, nullus lentor obsistere possint, omnia penetret, sicut angelus, nec sit naturæ immaterialis, vt est angelus, sed ea conditione quam corporum moles nulla remoretur.

Corpus Christi essentiam nõ mutauit.

§. 2. Quod vero id fieri posse negant Caluiniani nisi corpus ipsum spiritale prorsus reddatur, in eo diuinam potentiam maligne restringunt: Quia enim vident corpora mutuo impulsu aut cedere sibi, aut frangi, aut cum vtrinque paribus viribus concurrunt, fisti, imperite concludunt naturæ illa lege Deum quoque teneri, nec penetrationem posse efficere. Nullam tamen reddere possunt rationem, cur id Deus non possit, cur ipsam vim qua aliud alterum eundem in locum non admittit, tollere non possit à corpore, qui duritiem, & alias qualitates non modo tollere potest, sed etiam efficientias earum, resistendique vires inhibere? Contra omnes non modo patres, sed Christianos etiam Philosophos hoc magna peruicacia, nullo argumento pertendunt. Certe Chrysostomus hoc loco penetrationem diserte admittit. Ἄξιον, inquit, δὲ διαπορῆσαι πῶς σῶμα ἄφθαρτον τύπους ἐδείκνυτο τῶν θυρῶν, καὶ ἀπλοῦν ὂν δυνητὴ χειρὶ. ἀλλὰ μὴ θορυβηθῇς, συγκεχωρήσεως γὰρ ἦν τὸ γινόμενον. τὸ γὰρ οὕτω λεπτὸν, καὶ κᾶφον ὡς κεκλεισμένων εἰσελθεῖν τῶν θυρῶν, παχύτητι & πάσης ἀπήλλακτο. *Dignum est dubitare? quomodo corpus incorruptibile, fixuras ostenderit clauorum, & tactile fuerit mortali manu, sed ne turbêre. Permissionis enim, seu condescensionis hoc fuit, sic enim tenue & leue, vt clausis ostijs ingrederetur, omni crassitudine caruit.*

Penetratio Deo possibilis.

Vbi corpus sine crassitudine vocat, non quod careat quantitate, & internis dimensionibus, sed quod ea sit præditũ virtute, vt suã magnitudinem in locum alterius molis inferre, & cum ea penetrare se possit.

§. 3. Quod vero etiã addit, nos corpus glorioſum, reddere immensum, & vbiquitatem nobis Brentianã, & inde orientia monstra impingit, non modo contra suam, quam dudũ suppressit, sed contra totius mundi conscientiam locutus est. Cui enim ignotum est, nos in ea causa cum Lutheranis nequaquam conuenire?

Calumnia Caluini.

§. 4. Ru-

§. 4. Rudolphus Gualterus nec virtute propria, nec aliena apertum ostium fuisse tradit, sed quomodo id sit factum, ait curiosum esse inquirere, probat tamen sententiam priscorum patrum. Hoc quidem accipimus, & sententias repræsentabimus, vbi ostensum fuerit, vel penetratione, vel remotione ianuæ, vel apertione Christum ingressum esse. Nam concedere debent, Christum cum procederet ad locum quem sua substantia & qualitate ianua implebat venisse, & antequam intra ianuam venerit, locum etiam eum, in quo ianuæ corpus erat occupasse, id si factum est remota ianuæ mole, non est miraculum quale Gualterus describit, si manst immotum ianuæ corpus, & Christus transiit, non potest negare vel aliquo tempore, vel momento Christi substantiam, & ianuæ quantitatem in eodem loco fuisse. Atque hæc est, simplicior, & verisimilior sententia, quam placare sibi fingit, quæ placuit etiam priscis, vt consentit ipse, patribus. Placuit sane Amphilochio quem citat Theodoretus dialogo 2. Διὰ ταῦτα μὲν οὐ προῆλθε παθους, ἀλλὰ μὴ τὸ πάθος, ἵνα γνῶς, ὅτι καὶ σῶμα τὸ ψυχικὸν σῶμα σπείρει, ἐγείρεται σῶμα πνευματικὸν, ἵνα δὲ μὴ πάλιν ἄλλο νομίσῃς εἶναι τὸ ἀνιστάμενον ἢ σῶμα πρὸς τὴν ἀνάστασιν ἀπιστήσαντες, δείκνυσιν αὐτῷ τοὺς τύπους τῶν ἥλων, δείκνυσιν αὐτῷ τῶν τραυμάτων τὰ ἴχνη. Ἆρ' οὖν ἰσχυσεν ἑαυτὸν ἰάσασθαι; καὶ πολλὰ μεθ' ἁπάντων, ὁ παντας καὶ πρὸ τῆς ἀναστάσεως ἰασάμενος; ἀλλὰ διὰ τῶν μὲν τοὺς τύπους τῶν ἥλων δείκνυσι, προδιδοὺς ὅτι τοῦτο, δι' ὧν ἦ κεκλεισμένων τῶν θυρῶν εἴσεισι, δείκνυσιν ὅτι οὐ τοῦτο. *Propterea sane non ante, sed post passionem, ianuis clausis stetit medius discipulorum dominus, vt scias & tuum corpus animale, seminatum, resurrecturum spirituale, ne vero aliud esse putes quod resurrexit, Thoma resurrectionem nõ credente, ostendit fixuram clauorum, ostendit illi vulnerum cicatrices. An igitur non valuit seipse sanare? & quidem post resurrectionem, qui ante resurrectionem sanabat omnes? Verum ideo fixuram clauorum ostendit, vt monstraret idem esse corpus, ideo ianuis clausis ingressus, vt ostenderet, non tale. Nempe quale ante fuit, si autem ianuæ apertæ sunt, aut remotæ, aut liquefactæ, aut in nihilum ad tempus redactæ, non ostendit ingressus corporis mutationem.* Atque hoc est contra Bullingerum, qui penetrationem corporum, & veritatem posse consistere negat.

Ingressus ostendit corpus nõ tale.

§. 5. Et in Bullingero quidem stupor se prodit, cum enim citet, quasi in suam rem Hieronymum & Cyrillum, nihilominus tamen neutrum intelligit. Hieronymus ad Pammachium scribit de Ioanne Ierosolymitano, eumque oppugnat, quod Origenistarum in errore esset, qui Christo post resurrectionem corpus aereum, & spiritale tribuebant. Hoc autem loco abutebantur, nisi enim spiritale esset, non posset ingredi clausis ostiis. Hoc Hieronymus grauiter refutat, & solide, & in Matthæo ostendi.

Christi corpus non aereum.

Eadem refutatio eisdem verbis Bullingerum retundit, non enim corporis veritatem, sed affectiones, & passiones mortalitatis negamus, atque eadem est sententia Cyrilli: si enim aperto per angelum, aut per aliam vim ostio ingressus est, non est verendum, ne corpus verum non sit, nam Origenes promptam audiet responsionem; adeo corpus Domini fuisse crassum, vt ingredi, nisi angeli aperirent ostiũ non posset.

Cyrillus idem miraculum agnoscit, lib. 12. cap. 53. *Clausis ergo foribus, repente Dominus omnipotentia sua natura rerum superata ad discipulos est ingressus. Nullus igitur quærat quomodo clausis ianuis corpus Domini penetrauit, cum intelligat, non de homine nudo, vt modo nos sumus, sed de omnipotente filio Dei, hæc ab Euangelista conscribi. Nam cum verus Deus sit, rerum naturæ non subiacet, quod in cæteris quoq; miraculis patuit, omnem enim mentem ac rationem excedunt, quæ fecit. Quæ enim ratione dices ipsum super maria, quasi per aridam ambulasse, cum aquarum natura corporibus nostris, naturaliter non substernatur, aut quomodo mille alia signa verbo solum effecit? scio quia supra omnem humanam rationem illa fuisse contendes, cum illis igitur hoc etiam numera, nec (vt quidam ex imperitia dicunt) credas non surrexisse cum corpore suo Dominum, sed nudum corpore omnino apparuisse.* Pluribus contra eos disputat, qui rationibus philosophicis omnipotentiam Dei oppugnabant.

Pro coronide obseruandum est, apud Eusebium Emissenum esse hæreticos, qui fabularentur omnes etiam beatos cum defectibus corporum quos in hac vita contraxissent, vitiisque resurrecturos, ducto ex cicatricibus vulnerum in corpore Dominico remanentibus argumento. Verum non sunt signa illa passionis corporis glorioſi defectus, aut vitia, sed ornamenta, & decora, gloriosa stigmata, victoriæ signa.

Hæretici de resurrectione corporũ.

VERSVS 21.

Dixit ergo eis iterum, Pax vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos.

QVÆSTIO I.

Qua in re consistat similitudo missionis Christi & Apostolorum?

§. 1. VT perterritis animum faceret, nouo eos Spiritus sancti dono exornat, & vt omnes interpretes notarunt, officio & gradu Episcopali instruit. Quasi iam omnia instructa sint ad gentium salutem, omnia ablata impedimenta, iam *mitto* vos, inquit, *sicut misit me pater.* Vere Chrysostomus: *Nullum habetis impedimentum, & propter ea quæ iam facta sunt, & propter meam dignitatem. Quare hoc dicit? suorum animos erigit, & suam proponit auctoritatem, siquidem suum illu relicturus erat ministerium, & cum nondum rogasset patrem, sua illis auctoritate potestatem præbet.*

Creat Episcopos.

§. 2. Diuersæ rationis fuit Christi missio, & apostolorum. Ille enim filius, hi serui. Obseruauit hoc Athanasius T. 1. p. 468. *Quemadmodum igitur nos serui Dei, filij Dei sumus effecti, ita Dominus cœlorum filius serui sui effectus est,* οὐ γὰρ ἦν θεὸς σαρκοφόρος, καὶ ἡμεῖς ἄνθρωποι πνευματοφόροι. *Ille Deus est carniger, nos homines spiritiferi.*

Ex quo Arianis respondetur. Non enim in omnibus est par missio, sed in dignitate legatorum admodũ dispar. Christus Deus & homo, apostoli homines. Missi tamen sunt apostoli, sicut missus est Christus.

§. 3. Missionis par est auctoritas ratione Dei mittentis; tam enim apostoli, quam Christus missi sunt, non ab hominibus, sed à Deo. Par igitur hactenus est apostolorum, & Christi auctoritas, quia vtraque diuina, vtraque infallibilis veritatis. Ita enim gratia apostolos muniuit, & contra Satanam vndique instruxit, vt non possent in dogmatum iudicio aberrare. Hinc dictum est: *qui vos audit me audit.* Verba illa ad apostolos pertinent, & eorum successores, Basilius in constit. monast. c. 23. Cyprian. l. 4. epist. 9. Omnis igitur prædicandi, sacramenta administrandi, iudicandi, regendi, puniendi potestas datur. Eam vero iurisdictionem à Deo habent immediate, vt docet Bellarminus l. 4. c. 23. de pontifice. Et Cyprianus de vnitate Ecclesiæ. Nec obstat primatui vnius omnium in munere docendi & regendi par potestas; nam quæcunque ea erat, tamen erat sub Petro, omnium pastores erant Apostoli, Petrus etiam pascebat apostolos. Et quamuis, inquit Cyprianus, *apostolis omnibus post suam resurrectionem potestatem parem tribuat, & dicat: sicut misit me pater, & ego mitto vos. Tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit.*

Missio apostolorũ est apostolorum, & Christi auctoritas, quia vtraque fallibilis. Apostolorũ potestas sub Petro.

§. 3. Hinc

§. 3. Hinc etiam constat, quam imperite argumentetur Kemnitius in secunda parte examinis Concilij Tridentini, p. 986. *Non aliter Christus Apostolos misit, quam ipse missus fuerat. Ioan. 20. sicut misit me pater, & ego mitto vos. At ipse ad generalem confessionem, vel ore vel signis expressam, absolutionem impertiebatur, neque singulorum peccatorum enumerationem exigebat, vt patet Luc. 7. de peccatrice, & Matth. 9. de paralytico: non igitur debent ministri à pœnitentibus exigere singulorum peccatorum enumerationem.* Respondet Bellarminus, verba illa: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos, non ita accipienda esse, quasi eodem modo debuerint Apostoli omnia facere, quo à Christo ipso fiebant: alioqui enim non debuissent, Act. 2. Apostoli baptizare in remissionem peccatorum, quia Christus sine baptismo peccata remisit Magdalenæ, & paralytico; nec debuissent Actor. 8. per impositionem manuum Spiritum sanctum dare, quia Christus non manum imponendo, sed insufflando Spiritum sanctum dedit. Ioan. 20.*

Igitur misit Christus Apostolos, sicut ipse missus fuerat à patre: quia potestatem eis dedit ligandi, & soluendi, vt ipse à patre acceperat: quæ est Chrysostomi expositio. Sed tamen accepit ipse vt filius, & proinde talem ac tantam, vt posset etiam sine sacramentis iustificare: dedit autem eam Apostolis, vt ministris, ac seruis, ac per hoc longe minorem; & sacramentis aliisque medijs à se institutis aliquatam.

Vera est solutio, & aliæ causæ similitudinis additæ, nempe ratione finis. Nam media diuersa fuerunt. Erat in Christo potestas excellentiæ, erat diuinitas, qui sine baptismo, sine vllo sacramento pro beneplacito omnia faciebat: at vero apostolorum potestas etsi plena erat, legibus tamen astricta erat, non opus erat, vt Christo omnia scienti peccata confiteretur, cui cognitæ erant intimæ cogitationes; at apostoli iudicare de reis absoluendis, aut vinciendis non poterant, nisi causa vtcunque cognita. Aperire igitur delicta iudici oportet eos, qui veniam sperare volunt. Par est in Christo tamen & apostolis absoluendi potestas, tam enim à peccatis liberatur, quem apostoli, quam, quem Christus absoluit. In hoc tamen dispar, quod Christus ab omni pœna & culpa, sacerdotes à culpa, & pœna æterna absoluunt. Et Dionysium Areopagitam Epist. 9. ad Demophilum vbi apparet, quomodo se ad sacerdotis pedes abiecerit, alius sacerdos peccator. *Tu vero non modo non exhorruisti, verumetiam bonum sacerdotem protectus audacia maledictis vexasti, iudicante Deo peccatorem quoque, dum pœnitet misericordia dignum. Et ad extremum, exi, sacerdoti dixisti, cum tui similibus. Quodque nefas est, in adyta ingressus es, & sancta sanctorum vilipendisti, & tamen scribis nobis, sacra quæ futurum erat, vt violarentur, summa prouidentia conseruaui, atque etiam inuiolata tueor.*

Christi quomodo maior, quàm Apostolorũ potestas.

QVÆSTIO II.

Cur insufflauit?

§. 1. SPiritus sanctus flatus quidam est, patris & filij, sicut & flatus est, quod exspiramus; indicat vero à se Spiritum sanctum procedere, se esse qui omnium ora conformet, omnium voce loquatur. Calvinus hic suo more sibi scelera fingit, vt amarulentiam spiritus sui euomat. [Quo magis detestabile est Papistarum sacrilegium, qui honorem filij Dei proprium ad se rapiunt. Nam cornuti eorum Episcopi in creandis sacrificis spiritum, ructando se efflare iactant. Sed res ipsa clare demonstrat, quantum à diuino Christi flatu differat putidus eorum anhelitus: quia nihil aliud quam ex equis asinos faciunt. Adde quod non modo spiritum Christus quē accepit, communicat cum suis discipulis, sed tanquam suum largitur, nempe quem habet cum patre communem. Quare diuinitatis gloriam sibi vsurpant, quicunque spiritum se flatu dare profitentur. Iam verò notandum est, quos ad munus pastorale vocat Christus, necessariis etiam donis ornare, vt pares sint exequendo muneri, vel saltem non inanes, nudique accedant. Quod si verum est, nullo negocio refellitur stulta Papistarum iactantia, qui dum suam Hierarchiam magnificis præconiis extollunt, ne minimam scintillam Spiritus sancti possunt in suis episcopis ostendere, addit apparere omni prorsus spiritus gratia vacuos.]

Respondeo. Calumnias illas tam verbosa malignitate productas, vno flatu facile discuti. Dat Spiritum sanctum Christus, dat per Apostolos Spiritū sanctum, aliud Christus, aliud agunt apostoli. Christ⁹ ex auctoritate diuina, apostoli precibus, & officio ministeriali. Id siue flatu, siue manuum impositione fiat, nō æquatur creatori suo minister. Detestabile non est, non est sacrilegium, cærimonia testari id factū esse à Christo, quod factum narrat Euangelista, sacrilegum quidem est mendacium, quo Episcopis tantum crimen imponitur; quia vero nulla talis iactantiæ species, nullum vestigium in vllo Catholicorum libro inuenitur, in eo, qui dixit, emortuum est: In chrismate quidē consecrando exhalationis vsus est, sed in sacerdotio conferendo manuum impositio. Sacrilegium tamen non est, si Apostoli aut Episcopi per manuum impositionem ordines conferant, si Spiritus sanctus detur ad eorum insufflationem, tantum enim illorum est ministerium; Deus ipse est, qui donat. Tale autem esse mendacium cuius vel ipsum Satanam pudeat, ex eo constat, quod nemo Catholicorum hoc dixit, nemo scripsit. Augustinus lib. 15. c. 26. A Deo dari Spiritum sanctum, non à discipulis testatur, hoc amplexi sunt omnes Theologi, & relatum est in librum 1. sentent. distinct. 14. vbi c. 4. 5. 6. hac de re disputatur. *Hic quæritur, vtrum viri sancti dent vel possint dare alijs Spiritum sanctum. Quem si alijs dent, cum eius donatio supra sit dicta processio, videtur ab ijs procedere Spiritus sanctus vel mitti: sed creator à creatura nō mittitur vel procedit. Restat ergo vt Spiritum sanctum ipsi non dent, nec possint dare. Vnde Augustin. in 15 lib. de Trinit. Non aliquis discipulorum Christi dedit spiritum, Orabant quippe vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis propositis etiam nunc seruat Ecclesia. Denique Simon Magus offerens Apostolis pecuniam non ait, Date mihi & hanc potestatem, vt dem Spiritum sanctum: sed cuicunq; inquit imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum: quia nec scriptura superius dixerat, Videns autem Simon quòd Apostoli darent Spiritum sanctum, Videns autem Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus. Ecce his verbis ostendit Augustinus nec Apostolos, nec alios Ecclesiæ prælatos dedisse vel dare Spiritum sanctum.*

Deus dat Spiritum sanctum.

CAP. V.

Quod non possint dare Spiritum sanctum hic docet.

ET *quod plus est non posse etiam dare dicit in eodem libro, subdens, De Christo scriptum est, quod acceperit à patre promissionem Spiritus sancti, & effuderit: in quo vtraq; natura monstrata est, humana scilicet & diuina. Accepit quippe vt homo, effudit vt Deus. Nos autem accipere hoc donum possumus pro nostro modulo. Effundere vero super alios non vtique possumus: sed vt hoc fiat, Deum super eos, à quo id efficitur, inuocamus. His verbis expresse dicit, nos Spiritum sanctum non posse super alios effundere, id est, alijs dare.*

CAP. VI.

Quod videtur contrarium.

SEd *huic videtur contrarium, quod Apostolus ad Gal. de se loquens, ait, Qui tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis. Ecce euidenter dicit se tribuisse spiritum. Sed intelligen-*

telligendum est, hoc dixisse Apostolum, non quia haberet potestatem & authoritatem dandi Spiritum sanctum sed quia ministerium habuerit in quo dabatur à Deo Spiritus sanctus. Vt enim ait D. Augustin. super eundem locum, exponens illud Apostoli verbum, Ab Apostolo prædicata est eis fides: in qua prædicatione aduentum & præsentiam Spiritus sancti senserant, sicut illo tempore in nouitate inuitationis ad fidem, etiam sensibilibus miraculis præsentia Spiritus sancti apparebat, vt in actibus Apostolorum legitur. Aperte hic ostendit quomodo illis Spiritum sanctum Apostolus tribuerit: non vtique ipsum mittendo in eos, sed prædicando eis fidem Christi: quam illis recipientibus quod Spiritus sanctus in eis esset, aliquibus signis visibilibus monstrabatur. Non ergo homines quantumcunq; sancti dare possunt Spiritum sanctum.

Nec inuenit Lombardi mastix Danæus Bezæ, quod carperet, nisi interpretationem c. 3. ad Galatas, in qua tamen ipsam Lombardi sententiam nequaquam reprehendit de Spiritu sancto non nisi à Deo nobis dato. Verba Danæi: *Ex quibus ipsis satis intelligitur si quis ea ad Paulum & apostolos referat, de ministerio tantum, non etiam de ipsa auctoritate agi, quæ penes vnum Deum sit:* quamuis ille aliam interpretationem sequatur. Cum ergo neget Augustinus, Lombardus, omnes Scholastici qui commentati sunt in Lombardū, Episcopos dare Spiritum sanctum, cum inter eos multi sint Episcopi, & pontifices, cuius oris est, dicere Episcopos sibi Dei gloriam vsurpare, dum iactant ructando se dare spiritum; sunt ructus illi de præcordiis hæreticorum, qui de ingurgitatione cacodæmonis violenter erumpunt. Cæterum egregie hunc locum de missione apostolorum, & dato Spiritu sancto exposuit Turrianus noster l. 1. de ordinatione Hierarchica ministrorū Ecclesiæ c. 2. 2. 3.

Ministri ad Spiritus sancti dationem.

§. 6. Tam longe autem ab illa blasphemia absunt, vt omnes Catholici tractatores potius consensu magno doceant, cōtra Arianos tanquam irrefragabili testimonio diuinitatē Christi probari. Solius enim Dei est dare Spiritum sanctum. Sic & Athanasius orat. 1. contra Arianos: Ἀμέλει ὥσπερ περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως λογῳ ὢν ἐχορήγει τοῖς ἁγίοις ὡς ἴδωντο πνεῦμα, ἵνα ὡς ἄνθρωπος γεγονὼς θεῷ, ἁγιάζει πάντας τῷ πνεύματι. *Nimirum quemadmodum ante incarnationem cum verbum esset, dabat sanctis, vt proprium Spiritum sanctum, sic & homo factus sanctificat omnes spiritu.* Ex quo demonstrat verbum non mutari, sed dare nunc vt ante Spiritum sanctum, accipere vt homo nem, dare vt verbum. Verbum esse, quod manet in æternum.

Deus solus dat Spiritū sanctum.

QVÆSTIO II.

Quomodo nunc accipiant spiritum?

§. 1. Sine gratia vocati non sunt, sine gratia non crediderunt, in die pentecostes vberrimā gratiam acceperunt, nunc vero gratiam ordinationis, & sacerdotij sui præcipue acceperunt. Variæ sunt enim dispensationes & dona gratiarum, nunc eius præcipue est mentio, quod in soluendis & ligandis consistit, de quo apud Matthæum multa dicta sunt. Nec noua sunt, quæ hoc loco Caluinus, Rudolphus, aliiq; obijciunt. Consuli potest inter alios noster Gregorius de Valentia libro de necessitate cōfessionis. Absoluam sententia D. Chrysostomi dialogo 3. περὶ ἱερωσύνης, c. 5. ἅπερ ἂν ἐργάσωνται ἱερεῖς, ταῦτα ὁ θεὸς ἄνω κυροῖ, καὶ τὴν τῶν δούλων γνώμην ὁ δεσπότης βεβαιοῖ. *Quæ faciunt sacerdotes, illa Deus supra rata habet, & sententiā seruorū Dominus cōfirmat.*

Sacerdotes creati apostoli.

Non intelligenda esse de sola annunciatione & res ipsa & patres docent. Quin & aduersariorum dissensiones. Caluinus hic Fanaticos reprehendit claues Ecclesiæ, & ministrorum annunciationes, & bruta fulmina prorsus contemnunt.

Ipse vero stultitia omnem fanaticismum anteit. Dum apostolos ad hoc factos, ministros iactat, vt salutem & remissionem peccatorum annuncient. Imo quibus illi renunciant remissa esse peccata, ita certos esse ait remissionis ac si Deus ipso suo sacrosancto ore id assereret. *Videmus nunc*, inquit, *cur tum splendido elogio commendet Christus ac ornet ministerium quod apostolis iniungit, nempe vt tuto sibi persuadeant fideles ratum esse quod audiunt de remissis peccatis, nec minoris faciant reconciliationem, quæ voce hominis offertur, quam si Deus ipse manum è cælo porrigeret.* Non potest ea esse certitudo in voce hominis. Nam imprimis omnis homo mendax est, & nimiū frequenter à vero abeunt ministri Caluiniani, adeo, vt à Lutheranis nō mendaces, sed ipsum mendacium vocentur. Deinde si quæram ex ministro. Dicis tu mihi peccata remissa esse, vnde nosti? Tu n' certus, an incertus es de meo statu? An tu rimatus es cor mecum, & renes examinasti? cur igitur tam certo me certū esse vis, cum albus an ater sim nescias. Si credas inquit, & regenitus sis, & Spiritum sanctum habeas, remissa sunt. Quasi vero hoc quisquam Christianus ignoret, positis omnibus hypothesibus salutis & iustitiæ, saluos & iustos esse homines. Non quæritur hic an prædestinatus certo salutem assecuturus sit, sed an ego vel ille sit prædestinatus. Hoc si mihi Deus æterna, immutabilisq; dicat veritas, si manū porrigat, cœloq; inferat, certissimum me faciet; si vero ministeri id millies clamet, non credam illi me certum esse, quamdiu ille incertum esse confitetur, quod certo mihi persuadere conatur: nam nihil tale tam impudenter audent impostores, & circumforanei, qui vt improbas merces obtrudant credulo popello, esse iustas, & se ea de re certos esse pe-e-rant, nemo venditat merces, vt dicat sibi ignotas, aliis notas & probatas esse debere. Nam quanā fronte me electum à Deo, & iustum asseris, & verbis tuis haberi fidem me postulas, perinde ac si ex Trinitatis arcano consilio prodirent, si tu idem id nescire te profiteare? Multos tulit retro ætas insaniā famosos, multos parisitandi arte nobiles, nemo Caluinianos Gnatones æquauit, nam veterū illi diuitum arrosores & irrisores, laudes quas falso aliis tribuebant veras esse se credere simulabant: Caluiniani cum falsis encomiis miseros dementarunt, ac credere iusserunt, ipsos iustos, beatos esse, verene an falso ista dixerint, ignorare se fatentur.

Certitudo non est in voce hominis.

Caluiniani ministri parasiti.

VERSVS 26.

Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis.

QVÆSTIO I.

An fidem Thomas amiserit?

§. 1. Caluinus cum id concedere videatur, postea tamen negat. [Thomæ, *inquit*, incredulitas " refertur. Non modo tardus ille & difficilis ad creden- " dum fuit, sed etiam contumax. Peruicaciam illi inge- " nitam impedisse ipsum, verba eius nihil habent fidei, " sed sensuale iudicium. Mirus autem ac prodigiosus " Thomæ stupor: simplici Christi conspectu non con- " tentus, manus quoq; volebat sibi resurrectionis testes " esse. Ita non pertinax solum, sed superbus etiam, & in " Christum contumelios us erat, nō prius resipuit, quam " tactū ipso conuictus esset.] Quis hominem talem fi- " delem crederet? Caluinus tamen negat fidem exstinctam, concedit suffocatam, exemplo Dauidis qui libidinis suæ compos secure exultat, ita de cæteris quoq; iudicat. Quantū ad homines attinet, perinde rei sunt, ac si fide, & omni Spiritus sancti gratia se abdicassent, *sed fit immensa Dei bonitate ne electi in tantum aberrationis præcipitium ruant.*

Caluinius ut Thoma incredulitatem.

Hæc

Fides Caluiniana.

Hæc est ergo fides Caluiniana iustificans, qua iusti manent, Spiritus gratiam retinent, etsi increduli sint, contumaces, pernicaces, pertinaces, prodigiosè stupidi, superbi, in Christum contumelioli, in libidine exultent, perinde se habeant, ac si fidem cum gratia omni Sp. S. abdicassent. Hoc est omni se flagitio contaminent; qua quidē iustitia nihil magis nefarium excogitari potest. Eiusmodi hominē si profiteatur se aliquando credidisse electum se esse, beatum, iustumq; prædicant. Indelebilem illā fidem esse: vt mirum non sit tātam in mundum induci improbitatem per Caluinismum, quantam ne idololatriæ quidem colluuies inuexit. Accedit tamen aliâ ex parte summa eorum, in alios qui mysterijs illis initiati recusant, censurę acerbitas. Thomas post tot visa miracula, audita q; conciones iam incredulus, contumax superbus, contumelioſus, fidem, & iustitiam non amittit. At ego si hoc non credo, si talem hominem negem iustum & fidelē, mox à Caluinistis tanquā Antichristianus Satanæ addicor: cur illi qui in suis iustis omnia flagitia, etiam adulteria & homicidia negant abesse iustitiæ, Me, si ea de re dubito, infidelem, & reprobum proclamant. Dura profecto in alienos, suauis in suos hæresis. Video Caluinianū non modo tardum ad credendū, sed incredulitate contumacem, superbum, adulterū, homicidam, contumacem, periurum, incendiarium, aliena regna occupantem, mūdum sanguine innoxio purpurantē, hunc Caluinus electum, suæ fidei iustificantis, ideoq; iustitiæ, & gratiæ indelebilis, retinentem pronunciat: meam hæsitationem, si id non probem æternis ignib. addicit. Cur nō mea quoq; veniam mereri potest dubitatio. cur non cum illa scintilla latere fidei, quam accendat aliquando Sp. S. vt talem hominem fidelem, iustum, sanctum fuisse, & esse in medio illo scelerum æstu ipse quoq; videam? Ecce peccator ille Caluinianus se iustum, & beatum nouit, & cum in Christum nō credit, fidelis & iustus est; nam suffocata fidei scintilla iniustū esse non sinit, cur ego continuo infidelis & iniustus fuero, si in Eucharistia credā esse corpus Christi, quod dicit Christus? non credam corporis figuram, quam dicit Caluinus? A deone fragilis est mea fides, vt vnius, eiusq; nouitiæ glossæ ἀπιστίαι non modo, suffocet, sed exstinguat, totam cum fide gratiam, Caluinianus illa omnia retineat, si resurrectionem credere pertinaciter recuset?

Caluinistarū mira prosopolipsia.

§. 2. Caluino contrarius est Rudolphus Gualterus, qui Apostolos errasse in re ad salutem necessaria fatetur. Vniuersum opus redemptionis in dubium vocasse Thomam non credidisse carnis resurrectionem, etsi aliquos excitatos vidisset, Apostolos vanitatis & mendacij arguisses, nec scripturas, nec Christi prędictiones in mentem reuocasse. Tales fuisse Israelitas in deserto, addit. Nusquam illud frequentius, & impudentius fit, quam in resurrectionis articulo. Etsi enim huius exēpla euidentissima nobis in rerū natura ob oculos ponantur, quæ scripturis sacris fidem possint facere, non desunt tamen, qui scurrili dicacitate, (sicut futurum Petrus prædixit) omnia in dubium vocant, quæ de nouissimo huius sæculi fine, de corporum restitutione, & vita æterna dicuntur: neq; alijs ista argumentis oppugnant, quā quæ sub sensum cadunt Quis, (aiunt) vnquam arcano Dei consilio interfuit, vt mundum aliquando veritum intellexerit? Quis è cœlis, aut inferis redijt? Quis oculatus eorum testis produci potest, quæ de his dicuntur, Si illa videre coram, & sensu percipere liceret, tunc tuto credi possent. Quis vero non plus quam insanos dixerit, si quæ in manibus sunt, huius vitæ commoda, propter incertam futurorum spem amittamus? Quid autem isti aliud dicunt quam Thomas? &c.] Si igitur illi tales, nō sunt fideles, nec Thomas erat, qui se contumaciter veritati opponit, vt ait sectarius. Nec ad rem facit, quod Christum resurrexisse optat; nam & illi per suas voluptates optant futura bona, si quæ sint adite.

Fides Caluiniana.

§. 3. Aliud vero concludit vanissime eodem ex loco Rudolphus. [Et arguitur hisce exemplis, *inquit*, illorū impudentia, qui Romanos pontifices errare posse negant, cum Apostoli in ijs errarint, & dubitarint turpissime, sine quibus salus nostra consistere non potest. Discant potius omnis loci, & ordinis homines de semetipsis humiliter sentire, & in solum Dei verbum respicere, quod ipsos errare non sinet.]

Respondeo. Non omnes Apostolos contra fidem errasse; nam Petro Christus dicit, se rogasse ne deficeret fides eius, mulieribus non crediderunt nuncianti-bus, quod testimonium sufficiens non videretur, nec infideles, sed tardi ad credendum omnes fuerunt. Nō est autem eadem omnium ratio. Deinde Apostoli nōdum eo tempore erant Ecclesiæ pastores cum mulieres resurrectionem illis nunciarent, at post acceptum hoc munus, & Spiritum, non erarunt.

Apostoli post acceptum Spiritū sanctum, & pentecostē non errarunt.

Quid vero mirum si pontificē negamus errare posse, ob Dei qua Ecclesiæ suæ præest, auxilium, cum suis electis omnibus hoc concedant Caluinistæ? *Eos*, aiunt, *in solum Dei verbum respicere, quod errare non sinit.* Si verbū Dei errare non sinit Caluinistam vllum in ijs sine quibus salus nostra consistere non potest, quomodo errare Thomam permisit? Non erat ille Caluinianus. Si hoc priuilegio muniti sunt omnes Caluiniani, non modo Doctores, sed idiotæ, & mulieres, quæ tandem inuidia est, nos tribuere Pontifici, quæ illi totis turbis affingunt? At illi in solum Dei verbum respiciunt. Solumne, ita vt cum diuersi sensus esse possint, Deus verum illis tantum dictet. Nam scripturarum apices, sine sensu parum ad rem faciunt. Sensum ergo, vitam, Spiritum mysteria scripturæ illis Deus reuelat, nec errare sinit. At si ex idiota Tigurino quæram, vnde scis illam esse scripturam? vnde tibi certum est eandem in linguā Helueticam sine errore translatam: interpretem nec ignorantia, nec vlla negligentia, ne malitia quidē fallere? quid mihi ex verbo Dei respondebit? Hæc omnia dicet mihi. Dei Spiritus suggerit, errare non potest. At quanto præstat, se qui Ecclesiam, & eius magistratum, quem docendis hominibus Deus præposuit, & regendis? Verissime Augustin. l. 1. c. 33. contra Cresconium. *Proinde quamuis huius rei certe de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarū de rerum etiā in hac re tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas, vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisq; falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate scriptura demonstrat.*

Caluinistarum iactantia.

VERSVS 28.

Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus & Deus meus.

QVAESTIO I.

An Thomæ testimonio Christi diuinitas probetur?

§. 1. HOc ex loco probari Christi diuinitatem doce Synodus Oecomen ca vniuersalis quinta collatione 8. Theod. Mopsuestenus interpretatus ita Thomę verba est, vt ex admiratione dicere eū finxerit

Deus meus, Christum resuscitastis. *Palpauit Thomas eum qui resurrexit, & adorauit eum, qui suscitauit.* Ita dixit, cũ Cyrillo mortuo insultaret. Synodus vero rem ita definit. *Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum verbum, & alium Christum, à passionibus animæ & desideriis carnis molestias patientem, & à deterioribus paulatim recedentem. & sic ex profectu operum melioratum, & à conuersatione immaculatum factum, & tanquã purum hominem: baptizatum esse in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, & per baptisma Spiritus sancti gratiam accepisse, & filiationem meruisse, &c. Iste enim & confessionem quam fecit Thomas, cum palpasset manus, & latus Domini post resurrectionem dicens:* Dominus meus, & Deus meus *inquit, non esse dictum à Domino de Christo, nec enim dicit Theodorus Deum esse Christum: sed ad miraculum resurrectionis stupefactum.* Thomam glorificasse Deum qui Thomam resuscitauit. *Atq; ob hanc causam etiam damnatus est. Nam alios præterea errores docuit.*

Theodorus Mopsuestenus.

Athanasius oratione contra Arianos eodem loco vtitur, qui eo nondum tempore subtilem illã distinctionem inuenerant. Sic etiam Chrysostomus & Augustinus interpretantur. Nec vllum est signum vt ipsi fingunt exclamationis. Indicat autẽ se credere, quod ante non credebat, nempe Christum esse Dominum & Deum. Athanasius orat: 3. ὁ τὸν Θωμᾶν λέγοντα αὐτῷ, ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου, συγχωρεῖ λέγειν ἢ μᾶλλον ὑποδέχεται, μὴ κωλύων αὐτόν. *Et Thomam ipsi dicentem, Dominus meus, & Deus meus permittit dicere, & potius accipit, nec prohibet ipsi.* Titulum autem Domini deique non admisisset nisi ex vero datum.

§. 2. Pareus l. de iustificatione contra Bellarminum: hanc Thomæ fidem, interpretatur *fiduciam.* Nã quia dixit: *Dominus meus, & Deus meus, credidit sibi omnia peccata remissa.* Nemo tamen id veterum agnouit: nam credidit id quod ante oppugnabat, nempe Christũ resurrexisse, nec hoc tantum, sed etiam Deum esse, quod palpare non poterat. Peccata sibi remissa non credebat fide, nisi Christus reuelarit; nam sine reuelatione non est fides, Dominum suum, & Deum dicere poterat, etiam de remissione incertus, sic sancti rogãt Deum, si forte conuertatur, & liberet.

Thomæ fides non est fiducia.

Denique Christus eius fidem comparat cum eorum fide, qui non viderunt, & crediderunt, quod ad corpus resurgentis pertinet. Non ad remissionem peccatorum, quam nec Thomas, nec posteri viderunt:

CAPVT XXI.

Postea manifestauit se iterum Iesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic. 2. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. 3: Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt: 4. Mane autem facto stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est. 5. Dixit ergo eis Iesus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. 6. Dicit eis: Mittite in dexteram nauis rete & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. 7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. 8. Alij autem discipuli nauigio venerunt: (non enim longe erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. 9. Vt ergo descenderunt in terram viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. 10. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos perendidistis nunc. 11. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tantis essent, non est scissum rete. 12. Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat ex discumbentibus interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est. 13. Et venit Iesus, & accepit panem, & dat eis, & piscem similiter. 14. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis cum resurrexisset à mortuis. 15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos 16. Dicit iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi, Etiam Domine tu scis, quia amo te. Dicit ei. Pasce agnos meos. 17. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus: quia dixit ei tertio. Amas me? & dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei. Pasce oues meas. 18. Amen, amen dico tibi: cum esses iunior, cingebas te & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. 19. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei. Sequere me. 20. Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? 21. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine hic autem quid? 22. Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere. 23. Exijt ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: non moritur: sed, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? 24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimonium eius. 25. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.

IN CAPVT VIGESIMVM PRIMVM

ARGVMENTVM.

APparitionem ab alijs omissam, accurate cum circumstãtijs describit Ioannes, cum enim Petrus piscatum ire decreuisset, venerunt cum illo cœteri sex qui simul erant, tota nocte frustra laborant, mane suadente Domino iactum faciunt, & capiunt 150. magnos pisces Petrus per aquas ad Christum venit, trina interrogatione & responsione intercedente ter pastor constituitur. Martyriũ illi prædicitur, de Ioanne quærẽti respõdetur; *quid ad te, tu me sequere.* Tandem Ioannes de veritate testimonij sui, & de multis non scriptis Christi gestis protestatur. Syri legunt versus quatuordecim primos. *Ad oblationem Dominicæ nouæ.*

Inde

Inde vsque ad versum 20. *In commemoratione Simonis Petri, & sanctificatione Ecclesiæ, & consecratione Episcopi.*

Hinc vsque ad finem in commemoratione Ioannis Euangelistæ. In fine additur: *Finitum est Euangelium sacrosanctum, prædicatto Ioannis Euangelistæ, quod locutus est Ionice Ephesi.*

VERSVS 1.

Postea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic:

QVÆSTIO I.

Quorsum ista apparitio narretur?

§. 1. COmpleuisse narrationem videbatur Euãgelista; ideo .n. hæc scripta esse, vt crederemus, dixerat, v. vltimo cap. 20. Nunc aliam historiam recenset, non necessariam illam quidem ad faciendam fidem; iam .n. crediderant Apostoli: sed ad eam confirmandam: multa .n. in ea miracula sunt: captura piscium, propositum in loco solitario prandium, non scissum rete, cognitio amoris Petri erga Dominum, martyrij prædictio. Primaria tamen causa fuisse videtur, vt Ioannes ostenderet, quisnã fuerit constitutus Apostolorũ princeps, & ne quis posset de ipso dubitare, quod neq; negasset, vt Petrus, nec contumaciter dubitasset vt Thomas, quodq; Christi in eum peculiaris videretur amor, quod eum suo loco in matris cura substituisset. Hinc promptum erat conijcere Ioannem primas habiturum, vt qui etiam proxime ad crucem astiterit, sed ille diserte demonstrat sibi prælatum Petrum, Petro oues commendatas, Petrũ plus amasse Dominum quam ipse amarit.

Historia Petri primatum ostendit.

QVÆSTIO II.

Vnde retia & nauis Petro?

§. 1. SEctarij vt Rudolphus, alij q;, naues & retia atq; adeo familiam viuo Christo retinuisse aiunt, tantum animo, atq; affectu reliquisse; quamuis fatẽtur, post ascensionem omnia reipsa deseruisse. Idque ex hoc se loco probare posse contendunt. Nisi enim nauem, & instrumenta piscandi Petrus habuisset: nõ poterat piscari. Hinc impetum faciunt in ocia monachorum, & eos, qui omnia sua deseruerunt, furiose calumniantur.

Apostoli omnia deseruerunt.

Respondeo. Paupertatem voluntariam, & omniũ rerum abdicationem, Apostolorum & doctrina & exemplo commendatam, alio loco defendi. Nec opus habent tamen Monachi defensione cum ab Apostolorum temporibus ad nostra semper in Ecclesia fuerint. Dionysius c. 6. de Ecclesiastica Hierarchia illorũ non modo vitam sed etiam consecrationem describit, & ipsum μυστήριον μοναχικῆς τελειώσεως, mysterium monasticæ consecrationis. τελέσας δ' αὐτὴν (θεάληψιν) ὁ ἱερεὺς ὅλῃ τὸν τελούμενον ἐλθὼν ἐπερωτᾷ πρῶτον αὐτὸν εἰ πίστεις ἔστω τούτοις τοῖς διαιρετοῖς, ἑνοειδῆ ζωὴν ἁπλῆν καὶ φανερωτάτην, ἐπιτείνουσαν τὴν τελειοτάτην αὐτοῦ ζωὴν ὑφηγεῖται. *Perfecta ea (precatione) sacerdos veniens ad eum qui perficitur, & interrogat: An renunciet omnibus diuersis non modo vitiis, sed etiam pantasiis, seu imaginationibus, deinde exponit illi vitam perfectissimam.* Et testatur mediam oportere illum superare. Quæ deinde in Theoria exponit. Georgius Pachymeres διαιρετὰ vocare dicit, τὰ βιωτικὰ, vt ἐμπορίας, πραγματείας, συναλλάγματα, & alia. *Res huius vitæ, vt negotiationes, res agendas, commercia, & similia, à quibus præcipi in Monachis ait ἀναχώρησιν secessionem.*

§. 2. Sed hunc locum videamus, quam vim habeat contra Apostolorum paupertatem, vt Petrum mendacij arguat, dicentem, *nos reliquimus omnia.* Petrus abijt piscatum aiunt, non ergo nauem, non cete-

ra reliquerat. Itane vero? Petrus Bethsaidæ erat, vxorem ibi & socrum habebat, erant cum ipso filij Zebedæi, sine dubio & mater eorum, & pater, imo & mercenarij, quos illi cum patre & naue reliquerant, nullusne nauiculam, amicis, cognatis, filijs, per noctem piscari volentibus mutuum dare poterat: Stant nauiculæ piscatorum multæ in fluminum ripis & littoribus maris, vsum piscari volentibus, negare non solẽt piscatores, præsertim si amici, si cognati sint. Potuit igitur vti alienis instrumẽtis Petrus & Apostoli, vt qui inter se erant amici, & alios haberent amicos, & notos. τῷ ὄντι μόνοι φίλοι τῷ θεῷ, ἢ ἀλλήλοις οἱ ἅγιοι. *Reuera soli amici Deo, & sibi mutuo sunt sancti,* Cum ergo Socrus Petri, cum Zebedæus, cum tota illa piscatorum natio Apostolis amica esset, non fuit difficile illis obtinere, vel suo iure nauem. Quod si forte duo alij discipuli non erant Apostoli, quod incertum est, illorum naue vti poterant, & forte ipse Nathanael piscator erat: nã cum Petro ad piscandum egreditur. Nec obstat, quod erat à Cana, siue vt Syrus habet קטנא *Catne,* Nam certe hic ad mare est, & piscatum egreditur. Quis igitur non videt, si piscatio Petri conuincit, nauem eum & retia habuisse, non eodem modo sequi etiam alios qui piscatum ierunt habuisse naues & retia, si enim nõ potuit Petrus nisi in propria naue piscari, cur alij potuerunt in aliena. Septem fuere piscatores, nauis vna non nisi vnius fuit, & forte ex illis septẽ omnino nullius. Mihi probabile est, duos discipulos ex duodecim Apostolis non fuisse, eo quod eos non nominarit Ioannes, cum Petrũ Thomam, se, cum fratre, & Nathanaelem, nominasset, non omissurus eos qui Apostoli, & Socij fuissent. Iuit igitur piscatũ Petrus seu vt Syrus אתרר גונא *venatum pisces,* vel naue quæ alicuius ex præsentibus erat, vel quæ alterius noti tamen & amici. Hæc ad loci huius expositionem dicenda fuerunt, interim laboriosum vitæ institutum quod monachi sectantur ita prædicamus vt tamen eorum, qui sanctum ordinẽ inertia, & vagis d scursibus infamãt, ocia non probemus. Labores manuum in Christi ministris non reprehendamus. Tota nocte nihil capiũt, quia sui beneficij voluit esse Christus, non humanæ industriæ fructum laborum. Iam vero figurabat, ingentem totius mundi capturam, in qua Apostoli laboraturi erant, ipse autem pisces in nassam tracturus. Piscatio itaque mysterium conuersionis erat.

Petrus mutuatitia naue piscatus est.

VERSVS 5.

Dixit ergo eis Iesus: Pueri nunquid pulmentarium habetis? Respondérunt ei: Non.

QVÆSTIO I.

Quid Christus aduenies agit?

§. 1. QVasi pisces emprum veniat, eos affatur. *Pueri,* inquit, *nunquid pulmentarium habetis.* παιδία vocat, *puerulos,* quod blandientis est, & signum apparuisse Christum tanquam virum grauem, & affabilem, qui eos sic compellaret. Syrus habet טלא *Telae,* quod interpretatur glossator חנגריתא *Hanegharimi iuuenes,* seu adolescentes.

Pulmentarium Græce est πρόσφαγον, quicquid pani additur in cibo. Syrus למלעם *ad edendum.* De pulte, pulmento, pulmentario vide, quæ hoc loco erudite disserit Maldonatus.

§. 2. Cum senihil habere dixissent, iubet in dextram nauigij iacere rete, cui paruerunt, & felice iactu totius noctis ærumnas pensarunt. Mox Ioannes vel ex miraculo piscium, vel aliter Domino se reuelante, cognouit, & Petro dicit: *Dominus est.*

QVAESTIO II.

Rectene Petrus se in aquam dimiserit?

§. 1. PEtrus impatiens moræ oblitus prædæ, induit ἐπενδύτην superiorem vestem; erat enim nudus more piscantium, leuibus, & ad opus habilibus vestibus indutus. Decore autem sic ad Christum accedit, seu nando, seu vadando, seu etiam fluctus calcando. Nauis tardior erat progressus, quod rete plenum magno labore traherent. Iossius hæreticus litem intendit, Petro, vix absolui finit, quod iniussus aquæ se cõmiserit. Ardorem ait non imitandum, addit, non ideo quicquam, cuius præceptum non habemus, esse faciendum; non enim valere argumentum à singulari Petri facto ad vniuersale.

Petrus nõ peccauit.

Cæteri omnes & sectarij Petri caritatem commẽdant. Catholici vero demonstrant: Non omne quod diserte non præcipitur Dei mandato, illicitum esse. Nec à singulari ad vniuersale ducunt argumentum: sed hæreticorum vniuersale pronunciatum falsum esse ex singulari Petri facto conuincunt. Nam propositio vniuersalis datâ Enstasi in contrarium, falsa conuincitur. Petri hoc factum, quod periculosum videbatur, quod indecori seruoris poterat videri, madentem scilicet ad Christum venire, iniussu Christi factũ est, & tamen placuit Deo; non ergo peccatũ est, quicquid sine præeunte mandato agitur. Atque hoc iam tertio Christus se manifestauit, hoc est tertio hoc die, nam ipsa prima die resurrectionis sæpius, deinde octauo die apparuit, ac tandẽ tertio hoc die, non vice.

VERSVS 15.16.17.

Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus, Simon Iona, diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine: tu scis quia amo te, Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Iona diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te, Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertio, Simon Iona amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei, Domine, tu omnia scis: tu scis quia amo te. Dicit ei, pasce oues meas.

QVAESTIO I.

An hoc loco detur Petro peculiaris potestas?

§. 1. VErba illa *pasce agnos meos pasce agnos meos, pasce oues meas*, hoc tempore plurimum agitantur, adeo vt vix alia sint in Ioanne, quæ magis hæretici torqueant, & lacerent. Corruptelæ sectariorum variæ sunt. Quidam illa verba, vt euaderent ictum argumenti, ἀγαπᾷς με πλέον τούτων, *diligis me plus his*, sic interpretati sunt. *Diligis me plus quam hos.* Verum cum sensus ille absurdus sit; nec enim magnopere commendari poterat, si plus Dominum, quam seruos amaret, itaque Caluinus Bullingerus, atq; alij vt suorum ruditati occurrerent, nec ludibrio Catholicis essent, verterunt; *Diligis me plus quam hi?* Syrus etiã manifeste vertit. יתיר מן הלין *plus præ his.* Alij totiin eo fuerunt, vt illa verba non soli Petro dicta assererent, sed omnibus communiter Apostolis. Verum istam etiam tergiuersationem posteri à Cardinale Bellarmino conuicti omiserunt. Nam nominatim illum appellat. *Simonem Ioannis.* seu יונא *columbæ.* Deinde maiorem ab eo quam ab alijs amorem requirit, ab hoc igitur alij excluduntur colloquio. Cætera de tristitia, martyrio, interrogatione, soli Petro conueniunt, idcirco, hæc dicunt. Danæus, Iunius, Sutlinius, concedunt, & interrogationem ad solum Petrum, & consentaneè etiã Christi responsum, ad vnum, eundemq; pertinere Petrũ, quæruntur que id à Bellarmino probari, quod ipsi vltra dant. Alij negant omnes Petro oues commissas, alij pascere sola doctrina definiunt. Alij denique nihil hic Petro concedi singulare, sed eum recepisse Apostolatum à quo exciderat negando.

Depræuatio verborum.

Soli Petro commissa.

§. 2. Omnes agnos, omnes oues Petro Christus commisit. In Latino legitur bis: agnos meos, semel oues. In Græco è contrario: bis προβάτια, semel ἀρνία. Bellarminus secundo loco putat legendũ πρόβατα, oiculas, idque probat veterũ auctoritate, eũ erudite defendit contra calumniatores Gretserus noster. Vtriusq; iudicium confirmat textus Syriacus vbi Fabricius vertit v. 16. *agnos meos*, v. 17. *oues meas*, v. 18. *ouiculas meas.* Primo loco est: אימרי *Imrai, agnos meos.* & אמרא *agnus*, Ios. 6. & Gen. 30. & glossa hic interpretatur טלשא quod agniculum significat. v. 17. est עדבי quod oues meas sine controuersia significat, glossa vocat עאן, quod minutas pecudes, & oues significat. Tertio loco v. 18. est נקורתי quod vt dixi ouiculas vertit Fabricius, & alij: proprie gregem seu congregationem significare videtur. Tamen pro oue accipitur, glossa vocat ריחלי certe Isaiæ 53. 7. Hieronymus vertit, *agnum.* Non igitur dubiũ est, quin Syrus interpres, etsi non eodem ordine legerit ἀρνία, πρόβατα, προβάτια, quæ omnia diuerso reddidit sermone. Vt vel hinc appareat, quãta sit temeritas eruditos antiquitate fultos calumniari. Quod vero ad rem præsentem attiner, non magni refert, vtram lectionem teneamus. Hoc constat agnos quos dicit suos, oues quas dicit suas Christum Petro pascendas committere. Cum autem nemo sit in Ecclesia nisi oues Christi, & in ea omnes oues Christi. Nulla enim ouis Christi est, quæ sit extra hoc ouile, cum constat ouem esse, cum tota Ecclesia sit Christi ouile, & totum ouile Ecclesia, necesse est omnes esse commendatas. Non habet ergo pro suis Christus ouibus, quas non pascit Petrus. Quod sita men sensus est, *pasce oues meas*, non omnes, sed aliquas, quas illi committit, quas cura illius eximit? Si dixisset, *pasce oues domus Israel*, vel oues Græcas, vel Romanas, possent inimici pontificis partẽ Petro permittere, & curam pastoralem certa ditione definire, nunc absolutè cũ *meas* dicat Dominus, Vbiuis gentium, vbiuis locorum, pertinacis est audaciæ commissionem Domini ad certas & paucas restringere. Si liberos quispiã alicui committat paruos & magnos, nullum excipit; Ioseph filio fratres Iacobus committit, non solum Beniamin & Ruben, sed Simeonem etiam & Danem: Crudele fuisset non omnes in fidem recipere. *Ego inquit ille, pascam vos, & paruulos vestros*, non dicit omnes, sed omnes tamen intelligebat, & fratres de omnibus verba fratris accipiebant, si enim aliquibus benignitatẽ fratris clausum iri animaduertissent, essent pleriq; exspectatione solliciti & mœsti recessissent. Vnũ ouile est, & vnus pastor Christus, Petrus etiam pastoris vnius à vicarius ouilis vnius, vt toti prouideat, vt

Non est omnes Christi quæ nõ pascitur à Petro.

Nullus omnes Christi excipit.

omni

omni parte lupos arceat, aut si partem illi commisit, quæ illa pars esse fingetur?

§.3. Rudolphus Gualterus omnes oues Petro negat: Rationes eius futiles sunt: Nam Petrum euehēdo alios Apostolos in lutū deprimi, Petrum tanto oneri ferendo parem non fuisse. Deniq; Petrum orbem totum non circumiuisse, nec id potuisse, atq; ita officio suo nō esse functum. Cum mandatum sit: *pasce omnes*, ille vero vnicam partem aliquam pauerit, eamque aliis comparatam non admodum magnam.

Habere principem non est deprimi.

Responsio facilis. Non deprimi Apostolos cū vnus princeps inter eos cognoscitur, nec enim ea ambitione erant, vt superiorem ferre non possent. Inter ministros noui Euangelii fastus ille regnat, nec ferre maiorē, nec parem queunt. Ioannes narratione ipsa declarat; Petrum magis amasse, quam ipse & alii amarint, nec honori inuidit, cuius caritatem nondū æquarat. Non est abiecta Apostolorū conditio, si vnus honore præcellat: nec singulorū dignitati ita est prospiciendū, vt ordo, & magistratus tollatur. Nec impar est labori Petrus, non n. per se singula, sed per alios administrat; habet Apostolos non seruos suos, sed conseruos suos, seruos a. Christi, habet Episcopos, qui pascāt suis locis gregem, vt vnitati cōsulatur, vni publica totius gregis cura incūbit. Ita nec opus est, vt ille vel obeundo gentes omnes verbo, aut scripto doceat, sed vt eorū pastores dirigat, communib. rebus præsit. errores ex infallibili auctoritate exscindat, lites cōponat, sanā doctrinam tueatur, morū & disciplinæ sanctitatem legib. firmet. Quæ præstare potest vno in loco residens, cura, & sollicitudine omnes orbis partes cōplexus, qua ratione nūc fieri videmus, vt in vtraq; India, Iaponia, China, atq; adeo Africæ æstuosis partibus, florentissimas, & numerosissimas Ecclesias gubernet Pontifex.

Petrus par est officio.

§.5. Pascere nō est modo cibare, sed regere, atq; omnia pastoris exercere officia. Imperita est quorundā ministrorū, quos quadratos vocant, expositio. Pascere esse famulorū, procuratorumq; cibos mensæ inferentium, & ministrantium; Itaq; cū dicitur: *Pasce oues meas* ministerium imperari, nō dari præfecturā. Cardinalis Bellarminus cū eiusmodi pecudib. negocium habuit: itaq; in eo est, vt probet ποιμαίνειν, pascere, & רְעֵה in Syro habetur, esse patrisfamilias seu Domini. atq; adeo esse regere: nā reges sunt pastores populorū: Nūc tanta luce perculsi, imo suorum cœtuum cōtumacia edocti, pascēdi nomine ius aliquod potestatemq; acquiri concedunt. Ita olim etiam Chrys. de sacerdotio l. 2. Augustinus & cæteri. Dionysius ad Domophilū Epist. 8. Sed de patrib. postea videro. Pascere Caluinus *regere* interpretatur. *Qui ad Ecclesiam regendam vocantur*, inquit. paulo post Petrum *præfectum gregi dicit.* Musculus ēt ex Etasmo notat, duo esse in Græco verba, βόσκε & ποίμαινε, *quorū posterius nō modo pascere, sed regere, etiā & moderari significet.* Nec ad solam doctrinam pertinet, sed ēt ad mores regēdos, & disciplinam, atq; ita vsurparunt ministri Geneuenses, de quib. Caluin⁹ Epist. 167. Qui cū quendam excōmunicassent, & ille à senatu ad communionē seu cœnā admissus esset, noluerunt decreto senatus stare: sed hominē reiecerunt. *Inter alios*, inquit, *præcipuus extitit nebulo quidā, cuius impobitas his firmis ac validis rationibus, ita refutata fuit, vt à senatu pronunciatū sit, etiam iure excommunicatum esse, cum per sesquiannum Sacra communione priuari maluerit, quam pœnitentiam apud consistorium testari, nuper ius ac libertatem cœnæ recipiendæ, à senatu impetrauit: consistorio non audito: admissus tamen non fuit: quia pastores fas sibi negarunt, leges, in quas iurauerant, violare; cum multi obstreperent, vocati sunt in curiam ministri.*

Pascere est regere.

Hæretici pro nobis stant.

Ius consistorij.

Respondet Cōsistorium. *Nunc friuolo cauillo ius suum consistorio eripere tentant, quia alicubi additū est, vt consistorium de suo iudicio vos certiores reddat. Neq; n. hoc modo impeditur consistorij libertas, quo minus disciplinā sibi mandatam exerceat: Sed in aliū finē posita sunt hæc verba, vt duros & indomitos homines coerceatis, quibus contemptui est spiritalis correctio. Et sanè vobis denunciare non iubetur, vt iudiciū ad vos transferat, quis nam priuandus cœna sit nec ne quemadmodum alibi diserte exprimitur, vt de pœnis & tota ciuili iurisdictione vobis integra seruetur cognitio.* Quin illi *regimen Ecclesia sibi mandatū, Sanctū ac spirituale regimen vocant, in eadē Epistola quod Deo precio sum esse sciant.* In Syro est vnicū solū verbum, vt in Latino, רְעֵה לִי *pasce mihi.* Sed tamen illud ēt de gubernatione intelligitur, apud Hebræos & Syros, vt Ps. 2. Rudolphus Gualterus idē fatetur. *At quod vno verbo latini interpretes reddiderunt, Ioannes in Græco sermone duabus expressit, βόσκε & ποίμαινε, quorū illud quidem de sola pastura exponi potest, hoc vero simul gregū totius, ouium q; singularū gubernationem comprehendit. Vtrunq; per verbū administratur, sed diuersa ratione, præsumitur. n. qui de Dei bona voluntate edocentur, & de Christi mysterijs edocti salutis suæ certi fiunt hi. n. intra animos suos saturi nihil præterea esuriunt, & sitiunt. Ad alterū vero cū doctrina simul ēt admonitione, hortatione, correptione, increpatione, adeoq; disciplina publica opus est quā sub vno capite Iesu Christo contineantur, qui illi nomen dederūt.* Addit deinde: *huc pertinere ēt sacramentorū administrationē, pastoribus cōmissam.* Deinde describit agnos, & oues, robustas alias, alias infirmas, alias macras, alias errantes, & omnia officia pastorū, quæ verbo pascendi Christū cōprehendere concludit. Eadē ēt Aretius habet hoc loco, qui ποιμαίνειν *ad omnes partes curādi gregū, ducendi, reducendi, defendendi, sanandi & quæcunq; sunt boni pastorū partes extendit.* Hinc ad reges & principes referre, *Hic de cura docendi, & sanā doctrinā defendendi accipitur*, inquit. Et Lambertus Dan. l. 4. c. 2. Isagoges *potestatē Ecclesia datā asserit*, ἐξουσίαν διδωμι ἀνθρωπίαν, Id est, *ius & auctoritatē alicuius gubernationis illi traditæ, i. alicuius rei gerēdæ, & regendæ.* Toto illo libro ita de potestate Ecclesiastica disputat, vt facile constet, eū pastores non ministros modo, sed præfectos cū potestate facere. Cap. 19. cōtra eos agit, qui nullā in Ecclesiā politiā admittunt: quales ait hæreticos plerosq;. Probat ex primitiua Ecclesia, quodq; ea domus, in qua nihil fieri debet ἀτάκτως. At c. 52. Probat omnes & singulos subditos esse clauib. Ecclesiæ, & iurisdictioni: Spurios esse Christianos, qui disciplinā illā reijciunt. Iā igitur hoc obtinemus, & omnes Petro cōmendari, & pascere cōtinere omnē in Ecclesia disciplinā, cū doctrina. Nā qui ista olim negarūt, ab exercitatiorib. iā sunt dānati erroris & ignorantiæ. Imo ipse Rudolphus qui omnes oues Petro commissas negabat, postea fatetur, *verbo pascēdi omnes cōtineri.*

Ministros cum potestate constituit.

§.6. Non fuit hæc interrogatio instituta duntaxat, vt huius Petro honor restitueretur, aut vt Apostolico gradui redderetur. Etsi. n. trina negatio triplici confessione fuerit abolita, non tamen Apostolatus est redditus, qui non erat perditus. Deinde negatio lacrymis, fide confessione, qñ ad sepulchrum, & inter Apostolos publicè credidit, qñ Dominus illi apparuit speciatim, qñ ad eū nominatim testes resurrectionis suæ legauit, pro Apostolo habitus est itaq;, inter Apostolos semper versat⁹ est, nec vllus Petrū quasi ejectū fugit, aut contēpsit. Nō amisit aūt apostolatū peccando, vt constat; nā neq; ministri Caluinistarū peccando, ministerio excidere censentur. Est aūt antiqua hæresis Donatistarū, & Wicleffi, Episcopū peccatorē nō esse Episcopū. Multo minus affirmare id possunt Caluinistæ, qui Petrū negāt fidē, & iustitiā peccādo amisisse. Quod si tantū restituendus erat in integrū, nō opus erat vt magis diligeret, sed vt more & mensura cœterorū diligeret. Pascere aūt iubetur postq; pfessus est se diligere, idq; iureiurando, Christi scientiā contestatus. Christi quæstio est; *diligis me plus his?* πλεῖον τούτων, *ita Domine, omnino Dē mine:* Maiori itaq; amori plus datū est, quā cœteris, nā ideo Christus eū ad hoc officiū designauit, quia magis quā cœteri amabat. Non quod mensura dignitatis, sit etiam certum indicium caritatis: Sed quia Christus in

Petrus nō perdidit Apostolatum.

Maiori cāritate data maius officium.

Petro perfectissimam boni pastoris formã exprimere voluit interrogatione sua, & approbatione indicauit eum maxime idoneum esse ad Ecclesiæ præfecturam, qui maxima sit caritate præditus. Nam vere & ex animo respondisse Petrum, Christi sententia decernit: cũ statim subiungit, *pasce agnos meos*, quasi dicat: quia reuera me amas, tibi quod maxime amo, propter quod mortuus sum, commendo, nempe Ecclesiam, & cœtum omniũ fidelium. Nec negãt hoc ipsum hæretici; Musculus excellentiam amoris Petro tribuit, seq; illi commissurum oues ait, *quia plus diligat*. Si enim par omnibus est cura commissa, cur solum Petrum interrogat? Constat igitur ex hisce, omnes oues, & quidem tanquam pastori comẽdatas. qui pascat, hoc est regat, quia ille singulari amore Christum prosecutus est. Petro itaq; omnes ẽt cœteri pastores atq; adeo Apostoli sunt commissi, non vt illis dominaretur tanquam seruis, sed vt coleret tanquã fratres. Quocirca Caluinus etiam tandem dat manus: *Atq; vt demus ait priuatim illi aliquid honoris delatum, vnde queso, euincent locatum esse in primatu. Fuerit sane præcipuus inter Apostolos, an inde protinus sequetur fuisse vniuersalem totius orbis episcopum.* Veritas sua vi extorsit homini confessionem, quam mox adulterat. Priuatim illi honoris aliquid delatum concedit: Non est actio illa priuata. sed maxime publica, à summo Deo, post legitimam quæstionem, & professionem, coram testibus instituta; De in honor qui delatus est, non in re priuata datus est, sed in pastione agnorum, & ouiũ, quæ res maxime publica, si in hoc officio Petro priuatim hoc est soli honor delatus est, datũ est ergo aliquid cœteris non cõmune. Alio ergo singulari modo & iure quam cœteri pascit. Si præcipuus est inter Apostolos, quia præcipue iussus est pascere gregẽ Dominicũ, data est illi potestas, ius, aut iurisdictio, quæ eum præcipuũ faceret. Quod Caluinus tectius scripsit, id magis ingenue confessus Bucerus. *Ioannes* inquit, *præterea momorat tertio Dominũ Petrum rogasse, si se plus aliis amaret: & appellante illo Domini conscientiam, commendasse Dominũ ei curam ouiũ suarũ. Hic videtur, & hoc voluisse dicere. Tu vero Simon præ te fers magnũ mei amorẽ, & vis videri præ his fratribus tuis, me diligere, si ita est, fac id in eo declares, vt fideliter pascas oues meas, his te impendendo declarabis si me vere diligas. Eo aũt significarat Dominus, Petrum omnino præcipuum ouium suarum pastorem fore neq; enim refutauit professionem illius de præcipuo in ipsum amore. Iam cum vere Dominum amaret, non potuit amorem suum in eo non declarare, in quo Dominus eũ declarari poscebat, curã videlicet, & pastu ouiũ suarũ. Omnino ergo præ aliis D. Petrus ouium Christi pastor fuit. At earũ potissimũ, quæ tũ in nomine censuq; ouium habebantur, quæ erãt à domo Israel.* Hæc ille: Præcipuum pastorem illum ouium cõfitetur, & præ alijs, nec ad solos Iudæos restringit, sed Petrum etiam in gentibus Euangelizasse cõcedit. si præcipuus fuit, non solo nomine fuit, ius ergo aliquod datũ est, quo præcipuus fieret, non quouis modo, vt ætate, doctrina, sanctitate, sed ouium cura pastuq;. Nã ius hoc datum est, cum diceret, *pasce*: Sensus ergo fuit. *Pasce tãquam pastor præ alijs, pastor præcipuus*, qua oratione curam Petro ac officium imponit, non inanem titulum aut honorem, quem accipere poterat, etsi non magis amaret; Cum ergo constituit præcipuũ præ alijs pastorem, curam illi præ alijs præcipuam imposuit, & peculiare pascendi officiũ: quod sine potestate, & iure aliquo non potest intelligi; nam si præcipua illi cura mandata est, vt præcipuo pastori. etiam ouibus imperatum est, vt præcipuæ reuerentia, & obedientia eũ vt præcipuum pastorem colant. Iura enim superiorum, & subditorum relationem habent necessariam.

Petro priuatim non est honor delatus sed publice & in re publica.

Petrus præcipuus pastor.

QVAESTIO II.

Quomodo verba Ioannis pasce oues meas patres exposuerint?

§. 1. CAsaubonus literatus homo, nec à Catholicis ita alienus, vt conuitijs admodum delectare tur, postquam regio stipendio conductus, eruditione in adulationem versa, hidem Catholicam oppugnare cœpit, inter cœtera, securus famæ, prodigus veri, pronunciauit. *Nos vero serio affirmamus neminem fuisse è scriptoribus Ecclesiasticis, per annos sexcentos & plures, qui meminerit monarchiæ illius Petri & Romæ Pontificum.* Idem de concilijs sacris annotat. Hoc ille post tot Patrum testimonia à varijs allata. Sed rem ipsam considerem us, vt appareat, quid de spirituali potestate Petri, quam inuidiose Monarchiam appellat, patres, consiliaq; censuerint Prius vero quam testimonia adducam, parapharasin Nonni explicabo, qui singulari elegantia hoc colloquium expressit, & quæ ad rẽ pertinent, non pauca attulit. Sic vero ille canit.

καὶ ἐν ἑνὶ πάντας ἐάσας
Ἰχθυόεν μετὰ δεῖπνον ἀδαιτέϊ πουλὶ τραπέζης.
Ἀγχυπόρῳ σίμωνι θεηγόρον ἴαχε φανήν.

Et simul omnes deserens, post prandium pisculentum mensæ indiuisæ, seu communi, diuina voce sonuit vicino Petro. Omnes deseruit, non abscessu, omnes. n. audierunt, sed ad solũ Petrũ sermonẽ conuertit. Soli. n. Petro oues cõmittebat. Porro prandium vocat ἰχθυόεν piscosum, in quo piscium copia erat; ea vero prandia priscis opulẽta, & lauta censebantur, vt docet Maldonatus: imo apud comœdos dum conuiuia instruuntur, pisces præstinatum eunt, & ostrea, & mullos.

Σίμων γνήσιον ἔρνος ἰωαννακοῖο.

Simon genuine rame Ioannis parentis.

Honoris enim causa parentem nominat, quem & alio versu à pietate commendat.

Συμμιγέων ἐμὲ μᾶλλον ὅλον ἑτάρων ἀγαπάζεις;

Magis me diligis, quam omnes coniuncti socij.

Vbi hoc ipse ex vero addidit ὅλων, *omniũ*: nemo enim è toto Apostolorum cœtu par fuit Petro.

καὶ οἱ εἶπε· ἔφη, ναὶ κύριε, καὶ σὺ δὲ θυμῷ
Οἶδας ὅτι φιλέω σε, καὶ οὐ μύθοισι κατίζεις.

Et illi Petrus dixit: Etiam Domine, & tu animo nosti, quod amo te, nec indiges sermone, Subdit deinde.

καὶ ζαθέοις ἐμὸν ἆσσον ἀνὰξ ἐπετέλλετο ποίμνῃ.
Βόσκε μοι ἐμφρονας ἄρνας ἀσιγήτῳ στοργῇ σῷ.

Et diuino ore rex imperauit Petro,
Pasce mihi intelligentes agnos, non tacente baculo.

Ἰησοῦς δ' ἐρέαινεν ἀμοιβαδὶ πέτρον ἰωῆ.
Σίμων ἀγλαόπαιδας ἰώννακος ἐνθλης
μᾶλλον ὁμοζυγέων φιλέεις ἐμὲ μᾶλλον ἑταίρων.

Iesus vero rogauit iterata Petrum voce, Simon de stirpe Ioannæ filijs inclyti, me solum amas magis, quam coniuncti socij. Hic & tertia etiam interrogatione quærit apud Nonnum an magis amet? Iterum respondet Petrus.

ναὶ βασιλεῦ, σὺ δὲ μάρτυς ἐμῆς φρενὸς οἷσθα κἀνῶς.
ὅσσον ἐγὼ γλυκὺ φίλτρον ἀθέσφατον εἰς σὲ κομίζω.

Etiam rex. Tu vero testis es mentis meæ. scis & ipse, quantũ ego dulcem amorem immensum erga te gero.

Tum Christus respondit.

ἡμετέρων ποίμαινε νοήμονα πῶεα μήλων.

Nostrarum ouium greges intelligentes pasce.

Tertia interrogatio est;

Ἀσφαλέος θρέψεις μὲ πολὺ φίλτερον ἢ περ ἄλλους:

Reuera magis me amas quam alij. & Petro respondenti imperat:

ἀρσενίην ποίμαινε καλαύροπι μῆλα κατ' ἄρνας,

Cœlesti baculo pasce oues & agnos, itaque videtur vtrũque ille legisse, πρόβατα κατ' ἄρνια. Verum nunc quomodo patres hæc explicarint consideremus.

Soli Petro dictum esse pasce oues meas Chrysostomus testatur hom. 88. in Ioannem. τί δήποτε τοὺς ἄλλους παρεὶς τούτων διαλέγεται; ἔκκειται τῶν ἀποστόλων, καὶ γόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τῆς χορείας,

ἀλλὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη τότε αὐτὸν ὑστερήσειν προσδοκήσας. ἅμα γὰρ δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θαρρεῖν λοιπόν, ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξεληλαμένης, ἐγχειρίζει τῷ πεποιθότι τῶν ἀδελφῶν, καὶ τῷ μὴ ἀρνησιν ὑποφέρει, οὐδὲ ὀνειδίζει τὸ γεγονός. λέγει γὰρ ὅτι εἰ φιλεῖς με, ποίησον τῶν ἀδελφῶν. *Quid tandem alios prateriens solum de his Petrum alloquitur? Eximius erat inter Apostolos, & os discipulorum, & vertex chori. Propterea & Paulus ascendit prater alios eum visurus. Simul ostendens oportere eum fiduciam habere. Tanquam enim negationis obliuiscretur fratrum & prafecturam committit, neque negationis meminit, neque exprobrat factum, tantum dicit: Si amas me, praside to fratribus.*

S. Leo Epistola 89. ad Episcopum Viennensem. *Cui cum præ cæteris soluendi & ligandi facultas tradita sit, pascendarum tamen ouium cura specialis mandata est. Sermon. 3. De assumptione sua ad Pontificem, De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

Doctissimè hæc verba exponit Bulengerus diatribe 12. contra Casaubonum. p. 45. Tu vero, vt Caluini sententiam astruas, hæc verba Domini, *pasce oues meas*, hic accipis, quasi non vni Petro, sed omnibus ex æquo Apostolis dicta sint, quibus idem imperium in gregem Ecclesiæ Dominus dederit. Ea interpretatio iam olim à patribus damnata est, qui verbis illis imperium ac principatum in vniuersum gregem Petro soli attributum ostendunt. Ambros. in c. vlt. Luc. *Per hæc verba*, inquit, *pasce oues meas, Dominus reliquit nobis Petrum quasi vicarium amoris sui.* Sic Epiph. p. 277. Chrysost. lib. 2. de Sacerdot. *Hæc*, inquit, *Domini verba principem Apostolorum Petrum constituunt, & vniuersi gregis curam, gubernationemque mandant. Est enim fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Matth. 24. Ita D. Leo Serm. 3. in assumptionem suam ad Pontificem hæc verba accipienda ostendit, cæterique patres consentiunt, qui Rom. Pontifici gregem Ecclesiæ commissum asseuerant: eius est Episcopos constituere, solio pellere, restituere, arguere, docere, fideique fundamenta tueri. Origenes à Fabiano Pontifice veniam expetiit, quod multa parum pie scripsisset antequam accuratius limata essent, & ad fidei obrussam exacta, præpropere ab Amb. vulgata, ait Hieronymus in Apolog. ad Pammachium. Iustiniani æuo Anthemius Constantinop. Episcopus Apostolicum Patrem Agapetum I. cæteris Episcopis superiorem expertus est, à quo vt Monothelita Sacro Magistratu abire coactus, vt Zonaras & Cedrin. Tomo 1. Concilior. Salonius & Sigittarius Episcopi Synodo Lugdunensi exauctorati sub Guntrano Aureliarum rege à Ioanne 3. Pontifice Max. in integrum restituti sunt. Gregorius I. Vigilio Arelatensi vsum Pallii ac vices Apostolicæ sedis, potestatemque in Ecclesias Gallicanas concessit, Epist. 61. lib. 4. Siagrio Heduensi pallium Archiepiscopi Epist. 12. l. 7. Leonis 2. Papæ decreto Pallia Archiepiscopalia Græcis concessa. Ioannes V. iura Ecclesiæ Rom. in Episcoporum consecratione qui sibi passim Archiepiscopi vsurparant restituit, statuitque vt Papa ab Ostiensi, Portuensi, Veliterno Episcopis in Ecclesia seruatoris ad Lateranum consecraretur. Nicolaus I. Regibus act yrannis imperauit, vt Regino lib. 2. eisque, ac si Dominus orbis terrarum esset, præfuit authoritate, piis humilis, impiis terribilis. Nicolaus Epist. ad Michaël. & Epist. ad Episc. Asiæ acta legatorum suorum rescindit, Ignatium Patriarcham nullo iure solio eiectum, nullo iure Photium electum pronunciat, ait Zonaras. Innocentius in Epistol. dist. 1. ait omnes ad occasum & meridiem Ecclesias à Petro & eius successoribus propagatas. Oppones mihi Constantinopolitanum, Rauennatem, Mediolanensem Episcopos, qui de loco principe cum Romano Pontifice contenderunt, & afferes forte illud Zygomalæ lib. 2. Turcograeciæ, ὁ πατελάρχης ἢ τῆς κωνσταντινουπόλεως καὶ τὸ ἀξίωμα πατελαρχικὸν, ὡς πάπης τῶν πατρῶν, καὶ ὡς πατριάρχης τῶν πατριαρχῶν, μετροπολιτῶν, ἀρχιεπισκόπων, καὶ ἐπισκόπων καὶ παντὸς ἱερωμένου, καὶ κοσμικοῦ, ὅλης τῆς οἰκουμένης, *id est*, Patriarcha Constantinop. ex dignitate solii sui, vt Pater Patrum, vt Pastor pastorum, siue Metropolitæ, siue Archiepiscopi sint, & Episcopi, Pater idem est totius ordinis tùm sacri, tum ciuilis huius vniuersi.

Cyprianus de vnitate Ecclesiæ. *Super vnum illum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat*, Sicut misit me Pater & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum. Si cui remiseritis peccata remittuntur illi, si cui retinebitis retinebuntur. *Tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit & vnitatis suæ originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod erat Petrus pari consortio præditi honoris & potestatis. Sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur. Quam vnam Ecclesiam etiam in cantico canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat, & dicit*, Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. *Hanc Ecclesiæ vnitatem, qui non tenet tenere fidem sibi credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri super quam ædificata est Ecclesia deserit, in Ecclesia esse confidit? Vnus est Petri inter Pastores primatus: nam pascit vt primus & supremus.*

Soli datum primatum docet Optatus Mileuitanus l. 2. *Bono vnitatis beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negauit solam veniam consequeretur, & præferri omnibus Apostolis meruit, & claues regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit.*

Leo ad Anastasium Thessalon. Episcopum. *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præmineret, de qua forma Episcoporum est orta distinctio.*

Ouium nomine etiam Apostoli intelliguntur; nam sunt in ouili pastores ouium, sed sub Petro. Chrysostomus diserte: ἐγχειρίζει τῷ πεποιθόσι τῶν ἀδελφῶν. *In manum dat præsulatum fratrum.* Fratres certè erant Apostoli, nec ideo non fratres, quia primatus frater Petrus, nec ideo ordo tollitur, quia fratres.

Theophilactus, soli Petro & omnium ouium datam præfecturam testatur. ἐπεὶ γὰρ οὗτος ὁ Πέτρος ἤκουσεν, καὶ πίστεως ἠξιώθη, ὡς καὶ τῶν ὁπλιτῶν ἐγχειρισθῆναι, καὶ μαρτυρίου ἀξιωθῆναι, σφόδρα τὸν Ἰωάννην ἀγαπᾷ, ἐπηρώτα περὶ αὐτοῦ. *Postquam vero Petrus illa audiuit, tanto se dignum honore æstimatum, vt in manus eius orbis terrarum traderetur, etiam martyrio dignus haberetur, valdè Ioannem diligens, & de illo interrogauit.*

Chrysostomus etiam magistrum vocat. & l. 2. de sacerdotio, διὰ τί καὶ τὸ αἷμα ἐξέχεν; ἵνα τὰ πρόβατα λήσεται οὗτος, ἃ τῷ Πέτρῳ καὶ τοῖς μετ' ἐκεῖνον ἐνεχείρησεν. *Propter quid & sanguinem fudit, vt oues illas possideret, (acquireret) quas Petro & successoribus tradidit.* Et obseruandum illas oues quas sanguine redemit, Petro commendatas, & Petri successoribus; nulla autem ouis est, nisi quæ sanguine agni talis est. Ne vero dubites Chrysostomum Petro primatum addicere; subiunxit: καὶ οὗτος πρόσωπον, ἃ καὶ τὸν πέτρον ποιοῦσι ἐφθέγξεν θωμήσεσθαι, καὶ τῶν λοιπῶν ὑπερέχοντα τὸ λοιπὸν. *Et ista faciens, quæ cum Petrus faceret, voluit illis potestate præditum, & reliquos Apostolos longe transcendere.*

Totum ouile Petro commissum docet Gregorius l. 4. Epist. 31. *Totius Ecclesiæ cura Petro commissa est, ipsi quippe dicitur, pasce oues meas.* Bernardus ad Eugenium, *Tu es cui claues traditæ, cui oues commissæ sunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum Pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos. Tibi vniuersi crediti sunt, vni vnus, nec modo ouium, sed & pastorum tu vnus omnium Pastor. Vnde id probem quæris. Ex verbo Domini. Cui etiam non dico Episcoporum, sed & Apostolorum sic absolute & indiscrete commissæ sunt oues. Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius vel illius populosæ ciuitatis, aut regionis aut certe regni. Oues meas inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed designasse omnes?*

Sic Tertull. l. de pudicitia. Cypr. de bono patientiæ Origenes hom. 5. in Exod. Hieronymus ad Damasum. Prosper. lib. 1. de ingratis. Augustinus Epist. 162. Dionysius Areopag. de diuinis nominibus.

Verbum ποιμαίνειν vrgeri putat imperitè & absurdè Casaubonus. at iam ex ipsis sectariis ostensum significare imperium. Eusebius ideo κορυφαῖον vocat in Chronico *τῆς θείας παροικώσεως ἔτος μὲν Πέτρῳ ὁ κορυφαῖος τὴν ἐν ἀντιοχείᾳ πεφώτιν θεμελιώσας ἐκκλησίαν εἰς ῥώμην ἀπεισι τῆς ῥωμαίων ἐκκλησίας ἀ ὄβισκοπῶν μετέτεον τὸν κορυφαῖον λίνον ἔτη ιη. Anno à Christo incarnato Petrus vertex Apostolorum qui fundauit primam Ecclesiam Antiochiæ.* Ecclesiæ Romanorum primus Episcopus post Petrum Coryphæum fuit Linus annos 18. Bull. p. 273. Lib. 2. Histor. cap. 14. πεσήγορον vocat, Augustinus l. 2. cap. 1. de Baptismo. *Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet principatui præferendum.* Eucherius Lugdunensis, *Paulum principem, Petrum primum vocat.*

VERSVS 18.

Amen, amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis.

QVÆSTIO I.

Cur martyrium Petro Dominus prædicit?

§. 1. CVm senueris, inquit, *alius cinget te*, Efficax est allusio ad mortem, & ætatem, solent iuuenes ipsi se cingere: senes alieno ministerio vtuntur: acuta est igitur amphibologia in sermone Domini, quæ ab inexspectato gratiam habet. Cum enim dixisset: Petrum, cum iunior esset, cingere se solitum, & ire quo vellet, sibi ministrare, & seruum sibi esse, tenor sermonis exigere videbatur, vt diceret in senectute habiturũ, qui eum cingeret, veheret, lectica portaret, vti Pastorem totius gregis, at Christi vicarium: quo iuuentutis labores, senectutis quiete solaretur, at contrarium Christus subinfert; *alius cinget te*, vinculis coercebit, ad crucem cum tormento deducet. me enim sequeris. Hæc consolationis ergo Pontifici primo suo Petro Christus proponit, ne honorem in terris ambiret; Deinde mortem illi prædicit, ne principatum illi quisquam inuideret, qui grauissimas totius vitæ ærumnas tandem summo supplicio finiturus esset. atque hæc est Christianorum palæstra post vitæ labores, & valentis ætatis certamina, senectam tormentis carnificum terminare, ne in terris nostra sit merces.

Quid promissum Petro?

Ne tamen omnibus necessarium videretur martyrium, multos sanctorum inter obsequia discipulorum, & familiarium placide obdormire voluit, sicut istum Ioannem Euangelistam. Virtutem etiam Petri, & constantiam omnibus Christianis indicare voluit, ne quisquam eum aut negaturum, aut fide defecturum suspicari posset, sed omnibus ex Domini Prophetia certum esset, martyrem futurum.

§. 2. Ne simplice eum morte defunctum prædicit, sed in eo quod dicit: *extendes manum tuam*, etiam indicat, qua morte esset clarificaturus Deum: nempe in qua extensione manuum, mors subitur, quod summo crucis supplicio contingit. Caluinus quo mortis genere sit defunctus, præstare nescire quam dubiis fabulis fidem habere, dicit. Alios tamen fatetur ad supplicium crucis referre. Caluinus idem negat Romæ Episcopum fuisse, & Episcopatum retinuisse ad finem vsque vitæ. l. 4. instit. c. 6. §. 15. Velenus integro illud libro oppugnat. Bellarm. l. 2. de Pontifice c. 1. 2. 3. 4. & sequentibus defendit. Consule & Gretserum Bellarmini. Hyperaspisten.

Neque negant Sectarii, nisi quibus inscitia impudentior impedimento est, ne veteres attingant scriptores. Bullingerus affirmat: [Certe Petrus fol. 220. " *Petrus* p. 2. constanti & diuturna prædicatione Euangelii, o- " *Romæ* mnium in se impiorum odia conscisuit, Neronis in " *mortuus.* primis, cuius vltimo anno, sicut auctor est Eusebius in " Chronicis. & Ecclesiastica historia, & post ipsum Orosius l. 7. cap. 7. Romæ vna cum Paulo occisus est. " Supplicii modum descripsit Hieronymus in viris suis " illustribus; siue Ecclesiasticis. scriptoribus dicens: à " Nerone Petrus affixus cruci, martyrio coronatus est, " capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignum vt sic crucifigeretur, sicut " Dominus suus. Atque in ea re videtur Hieronymus " Hegesippum secutus, qui valde vicinus temporibus " Apostolorum, paria de exitu Petri narrat libro de " excidio Ierosolymorum, c. 3. Ideo vero in præsenti di- " cit Dominus: Extendes manus tuas. Extendes in- " quam ad vincula, & crucem.] "

Eodem modo Rudolphus Gualterus, Egesippi testimonium admittit, quod circa annum Christi centesimum septuagesimum vixerit.

§. 3. Perridiculè, hoc est, suo more idem Rudolphus argumentatur. Petrus mortuus est, vt morte sua Deum clarificaret non igitur ipse honorandus est, non inuocandus. Quin hoc ipso quod diuinam gloriam factis & verbis illustrauit, quod amauit plus cæteris, ipse quoque honore dignus est; nam contemptus gloriæ glorioſum effecit. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Virtus vera honore digna est. An non sunt nobis in honore habendi prædicatores, & doctores, qui diuinum nomen illustrant, etsi suam illi gloriam non quærant? Honor illis impensus in Deum confertur. Qui eos audit, Deum audit, qui eos suscipit, Deum suscipit: Non est ergo quod hominem stolidũ vrat, honor Sancto Petro exhibitus, & concursus ad sepulchra Apostolorum. Ille sensus est illa mens Ecclesiæ. Hieronymus ad Marcellam. *& martyrum vbique sepulchra veneramur, & sacram sauillam oculis apponentes, si licet ore contingimus.* Et Augustinus Epist. ad Quintian. *Reliquias sancti martyris non ignorat sanctitas vestra, quam honeste conuenienter honorare debeatis.* Hæc Catholici docent. Rudolphus Iuliani spiritu agitur in rabiem. Gregorius Nazianz. orat. 4. in Iulian. *Martyrũ honor.*

ὥστε εἴ τοῖς ἱεροῖς ἡμῶν πονηρῶς ἐμβλέψεσιν. ὥστε εἴ μιανοῦσιν αἵματι μιαρῷ τὰ τῶν καθαρωτάτων καὶ ἀναιμάκτων θυσίας ἐπώνυμα θυσιαστήρια. οὐδὲ βωμοῖς ἁγίοις τὰ ἄθεσα καθίερα συνέστι, &c. ὥστε εἴ σωμάγχοις ἁγίων ἀναξιμηθέντων ἐπιφήσουσι συῶν μιαρίαν, ἵνα ὁμῶς τροφῆς, καὶ τῶν σπλάγχνων ἐμφορηθῶσιν. ὥστε εἴ προσάξουσι ὠὸς μαφύρων μνήμασιν.

Non

Non amplius malignis oculis sacra nostra aspicient, Non vltra contaminabunt impuro sanguine, altaria nominata à purissima, & incruenta victimâ. neque impiis aris inaccessa adita polluent, &c. Neque vltra visceribus sanctorum indiuisis porcorum immunditiem inducent, vt pariter pastu, visceribusque impleantur, non amplius admouebunt ignem martyrum monumentis. Hæc sunt quæ Iuliano duce gentiles faciebant, hæc imitantur Caluiniani.

VERSVS 20.

Conuersus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Domine quis est qui tradet te?

QVAESTIO I.

Quid Christus Petro imperat, cum dicit: sequere me?

§. 1. TRiplici modo Dominum sequi potuit Petrus; gressu, moribus, morte. Hinc tres ortæ sententiæ interpretum. Quas omnes complexus est verbo Christus. Nam primo constat Christum cum dixit: *sequere me*, abiisse, & Petrum secutum fuisse. Nam Petrus secutus dominum, conuersus, ἀπροφεὶς vidit Ioannem sequentem, cui Christus non dixerat, *sequere me*. Præibat igitur Dominus, iussus Petrus, iniussus Ioannes sequebatur. Deinde etiam certum est, Christum de morte locutum esse, Vt Augustinus, Beda, Rupertus, Maldonatus, alii docent. Nam cum martyrium prædixisset, ad tolerantiam illum suo exemplo hortatur. Non grauem videri oportere seruo crucem, quam Dominus sustulit. Petrus enim, & Ioannes, atque alii ænigma hoc intellexerunt. Nam sequi interpretati sunt mori eo modo quo Christus mortuus est, saltem morte violenta, si non de morte crucis omnes acceperunt, quam tamen Christus, dum manuum extensionem nominat satis insinuauit. Ioannem manere interpretati sunt, non mori. Nec dubium est, quin Petrus de illo quæsierit, quomodo moriturus esset? Quod autem pedibus sequitur signum erat spiritalis in morte obeunda imitationis. Hæc porro etiam morum similitudinem continet; nemo enim magis Christum imitatur, quam is qui animam suam pro Christi gloria ponit.

Petrus gressu Christum secutus.

Et morte.

§. 2. In Petro sollicitudo superuacua notatur, quo circa eum Christus reprehendit: nec ad interrogata respondet. Nimium autem exaggerant Petri delictum, qui noxiam curiositatem interpretantur, vt Caluinus. Audierat Ioannes Petrum martyrio coronandum, sibi de eo nihil dici, cum tamen ille professus esset, calicem se bibere posse. Petrus cum sciret carum Domino discipulum, non tam sua, quam illius causa interrogat.

§. 3. Respondet Christus: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te, tu me sequere.* Latina lectio variat. Alii legunt. *Sic eum volo manere.* Augustinus & Ambrosius. Alii Si sic: Hieronym. aduersus Iouinianum. Retinenda est illa lectio, quæ solam conditionalem particulam habet. *Si eum volo manere.* Ita in Græco est, ἐὰν, si, & in Syro patiter. Nullo modo retinendum aduerbium similitudinis. De morte Ioannis alio loco dixi. Christus de suo ad iudicium aduentu loquitur.

Discipulos illos pro auctoritate Rudolphus graniter reprehendit, quod verba Christi aliorum sint interpretati, animos à terrenis non auocauerint, illis similes ait, qui de cœna, imaginibus aliter, quam ipsis placet, credunt. Quod ad discipulos attinet, non intellexerunt, verborum Christi, sensum, aut potius cō- *Intelligen-*
sequentiam inde deduxerunt, quæ inanis fuit. Ma- *tia scri-*
gno nobis documento illud est, parum prodesse ver- *pturæ non*
bum seu scriptum, seu prædicatum, nisi legitima illius *est omniū.*
sententia teneatur. Et illi quidem de morte Ioannis dubitabant; at nostri Sectarii, quod illis visum est de Scriptura comminisci, tanquam Euangelium credi à cæteris æquum putant: Impios enim errores scripturis imputare non verentur.

VERSVS 24.

Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium eius.

QVÆSTIO I.

Quid illa protestatio, Hic est discipulus, &c.

§. 1. QVidam cum Theodoro Mopsuesteno versum illum, auferunt: nullo argumento, & contra Concilii Tridentini decretum. Puerile est, quod monet hic Rudolphus Gualterus. [Ioannes se « vocat discipulum. Nemini ergo Christiano licitum « est, titulum magistri aut doctoris admittere, vel tri- « buere alteri. Confer cum ista Apostolorum modestia, « eorum insolentiam, atque fastum, qui titulos magni- « ficos prece, & precio redimunt. Imo ex philosopho- « rum scholis eos petunt, vt apud rude vulgus sese « venditent: & facile videbis quo spiritu isti agantur. « Sunt hi Iudæorum similes, quos grauiter accusat « Christus, quod magister & doctores dici vellent. Ex- « cusant quidem sese publica, & à multis seculis rece- « pta consuetudine. & ipsi ministerio, inde aliquam « dignitatem accedere aiunt. Atqui nulla consuetudo « Christi præcepto præiudicare debet: qui ne quid hu- « ius fiat, grauiter monuit, vt alibi demonstrauimus. « *Gradus Academici damnatus ab hæreticis.*

Deinde seipsos isti accusant, quod nimis ignaui « sint in suo officio, quando pro pastoribus legitimis « non agnoscuntur, nisi inanium titulorum splendor « auctoritatem illis conciliet. Atqui ex Christi voce & « imitatione, Pastor agnosci debet, non ex titulo: qui a- « nimum ambitioni potius deditum, quā Christi spiritu « illuminatum arguit. Quid autem de illis dicemus, qui « vbi Ecclesiæ iam multis annis seruierunt, sub extre- « mam senectam ad scholas redeunt, vt ibi doctores « creentur, & deinde maiore cum fastu, ad Ecclesiam « reuertantur, cum humilitatis & modestiæ exemplum « præbere debebant? Sunt hæc indigna Christi mini- « stris, quibus legitima vocatio, & publicum Ecclesiæ « testimonium sufficere debet, cum his Apostoli olim « contenti fuerint.] «

Respondeo. Non esse vlli dubium magnam esse in illis honoribus petendis Predicantium ambitionē, & vanitatem: fere enim fit, vt qui propudiosas aliquas, & calumniosas theses protrudere ausi fuerint, Academicis titulis insignes, & famosi reddantur. In- *Academici*
terim qua ratione magistri & doctores vocari prohi- *gradus li-*
beantur, vel permittantur in Matthæo docui. Nec *cti.*
nomen Christus, sed factum culpat. Quod nō modo

Catho-

Catholici, sed Collegæ etiam Rudolphi docuerunt, dum Academias, & titulos suos proponunt. Hic etiam apparet, quàm accurate attendendum sit, ne pro suo quisque sensu scripturam interpretetur. Ex his verbis omnes Academicos, Doctores, magistros insolentiæ, factus damnat Rudolphus, non agi Spiritu Apostolico, agere contra mandatum, ignauos, ambitioni deditos esse contendit. Contra eum Britanni, Germani, Galli sentiunt, & faciunt, de Academicis gradibus dixi l. 4. Politicorum, quæ hoc loco non repeto.

Ioannes se auctorem testatur.

§. 2. Ioannes iterum contestatur se libri auctorem esse, se ad fidem firmandum illa scripsisse; ne quis in dubium vocare scriptum auderet, nullus videtur superfuisse Apostolus, cum illa scriberet, summa erat Ioannis auctoritas, præsertim cum visa à se testataque scribat. addit: *Et scimus quia verum est testimonium eius.* De seipso locutus est in tertia persona, vt vero ostendat authenticum esse, mutat, & personam, & numerum: vt in Epistola, *Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus nostræ contrectauerunt, &c.* Posset etiam referri ad Ecclesiam. vt omnes significent, scire verum esse suum tanquam Apostoli testimonium.

§. 4. Bullingerus testimonium Ecclesiæ eum citare putat. Quasi dicat, *eos, qui Domini gesta viderant, & audierant, sibi testes esse, nihil à vero abhorrens à se scriptũ esse.*

Non appellat alios testes.

Hoc non confirmat scripti auctoritatem, sed eleuat; nam paucissimi superarant, qui Dominum viderant, nemo qui de omnibus testari potuit, nec de Apostolica auctoritate iudicium aliis permittit.

Quod vero apponit Bullingerus, non facile prætereundum est. *Hac vero ratione, & eo modo testimonium fert Euangelio, & Scripturæ Ecclesia, non quauis sed primitiua, quæ de rebus scriptis vere testari potuit, vtpote quæ & vidit, & audiuit quæ testatur. Deinceps vero valere debet scripti eius auctoritas; maxime cum videamus authentica esse instrumenta, quæ ordine conscripta, & legitimis testimoniis confirmata, sigillisque sint roborata.*

Verum testimonium erat Apostoli.

Ac primo quidem falsum est, scriptum Ioannis à primitiua Ecclesia confirmatum, quod testaretur vera esse, quæ de Christo ipse scripsisset. Nam quædam scribit: de quibus nemo testari potuit, Apostoli enim iam defuncti erant. Deinde Apostolorum testimonium non modo authenticum fuit, sed etiam tale, vt nulla in re à testimonio Ecclesiæ dependeret. Non aliud testata est primitiua Ecclesia, quam hoc scriptum sibi ab Apostolo traditum, tanquam Spiritu Dei dictatum seque id agnoscere proscripto Apostolico & diuino, hoc Ioanne viuo, & tradente Ecclesia credidit. Nam continuo cum Euangelium Ioannes per Pastores euulgauit, creditum est, & pro fidei certo articulo acceptum. Non ergo Ecclesia testata est se vidisse, quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, sed à Ioanne se didicisse, & volumen quod ista docebat recepisse. Hoc primitiua Ecclesia secundæ tradidit, illa tertiæ, hæc sequenti per manus, & doctrinæ traduces, ad nostram vsque ætatem, quæ credit librum esse diuinum, quod Deus reuelauit, & credit proponente Ecclesia, quæ à primitiua per intermedias accepit. Par igitur est testimonium primitiuæ Ecclesiæ & nostræ, non quo ipsa auctoritas probetur Apostoli, sed quæ testetur scriptum esse Apostolicum. Eadem Ecclesia est, quæ de sensu scripti iudicat, quæ de libris Canonicis statuit; Et quicquid tergiuersentur hæretici eo tamen redire coguntur, vt ius illud Ecclesiæ adscribant. Danæus libro de potestate Eccle-

„ siæ c. 7. [Authoritas Ecclesiæ est potestas à Deo con-
„ cessa Ecclesiæ tum ordinis, tum Politiæ in domo Dei
„ constituendæ causa, tum legitimi in vera fide consen-
„ sus retinendi gratia, vtrunque enim ius habet Ecclesia
„ ex ea auctoritate, quam à Deo accepit, & vt politiam constitueret in se regenda, & vt legitimum in vera fi- „
de, consensum, inter pios tueri, & conseruare possit; „
itaque est, vt mox dicetur, duplex hæc auctoritas Ec- „
clesiastica. Vtraque vero aliquid primum discernit, „
quod vel ad decorum illud externum Ecclesiæ con- „
stituendum, vel ad consensum in vera fide retinen- „
dum, ac conseruandum pertineat. Itaque quæstiones „
de dogmate fidei primum exortas definit.] „

Aliter profecto ex auctoritate consensum non potest statuere, quin quæstiones decidat, & quis verus sit sensus scripturarum, de quo controuertitur, statuit. Statuere autem in dogmatis fidei posse Ecclesiam dicit, quatenus verbo Dei aperto, vel Analogia fidei nititur. Ecce ergo potest etsi verbum apertum non sit: Sed analogia fidei, quæ analogia fidei. cum sit in variis sectis diuersissima; hinc fit vt variè fides definiatur. Negat habere potestatem, aut nomotheſiam, sed donum explicationis, & interpretationis, quam clauem scientiæ & appellari debere contendit.

VERSVS 25.

Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus: quæ si scribantur in singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.

QVÆSTIO I.

An mundus non posset capere libros si scribenda essent omnia gesta?

§. 1. PRoprie multi interpretantur vere mundum non posse libros capere, si per singula scriberentur. Alii hyperbolice, vt cum dicuntur vrbes in cœlum vsq; muratæ, vt significetur fore conscribendos plurimos libros. Qui proprie interpretantur, sensus diuersos habent. Nam capere potest, esse idem quod intelligere. Si omnia quæ fecit, per singula scriberentur, non posset libros mundus intelligere, qui quidem sensus verus est, sed ad institutum nihil facit; nam etiam nunc cum pauci sint, totus tamen mundus eos non intelligit. Ex eo autem de multitudine nihil concluditur. Idem de eorum sententia dicendum est, qui de memoria interpretantur, & de emptione. Nam & nunc vel vnum Euangelium pauci memoria comprehendunt, pauci emunt. Quod si mundus collectio accipiatur, magna esset bibliotheca, quæ emi orbis opibus non posset. Alii res adeo magnas esse, de incarnatione, merito, miraculorum natura, potentia, quæ si omnia explicarentur, tanta efficeretur Bibliotheca, vt totus mundus ea legenda, conferenda, intelligenda non sufficeret, hoc est nemo hominum, ne quidem multi coniunctis viribus, & ordine rerum qui nunc est constituto. Equidem hyperbolem in sacris literis, non nisi cum est necesse admitto, nec tamen eos qui hoc loco eam probant reprehendo. Sine tropo tamen clarum sensum esse iudico. Libros capere, non est loco tantum continere, sed comparare, vti, intelligi aliquam earum partem præcipuam. Mundum non intelligo singulos, nec totum mundum collectiue, sed morali sensu: Hoc modo: Si omnia scribenda essent per singula, quæ fecit, quæ dixit Christus, & modus dicendus ac explicandus, tanta efficeretur Bibliotheca, quam nulla pars mundi, nullum regnum, nulla ciuitas caperet, legeret, sed tanta esset multitudo, vt singuli singulis ætatibus tantum particulam aliquam legerent. Non quod si

Varij sensus.

Verus sensus.

operas

operas totus mundus partiretur, non posset legendo absoluere, sed si eum legendi, & discendi modum seruaret, qui hactenus vsitatus est, non caperet vtendo totus mundus. Eo modo dicere posset aliquis non posse totum mundum imponere Ossan olympo, non quod temporis decursu id fieri consentiente & laborante mundo non possit, sed quod eo statu mundi, qui fuit, quique nunc est, non sit futurum. nec fieri possit: In concionibus eius multa passim miracula fuerunt, vt cum Luc. c. 24. v. 27. Interpretatur illis in omnibus prophetis & in omnibus scripturis, quæ erant de illo; non potuit vllo modo id fieri nisi miraculo: nam stadia erant sexaginta quorum partem discipuli iam confecerant. Quomodo enim tam breui tempore tam multas scripturas exponere nisi ingenti miraculo potuit. Quod si cui hæc interpretatio displiceat, illam quæ hyperbolen agnoscit, sequi poterit; eam enim etiam probat Augustinus. *Non spacio locorum credendum est mundum capere non posse, quæ in eo scribi quomodo possent, si scripta non ferret? Sed capacitate legentium comprehendi fortasse non possent, quamuis salua rerum fide, plerumque verba excedere videantur fidem, quod non fit quando aliquid quod erat obscurum vel dubium, causa & ratione reddita exponitur: Sed quando id quod apertum est, vel augetur vel extenuatur, nec tamen à tramite significandæ veritatis erratur, quoniam sic verba rem quæ indicatur excedunt, vt voluntas loquentis nec fallentis appareat, qui nouit quousque credatur, à quo vltra quam credendum est, vel minuitur loquendo aliquid vel augetur. Hunc loquendi modum Græco sermone, non solum Græcarum, verum etiam Latinarum litterarum magistri Hyperbolen vocant: qui modus sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis diuinis literis inuenitur, vt est, posuerunt in cœlum os suum: & verticem capilli perambulantium in delictis suis: & multa huiuscemodi, quæ Scripturis Sanctis non desunt, sicut alij tropi, hoc est, locutionum modi, de quibus operosius disputarem, nisi Euangelista terminante Euangelium suum etiam ipse compellerer meum terminare sermonem.*

* *
*

Finis Comment. in Euang. S. Ioannis.

INDEX

Adnotationes
in
+ Evangelia
CVI
14

INDEX QVÆSTIONVM COMMENT. IN LVCAM ET IOANNEM.

IN CAPVT PRIMVM QVÆSTIONES.

Qua Lucæ Euangelistæ patria? pag. 4
An Lucas Pauli comes? 5
An fuerit ex discipulis septuaginta? ibid.
An martyr fuerit? ibid.
Quid & quomodo scripserit S. Lucas. 6
Quæ authoritas? 7
An vxorem habuerit? ibid.
Quo tempore scripserit? ibid.
Cur præfatione vtitur? ibid.
Qui conati sint ordinare sermonem? ibid.
Quæ res completæ dicantur? 8
An Lucas assecutus sit omnia? ibid.
An ex ordine scripserit, & quis Theophylus? ibid.
Quo tempore hæc facta? 9
Quod genus & officium Zachariæ? 10
Verene iusti fuerint? ibid.
Quale incensum obtulerit Zacharias? 12
Quomodo apparuit Angelus? 13
Cur turbatus est? ibid.
Quæ oratio Zachariæ est exaudita? 14
Quale gaudium est exultatio? 15
Quâre magnus est? 16
Cur siceram & vinum non bibet? ibid.
Quando repletus Spiritu sancto? ibid.
Ad quem conuertet? 17
Quid præstabit Ioannes? 18
Quâ in re peccarit Zacharias? ibid.
Quis Gabriel? 19
Cur eâ pœna afficitur? 20
Cur populus exspectat? ibid.
Vnde cognouerunt visionem eum vidisse? ibid.
An potuerit ministerium absoluere? ibid.
An hinc sumi possit argumentum pro celibatu sacerdotum? ib.
Cur se absconderit? 21
Quod fuerit opprobrium Elisabetha? 22
Quis mensis sit sextus? ibid.
Vbi & quomodo eam salutet Angelus? 23
Rectene noster verterit Aue gratia plena? ibid.
Liceatne nobis vti dicta salutatione? 24
Cur nam turbata est? 25
Quomodo inuenit gratiam? ibid.
Qualis filius Mariæ? 26
Cur dicitur accepturus regnum Dauidis? ibid.
An idem Deus & homo? ibid.
Quamdiu & vbi regnabit? ibid.
An quia filius altissimi est sit etiam Deus? ibid.
An dubitarit B. Virgo? 27
Quid superuenire Spiritum sanctum? ibid.
Quod sanctum nascetur? ibid.
Quæ virtus altissimi & obumbratio? 28
An omnia possit? ibid.
Cur profecta & infans exultauit? ibid.
Cur matrem Domini sui vocat? ibid.
Quæ humilitas? 29
Quomodo dispersit superbos? ibid.
Quem suscepit? ibid.
Quo canticum Zachariæ tendit? ibid.
Quod iusiurandum? ibid.
Quid promisit? 30
Quid oriens ex alto? ibid.

IN CAPVT SECVNDVM QVÆSTIONES.

An vniuersus orbis descriptus? 32
Qui descripti. ibid.
Quis finis descriptionis? 23
Quo tempore facta est descriptio? ibid.
Verane Chronologia nostro tempore obtrusa? 35
In quam ciuitatem ibant? 38
Quomodo peruenit Bethlehemum? ibid.
An Maria iturа fuisset Bethlehemum si edictum non fuisset? ib.
Quid factum puero nato? 39
Quibus apparuit? 40
Quæ lux? ibid.
Quomodo signum infans in præsepio? ibid.
Quæ pax? 41
Qui homines bonæ voluntatis? ibid.
Quomodo canant Deo gloriam in excelsis? ibid.
Quæ militia? 42
Quid factum à discessu Angelorum? ibid
Cur circumcidi puer, & mater purgari voluit? 43
Quis Simeon? ibid.
Quid salutare? 44
Cur mirati? ibid.
Quomodo positus in ruinam? 45
Quod signum cui contradicetur? 45
Cur reuelentur cogitationes? ibid.
Quæ Anna. ibid.
Quomodo Deo seruiit? ibid.
Quid Anna & parentes Iesu faciunt? 46
Cur voluit manere? ibid.
Quid in templo agit? 47
An Deipara peccarit? ibid.
An reprehendantur? 48
Qua negotia Patris? ibid.
An Christus non sit liber quia oportuit eum esse in his quæ sunt Patris? ibid.
Quæ facta post annos duodecim? 50
Quomodo creuerit? ibid.

IN CAPVT TERTIVM QVÆSTIONES.

Quando Ioannes prædicare incepit. 54
Quu Pilatus? ibid.

Cur harum regionum Tetarchas numerat? ibid.
Quis Lysanias? 55
Quæ Abylina? ibid.
Quæ Trachonitis? ibid.
Quomodo Annas & Caiphas sacerdotum principes? ibid.
Quæ regio circa Iordanem? 56
Quomodo omnis vallis implebitur & mons humiliabitur? ib.
Cur de eleemosynis solis mendacium inducit? ibid.
Quid publicanis mandat. 57
Quæ militibus mandat? 58
An militare liceat? ibid.
Quæ populi sententia? 59
Quo die Baptizatus est? ibid.
Quâ ætate Christus Baptizatus est? 60
An sit annus tricesimus ad Baptismum exspectandus? 61

IN CAPVT QVARTVM QVÆSTIONES.

QVomodo ductus à Spiritu sancto? 62
Quæ notanda in hisce verbis? 63
Quæ consuetudo sabbathi docendi in synagogis? ibid.
Quæ legendi consuetudo? 64
An melior tum fuerit in Ecclesia legendæ scripturæ ratio quam modo? ibid.
Quomodo citatus Isaias? 66
Quomodo vnctus? 68
Qui sermones gratiæ? 69
Quorsum vsurpas prouerbium Medice cura teipsum? ibid.
Quæ calamitates clausi cœli? 70
Quæ ex hoc capite concludit Tertullianus? ibid.
Quomodo euasit? 71

IN CAPVT QVINTVM QVÆSTIONES.

REctene verterit noster? 72
Cur iubet duci in altum? ibid.
Quis piscationis effectus? 73
Quæ fœlicem iactum consecuta? ibid.
Cur tetigit Leprosum? 74
Quæ de paralytico Lucas peculiaria habet? ibid.
Quæ in lectione notanda sint? 75
Quo pertinet comparatio vini noui & veteris. ibid.

IN CAPVT SEXTVM QVÆSTIONES.

QVæ hoc capite consideranda? 77
Cur in oratione pernoctat? 78
An merita non respondeant mercedi? ibid.

IN CAPVT SEPTIMVM QVÆSTIONES.

REctene noster verterit? 80
Quem Prophetam magnum putant? 81
An Christi, an Euangelistæ verba sint? ibid.
Quid prohibetur? 82
Quæ mulier? ibid.
Qua in re peccarit Phariseus? ibid.
An peccatrici sint remissa peccata multa quia dilexit multum? ibid.
Quomodo stetit & vnxit? 86
Quomodo fides saluam fecerit? 87

IN CAPVT OCTAVVM QVÆSTIONES.

CVr mulieres secutæ? 88
Quæ praterea hoc capite obseruanda sint? 90
Quando factum? 91
Quæ Ioanna? ibid.

IN CAPVT NONVM QVÆSTIONES.

QVæ lectio? 95
An miracula à verbo separanda? ibid.
An benedixerit panibus? ibid.
Cur dicit completos dies assumptionis? 97
Quomodo firmauit faciem? ibid.
Cur misit in vrbem Samaritanorum? ibid.
Cur non receperunt eum? 98
An Iacobus & Ioannes peccarint? ibid.
Cur vocatus inducias petit? ibid.
Cur valedicere suis volentem reijcit? 99

IN CAPVT DECIMVM QVÆSTIONES.

CVr miserit binos? 100
An miserit septuaginta duos? ibid.
An eadem Apostolis & discipulis præcepta data? 102
An salutatione occurrentium fuerint prohibiti? ibid.
Quæ pax & mansio? ibid.
An rectum gaudium discipulorum? 103
An non fuerit antea data potestas dæmonum eijciendorum? ibid.
Quomodo Satan deiectus? 104
An reuelata ipsis prædestinatio? 105
Cur scriba interrogat & quid respondet Dominus? ibid.
Quomodo voluerit iustificare seipsum? 106
Quis parabolæ sensus? 107
Quo peruenit? 109
Quid Martha? ibid.
Quid vnum illud necessarium & quæ pars bona? ibid.
An in Maria contemplatiua in Martha actiua vita sit figurata? ibid.

IN CAPVT VNDECIMVM QVÆSTIONES.

REctene noster interpres orationem Dominicam tradat? 112
Quo similitudo amici petentis panem pertinet? 113
Quæ impudentia. 114
Quæ lectio quisue sensus? ibid.
Verene mulier illa dixerit? ibid.
An hinc consequatur legem impleri posse quia factores sunt beati. 115
Quomodo lucidum totum? ibid.
Quomodo non est Baptizatus? ibid.
Quid sit illud quod superest? 117
An eleemosyna omnia munda faciat? 118
Quæ clauis scientiæ? 119
Quid Pharisæi coniuncti agunt? ibid.

IN CAPVT DVODECIMVM QVÆSTIONES.

CVr petit diuisionem hereditatis? 122
Quo argumento ab auaritia deterreat. 123
Quæ similitudo diuitis spectat. ibid.
Quid sit in sublime tolli? 124
An quia placuit non sit causa prædestinationis in nobis? ibid.
Quomodo ministrat? 125
Quis seruus, sciens est qui nesciens voluntatem Domini? ibid.
Qui signis? 116
Quid est baptizari. ibid.

IN

INDEX QVÆSTIONVM.

IN CAPVT XIII.

QVÆSTIONES.

Qui fuerint quorum sanguinẽ miscuit cum sacrificijs. 128
Quomodo omnes similiter perituri dicuntur. 130
An sine pœnitentia peccatores fiant iusti. ibid.
Quæ turris siloe. ibid.
Quomodo cohæret parabola ficus cum præcedentibus. ibid.
Quis Spiritus infirmitatis. 131
Verene Herodes Christum voluerit occidere. 132
Cur vulpem Herodem appellet. ibid.
Quid hodie & cras & tertius dies? ibid.
Quam diu oportet eum ambulare. 133
Quomodo non contingat Prophetam perire extra Ierusalem. ibid.

IN CAPVT XIV.

QVÆSTIONES.

Cvr intrauit ad Pharisæum. 134
Cur interrogat? 135
An quisquis se exaltauerit humiliandus sit, & è contrario. ib.
An vera retributio. 136
Quo pertinet exemplum turris extruendæ & belli gerendi. ibid.

IN CAPVT XV.

QVÆSTIONES.

Cvr peccatores & publicani admittuntur. 139
Quomodo Angelis gaudium erit super vno peccatore. ib.
An Angeli gratiam habuerint ex Christi meritis. 140
Quis filius prodigus. ibid.
Quæ pars substantiæ. 141
Cui adhæsit. ibid.
Quo se argumento ad pœnitentiam incitat. 142
Quid inter Patrem & Filium actum. ibid.
Filij obedientis esse omnia. ibid.
An quia mortuus erat non potuerit gratiæ cooperari. ibid.

IN CAPVT XVI.

QVÆSTIONES.

Qvis homo dives & villicus. 145
Cur non potuerit villicare. 146
Quid factum à Villico. ibid.
Quomodo filij huius sæculi prudentiores filijs lucis. 147
Cur dicitur mammona iniquitatis. 148
Quid sit deficere. ibid.
Quomodo recipiant in æterna tabernacula. ibid.
An hinc bona opera probentur. 141
An fidelis in minimo, fidelis etiam sit in maiori. ibid.
Quomodo verũ nõ creditur in Mammonâ iniquo infidelib. 150
An propria non credantur illis, qui in alieno sunt infideles. ib.
Cur eum Pharisæi deridebant? ibid.
Cur altum hominibus est abominatio apud deum. 151
Quomodo se iustificant coram hominibus. ibid.
An historica an parabolica sit narratio de diuite & Lazaro. ib.
Quis dives. 153
Quis Lazarus. ibid.
Quo Lazarus deductus est. 154
Quo delatus dives. ibid.
An dives Lazarum viderit. 155
An dives clamarit. ibid.
Quid petierit ab Abraham. ibid.
Quod Chaos. 156
Cur ad fratres mitti cupit. ibid.
Cur dives cruciatur. 157
An aliquando mortui appareant. ibid.
An quia ad Moysen & Prophetas remittuntur sola scriptura sufficiat. 159

IN CAPVT XVII.

QVÆSTIONES.

Qvam sibi fidem augeri petant. 160
An quia serui inutiles sumus omne meritum tollatur. ibid.
Quæ in historia decem leprosorum obseruanda. 163
Quomodo Samaritanum fides saluum fecit. 164
Quod vocatur regnum Dei. ibid.
An non veniat regnum Dei cum obseruatione. ibid.
Quis sit dies filij hominis. ibid.

IN CAPVT XVIII.

QVÆSTIONES.

Qvomodo semper orandum. 166
Quò parabola iudicis tendat. 167
Quomodo electi vindictam petant. ibid.
An Pharisæus orauerit. 168
Cur Pharisæus publicano iustior. 169
Quomodo regnum cœlorum accipient vt puer. 171

IN CAPVT XIX.

QVÆSTIONES.

Qvis fuerit Zachæus. 172
An Iudæus an gentilis fuerit. 173
Quomodo Zachæus ad Christum venerit. 174
Cur dimidium dat pauperibus. 175
An salus facta eo quod sit filius Abrahæ. 176
Cur fleuit. ibid.
Quæ causa malorum. 177

IN CAP. XX. XXI. XXII.

QVÆSTIONES.

Qvomodo desiderauit. 180
Quomodo implendum in regno Dei. ibid.
Cur ait accipite & diuidite. ibid.
Quomodo permanserunt cum eo in tentationibus. ibid.
Quare regnum disponit. ibid.
Quid Satan experiuit. 181
Quid conuersus facturus est Petrus. ibid.
An non defecerit fides Petri. 182
An gladio vti Apostolos Christus iubeat? ibid.
Quomodo Christum Angelus confortauit. 183
Cur sanguinem sudarit. ibid.

IN CAPVT XXIII.

QVÆSTIONES.

Qvid sit causæ? 186
Cur Galilæum nominant. ibid.
Quid Herodes cum Iesu egerit. ibid.
Qui lamentati? 188
An Christus flere voluerit. ibid.
Quæ mala & quando futura prædicit. ibid.
Quod lignum viride & aridum. 189
Quomodo Lutro pœnitentiam egerit. ibid.
An turba illa vere pœnitentiam egerit. ibid.

IN CAPVT XXIV.

QVÆSTIONES.

Qvi duo discipuli. 191
An peregrini specie apparuerit. ibid.
Quomodo oculos eorum tenuerit ne agnoscerentur. ibid.
Quo finxerit se longius ire. 192
An Eucharistiam illis dederit? 193

INDEX QVÆSTIONVM

IN CAPVT I. IOANNIS QVÆSTIONES.

Qui parentes Ioannis Euangelista? 196
Quando scripsit Euangelium? ibid.
Quæ dignitas Euangelij S. Ioannis? 197
Cur scripsit? 198
Quâ lingua scripserit? ibid.
An aliquid de verbo Dei cognorint gentes? ibid.
Quid sit In principio? 199
Quid est, Erat? 201
Quid verbum? 202
Quomodo conueniat verbum nostrum & Diuinum. 203
Cur potius verbum, quam filium appellet? ibid.
An Verbum sit potius dicendum, quam sermo? 204
Quomodo Verbum erat apud Deum? ibid.
An Deus erat Verbum? 206
Cur dicit à principio fuisse apud Deum? 207
Quomodo omnia per ipsum facta sunt? ibid.
Quæ lectio? 209
Quæ vita? ibid.
Quomodo vita erat lux hominum? 211
Quomodo missus Ioannes? 212
Cur venit? ibid.
An omnes Ioanni credere tenerentur? 213
Cur Ioannem dicat non fuisse lucem? ibid.
Quæ lux vera erat? 214
Quomodo illuminat omnem hominem? ibid.
Quis dicatur veniens in hunc mundum? 216
Quando erat in mundo? ibid.
Quomodo mundus per ipsum factus est. 217
Quæ sint propria in quæ venit. 219
Quibus dedit potestatem filios Dei fieri. 220
Quid nasci ex sanguinibus. 222
Quid voluntas carnis & viri. 223
Quæ connexio est cum præcedentibus. 224
Quomodo verbum caro factum est. ibid.
An verbum animam susceperit. 226
Quomodo habitauit in nobis. 227
Cur vocet gloriam vnigeniti. ibid.
Quomodo videmus gloriam eius? 228
Quomodo plenum gratiæ & veritatis. ibid.
Quomodo de plenitudine eius omnes accepimus. ibid.
Quid sit gratiam pro gratia. 229
An nulla lex per Christum, nulla gratia per Moysen data. 230
Quomodo Deum nemo vnquam viderit? 232
Quid sit esse in sinu patris. 234
Vnde cognitio SS. Trinitatis. ibid.
Quale est testimonium Ioannis? 235
Cur se negat Prophetam. ibid.
Cur quærunt an sit Elias. ibid.
Vbi Ioannes Baptizauit. ibid.
Cur agnum Dei vocet tollentem peccata mundi. 236
Quomodo tollit peccata mundi. ibid.
Quod testimonium Ioannis. 238
Qui primum vocati. ibid.
Quomodo vocatus Petrus, 239
Quomodo Nathanael vocatur. ibid.
An Christum filiũ Dei naturalem confiteatur Nathanael. 240
Quomodo ascenderint & descenderint Angeli? 241
An Angeli non sint inuocandi? ibid.

IN CAPVT SECVNDVM QVÆSTIONES.

Quæ Cana Galilæa? 242
Quo die? ibid.
Cur Mater erat ibi? 243
Cur vocatus Christus ad nuptias? ibid.
An ideo nuptiæ quandæ Virginati, quia Christus interfuit? ib.
An Matris Dei honorem minuendum Christus docuerit? ibid.
An Matrem Christus reprehendat? 244
Quantum vini dedit? 247
An hoc initium Signorum? 248
An discipuli soli crediderint, & tum primum? 249
Cur descendit Capharnaum cum Matre & propinquis? ibid.
Cur templo eiecit? ibid.
Cur Christus ambigua locutione vtatur? ibid.
Cur corpus suum templum Dei Christus appellat? 250
Cur dicit annis quadraginta sex ædificatum? ibid.
Cur Christus se non crederet eis? 252
An ex eo quod non erat opus, vt quis testimonium de homine perhiberet, Christi diuinitas probatur? 253

IN CAPVT TERTIVM QVÆSTIONES.

An signa probent à Deo venisse? 254
Quid sit nasci denuo? 255
Quid sit regnum Dei? ibid.
Quid sit renasci ex aqua? 256
An necessarius sit Baptismus? ibid.
An votum Baptismi sit dispositio ad iustificationem? 258
An hinc hæreticorum Baptisma damnetur? ibid.
An anima per aquam regeneratio eam ostendat esse corpoream? 259
An Baptizatus sit de salute certus? ibid.
An Spiritus sanctus sit pars Baptismi? 260
An Baptismus sit absolutè necessarius adulto? ibid.
Quid Caro? 261
Quid Spiritus hoc loco sit? ibid.
Cur hanc potestatem Christus adiungat? 262
Cur plurali numero vtatur? 263
Quæ terrena, quæ cœlestia? ibid.
Quæ est connexio cum præcedentibus? ibid.
Quomodo ascendit in cœlum? ibid.
Quæ similitudo Serpentis & Christi? 264
Quomodo Deus mundum dilexerit? 265
An omnis qui credit habeat vitam æternam? ibid.
An omnes & singuli credentes de sua salute certi sint. ibid.
An filius Dei non iudicet mundum? 268
Quod iudicium mundi est? 269
Quomodo credens non iudicatur, incredulus iudicatus est? 270
An omnis qui malè agit oderit lucem? ibid.
Vnde venit in Iudæam? ibid.
Vbi Ioannes Baptizabat? 271
De quæ purificatione facta est quæstio? ibid.
Quo similitudo Sponsi pertineat? ibid.
Quomodo Ioannem minui, Christum crescere oporteat? ibid.
Quid sit de sursum esse? 272
Quomodo Ioannes de terra? ibid.
Quomodo is, qui accipit testimonium, signauit, quia Deus est verax? ibid.
Quid sit dare Spiritum ad mensuram? ibid.
Quomodo omnia dedit pater in manu filij? ibid.
An omnis qui credit in filium habeat vitam æternam? 273

IN CAPVT QVARTVM QVÆSTIONES.

Cvr Pharisæos audiuisse cognouit? 274
Cur non Baptizat Iesus? 275
Cur deseris Iudæam? ibid.
Quæ Samaria ibid.
Quæ Sichar? 276
Quis Fons Iacob? ibid.
Cur fatigatus? ibid.
Cur ait sic sedisse? ibid.
Quæ mulier Samaritana? 277
An Serio petierit aquam Christus? ibid.
Quomodo intelligendũ, quod nõ conuerentur Iudæi Samar. ib.
Quæ aqua viua? & donum Dei? 278
Cur Iacob vocet Patrem suum? ibid.
Qualis aqua qualem Christus se daturum promittit? 278
Cur virum iubet aduocare? 282

Qua-

Quales illi viri quos habuit? ibid.
Quæ controuersia de loco adorationis? 283
An nec Ierosolymis, nec in isto monte postea adorauerint? ibid.
Cur templum Garizæ num sit exstructum? ibid.
An nescirent quid adorarent? 284
Quomodo salus ex Iudæis est? 285
Quid sit in spiritu & veritate adorare? ibid.
An Deus Spiritus? 287
Cur se Messiam tam aperte profitetur? ibid.
Cur mirati discipuli? ibid.
Quis cibus Christi? ibid.
Quomodo quatuor menses vsque ad messem? 288
An idem sit merces & fructus? ibid.
Qui seminarint, qui metunt? ibid.
Quomodo tam facile mulieri crediderunt. 289
An fecerit miracula apud Samaritanos? ibid.
An fides implicita sit vera? ibid.
Quomodo cohæreat v. 44. cum cæteris? ibid.
Quis Regulus. 290
An reprehendat signa & prodigia petentes. ibid.

IN CAPVT V.

QVÆSTIONES.

Quis dies festus? 292
Quæ piscina probatica? ibid.
Quomodo aqua sanarit? 294
An non licuerit ferre grabatum Sabbato? 295
Cur se Christus non statim indicauit? 296
An exigat vt ab omni peccato abstineat. ibid.
An Christus ostendat fideles posse deficere. 297
Quid Pater operetur & Christus? ibid.
Qua ratione se filium Dei dixerit? 299
An filius omnia similiter faciat. Quæ facit Pater? 301
Quomodo Pater Filio monstret opera? ibid.
An Pater neminem iudicet? 302
Cur qui filium non honorificat, nec etiã Patrẽ honorificat? ibid
Quis affectus credentium? 303
An iam hora sit qua mortui audiunt vocem filij Dei? 304
Quomodo Pater dederit filio vitam habere in semetipso? ibid.
An iudicium ei datum, quia filius hominis est? 305
Quid vetat mirari? ibid.
An bona opera causa sint vt procedat in resurrectionẽ vitæ? 306
Quomodo probat iudicium suum esse iustum? 307
An testimonium Christi de se non sit verum? ibid.
An non accipiat ab homine testimonium? 308
Quomodo ad horam in luce Ioannis exultarint? ibid.
An operum testimonium sufficiens fuerit? ibid.
An non audierint Iudæi vocem Patris nec speciem viderint? 309
Cur non habeant verbum Dei in ipsis manens? ibid.
Quomodo scrutandæ scripturæ? ibid.
An ideo nulla sit fides implicita quia scripturas scrutantur Iudæi? 310
An scrutatio scripturæ tollat traditiones? 312
Quomodo claritatem ab homine non accipiat? ibid.
Quis alius quem accipient? 313
An non possint credere qui gloriã ab hominibus aucupantur? ib.
Quæ sit gloria à solo Deo? ibid.
Quomodo Moses accusaturus est Iudæos? ibid.
An si Mosi crederent etiam Christo crederent? 314

IN CAPVT VI.

QVÆSTIONES.

Cur interrogat Philippum? 316
Qui panes & pisces? ibid.
Quis miraculi effectus? ibid.
Cur Christum turba sequeretur? 317
Quid sit operari cibum, qui non perit? 318
Quomodo Deus signauit filium? 319
Cur fidem vocet opus? 320
Cur signum quærunt? 322
Quomodo Mosis panis, & Christi differant? ibid.
Quomodo viderunt & non crediderunt? 325
An omne quod dat illi Pater ad eum veniat? 324
Quomodo non eijciat foras? 325
An non descenderit, vt faceret voluntatem suam? ibid.
Quæ Patris voluntas? 326
Quomodo credens habeat vitam æternam? ibid.
An nemo veniat nisi Pater traxerit eum? 327
An trahat Deus prædeterminando physicè? 329
Quid est docibilem esse Dei? 330
Quomodo qui audiuit à patre & didicit, venit ad Christum? 331
Quis viderit aut non viderit patrem? 332
Quomodo vitam æternam habet qui credit? ibid.
Quomodo viuant, qui ex hoc pane manducant? ibid.
An de sacramento Corporis sui Christus agat? 333
Quæ obijciant aduersarij? 335
An & quale præceptum sit de manducando corpore Domini, & sanguine bibendo? 336
An Eucharistiam sumens habeat vitam æternam? 338
Quid est manere in Christo? 339
An ex præcepto manducandi colligatur speciei vtriusque vsus, eiusq; necessitas? ibid.
Quomodo Christus viuit propter Patrem? ibid.
Cur scandalizati sunt? 340
Quomodo caro non prodest quicquam? ibid.
Quomodo & qui discesserunt? 343
Cur dicit: Nunquid & vos vultis abire? 344
Quæ Confessio Petri? 345

IN CAPVT VII.

QVÆSTIONES.

Quomodo cum præcedentibus ista cohæreant? 347
Cur noluit in Iudæa versari? ibid.
Quæ Scenopegia? ibid.
Quodnam fratrum eius consilium? ibid.
An cognatorum Christi incredulitas honori Mariæ matris obstare debeat? 348
Quod Christus vocet suum tempus & fratrum? 349
Cur Christum non fratres eius mundus odit? 351
An omnia mundi opera mala sint? 351
Cur dicat se non ascendere ad diem festum, cum paulo post ascenderit? ibid.
Quomodo doctrina eius non est? 352
Quomodo volentes facere voluntatem cognoscunt de doctrina Christi? ibid.
Quomodo propriam gloriam quærat, qui à seipso loquitur? 354
An nemo seruarit legem? 355
Cur dæmonium habere dicant? 356
Quomodo se Christus excusat? ibid.
An nouerint Christum vnde fuerit? 357
Verene crediderint in illum? 358
Quod modicum tempus, & quomodo erant quæsituri? 359
Quæ gentium dispersio? ibid.
Quis fons ille aquæ viuæ? 360
Cur nondum erat Spiritus datus? 361
Quæ sententiæ Iudæorum de Christo? 362

IN CAPVT VIII.

QVÆSTIONES.

An historia adulteræ sit authentica? 363
Cur adulteram ad Dominum adducunt? 364
Cur scribebat in terra? 365
Quid respondet? 366
Quid mulieri Dominus respondet? 367
Quomodo lux Mundi? 369
Quomodo oppugnant Iudæi Christum? 370
Cur Christi testimonium de seipso sit verum? ibid.
Quid secundum carnem iudicatis? 371

An Christus non iudicet quemquam? ibid.
Quomodo iudicium suum verum esse probat? ibid.
Quomodo duorum hominum testimonium est verum? 372
Quomodo neque Christum neq; patrem eius sciuerint? ibid.
Cur Iudæi suspicati sunt Christum velle se interficere & quid respondet? 373
Quis sensus horum verborum: Principium, qui & loquor vobis? 374
Cur non iudicet de Iudæis? 376
Quomodo cognouerint, quod patrem illis dixerit Deum? ibid.
Quomodo cognituri erant, postquam exaltauerint filium hominis? 377
Quomodo filium non relinquat pater solum? ibid.
Quomodo crediderunt. ibid.
Quæ libertas hoc loco promittitur? 378
An seruitus peccati tollat arbitrij libertatem? 379
An Catholici Iudæos imitentur dum se patrum Ecclesiam tueri dicunt? 380
Quomodo Christus apud patrem viderit, quæ facit? 381
Quomodo probet ex Deo eos non esse? ibid.
Quomodo ex patre Diabolo Iudæi? 382
Quomodo Diabolus homicida ab initio? ibid.
Quomodo in veritate non stetit? 383
Cur non credant Christo Iudæi? ibid.
Quid sit ex Deo esse? ibid
An qui sermonem Christi seruat, mortem non sit visurus? 384
Quomodo Iudæi Christum refutare conantur? ibid.
An Christus se ipse non potuerit glorificare? ibid.
Quomodo Abraham vidit diem Christi? 385
Quod ante Abrahamum Christus? ibid.

IN CAPVT IX.
QVÆSTIONES.

CVr cæcum sanauit Christus. 387
Quo sensu dicatur non peccasse? ibid.
Quæ dies & nox vocentur? 388
Quæ natatoria Siloe? ibid.
An Catholici faciant idem quod hic Pharisæi? 390
An homo peccator possit signa facere? ibid.
Cur parentes non responderunt quomodo sanus sit factus? 392
An peccatores Deus non exaudiat? ibid.
Quomodo Christus venerit, vt videntes cæci fierent? 393
An sit Deus Cæcitatis auctor? 394
An omnes habeant auxilium quo possint vitare peccata? ibid.

IN CAPVT X.
QVÆSTIONES.

QVodnam sit ostium? 396
Quænam sint oues? 397
Quodnam ouile? ibid.
Quis ostiarius? 398
An omnes oues sciant vocem pastoris? ibid.
Qui fures & latrones? ibid.
An ad hæreticos furum & latronum ingressus pertineat? 399
Quis Christo, & quis sit furi scopus? 401
Quomodo bonus pastor det animam pro ouibus? ibid.
Qui mercenarij. 402
Quomodo cognoscat oues? 403
Quæ aliæ oues? ibid.
Cur Christum dilexit pater? 404
An mandatum moriendi Christus acceperit? ibid.
Quæ encænia, quæue porticus Salomonis? 405
Cur Christum Iudæi circundant? ibid.
Quale sit testimonium operum? ibid.
Quæ oues hoc loco nominentur? 406
Quomodo vitam dat, vt nemo possit de manu rapere? 407
Quomodo Christus & pater vnum sunt? ibid.
Cur Iudæi lapidare voluerunt Dominum? 411
Quomodo se Christus defendit? ibid.
Qua in lege scriptum sit? 412
Quomodo doctrinam suam Christus tuetur? 413

IN CAPVT XI.
QVÆSTIONES.

QVis Lazarus & sorores? 415
Quæ fuit sororum ad Christum legatio? ibid.
Quomodo infirmitas non sit ad mortem? ibid.
Cur interponat de dilectione Christi? ibid.
Quorsum spectat, quod ait, duodecim horas diei esse? 416
Quomodo mortem Lazari discipulis Christus indicat? 417
Cur gaudet non fuisse se ibi? ibid.
Quomodo in Bethaniam venit Iesus? 418
An Martha crediderit? 419
Quid de resurrectione Martha sentit? 421
Quomodo Christus resurrectio & vita? ibid.
An omnis qui credit non moriatur in æternum? 422
Qui Christi fremitus, & quæ lacrymæ? ibid.
Cur locum sepulchri quærit? 423
Quam fidem exigit Christus? ibid.
Verene Christus orauerit? 424
Quomodo Lazarum resuscitat? ibid.
Quomodo foris? 425
Quomodo crediderunt? ibid.
Quod consilium pontificum? 426
Quomodo Caiphas prophetauit? ibid.

IN CAPVT XII.
QVÆSTIONES.

CVr Lazarum videre cupiebant? 428
Quid adhæc principes? ibid.
Quæ causa ignorantiæ fuerit? 429
Qui gentiles fuerint? ibid.
Quæ fuerit illa clarificatio filij hominis? 430
Quomodo honorificabit eum pater? 431
Quæ vox de cælo veniens? ibid.
Quod iudicium Mundi? 432
Quomodo omnia Christus trahat ad seipsum? 433
An Messiam manere in æternum & exaltari repugnet? 434
De quonam lumine Christus loquatur? 435
Quæ fuit contumacia Iudæorum? Ibid.
An ideo non crediderit, vt sermo Isaiæ impleretur? ibid.
Quod brachium Domini? 436
Quomodo excæcati fuerint? ibid.
Cur non poterant credere? 437
Quando hæc dixit Isaias? 438
An vere principes, & qua fide crediderint? ibid.
In quem credat, qui in Christum credit? 439
Cur in mundum venit? ibid.
An non sit Christus iudicaturus? 440
Quomodo sermo sit iudicaturus? ibid.
An mandatum à patre acceperit? ibid.

IN CAPVT XIII.
QVÆSTIONES.

QVomodo sciuerit Christus mortem? 442
Cur mortem appellat transitum? 443
Quomodo in finem dilexit? ibid.
An Diabolus miserit in cor Iudæ? ibid.
Quomodo pater dedit illi omnia in manus? 444
Quomodo lauat pedes? ibid
Rectene faciant prælati qui subditorum lauant pedes? 445
Cur se Petrus excusarit? 446
An Petrus Si non lauaretur, partem non haberet cum Christo? 447
Quomodo mundus indiget lotione pedum? ibid.
Cur lauerit discipulorum pedes Christus? 449
An Christum imitari non liceat nisi vbi exemplum se dedisse contestatur? 450
An beatitudo operibus tribui possit? ibid.
Quomodo elegit? 481
Quid est calcaneum contra aliquem leuare? ibid.
Cur prædicit? 452
Cur iteratò prædicit vnum proditorem? ibid.

Cur Petrus per Ioannem rogauit? ibid.
Quid Iudæ Christus significat? 453
Quæ ratio pecuniæ in Christi familia fuit? ibid.
Quid Christum post Iudæ discessum monuit? ibid.
Cur mandatum dilectionis vocet nouum? 454

IN CAPVT XIV.
QVÆSTIONES.

CVr admonet ne turbentur? 455
Quod remedium contra tentationes proponit? 456
Quæ vera sit lectio versus secundi? 457
Quid mansiones significent? ibid.
Quomodo locum parabit? 458
Quomodo Christus via, veritas, vita? 459
Quomodo Christus est veritas. ibid.
Cur nemo veniat ad patrem nisi per ipsum? ibid.
Quomodo filius est vita? 461
Quomodo ex Christi cognitione orta est cognitio patris? ibid.
Quomodo Philippo volenti patrem ostendi respondit? ibid.
Quomodo Pater in filio manens faciat opera? 463
Cur credi iubeat? 464
An credentes maiora fecerint, quam Christus miracula? ibid.
Quid promittit petentibus aliquid à Patre? 465
An qui diligit, mandata seruet? 467
Qui alius paracletus? 468
Quare mundus non possit accipere Spiritum Sanctum? ibid.
De quo reditu loquatur? 469
An hinc certo cognoscant se electos esse? ibid.
Quomodo maior Pater Christo? 470
Cur princeps Mundi in Christo non habet quicquam? ibid.
Quo iuerint? ibid.

IN CAPVT XV.
QVÆSTIONES.

CVr vitem se Christus appellat? 471
Quis sit fructus quem ferunt palmites? 473
Quomodo mundati sunt? ibid.
Quis est sermo quo mundati sunt? 474
Quid manere in vite. 475
An nemo nisi in Christo manens possit quicquam facere? 476
An liberum arbitrium negandum sit, quia sine Christo nihil possumus facere? ibid.
An aliquis possit non manere in vite? 479
An præceptorum obseruatio necessaria sit, vt in dilectione maneatur? ibid.
Quod gaudium & quomodo impleatur? 481
An nulla maior sit caritas quam eius qui animam pro amico ponit? ibid.
De qua electione loquatur? ibid.
Cur persecuturi sint Apostolos? 482
An si non venisset, peccatum non haberent? ibid.
An fecerit opera quæ nemo alius fecit? 483
Quæ de Spiritu Sancto traduntur hoc loco? ibid.

IN CAPVT XVI.
QVÆSTIONES.

CVr persecutiones & quas prædicit? 486
An à principio non dixerit? 489
Cur dicat neminem rogare quo vadat? ibid.
Cur Christo manente paracletus non erat venturus? 490
Quomodo Mundum arguet de peccato? ibid.
Quomodo Mundum arguet de iustitia? 491
De quo iudicio conuincet Mundum? 492
Quæ illa multa quæ portare non poterant? 493
Quis est ille qui veniet? 495
Quomodo docebit omnem veritatem? ibi.
An non loquatur à semetipso? 496
Quæ futura annunciabit? 497
Quid sit quod ait Dominus, de meo accipiet? ibid.
Quomodo omnia quæ habet pater sua dicit? 498
Quod illud modicum? 499
Quid promittit? ibid.
Quo die non rogabunt quicquam? 500
An omnia quæ in Christi nomine petunt sint impetraturi? ibid.
An Christus adorandus sit? 501
An hucusque nihil in nomine Christi petierint? 502
Cur in prouerbijs locutus sit? ibid.
Cur non est Christus rogaturus pro suis? 503
Quomodo exiuit à patre, & redit? ibid.
Verene Apostoli cognouerint, quæ Christus dixit? 504
Quam habere illos pacem iubet? ibid.

IN CAPVT XVII.
QVÆSTIONES.

CVr orat, & quo gestu? 505
Quæ sit hora? 506
Quæ sit clarificatio? ibid.
Cur dedit illi potestatem omnis carnis? 507
Qualis visio sit vita æterna? 508
An pater solus Deus? ibid.
Quod opus consummauit? 509
Quæ sit claritas, quam habuit apud patrem, antequam Mundus fieret? 510
Quomodo Apostoli sermonem seruauerunt? ibid.
Quid Apostoli cognouerunt: ibid.
An non pro Mundo roget Christus? 511
Quomodo filij sunt patris, & e contrario? 512
An non iam sit in Mundo? ibid.
Quomodo Apostolos vnum esse velit? 513
Cur Iudas perierit? ibid.
Cur non sint de Mundo? 514
Quomodo sanctificati Apostoli? ibid.
An sanctificatio quæ est in veritate contraria sit consecrationi sacerdotum? ibid.
Quomodo pro suis se Christus sanctificet? 515
Quid pro credentibus petat? 516
Quod præmium credentium? ibid.

IN CAPVT XVIII.
QVÆSTIONES.

QVis torrens Cedron? 517
Vnde sctebat Iudas? 518
Quæ miracula facta dum ad capiendũ Dominum veniunt? ib.
An nulla sint merita Sanctorum quia Christus socios Apostolos in morte noluit? 519

IN CAPVT XIX.
QVÆSTIONES.

VNde Pilato in Christum potestas? 521
Quid tunica inconsutilis? 522
Quomodo Ioannes recepit matrem Domini in sua? ibid.
Cur ossa fracta? ibid.
Quid sanguis & aqua? ibid.
Quæ sensus verborum: videbunt, in quem confixerunt? 523

IN CAPVT XX.
QVÆSTIONES.

CVr vetet tangere? 525
An clausis ianuis sit Dominus ingressus? ibid.
Qua in re consistat similitudo missionis Christi & Apostolorum? 526
Cur insufflauit? 527
Quomodo nunc accipiant Spiritum? 528
An fidem Thomas amiserit? ibid.
An Thomæ testimonio Christi diuinitas probetur? 529

IN CAPVT XXI.
QVÆSTIONES.

QVorsum ista apparitio narretur? 531
Vndenam & nauis Petro? ibid.
Rectene Petrus se in aquam dimiserit? 532
An hoc loco detur Petro peculiaris potestas? ibid.
Cur martyrium Petro Dominus prædixit? 536
Quid Christus Petro imperat, cum dicit: sequere me? 537
Quid illa protestatio: Hic est discipulus &c. ibid.
An mundus non posset capere libros si scribenda essent omnia gesta. 538

INDEX RERVM
QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A

ABIENÆ *duæ.* 55
Abraham pater omnium credentium. 154. *Multis modis Christum vidit.* 385
Abrahæ sinus. Ibid. *Pater diuitu.* 155
Absenti loqui licet. 24
Abusus in gestando Euangelio. 197
Accipere in Diuinis non est minoris, sed dare & Accipere æqualia sunt. 464
Accusatio recitantiũ salutationem Angelicã. 24
Ad aliquem respondere. 63
Aduersa & secunda non sunt signa felicitatis. 149
Aduersarij iudices iniusti. 398
Adulterium est peccatũ mortale, 367. *eius vindex Pontifex.* 368
Adorare spiritu quid. 285
Adorationis locus quam mouerit controuersiam 283
Aduersis crescit Ecclesia, & virtus cernitur. 486
Ænon vbi. 271
Æternitas principium est. 200
Affectuũ vsus voluntarius 423. *Commiserationis affectus.* ibid.
Agnorum victimæ frequentes. 236
Agnus Christum ostendit. ibid.
Aliter nos vnum, aliter Pater & Filius. 516
Alieno homines gaudere solent. 22
Aliena nostra sunt temporalia. 150
Aliunde ascendentes sunt fures. 399
Allegoriarum auctoritas est ex Patribus. 108
Ambitio à Christo damnata. 348
Ambitio fidei contraria. 313
Amans amatur. 84
Amici parandi vt recipiant. 148
Amici quomodo recipiant. ibid.
Amor dignus est amore. 503
Amor Dei causa omnium bonorum. Vid. Charitas. 415
Amici sunt diligendi Diuino non humano amore. 79
Amphora Attica. 147
Anabaptistæ discipulos Christi non imitantur. 102. *eorum error.* 122
Annæ meritum & studium. 46
Angeli an à Christo gratiam habuerint. 140. *eorum gaudium accidentale de conuersione peccatorum.* 139. *Dei & Christi ministri visibili forma* 241. *Nos ad Deum ducunt.* ibid.
Angelus monstri forma non apparuit. 13. *Prædicit gaudium.* 15
Animæ in specula. 458
Anima non est corporea. 259. & 152. *Quibusdã ventus videtur.* 262
Animæ non sunt creatæ ante corpora. 216
Animus apud hominem id est in homine. 205
Animi mutabiles. 416
Anni Herodis incerti. 9
Annus Christi Baptizati incertus. 60
Antiochiæ Syriæ primaria fuit. 4. *aliæ plures.* ib.
Antonij cultrix Syra Ecclesia. 166
Apostolorum electio res summa est. 78. *Eorũ Baptismus.* 257. *Creantur sacerdotes.* 528. *Omnia deseruerunt.* 531. *Post acceptum Spiritum S non errarunt.* 529. *Ipsis reuelata prædestinatio.* 105. *Regnum illis disponitur* 180. *Sunt oues, discipuli, agni.* 102. *Baptizant Baptismo Christi.* 275. *Scripturam non intelligebant.* 429. *Quomodo à peccato liberi,* 448. *Eorum miracula.* 465. *Multa sunt ijs specialiter concessa.* 469. *Initio ignorantes postea scientissimi fuerunt.* 494. *Ad prædicandum non ad scribendum sunt missi.* 497. *Fidem sincere profitentur.* 504. *Non sunt de mundo* 514. *Eorum sanctificatio.* 514
Apud aliquando significat In 205. *Indicat personarum distinctionem.* ibid.
Aqua calamitatum magnarũ symbolum. 126
Aqua quam Christus se daturũ promittit. 279
Aqua perennis. 279. *Fructus ex fonte.* ibid.
Aquæ Siloe. 389
Aqua sanctuarij, & mira aquæductuum natura. 293
Aquam Caluinus negat esse aquam. 256
Aqua Baptismus significat Lutheranis. ibid.
Aquæ sunt bona opera. 36
Arguere quid. 490
Arriani sibi repugnant. 209. *eorũ argutiæ.* 207. *ex propria sua interpretatione vincũtur.* 206 *quomodo mulieres seduxerint.* 90. *Sabellianis sunt contrarij.* 463. *Eorum argutia.* 472
Arius refutatur à PP. antiquioribus. 205. *Eius detestatio.* 199
Attributa absoluta ita se habent, vt cui vnum tatera etiam conueniant. 418
Auaritia inexcusabilis. 57. *Indocilis est iustitiam pati.* 150
Auaris studium. ibid.
Augustus ingentes opes congessit. 35

B

BAptismus aqua gratiæ. 278
Baptismus hæreticorum ratum est. 258
Baptismo neminì negandum. 257
Quomodo iustificet. 256. *Eius necessitas.* 256. *Quando non necessarium.* 260. *Sincerum illius desiderium iustificat.* 258. *Eius votum dispositio est ad iustificationem.* ibid. *Per illud peccata tolluntur.* 448
Baptismus est exorcismus. 433
Bellarminus defensus. 215
Bellare est licitum. 58
Benedictio. 69
Benedictiones agnoscunt veteres. ibid. *Diuersæ Christi actiones in benedictione.* 96
Beneficia nec tarde, nec grauate danda. 113
Bezæ certitudo & inanis fiducia. 327
Boni possunt deficere. 479. & *seq.*
Bona infidiosa. 146
Bona quomodo dissipentur. 141
Bonorum temporaliũ periculosa administratio. 149
Brentzius deprauat scripturam. 369
Buchanani preces. 114
Bulingeri imperitia. 293
Byssus. 153

C

CAdus. 147
Cœlibatus ex Moysis lege nõ præcipitur sacerdotibus. 21
Caiphas verus Pontif. 56. *Inscius prophetat.* 426
Caiphas officio, Annas potentia summus Pontifex. ibid.
Calamitates rationem pœnæ habent. 171
Calamitates non sunt signa irati Dei. 387
Caluini doctrina probrosos facit, quos non inuenit tales. 367
Caluini superbia. 126. *Blasphemia.* 184. 176. 432. *Perulãtia* 215. *Dicacitas.* 109. *Calumnia, quod Catholicos magicas artes impune permittere asserat.* 15. *Arianos fouet.* 410. *Putat Christum non ostendisse vitã vitæ.* 106. *Contradicit Christo.* 106. *Paulũ oppugnat.* 390. *Euangelistæ se opponit.* 358. *Dominicũ diem mutat.* 16. *Suorum scelera Catholicis impingit.* 15. *Necessitate peccari docet.* 406. *Impie vim miraculorum elidit.* 391. *Sanctorum iniquus est censor.* 239. *Eius de Nathaniele iudicium.* 240. *Zachariam docet dubitasse de Diuina potentia.* 19
Caluini errores. 327. 386. *eum socij oppugnant.* 358. *vnde calumnias habeat.* 384. *Eius iustitia indelebilis.* 456
Caluiniana electio aduersa Deo & natura. 168
Caluiniana fides. 529
Caluinistæ antiqui. 340
Caluinistarum angustia. 170. *Dissensio.* 176. 169. *Mira Prosopolipsia.* 529. *Iactantia.* Ibi. *Ab Euangelio recedunt.* 303. *Christi vocem non audiunt.* 404. *Non sunt filij Abrahæ.* 381. *Symbola tollunt.* 341. *Ipsis non est credendum, quamdiu miraculu non probant suam fidem esse Orthodoxam.* 291
Caluiniana imputatio & Oratio. 480
Caluiniani ministri parasiti. 528
Cana Galilææ duplex. 242
Cana zelus. ibid.
Caro quid. 341. *Caro Hebræis homo.* 225. *per eã peccator intelligitur.* ibid. *Mortua non prodest.* 342. *Deo vncta viuificat.* 243. *Resurgere posset etsi nil prodesset.* 341
Caro est carnalis, Spiritus spiritalis. 261
Caro viuifica est. 342
Caro Christi vt caro Dei prodest. 513
Caro Christi vere datur in sacramento. 242. *Christus probat secarnẽ suã dare posse.* 340.
Carpocratiani. 433
Cataractæ cæli. 70
Causa quomodo sit sine effectu. 266
Census tempus. 33. *Censuum descriptio.* Ibid.
Census omnis inuestigat opes. ib. *Census ætas.* ib.
Census ex testimonio generis leuior. 38
Ceremoniæ sine spiritu ludibria. 286
Certitudo salutis ex Baptismo. 259

Chaos, Chasma. 156. Chaos imperuium. Ibidem.
Characteres damnati. 197
Charitas formalis causa iustitiæ. 83
Charitate remittuntur peccata. 83. Hæreditas aditur. 106. Ante illam nemo iustus. 83. Pluris est quam miracula. 454

C.

CHristus Deus. 54. 407. 300. 417. 298. 381. 332. 319. 507. 214. 415. 325. Deus & homo. 250. verus homo est. 39. Filius creatoris. 70. vna in illo est persona. 26. Naturæ duæ. 224. dicitur altissimi Filius peculiari modo. 26. Patri æqualis. 299. Æternus. 386. Primogenitus dignitate. 61. vna illius & Patris est substantia. 298. Viuit propter Patrem vt homo, per Patrem vt Deus. 339. vera carne præditus est, 70. Eius incarnatio similitudine exponi non potest. 225. Corpus Sp. sancti opera formatum est. 27. De eius ætate varia sententia. 60. In sinu Patris est, quia Patri consubstantialis. Eius scientia quomodo aucta. 52. Prophetæ exemplo alienis se impendit. 69. Miraculi causa ad nuptias venit. 243. Non est intrinsecum humana voluntati quicquid est Christo homini intrinsecum. 49 Propriè orauit vt homo. 424. Omnia sub eius imperio. 434. Est Lux. 435. Brachium. 436. In eum credere honorificum est. 439. Tribus modis videtur. Ibid. Omnia præscuit. 442. Eius anima non est Deo æqualis ibid. Eius humanitas non vbiq; 443. Eleemosynã dedit. 453. Ad crucem suos excitat. 453. suos nõ fallit. 457. Ad illũ quomodo eatur. 459. Est mediator. 459. Ante Incarnationẽ non orauit. 460. Modo vt Deus, modo vt homo loquitur. 468. Perpetuus Ecclesiæ est defensor. 469. In illũ dæmon nihil iuris habuit. 470. Sine illo non est iustitia. 492. Eius nomen diuinum. 500. Solus est Mediator. 501. Eius humanitas adoratur. 501. Quomodo non desinat orare. 503. Orando humanitatem demonstrat. 505. Libere patitur. 507. Illi qua homini data est potestas. ibid. Omnibus dat vitam æternam. Ibid. Ipse est vita æterna. 508. Finis illius gloria Dei. 509. Solus pro nobis est mortuus. 519. Homo non potuit pro nobis satisfacere. Ibidem. Cur Pilato non respondit. 521. Homo homines iudicabit. 305. A seipso excitatus est. 250. Legislator. 230. Eius legem violare docent hæretici. ibid. Tenendam Caluinistæ. ibid. Legis obseruator. 74. Legem qua non tenebatur obseruat. 43. Legem circumcisus impleuit. 43. Non est aduersarius legis. 70. Quomodo venturus Rex & Propheta. 316. & seq. Ab omni immunditia immundus. 61. Sine immunditia & dolore natus. 39. Quomodo tollat peccata mundi. 236. Agnus dicitur, 236. Eius gratia est causa nostræ gratiæ. 229. Pro omnibus est mortuus. 269. Sola cœlestia docuit. 263. Eius ascensus duplex. ibid. Descensus quid. 264. Semper in cœlo manet. ibid. De cœlo creatoris descendit. 54. Quasi vtero aperto egressus est. 43. A Nazareth vere dici potest. 239. Venit in nomine Patris, Antichristus suo nomine. 313. Plenus gratiæ, & gratiæ origo. 228. Doctrina cœlestis auctor. 232. Legitestimonium dat. 74. Sabbatho adire Synagogam solitus. 63. Sibi testis sufficiens. 370. Apostolos orbi præficit. 72. In lege monstratus est. 221. Ea forma fuit vt agnosci posset. 192. Lytrum pro nobis persoluit. 401. Impeccabilis est. 272. Ecclesiam gratia plenam fecit. 23. Ad se vocat & ad suos. 360. Temporale Dauidis regnum non accepit. 26. Eius authoritatem hæretici minuere conantur. 249. Quomodo illum crescere oporteat, Ioannem vero minui. 271. Deum legis docuit. 117. Eius humilitas quod ab Angelo confortari voluerit. 183. Gratiam infallibilem non necessitatẽ habuit. 49. Animã sumpsit. 226. Corpus eius non è cœlo sumptum. ibid. Quomodo Baptizarit. 271. & 275. Passibilis fuit. 276. Cur fatigatus sit, & cur sic sederit. ibid. Quomodo positus sit in ruinam. 44. Fugit ne malis det occasionem. 275. Cur orare docuit. 112. Vocationis specimen dare incipit. 46. Accipit testimonium iusti. 43. Quomodo excitatus à Spiritu sancto. 63. Est Oriens. 30. Ab illo nemo reijcitur. 325. Non facit Iudeos sibi iudices. 356. Non orauit pro omnibus eo modo quo pro Petro. 182. Mulierum vsus ministerio. 88. Non negat Matrem suam beatam. 115. In fictione non est mentitus. 193. Potuit, sed noluit esse Iudex. 123. Ratione naturali vtitur. ibid. Ioanni quomodo succedit. 911. Isaiam non legit lingua vulgari. 65. Necessario & libere amauit. 48.
Timor Christi. 184.
Timeri voluit. 98.
Innocens socios securos præstat. 416.
Eius iudicium est iudicium Patris. 371.
Inuidiose inuitatur. 134.
In conuiuio salutem quærit. ibid.
Eius miracula. 135.
Miracula probant illum esse Deum. 240.
Vario modo sanat. 74.
Integro anno sine miraculo non docuit. 59.
Ex curationibus facilè opes colligere potuisset. 89. Raptoribus Eleemosynas & multo magis restitutionem præscribit. 118.
Magnus est respectu omnium filiorum Dei. 26.
Eius corpus templum Spiritus sancti. 250.
Cibus illius. 288.
Lux est vniuersalis. 369.
Lux primogenia, sancti secundaria. 213.
Negat se extra Ierusalem moriturum. 133.
Mori non timuit. 184.
Mortuus est pro inimicis. 481.
Pro omnibus passus est. 511.
Orauit pro nobis. 512.
Se glorificare potest. 384.
Regnum illius sine regio splendore. 164.
Disciplina Christi suspiciones tollebat. 89.
Illius doctrina Patris est. 352.
Eum dæmoniacum esse calumniantur. 356.
Quomodo à se nihil faciat. 300.
Eius libertas. 49.
Mandatum accepit. 404.
Quomodo Chrysost. neget illum mandatum accepisse. ibid.
Mandatum habuit secundum formam serui. 440.
Vt Deus non accepit mandatum. 441.
Secundum humanitatem ad Patrem ascendit. 525.
Ianuis clausis ingressus est. ibid.
Eius corpus essentiam non mutauit. ibid.
Non fuit aereum. 526.
Episcopos creat. ibid.
Varius ex motuis mori potuit. 45.
Vnus est non duo. 54.
Sola natura humana non diuina in illo passa est. 226.
Post mortem eius plurimi sunt conuersi 376
Sola increata natura in illo est adoranda. 218.
Omnes illum recipientes fiunt filij Dei. 220.
Sine illo nihil possumus. 472.
Eius & legati ipsius sermo seruandus est. 510.
Christiani eodem Spiritu cum Patribus præditi sunt. 380.
Crudelitas & sæuities in illos. 488.
Christiani dissimiles Iudæis. 380.
Christianismi causa. 401.
Christianus defectionibus moueri non debet. 345
Cibus vim habet vt vitam æternam conferat. 338.
Cinctus togatorum erat. 125.
Cingendi consuetudo. ibid.
Cinctura ministrantium. 444
Circumstantia non omnes in præcepto. 49.
Clarificatio crucis & miraculorum. 506.
Clerus si populo non prosit, nec sit. 136.
Clerici possunt res suas retinere. 122.
Cœcitas Iudæorum singularis. 393.
Cœlum clausum, cum pluuia negatur. 70.
Cœna duplex. 180.
Cognitio varie impedire potest. 191.
Cooperationem nostram Deus requirit. 296.
Commemoratio Eremitarum in Syra Ecclesia, 134
Commemoratio sanctarum fœminarum 100
Conceptu opprobrium Elisabeth sublatum, 21
Concio confidentialis, 260
Concordia religionis ostenditur, 18
Confidentia Caluiniana, 169
Consuetudo Hebræorum vt mulieres magistros alerent, 89
Contumacia singulare peccatum, 482
Conuersio est reconciliatio, 17
Conuersio hominum negotia Patris cœlestis, 48
Eius initium ex Deo, 328
Cor sincerum Deo probatur, 151
Corus quid, 147.
Creaturam non adoramus, 411
Creatura mortua se excitare non potest, 404
Credendo se iustum, nemo fit iustus, 130
Credendo amare, est facere voluntatem Dei, 352
Credentium & non credentium status duplex, 270
Credere in Filium Dei quid, 265
Credere in Filium Dei non est credere remissa peccata, ibid.
Credere in Filium summus est Patris honor, 302
Credita animorum inspector dimisit, 84
Credere est assentiri, 456
Cribrare Dei est, & secernere, 181
Crurifragium, 522
Culpa remissa manet pœna, 303
Cultus externus non prohibetur in Deo rite colendo, 287
Cura pastorum, 402
Cyreniana præfecturæ tempus, 34.

D.

Dæmon territos magis terret, 14. Morbos infert, 131. Formam mutat, ibid.
Dæmonibus imperare summum erat, 103. Nomina eorum mutata, 92. Specie monstrosa cur appareant, 13. Illorum terror contra Atheismum, ibid.
Damnati vident Beatos, & contra, 155. Non solent orare sanctos, ibid. Nullum saluari cupiunt, 156
Deficere quid, 148
Defuncti norunt aliorum statum, 158. Aliqui oratione iuuantur, ibid.
Delictis merces non datur, 486
Dei bonitas in remunerando, 162. Eius cognitio est Deus, 203. Essentia non miscetur creaturis, 209. Præsentia terrorem incutit, 73
Nomina illius cur pluralia, 263
Deitas non meretur, est tamen causa vnde dignitas in merito, 460
Deo nemo beneficium dare potest, 161. Dare gloriam Deo, 163. illi deberentur omnia sine præmio nisi ex gratia daret, 162
Deum homo non iudicat, 356. Deum videntes intra Deum sunt. 232. Eum videri Armeni negant, ibid. Eum cognoscentibus multa sunt incerta, 468
Deus creator adoratus, 112. Et vita, 461. Iudex. 162. Non minus spiritualia restaurat quam corpora creat, 208. Omnes quantum in se est illuminat, 215. Prior amat, 175. & 84. Quomodo cito puniat, 167. Prædestinauit merita, 125. Illius est mundus proprius. 219. Omnia facere potest quæ fieri possunt, 28. Operatur etiam Sabbatho, 298. Solus est immutabilis, 319. Incircumscriptus, 217. Quomodo visus, 233. Immobilis mouet, 207. Agendi organa cum vult assumit, 474. An tentet prædeterminando physice, 329. Deus non est extra quem aliquid est, 218. Sinon compensat merita non est iustus. 320 Miraculo non probat blasphemias. 413. Vim confert non instrumenta, 316. non est pars Baptismi, 260. Cæcitatẽ non fecit, 394. Certe cum loqui in prædicante nemo certe nouit, 357. Eius gloriam ministri Lutheram non quærunt, 355. Illum contemnunt hæretici, 521. Ipse & Christus est ianitor, 398. Quomodo Filium signauit, 319. Ordinat mala opera ad bonum. 521
Dextra esse quid sit, 499
Diabolus vnde, 209
Homicida, 382
Est in corde Iudæ, 443
Dies Domini, 164
Dies idem quod tempus apud Hebræos, 133
Dierum significatio, 132
Dilectio nostra non est prima causa dilectionis, 479
Diligere debet etiam cui minus remittitur, 85
Diligere in finem quid, 443
Discipulorum Christi qui primi vocati, 238
Discipuli euntes in Emaus, 191
Discipuli iustæ vindictæ exactores, 98
Discipulos tuos fore ostendit Christus, 416
Discipuli non tentassent Dæmonum eiectionem nisi potestatem habuissent, 103
Dispersio gentium, gentes sparsæ, 359
Dites damnatus, pauper saluatus, 152
Eius nomen incertum, ibid.
Luctus & crudelitas, ibid.
Diuitis fiducia; auaritia merito accusatur, 123
Vita breuis, mors certa, 124
Diuites quomodo beati, 157
Omnes ab hæreticis damnati, ibid.
Cur damnentur, 57
Eos inuitare licitum est, 136
Diuitiarum incertitudo, 124
Diuinitatis explicatio, 207
Non est mediatrix, 502
Non erat, ibid.
Donatistæ, 168
Donata donare honestum est, 24

E.

Ebrietas ex fumo, 16
Ecclesia damnat adulteria, 367. Vide Adulterium.
Ecclesiæ arma, 58. Non est sine Christo, 376. Non est fundata infirma ratione, 391. In illa sola est salus, 345. Nouos cultus non habet, 454. Non fallit, 489. Mali eã non tollunt. ib. Falli non potest, 495. Illi absolute promittitur veritas, 496. Est Scripturæ custos & interpres non Domina, 496. Suam semper habet auctoritatem, 514
Ecclesia nobilium in Germania, 10
Ecclesia probrosis non vacat, 366
Ecclesiæ duæ per Christum iunctæ, 403
Educatio occasio conuersionis, 140
Εἶναι quid Græcè, 201
Electio ad Apostolatum, & ad vitam, 481
Electio singulatim reuelata discipulis, 105
Electionem ex meritis præuisis esse, non est Pelagianum. 124
Electio ex fide præuisa, 324
Electio varia, 451
Electis Dominus se credit, 253
Trahuntur efficaciter, 434
Eleemosyna non delentur peccata impiorum, Danda etiam extra necessitatem extremam 57
Eam Deus in tabulas suas refert, 148
Sanctorum gratiam illa colligimus, ibid.
Per illam Zachæus peccata redimit, 175
Elisabeth abscondit se, 21. & 22
Sine mandato B. Virginem salutauit, 24
Emaus, 191
Encœnia quæ 405
Episcopi inæquales, 66
Episcopo administratio politica non prohibetur, 122
Episcopus bellare potest, 59
Erasmi error, bellum illicitum esse, 183
Eius coniecturæ, 91
Esse in Deo quid, 200
Euangelium inchoatum est in Galilæa, 275
Ex collo gestatur, 197
Euangelij S. Lucæ auctoritas, 7
Idem ab Ecclesia receptum, 7
Falso S. Paulo adscribitur, 6
Eucharistiæ veritas, 514
Euchitarum hæresis, 166
Eorum deuotio dæmonis adoratrix, 166
Eusebius excusatus, 364
Excommunicatio Caluiniana, 488
Ἐξουσία non est honor tantum, 220

F.

Fallaci nemo credere tenetur, 495
Felicitas extrema non est causa damnationis, 156
Festus dies Iudæorum, quo Christus ascendit Hierosolymam, incertum est quis fuerit, 292
Ficus Iudæos exprimit, 131
Fictio sine mendacio, 192
Fides est assensus rei reuelatæ, 424
Eius obiectum non est solus Deus, 456
Etiam Christus est obiectum illius, 457
Non est fiducia, 511
Amitti potest, 267
Idem fatentur hæretici, ibid.
Non est indelebilis, 451
Est initium & scientia salutis, 30. & 321
Est fundamentum, 322
Datur ei vita æterna, 273
Sola non liberat, 265
Alia est Fides qua creditur, alia quæ creditur, 267
Contra offensiones est necessaria, 160
Non acceptatur pro impletione legis, 321
Sine iustitia esse potest. 182
Est clauis scientiæ, & cognitio mysteriorum, 119
Fides ignoratæ rei, & ignotæ, 311
Fides saluifica, 171
Instabilis, 252
Fides specialis vitæ æternæ non nascitur ex generali, 420
Fidem multi habent, sed carent charitate, 222
Fide vincitur mundus, 456
Fidelis in magno, fidelis est etiam in paruo, 149
Fiducia hæretica, 460
Figuræ numerum septuagenarium habent, 100
Filius Dei Deus, 200
In eius generatione non est causa, 207
Non est creatura, 301
Creator est increatus, 207
Concors Patri, 205
Sine Patre nihil potest agere. 300
De illo quid senserint Plato & Mercurius, 210
Essentiam suam habet à Patre, 503
Filius simillimus Patri non est Pater, 462
Eius & Patris essentia vna est, ibid.
Filij huius sæculi non verè sapientes, 147
Sapientiores in genere suo, ibid.
Ab iis licet discere pietatem, ibid.
Filij causa sunt damnationis. 124
Eorum virtus est gaudium Patris, 16
Filij appellatio continet exprobationem peccati, 157
Filij promissio indicat orationem exauditam, 14
Furis Pastoris & furis, 401
Fluuius non est fiducia vt vult Calu. 361
Fœmina non solum mala, sed etiam suspecta sunt fugiendæ, 282
Fons quid Caluino, 361
Fons gratiæ permanens, 36
Fons Iacob, 276
Fons est gratia gratum faciens, 361
Fons Spiritus sancti gratia, 360
Fratrum error, 347
Fratres dicuntur cognati, 347
Fructus Caluinistici 475

Excusa similis vero, 449
Fugaluuta, 347

G.

Gabriel dicitur vir Dei, 19
Gaudium de præcursore nemo accusat, nisi qui Dominum venisse negat, 16
Gaudium in natiuitate Ioannis, 15
Gaudium de electis, 481
Generatio æterna, 461
Gentiles censendi ratio, 38
Vocati sunt peccatores, 173
Gentium Patronus non putabatur fore Messias, 359
Gentes ad Christum veniunt, 429
Iudicebat adorare, ibid.
Locis constitus, ibid.
Iudaismum suscipiebant, 430
Gladij duplex sensus, 182
Gloria Osorem suum sequitur, 350
Veram non querit, qui non est missus, 354
Gloria à Deo quæsit, 313
Glorificatio in Trinitate, 432
Gradus Academici damnati ab hæreticis, 537
Sunt liciti, ibid.
Gratia quid, 50. Est vita, 51. à Matthæo vocatur merces, 79. Eius augmentum ex merito, 467. Non semper est gratuita reconciliatio, 69. Sine illa nihil ad salutem vtile, 175. Eius necessitas, 478 Non tollit liberum arbitrium, 511. Eam sequuntur merita, 416. Amitti potest, 281. Promissa fit debita, 79. Sumitur pro gloria, 229. Pro dono interno & fauore. 230. Est permanens. 361. Sufficiens omnibus datur. 215. Præueniens non tollit cooperationem voluntatis, 221. Distinctio gratiæ & legis, 231
Gratia est dantis & accipientis, 79. Illam inueniunt quærentes & non quærentes, 25
Gratiæ adiuuanti cooperamur, 477. & seq.
Gratia Dei mundo non deficit, 511
Gratia Diuina in verbis, 69
Gratia lex seruatur, 231
Gratia gratum faciens, & gratis data, 51
Permanens, 280
Gratiæ dona, ibid.
Gratia hominis, 50
Græci codices non omnino incorrupti, 364.

H.

Habitus Christi, 191
Hæresis magiæ conciliatrix, 15
Hæreses multæ contra Baptismum, 258
Hæreses de resurrectione corporum, 526
Hæretici deprauant scripturam, 82. 518
Arianizant, 52
Cur Sabbatho ieiunarint, 64
Illorum fraus, 8
Miracula non faciunt, 95
Nec volunt, 466
Gratiam dona gratiæ vocant, 51
Deo materiam æquarunt, 218
Sententiam Christi delent, 310
Cur is non credatur, 406
Ab Ecclesia primo, deinde à seipsis desciscunt, 401
Eo ostium non ingrediuntur, 400
Eorum Theogonia, 203
Confidentia in petendo, 113
Nugæ negligendæ, 366
Dissensiones & corruptæ versiones, 309
Omnes apud illos de Religione sunt iudices, 406
Eorum rabies, 428
Calumniæ, 493
Tollunt arbitrium, & peccandi necessitatem admittunt, 476. & seq.
Furor eorum cœcus, 488
Illorum dogmata non sunt in Scriptura, 497
Hæmorroissa cur paupertate non fuerit à statua Christi faciendæ impedita, 92
Hebdomas candidatorum, 100
Hebræi subiectum cum articulo solent postponere, 206
Hebræus Chaldæam non satis intelligit, 65
Herodes Rex tributarius, 33
Sæuit in doctos & pios, 9
Cur Dominum non viderit, 186
Eius ingenium & versutia, 132
Tyrannis, 9
Potentia metu constricta, 9
Hollandorum auritæ pecudes, 66
Homo ascendit & descendit, 264
Non est creatura diaboli, 214
Dicitur venire in mundum, 216
Homo homini proximus, 167
Eius cum Deo comparatio, 470
Cooperatur Deo, 478
Homines liberi sunt, 49
Honor Romanæ sedis est gloria Dei, 354
Hora diei tempus agendi, 416
Humanitas Christi probatur, 39
Adoratur, 525
Humanitas nostra est nobis instar refugij, 148
Dei misericordiam prouocat, 149
Humilitas, 445
Humilitatis insigne exemplum, 135
Humilitatem docet nos nostra inutilitas, 162
Hussum & Lutherum secuti magi, 15
Hydropicus animali quod in puteum cecidit comparatur, 135
Hydrops aut totum aut partem tollit, est incurabilis si perfectus, ibid.
Hypocritæ ira & stoliditas, 132

I.

Ideæ necessariæ, 210
Ideæ Platonis, ibid.
Idem bis repeti solet apud Hebræos, 102
Ieiunium Dei cultus, 16. & 45
Eius finis non est mœstitia, 46
Bina ieiunia, 170
Ignis Symbolum aduersitatum, 126
Ignominia cum tormento ferendæ, 487
Ignorans etiam punitur, 125
Non est ignoranti rogare, 423
Ignorantia affectata non excusatur, ibid.
Illyrici deprauatio, 108
Imbecillior metuit fortiorem, 13
de Impetratione nemo certus, 113
Impij possunt non impie agere, 395
Non resurgunt, 422
Sibi tenebras eligunt, 437
Impotentia antecedens & concomitans, 394
Improbi virtutem honorant, sed non imitantur, 92
Improbitas est in vrgendo proposito perseuerantia, 114
Implere plus est quam finire, 80
Imputatio vana libertatis, 379
Imputatio Caluiniana, 480
Indifferentia voluntatis Christi, 49
Infidelis in Mammona iniquo, 150
Ingredi & egredi, 396
Ingressus in ouile considerandus, 399
Innocentia altricum Christi, 90
Integritas primi hominis non fuit naturalis, 107
Intentiones bonæ non damnandæ, 286
Intercessoribus aliquando vtimur, 113
Intercessio sanctorum, 232
Intellectus rationes seu conuenientias inuenire Potest, 199
Inuidiosum ire ad gentes, 359
Inuiti non credimus, 328
S. Ioannes Baptista in vtero matris solitario formatur, 22. In vtero repletus est Spiritu sancto, 16. A Deo missus est. Non est Angelus. Eius testimonium authenticum, euidenter credibile, irrefragabile, 212. & 213. In deserto Deo familiaris fuit, 17. Angelus etiam in pueritia 17. Cur ex familia nobili fuerit, 10. Omnibus erat gaudio, quia præcursor, 15. In eius natali vitanda lasciuia. 15. Vbi baptizarit, 238. In eo non sola indoles sed res erat, 17. Fecit plebem perfectam. 18. Non erat Christus, 59. Militibus salutem ostendit, ibid. Sapius dedit testimonium Christo, 236. Peccatum habuit, 17. Eius exultatio, 28. Corda Patrum ad filios cõuertit, 18. Nouum vrbi modum instituit, 112. Vocat se vocem, Prophetam autem & Messiam se esse negat, 235. Pares eius & Euangelistæ fides, 228. Eius heroica temperantia, 16
S. Ioannes Euangelista contra hæreses Diuinitatem Christi negantes scripsit, 198
Parthos docuit, 196
Quomodo se testem vocet, & eius testimonium verum, 538
S. Ioseph Christi Pater, quia nutritius, 239
Quomodo Pater, 48
Ante iter. mysterium conceptionis nouit, 39
Iosephus rationem sortiendi nouit, 10
Quando scripsit, ibid.
Irenæus vnctionem exposuit, 68
Isaias vulgo non intellectus, 65
De Christo prophetat, 66
Dei gloriam vidit, 233
Iter Sabbathi, 419
Ituræa, 55
Iudææ status miser, 54
Iudam proditorem qui laudent, 444
Bonus electus malus reiectus, 452
Typus est hæreticorum, 518
Iudas Galilæus, 128
Iudæa diu tributaria, 35
Iudæi grauius quam Samaritani peccant, 98
Ioannem repudiarunt, 308
In scripturis diligentes, 309
Inexcusabiles, 310
Mosi non credunt, 314
à Mose accusabuntur, 313
Viderunt & non crediderunt, eorum stupor, 323
Cur à Christo reiecti, 324
Gratiam sufficientem habuerunt sequendi Christum, 330
Eorum cœcitas, 382
Reiectio, 380
Somnia, 389

Fuit

Fuit in illis aliqua cognitio Trinitatis, 372
Opera dæmonu faciunt, 381
In miseros contumelios sunt, 387
Vrgent responsum, 405
Eorum fides de resurrectione, 421
Furor & cæcitas, 428
Iudex impius crimina vlciſci debet, 366
Iudicare quid sit, 268
Iudicari est damnari, 270
Iudicium, 393
Iudicia hæreticorum, 407
Iudicium Christi iustum, 307
Iurisdictio terrena non pugnat cum dignitate Ecclesiastica, 122
Ius supremum in concilio sanedrin, 9
Ius consistorij, 533
Ius in dæmones signum Ecclesiæ, 104
Iustitia à Deo est, 168
Iustitia fucata, 151
Imputatiua nouatorum reijcitur, ibid.
Iustificare seipsum, ibid.
Iustitia Caluiniana est impietas, 170
Iustitia nostra creata est, 402
Iustificatio non est sine pœnitentia, 256
Ad illam quid requiratur, 256
Non omnes iustificati se norunt esse tales, 469
Iustus peccare potest, 297
Iustus non dicitur ex non imputatione culpæ, 11
Iustus quomodo legisperitus, 107
Iusti sæpe deficiunt & damnantur, 451

L.

LAban figura mundi, 219
Labor noster ad fructum habet aliquam efficaciam, 318
Christi auxilio fit vtilis, 73
Laborū & quietu diuisio, 63
Laborandum manibus, 318
Lauandi consuetudo, 116
Latro clam ingreditur, 397
Latronis pœnitentia, 189
Laudare non est optantis, 42
Laudare Dei Matrem hæreticis est magia, 24
Lazari & Epulonis narratio an sit historia, an parabola, 151
Lazarus non est frater Mariæ, 153
Eius quies, 154
Sine originali iustitia suscitatur, 425
Eius solutio typus soluendi peccatoris, ibid.
Vita illius testis Christi Messiæ, 428
Lectica vsus non est vetitus, 446
Legati fororum, 415
Legendi difficultas apud Hebræos, 64
Legem Iudæi non seruant, 355
Leges vniuersaliter scribuntur, 267
Leges militiæ, 58
Lex impleri potest, 116
Impleta est cum accessit littera Spiritus, 231
Charitate impletur, 467
Eius custodia amor Dei, ibid.
Proportione virium seruatur, 168
Duplex est, 310
Ad legem alligamur, sane intelligendum, 412
Lex Mosis est gratia Christi, 230
Lex de adulterio, 365
Lex lata non est de Symbolis, 339
Liberum arbitrium, 344. 378. 380. In nobis non periit, 143. Non tollitur, 394. Non cogitur malum facere, 379. Illud asserit S. Chrys. 221. Parei de hoc calumnia, 222. Illud non tollit Prophetia, 436
Libertas necessitate hypothetica non tollitur, 180. Non auferitur reprobis. 406. Ab omni malo promittitur, 378. Cum Beatitudine non pugnat, 49
Libere ad Deum venit, quicunque venit, 328
Liberum est venire ad Christum, 324
Lignum humidum & aridum, 189
Lingua Syra & Hebræa differunt, 312
Diuersitatis Linguarum exemplum. 65
Linguam vnam ex alia coniectans facile errat 65
Liu Christo an intendi potuerit, 88
Locutio Angelica, 155
Lotio pedum non est sacramentum, 445
Propriè intelligenda, 447
S. Lucas Antiochenus fuit, 4. Alexandriæ docuit, 5. Fuit sectator & discipulus Apostolorum, ibid. Non fuit ex 70. discipulis, ibid. Cælebs fuit, 7. Pictor fuit, 5. Pinxit imaginem B V ibid. Cur medicus à S. Paulo vocetur, 5. Multa ab eodem didicit, ibid. Euangelium & Acta Apostolorum scripsit, 6. Eius Euangelium ab Ecclesia receptum, 7. Auctoritas Diuina eiusdem Euangelij, ibid. Illud non est scriptum à S. Paulo, 6. Eius stylus cultior, ibid. Aliqua omisit, 112. Quinque petitiones habet, 112. Cum vetere Scriptura Conciliatur, 70. Vbi obierit incertum. 5 De eius Martyrio non est mentio, ibid. Testimonium Nazianzeni & Paulini de eius martyrio, ibid.
Lucerna accendi solent, 369
Lux totius mundi, 369
In homine duplex, 211
Eius natura est illuminare, 214
Lutheri ambitio, 354
Eius in dæmone pellendo irritus conatus, 104.
Ab hæreticis miracula exigit, 249
Excommunicatus interiit, 392
Eius scrupulus & consolatio improba, 487
Lutheram à Caluinianis descripti, 392
Cur non sint certi de salute ex Baptismo, 259
Eorum consolationes, 259
Lutum quid ad sanitatem fecerit, 389
Lysanias, 55

M.

MAgia Zvvinglij, 15
Magister in Israel cur dicatur errare, 262
Magistratui etiam malo honor debetur, 449
Magnificare, 451
Maior Dei gloria quæ sit, ipse nouit, 354
Mammona iniquitatis, 148
Mandatum nouum, 454
Mandata seruari possunt, 467
Obseruanda sunt non solo conatu, sed affectu, 482
Manducationes indignorum, 338
Manichæi festa Dominica culpabant, 16
S. Marcus & Lucas Antiochiæ docuerunt, 6
Malus malo aptus, 350
Mali sunt tenebræ, 212
Malus est, qui malè ingreditur, 400
Mala futura, 188
In Malis quædam sunt bona, 351
Maria Θεοτόκος, 28. Non ignorauit locum natiuitatis, 38. Salutata est domi, 23. Visu Angeli & sermone cur turbata, 25. Non est effectrix gratiæ, nisi Christum pariendo, aut intercedendo, 24. Plena est gratia vt riuulus, Christus vt mare, 24. Eius paupertas, 38. Dignitas, 349. Omnia ex Dei gratia habet, 24. Vulnerata est per Corpus Christi, 45. Eius cultus non est religio, 24. Cur illi gratulemur, 25. Bono fine eam salutamus, ibid. Honoranda est, 349. In illa laudatur Christus, 116. Non peccauit querela, 47. Non reprehendit filium, ibid. Quomodo Filio locuta, ibid. Miraculum curiosè non petiuit, 246. Nescia decreti Diuini festinando non peccat, ibid. Eam Christus non reprehendit, 245. Cur illam vocet mulierem, 247. Non sumpsit sibi potestatem iniuste, 246. Pharaoni postponitur à Beza. Christus illam non contempsit nec reprehendit, 244
Illam Christo præire voluisse calumniatur Beza, 246
Caluinus superstitiosè coli à nobis criminatur, 243
Eam Bullingerus excusat, 244
Brentius defendit, 245
Apollinarius & Nestorius aduersus illam blasphemi, 349
Non est Dea, 243
In illa fuit fides, admiratio, dubitatio, 27
Quæsiuit gratiam, 25
Martha & Maria excipiunt Dominum, 109
Martha distrahitur, ibid.
Non est reprehensa, ibid.
Eius confessio eadem quæ Petri, 419
Fides illius non est fiducia, 421. 422. 423
Martiriani, 166
Martyrum honor, 431. 536
Materia non est æterna, 218
Medice cura teipsum, 69
Mendacium & furtum iuncta sunt, 399
Mendacium mysterio excusat August. 192
Mercenario gratia non debetur, si fecit quod debuit, 162
Non oues sed lucrum petit, 402
Mercenarij etiam vera docent, 402
Merces meriti est, 288
Est gratia ex pacto data, 148
Operibus datur, 163
Diuersa est in cœlis, 457
Meritum non omnium bonorum est, sed permissorum, 415
Merita augent Dei gloriam, 354
Meritorium est cui datur merces ex pacto, 148
Meritorum diuersitas, 431
Messias Lux dicitur, 369
Dei facies, 373
Vnctum Hebraicè significat, 239
Peculiariter est Rex Israelis, 240
Eum Iudæi vocabant verbum Dei, & Deum, 409
Pauperum curator est, 122
Ex vna nasciturus, non faciebat cæteras probosas, 22
Messias nomen Dei, 432
Est iudex mundi, 440
Metreta quid, 147
Metus non deterret à bono Apostolos, 416
Militia permissa, 58
Militia cœli quid, 42

Ministri Caluiniani non sunt honorandi. 449
Miracula doctrinam approbant. 255. Vbi non sunt ibi non est Ecclesia. 465. Ils sola Ecclesia clara. 466. Exigenda à nouatoribus. 309. Sunt à Deo. 95. Illa Deus fecit, vbi ipsi visum est. 295. Christo erant necessaria. 290. Eadem illorum potestas fuit in Discipulis & Apostolis. 103. In mulieribus facta, testimonia erant. 89. Falsis fides habenda non est. 391. Ea non faciunt impij ad errores suos firmandos. 391. Peccatoris miracula. 393
Miracula sanctorum maiora quam Christi. 465.
Misericordia causa salutis. 29. Proprium illius est recipere peccatores. 139
Missio in Diuinis. 484
Monachi discipulorum imitatores. 102. Eorum via Christi via est. 459
Morbus pœna est peccati. 297. Eius finis Dei gloria. 415
Mors temporalis & mors peccati non in omnibus similes. 143. Spiritualis inchoatur peccato, perficitur damnatione. Ibid. Dicitur somnus. 417. Eius non est tempus. 349
Mortui qui dicantur. 143. Sunt amici Dei. 417. Eorum resuscitatio inter opera admiranda & præcipua. 301. suscitati & suscitandi audiunt vocem tubæ, Angeli, Christi. 304.
Morientium ordo triplex. 158
Morum corruptio. 82
Motus bonus an signum prædestinationis. 259
Moses iudicium inter fratres suscipit. 122
Deum non vidit. 233
Mulieris confessio. 115
Mulieres aluni Christi discipulos. 90. Illarum ministeria per prophetam prædicta. 89. plangunt. 188. Earum in Ecclesia partes. 90.
Mulierum Romanorum nequitia. 82
Mulieres gentilium Iudaizantes. 90
Mundus factus per Christum in vna persona subsistentem. 217. 214. Sine Deo esse non potest. Totus Christi proprius est. 219. Deum non cognouit. 217. Est corpus improborum. 218. Est exemplum deiecti superbi. 135. Varie intelligitur. 218. Ipse absolutus est, eius princeps damnatus. 433. Quomodo eiectus foras. Ibid. in fine eius omnia trahentur. 433
In Mundo esse est more hominum viuere. 512
Mysterium centum cadorum. 147
Mysterium in Herodis & Pilati amicitia. 187

N.

Nathanael iudicat Christum filium Dei naturalem, non adoptiuum. 240. Eius perfecta confessio & professio. 240
Natura humana in Christo non est mutata in Diuinitatem. 510
Necessitas interna quid. 48
Necessitas præcepti obligat. 336
Nemo audiendus qui aliunde ascendit. 400
Nicodemi fides qualis. 254. Eius quæstio de regno cœlorum. 255. Non est Pelagianus. 262
Nihil factum Deo coæternum est. 217
Nomina eadem diuerso modo Deo conueniunt & homini. 243
Non omnia sunt scripta. 509
Nouatianus adhuc catholicus. 217
Numerus rotundo accedens facile detrahitur non additur. 101
Nuptiæ secundæ non sunt culpandæ. 282
Non damnantur exemplo Annæ. 46.
Eas Christus honorat, sed de virgine concipi voluit. 243. Illarum calumniatores sua præsentia damnat Christus. 243. Non diu post Baptismum fuerunt. 60

O.

Obseruationes nostræ exiguæ sunt. 63
Obstinati non mouentur. 418
Occidere sine odio hostem debet miles. 183
Odium inter Iudæos & Samaritanos conciliabat superstitio. 981
Odium causa perfidiæ. 383
Odium tardi beneficij. 113. inter Iudæos & Samaritas. 275
Odium veritatis. 269
Officio mouentur malè functi. 146
Ogdoadum generatio. 204
Opera saluant, non fides. 450
Scientia sine operibus damnatur. ibid.
Operibus seruamur. 473
Opera nostra sunt imperfecta. 480
Opera supererogationis. 481
Opera quæ nemo fecit, nisi Christus. 483
Opera bona in malis. 351
Operari licet ex intuitu mercedis. 163. sunt media ad salutem & merces operum. 306 In operibus non est fiducia nostra, sed promissio Dei. 169. Opus nullum ex nobis meritorium, omnia inutilia. 162. nescit homo an Deo sint grata opera. 169. opera media ad salutem. 169. omne opus bonum oratio est. 166. opera maius testimonium quam Ioannis. 308. operum merces æternitas, 318. opera non excluduntur à fide. 321 opera ad salutem necessaria. 57. operari licet mercedis intuitu. 149
Opprobrium ex hominum malitia erat. 22
Ophitacultores serpentis. 264
Ophitarum illusiones. ibid.
Oratio pro defunctis. 398
Oratio necessaria. 506
Orationes per Christum terminatæ. 502
Gestus in oratione non præceptus. 506
Orare pro aliis licet. 506
Ora infrenati finis infelicitas. 91
Origenis error. 183
Orationis importuna vis. 167
Oratio Christi humanitatem ostendit non negat diuinitatem. 420
Oratio semper impetrans argumentum est esse Deum. 420
Orationis amor signum prædestinationis. 167
Origenes. LXXII. agnoscit. 101
Orbis Romanus descriptus. 32
Origo calumniæ. 365
Oues errantes. 398
Ouium auditus. 398
Oues non sunt certæ. 407
Oues Christiani. 397
Ouis nunquam macériam diruit aut aliunde ascendit. 400

P.

Panis Christi & Mysti qui differant? quis verus panis. 322. Panis Christi vim habet resumendi non manna. 332
Panni Christi decentes. 40
Papa quomodo Deus. 412. Eius excommunicatio. 439
Papistæ qui Caluino. 21
Parabolæ de rebus futuri seculi. 152. Sumuntur etiam de iis quæ non fiunt. 155
Non sunt particulatim applicandæ. 137
Paracletus. 484
Paralyticus defensus. 296
Paruuli cur sine sacramento regenerationis pereant. 257. Eos renasci, non liberari à peccato Pelagiani docent. 258
Pascere est regere. 533
Pastores seduli. 42. Pastor bonus. 402
Pater indulgens. 141
Pater est principium. 200. Corporeum videre voluerunt Iudæi. 309. Inuisibilis per Filium docet. 332. Per Filium operari dicitur. 208
Omnia illius sunt omnia Filij. 498. Ex cognitione creaturæ eius Paternitas non cognoscitur. 375. Filio vt homini monstrat opera. 301. Neminem iudicabit quomodo intelligendum. 302. A Patre exire & redire quid. 503
Pauperes aliter recipiunt quam Deus. 148
Paupertas religiosa. 453. Anabaptistica. ibid.
Pax vera. 44. Dei seruitio conueniens. 30
Pax triplex. 41
Peccata iustorum. 448
Peccato nemo in hac vita caret. 10
Peccata aliter Christus, aliter sacerdos remittit. 368. Non remittuntur sine gratia. 170
Peccatum veniale non excludit charitatem. 12
Peccatores à fide non omnes sunt apostatæ. 17
Ante pœnitentiam non sunt iusti. 130
Publici & inuerecundi. 270. Omnes prodigi sunt. 140
Peccatoris conuersi feruor tepori iustorum confertur. 139. Non omnia illius opera sunt peccata. 477
Peccatrix non sciuit sibi remissa peccata. 86
Eius deuotio. Ibid.
Pelagiani & nostri hæretici extremos errores tuentur. 476
Perseuerantia durat contra repulsam. 114
Persecutionis causa Dei ignoratio. 482
Personæ ingressus est spectandus. 400
Personæ in SS. Trinitate non confundendæ. 228
Earum diuersitas. 205
Quomodo vna apud aliam esse dicatur. 205
Cognitione non possunt diuidi. 373
Vna sine aliis non cognoscitur. 234
Pater & Filius diuersa persona. 358
Deitate vnum sunt. 408
Eadem vtriusq; forma. 319
Vna actio & substantia. 306
Vtriusq; omnipotentia omnia fiunt.
Petitio importuna. 113
Petrus quomodo vocatus. 238
Eius prærogatiua. 182
Primatus. 533. & seqq.
In fide errare non potuit. 181
Monetur quia præerat. 181
Vocatur Satan. 182
Eius error in lotione pedum exiguus. 446
Non fuit superstitiosus. 447
Remissionem peccatorum habuit & fidem. Ibid.
Quomodo dilexit Ioannem. 452

Non perdidit Apostolatum. 533
Illi priuatim non est honor delatus sed publice & in re publica. 534
Quid illi promissum. 536
Romæ mortuus est. Ibid.
Eius virtus honoranda. ibid.
Mutatitia naue piscatur. 531
Omnes oues illi commissæ. 532
Gressu Christum secutus est & morte. 537
Pharisæi fastus, & inhumanitas. 82
Pharisæi iusti videri cupiebant. 151
Eorum pertinacia & timor rebellionis. 426
Philippus quomodo voluerit videre Patrem & certus esse. 462
Pictura quomodo doceat. 472
Pilati potestas in Galilæos vel vera, vel vsurpata. 129
Odio hominum & religionis sanguinem miscuit. Ibid.
Pios à Deo audiri principium est fidei. 392
Pij vitant peccata. 433
Eorum mors transitus. 443
Piscatio doctrina. 72
Platonicorum errores. 210
Plurali numero Christus raro vsus. 263
Pœna dilatio ex Domini bonitate est. 131
Non differtur ad diem extremum. 137
Temporalem manere docent Arminiani. 170.
Pœnitentia iustitiam præcedit. 282
Non continetur sola emenda. 368
Eam non agentes æternum pereunt. 130
Pontifex in omnes iurisdictionem habet. 32
Eius fides perpetua. 182
Non dicitur Monarcha. 345
Vnus est. 55
Eum sectarij persequuntur. 521
Populum fallere graue scelus. 311
Non ignorabat consilia principum. 356
Portio substantia quid. 141
Potestas dupl x. 521
Potestas in dæmones Ecclesiæ data est. 104
Potestas Christi quomodo maior quam Apostolorum. 527
Potestas impiorum à Deo cohibetur. 521
Πεῖραν facere & exigere signa sicat. 57
Præceptum post institutionem obligare cœpit. 336.
Non omnia præcepta sunt. 163
Præceptum de manducando corpore Domini, & sanguine bibendo quale sit. 336
Præceptum est vbi pœna indicitur. 336
Prædicantium superbia. 446
Prædestinati sunt omnes. 397
possunt peccare mortaliter. 182
Prædestinationis causa non est in nobis. 124
Prælati & Episcopi dum lauant pedes, bene faciunt. 445
Præmium & meritum sunt relata. 378
Præmia non operibus, sed promissioni respondent. 149
Præmia diuersa. 458
Præsidum ordo. 34
Præsides Iudææ & Syriæ. 54
Precum publicarum verba tenenda sunt. 114
Cur non audiantur infirmitas in fide causa est. 168
Primatus non pugnat cum officio. 446
Primogenita Deo sacrata. 43
Princeps mundi victus. 492
Principe victo cæteri vincuntur. 104
Principem habere non est deprimi. 533
Probatica piscina & eius vsus. 292
eius aqua quomodo sanarit. 294
Fuit secundaria causa sanitatis. ibid.
Illi Angelus aderat. ibid.
Processio quid in Dominis. 495
Procuratorum Cæsaris potentia. 34
Prodigi conditio misera. 141
Promissionum applicatio & efficacia. 266
Prophetæ non omnia cognoscunt. 82
Multi eorum extra Ierusalem occisi. 133
Non fuerunt fures & latrones. 398
Eorum defensio. 399. Summa auctoritas. 497. Omnes sunt falsi, qui se pro Messia venditarunt. 398
Prophetarum signum veræ Ecclesiæ. 497
Propositiones particulares vniuersalibus inclusæ. 267
Proselytorum malitia. 380
Prudentia iustorum fides. 18
Pseudoprophetæ. 399
Publicanus vnde iustus. 169
Ante orationem non erat iustus. 170
Noua in illo qualitas. ibid.
Puer Iesus signum est. 40
Pueris non reganda aqua cum Christus offert gratiam. 171
Purgatorium esse probatur. 390
Purpura alba. 153. Color eius lætus. ibid.

Q.

Quadragesima seruanda. 450

R.

Rationes infirmæ contra zachariæ Pontificatum. 13
Recipere Bezæ est fidem testari. 148
Redemptio non fuit in omnibus efficax. 511
Regenerati audiunt. 383
Regnum Dei. 255.180
Illi aptius non est qui ei repugnantia agit. 99
Aliter Christus aliter Iudæi illud accipiunt. 164.
Regnum Christi æternum. 26
Regnum cœlorum gratis datur, non tamen sine merito. 125
Regnum est Euangelij prædicatio. 164
Regum iudices non sunt subditi. 357
Regulus qui venit ad Iesum in Capharnaum. 290.
Regula non plumbea. 412
Regio vtrimq; circa Iordanem. 56
Remissio causa & effectus. 84
Remissio prior est fide remissionis. 87
Renunciatio bonorum duplex. 136
Perfecta rara est. 137
Repleti Spiritu S. alijs communicant. 17
Resurrectionis probatio. 326
Resurrectio nemo est nisi Christus. 412
Idem resurgunt qui mortui fuerunt. 424
Retributio & meritum sunt reciproca. 136
Reuerentia Dei ex præsentia. 13
Romani opum causa describebant census. 33

S.

Sabbathum vitæ cœlestis symbolum. 63
Illud Christiani olim colebant. 64
Dei legem in eo audiebant & meditabantur. 63
Quæ onera in illo vetita. 295
Eius cura superstitiosa. ibid.
Sacrificio Missæ multi quotidie interessent. 12
In festis plures. ibid.
Sacerdotes tempore ministerij cœlibes erant. 20.
Sacerdotum diuisio in partes. 10
Sacramenta sunt instrumenta regenerationis. 389.
Eorum consideratio triplex. 337
Salus neminis nisi in Christo. 264
Eius certitudo non est data. 325
Securitas illius pestilens. 296
Nulli est impossibilis. 507
Salutatio licita est. 24
Impediens prædicationem vetita. 102
Cur preces illi subdamus. Ibid.
Samaritanorum Pater Iacob, quomodo. 278
Eorum fœdus & amicitia cum Iudæis. 277
Errores. 285
Nesciebant quid adorarent. 284
facile crediderunt. 289
Ossa per templum spargunt. 129
Non sunt Galilæi. 129
Eorum tumultus & cædes. 128. 129
Samaritana mulier. 277. An serio Christus ab illa aquam petierit. ibid.
Samaritani fides. 164
Samosatenianidamnati. 205
Sanguis & aqua in sacrificio. 532
Sanguis Christi Lytrum. 401
Causa fudati sanguinis. 183
Sanguinis Galilæorum mistio. 128
Sanguinis potus cum præcipitur, non mandatur flagitium. 338
Sanctificatio. 411. Idem est quod oblatio. 515
Sanctis precibus nos Deo reconciliant. 147
Eorum meritis nemo iustus. 229
Angelos timent. 15
Sancta crebro ad vtilitatem accommodantur. 317.
Sanctorum intercessio. 466. Illorum passiones vt res maximas Christus prædixit. 486
Illis non tribuimus honorem Diuinum. 501
Eorum meritis non repugnant Christi meritis. 519
Saraceni magi. 15
Satan etiam vera docens non est audiendus. 400
Triplici modo deiectus est. 164
Satisfactio non semper necessaria. 170
Scandala, quæ sunt in Ecclesia, non faciunt vt ipsa eueret. 17. Necessario eueniunt vigente malitia. 163
Scenopegia, quid. 347
Sceptrum Iudæis quid sit. 9
Quando à tribu Iuda ablatum. ibid.
De omni forma resp. dicitur. ibid.
Ante Christum non est ablatum. ibid.
Scientia opponitur incredulitas. 18
Scorpius pro orco. 115
Scriptura non est clara nobis. 66
Eius explicatio tam necessaria est, quam ipsa scriptura. 494. Eam non omnes intelligunt. 537. Eius scrutatio. 310. Non quilibet idoneus illius scrutator. 311. Bene agere iubet non viuamus. 149. Reuerenter audiuda 241. Ex professo de Christo agit. 310 Communis memoria Ecclesiæ non potest præiudicare. 101. Ostium dicitur. 397. Non omnis scriptura Christus est ujus. 312

Securitas

Securitas salutis pestilens. 297
Securitas Christiano non datur. 345. 420
Seditio ob sacram pecuniam. 129
Septenarius numerus omnia continet. 64
Sermo Christi efficax. 69
Sermonis gratia. ibid.
Sermonem seruare, credere, facere. 384
Serpens sin ilis Christo. 264
Serpentis aspectus cum fide & charitate liberabat. 265
Seruicensebantur 35. *Serui duplices.* 125
Seruus Domino beneficium dare potest. 161
Sicera, quicquid inebriare potest. 16
Sicher, Sichem. 276. *Non sunt duo Sichimæ.* ib.
Signa visionis Diuinæ. 20
Signa sunt argumenta missionis. 254
Signa duplicia. 290
Sine querela est qui est sine crimine, etsi non sine peccato. 11
Sol à Lucerna lumen non mutuatur. 312
Solatio alia viuorum, alia mortuorum: 49
Solatium nostrum in eo est quod Christus vadit ad patrem. 465
Somnus signum bonum. 417
Sortis ministerium octo dierum fuit. 10
Sortium imminutio. ibid.
Spectra apud gentes plurima. 14
Sponsi similitudo. 271
Spiritus quid. 261. *An sit anima & ventus.* 262. *An appareant.* 157
Spiritus Sanpars Baptismi. 260. *Est Deus.* 438
Spiritus solius Dei est sine mensura. 272
Spiritus S. Processio. 468. & 495. *Dat vires seruandi præcepta.* ibid. *Ecclesiæ semper necessarius fuit.* 495. *Eius Deitas probatur.* 496. *A seipso non loquitur quia à seipso nō est.* 496. *Quomodo à scriptura & Christo accipiat.* 497. *Quomodo à Filio procedat.* 512. *Deus Solus dat Spiritum S.* 528. *Eum mundus non accepit, nec vt talis potest accipere.* ibid. *Est Deus.* 484. & 490. *Non est peregrinus.* ibid. *Mundū de omni peccato arguit.* 490. & seq *Nō impellit ad peccata.* ib.
Stabulum Christi in specu. 40
Stare & præsentem esse. 86
Sterilitas pbro erat. 22. *Nō est pœna criminis.* ib.
Sua cuiq; primum curanda. 69
Sugillare quid. 167
Summus Pontifex incensum ponere potuit. 14
Summi sacerdotis nota oratio. 14
Superbia quotuplex. 168. *Aduersus spectra est infirma.* 14
Superstua Domino tributa. 89
Superstua naturæ vel status. 57
Syra Ecclesia B. Virginis commemorationem celebrat. 88. *Syra versio probata nulla.* 312
Syra versio pro defunctis. 6
Syri Hebraam integre non intelligebant. 65
Syria posterior magis ab Hebræa recessit. 65

T.

Tabulæ testaceum pauimentum. 74
Tarracina. 55
Templum quod Christus adiuit à Zorobabele conditum est. 252
Templi Salomonis ædificatio impedita. 250. *Eius secunda ædificatio.* 251. *Illius labra & imagines.* 292
Tempus prædicationis. 54. *Hoc tempus non est tempus iudicij.* 440
Temporis ratio testimonium veritatis. 9
Tempore incensi nulla forma orationis præscripta. 14
Tertulliani dura locutio. 206. *Isaiæ verba quomodo ad Zachæum accommodet.* 173. *Eius error.* 208
Testimonia Diuina per homines dantur. 308
Testamenti noui & veteris Deus vnus. 421
Terarchiæ. 55
Thomas timuit. 418
Tiberius Christum Deum iudicauit. 54
Timor initialis. 144. *Prodest cum ad spem & pœnitentiam excitat.* ibid.
Tolli in sublime, quid. 124
Tra bonitis. 55
Tractio etsi modus violentus, trahimur tamē ad Deū volentes. 328. *An nemo veniat ad Christum nisi Pater traxerit eum.* 327. *Orandum vt trahamur.* ibid. *Qui sint idonei vt trahantur à Deo.* 328
Traditione necessaria est. 364. *Lectioni addenda.* 312. *De illa sermo.* 118. *Traditiones Iudæorum.* 309. *Traditiones an sistemata fidei* 358
Treuirenses magi vnde. 15
Tropitarum hæresis. 224
Trinitatis ratio. 199. *quomodo eam Ambrosius probet.* 68. *Apud Iudæos nota* 409. *Ethnicorum de illa testimonia.* 484. *Caluini circa illam error.* 498
Turbationis causa ex præsentia Angeli. 13

V.

Variatio in cæremonijs à Deo institutis. 13
Vbiquitarij. 264. *Eorum error.* 403. *Illis humanitas sit Deitas.* 226
Vbiquitas cadit. 418. *Eam refellit natiuitas* 39
Ventris causa multi Christum sequuntur. 322
Verum quid. 109. *Veritas.* 383
Verbum Chaldæi crebro vsurpant. 202. *Indæis vsitatum.* 203
Verbum in Baptismo mundat. 474. *Est sacramentale. Infantes mundat secundum id quod in eo creditur.* 474. & 475
Verbum est Dei Filius. 202. *Est Deus.* 206. *Imperfectione caret.* 202. *Cum res crearentur iam erat.* 200. *Non est factum.* 211. *Nec genitum more corporum.* 204 *Ante carnem fuit.* 227. *Eunomius duo verba constituebat.* 203. *Verbum non Filium vocauit Ioannes initio.* 202. *Verbi incarnati gloria.* 228
Verbo mentis omnia fiunt. 207
Verbum hominis non est homo. 206
Verbum Dei non tantum scripto, sed etiam traditione tenetur. 378
Vespasiani mira vlla falsa. 391
Vestis alba. 187
Vetera non noua discenda. 353
Via prauæ. 56. *Via est Christus.* 459
Videre Deum est comprehendere. 233
Visio beata habitui charitatis non necessario communicat vim suam. 49
Vidua quomodo semper orarit. 167. *Viduarum opes à Christo peti nemo erat creditурus.* 89
Villarum diuitiæ. 145
Villicus vrbis. 145. *Reipublicæ.* ibid.
Villicus iniquus. ibid. Eius ingenium non fraus laudata est. 147
Villici sunt omnes homines. 146
Villicorum dignitas. 145
Vindicta publicæ iustitiæ causa peti potest. 167
Vinea vera & picta eisdem rei symbola. 472
Vinum nouum est mustum. 75. *vetus melius.* ib. *Non est impedimento Orationi.* 16. *Non prohibetur sacerdotibus.* 21
Vires dæmonis ficta. 105
Virtus aduersis cernitur. 486
Virtus heroica supra calumniam. 89
Virtutis omnis actio, qua Dei maiestatem profitemur Dei cultus est. 16
In virtutum studio Christus imitandus. 450
Virtutes fructibus comparantur. 473
Visio non est integra beatitudo. 805
Visionis Diuinæ signa. 20
Vita est ipsum esse. 210. *Vita est Christus.* 211 *Non est iustitia Christi.* ibid.
Vita æterna à Creatore promittitur. 106
Vita dies operum. 388. *An pro temporali damno impendenda.* 401
Vitis varia acceptio. 471. & seq. *Imaginibus non obstat.* 172 *In vite manere, est Christo adhærere per fidem & charitatem.* 475
Vitia Catholicorum causa hæreseon. 355. *Obstant docenti virtutem.* 352
Viuentes Deum non vident. 233
Vnctio quid. 68
Vnctio hypostatica. 68
Vnigenitus Dei filius Deus, & primogenitus. 227 *Creaturas consortes non habet.* ibid.
Vnus Dei & Mariæ Filius. 369
Vnitas essentialis. 410
Voluntas Dei bona, non hominum. 41
Voluntas Christi vt Dei eadem cum voluntate Patris. 325
Voluntas viri nihil ad regenerationē facit. 224
Voluntatis luctæ signum est eius actiuitatis. 478
Voluntas Dei volita à Christo. 506
Votum Baptismi dispositio ad iustificationē. 258
Votū castitatis erat impedimētū cōceptionis. 27
Vox spiritalis. 255
Verum aperire est esse primogenitum. 43
Vtilitas ex reuerentia Dei. 13

Z.

Zachæus proselytus quibusdam. 173. *sine Christo se non præparauit.* 174. *Eius opus supererogationis.* 175. *In illo fuit initio fides informis.* 174
Zacharias summus sacerdos iuxta quosdam. 12 *proprie Propheta dicendus.* 29. *Eius iustitia.* 10. *Deum laudat.* 15. *Eius domus in montanis Iudæ.* 13. *Quid orarit.* 14. *Plura petitis accipit.* ibid. *De filio desperarat.* 14. *Angelo non credidit.* 19. *Incredulitate peccauit.* ibid. *Non dubitauit de potentia Dei, nec de veracitate.* 19. *Hæsitauit, an Angelus verus fuerit qui apparuit.* ibid. *Fit surdus & mutus.* 20. *Mutitas eius derelictionem Iudæorum testatur.* ibid. *Est tardus.* 20. *Deuotio mora causa.* ibid.
Zelus præposterus. 139
Zvvingliani contradicunt Caluino. 426. *Eius libros damnant.* 437
Zvvinglius & Caluinus Arianizant. 463.

Soc. Jesu Paderb. 1672.

FINIS.

ADAMUS GIS
in
+ Evangelia
CVI
14

CONTZEN

Th
886a

UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
PADERBORN

